1831

2

554

1.743

AGVIRRE
THEOLOGIA SANSELMI
COMMENTARIIS
ET DISPVTATIONIBVS,
DOGMATICIS, ET SCHOLASTICIS,
ILLVSTRATA.

TOMVS SECVNDVS
DE MYSTERIO TRINITATIS

PROVINCIAL Y REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL - PALENCIA

S. ANSELMI ELOGIVM APVD EMANVELEM THESAVRVM.

INFVLATA REMISSIO,
ANSELMVS CANTVARIENSIS.
ANSELMVM AVGVSTAE PRAETORIAE COELVM DEDIT,
COELO ANGLIA REDDIDIT.
A VITIIS AETATEM EXORSVS IN VIRTVTE CONFECIT,
MISERANDVS QVOD ITA COEPERIT,
MIRANDVS QVOD ITA DESIERIT.
SAEPE CVM PATRE VEXATVS, SAEPIVS SECVM,
AEQVE NESCIVS QVID ELIGERET, AC QVID OPTARET,
TANDEM MORES VNA CVM SOLO MVTAVIT:
EO VELOCIVS VIRTVTIS ITER EMENSVS,
QVO SE META NOVERAT REMOTIOREM.
E COENOBIO VOCATVS AD INFVLAS,
NESCIAS AN MONACHI PARTES ACCVRATIVS IMPLEVERIT,
AN EPISCOPI.
REGIS PERFIDIAM VTILITER CARPERE MALENS,
QVAM PERNICIOSE LACTARE,
PACEM NON AMANS, QVAE CVM AEQVITATE PVGNARET,
MINVS FELIX ESSE MALVIT,
QVAM MINVS FORTIS VIDERI.
ITERVM REVOCATVS, ITERVM PVLSVS,
REGIS DVRITIEM DVRITIE MOLLIIT SVA.
IMMORTALITATEM ET STYLO, ET VIRTVTE PROMERITVS,
OPPRESSAM ANGVSTIIS VITAM CVM MELIORE MVTAVIT.

1681

S. ANSELMI

ARCHIEPISCOPI CANTVARIENSIS, ORDINIS S. BENEDICTI DOCTORIS SANCTISSIMI, ET SAPIENTISSIMI,

THEOLOGIA,

COMMENTARIIS ET DISPVTATIONIBVS, TVM DOGMATICIS, TVM SCHOLASTICIS, ILLVSTRATA:

IN QVIBVS SVBTILITAS SCHOLARVM PROPRIA coniungitur cum eruditione sacra, eruta ex Scriptura, Concilijs, & Patribus, Græcis, Latinisque, contra Atheos, Ethnicos, Iudæos, Hæreticos, & Schismaticos: vt propterea totum Opus PENTATEVCHVM FIDEI appellari possit.

TOMVS SECVNDVS,

IN MONOLOGION, A CAP. XXVIII. ALIAS XXIX.

DE SACROSANCTO TRINITATIS MYSTERIO, VSQVE AD CAPVT LXII. ALIAS LXV.

CVM INDICIBVS NECESSARIIS.

REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL
BIBLIOTECA
PALENCIA

AVCTORE,

R.P.Fr. IOSEPHO SAENZ DE AGVIRRE, BENEDICTINAE Congregationis Hispaniarum & Angliæ Generali Magistro, in Salmanticensi Academia Doctore Theologo, & Cathedræ S. THOMAE Antecessore, Regij ac Supremi Fidei Senatus Censore, & à Secretioribus Consilijs ipsius, Insignis Collegij S. VINCENTIO sacri iterum Abbate, olim Studiorum Regente.

SALMANTICAE.

Apud LVCAM PEREZ, Vniversitatis Typographum.
ANNO M. DC. LXXXI.
SVPERIORVM PERMISSV.

EX DIONYSIO AREOPAGITA IN EXORDIO *Theologiæ Mysticæ.*

Τριὰς ὑπερόσιε καὶ ὑπέρθεε, καὶ ὑπεράγαθε, τῶν χριστιανῶν ἐφορε θεοσοφίας, ἴθυνον ἡμᾶς ἐπὶ τὸν ὑπερ μυστικὸν λογίων ὑπεράγνωστον καὶ ὑπερφανῆ καὶ ἀκροτάτιον κορυφὸν, ἔνθα τὰ ἁπλᾶ καὶ ἀπόλυτα καὶ ἄτρεπτα τῆς θεολογίας μυστηρία, κατὰ τὸν ὑπερφωτον ἐγκεκάλυπται τῆς κρυφιομυστὶς σιγῆς γνόφον, ἐν τῷ σκοτεινοτάτῳ τὸ ὑπερφανέστατον ὑπερλάμπουσα, καὶ ἐν τῷ πάμπαν ἀναφεῖ καὶ ἀοράτῳ τῶν ὑπερκάλων ἀγλαιῶν, ὑπερπληροῦντα τὰς ἀνομμάτους νόας. *Id est*: Trinitas, quæ essentiam, divinitatem, bonitatemque transcendis, divinæ Christianorum sapientiæ præses, dirige nos in id, quod de arcanis oraculis valde incomprehensibile est, splendoremque omnem superat, & in altissimum eorum verticem, vbi simplicia & soluta & immutabilia Theologiæ mysteria in perillustri arcani mysticique silentij caligine abdita sunt, in tenebrosissimo loco clarissimam lucem emittentia, & in prorsus intractabili inaspectabilique perelegantium radiorum, mirabiliter opplentia mentes oculorum expertes.

ILLVS:

ILLVSTRISSIMO
ET R^MO. PRINCIPI
D. D. F^R. IOANNI ASSENSIO,

CVI CALPE HERCVLEA NOBILITATEM HAEREDITARIAM,
ET VSVRAM LVCIS, ET INGENTES SPIRITVS DEDIT,
VELVTI PROGRESSVRO PLVS VLTRA:
QVEM RECENS NATVM CHARITES VLNIS EXCEPERVNT;
COELESTI GENIO, ET AD IMPERANDVM APTO, CVMVLARVNT,
NOBILISSIMA ET AMABILI INDOLE DITAVERVNT,
TOTO IMPETV IN HONESTVM EVNTEM:
CVI COELVM SVBLIME ET ACRE INGENIVM CONTVLIT,
NON ENERVE, NON AD CVTEM VSQVE PERTINGENS;
SED VIVIDVM, ET IN IMAM PENETRANS VERITATEM,
QVALE SENECA LAVDAT, QVALE VELLENT OMNES,
PAVCI ET COELO PROBATI HABENT:
QVEM SACRA REGIA ET MILITARIS RELIGIO
DEIPARAE VIRGINIS A MERCEDE R. CAPTIVORVM,
FILIVM COELO GENVIT, HABITVRA PARENTEM;
SCINTILLAM PEPERIT, PROGRESSVRAM IN ASTRVM;
IN DOMESTICA, SIDEREA, ET LACTEA VIA REFVLGENS:
QVEM COGNATA AB VNGVICVLIS LITTERARVM PROFESSIO
NOVIS QVOTIDIE INCREMENTIS ET TRIVMPHIS CVMVLATA,
PRÆSTANTISSIMVM MAGISTRVM, ET DOCTOREM,
REGIVM THEOLOGVM ET ECCLESIASTEM FECIT,
VT RERVM POTIRETVR, CVM DOCERET, CVM DICERET:
QVEM COÆVA PIETAS, INTEGRITAS, HONESTAS, PROBITASQVE,
ET ELOQVENTIA SINE FVCO, COMITAS SINE ASSENTATIONE,
INGENVITAS ET LIBERTAS SINE ASPERITATE VLLA,
DIGNVM IMPERIO FECERVNT, ETIAM CVM IMPERASSET:
CVI RELIGIO IPSA SVPREMVM REGIMEN TRADIDIT
SEXENNIO EXPERTA POTIVS PATREM, QVAM IVDICEM,
SATIVS ARBITRATVM AMARI, QVAM TIMERI:
QVEM SPONTE FVGIENTEM SACROS HONORES ET LATITANTEM
CAROLVS II. HISPANIARVM CATHOLICVS REX,
PRIMVM LVCENSI, DEIN ABVLENSI ECCLESIÆ PRÆFECIT,
NE HÆC VNO SOLVM SALOMONE GLORIETVR:

QVO PRÆSVLE VTRAQVE ECCLESIA PACEM NACTA EST,
OVES VIGILANTEM, NEC SVA QVÆRENTEM PASTOREM,
PAVPERES EFFVSAM PIETATEM, ORPHANI REFVGIVM,
ABERRANTES DVCEM VIÆ, ET SALVTIS PRODROMVM:
QVEM AD SVMMA NATVM, ET NVLLO ONERE FATISCENTEM,
IDEM AMPLISSIMVS HISPANIARVM MONARCHA,
NON AMBIENTEM, SED FVGIENTEM, SED RECVSANTEM,
SVMMO PRÆTORIO IVSTITIÆ AC CASTELLÆ PRÆFECIT;
MELIORIBVS FATIS AC TEMPORIBVS DIGNVM PRÆSIDEM;
IMMEMOREM SVI, RECTI TENACEM, SERVANTISSIMVM AQVI,
PVBLICÆ AC PENE DEPLORATÆ SALVTI EXCVBANTEM,
SI FORTE CONVALESCAT, AVT POSTLIMINIO REVOCETVR;
CVIVS PRÆFECTVRAM PROBAT INNOCENTIVS PAPA XI.
MORVM MVNDIQVE MAGISTER,
QVI NIHIL, NISI INNOXIVM, PROBAT;
PROBANT PII, PROBANT DOCTI, ET IVSTITIÆ AMANTES;
IPSI ETIAM IMPII IMPROBARE NON AVDENT:
TANTO IGITVR PRAESVLI AC PRAESIDI,
ET CLARISS. CONSILIARIIS REGII SENATVS,
VIRIS CONSVLARIBVS, PATRIAE PATRIBVS,
NOBILITATE, PIETATE, DOCTRINA, ET INTEGRITATE, VENERANDIS,
QVORVM NOMINA VARIÆ DISPVTATIONES PRÆFERVNT:
M. Fr. IOSEPHVS SAENZ DE AGVIRRE BENEDICTINVS,
SVPREMÆ INQVIS. CENSOR, ET A SECRETIORIBVS CONSILIIS,
IN SALMANT. ACADEMIA CATHEDRÆ S. THOMÆ ANTECESSOR,
ET ITERVM ABBAS COLLEGII S. VINCENTII SACRI,
IN SIGNVM GRATI ANIMI, ET POSTERITATIS MONVMENTVM,
TOMVM HVNC II. THEOLOGIÆ S. ANSELMI,
TVM DOGMATICÆ, TVM SCHOLASTICÆ,
DE SACROSANCTO TRINITATIS MYSTERIO,
SCRIPTVM CONTRA INFIDELES, HETERODOXOSQVE,
TAM VETERES, QVAM RECENTES,
DICAT, OFFERT.

CEN-

CENSVRA NOBILISSIMI ET ERVDITISSIMI D.D. Didaci de la Cueva & Aldana, in Salmanticenſi, tum Eccleſia tum Academia, Perpetui Sacræ Scripturæ Interpretis, poſt varias Theologiæ Cathedras in eadem Schola communi plauſu obtentas, olim Togati in Collegio Maiori S. Crucis Valis-Oletano, & electi Epiſcopi Guadalaxaræ, &c.

EX Præſcripto Regij Senatus ſedulo legi, ac relegi lectiſſimum Opus RR. P. M. Fr. Ioſephi Saenz de Aguirre, ſive exultiſsimum in Anſelmum Commentarium, in quo planè cùm ſe totum ad clariſsimi Doctoris cuius agit Scholiaſtem, imitationem effinxerit, nihil antiquius habuit, quàm vni fidemandæ Orthodoxæ Fidei, ac pietati mortalium animis infigendæ ſtrenuam operã navare. Et quidẽ à Viro, totque palmarũ Eximio, Athleta, prælijs ac prælis illuſtri, nihil expectare par erat, niſi decoctum, & amuſsitatum. Hanc vnam ſcribendi legem ſibi Ioſephus indixit, nec longo in Opere ſomnum obrepere paſſus; cùm tamen diu, noctuque ſtylum verſet, ac vertat: cùm tot impleverit ceras, totque volumina emiſerit. Vt enim Salmanticenſes Ludos prætermittam, in quorum ſanè editione minimè operam luſiſſe, mecum, credo, pronuntiabunt, non tantùm ex cavea infima ſpectatores, ſed qui in quatuordecim ſedent, ac primi ſubſellij Patres: ecquid, quæſo, Dialecticis ſubtilius? Phyſicis doctius? Metaphyſicis ornatius, atque ſublimius? Quid Ethicis nitidius, iucundiuſve? Vt in his, admiſcens vtile dulci, omne tuliſſe punctum videatur. Volumen autem, quod præ manibus habemus, arida modò pumice expolitum, quas divitias in Theoſophiam non importat! Quas merces, Deus immortalis, ingenij, atque doctrinæ non explicat! Quibus tandem Rempublicam litterariam diſertiſsimus ſcriptor officijs non demeretur! Quòd enim Anſelmus vivit, ac viget; quòd plaudentibus, fauſtumque precantibus Scholis, poſt Græciam debellatam, ac Romæ parere iuſſam, veluti poſtliminio in patrias ſedes reverſus, oſtro, & floribus excipitur; quòd antiqua Theologia gratiori, ac nova luce ſuffunditur; quòd auguſtiori ſpecie in aciem prodit, victrixque hilariùs renidet; niſi velint ingrati animi poſtulari, quicumque litteras amant, referant neceſſe eſt vni Ioſepho in acceptis. Ego ſaltem non aliud profiteor, ac præmefero: nec aliud ſententiam rogatus auſim ex tabella pronunciare, Salmanticæ è Muſæo noſtro, pridie Kalendas Auguſti.

D. Didacus de la Cueva & Aldana.

CEN-

CENSVRA REVERENDISSIMI P. GABRIELIS DE HENAO, in Regio S. Spiritus Collegio Salmanticenſi Societatis IESV præſtantiſsimi Profeſſoris S. Scripturæ & Theologiæ Scholaſticæ, ac complurium librorum Scriptoris eruditiſsimi & celeberrimi.



X Imperio Illuſtriſs. D. D. Franciſci de Seixas & Loſada, Epiſcopi Salmanticenſis, Regij Conſiliarij, &c. vidi, accurateque legi Secundũ Tomum Theologiæ Sancti Anſelmi, Commentarijs, & Diſputationibus illuſtratæ à R.R. P. M. Fr. Ioſepho Saenz de Aguirre Benedictino: nilque ibi inveni, quod tranſverſum digitum, vel vnguem diſcederet, ſive à ſana doctrina, ſive à bonis moribus. Atque id quidem ante lectionem certò erat perſuaſum mihi, vt quod ſit Opus ſapientis, religioſique viri, tot muneribus, tituliſque meritiſsimis clari, iamque oppidò quàm noti, ac probati in permultis alijs lucubrationibus publicè editis, ſumma omnium laude, in quibus nullum doctrinæ, morumque periculum hactenus fuit deprehenſum. Cumque hominem viva voce experiamur modeſtiſsimum, & vrbaniſsimum, refert ſe talem ſcriptis typo vulgatis, ſecus ac in nonnullis dolemus, qui linguæ magis, quàm ſtylo moderari norunt. Suas hic Auctor proponit communitque ſententias ſine adverſantium iniuria, ſine lædorijs probriſque, imò cum veneratione, commendatione, & elogijs, vt decet Theologum pacatum, prudentem, conſciumque, ſi excipiantur dogmata fidei Catholicæ, & pauca quædam in Scholis iam olim rata communi Doctorum conſenſu, reliqua verſari ſub opinionibus probabilibus, tum ab authoritate fauentium, tum à rationum momentis; ac proinde riſui ſe exponere theatri litterarij, qui propria Scholæ ſuæ placita effert tanquam Oracula, quæis diſſentire piaculũ, flagitiumq; enorme ſit. Iam verò quid dicã de Auctoris acutiſsimo ingenio, indefeſſoq; ſtudio, ac labore, omnigena eruditione in litteris ſacris, & profanis, in voluminibus SS. PP. tam Latinorum, quàm Græcorum, necnon Theologorum, ſive priſcorum, ſive recentium? Quid de excultiſsimo ſermone, de peritia conſummata variarum linguarum? Siſto calamum, ne videar ex ſevera cenſura declinare in panegyrim comptam. Non tamen ſilebo, Auctorem talem eſſe, qualem depingebat Theologum Scholaſticum diſertiſsimus ille, & ſapientiſsimus Primarius Salmanticenſis Melchior Canus lib. 8. de locis Theologicis cap. 1. cùm ſcripſit: *Quem vero intelligimus Scholaſticum Theologum,*

aut

aut hoc verbum in quo homine ponimus? Opinor, in eo, qui de Deo, rebuſque divinis aptè prudenter docte è litteris, inſtitutiſque ſacris ratiocinetur. Quod & ſi ita eſſe pluribus verbis poſtea differendum eſt, illud tamen nunc brevi confitendum eſt, niſi qui is ſit, eſſe Theologum Scholæ neminem. Neque item tacebo, deberi plurimas gratias Authori ob novam arduamque ſuſceptam Provinciam illuſtrandi Theologiam Sancti Anſelmi: vrgendumque eſſe non modo à Sacra ſua Religione (cui tanti intereſt domeſticum Patrem, clariſsimum ſanctitate, & doctrina, ingenioque acerrimo, frequentari ſuis in Gymnaſijs, vt qui præluxerit Magiſtro ſententiarum, Authori Scholaſticorum Theologorum) ſed etiam ab alma Academia Salmanticenſi, (cuius magnoperè refert ſuis à Profeſſoribus elucidari doctrinam ſecuriſsimam, & ſubtiliſsimam Veteris huius Patris: quo fiet, vt in communibus aulis percrebeſcat ad maius ornamentum, maioremque firmitatem veritatis Catholicæ à ſe intentæ in Theologiæ Scholaſticæ intricatioribus diſceptationibus) vrgendum inquam, eſſe ad elaborationem, & vulgationem aliorum Tomorum, quos promittit. Atque hoc eſt meum de ſecundo iudiciũ. Salmanticæ in Collegio Regali Societatis Ieſu. Die 8. Aprilis. Anno 1678.

Gabriel de Henao.

CEN-

CENSVRA RR. PP. MAGISTRORVM INSIGnis Collegij S. VINCENTII, Doctorum, Profeſſorumque Academiæ Salmanticenſis.

IVSSV Ac præſcripto RR. P. N. M. Fr. BENEDICTI DE SALAZAR, Congregationis Benedictinæ Hiſpaniarum & Angliæ Generalis, Catholicæ Maieſtatis Theologi in Confeſſu Immaculatæ Conceptionis, ac Cenſoris Supremi Fidei Senatus, &c. Vidimus Opus inſcriptum, THEOLOGIA S. ANSELMI, COMMENTARIIS ET DISPVTATIONIBVS, TVM DOGMATICIS, TVM SCHOLASTICIS ILLVSTRATA; Auctore R. A. P. M. Fr. Ioſepho Saenz de Aguirre, iterum huius Collegij Abbate, Congregationis Noſtræ Generali Magiſtro, Supremi Fidei Senatus Cenſore, eiuſdemque à Secretioribus Conſilijs, & in hac Salmanticenſi Academia Cathedræ S. THOMÆ Anteceſſore. In quo nihil invenimus, quod non cohæreat orthodoxæ fidei, aut probatis moribus: quin potiùs omnia apparent tradita iuxta ſenſum Sacræ Scripturæ, Conciliorum, Patrum Eccleſiæ, Theologorumque ſublimium, præſertim ANSELMI: cuius ille regiam viam, veluti fidelis Interpres, inſiſtit: cuius doctrinam multiplici eruditione illuſtrat, rationibus confirmat, & vindicat ab argumentis, quibus aut impugnata vnquam eſt, aut impugnari poſſet. Itaque cenſemus Opus numeris abſolutum omnibus, & luce digniſsimum. Salmanticæ Idibus Maij anno M.DC. LXXVIII.

Magiſter Fr. Maurus de Somoza, Veſpertinæ Theologiæ Cathedræ in Salmanticenſi Academia Laureatus Anteceſſor, Supremæ ac Generalis Hiſpaniarum Inquiſitionis Cenſor, à Secretioribus Conſilijs.

Magiſter Fr. Didacus Vaſſanta, Cathedræ Phyſicorum in Salmanticenſi Academia Laureatus Anteceſſor, & Definitor Ordinis.

Magiſter Fr. Ioſephus Perez, Artium & Theologiæ Doctor, olim Matheſium, nunc linguæ Sacræ in Salmant. Academia Primarius Profeſſor.

Magiſter Fr. Benedictus de Sala, Laureatus Theologiæ Profeſſor in Salmant. Academia, & Cathedræ Philoſophiæ Anteceſſor, Inſignis Collegij S. VINCENTII Studiorum Regens.

Magiſter Fr. Emanuel de Zarate, Theologiæ Lector.

Magiſter Fr. Ennecus Royo, Theologiæ Lector.

FA-

FACVLTAS ILLVSTRISSIMI D. EPISCOPI Salmanticenſis.

NOS D. Franciſcus de Seixas & Loſada, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Salmanticenſis, à Conſilijs Catholicæ Maieſtatis, &c. *Theologiã S. Anſelmi, Commentarijs ac Diſputationibus, illuſtratã*, Authore R.P. Magiſtro Fr. Ioſepho Saenz de Aguirre Benedictino, in Salmanticẽſi Academia Cathedræ S. Thomæ Anteceſſore, & Supremæ ac Generalis Inquiſitionis Theologo à Secretioribus Conſilijs, iuſſu Noſtro examinatam, & probatã, in lucem edi permittimus; & quantum conijcere fas eſt ex pluribus alijs lucubrationibus eiuſdem Authoris iam antea prælo datis, auſpicamur hoc Opus non parum Reipublicæ litterariæ profuturum: vtpote in quo ſanam, Catholicam, & de ſuo puram clariſsimi Doctoris Eccleſiæ S. ANSELMI doctrinam, tot ſæculis celebrem, ſed quæ adhuc interpretem deſiderabat pro faciliori Scholarum vſu, in lucem profert, & multiplici eruditione illuſtrat. In quorum fidem litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo munitas dedimus. Salmanticæ die XX. Auguſti, anno Reparatæ Salutis M.DC.LXXVIII.

FRANCISCVS, *Epiſcopus Salmantinus.*

FACVLTAS REVERENDISSIMI PATRIS GENERALIS.

NOS Magiſter Fr. Benedictus de Salazar, Generalis Congregationis S. Benedicti Hiſpaniarum & Angliæ, Catholicæ Maieſtatis Theologus, & Supremi Fidei Senatus Cenſor, &c. *Theologiam S. Anſelmi Commentarijs & Diſputationibus, tum Dogmaticis, tum Scholaſticis illuſtratam*, Auctore R.A.P.M. Fr. Ioſepho Saenz de Aguirre, Noſtræ Congregationis Generali Magiſtro, in Salmanticenſi Academia Cathedræ S. Thomæ Anteceſſore, Supremæ Inquiſitionis Cenſore, & à Secretioribus Conſilijs, Abbate Collegij S. Vincentij, à doctis & gravibus Religionis Noſtræ viris examinatã probatamque, prælo dari, & publicæ luci permittimus. In quorum fidem has litteras chirographo ac ſigillo Noſtro munitas dedimus in Regio Monaſterio S. Salvatoris de Oña die tertia Iunij anno à Virgineo Partu M.DC.LXXVIII.

Magiſter Fr. Benedictus de Salazar,
Generalis S. BENEDICTI.

Iuſſu Reverendiſsimi P.N. Generalis,
Fr. Stephanus de Velarde,
Secretarius Religionis.

FA-

FACVLTAS REGII SENATVS.

REGIVS Ac Supremus Caſtellæ Senatus poteſtatem fecit R.P.Magiſtro Fr.Ioſepho Saenz de Aguirre Benedictino, in Salmanticenſi Academia Cathedræ D.Thomæ Anteceſſori, vt in lucem edat *Theologiam* S. *ANSELMI*, *&c.* examinatam ac probatam à D. Didaco de la Cueva & Aldana, in eadem Academia Perpetuo S. Scripturæ Anteceſſore, &c. vt conſtat ex litteris authenticis apud Michaelem Fernandez de Noriega, Matriti die prima Seprembris, anni M. DC. LXXVIII.

FACVLTAS D. CANCELLARII.

NOS Magiſter Fr. Ioſephus Romero, Salmanticenſis Academiæ Cancellarius, Facultatis Theologicæ Decanus, & Primarius Anteceſſor Emeritus,&c. *Commentaria in Theologiam D. Anſelmi Archiepiſcopi Cantuarienſis, Doctoris Eccleſiæ Sanctiſsimi, & ſapientiſsimi*, Authore RR. P. Magiſtro Fr. Ioſepho Saenz de Aguirre Benedictino, Cathedræ S.Thomæ Anteceſſore, & Supremæ ac Generalis Inquiſitionis Theologo à Secretioribus Conſilijs, iam examinatam & probatã à viris doctis & gravibus,in lucem edi permittimus. Salmantieæ in Conventu SS.Trinitatis die quinta Novembris,anno M.DC.LXXIX.

Magiſter Fr. Ioſephus Romero,
Cancellarius.

INDEX PRIMVS SVMMARIVS

DISPVTATIONVM, SECTIONVM, ET CAPITVM HVIVS TOMI SECVNDI,

IN MONOLOGION S. ANSELMI, A CAP. XXIX. ALIAS XXVIII. VNDE INCIPIT DISSERERE DE TRINITATE.

TRACTATVS QVARTVS. DE SACROSANCTO TRINITATIS MYSTERIO.

LECTORI S.

PRÆTER Disputationes hoc Tomo contentas, quas summatim in hoc Indice exhibemus, sunt plures aliæ ad idem mysterium Trinitatis spectantes, quas alijs locis huius Operis fusè tractamus, prout series litteræ S. Doctoris exigit. Tales sunt Disputationes XXV. XXVI. XXVII. & XXX. circa distinctionem essentiæ diuinæ à relationibus Tomo I. editæ. Tales quoque plures aliæ de Patre & Filio relatè ad Spiritum sanctum, propediem edendæ Tomo III. in Commentarijs ad librum Anselmi de Processione Spiritus S. contra Græcos. Quod te ideo monitum volui, ne nostrum ea in re studium & operam omnino desiderares. VALE.

DISPVTATIO LI.

An mysterium Trinitatis possit naturali intellectus acumine demonstrari, tum reipsa, tum ex mente ANSELMI. Pag. 2.

SECTIO I. Refutatis Anomœis, expenditur opinio affirmans Raymundi Lullij; vestigaturque, An eius doctrina fuerit damnata à Gregorio XI. prout testatur Eymericus in Directorio Inquisitorum. Aliorum quoque sententia non multum ab ea diversa exponitur. 3.

SECTIO II. Statuitur cum D. Anselmo, impossibilem esse cognitionem demonstrativam mysterij Trinitatis viribus intellectûs creati, sive citra revelationem Dei. 7.

SECTIO III. Ratio D. Thomæ in idē probandum, consentanea doctrinæ S. Anselmi, expenditur multipliciter. Illationes observatu dignæ. 9.

SECTIO IV. Quibus argumentis inniti possit opinio asserentium, posse per vires nudas rationis naturalis mysterium Trinitatis demonstrari; & eorum solutio. 12.

SECTIO V. Argumentum quoddam pro demonstrabilitate mysterij Trinitatis, suppositâ fide, objicitur & solvitur. Illata aliquot ex dictis. 16.

DISPVTATIO LII.

An Philosophi Gentiles habuerint notitiam aliquam mysterij Trinitatis. 19.

SECTIO I. Selecta quorundam Gentilium testimonia, quibus videtur probari, notam ijs fuisse divinitatē Patris, & Filij, seu Mentis ab ipso genitæ & procreatricis rerum vniversarum. 20.

SECTIO II. Alia illustria Ethnicorū testimonia de divinitate triū personarū, propter quę multi contendunt, mysteriū Trinitatis innotuisse ijs. Expēditur accuratiùs mens Platonis. 22.

SECTIO III. Neminem ex Philoſophis vtcumque agnoviſſe Trinitatem, niſi præcedente Dei revelatione aliqua, nec Triſmegiſtum quidem. Vbi de ſcriptis ipſi tributis, an verè ab eo prodierint, an potiùs ſuppoſititia cenſeri debeant. Opinio Petavij impugnata. 24.

SECTIO IV. Notitiam Trinitatis, quæ in libris Triſmegiſti detegitur, videri conſonam Catholicæ doctrinæ: illam verò, quæ extat in libris Platonis & aliorum Gentilium, non eſſe puram, ſed fæce errorum admiſtam, è quibus Ariana hæreſis ortum duxerit, & Catholica veritas confirmari non poſſit. Argumenta initio obiecta ſolvuntur. 28.

DISPVTATIO LIII.

An Sibyllæ cognoverint myſterium Trinitatis, & Incarnationis Verbi, ac Paſſionis Chriſti. 32.

SECTIO I. Quænam fuerint Sibyllæ? quot, & quonam tempore vaticinia ſua ediderint, iuxta Varronem, Lactantium, & alios Veteres Scriptores. 33.

SECTIO II. Sibyllarum prædictiones non modò apud Ethnicos, ſed apud Patres etiam Eccleſiæ, præſertim cum ijs diſputantes, magnum auctoritatis pondus habuiſſe. Illuſtria teſtimonia Iuſtini Martyris, Clementiſque Alexandrini. 36.

SECTIO III. Exſcribitur ad longum præclarus locus Conſtantini Magni de Sibylla Erythræa, & Virgilio, quorum carminibus Chriſti divinitas, & res geſtæ prædicuntur. Suffragium S. Auguſtini illuſtre pro eiſdem prædictionibus. 38.

SECTIO IV. Seliguntur præcipua Oraculorum Sibyllinorũ fragmenta, in quibus exprimuntur diſertè myſteria Trinitatis, Incarnationis Verbi, Vitæ, Paſſionis, & Reſurrectionis Chriſti, eiuſque miraculorum. 43.

DISPVTATIO LIV.

Quinam ex hæreticis erraverint circa myſterium Trinitatis. 49.

SECTIO I. De Origene, an contra ſummæ Trinitatis myſterium ſcripſerit, ac ſenſerit. Oſtenditur, illum turpiter circa id erraſſe, ſicuti & circa plura alia; nec mereri excuſationem vllam quam fruſtra aliqui in eo quærunt. Exponitur illius damnatio in V. Synodo Generali. 49.

SECTIO II. De Ario, præcipuo Trinitatis hoſte, damnato in Nicæna Synodo. Exponitur accuratè illius hæreſis, ac diviſio in triplicem ſectam, Anomœorum, Semi-Arianorum, & vtrorumque mediam. Illam ſecutos fuiſſe olim Euſebium Cæſarienſem, ac poſtea Lutherum, plureſque alios. Vbi nonnihil de Calvino. 52.

SECTIO III. Patripaſsianorum, Noeti, & Sabellij hæreſis, negantium in divinitate perſonas reipſa diſtinctas exponitur. Nonnihil de Paulo Samoſateno, ac præterea de quibuſdam recentibus Hæreſiarchis. 57.

SECTIO IV. Recenſentur hæretici, quĩ nominatim Spiritus ſancti divinitatem ſolidam impugnarunt, in alias atque alias ſectas diviſi, & ſub vna Pneumatomachorum appellatione comprehenſi. 60.

DISPVTATIO LV.

In quibus Conciliis damnatæ fuerint hæreſes contrariæ myſterio Trinitatis. 63.

SECTIO I. Profertur in medium, & expenditur Symbolum Nicæni Concilij adverſus hæreticos Trinitatis impugnatores, præſertim Arianos. Vbi obiter etiam de profligata Sabellianorum hæreſi. 63.

SECTIO II. Quanta ſemper fuerit Concilij Nicæni auctoritas in toto Orbe Chriſtiano, præſertim apud poſteriores Synodos. De horribili monte Arij eius impugnatoris, in pœnam abominandæ hæreſeos, longè antea prædictæ, & innumerabilium malorum, quorũ cauſa extitit. 67.

SECTIO III. Dè vocabulo HOMOVSION, quo Patres Nicæni in Symbolo vſi ſunt, fruſtra ab Arianis antiquis & recentioribus impetito. Oſtenditur, illud fuiſſe antiquiſsimum in Eccleſia, & veluti teſſeram Catholicæ fidei. 73.

SECTIO IV. Dè Concilijs, in quibus damnati fuere Paulus Samoſatenus, Sabellius, Macedonius, Apollinaris, & generatim Pneumatomachi, ideſt, Spiritus ſancti impugnatores. 75.

DISPVTATIO LVI.

Qualiter differere oporteat circa myſterium Trinitatis, in controverſijs, tum Dogmaticis, tum Scholaſticis. 79.

SECTIO I. Res divinas, præſertim ſpectantes ad myſterium Trinitatis, longiſsimè ſuperare noſtrum captum, idèoque ſolùm ex doctrina divinitus revelata probari debere. Eam ve-

verò contineri in Scripturta ; Traditionibus, Concilijs, & communi Patrum conſenſu. Vbi de doctrina S. Anſelmi. 79.

SECTIO II. Etiam verba idonea & recepta ab Eccleſia in tractando hoc myſterio , iuxta Catholicum ſenſum vſurpanda eſſe , cæteris proſcriptis. Porrò diſputationem ipſam ſobriam eſſe debere , quam Patres & Theologi probant; hæretici verò exoſam habent. 82.

SECTIO III. Regula prima. De nominibus, quibus vti licet, aut non licet in divinis numero plurali. Illationes variæ ex ea doctrina, obſervatu dignæ, ad mentem Anſelmi infrà cap. 36. & 37. & alijs locis num. 2. indicatis. 85.

SECTIO IV. Secunda Regula. Qualiter vti debeamus nominibus ſignificantibus vnitatem eſſentiæ, & pluralitatem perſonarum. 88

SECTIO V. Regula tertia. Quomodo prædicata divina, tum notionalia, tum eſſentialia, poſsint prædicari de eſſentialibus aut notionalibus, in abſtracto, aut in concreto. 89.

SECTIO VI. Regula quarta. De præpoſitionibus importantibus habitudinem principij productivi, aut cauſæ, vel quaſi cauſæ formalis, qualiter vſurpandæ ſint in myſterio Trinitatis. 91.

DISPVTATIO LVII.

An in diuinis non ſolùm Pater, ſed Filius, & Spiritus ſanctus, ſint veræ & ſubſiſtentes perſonæ. 94.

SECTIO I. Statuitur Catholica ſententia affirmans; & nominatim de Filio, ſeu Verbo, eſſe perſonam ſubſiſtentem. Quinam ex hæreticis antiquis & recentibus id negaverint. Confutantur demonſtratione à Patribus eruta ex Scriptura. 94.

SECTIO II. Alia argumenta Patrum, & Anſelmi nominatim, pro ſententia Catholica adverſus hæreticos 97.

SECTIO III. Obijciuntur & ſolvuntur argumenta, quibus hæretici hodieq; contendunt, Verbum Dei non eſſe perſonam ſubſiſtentem. Difficilis quidam locus S. Irenæi expenditur. 99.

SECTIO IV. Spiritum ſanctum pariter eſſe ſubſiſtentem perſonam, quidquid deliraverint hæretici aliquot veteres & recentes, quorum perfidia exploditur, & fundamenta diruuntur. 101.

SECTIO V. Concluditur contra Praxeam, Noetum, Sabellium, & novos eius ſectatores, nec Filium, nec Spiritum ſanctum, eſſe eandem cum Patre perſonam; ſed ſingulos eorum trium eſſe totidem ſingulares perſonas abinvicē reipſa diſtinctas. Argumenta in oppoſitum ſoluta. 104.

DISPVTATIO LVIII.

An in Teſtamento Veteri traditum ſit myſterium Trinitatis.

SECTIO I. Recenſentur hæretici veteres & recentiores, qui directè myſteriū ipſum Trinitatis impugnaverunt. Porrò in Veteri Teſtamento non prædicari omnino apertè id myſterium, ſed in Novo dumtaxat. Rationes ex Patribus circa id obſervatæ. 109.

SECTIO II. Proferuntur loca Veteris Teſtamenti ex libro Geneſis, in quibus ſubobſcurè traditur myſterium Trinitatis, præſertim contra Iudæos & Sabellianos, quorum evaſiones refutantur. 111.

SECTIO III. Expenduntur alia loca Veteris Teſtamenti, in quibus præterea indicatur pluralitas perſonarum divinarum, ſeu etiam Trinitas. Præcluduntur Adverſariorum effugia. 115.

DISPVTATIO LIX.

An identitas, ſiue vnitas naturæ diuinæ in tribus perſonis, tradita ſit in Nouo Teſtamento. 120.

SECTIO I. Stabilitur ſententia Catholica affirmans adverſus hæreſes contrarias, quæ ordine ſuo & ſingillatim referuntur ac refelluntur. 120.

SECTIO II. Oſtenditur ex ſacris litteris identitas perſonarum divinarum in eâdem numero natura. Evaſiones hæreticorum refelluntur multiplici impugnatione, præſertim ex Concilijs & Patribus eruta. 123.

SECTIO III. Alia illuſtria teſtimonia S. Scripturæ pro vnitate ſubſtantiæ in perſonis divinis, expenduntur, adverſus Arianos, & Tritheitas potiſsimùm. 126.

SECTIO IV. Colligitur demum conſubſtantialitas trium perſonarum, è ſacris litteris, multipliciter eruta, & in pluribus Concilijs definita, ac tradita à Patribus. 126.

DISPVTATIO LX.

An diſtinctio realis in perſonis, & identitas in ſubſtantia, ſeu natura, ſit contraria rationi naturali. 131.

SECTIO I. Catholica ſententia negans ſtatuitur contra hæreticos Trinitatis hoſtes. Porrò difficultatem hanc ſummam eſſe, etiam ipſis Eccleſiæ Patribus, & ſummis Theo-

logis. Præmittuntur quædam obſervatu digna ad ſolvenda argumẽta expeditè ac facilè. 132.

SECTIO II. Hæreticorum præcipua argumenta obijciuntur, & prętermiſsis ſolutionibus aliorum ex Catholicis, enervantur plerumque iuxta noſtrã doctrinam Tomo I. Diſp. XXVII. ſtatutam de diſtinctione virtuali inrrinſeca eſſentiæ divinæ à relationibus, ſive hypoſtaſibus. 136.

SECTIO III. Quædam alia heterodoxorum argumenta contra vnitatem eſſentiæ, & diſtinctionem realem perſonarum, obiecta & ſoluta. 141.

SECTIO IV. Ioannis Crellij, nuperi hæretici Photiniani, captiones & ſophiſmata quædam adverſus eandem doctrinam Catholicam, obijciuntur & extricantur. 143.

CAPVT XXIX. MONOLOGII.

Quòd Dei locutio idipſum ſit, quod ipſe: nec tamen ſint duo, ſed Vnus ſpiritus. 147.

DISPVTATIO XXIX. LITTERALIS.

De locutione, per quam procedit Verbum diuinum.

SECTIO I. Exponitur littera Anſelmi. Duplicem in Deo locutionem conſiderari: eſſentialem vnam, & communem tribus perſonis; notionalem alteram, activè in Patre exiſtentem, & paſsivè in Verbo, vniuſcuiuſque propriam, de qua hoc loco eſt ſermo. 148.

SECTIO II. Commentarius litteræ quoad poſteriores partes. Locutionẽ Dei non eſſe aliud quidpiam à ſummo ſpiritu, ſive ſubſtantia divina: idque, ſive accipiatur de locutione eſſentiali, ſive de notionali. Porrò hanc paſsivè ſumptam eſſe ipſum Verbum conſubſtantiale Patri. 150.

SECTIO III. Illuſtratur littera Anſelmi varijs teſtimonijs & rationibus SS. Patrum, ex comparatione Verbi divini & creati, penes ea in quibus conveniunt, ſeorſim cõſiderata. 152.

SECTIO IV. Triplex ratio diſcriminis inter Verbum increatum & creatum, ex doctrina Anſelmi & aliorum Patrum eruta, ac rationibus confirmata, 154.

CAPVT XXX.

Quòd eadem locutio non conſtat pluribus Verbis, ſed ſit Vnum Verbum. 156.

SECTIO V. Quarta ratio diſcriminis ab Anſelmo indicata inter Verbum increatum & creatum, illuſtratur auctoritate, & ratione. 156.

SECTIO VI. Multipliciter accipi nomen Verbi iuxta ſacras litteras. Errores quorundam hæreticorum indicati, & reiecti, circa Verbum Dei, ciuſque vocis acceptionem. 157.

SECTIO VII. Verbum non metaphoricè, ſed propriè in ſacris litteris accipi de Filio Dei, iuxta ſenſum communem Anſelmi, & aliorum Patrum. Corollaria obſervatu digna. 159.

DISPVTATIO LXII.

An ratio Verbi in diuinis ſit eſſentialis, an potiùs perſonalis. 163.

SECTIO I. Referuntur ſententiæ, & præmittuntur aliqua obſervatu digna ad dirimendam controverſiam. 163.

SECTIO II. Verbum in divinis propriè, adæquatè, & ſimpliciter dictum, non eſſe eſſentiale, ſed perſonale, atque idem cum Filio, iuxta Anſelmum: cuius ſententia demonſtratur ex Scriptura, Concilijs, & Patribus, ac ratione ex ipſo S. Doctore eruta. 166.

SECTIO III. Rationem Verbi non competere Deo propriè, adhuc inadæquatè, penes aliquem rationionem eſſentialem & communem; ſed ſummùm metaphoricè & impropriè. Porrò eam eſſe expreſſam ſententiam SS. Anſelmi & Thomæ: quæ multipliciter probatur. 171.

SECTIO IV. Præcipua & difficiliora argumenta ſententiæ adverſæ, multipliciter confirmata, ſolvuntur. 175.

CAPVT XXXI.

Quòd ipſum Verbum non ſit ſimilitudo factorum, ſed veritas eſſentiæ; facta verò ſint aliqua veritatis imitatio. Et quænam nanam naturæ ſint præſtantiores alijs. 180.

DISPVTATIO LXIII. LITTERALIS.

An Verbum diuinum ſit Verbum aut ſimilitudo rerum factarum.

SECTIO I. Exponitur & illuſtratur littera capitis: ac propoſitis rationibus dubitandi, ſtatuitur, Verbum divinum non eſſe ſimilitudinem rerum factarum: ſed potiùs illas eſſe ſimilitudines Verbi, & alias alijs præſtantiores. 181.

SECTIO II. Statuitur directè, & probatur ſententia S. Anſelmi, refutatis, tum evaſionibus, tum argumentis opinionis contrariæ. 183.

CAPVT XXXII.

Quòd ſummus ſpiritus ſe dicat coæterno Verbo. 183.

SECTIO III. Propoſita primùm quadam ratione dubitandi probatur exiſtentia Verbi ſummè neceſſarij, & Deo coæterni, quam-

quamvis nulla creatura eſſet. Difficultates in oppoſitum, ſolutæ. 186.

CAPVT XXXIII.

Quòd conſubſtantiali vno Verbo dicat ſe, & quod facit. 188.

SECTIO IV. Verbum divinum eſſe conſubſtantiale Patri, atque vnicum, quo dicit ſeipſum, & creaturas. 190.

CAPVT XXXIV.

Quòd ſuo Verbo videri poſsit dicere creaturam. 193.

SECTIO V. Creaturas, quamvis mutabiles in ſeipſis, contineri in Deo immutabiliter veluti indiſtinctas ab eius eſſentia & arte. Ideo Deum eodem Verbo, quo dicit ſeipſum, dicere creaturas.

CAPVT XXXV.

Quòd quidquid factum eſt, in eius Verbo & ſcientia, ſit vita & veritas. 193.

SECTIO VI. Creaturas omnes, etiam inanimas, in Deo, atque in ipſius Verbo, & ſcientia, eſſe vitam, veritatemque. 194.

CAPVT XXXVI.

Quàm incomprehenſibili modo dicat vel ſciat res à ſe factas. 195.

SECTIO VII. Res factas veriùs eſſe in ſeipſis, quàm in noſtra mente: veriùs autem in Deo, quàm in ſeipſis. id verò ab intellectu creato comprehendi non poſſe. 195.

DISPVTATIO LXIV.

An Verbum divinum per ſe procedat ex cognitione omnium eorum, quæ ſunt in Deo formaliter. 197.

SECTIO I. Relatis Theologorum ſententijs, eligitur quæ docet, Verbum divinum per ſe procedere ex cognitione, non ſolùm eſſentiæ & attributorum, ſed etiam perſonarum. Oſtenditur, hanc eſſe doctrinam S. Auguſtini & Anſelmi: ex quibus ratio multiplex eruitur, & ſolutiones Adverſariorum refutantur. 197.

SECTIO II. Explanatio vlterior veræ ſententiæ: & præcipuum Adverſariorum argumentum, obſervatis pluribus, ſolvitur, atque in eoſdem regeritur. Inſtantiæ difficiles in oppoſitum expediuntur. 201.

SECTIO III. Argumenta quædam alicuius momenti pro contraria opinione, vrgentur diverſimodè, & extricantur. Extenſio doctrinæ præiactæ ad proceſsionem Spiritus S. 205.

DISPVTATIO LXV.

An Verbum divinum per ſe procedat ex cognitione creaturarum poſsibilium. 207.

SECTIO I. Relatis ſententijs Theologorum, eligitur affirmans, & ſuadetur, veluti conſentanea Auguſtino & Anſelmo, præcluſis evaſionibus Adverſariorum. 209.

SECTIO II. Ratio potiſsima noſtræ ſententiæ multipliciter confirmata, adverſus ſolutiones, quibus Recentiores illam eludere conantur. 211.

SECTIO III. Rationes aliæ pro eadem veriore ſententia, iuxta mentem Auguſtini, & Anſelmi. Evaſiones Adverſariorum præcluſæ. 215.

SECTIO IV. Primum & præcipuum Adverſariorum argumentum, difficilibus inſtantijs confirmatum, regeritur in ipſorum opinionem; & relictis aliorum ſolutionibus enervatur. 218.

SECTIO V. Cætera argumenta obijciuntur & extricantur. Vbi, an Spiritus ſanctus per ſe procedat ex amore creaturarum poſsibilium. Nonnihil de cognitione non-entium, malorum, & impoſsibilium. 224.

DISPVTATIO LXVI. INCIDENS.

An in Deo ſit aliquis amor erga creaturas poſsibiles, ex quo procedat Spiritus S. 227.

SECTIO I. Relatis Theologorum ſententijs, eligitur quæ docet, creaturas poſsibiles amari à Deo ſimplici complacentia: & probatur, tum auctoritate, tum ratione, præcluſis evaſionibus Adverſariorum. 228.

SECTIO II. Examinantur præcipuæ rationes, quibus alij atque alij Auctores vtuntur, vt probent, Deum non liberè, ſed neceſſariò amare creaturas poſsibiles. 232.

SECTIO III. Solidiores rationes amoris neceſſarij Dei erga creaturas poſsibiles, ex Anſelmo potiſsimùm, & D. Thomâ erutæ. Evaſiones Adverſariorum præcluſæ. 235.

SECTIO IV. Ratio alia bimembris pro eadem neceſsitate divini amoris erga creaturas poſsibiles, vrgetur multipliciter in Adverſarios. Effugia plura, & inſtantiæ ipſorum, refelluntur. 237.

SECTIO V. Obijciuntur & ſolvuntur argumenta negantium omnino, Deum amare ſimplici complacentia creaturas poſsibiles. 242.

SECTIO VI. Argumenta contra amorem Dei neceſſarium erga creaturas poſsibiles obiecta & ſoluta. 246.

DISPVTATIO LXVII.

An Verbum diuinum per ſe procedat ex cognitione creaturarum futurarum, ſiue exiſtentium. 251.

SECTIO I. Relatis Theologorum ſententijs, decernitur & probatur ratione ex Anſelmo eruta, Verbum divinum, propriè & abſolutè loquendo, nõ procedere per ſe ex cognitione creaturarum exiſtentium, vel qualitercumque futurarum. Evaſiones Adverſariorum præcluſæ. 251.

SECTIO II. Obiectiones directè adverſantes doctrinæ præiactæ, proponuntur, & enodantur. 255.

SECTIO III. Quid ſit exiſtimandum de Verbo divino ſub exercitio actuali repræſentandi creaturas futuras & exiſtentes. Statuitur doctrina S. Anſelmi, pariterq; Auguſtini, & D. Thomæ. 257.

SECTIO IV. Eadem proceſsio per ſe diuini Verbi quoad exercitium actuale repræſentandi futura ex illorum cognitione, ſuadetur varijs rationibus. Evaſiones Averſariorum multipliciter præcluſæ. 259.

SECTIO V. Tria priora argumenta opinionis contrariæ, vrgentibus inſtantijs confirmata, ſolvuntur. 263.

SECTIO VI. Duo reliqua præcipua argumenta, obiecta & ſoluta. Vbi nominatim de Spiritu ſancto, An in aliquo vero ſenſu procedat ex libero amore futurorum. 268.

DISPVTATIO LXVIII.

An poſsit videri eſſentia diuina, non viſis attributis, vel perſonis, aut vna perſona, non viſa alia. 270.

SECTIO I. Refertur frequens Theologorum ſententia negans, eiuſque fundamenta examinantur, ac ſolvuntur in gratiam Scoti, aliorumque aſſerentium, poſſe videri eſſentiam Dei, cæteris non viſis. 270

SECTIO II. Expenditur tertium fundamẽtum opinionis negantis, deſumptum ex conceptu cognitionis intuitivæ, ac pariter enervatur. 273.

SECTIO III. Reliqua maioris momenti fundamenta pro eadem ſententia negante examinantur, & nihil demum extorquere inveniuntur. 276.

SECTIO IV. Refertur ſententia contraria Scoti affirmantis cum pluribus alijs, quorum fundamenta præcipua examinantur, & in gratiã ſententiæ negantis enervantur, ac plerumque in eoſdem Authores regeruntur. 280.

SECTIO V. Auctoris iudicium in hac cõtroverſia, & impugnatio ſententiæ Scoti, aliorumque, præſertim ex conditione propria quarumlibet Dei actionum ad extrà. 287.

SECTIO VI. Obijciuntur & extricantur difficultates quædam adverſus rationem præcipuam, qua probavimus ſententiam negantem à num. 66. 289.

DISPVTATIO LXIX.

An viſio diuinæ eſſentiæ ſine perſonis vel attributis, aut vnius perſonæ ſine alia, eſſet breatifica eſſentialiter 291.

SECTIO I. Refertur & eligitur ſententia negans. Verùm rationes, quibus vtuntur eius Authores, examinantur, & non ſatis illã confirmare oſtenduntur. 292.

SECTIO II. Solidiores probationes eiuſdẽ ſententiæ, præſertim ratione ex Anſelmo eruta, & multipliciter confirmata adverſus ſolutiones Recentiorũ contrà opinantium. 294.

SECTIO III. Refertur ſententia contraria Scoti & aliorum: ac præcipuum eius argumentum, quamvis multipliciter roboratum, regeritur in Adverſarios, & ſolvitur. 298.

SECTIO IV. Reliqua argumenta alicuius momenti, diverſimodè confirmata, obijciuntur & extricantur. 303.

DISPVTATIO LXX.

An in diuinis ſit propria ratio Imaginis, eaque ſolius Filij. 303.

SECTIO I. Relatis Theologorum ſententijs, eligitur affirmans, veluti expreſſa S. Anſelmi, & illuſtratur ex Scriptura, ac Patribus; iuxta quorum ſenſum explanatur propria ratio Imaginis tributa Filio Dei. 307.

SECTIO II. Rationem Imaginis non eſſe communem & eſſentialem in Deo, ſed perſonalem & propriam Filij, etiam prout diſtinctã à Spiritu ſancto. 309.

SECTIO III. Ratio eiuſdem doctrinæ, ex Anſelmo & alijs Patribus eruta, explanatur, & ab obiectionibus vindicatur. 311.

SECTIO IV. Argumenta in oppoſitum ſoluta. Vbi, an Filio conveniat ratio Imaginis vi proprietatis perſonalis, an potiùs vi eſſentiæ communis. 313.

CAPVT XXXVIII.

Quòd quidquid ipſe eſt ad creaturam, hoc ſit & Verbum eius: nec tamen ambo ſimul pluraliter, 317.

SECTIO V. Exponitur littera capitis: & ſtatuitur doctrina Catholica contra varias hereſes· oſtenditurq; Verbum omnia feciſſe veluti conſubſtantiale Patri, & vnum atque idẽ cum illo principium rerum creatarum. Corollaria quædam, 318.

CA-

CAPVT XXXVIII.

Quòd dici non poſsit, quid duo ſint: quamvis neceſſe ſit, eſſe duos. 320.

SECTIO VI. Illuſtratur doctrina capitis: & oſtenditur, in Patre & Filio non eſſe duas veritates, nec duos Creatores, nec duo aliquid, ſive in eſſentia, ſive per habitudinem ad creaturas; nec duos ſpiritus, nec duo verba, aut imaginem duplicem. 321.

DISPVTATIO LXXI.

An tranſcendentia prædicata admittant reipſa pluralitatem in diuinis perſonis. 323.

SECTIO I. Præmiſsis quibuſdam ex doctrina Catholica, à Patribus obſervata, ſtatuitur cum Anſelmo, & Auguſtino, in divinis eſſe tres res. Varia vſurpatio REI apud Patres. 323.

SECTIO II. Statuitur triplex vnitas in divinis perſonis quoad propria & peculiaria vniuſcuiuſque illarum, cum ſumma & ſingulari prorſus vnitate eſſentiæ cohærens. 326.

SECTIO III. Dari in divinis perſonis tria entia ſubſtantivè, non quidem ſimpliciter, ſed cum addito; nimirum, relativa: idque etiam iuxta mentem S. Th. quidquid alij velint. 328.

SECTIO IV. Argumenta contrariæ opinionis ſoluta, & mens D. Thomæ penitiùs veſtigata. Quàm malè aliqui Concilium Lateranenſe & Florentinum pro contraria opinione allegent. 331.

SECTIO V. An nomen ALIQVID multiplicetur in divinis perſonis? Dirimitur quæſitum ad mentem SS. Anſelmi & Thomæ, quorũ varia loca explanãtur & conciliantur. 334.

SECTIO VI. Argumenta quædam Gregorij Ariminenſis contra doctrinam in ſuperioribus traditã, objiciuntur & enodantur. 335.

DISPVTATIO LXXII.

An in tribus perſonis diuinis ſint totidem veritates.

SECTIO I. Præmiſſa multiplici acceptione Veritatis, ac Veri, ſtatuitur cum Anſelmo vnica veritas in tribus perſonis quoad eſſentiam, ſive ſubſtantiam. 337.

SECTIO II. Excluditur à perſonis divinis pluralitas veritatum ſubſtantivà propriè loquẽdo, quoad hypoſtaſes relativas: idque tum ad mentem SS. Patrum, tum ratione. 339.

SECTIO III. Præcipua Adverſariorum argumenta objiciuntur, & enodantur. Vbi de mẽte S. Thomæ. 341.

DISPVATATIO LXXIII.

An in diuinis perſonis bonitas, ſeu perfectio relatiua exprimatur & multiplicetur, iuxta numerum illarum. 344.

SECTIO I. Senſus controverſiæ, Authorum placita, & præmiſſa quædam: atque illud imprimis, tres perſonas ſimul ſumptas non eſſe aliquid perfectius, quàm ſingulas ſeorſim, iuxta Anſelmum, & alios Patres, nec aliquam alia perfectiorem. Duplex perfectionis genus. 344.

SECTIO II. Excluditur à divinis perſonis triplex bonitas, ſeu perfectio, ſicut & triplex magnitudo, dignitaſque. Triplex ratio eruta ex Anſelmo, alijſque Patribus, vrgetur diverſimodè. Effugia Adverſariorum præcluduntur. 348.

SECTIO III. Vrgetur quarta ratio ex Symbolo S. Athanaſij deſumpta, contra plures ſolutiones Adverſariorum. 353.

SECTIO IV. Nullam exprimi perfectionẽ in relationibus divinis, prout virtualiter diſtinctis ab omni prædicato abſoluto. Solutiones Adverſariorum reiectæ. 354.

SECTIO V. Argumenta præcipua Adverſariorum ab auctoritate pro triplici perfectione diſtincta in hypoſtaſibus divinis, objiciuntur & extricantur. Plura loca Conciliorum ac Patrum paulo accuratiùs expenduntur. 358.

SECTIO VI. Expenditur aliud difficile argumentum ex Patribus, ijs præſertim, qui Patrem maiorem Filio volunt quoad hypoſtaſim, iuxta illa verba Chriſti, PATER MAIOR ME EST: quæ operoſiùs explanantur. 360.

SECTIO VII. Argumenta præcipua ex ratione pro triplici perfectione, ſeu bonitate reipſa diſtincta in divinis perſonis, aut ſaltem ijs cõvenienti ſecundùm formalem rationem hypoſtaſeos, ſive relationis, objiciuntur & ſolvuntur. 363.

SECTIO VIII. Illata aliquot ex dictis: in quibus obiter præoccupantur etiam aliæ Adverſariorum obiectiones. 368.

DISPVTATIO LXXIV.

An in diuinis, præter exiſtentiam abſolutam & communem, ſint tres exiſtentiæ virtualiter diſtinctæ ab eſſentia, & realiter inter ſe, 369.

SECTIO I. Relatis Theologorum ſententijs, ſtatuitur, in Deo eſſe exiſtentiam abſolutam, idque iuxta ſacras litteras, Anſelmum, & alios Patres, quidquid aliqui ex Recentioribus contrà ſenſerint. 369.

DIS

SECTIO II. Excluditur à Deo quælibet exiſtentia relativa, virtualiter diſtincta ab abſoluta & multiplicata reipſa in tribus perſonis: Aſſertio probatur, veluti expreſſa Anſelmi, & aliorum Patrum, quorum teſtimonia accuratè expenduntur. 373.

SECTIO III. Aſſertiratio præcipua, ex Anſelmo eruta, & multipliciter confirmata, præcluſis Adverſariorum evaſionibus. 375.

SECTIO IV. Aliæ rationes ex Symbolo S. Athanaſij, & ex D. Thoma erutæ, quibus à Deo excluditur triplex exiſtentia relativa. Solutiones variæ Adverſariorum, multipliciter reiectæ. 378.

SECTIO V. Præcipua argumenta Adverſariorum ex auctoritate & ratione pro triplici exiſtentia relativa in divinis, obijciuntur & ſolvuntur. 380.

DISPVTATIO LXXV.

An ſubſiſtentia, ſiue hypoſtaſis, ſit aliquid poſitiuum, & naturæ creatæ ſuperadditum. 385.

SECTIO I. Præmittuntur aliqua, & recenſentur variæ Auctorum ſententiæ. 385.

SECTIO II. Reijcitur multipliciter ſententia Henrici, Durandi, aliorumque, præcluſis evaſionibus, & teſtimonia quædam D. Thomæ difficilia exponuntur. 387.

SECTIO III. Impugnatur diverſis rationibus Theologicis ac metaphyſicis opinio Scoti, & aliorum aſſerentium, ſuppoſitum vltra naturam ſolùm addere negationem vnionis ad aliud ſuppoſitum. 391.

SECTIO IV. Aliæ impugnationes eiuſdem ſententiæ Scoti ex eo, quòd cum illa nequeat cohærere veritas myſterij Incarnationis, nec Maternitas Dei in B. Virgine. 393.

SECTIO V. Statuitur vera & communis ferè ſententia complens naturam creatam per ſubſiſtentiam poſitivè additam. Varij modi dicendi, quibus illa exponi ſolet, refutantur. Noſtra ea de re opinio ſtabilitur, & explanatur. 398.

SECTIO VI. Difficultates quædam adverſus noſtrum dicendi modum, obiectæ & ſolutæ. 401.

SECTIO VII. Obijciuntur & extricantur argumenta ab auctoritate Conciliorum, & Patrum, quibus Adverſarij, præſertim Recentiores, impugnant ſubſiſtentiam naturæ creatæ reipſa ac poſitivè ſuperadditam. 405.

SECTIO VIII. Reliqua argumenta alicuius momenti ex ratione petita, obijciuntur, & extricantur. 409.

SECTIO IX. Examinatur doctrina cuiuſdam Recentioris: & ex illius impugnatione confirmantur quæ hactenus tradita ſunt. 411.

DISPVTATIO LXXVI.

An ſubſiſtētia creata ſit aliquid reipſa diſtinctum ab exiſtentia ſubſtantiæ. 414.

SECTIO I. Authoritate SS. Patrum, atque in ijs Anſelmi, & præterea varijs teſtimonijs D. Thomæ multipliciter expenſis, oſtenditur contra Caietanum, & pleroſque ex Thomiſtis, ſubſiſtentiam non eſſe actum aliquem medium inter eſſentiam & exiſtentiam, diſtinctum reipſa ab vtraque earum. 414.

SECTIO II. Præmittuntur quædam: & varijs rationibus probatur, exiſtentiam ſubſtantialem, quatenus individuam, ſive quatenus naturam individuam perficit & complet, eſſe rationem vltimò conſtitutivam ſuppoſiti, & veram ipſius ſubſiſtentiam, ſive hypoſtaſim. 419.

SECTIO III. Obijciuntur & enervantur præcipua argumenta ſententiæ adverſæ: exponiturque, an Verbum divinum fuerit vnitum immediatè Humanitati Chriſti ſub munere exiſtentiæ, vel ſubſiſtentiæ. 424.

DISPVTATIO LXXVII.

An in diuinis ſit vna aliqua ſubſiſtentia abſoluta, & communis tribus perſonis. 429.

SECTIO I. Præmittuntur quædam obſervatu digna, & referuntur Auctorum placita, libanturque nonnulla ex dictis triplici Diſputatione præcedenti, ad dirimendam controverſiam. 429.

SECTIO II. Statuitur in divinis ſubſiſtētia abſoluta ex mente Anſelmi, & aliorum Patrum, reiectis ſolutionibus in oppoſitum. Expendirur quoddam teſtimonium Sextæ Synodi Generalis paulo accuratiùs. 432.

SECTIO III. Ratio præcipua ſubſiſtentiæ abſolutæ in Deo, ex Anſelmo eruta, & multipliciter confirmata, præcluſis Adverſariorum evaſionibus. 435.

SECTIO IV. Quibus argumentis ex auctoritate Adverſarij potiſsimùm impugnent ſubſiſtentiam Dei abſolutam, & eorum ſolutio. Vbi plura obſervantur ex Concilijs & Patribus. 442.

SECTIO V. Argumenta præcipua ſententiæ adverſæ ex ratione, obiecta & ſoluta. 442.

DIS-

DISPVTATIO LXXVIII.

An in diuinis ſit triplex ſubſiſtentia relatiua.

SECTIO I. Obſervantur quædam, præſertim in ſuperioribus latè ſtabilita: & exponitur ſenſus genuinus Auctorum, ac diſſidium præcipuum in hac controverſia. 446.

SECTIO II. Non eſſe in divinis perſonis triplicem rationem formalem ſubſiſtendi, ſed vnicam, eamque abſolutam. Probatio præcipua ex Anſelmo, Auguſtino, D. Thoma, alijſque Patribus. 447.

SECTIO III. Ratione potiſsimùm ex ijſdem Sanctis Doctoribus eruta, confirmatur multipliciter eadem doctrina. Adverſariorum evaſiones, ſive obiectiones, præcluſæ. 450.

SECTIO IV. Vrgetur ratio alia multipliciter, præſertim ex doctrina à pleriſque Adverſariorum admiſſa, qua negatur in divinis triplex exiſtentia relativa. Difficultates in oppoſitum expediuntur, & traduntur plura obſervatu digna. 453

SECTIO V. Argumenta varia ex authoritate & ratione pro ſententia adverſa objiciuntur, & enodantur. Plura Conciliorum & Patrum loca explanata. 456.

SECTIO VI. Quædam alia argumenta in oppoſitum obiecta & ſoluta. 460.

DISPVTATIO LXXIX.

An ratio formalis conſtituendi ac diſtinguẽdi perſonas diuinas ſit abſoluta, vel potiùs relatiua. 464.

SECTIO I. Præmittuntur nonnulla opportuna ad dirimendam controverſiam, & referuntur Auctorum placita. 565.

SECTIO II. Perſonas divinas non conſtitui, nec diſtingui inter ſe proprietatibus abſolutis, ſed relativis, iuxta Scripturam, & Concilia; quorum varia loca expenduntur multipliciter in opinionem adverſam. 466.

SECTIO III. Aſſertio eadem ſuadetur ex Anſelmo, alijſque Patribus Latinis, ac Græcis, qui omnes communiter docent, perſonas divinas conſtitui & diſtingui ſolis proprietatibus relativis. Adverſariorum evaſiones præcluſæ. 468.

SECTIO IV. Theologicis & metaphyſicis rationibus confirmatur eadem ſententia communis: ac primùm quidem ratione eruta ex Anſelmo, cuius effatum illud, *In diuinis omnia ſunt vnũ, &c.* explanatur & defenditur. 472.

SECTIO V. Argumenta præcipua conſtituentium perſonas divinas per abſolutas proprietates, objiciuntur & enodantur peculiari ſolutione, iuxta doctrinam à nobis ſtatutam alijs locis. 476.

DISPVTATIO LXXX.

Quonam ſenſu perſonæ diuinæ conſtituantur per relationes. 479.

SECTIO I. Examinatur ſententia docens, perſonas divinas ita conſtitui ac diſtingui relationibus, vt tamen potiùs ac præcipuè originibus conſtituantur & diſtinguantur. Vbi plura de mente Anſelmi, & aliorum Patrum. 480.

SECTIO II. Refertur & refellitur multipliciter alia opinio aſſerentium, perſonas divinas conſtitui relationibus, non quidem prædicamentalibus, ſed tranſcendentalibus. 483.

SECTIO III. Examinatur & refellitur tertia opinio conſtituentium perſonam Patris per relationem innaſcibilitatis, aut fontalis principij, qualitercumque explicatam. 487.

SECTIO IV. Expenduntur tres aliæ opiniones circa conſtitutionem perſonæ Patris, & diverſimodè refelluntur: ac denique refertur vltimo loco opinio Durandi, Scoti, & aliorum. 488.

SECTIO V. Statuitur, perſonas divinas conſtitui ac diſtingui per relationes conſideratas in ſenſu formali: ſuadeturque ex Concilijs, & ratione eruta ex Anſelmo, alijſque Patribus. 492.

SECTIO VI. Objicitur præcipuum argumentum, ſeu ratio dubitandi in hac controverſia, præcipuè quatenus adverſatur præcedenti Aſſertioni; & ſolvitur. 495.

SECTIO VII. Perſonam Filij pariter conſtitui filiatione ſub munere formæ hypoſtaticæ intra genus relativum. Difficultates in oppoſitum ſolutæ. Idem proportione quadam decernitur de perſona Spiritus ſancti quoad paſsivam proceſsionem. 499.

SECTIO VIII. Corollaria quædam, in quibus obiter dirimuntur aliquot quæſtiones Scholaſticæ huc ſpectantes. 501.

DISPVTATIO LXXXI.

Quot ſint relationes in diuinis, & qualiter diſtinguantur inter ſe. 502.

SECTIO I. Realitas divinarum relationum demonſtratur contra aliquos, etiam ſecundùm eſſe *AD*, ex Scriptura, Concilijs, Patribus, ac nominatim ex Anſelmo, & rationibus theologicis. 503.

SECTIO II. Statuitur & probatur quaternarius relationum divinarum numerus ex Anſel-

ſelmo, & omnibus Scholaſticis. Verùm variæ & diſſidentes eorum ſententiæ recenſentur circa diſtinctionem ſpirationis activæ à paternitate & filiatione. 505.

SECTIO III. Impugnatur ſententia Durandi, diſtinguentis realiter relationem ſpirationis activæ à paternitate & filiatione. Expenditur latè contra illum definitio quædam Concilij Lateranenſis, & plures eius ſolutiones refutantur. 508.

SECTIO IV. Eadem diſtinctio realis activæ ſpirationis à paternitate & filiatione refellitur ex doctrina Conciliorum, ac præterea ex celebri axiomate S. Anſelmi, confirmato multipliciter teſtimonijs Conciliorum & Patrum. Durandi ſolutiones reiectæ. 512.

SECTIO V. Vlteriores impugnationes opinionis Durandi, præſertim argumento eruto ex Anſelmo, & multipliciter roborato ex Concilijs Generalibus, Lateranenſi & Lugdunenſi. Plura argumenta contra eundem Durandum, ac præterea adverſus Scotum, in alium locum remiſſa. 516.

SECTIO VI. Argumenta præcipua Durandi & Scoti obiecta & ſoluta, præter plura alia quæ Diſput. XXV. ſect. 6. & 8. propoſita & enervata fuerunt. 519.

SECTIO VII. Obſervantur aut colliguntur plura ex dictis: quibus & obiter profligantur aliquot quæſtiones huc ſpectantes. 522.

DISPVTATIO LXXXII. LITTERALIS.

De Generatione Verbi diuini.

CAPVT XXXIX.

Quòd idem Verbum ſit à ſummo ſpiritu naſcendo. 524.

SECTIO I. Oſtenditur contra Sabellianos, Verbum accipere eſſe à Patre; & contra Arianos, naſci ab illo, non vtcumque, ſed propria ac perfectiſsima nativitate, ſecundùm eandem naturam. Doctrina Anſelmi ex Symbolo Nicæno, & varijs Patrum teſtimonijs, illuſtrata. 524.

CAPVT XL.

Quòd veriſsimè ille ſit parens, iſtud verò proles. 525.

CAPVT XLI.

Quòd ille veriſsimè gignat, iſtud veriſsimè gignatur. 525.

SECTIO II. Rationem parentis & prolis verè eſſe in divinis, ac longè veriùs, & ſublimiùs, quàm in rebus creatis. Digeritur per partes doctrina Anſelmi, illuſtraturque opportunis teſtimonijs & conſiderationibus Patrum. 525.

SECTIO III. An iure meritoque Anſelmus in his capitibus Verbum Dei appellet PROLEM ſummi ſpiritus, ſeu parentis. Vbi de alijs nominibus æquivalentibus aut affinibus, qualiter poſsint aut non poſsint tribui eidem Verbo. 530.

CAPVT XLII.

Quòd alterius veriſsimè ſit eſſe Genitorem & Patrem, alterius Genitum & Filium. 532.

SECTIO IV. Veritas Genitoris & Geniti, Patris ac Filij, ab Anſelmo tradita, aſſeritur ex Scriptura, non ſolùm contra Arianos & Sabellianos, ſed etiam adverſus Iudæos. Illuſtria Rabbinorum Veterum teſtimonia in id confirmandum. Nonnihil de Iudæorum perfidia. 533.

SECTIO V. Exponitur littera Anſelmi quoad rationem dubitandi ex repugnantia varietatis ſexuum in divinis. Referuntur & refelluntur deliramenta hæreticorum quorundã Gentilium, & Mahumetanorum. 536.

SECTIO VI. Cur in divinis non ſit mater, ſed Pater, in ordine ad generationẽ æternam? Doctrina Anſelmi illuſtratur pluribus ad Philoſophiam Naturalem & Theologiam ſpectantibus. 538.

SECTIO VII. Cur proles æterni Patris non ſit, nec appelletur filia, ſed Filius? Illuſtratur poſtrema pars capitis, tum ex Philoſophia Naturali, tum ex Theologia ad mentem Conciliorum & Patrum. 540.

DISPVTATIO LXXXIII. LITTERALIS.

De ijs, in quibus conveniunt & differunt, Pater ac Filius. 543.

CAPVT XLIII.

Retractatio communis amborum; & proprietatum ſingulorum. 543.

SECTIO I. Explanatur convenientia & differentia Patris à Filio, ſecundùm identitatem ſubſtantiæ, & diſtinctionem realem in perſonis. Vbi de ijs, quæ admittunt, aut non admittunt pluralitatem in ambobus. 544.

CA-

CAPVT XLIV.

Quomodo alter ſit alterius eſſentia.

SECTIO II. Exponitur littera Anſelmi, & oſtenditur, Filium eſſe Patris eſſentiam, ſapientiam, & vitam; ac per ſe eſſe, ſapere, & ſubſiſtere: quoniam ea ita accipit à Patre, vt eadem omnia per identitatem ipſi Filio conveniant. Doctrina Anſelmi ex Concilijs & Patribus illuſtrata. 548.

DISPVTATIO LXXXIV.

An Filius Dei ſit Autotheos.

SECTIO I. Expenditur nova quædam hæreſis Autotheanorum, & oſtenditur, illam quam-maximè differre à doctrina Anſelmi in hoc capite. Impugnatur Calvinus, & quidã alij Filium Dei ſimpliciter appellantes Deum à ſeipſo. 552.

CAPVT XLV.

Quòd aptiùs dici poſsit Filius eſſentia Patris, quàm Pater eſſentia Filij: & quòd ſimiliter ſit Filius Patris virtus, & ſapientia, & ſimilia. 556.

SECTIO II. Illuſtratur littera Anſelmi, & iterum reijcitur error Autotheanorum, atque oſtenditur longiſsimè alienus à ſenſu S. Doctoris, atque aliorum Patrum, quorum variæ locutiones explanantur. 557.

DISPVTATIO LXXXV.

An Filius verè ſit Deus, & Homouſios, ſive conſubſtantialis Patri. 560.

SECTIO I. Divinitas Filij, non quælibet, ſed ſumma, aſſeritur & demonſtratur ex ſacris litteris. Evaſiones Origenis, & Arianorum, præcluduntur varijs conſiderationibùs S. Anſelmi, & aliorum Patrum.

SECTIO II. Divinitas eadem Filij ſuadetur ex proprietatibus naturæ divinæ, quæ ipſi conveniunt iuxta expreſſa Scripturæ teſtimonia. Excurritur per præcipuas illarum, obſervatas ab Anſelmo.

CAPVT XLVII.

Quomodo quædam ex ijs, quæ ſic proferuntur, aliter quoque poſsint intelligi. 566.

SECTIO III. Filium eſſe perfectam intelligentiam, ſive cognitionem, ſcientiam, & ſapientiam paternæ ſubſtantiæ, ſimiliterque veritatem Patris. Doctrina Anſelmi ex Concilijs & Patribus illuſtrata. 566.

CAPVT XLVII.

Quòd Filius ſit intelligentia intelligentiæ, & veritas veritatis. 568

SCHOLION in hoc caput. 568.

CAPVT XLVIII.

Quòd & quomodo Filius ſit intelligentia vel ſapientia memoriæ, & memoria Patris & memoriæ. 569.

SECTIO IV. Verbum divinum eſſe intelligentiam & ſapientiam memoriæ, quoniam naſcitur ex vi memoriæ fœcundæ, & indiſtinctæ ab ipſo Patre. Illuſtratur doctrina Anſelmi, & reijcitur quædam recens opinio aliquorum Theologorum. 570.

DISPVTATIO LXXXVI.

Qualiter Spiritus ſanctus ſit & dicatur Amor Patris & Filij. 572.

CAPVT XLIX.

Quòd ſummus ſpiritus ſe amet.

SECTIO I. Anſelmum meritò auſpicari tractationem de Spiritu ſancto ex conſideratione Amoris divini. Huius multiplex acceptio apud Græcos & Latinos. Quo ſenſu Anſelmus, & reliqui Patres, Spiritum ſanctum appellent Amorem, ſeu Dilectionem Patris & Filij. 573.

SECTIO II. Confirmatur eadem doctrina Anſelmi ex Patribus, iuxta quos Pater & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto. Referuntur & refelluntur variæ opiniones, tum Veterum, tum Recentiorum, circa germanam intelligentiam eius propoſitionis. 575.

SECTIO III. Eligitur ſententia frequens aſſerentium, eam locutionem Patrum eſſe veram ſecundùm proprietatem ſermonis, prout à D. Thom. accipitur. Cæterum varij modi illã explicandi & probandi, reijciuntur. 579.

SECTIO IV. Prænotatis quibuſdam, explanatur & confirmatur aliter verior ſententia. Vbi obiter nonnulla circa intelligentiam illius propoſitionis traditæ ab Auguſtino & Anſelmo: *Pater dicit ſeipſum Verbo, & omnem creaturam.* 580.

SECTIO V. Difficultates nonnullę adverſus noſtrũ dicendi modũ, obiectę, & ſolutę. 582.

SE-

SECTIO IV. Difficultates nonnullæ adverſus noſtrum dicendi modum, obiectæ, & ſolutæ. 582.

SECTIO V. Alius modus exponendi & probandi communem ſententiam, indicatur breviter, pleniùs conſulendus apud Thomiſtas. Corollaria quædam. 585.

DISPVTATIO LXXXVII.

Vtrum Anſelmus rectè probet amorem in Deo ex intelligentia. 586.

SECTIO I. Anſelmus in præſenti rectè probat, Deum ſe amare, quia ſe intelligit. Refellitur multipliciter opinio quorundam aientium, poſsibilem eſſe ſubſtantiam intelligentem, omnino incapacem amandi. 587.

SECTIO II. Quædam difficultas celebris obiecta, & multipliciter ſoluta. 588.

CAPVT L.

Quòd idem Amor pariter procedat à Patre, & Filio. 589.

SECTIO III. Omnem amorem cuiuslibet boni, neceſſariò ſupponere illius notitiam: & proinde Amorem perſonalem, ſive Spiritum ſanctum per ſe ſupponere memoriam in Patre, & intelligentiam in Filio, vt ex vtriuſque amore procedat. 589.

CAPVT LI.

Quòd vterque pari amore diligat ſe, & alterum. 590.

CAPVT LII.

Quòd tantus ſit iſte Amor, quantus eſt ipſe ſummus ſpiritus. 590.

SECTIO IV. Demonſtratur amor Patris & Filij, tam ad ſe, quàm ad invicem, & æqualitas in amando. Complacentia mutua alterius in altero explicata, & realis pluralitas perfectionum obiter à Deo excluſa, iuxta dicta Diſp. LXXIII. 590.

DISPVTATIO LXXXVIII.

Quænam ſint principia proceſsionum diuinarum. 593.

SECTIO I. Obſervantur quædam ad dirimendam controverſiam, præſertim circa rationem principij, quæ diverſimodè vſurpatur, etiam circa perſonas & proceſsiones divinas. Varia Theologorum placita. 593.

SECTIO II. Impugnatur opinio Durandi argumento ineluctabili, ſuprà Diſput. LXII. propoſito, & nunc ſolùm obiter indicato. 596.

SECTIO III. Solutio Durandi ad argumentum ex Patribus propoſitum, refutatur multipliciter. Varia inſuper abſurda ex eius opinione colliguntur. 598.

SECTIO IV. Præcipua argumenta Durandi obiecta, & plerumque in ipſum regeſta, ac ſoluta. 601.

DISPVTATIO LXXXIX.

De Diuinitate Spiritus ſancti, contra Pneumatomachos. 601.

CAPVT LIII.

Quòd idem Amor ſit idipſum, quòd eſt ſummus ſpiritus; & tamen ipſe ſit cum Patre & Filio vnus ſpiritus. 605.

SECTIO I. Spiritus ſancti ſolida Deitas probata ab Anſelmo, negata diverſimodè à plurimis hæreticis priſcis & recentibus, aſſeritur imprimis ex varijs locis Veteris Teſtamenti, præſertim collatis cum quibuſdam Teſtamenti Novi.

SECTIO II. Divinitas eadem Spiritus ſancti demonſtratur multipliciter ex varijs locis Novi Teſtamenti in triplicem claſſem diſtributis. Illuſtria PP. Græcorum & Latinorum loca in idem confirmandum. 608.

SECTIO III. Illuſtratur ſecunda pars capitis de conſubſtantialitate Spiritus ſancti cum Patre & Filio, probata ab Anſelmo. Eadem demonſtratur inſignibus Scripturæ locis, & ſelectis interpretationibus Patrum. 612.

DISPVTATIO XC.

De Proceſsione Spiritus ſancti ex Patre & Filio, contra Græcos. 616.

CAPVT LIV.

Quòd totus procedat à Patre, totus à Filio: & tamen non ſit, niſi vnus Amor. 616.

SECTIO I. Ratio dubitandi ab Anſelmo propoſita, & à Græcis obiecta, ſolvitur. Doctrina Anſelmi in hoc capite poſtea definita in Concilijs Generalibus, Lugdunenſi, & Florentino. 617.

SE-

SECTIO II. Marcum Ephesium, adhuc post Concilium Florentinum, instaurâsse errorem præcedentium quorundam Græcorum. Quinam ij fuerint, & quo tempore vixerint. 618.

SECTIO III. Processio Spiritus S. à Filio ostenditur illustri Christi testimonio, speciatim observato ab Anselmo, ex doctrina communi SS. Patrum Græcorum Latinorumque explanato, iuxta Catholicam sententiam. Obiectiones aliquot solutæ. 621.

SECTIO IV. Ex posterioribus verbis eiusdem testimonij, & alijs præterea Evangelij locis, demonstratur multipliciter contra Græcos eadem veritas, iuxtà sensum Anselmi, & cæterorum Patrum. Evasiones aliquot, refutatæ. 625.

DISPVTATIO XCI.

In quo Concilio Generali aut Prouinciali definita fuerit primùm processio Spiritus sancti à Filio. 628.

SECTIO I. Propositis rationibus dubitãdi, excurritur per vndecim priora Concilia Generalia: & ostenditur, in nullo eorum fuisse definitam processionem Spiritûs sancti ex Filio. Variæ aliorum opiniones reiectæ, & plura obseruata ad historiam & chronologiam eorundem Conciliorum spectantia. 629.

SECTIO II. In quo tandem Concilio Generali fuerit id primò definitum, & qualiter in sequentibus confirmatum. Nonnullæ difficultates in oppositũ obiectæ & solutę. 633.

SECTIO III. In quonam ex Concilijs Prouincialibus, primùm definita fuerit processio Spiritûs sancti ex Filio. Vbi plura obseruatu digna. 635.

DISPVTATIO XCII.

Quando primùm addita fuerit Symbolo particula FILIOQVE. 638.

SECTIO I. Particulam *Filioque* nunquam hactenus fuisse additam Symbolis Apostolico, aut Nicæno, sed ea seruari illibata, prout ab initio edita sunt. Dissidium itaque esse de solo Symbolo Constantinopolitano. 638.

SECTIO II. Diuersorum opiniones circa tempus, & Synodum, in qua particula *Filioque* addita fuerit Symbolo CP. refelluntur. 640.

SECTIO III. Videri admodum probabile, particulam illam primùm additam Symbolo in Concilio Tertio Toletano. Difficultates in oppositum obiectæ & solutæ, pluraque obseruata ad historiam & chronologiam Conciliorum ea de re spectantia. 643.

SECTIO IV. Examinatur doctrina quædam Christiani Lupi, & confirmatur doctrina superiùs tradita præsertim in gratiam Concilij Tertij Toletani. 648.

DISPVTATIO XCIII.

An si Spiritus S. non procederet à Filio, distingueretur realiter ab illo. 651.

SECTIO I. Præmittitur vtilitas huius controuersiæ contra aliquos oppositum sentientes, quorum argumenta refutantur: & referuntur contrariæ Theologorum opiniones. 651.

SECTIO II. Examinatur penitiùs mens S. Anselmi in hac controuersia. Porrò Scotum & sequaces probabiliter allegare pro se S. Doctorem: alios verò cum D. Thoma probabiliùs in oppositum. Expenduntur varia illius loca pro priore sententia, & solvuntur in gratiam posterioris. 654.

SECTIO III. Ostenditur ex mente Anselmi, veluti probabilius, Spiritum sanctum non fore personam distinctam à Filio, si ab eo non procederet. Probatio præcipua ex illo axiomate, *In diuinis omnia sunt vnum*, &c. quod asseritur ex testimonijs S. Doctoris, & præterea auctoritate Conciliorum, ac Patrum Græcorum, Latinorumque. 658.

SECTIO IV. Ratio eruta ex D. Anselmo in probationem sententiæ negantis, ac verioris, vrgetur ex eodem axiomate probato à priori. Evasiones præcipuæ Aduersariorum, multipliciter præclusæ ac reiectæ. 661.

SECTIO V. Obijcitur & solvitur argumentum opinionis contrariæ ab auctoritate, præsertim Anselmi, cuius mens iterum penitiùs examinatur. 665.

SECTIO VI. Præcipua Aduersariorum ratio ad probandum, non esse opus relativa oppositione in diuinis ad distinctionem personarum, vrgetur multipliciter, & extricatur. 667.

SECTIO VII. Reliqua argumenta alicuius momenti, obiecta & soluta. 669.

CAPVT LV.

Quòd non sit eorum Filius, Amor. 673.

DISPVTATIO XCIV.

An licuerit Anselmo in hoc capite vestigare rationẽ discriminis inter generationem Verbi & processionem Spiritus sancti. 674.

SECTIO I. Proponuntur rationes dubitandi, ex sacris litteris, & doctrina PP. quibus probari videtur, Anselmum, & posteriores Theologos cum ipso, immeritò perquirere discrimen vtriusque processionis diuinæ. 674.

SECTIO II. Exponitur, quo sensu non liceat perquirere discrimen generationis Verbi à processione Spiritus sancti. Vbi plura obseruatu digna. 676.

SECTIO III. Quonam sensu liceat Theo-

logis veſtigare diſcrimen vtriuſque proceſſionis; & qualiter id fuerit ab Anſelmo, aliiſque Patribus, tentatum. 678.

DISPVTATIO XCV.

Quondam ſit præcipuum diſcrimen inter proceſſionem Verbi & Spiritus ſancti, iuxta Anſelmum & alios Patres. 681.

SECTIO I. Exponitur littera Anſelmi, eiuſque germana mens, circa diſcrimen vtriuſque proceſſionis, ſive circa rationem, cur Spiritus ſanctus non ſit Filius. 681.

SECTIO II. Ratio diſcriminis inter vtramque divinam proceſſionem tradita ab Anſelmo, confirmatur & illuſtratur ex ſacris litteris, & communi ſenſu Patrum Græcorum. 685

SECTIO III. Eadem diſcriminis ratio confirmata ex doctrina Patrum Latinorum, præſertim Auguſtini, & Thomæ, & plurimorum Theologorum ex omnibus Scholis. 687.

SECTIO IV. Præmiſſis quibuſdam exponitur & confirmatur eadem ratio diſcriminis, ab Anſelmo & aliis Patribus tradita. 689.

SECTIO V. Objicitur & vrgetur diverſimodè præcipua difficultas contra noſtram ſententiam; ac pluribus interea obſervatis ſolvitur. 693.

SECTIO VI. Aliud argumentum difficile, & ferè prætermiſſum ab Auctoribus, vrgetur multipliciter contra noſtram ſententiam, & enodatur. 698.

SECTIO VII. Alia argumenta alicuius momenti objiciuntur & ſolvuntur. 700.

DISPVTATIO XCVI.

An aliqua creatura poſſit mittere, aut dare Spiritum ſanctum, vel in ſeipſo, vel in donis ſuis. 705.

SECTIO I. Spiritum ſanctum in ſeipſo nõ poſſe dari propriè aut mitti per modum auctoritatis, ſeu virtute propria ab aliqua creatura. Ratio Durandi in id probandum, ex Anſelmo, Auguſtino, aliiſque Patribus Latinis Græciſque erutа, & illuſtrata. 705.

SECTIO II. Spiritum ſanctum in dono gratiæ gratum facientis non poſſe dari virtute propria alicuius creaturæ exiſtentis aut poſſibilis, ſuadetur ex ſacris litteris. Evaſio Adverſariorum præcluſa. 708.

SECTIO III. Relictis aliorum probationibus, ſuadetur noſtra ſententia ratione à priori indicata à Durando. Solutiones Adverſariorum multipliciter reiectæ. 709.

SECTIO IV. Alia ratio Durandi expenditur & vrgetur pro eâdem vera ſententia. 713.

SECTIO V. Præcipua argumenta adverſæ opinionis, obiecta & ſoluta. 715.

SECTIO VI. Neque etiam poſſe Spiritum ſanctum in donis habituum ſupernaturalium dari, ſeu cauſari principaliter à creatura aliqua, etiam prout elevata, ſive in ſubiecto extraneo, ſive intra proprium. Illata quædam ex dictis. 718.

CAPVT LVI.

Quòd ſolus Pater ſit genitor & ingenitus; ſolus Filius genitus; ſolus Amor nec genitus nec ingenitus. 721.

DISPVTATIO XCVII.

De notionibus perſonarum diuinarum, quot & quænam ſint, 721.

SECTIO I. Exponitur littera Anſelmi, & ratio propria notionum divinarum, iam olim à Patribus tradita. Oſtenditur quomodo notio Ingeniti ſint propria Patris, ſicut & Geniti peculiaris Filio; vtraque autem aliena ab Spiritu ſancto. 722.

SECTIO II. Verè in divinis perſonis eſſe notiones, eaſque non plures aut pauciores, quàm quinque. Explanatio & probatio eius communis ſententiæ. Difficultates in oppoſitum ſolutæ. 724.

CAPVT LVII.

Quòd Amor idem ſit increatus, ſicut Pater & Filius: & tamen ipſe cum illis non tres, ſed vnus Creator, & vnus increatus: & quòd iden dici poſſit Spiritus Patris & Filij. 727.

SECTIO III. Quamvis notio Ingeniti ſit propria Patris, rationem tamen Increati & Creatoris convenire indiviſim etiam Filio & Spiritui ſancto. Vbi plura & varia ex Patribus Græcis & Latinis, ſpectantia ad illuſtrandam litteram huius capitis. 728.

CAPVT LVIII.

Quòd ſicut Filius eſt eſſentia vel ſapientia Patris, eo ſenſu quia habet eandem eſſentiam & ſapientiam, quàm Pater: ſic idem Spiritus ſit Patris & Filij eſſentia & ſapientia; SCHOLION in hoc caput. 730.

DISPVTATIO XCVIII.

De circumineſſione diuinarum perſonarum, 732.

CAPVT LIX.

Quòd Pater, & Filius, & eorum Spiritus, ſint in ſe inuicem. 731.

SECTIO I. περιχώρησις, ſeu Circumineſſio mutua divinarum perſonarum ab Anſelmo tradita, olim peſſimè ab hæreticis intel-

lecta

lecta, qualiter accipienda ſit : & an ea vox vſurpata fuerit à priſcis Patribus, Græcis Latiniſque. 732.

SECTIO II. Exponitur littera Anſelmi in hoc capite, eiuſque rationes ad probandum circumineſſionem divinarum perſonarum, confirmantur & illuſtrantur. 734.

CAPVT LX.

Quòd nullus eorum alio indigeat ad memorandum, vel intelligendum, vel amandum, &c. 737.

SECTIO III. Objicitur & ſolvitur prima difficultas contra περιχώρησιν, ſeu Circumineſſionem divinarum perſonarum. Ratio & doctrina Anſelmi illuſtratur multiplici conſideratione. 737.

CAPVT LXI.

Quòd tamen non ſint tres, ſed vnus, ſeu Pater, ſeu Filius, ſeu vtriuſque Spiritus. 739.

SECTIO IV. Altera difficultas ab Anſelmo obiecta & ſoluta. Doctrina huius capitis ex Symbolo Athan. & alijs PP. illuſtrata contra Sabellianos. 740.

CAPVT LXII.

Quomodo ex his tribus multi filij naſci videantur. 741.

DISPVTATIO XCIX.

Cur in diuinis non ſint plures filij. 742.

SECTIO I. Ratio dubitandi, ab Anſelmo propoſita, vt ſint plures filij in divinis, elucidatur, & vrgetur multipliciter. 742.

CAPVT LXIII.

Quomodo non ſit ibi, niſi vnus vnius, hoc eſt vnum Verbum, & ex ſolo Patre. 744.

SECTIO II. Vnitas, ſive ſingularitas Patris, Filij & Spiritus ſancti, palam tradita in ſacris litteris, ſuadetur ratione S. Anſelmi, & ſolvitur difficultas obiecta capite præcedenti. Doctrina huius capitis ex Patribus illuſtrata. 745.

SECTIO III. Aliæ rationes, tum ex alijs Patribus, tum ex Anſelmo ipſo erutæ ad probandam repugnantiam plurium filiorum in divinis. Obiectiones quædam, ſolutæ. 747.

CAPVT LXIV.

Quòd hoc, licèt in explicabile ſit, credendum tamen ſit. 749.

SECTIO IV. Veritatem generationis, & vnius Verbi in divinis, prorſus inacceſſam eſſe, nec explicari ſatis poſſe, aut intelligi, QVOMODO ſit. Doctrina Anſelmi confirmata ex Scriptura, Concilijs, & Patribus. 750.

CAPVT LXV.

Quomodo de ineffabili re verum diſputatum ſit. 753.

SECTIO V. Tractationem de ſubſtantia & perſonis divinis hucuſque præmiſſam, eſſe rudem & ænigmaticam, defectu nominum ad exponendum propriè res divinas: veram tamen & inconcuſſam. Doctrina Anſelmi ex Patribus illuſtrata.

DISPVTATIO C.

Cur potiùs Filio, quàm Spiritui ſancto, conueniat ratio Verbi.

SECTIO I. Propoſita ratione dubitandi præcipua, refertur & refellitur primus modus reſpondendi, cur potiùs perſonæ Filij, quàm Spiritus ſancti, conveniat ratio Verbi. 754.

SECTIO II. Alij modi dicendi examinantur, & reijciuntur multipliciter, veluti contrarij Auguſtino, Anſelmo, alijſque Patribus. 756.

SECTIO III. Idem poſterior ac recens dicendi modus impugnatur multipliciter rationibus, præſertim ex Auguſtino, & Anſelmo erutis. 759.

SECTIO IV. Prænotatis quibuſdam obſervatu dignis, exponitur modus veroſimilios ad occurrendū difficultati, & redddendum rationem Anſelmo & alijs Patribus cohærentem vt potiùs Filio, quàm Spiritui ſancto, conveniat ratio propria Verbi. 763.

SECTIO V. Eadem peculiaris ratio Verbi in Filio ſecundùm ſuam proprietatem perſonalem ſub ratione imaginis, termini, aut formæ directè ſpectans ad genus intentionale, ſeu repræſentativum, confirmatur multipliciter ex ſacris litteris; teſtimonijſque Patrum, & rationibus. 765.

DIS-

INDEX SECVNDVS

QVAESTIONVM VARIARVM, AD ALIOS ETIAM THEOLOGIAE TRACTATVS SPECTANTIVM, PRAETER PLVRIMAS ALIAS, QVAE OBITER PROFLIGANTVR IN HOC IPSO TOMO, TVM THEOLOGICAS, TVM PHILOSOPHICAS.

AD TRACTAT. DE VISIONE DEI.

QVÆSTIO I. An posit videri essentia Dei, non visis attributis vel personis; aut vna persona, non visa alia. Disp. LXVIII. per totam. 770.

QVÆSTIO II An visio divinæ essentiæ sine personis vel attributis, aut vnius personę sine alia, esset beatifica essentialiter. Disput. LXIX. per totam. 291.

AD TRACT. DE VOLVNTATE DEI.

QVÆSTIO I. Vtrum rectè probetur in Deo voluntas & amor ex intelligentia: ac proinde repugnet creatura intelligens, incapax amandi. Disp. LXXXVII. per totam. 586.

QVÆSTIO II. An Deus amet creaturas possibiles, idque vel liberè, vel necessariò. Disp. LXVI. per totam. 227.

QVÆSTIO III. Vtrùm omnipotentia Dei necessariò connectatur cum possibilitate creaturarum, & ita, vt his repugnantibus, ipsa deficeret. Disp. LXV. sparsim, sed latè. 207.

AD TRACT. DE ENTE SVPERNAT.

QVÆSTIO I. An mysteria, sivè obiecta supernaturalia possint demonstrari naturali mentis acumine. Disp. LI. ferè per totam. 1.

QVÆSTIO II. An Philosophi Gentiles cognoverint aliqua mysteria, vel obiecta supernaturalia. Disp. LII. per totam. 19.

QVÆSTIO III. An Sibyllæ cognoverint mysteria sive obiecta supernaturalia. Disput. LIII. per totam. 32.

AD TRACT. DE GRATIA.

QVÆSTIO Vnica. An potestate absoluta Dei condi possit creatura aliqua, quæ in genere causæ principalis possit iustificare, aut efficere gratiam, vel habitus infusos. Disp. XCVI. ferè per totam. 705.

AD TRACT. DE INCARNATIONE.

QVÆSTIO I. An subsistentia, sive hypostasis, addat aliquid positivum & reipsa distinctum naturæ humanæ. Disp. LXXV. per totam. 385.

QVÆSTIO II. Quænam sit formalis ratio, & proprius effectus subsistentiæ circa naturam. Ibid. latè, præsertim sect. 5. & 6. 398.

QVÆSTIO III. An Verbum assumpserit naturam humanam cum omni modo & perfectione positiva, quam alioqui habitura esset seorsim à Verbo. Ibid. latè, præsertim sect. 7. & 8. 405.

QVÆSTIO IV An Verbum divinum reddat subsistentem naturam humanam. Ibid. sectione 9. 411.

QVÆSTIO V. An subsistentia creata sit aliquid reipsa distinctum ab existentia substantiæ; ac proinde sicuti Humanitas Christi caruit subsistentiâ creatâ, ita etiam existentiâ sibi propriâ caruerit. Disp. LXXVI. per totam.



DIVI ANSELMI ARCHIEPISCOPI CANTVARIENSIS,

OPVSCVLVM PRIMVM MONOLOGION,

A CAPITE XXIX. ALIAS XXVIII. COMMENTARIIS ET DISPVTATIONIBVS ILLVSTRATVM.

TRACTATVS QVARTVS DE MYSTERIO TRINITATIS.



VM Anſelmus diſſeruiſſet de Deo, Deiqúe proprietatibus, ſeu perfectionibus, in Monologio per XXVII. priora capita, aliàs XXVIII. iuxta noviſsimam editionem Noſtri Gabrielis Gerberon (cuius partitionem antiquis exemplaribus reſpondentem ſequemur de cætero) ingreditur iam ad ſupremum & omnium maximè reconditum myſterium Trinitatis. Ac quemadmodum illas Dei perfectiones,

quas Theologi Attributa ſolent appellarẽ, demonſtravit eatẽnus rationibus varijs,nulloque Scripturæ teſtimonio in medium allato (quod onus ſibi impoſitum fuiſſe à Fratribus teſtatur in præfatione eiuſdem Opuſculi)ſic etiam modò tentat,ſi quoquo modo poſſit ſuadere veritatem myſterij Trinitatis, nullo vtens Scripturæ teſtimonio. Antequã verò exhibeamus litterã ipſam capitis XXIX. ac ſequentium,oportet præmittere Diſputationes quaſdam circa idem myſterium,quæ viam parent, & facem præferant doctrinæ de reliquo tradendæ cum eodem S. Doctore, & quidem iuxta ipſius mentem,locis in progreſſu indicandis.

DISPVTATIO LI.

AN MYSTERIVM TRINITATIS POSSIT NATVRALI INTELLECTVS ACVMINE DEMONSTRARI, TVM REIPSÃ, tum ex mente ANSELMI?

VIDEBITVR *Fortè alicui ex mente Anſelmi demonſtrabile eſſe hoc myſterium ratione naturali: ſiquidem ille à cap. XXIX. incipit probare id nudis rationibus. Supponit ergo, illud demonſtrari poſſe rationibus naturalibus, inſtar aliarum perfectionum, ſeu proprietatum Dei, de quibus hactenus diſſeruerat. Deinde infrà cap. 65. loquens de anima rationali, inquit:* Non video cur negetur in illa eſſe vera imago illius eſſentiæ, quæ per ſui memoriam, & intelligentiam, & amorem, & in Trinitate ineffabili conſiſtit. *Ergo ex naturali contemplatione ipſius animæ rationalis poteſt euidenter cognoſci Trinitas, ſicut prototypus ex imagine. Habet locum hæc quæſtio apud Magiſtrum in 1. diſt. 2. & 3 §.* Nunc reſtat, *vbi tractatur à Scholaſticis, præſertim Scoto & Durando, & apud D. Thom. 1. part. quæſt. 32. art. 2. Plura ad eam ſpectantia præmiſimus Tomo I. Diſp. VIII. & IX. ferè per totas, quæ opportuna quidem ſunt, modò autem potiùs ſupponenda, quàm repetenda. Nimirum vtroque eo loco veſtigauimus latè, an myſteria fidei, ſeu obiecta ſupernaturalia, poſſint cognoſci quidditatiuè immediatè, aut ſaltem demonſtrari, lumine naturali.*

SECTIO PRIMA.

Refutatis Anomœis, expenditur opinio affirmans Raymundi Lullij: Vestigaturque, an eius doctrina fuerit damnata à Gregorio XI. prout testatur Eymericus in Directorio Inquisitorum. Aliorum quoque sententia non multùm ab ea diuersa expenditur.

2 ANOMOEI Hæretici olim, inter alia deliramenta, dicere ausi sunt, se ita Deum nôsse, ac se ipse novit. Ita enim de ijs testatur Chrysostomus: qui ad eam insaniam refellendam edidit quinque Homilias sub epigrapha, *De incomprehensibili Dei natura.* Eundem errorem refert & reijcit Cyrillus lib. 11. Thesauri, vbi testatur, eos dixisse, *nullam esse scientiæ differentiam, cùm & ipse Deus, & nos, nihil aliud, quàm Ingenitum esse Deum sciamus.* Neque oportet nos immorari refutando tam crasso adipalique errori, quem, præter allegatos, proscripserunt Augustinus lib. 2. contra Faustum cap. 18. Nicetas lib. 2. Thesauri cap. 18. & 19. alij apud Raynaudum in Theologia Naturali dist. 5. q. 2. ar. 5. Nimirum, ipsa rerum natura clamat, Deum infinitis partibus antecellere creaturis omnibus, ac proinde longè perfectiùs à seipso cognosci, quàm ab ijs.

3 VENIAMVS Ad referendam celebrem opinionem Raymundi Lullij, quam aliter & aliter interpretantur Theologi: licèt omnes in eo conseniant, vt ipse sibi visus fuerit demonstrasse existentiam mysterij Trinitatis rationibus naturalibus, & adeò evidentibus, vt possint convincere Gentilem, aut Mahumetanum, si eas penetrare velit. Addit tamen ipse: *Sed homines impij & peccatores non intelligunt eas rationes.* Hæc ille libro de Articulis Fidei, & in libro contemplationum, & libro de Ecclesiasticis Proverbijs, & lib. de plã & u Raymundi: vt refert & testatur Eymericus in Directorio Inquisitorum part. 2. quæst. 9. articulo seu propositione 96. eiusdem Raymundi, quæ est huiusmodi: *Omnes articuli fidei, & Ecclesiæ Sacramenta, & potestas Papæ, possunt probari, & probantur per rationes necessarias, demonstratiuas, & euidentes.* Subdit statim Eymericus: *Et ipse Raymundus dixit, se probare per rationes quas adducit, quas dicit, & reputat esse tales,* &c.

4 P. Vazquez tomo 2. in 1. p. disp. 133. initio ait, nullum vnquam Catholicorum affirmasse Trinitatem personarum in vna essentia probari posse demonstratione naturali, id est, deducta ex solis principijs naturæ, & subtilitate ingenij; neque id vnquam dixisse Raymundum Lullium, vt falsò ei adscribitur: quoniam vbicumque ait, evidentem demonstrationem Trinitatis inveniri posse, loquitur supposito lumine fidei, vel aliqua supernaturali illustratione intellectûs nobis infusâ.

5 SED Enim hæc interpretatio mentis Lullianæ difficilis est: cùm ipse Lullius apud allegatum Eymericum articul 97. & 98. immediatè sequentibus planè excludat necessitatem fidei ad eiusmodi demonstrationes. In priore enim illorum ait: *Fides est necessaria hominibus insci js, rusticis, ministralibus, & non habentibus intellectum eleuatum, qui nesciunt cognoscere per rationem, & diligunt cognoscere per fidem: & homines grossi ingenij & illiterati & insci j diligunt cognoscere articulos fidei per fidem, & non per rationem: & facilius trahũtur ad veritatem Christianorum per fidem, quàm per rationem. Sed homo subtilis facilius trahitur per rationem, quàm per fidem.* Statimque allegat Eymericus librum Contemplationum Raymundi, vbi id docuit. In posteriori verò articulo desumpto ex eodem libro, hæc, inter alia, habentur: *Sicut veriùs cognoscimus ea, quæ videmus, quàm ea, quæ palpamus: ita veriùs sumus dispositi ad cognoscendam veritatem per rationem, quàm per fidem.* Hæc omnia ille: in quibus videtur planè excludere necessitatem fidei ad cognoscendum articulos illius, & primas deferre acumini naturali mentis, quasi hæc meliùs ac clariùs percipiat eas veritates per subtilitatem propriam, quàm per fidem à Deo inditam. VLTERIVS. Raymundus art. 97. loquitur de ijs qui trahuntur ad veritatem Christianorum, & ait faciliùs eos trahi, si subtiles sint, per rationem, quàm per fidem. At in ijs, qui trahuntur ad veritatem Christianorum, non supponitur fides prævia, vt pater. Loquitur ergo Raymundus de ijs, qui sola ratione, & nullâ fide prævia, trahuntur ad fidem. Nec præterea locus est confugiendi ad illustrationem supernaturalem: cùm de illa Raymundus nec verbum ibi habeat, sed solius rationis & subtilitatis meminerit, quæ prorsus independens ab ea est. Denique, cùm idem Raymundus articulo 96. suprà exscripto dixerit, demonstrationes à se excogitatas esse adeò evidentes, vt possint convincere Mahumetanum, vel Gentilem, si velit; excluditur omnino necessitas fidei, & cuiuslibet alterius illustrationis supernaturalis, quarum neutra supponitur in Mahumetano, aut Gentili.

6 QVOD Autem attinet ad doctrinam ipsam Lullij, multorum sententia est, illam

hæreticam eſſe, ipſumque à dæmone illuſum ſibi viſum excogitaſſe demonſtrationes manifeſtas ad illam probandam, eaſque populo tradidiſſe, veluti revelatas à Deo, plurimoſque alios errores comprehenſos in illis centum articulis ab Eymerico relatis. Ita cenſuerunt Bernardus Luthemburgenſis libro adverſus hæreſes ſub littera R. Gabriel Prateolus in Elencho hæreſum verbo *Raymundus Lullius*, & Petrus Galiſardus in Tabula. Nimirum ij omnes legerunt, quingentos errores fuiſſe excerptos ex ſcriptis Raymundi Lullij auctoritate Gregorij XI. Pontificis Maximi, agente Eymerico tunc Aragonum Inquiſitore; ex quibus centum evulgati ſunt à Petro Archiepiſcopo Tarraconenſi in poſteriori parte allegati Directorij Inquiſitorum. Quin & in eius Appendice, cui titulus, *Litteræ Apoſtolicæ pro Officio Sanctiſſimæ Inquiſitionis*, editâ cum Notis Franciſci à Pegna Romæ anno M. D. LXXXVII. pagina 67. habentur tres Bullæ eiuſdem Gregorij XI. in quarum prima ſcribit ad Archiepiſcopum Tarraconenſem anno 1372. Nonis Iunij, vt libros omnes Lullij colligat, & examinari faciat interventu Theologorum Iuriſperitorumque, atque ipſius Inquiſitoris Eymerici. Si autem invenerit, eos continere aliquot errores in fide, comburat, & comburi faciat, &c. In ſecunda ſcribit Pontifex anno 1373. Kalendis Octobris ad Officiales Epiſcopi Barcinonenſis, vt librum quendam Raymundi Lullij in pergamenis & vulgari lingua Cathalanica ſcriptum, traditumque in cuſtodiam Franciſco Borele Priori Sanctæ Eulaliæ de Campo, ad ipſum Pontificem mittant. In tertia denique anno 1376. octavo Kalendas Februarij idem Pontifex teſtatur, poſt longum examen Theologorum pluſquam viginti coram Petro Epiſcopo Hoſtienſi, ac novum poſtea in diſputatione ſolemni coram ipſo Pontifice, inventos fuiſſe vltra ducentos (in codice Sabelliano dicuntur quadringenti) articulos erroneos & hæreticales. Ac demum eam ob cauſam, proſcribit penitus libros omnes Raymundi Lullij. Hæc ſummatim ibidem habentur. Poſtea verò Ioannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis in Alphabeto 16. ita loquitur: *Sic nuper actum eſt Pariſijs per ſacram Theologiæ facultatem aduerſus illos, qui doctrinam quandam peregrinam Raymundi Lullij conabantur inducere: quæ, licet in multis ſit altiſſima & veriſſima, quia tamen in alijs diſcrepat à modo loquendi Doctorum ſacrorum, & à regulis doctrinalis ſuæ traditionis, & vſitatæ in Scholis; ipſa edicto publico repudiata, prohibitaque eſt.* Additque Alphabeto 19. littera K. ſuo ipſius tempore editum fuiſſe librum quendam adverſus doctrinam eiuſdem Raymundi.

7 VERVM His non obſtantibus, ſæculo præcedenti anno 1590. (vt teſtatur Vazquez vbi ſuprà capite 3.) Romæ excitata fuit cauſa Raymundi Lullij apud Il. Iuſtriſsimos Cardinales Inquiſitores ſub Pontificatu Sixti V. contendentibus multis ex Cataloniæ Principatu Bullam Gregorij XI. contra errores Raymundi fuiſſe confictam ab Eymerico: adverſus quem proferebant ſententiam prolatam à Reverendiſsimo D. Bernardo Epiſcopo Caſtelli, Commiſſario auctoritate Apoſtolica inſtituto contra eundem Eymericum: cuius ſententiæ tranſumptum authenticum idem Vazquez ſe poſtea in Hiſpania vidiſſe teſtatur; in quo Eymericus damnatur quòd Bullam illam confinxerit. Nimirum, conſanguinei Raymundi conqueſti ſunt coram Alamano Cardinali Sanct. Euſebij, & Legato Sedis Apoſtolicæ in Regno Aragoniæ, & petierunt vt prædictam Bullam declararet confictam, nullumque propterea atque irritum quidquid Eymericus fecerat contra Raymundum. Legatus verò cauſam commiſit prædicto Bernardo Epiſcopo Caſtelli: quin & auctoritate ſua fecit vt à Regiſtratoribus Apoſtolicis Avenione, vbi tunc Romanus Pontifex commorabatur, inter monumenta Gregorij XI. eam Bullam perquirerent. Cumque teſtimonio ipſorum inventa non fuiſſet, prædictus Bernardus ſententiam tulit contra Eymericum. Addit Vazquez, ea de re extare libellum quendam excuſum, in quo etiam excuſantur multi articuli, qui Raymundo tribuuntur, & ex eius doctrina damnantur. Addit præterea, tempore Gregorij XIII. quæſitam fuiſſe diligenter Bullam illam, tum Romæ, tum Avenione, nec tamen vnquam inventam fuiſſe. Addit denique, multa alia ſcripta in defenſionem Raymundi ex Cathalonia Romam allata fuiſſe, & inter ea libellum quendam manuſcriptum, qui ſingulis articulis ab Eymerico notatis ſuo ordine reſpondebat; partim oſtendendo, quoſdam illorum in nullo Raymundi libro haberi; partim demonſtrando, aliquos decerptos fuiſſe ex doctrina ipſius malè intellecta. Quin & cùm in Concilio Tridentino texeretur Catalogus librorum prohibitorum aiunt, Doctorem Villeta Barcinonenſem ſcripſiſſe tractatum in defenſionem Raymundi, ne ſcripta eius in illo Catalogo notarentur.

TAN-

8 TANDEM Ludovicus de Paramo in Regno Siciliæ Inquiſitor Tomo ſecundo quæſtione de combuſtione librorum, titulo de Raymundi Lullij doctrina, obſervavit plurima alia circa hanc rem; contendens, ſcripta Raymundi Lullij non fuiſſe vnquam prohibita, & prædictum Eymericum à Maiori Inquiſitore ſuo Bernardo de falſitate & ſubreptione fuiſſe damnatum: additque, proceſſum ea de re oblatum fuiſſe Matriti Senatui Supremo Regni Aragoniæ. Quin & affert quaſdam doctrinæ Raymundi approbationes, &, inter eas, quaſdam facultatis Theologicæ Pariſienſis. Quapropter Vazquez ijs omnibus perſpectis, ſolùm concludit, ſub iudice litem eſſe, nec audet damnare doctrinam Lullij ſcriptis comprehenſam, quamvis ipſius rationes refellat veluti inanes, & propoſitiones cenſeat duriores.

9 CÆTERVM, Vt monet Ruiz diſput. 32. de Trinitate ſect. 1. num. 9. durum apparet atque incredibile, Eymericum commentum fuiſſe Bullam illam Gregorij XI contra Raymundum: credibiliuſque videtur, illam verè fuiſſe à Pontifice expeditam; perijſſe verò, aut alicuius officialis incuriâ, aut nimiâ Lulliſtarum diligentiâ, qui Anteſignani ſui famæ ardentiſsimè conſuluerunr. Cui conjecturæ alias addo. PRIMA deſumitur ex bono nomine Eymerici ab eo tempore quo vixit & ſcripſit. De quo multa legere eſt in Directorio Inquiſitorum cum Commentarijs Franciſci Pegna, quod ſæpe editum fuit, ex Privilegio Summi Pontificis Gregorij XIII. Vnde & prædictum eius Opus vbique ac ſemper in pretio & honore fuit, præſertim in omnibus ſanctæ Inquiſitionis Tribunalibus. SECVNDA: quoniam Eymericus Bullam illam, & duas alias Gregorij XI circa doctrinam Lullij, publicavit eo tempore, quo vivebat ipſe Gregorius. Incredibile autem apparet, Eymericum vivente ipſo Pontifice, & non valde procul à Cathalonia commorante apud Avinionem, auſum fuiſſe Bullam illam confingere, & memoratum in ea tot Magiſtrorum in Theologia conſeſſum accuratumque examen coram Bernardo Epiſcopo Caſtelli, ac nigrum theta appoſitum ab ijs omnibus doctrinæ Lullij. Id enim comminiſci non potuit, niſi homo deploratiſsimæ conſcientiæ, aut planè inſanus, qui non vereretur falſitatis notari in re publica omnibus & graviſsima. TERTIA: quoniam, vt teſtatur laudatus Pegna in Vita Eymerici Directorio præfixa, ille, *cùm multa iam ætate eſſet grauis, cupiens in ſanctis & quietis occupationibus, dimiſſo iudiciorum ſtrepitu, vltimum vitæ diem claudere, cum per quadraginta & quatuor continuos annos officium ſacroſanctæ Inquiſitionis contra hoſtes fidei fortiter exercuiſſet, reuerſus Gerundam, quam charam habuit patriam, in Conuentu Sancti Dominici, poſtquam ſuper Epiſtolas Beatæ Pauli ad Galatas & ad Hebræos ſcripſiſſet Commentarios, & Epiſtolam ad Romanos ennarrare cœpiſſet, ab humanis ereptus eſt quarto die Ianuarij, anno Dominicæ Natiuitatis milleſimo trecenteſimo nonageſimo tertio: ſicut docet vetuſtum epitaphium eius ſepulchro inciſum Gerundæ in eodem Sancti Dominici Conventu, vbi ſepultus iacet: in quo plurima eorum, quæ ſuprà narrauimus, continentur.* Apparet autem prorſus à vero alienum, virum tot annis in tam pio ac ſancto munere cum laude verſatum, quique adeò laudabili exitu vitæ periodum clauſerit, & apud ſuos glorioſum ſepulchrum obtinuerit, tam fœdè & turpiter deliquiſſe fingendo Bullam Pontificiam in dedecus alienum: aut ſi id fecit, non curâſſe vt ea vbique laceraretur, præſertim ex libris à ſe conſcriptis. QVARTA conjectura inde capitur, quòd teſtante eodem Pegna ibidem, Eymericus multos habuerit, dum viveret, adverſarios. Vnde & ſubiungit: *Hæc magna & poſtrema eſt viri laus, eum acri odio hæreticos omnes habuiſſe, cunctaſque hæreſes deteſtatum fuiſſe: res verò ad fidem Chriſtianam & Religionem Catholicam propagandam ſpectantes, ſumma religione & pietate coluiſſe.* Hactenus ille. Quare mirum non eſt, ſi Raymundi ſequaces opinionem Eymerici, tum ſuperſtitis, tum vitâ functi, obſcurare & infamiâ afficere tentarent, ideoque illi graviſsimum falſitatis crimen imponerent. Vnde & contingere potuit, vt libri & tractatus ab ijs olim ſcripti, poſtea apparuerint, & ab aliquibus Lullij defenſoribus Romæ coram Cardinalibus, & Matriti in Senatu Aragoniæ, exhibiti fuerint. QVINTA denique: quia inter errores Lulliſtarum memoratos in Directorio Inquiſitorum Eymerici pagina 261. vndecimus ita exprimitur. *Vndecimus error: quòd Dominus Papa Gregorius XI. qui doctrinam Raymundi Lullij in viginti eius voluminibus contentam, vt hæreticalem inducentis articulis Auinione in Conſiſtorio condemnauit, totamque generaliter vt ſuſpectam vehementer de hæreſi cunctis fidelibus interdixit; ſacrũ Collegiũ quod conſenſit, Cardin. Hoſtien. qui Comiſſarius in illa cauſa fuit; Magiſtri in Theologia vltra viginti,*

qui ad condemnationem prædictam conſilium præſtiterunt; iſti doctrinam iſtam non intellexerunt, decepti ſunt, & turpiter errauerunt. Vbi ſequaces Lullij palam fatentur, ipſius doctrinam fuiſſe à Romano Pontifice damnatam. Quamvis verò tot mihi pro Eymerici bona fide rationes occurrant, non propterea certò aut conſtanter pronuntiare audeo, Lullij doctrinam fuiſſe à Gregorio XI. damnatam: ſed id definiendum relinquo Sedi Apoſtolicæ: præſertim cùm multi Lullium, quaſi à Deo illuminatum & pijſsimum laudent.

10 ID Autem obſervandum eſt, Bernardum Lutzemburgenſem, & Prateolum ſuprà num. 5. allegatos, fuiſſe planè deceptos dum dixerunt, libellum de invocatione dæmonum, damnatum à Gregorio XI. fuiſſe ſcriptum à Raymundo Lullio. Manifeſtum enim eſt, auctorem eius impij libelli non fuiſſe Raymundum Lullium, ſed Raymundum de Tarraga, qui vixit circa tempus ipſius Gregorij XI. & anno M.CCCLXXII. octoginta circiter annis poſtquam doctrina Lullij apud plurimos eius ſequaces invaluerat. Erat verò alter Raymundus, id eſt, de Tarraga, non Maioricenſis, vt Lullius, ſed natione Hebræus, & converſus ad fidem Chriſti induit habitum religioſum: ſed non propterea mores mutavit: vt conſtat ex vnico volumine Regeſti anni primi Gregorij XI. pagina 225. à quo litteræ datæ ſunt ad Archiepiſcopum Tarraconenſem, & Nicolaum Eymericum Inquiſitorem in Regno Aragonum, vt inquirerent ac procederent contra illum, veluti quoſdam errores hæreticales docentem, ipſumque punirent. Deinde in ſecundo volumine Regeſti, anni ſecundi, pagina 191. habetur reſcriptum aliud eiuſdem Gregorij XI. incipiens, *Dudum ad audientiam*: in quo præcipit iam dictis Archiepiſcopo & Eymerico, vt omnes libros eiuſdem Raymundi de Tarraga ſibi faciant exhiberi ac comburi. Quinam verò ij errores ſint, idem Eymericus ſcriptis prodidit in Directorio parte 2. quæſtion. 10. numer. 3. De Raymundo autem Lullio, eiuſque articulis ſermonem ex profeſſo habet ibidem quæſt. 9. præcedenti pagina 255. & ſequent. vbi eos profert ordine ſuo, centum numero, quaſi omnium præcipuos: cumque alleget nominatim libros omnes Raymundi Lullij, ex quibus ij articuli decerpti ſunt, non meminit libri illius de invocatione dæmonum, adſcripti Raymundo de Tarraga, quem appellat alibi Neophytum, & ex Hebræo converſum. Patet itaque ex diſtantia temporis, ex diverſitate ſcriptorum, ex varietate cognominis, aliarumque omnium circunſtantiarum, duos fuiſſe Raymundos prorſus diverſos: ideoque Bernardum Lutzemburgenſem, & Prateolum, hallucinatos fuiſſe ex nominis ſimilitudine, vt vnum eundemque Raymundum facerent.

11 QVID QVID Autem ſit de condemnatione Raymundi Lullij, omnes ferè Theologi illum refellunt, & rationes quas ipſe demonſtrationes cenſuit, deſpiciunt omnino, veluti deliramenta quædam, aut ſomnia malè ſani capitis. Legenda ſunt aliqua eorum apud Ruiz diſputat. 3. ſection. 3. & diſput. 19. ſection. 7. & Vazquez vbi ſuprà.

12 SECVNDA Aliorum ſententia eſt, myſterium Trinitatis, ſuppoſitâ fide de illo, evidenter ratione naturali demonſtrari poſſe. Ita videtur docere Ricardus à Sanct. Victore libro 3. 4. 5. de Trinitate: vbi indicat, rationes quas proponit ad probandum hoc myſterium, eſſe pluſquam probabiles. Supponit quidem, præcedere debere fidem ad intelligentiam manifeſtam huius myſterij, iuxta illud Iſaiæ 7. *Niſi credideritis, non intelligetis.* Quòd diſertè monet libro 1. capite 1. & 3. Verùm fide ſuppoſita exiſtimat, neceſſarijs rationibus probari eandem veritatem. Ideoque cùm libro 4. propoſuiſſet multiplicem rationem, ait libro 5. capite 2. *Ne fortè alicui hæc ratio probabilis magis, quàm neceſſaria, videatur.* Et capite 8. inquit: *Manifeſta ratione probatur, immo multiplici demonſtratione conuincitur, quòd ſicut perfectio vnius perſonæ eſt cauſa alterius, ita perfectio geminæ eſt cauſa tertiæ in Trinitate perſonæ.* Ac præterea capite 11. *Vt ſuperiùs euidenter oſtendimus, multiplex ratio perſonarum pluralitatem conuincit.* Rurſus capite 13. ſequenti: *Ecce, quod conſtat luce clariùs, tres in tribus proprietatum diſtinctionibus inuenimus*, &c. Denique cùm cap. 15. tentaſſet probare vnicam ex tribus perſonis eſſe improductam, ſubdit: *Tam apertè ratio diſſoluit, vt diligens lector, quantumvis idiota, inde iam in aliquo dubitare non poſsit.*

12 EADEM Sententia tribuitur Hugoni Victorino Tomo III. Tractatu Eruditionis Didaſcalicæ, libro 7. ferè per totum, vbi contendit Trinitatis myſterium ex creaturis probari, præſertim ex anima rationali. Videtur autem ei ſubſcripſiſſe Henricus Gandavenſis Quodlibeto 8. quæſtion. 14. vbi ex profeſſo exponit ſententiam Hugonis. At revera contradicit: quoniam nullam rationem concludentem admittit, niſi ſuppoſitis, tum prin-

principijs fidei, tum etiam propoſitionibus quibuſdam cognitis ratione naturali: vt ex veriſque pariter eliciantur concluſiones Theologicæ. Quod ſanè eſt longè diverſum à ſententia Ricardi, & Hugonis, qui ſemel ſuppoſita fide aiunt, myſterium Trinitatis posse probari demonſtratione purè naturali. Theologica autem demonſtratio non eſt purè naturalis: cùm per ſe includat aliquam ſaltem præmiſſam fidei, quæ planè ſuperna ratio eſt. Melius itaque allegari poteſt pro ea ſententia Aureolus in 1. diſt. 9. parte 1. art. 4. §. 2. vbi ait, demonſtrativè probari generationem Verbi, eo quòd Deus verè & reipſa generaverit, ſi ſeipſum verè & reipſa intelexit. Atqui Deum verè ſeipſum intelligere, evidenti demonſtratione convincitur. Ergo & generatio Verbi ex mente Aureoli. Itaque opinio hæc ſolùm differt à præcedenti Raymundi Lullij, quòd ſupponat fidem in ijs, qui per naturalem demonſtrationem dicuntur, cognoſcere aut probare poſſe myſterium Trinitatis.

SECTIO SECVNDA.

Statuitur cum D. Anſelmo, impoſsibilem eſſe cognitionem demonſtratiuam myſterij Trinitatis ex puris naturalibus, ſine citra reuelationem Dei. Probatio ex ſacris litteris adiuncta communi interpretatione Patrum. Plures aliæ probationes in alia loca remiſſæ.

13 COMMVNIS Tamen & certa Theologorum ſententia eſt, myſterium Trinitatis nulla ratione naturali evidenti aut neceſſaria probari vel explicari poſſe: ſed dumtaxat haberi de illo cognitionem omnino certam per revelationem Dei, & lumen obſcurum fidei. Aſſertionem hanc luculenter tradit Anſelmus infrà capite 62. vbi loquens „ de hoc myſterio, inquit: * Videtur mihi huius tam ſublimis rei ſecretum tranſcendere omnem intellectus aciem humani & idcirco conatum explicandi qualiter hoc ſit, continendum puto. * Idem docet capite 63. immediatè ſequenti, & libro de Incarnatione Verbi capit. 6. in fine vbi cuilibet difficultatem magnam ſubeundi in credendo „ Trinitatis myſterio, inquit: * Sufferat „ paulìſper aliquid, quod intellectus eius penetrare non poſsit eſſe in Deo: nec comparet naturam, quæ ſuper omnia eſt liberata ab omni lege loci & temporis, & compoſitionis partium, rebus quæ loco ac tempore claudantur, aut partibus componuntur: ſed credat aliquid in illa eſſe, quod „ in iſtis eſſe nequit: & acquieſcat auctoritati Chriſti, nec diſputet contra illam.

14 COLLIGITVR Veritas eadem planè ex varijs Scripturæ teſtimonijs, præſertim adiuncta explanatione Patrum, quorum aliqua ſeligere oportet. PRIMVM habetur Matthæi 11. v. 27. illis verbis: *Nemo nouit Filium, niſi Pater: neque Patrem quis nouit, niſi Filius & cui voluerit Filius reuelare.* Cui conſonat quod legitur Lucæ 10. v. 22. *Nemo ſcit quis ſit Filius niſi Pater, & quis Pater, niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Vbi manifeſtè traditur neceſsitas revelationis divinæ ad ſciendum, ſive cognoſcendum, quis ſit Pater, & quis Filius: quo ignoto eſt impoſsibilis notitia myſterij Trinitatis. Quare eo Evangelij teſtimonio Patres Concilij Nicæni libro 2. propè ſub medium quàm ad finem, §. *Ne quæras* pagin. 389 editionis Pariſienſis Severini Binij, anni 1636. probant impoſsibilitatem penetrandi myſterium divinæ generationis. Verba „ ſunt: * Ne quæras quomodo, ô Philoſophe, „ alioquin, vt iam pluribus dictum eſt tibi, „ & ab initio teſtati ſumus, ſtudes te præcipitem agere, perſcrutari tentans quæ inſcrutabilia ſunt, &c. Ineffabilis & ingenitus eſt „ Pater: ineffabilis eſt ex eo ineffabiliter genitus Filius. Taceas ergo de illo: Quomodo: Et concedas hoc ei qui genuit, & genito. Pater enim ſolus agnoſcit Filium qui „ eſt, & Filius Patrem, & cui voluerit Filius „ revelare, vt ait ipſius Evangelium. Si autem „ non vis ceſſare illud, Quomodo, ſed contendis inſcrutabilia perſcrutari; ridemus „ tuam audaciam, magis autem deflemus „ te, quod non velis fide intelligere, &c. * Quæ eædem ferè interrogationes legũtur apud Baſilium in Oratione adverſus eos, qui calumniantur, quaſi tres Deos ſtatuamus. Præterea ad ſuadendam impoſsibilitatem penetrandi arcanum generationis divinæ, atque adeò & myſterij Trinitatis, vtuntur eodem Matthæi teſtimonio Clemens Romanus Epiſt. ad Iacobum fratrem Domini columna 10. Euſebius Cæſarienſis lib. IV. de Demonſtr. Evangel. cap. 3. & libro V. capite 1. Cyrillus Hieroſol. Catecheſi 6. column. 2. Baſilius libro I. contra Eunomium poſt medium, Epiphanius hæreſi 76. circa medium ad capita 7. Aetij, Hilarius libro II. de Trinitate propiùs ad medium, quàm ad principium. Phœbadius libro contra Arianos, qui habetur Tomo IV. Bibliothecæ Magnæ editionis M. DC. LXXVII. propiùs ad medium, quàm ad principium, Ambroſius libro I. de Fide capite quinto, Nazian-

zenus Oratione I. de Filio, Chryſoſtomus Tomo VI. Oratione I. de Incomprehenſibili, verbis illis: οἶδα ὅτι υἱὸν ἐγέννησε. τὸ δὲ πῶς, ἀγνοῶ, &c. *Noui quòd Filium genuit: quomodo autem ignoro. Noui quòd ex ipſo ſit Spiritus: quomodo verò ſit ex ipſo, neſcio. Cibis veſcor: & quomodo in pituitam, in ſanguinem, in humorem, in bilem vertantur, ignoro. Hæc ipſa, quæ quotidie manducantes cernimus, ignoramus: & Dei ſubſtantiam curiosè perſcrutamur.* Vide plura alia opportuna apud eruditiſsimum Petavium lib. V. de Trinitate c. 6. quibus plenè admonemur, myſterium Trinitatis, & ipſam Verbi generationem inacceſſam prorſus eſſe, atque indemonſtrabilem, etiam ſuppoſita fide, in qua ij omnes Patres excellebant; ſolaque fide credendam, & non curiosè perveſtigandam. Quare Bernardus Serm. de Trinitate aiebat: *Inquirere de Trinitate, peruerſa curioſitas eſt: credere & tenere, ſicut ſancta Eccleſia tenet, fides & ſecuritas eſt: videre autem eam, ſicuti eſt, perfecta & ſumma felicitas eſt.*

15 SECVNDVM Teſtimonium habetur Ioannis 1. v. 18. *Deum nemo vidit vnquam. Vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit.* TERTIVM Mathæi 16. v. 17. *Caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis eſt.* Quæ omnia, ad litteram, & iuxta Patrum expoſitionem, ſignificant diſtinctionem perſonarum divinarum, & vnitatem in ſubſtantia, eſſe prorſus inacceſſam lumini ac rationi naturali, ſolumque per Dei revelationem, ſeu lumine fidei, cognoſci poſſe. Ideo aiebat Cyprianus lib. de Cardinalibus Operibus Chriſti in Prologo circa medium: *Ad hanc rerum adeò profundarum indaginem, niſi incarnati Verbi magiſterium acceſſiſſet, humana defeciſſent ingenia: & neſcio ſi & aliqui auderent ad hæc tentanda conatus aſſurgere.* Ideoque Cyrillus Alexandrinus Tomo V. parte I. Dialogo de Trinitate, diſſerens de eodem myſterio invehitur contra illos, *qui ea, quæ ſupra mentis captum ſunt, miſerarum ratiunculariun inuentis temerè ac ſtultè examinare contendunt.* Dionyſius quoque cap. 1. de Divin. nomin. initio allegatus à D. Thom. 1. par. quæſt. 39. art. 2. aiebat: καθόλου τοιγαροῦν οὐ τολμητέον εἰπεῖν, &c. *nemini committendum eſſe vt dicat, ac vel cogitatione quidem tractet aliquid de ſuperſubſtantiali & arcana Deitate, præter illa, quæ diuinitus nobis è ſacris Scripturis revelata ſunt.* Id autem maximè locum habet in myſterio Trinitatis, quod inter omnia divina ſummè arcanum eſt: ideoque omni homini abſque Dei revelatione impervium. Quod ex profeſſo oſtendit Auguſtinus lib. de Trinitate primo cap. 1. dicens: *Non contendo explicare, quàm rectè intelligatur Trinitas, ſed quàm rectè credatur.* Et lib. de Spiritu & Anima cap. 22. inquit: *Ex his quæ cognoſcuntur à nobis, quædam ſunt infra rationem, vt ea quæ ſenſu percipimus: quædam autem ſecundùm rationem, vt ea quæ ratione percipimus: quædam denique ſuprà rationem, quæ nec ſenſus docet, nec ratio perſuadet, ſed aut diuina reuelatione comprehenduntur, aut diuinarum Scripturarum auctoritate creduntur: vt, Deum in vna ſubſtantia eſſe perſonaliter Trinum.* Vide Cyrillum Dialogo 2. de Trinitate. Porrò ea teſtimonia Scripturæ non ab hominibus modò, ſed etiam ab Angelis excludunt evidentem cognitionem naturalem myſterij Trinitatis, & generationis Verbi, cùm aſſerant id Deo, veluti proprium. Ideoque aiebat Irenæus lib. ſecundo cap. 48. id myſterium eſſe adeò ignotum, vt illud non ſciant, * „ neque Angeli, neque Archangeli, neque „ Principatus, neque Poteſtates: niſi ſolus, qui „ generavit, Pater, & qui natus eſt Filius. Inen„ narrabilis itaque generatio eius cùm ſit, „ quicumque nituntur generationes & proli„ tiones ennarrare, non ſunt compotes ſui, ea „ quæ inennarrabilia ſunt ennarrare promit„ tentes. * Similiter Nazianzenus loquens de generatione Verbi Orat. 35. quæ eſt 3. de Theo„ logia, ait: * Quomodo genitus ſit, ne ipſis „ quidem Angelis, nedum tibi intelligere con„ ceſſerim. Vis declarem quomodo? vt ſcit Pa„ ter, qui progenuit, & Filius, qui progenitus eſt. Hilarius quoque lib. 2. de Trinitate inquit: „ Ego neſcio, non requiro, & conſolabor me „ tamen. Archangeli neſciunt, Angeli non an„ dierunt, ſæcula non tenẽt, Propheta non ſen„ ſit, Apoſtolus non interrogavit, Filius ipſe „ non edidit. * Denique Cyrillus Alexandrin. lib. 2. Dialogorum de Trinit. longè poſt me„ dium vniversè, ait: * Divinæ generationis „ modus omni mente ſuperior exiſtimatur. * Vide tamen infrà Diſp. LVI. n. 15. & 16.

16 DENIQVE Suaderi poteſt ijs teſtimonijs Scripturæ, & Patrum, quibus oſtẽſum fuit Tomo præced. Diſp. VIII. ſect. 1. impoſsibilem eſſe naturæ creatæ per proprias vires cognitionem evidentem myſteriorum fidei, ſeu obiectorum intrinſecè ſupernaturalium, adhuc abſtractivam. quod poſtremum ex inſtituto probavimus ibidem Diſp. IX. Similiter rationes vtroque eo loco à nobis propoſitæ, vrgent potiſsimùm ne myſterium Trinitatis, quod eſt ſupremum omnium, & ſummè arcanum, viribus naturæ demonſtretur.

(2.)

SE-

SECTIO TERTIA.

Ratio D. Thomæ in idem probandum, conſentanea doctrinæ S. Anſelmi, expenditur multipliciter. Illationes obſeruatu dignæ.

17 RATIO Aſſerti præcipua, & conformis Anſelmo infrà cap. 62. proponitur à D. Tho. 1. p. q. 32. art. 1. ſuppoſito priùs, omnem cognitionem Dei ac rerum diuinarum, quam habere poſſumus in via, ſolùm poſſe hauriri ex effectis ipſius. Neque enim Dei exiſtentiam poſſumus à priori probare, vt evidens eſt, & in ſuperiori Tomo oſtenſum Diſp. XII. neque illum videmus vt in ſe eſt, ſive per propriam ſpeciem. Quare ſupereſt, vt ſiqua Dei cognitio evidens abſtractiva & neceſſaria de Deo habenda ſit, illa à poſteriori ſolùm, & ex effectis habeatur. Hoc ſuppoſito, ratio D. Thomæ in id probandum, poteſt ſub hac differendi formula proponi. Omnis cognitio demonſtrativa cuiuslibet principij ex effectibus, debet oriri ex penetratione connexionis illorum cum eodem principio, ſive cauſa. Sic effectus procedens ab artifice, v. g. domus, poteſt manifeſtare artem à qua per ſe procedit, & cum qua neceſſariam connexionem habet: non tamen poteſt manuducere intellectum in cognitionem evidẽtem artificis quoad aliqua accidentia inconnexa: vt quòd ſit albus vel rubeus, procerus ſaturâ aut puſillus: quoniam ea nullam per ſe cum effectu connexionem habent, quamvis reipſa & comitanter extiterint in artifice dum domum conſtrueret. Atqui nullus effectus creatus, quatenus talis, connectitur per ſe cum Deo vt trino in perſonis, ſed tantùm vt vno. Ergo ex nullius creati effectûs, quatenus talis, penetratione, poteſt intellectus cognoſcere demonſtrativè Deum, vt trinum in perſonis. Aſſumptio, ſive minor propoſitio, in qua ſola poteſt eſſe diſſidium, probatur: Quoniam omnes creaturæ, quatenus effectus Dei, procedunt ab ipſo ſecundùm omnipotentiam, & artem, quæ duæ cõmunes ſunt tribus perſonis, & pertinent ad Deum vnum: non autem procedunt ab illo ſecundùm proprietates relativas, quibus perſonæ invicem diſtinguuntur & referuntur. Nullus ergo effectus creatus connectitur per ſe cum Deo, vt trino in perſonis. Quæ ratio æquè locum habet in quolibet ſupernaturali effectu, quatenus talis. nam & quilibet eiuſmodi procedit à Deo ſolùm vt dirigente per intellectum, & exequẽte per omnipotentiam. quod non ſpectat ad Deũ vt trinum, ſed prout vnum. Ideoque Concilium Lateranenſe, prout habetur in capite Firmiter de ſumma Trinitate & Fide Catholica, declarat, vnum ſolum eſſe verum Deum, qui ſit *Vnum Vniuerſorum principium*: quoniam, nimirum, ſcientia & potentia, per quam molitur & operatur quælibet effecta, ſive naturalia, ſive ſupernaturalia, eſt vnica in tribus perſonis.

18 HÆC Ipſa ferè ratio multò antè indicata fuerat à priſcis Patribus: ac primùm quidem à Dionyſio cap. 7. de Divin. nomin. multò propiùs ad medium, quàm ad finem, „ dicente: * Verè fortaſis dicetur, Dei nos ha- „ bere notitiam, nõ ex ipſius naturæ (eſt enim „ incognita, omnemque rationem & mentem „ ſuperat) ſed ex rerum omnium deſcriptione, „ vt quæ ab eo prolata ſit in lucem, & imagi- „ nes quaſdam ſimilitudineſque divinorum „ eius exemplarium in ſe cõtineat ad id, quod „ omnia ſuperat, via & ordine pro virili par- „ te, omnium detractione & præſtantia, om- „ niumque cauſa aſcendimus. * Itaque ex mẽte Dionyſij non poſſumus in Dei notitiam immediatam venire, niſi ex ipſius effectis, quatenus imaginem quandam, vel ſimilitudinem referunt eius ſummæ cauſæ: quam quidem non exhibet creatura aliqua relatè ad Deum trinum; ſed vnum. Nazianzenus quoque Orat. 36. quæ eſt quarta de Theologia, explanaturus myſterium Trinitatis, viam parat præmittendo eandem doctrinam. Ait enim circa medium eiuſ- „ dem Orationis: * Verum ipſum ex ijs, quæ „ circa ipſum ſunt, adumbrantes, obſcurâ quã- „ dam & imbecillam, atque aliam ex alio ſpe- „ cie colligimus. Ac præſtantiſsimus hic „ apud nos Theologus cenſetur, non qui to- „ tum, quod Deus ſit, invenerit: ſed qui am- „ pliorem ipſius ſpeciem conceperit, ampliuſ- „ que veritatis ſimulachrum, vel adumbratio- „ nem, vel quocumque tandem alio vocabulo „ vti quis malit, in ſeipſo collegerit. * Nimirum, eo dumtaxat modo cognoſci poteſt à nobis Deus, etiam ſecundùm ea, quæ ad ipſius vnitatem ſpectant, & longè minùs arcana ſunt. Quarè longè magis impares ſumus ad eũ cognoſcendum, prout eſt trinus in perſonis: cùm nulla ſit res creata, quæ nobis eius ſimulachrũ vel ſimilitudinem referat, ſecundùm Trinitatem perſonarum.

19 ILLVSTRATVR Ratio eadem ampliùs ex Dionyſio vbi ſuprà, & alibi ſæpe docente, nos tripliciter venire in cognitionem Dei. Primo modo, *per detractionem*, ſeu ablationem imperfectionum, quas in creaturis cernimus. Hoc ſenſu Deum cenſemus infinitum, incomprehenſum, immortalem, &c. Secundo per ſupereminentiam perfectionum, ſeu conditionum perfectarum: de quo ille differit libro allegato cap. 13. Tertio modo ipſum cognoſcimus, veluti cauſam ſummam, ex effectibus. Nullo autem ex his modis poſſumus habere cog-

cognitionem evidentem abſtractivam myſterij Trinitatis. Non primo modo: quia permiſſo aut conceſſo, fore imperfectionem in Deo non eſſe trinum, adhuc tamen naturalis ratio non poteſt certò deprehendere, eam fore imperfectionem. Non ſecundo: Quòd enim Deus ſupereminenter contineat perfectiones, quæ ſunt in creaturis, ſolùm infert, perfectiones vitæ, ſapientiæ, iuſtitiæ, &c. quæ verè ſunt in nobis, eſſe modo ſupereminenti in Deo: non autem triplicem perſonam diſtinctam vnicâ naturâ conſtantem, quod neque imperfectè in nobis eſt. Non denique tertio modo: quia nullus effectus creatus habet connexionem neceſſariam cum Trinitate perſonarum, ideoque nequit manuducere in evidentem ipſius cognitionem: vt probat ratio D. Thomæ ſuprà propoſita.

20 CONFIRMAT S. Doctor eandem doctrinam Q. 10 de Veritate art. 13. corpore: Quia illa tantùm actio poteſt ab agente progredi, ad quam ſe poſſunt extendere illius inſtrumenta: vt patet exemplo in arte agriculturæ, quæ nequit ſe porrigere ad ædificandum, quoniam eius inſtrumenta non ſunt proportionata ad tale munus. Prima autem principia (vt inquit Commentator 3. de Anima) ſunt in nobis veluti inſtrumenta intellectûs agentis, cuius lumine viget in nobis naturalis ratio. Ergo lumen rationis naturalis non poteſt extendi ad cognitionem eius obiecti, quod eſt extra aut ſupra metas principiorum naturalium. Huiuſmodi autem eſt myſterium Trinitatis. Quod ſuadetur conſiderando principia illa, *Quæ ſunt eadem vni tertio* &c. ac præterea, *Extremitas quæ prædicatur de medio bene diſtributo, prædicatur etiam de alia extremitate*. Etenim, quantum eſt ex vi illorum, exiſtimaret ratio naturalis impoſsibilem eſſe idẽtitatem trium perſonarum cum vno tertio, & diſtinctionem realem inter ſe, niſi corrigeretur per fidem, quæ monet, Deum eſſe ſupra omnem naturalem rationem, eiuſque teſtimonio potiùs aſſentiendum eſſe, quàm quibuslibet principijs, ſive effatis Philoſophorum, qui ſolas res creatas, ſive ad naturæ ordinem ſpectantes agnoverunt. Ergo naturalis ratio ex ijs principijs non poteſt extendi ad cognoſcendum myſterium Trinitatis. Deinde omnia alia principia, præter prima, collecta ſunt per inductionem, habentque proinde originem à notitia experimentali ſenſuum: vt tradit Ariſtoteles lib. 2. Poſterior comm. vlt. Patet verò, naturale rationis acumen nõ poſſe ex notitia aliqua per ſenſus habita manuduci in cognitionem vnius naturæ veram identitatem habentis cum triplici perſona reipſa diſtincta: cùm nullum exemplum, nulla ſimilitudo idonea tanti myſterij percipiatur ſenſu aliquo. Nullo igitur modo naturalis ratio in evidentem Trinitatis cognitionem venire poteſt.

21 DICES I. Quòd tres perſonæ non concurrant ad effecta creata, niſi per modum vnius principij, nullatenus obſtat, vt per illa evidenter cognoſcantur. Nam etiam Pater & Filius concurrunt per modum vnius principij ad producendum Spiritum ſanctum. Et tamen qui cognoſceret evidenter virtutem productricem Spiritus ſancti, pariter cognoſceret Patrem & Filium.

22 SED Contrà. Virtus enim productiva Spiritûs ſancti non eſt abſoluta & communis, ſed notionalis & propria duorum, ac per ſe cum ijs connexa. Procedit enim Spiritus ſanctus per ſe à Patre & Filio, quatenus ſe invicem diligentibus perfecto amore amicitiæ, qui neceſſariò exigit pluralitatem perſonarum amantium. Vnde repugnat evidens aut certa cognitio virtutis ſpirandi tertiam in Trinitate perſonam, ſine cognitione evidenti aut certa primæ & ſecundæ perſonæ. Creaturæ autem omnes procedunt à Deo ſecundùm artem & omnipotentiam, quæ eſt abſoluta & communis tribus perſonis. Vnde ſolùm manuducunt in evidentem cognitionem artis & omnipotentiæ divinæ, non autem trium perſonarum. Nullus quippe effectus, quatenus talis, poteſt ducere, niſi in cognitionem cauſæ, quatenus per ſe exercentis cauſalitatem in illum.

23 INSTABIS. Etiam Verbum & Spiritus ſanctus, ſicut Pater, ſunt perſonæ per ſe requiſitæ ad productionem creaturarũ. Quod non ſolùm docent multi ex Theologis, ſed etiam ex Interpretibus Scripturæ ad illud Pſalmi 32. v. 6. *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum*. Ergo quemadmodum virtus, qua Deus producit creaturas, evidenter abſtractivè innoteſcit per earum cognitionem: ita etiam perſona Verbi, & Spiritûs ſancti concurrentium cum Patre.

24 SED Contrà. Dato enim quòd perſona Verbi & Spiritus ſancti per ſe exigatur, perfeitate (vt ita loquamur) cauſæ, ad productionem creaturarum, de quo ſuo loco diſſereretur; non tamen perfeitate effectuum, ſaltem prout à nobis cognoſcibilium. Nulla quippe ratio in ijs apparet, quæ intellectum manuducat in cognitionem Verbi & Spiritus ſancti, prout ſunt perſonæ invicem diſtinctæ: ſed ſolùm ſapientiæ & volitionis divinæ, à quibus omnes creaturæ per ſe & neceſſariò pendent. Evidens enim eſt, nihil fieri à Deo, niſi ſciente ac volente. An verò intra Deum ſit ſcientia & volitio notionales, ſeu habentes vim producẽdi perſonam à Patre diſtinctam, eſt res ſummè arcana, & ſupra omnem naturalem rationem,

DI-

25 DICES II. Iuxta opinionem eorum, qui negant in Deo communem & abſolutam ſubſiſtentiam, ſolumque admittunt tres relativas, & aiunt, Deitatem ſecundùm rationem abſolutam, vt principium *quo* dumtaxat, non *quod* ſe habere; neceſſum eſt vt creaturæ exigant per ſe procedere, non ſolùm à natura divina, ſed etiam à tribus perſonis. Quippe exigunt per ſe procedere non ſolùm à principio *quo* creante, ſed etiam à principio *quod*: cùm ab vtroque per ſe dependeant. Ergo ex perfecta cognitione creaturarum poterit evidens notitia trium perſonarum haberi: ſicut ex perfecta cognitione cuiuslibet effectûs haberi poteſt evidens notitia cauſæ.

26 SED Contrà. Adhuc ſuppoſita aut permiſſa ea opinione, certum exploratumque eſſe debet, in divinis dari veras & reales operationes, ſive actus habētes ſufficiens principium *quod* independenter à tribus perſonis. Verè enim dicitur deſignando peculiarem perſonam: *Hic Deus intelligit & amat: Pater generat Pater & Filius ſpirant*. Quæ duo poſtrema non conveniunt tribus perſonis, quamvis in ea opinione natura ſeorſim à perſonis non ſit principium *quod*. Præterea, adhuc illâ ſuppoſitâ, eius auctores negare nequeūt, vnamquamque ex perſonis divinis habere tantam, immo eandem virtutem ad creandum, ac tres ſimul. Quare quælibet illarum conſtituit principium *quod* ſufficiens ad creandum per ſe loquendo: quamvis comitanter & in re tres perſonæ conſtituant vnicum principium adæquatum creationis. Vnde ad obiectionem dico, permiſſa aut ſuppoſita ea opinione neceſſum eſſe, vt creaturæ exigant procedere, non ſolùm à natura divina, ſed etiam à Deo, vt principio *quod* operante, quatenus per ſe exacto ad creationem illarum, & non ampliùs. Cùm verò ad id muneris ſolùm exigatur per ſe quòd ſuppoſitum divinum operetur, ſive illud in re ſit vnicum, ſive triplex; conſequens eſt vt creaturę non manifeſtent niſi ſuppoſitum divinū operans, & abſtrahendo ab eo an ſit vnicum, vel triplex. Sic quamvis aliquis effectus manifeſtet originem ſuam à Petro, v.g. quatenus vidente, aut audiente, non propterea manifeſtat ſe proceſsiſſe ab illo vidente duobus oculis, aut duabus auribus audiente potiùs quàm vnâ tantùm: cùm ad præſtandum talem effectum per ſe ſufficiat vnico oculo & aure videre & audire, quamvis de facto & in re vſus ad id fuerit duplici oculo, vel aure.

27 INFERTVR I. Idem omnino dicendum eſſe, quamvis cognitio effectuum à Deo procedentium, quatenus talium, ſit comprehenſiva illorum, vt in Angelo. Nam effectus, adhuc vt comprehenſus, nequit manifeſtare cauſam, niſi quatenus ab ipſo exactam, & per ſe cum eo connexam. Probatum eſt autem, Trinitatem perſonarum non eſſe cauſam ab aliquo effectu creato exactam, aut per ſe cum eo connexam: quoniam hoc ſolùm ſpectat ad artem & omnipotentiam divinam pro priori ad relationes conſtitutivas perſonarum, ſeu independenter ab eo vt Deus exiſtat in vnica perſona, aut in pluribus. Ergo neque ex comprehenſione effectuum à Deo procedentium, quatenus talium, haberi poteſt naturaliter evidens cognitio myſterij Trinitatis. DEINDE. Effectus, etiam vt comprehenſus, non manifeſtat evidenter rationi naturali cauſam illam, quâ non exiſtente, aut per impoſsibile ablatâ, adhuc ille intelligeretur exiſtens. Atqui non exiſtente Trinitate perſonarum, ſive per impoſsibile ablatâ, adhuc quilibet effectus, vt talis, intelligeretur exiſtens. Ergo etiam vt comprehenſus non manifeſtat evidenter rationi naturali Trinitatē perſonarum. Vnde patet quàm meritò Patres allegati ſuprà num. 15. docuerint, etiam Angelis id myſterium arcanum & prorſus reconditum eſſe.

28 INFERTVR II. Etiam ſuppoſita fide veram eſſe doctrinam traditam. Nam revelatio, ſeu doctrina fidei, non præſtat creaturis efficienter cauſatis dependentiam à Deo, ſed illam ſupponit, tanquam obiectum revelabile. Si ergo creaturæ pro priori ad fidem, ſive revelationem, non exigunt per ſe Trinitatem perſonarum, nec cum ea connectuntur, non poteſt ex illis haberi evidens Trinitatis notitia. Quippe ex effectibus haberi nequit evidens cauſæ cognitio, niſi propter neceſſariam & evidentem eorum connexionem cum cauſa. DEINDE. Suppoſita fide, ſeu revelatione myſterij Trinitatis, aut intellectus procedit ad probandam eius exiſtentiam ex principijs revelatis, & lumine ſupernaturali notis; aut ex ſolis ijs principijs, quæ viribus naturæ cognoſcuntur. Si primum dicatur; demonſtratio eiuſmodi non eſt naturalis, ſive elicita ſolis naturæ viribus, de quâ ſola procedit quæſtio. Itaque ſolùm erit demonſtratio Theologica per ſe procedens ex principio aliquo ſupernaturali: de qua non diſputamus. Si autem alteratur primum; eſt planè impoſsibile, vt demonſtratio aliqua fiat: quoniam omnia principia, quæ poſſunt ab intellectu creato cognoſci ſolis naturæ viribus, tam poſt revelationem ipſorum, quàm ante illam, carent connexione cum Deo vt trino. Neque enim revelatio mutat illorum naturam, ſed relinquit qualem invenit. Quemadmodum ergo ob defectum connexionis cū Trinitate nequeunt naturalia principia ante revelationem perducere intellectum creatum in evidentem eius notitiam, ita etiam nec ſuppoſita revelatione.

IN-

29 INFERTVR III. Eandem omnino rationem eſſe de myſterio Trinitatis quoad poſsibilitatem, & quoad ſui exiſtentiã. Si enim poſsit demõſtrari Trinitas vt poſsibilis, etiam demonſtraretur vt exiſtens: quoniam lumine naturæ demonſtratur, Deum eſſe actum purũ: atque adeò non eſſe in potentia vt habeat perfectionem aut entitatem aliquam: ſed neceſſariò eſſe & habere quidquid eſt & habet quoad intrinſeca. Quare trium eſt illud Ariſtotelis effatum: *In æternis & diuinis idem eſt eſſe & poſſe.* Cùm igitur nulla demonſtratione naturæ viribus elicita probari poſsit exiſtentia Trinitatis, ſic etiam nec poſsibilitas.

SECTIO QVARTA.

Quibus argumentis niti poſsit opinio aſſerentium, poſſe per vires nudas rationis naturalis demonſtrari myſterium Trinitatis, & eorum ſolutio.

30 ARGVMENTA Raymundi Luſlij pro ſua illa exiſtimatione, adeò exilia aut levia ſunt, vt mirer, duos præſtantes Theologos, Vaſquium vbi ſuprà, & Ruizium diſp. 3. ſect. 3. per totam, ac poſtea diſp. 19. ſect. 7. illa ſibi obieciſſe & extricaſſe, quæ potiùs deſpectu, quàm ſolutione digna erant. Quare ad alias obiectiones accedamus, quæ aliquam veritatis ſpeciem præſeferunt.

31 *OPPONES I.* Teſtimonium Apoſtoli ad Romanos 1. v. 20. dicentis: *Inuiſibilia enim ipſius (Dei) à creatura huius mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque eius virtus, & Diuinitas: ita vt ſint inexcuſabiles.* Vbi Gloſſa vult ſermonem eſſe de tribus perſonis diuinis: quaſi *ea inuiſibilia Dei*, referatur ad Patrem: *ſempiterna virtus*, ad Filium: & denique *diuinitas* ad Spiritum ſanctum. Indidem verò videtur colligi, ex effectis ipſis Dei, intelligi Trinitatem inviſibilem, idque adeò clarè, vt quicumque non colligunt exinde Trinitatem, ſint inexcuſabiles: veluti ignorantes id, quod poſſent ac deberẽt cognoſcere, ſive ſcire.

32 *CONFIRMATVR.* Athanaſius enim eam interpretationem longè antea videtur tradidiſſe. Etenim in Diſputatione contra Arium habita in Concilio Nicæno col. 5. docet, Philoſophos Ethnicos fuiſſe inexcuſabiles, quoniam non cognoverunt Verbum Dei increatum, cùm poſſent & deberent illud colligere ex effectis Dei, quæ in hoc mundo cernuntur, iuxta Pauli teſtimoniũ. Verba Athanaſij ſunt: *Adſit nobis ille celeberrimus Paulus, & veritati teſtimonium perhibebit. Inuiſibilia enim eius, inquit ex creatione mundi, operibuſque, intellecta perſpiciuntur, & æterna eius poteſtas, & deitas: quo fit, vt illi ſint inexcuſabiles, quòd vbi cognoviſſent Deum, non vt Deum honoraverunt, & gratias egerunt.* Cui argumento cùm reſpondiſſet Arius, Apoſtolum ibidem ſolùm loqui de Deo Patre; ſubiunxit Athanaſius: *Nonne beatus Paulus accuſſat eos, qui in corpore, apparente Deo, Dei Filio, non agnoverunt æternam eius Deitatem, omnia gubernantem? Ex magnitudine enim & pulchritudine rerum conditarum congruenter oportet artificem æſtimari, & gratias illi haberi. Certum autem eſt, omnia creata per Verbum ſuam naturam accepiſſe, & ſine eo factũ eſſe nihil.* Inſuper Orat. 2. contra Arianos multò propiùs ad principium, quàm ad medium, eodem argumento eos laceſsit, dicens: *Iure Paulus incuſat Græcos, quòd congruentiam inter ſe partium, ordinẽque rerum naturæ contemplantes, nihil cogitaverint de naturæ Ratione, ſiue Verbo. Res enim conditæ Conditorem oſtendunt, vt per eum Verum Deum intelligant. Additumque eſt ab eodem Paulo: Æterna quoque eius potentia, & Diuinitas, vt Filium ſignificaret.* Idem ferè habet Orat. 3. adverſus eoſdem Arianos, & inſuper Oratione contra idola poſt medium. Quin & Presbyteri Alexandrini in Epiſtola ad Alexandrum (quæ habetur inter Opera Athanaſij de Synodis Arimini & Seleuciæ) propterea, inter alia, accuſant Aſterium Arianum, quòd negaret, legitimam eſſe illationem Athanaſij ex verbis illis Apoſtoli. Poterant igitur Gentiles Philoſophi, poſſumus & nos, ex rebus aſpectabilibus huius mundi, atque adeò rationis naturalis lumine, colligere exiſtentiam Verbi divini, & Vnigeniti à Patre, in quo ſanè iam percipitur aliquid propriè ſpectans ad myſterium Trinitatis.

33 *RESP.* Imprimis, teſtimonium illud Apoſtoli communiter à Patribus & Interpretibus alijs nõ accipi de cognitione Trinitatis, ſed vnius Dei, quem Philoſophi, immo & omnes homines ratione vtentes, ex rerum viſibilium pulchritudine cognoſcere & adorare debuerunt: vt propterea nullam excuſationem obtendere poſsint, nec allegare ignorationem aliquam invincibilem, quæ eſſe nequit circa veritatem adeò manifeſtam. Quod ex profeſſo, & iuxta doctrinam Patrum communem, variiſque Scripturæ teſtimonijs cohærẽtem, probavimus Tomo I. Diſp. V. præſertim ſect. I. per totam. Quod autem Gloſſa ait locum illum Pauli accipi nominatim de perſonis Trinitatis, intelligunt antiquiores Scholaſtici ſolummodo ſecundùm appropriata perſo-

ſonis:quæ nihil notionale exprimunt, ſed dũtaxat perfectiones Dei abſolutas & eſſentiales. Vnde & ſubdunt, à Philoſophis non potuiſſe cognoſci Trinitatem ſola ratione naturali:ſed ſiquam habuerunt, illam fuiſſe hauſtam è divinis litteris,vel traditione à fidelibus accepta,vel per ſpecialem illuſtrationem Dei. Ita D.Thom.1.p.q.32.art. 1. corpore, & ad 1. & 2.& de Potentia q.9.art.5.& de Veritate q.10 art.13.poſt Magiſtrum in 1.diſt.3.cap. *Nunc reſtat*,in fine : quem ſequuntur eò loco multi ex Scholaſticis,præſertim Scotus, Durandus, Argentina,Marſilius,& Carthuſianus.

34 *AD* Confirmationem fateor, Athanaſium in ea ſententia fuiſſe,quòd Philoſophi illi,de quibus Paulus loquitur,potuerint ac debuerint cognoſcere æternum Patrem, & ipſius Verbum,ex contemplatione rerum creatarum.Cæterum in ipſa doctrina & collectione Athanaſij,præſertim laceſſentis Arianos,ſub intelligitur,veluti tacitè contentum, ſupernaturale auxilium gratiæ excitantis , quod etiam Gentilibus offert Deus ſuis temporibus,vt myſteria ſupernaturalia cognoſcant. quo ſi bene vtantur, addit ijs vlteriora auxilia , donec tandem ad iuſtificationem & ſalutem perveniant. Vnde nunquam probatur,Philoſophos ex mẽte Athanaſij,aut aliorum ex Patribus differentibus contra Arianos, potuiſſe cognitione purè naturali devenire ad notitiam æterni Patris ac Verbi.Quod autem eiuſmodi cognitio ſit proprius effectus gratiæ,ſive illuſtrationis divinæ, patet ex ipſo Athanaſio Orat.1 contra Arianos prope initium aiente : *Gratiæ eius in nos collatæ,magnæ abſdubiò ſunt,& ſupra hominẽ, & quod tranſcendit ſua excellentia omnia chariſmata Patris,illa ipſiuſmet Verbi cognitio & donatio Sancti ſpiritus.* Vbi cum fateatur cognitionem Verbi eſſe donum præſtãtiſsimum, & maximè ſuprà hominem, planè illam recenſet inter beneficia Dei ſupernaturalia.Deinde, idem Athanaſius alijs locis initium fidei tribuit ſupernaturali gratiæ auxilio, dum ipſi adſcribit initium iuſtificationis. Patet verò, inter ea omnia , quibus initiamur ad fidem , plurimum momenti afferre notitiam Patris & Verbi.Hæc igitur ex mente Athanaſij à Philoſophis Gentilibus, quos Paulus reprehendit,ſine ſupernaturali auxilio haberi nõ potuit. Nunquam ergo probatur, potuiſſe illos ſolis naturæ viribus pervenire ad notitiã Trinitatis, nec reipſa, nec ex mente Athanaſij , ex pura creaturarum contemplatione.

35 *OPPONES II.* Lumine naturæ conſtat, Deum eſſe ſummum & infinitum bonum:idque palam demonſtravit Anſelmus ſuprà cap. 1. De ratione autem boni eſt , vt ſit diffuſivum, ſeu communicativum ſui:ac proinde de ratione ſummi & infiniti boni eſt vt ſit ſummè & infinitè diffuſivum,ſeu communicativum ſui.Ergo etiam lumine naturæ conſtat,Deum eſſe ſummè atque infinitè communicativum ſui. Sola autem communicatio ad intra,qualis invenitur in Trinitate, eſt ſumma & infinita : omniſque alia erga creaturas eſt prorſus finita. Ergo lumine naturæ conſtat,ſeu demonſtrari poteſt , illa communicatio ad intra,quæ propriè invenitur in Trinitate. Quòd ſi verò dicas,ſolùm demonſtrari poſſe bonitatem infinitè communicativam ſui in actu primo;cõtrà eſt:quoniam,vt nos ipſi ſuprà *n.29.* arguebamus,in æternis & neceſſarijs idem eſt eſſe & poſſe. Quare cùm neceſſariò Deus ſit ſummè communicativus ſui ad intra, perinde eſt poſſe communicari infinitè,ac de facto cõmunicari. Deinde vbi potentia ad aliquem actum eſt demonſtrabilis , demonſtrari etiam poteſt actus ipſe, ſaltem vt poſsibilis. Omne autem quod eſt poſsibile ſpectans ad perfectionem entitatemve intrinſecam Dei , pariter eſt ipſi neceſſariũ,cùm ſit actus purus , & ſummè immutabilis.Ergo actus infinitæ communicationis Dei ad intra demonſtrabilis eſt.

36 *RESP.* Eodem lumine naturæ, quo conſtat,Deum eſſe infinitum bonum , demonſtrari communicabilitatem eius infinitã; non quidem quoad entitatem, ſive per productionem alicuius termini ſibi conſubſtantialis ; ſed quoad modum dumtaxat , qualiter fit per creationem(vt dictum fuit ſuprà in Commentarijs ad cap.7. & Diſp.XVI.) & infinitis etiam modis communicationum, penes genera aut ſpecies ſyncathegorematicè infinitas. Nec potentia Dei habens vim communicandi ipſum infinitè quoad entitatem,ſive conſubſtantialiter,adhuc in actu primo conſiderata,innoteſcit ſola naturali ratione : quin potiùs ſi hac ſola duceremur,appareret prorſus impoſsibile quòd in Deo ſit potentia generandi terminum ab ipſa indiſtinctum,vel conſubſtantialẽ principio generanti. Vnde nec actus eiuſdem potentiæ innoteſcit , niſi per fidem. Nec eſt parratio de bonis finitis,quæ poſſunt ſe communicare, non ſolùm quoad modum , ſed etiam quoad entitatem , producendo aliquid ſibi ſimile intra eandem ſpeciem. Hoc enim innoteſcit nobis, quoniam principia naturalia in id manuducunt , vt quodlibet agens agat ſibi ſimile,& in illud derivet ſuam ſpeciem, per diviſionem naturæ in plura individua. Nullum autem principium naturale manuducit nos in cognitionem illius ſummæ & divinæ communicationis quoad entitatem , in qua eadem numero eſt natura producentis & producti, in diſtinctorum à tertio, & diſtinctorum inter ſe. Quin potiùs ſi principijs naturalibus inſiſtendum

dum eſſet, alia omnia exiſtimaremus. Ergo infinita illa communicatio ad intra quoad entitatem, ex nullo principio naturali innoteſcit. Quare nec generatio Verbi, nec proceſsio Spiritus ſancti, cognoſci poteſt naturali ratione, ſed ſola fide, quæ principia naturalia in ſpeciē contraria opportunè exponit aut moderatur, in obſequium teſtimonij divini.

37 *OPPONES III.* Eadem eſt ratio vt poſsit ex effectis demonſtrari Deus vt vnus, ac vt trinus. Ergo ſicuti ſub priori conſideratione demonſtratur viribus naturæ, ita etiá ſub poſteriori demonſtrari poteſt. Aſſumptio ſuadetur tripliciter. *Primò*: quia Deus vt vnus non minùs ſublimis, & ſupra totam naturam creatam eſt, quàm vt trinus, quoad ſuam entitatem: atque adeò etiam quoad ſuam cognoſcibilitatem, quæ in illa fundatur. Ergo par ratio eſt vt naturali rationis lumine demonſtretur ſub vtraque conſideratione, ac ſub neutra. *Secundò.* Effectus omnes creati dependent à Deo, in ſeipſo, ſive prout verè eſt; ac proinde connexionem cum eo habent, prout reipſa exiſtente. Atqui Deus reipſa trinus, & nō ſolùm vnus eſt. Ergo omnes effectus creati æquè connexionem habent cum Deo trino, ac vno. Vnde & conſequens eſt, vt pariter manuducant in evidentem cognitionem illius ſub vtraque conſideratione. *Tertio.* Non ſolùm vnitas Dei, ſed etiam Trinitas, eſt rationi naturali conformis. Creditur enim, videtur, & amatur per actus fidei, viſionis, & charitatis, conformes rationi naturali. Ergo tam Trinitas, quàm vnitas Dei, eſt demonſtrabilis ratione naturali.

38 *RESP.* Negando antecedens. *AD I.* Deus vt vnus in ſe & quoad entitatem eſt quidem aliquid ſupernaturale, non minùs quàm vt trinus atque adeò vt in ſeipſo eſt, ſeu quidditativè, attingi nequit vtravis conſideratione per ſolas naturæ vires. Cæterum Deus vt vnus, quatenus cognoſcibilis ex effectis, & à poſteriori, nullam ſupernaturalitatem exprimit, ſed potiùs formalem connexionem effectuum naturalium cum illo. Vt trinus autem non modò in ſeipſo eſt ens ſupernaturale, ſed etiam exprimit exceſſum ſupra omnia principia naturalia, & nullam connexionem effectuū naturalium cum ipſo permittit. Poteſt itaque à poſteriori demonſtrari prout vnus eſt; non autem quatenus trinus. *AD II* Effectus omnes naturales dependent à Deo prout eſt in ſeipſo, non omnino abſolutè, ſive ad intra, ſed quatenus exprimit munus principij & cauſæ rerum aliarum, quæ intra naturæ metas continentur. Vnde naturalia effecta ſolùm habent connexionem cum illo ſub hac poſteriori conſideratione, & poſſunt in eius cognitionem manuducere. Nullam autem connexionem exprimit Deus, vt trinus, cum eiſdem effectis; ideoque ex eorum contemplatione nequit cognoſci. *AD III.* Tam vnitas Dei, quàm Trinitas, eſt conformis rationi naturali: ſed aliter & aliter: vnitas quidem ſimpliciter & abſolutè loquendo: quoniam omnium creaturarum concentus, & ordinatiſsima pulcritudo vnum Deū & ſolum prædicat. Trinitas autem eſt conformis rationi naturali, ſed elevatæ ad ſupernaturalia. nam ſi intra naturæ terminos ſiſtat, & ſolùm ea conſideret, quæ in effectis naturalibus apparent, potiùs propendebit ad negandum, quàm ad affirmandum myſterium Trinitatis.

39 *DICES* Contra ſolutionem ſecundæ probationis. Aliquis effectus naturalis, nimirum rationalis anima, connectitur per ſe cum Trinitate, ſicut imago cum prototypo. Quod palam docet Anſelmus infrà cap. 65. dum agens de anima rationali ait: *Non video cur negetur in illa eſſe vera imago illius eſſentiæ, quæ per ſui memoriam, & intelligentiam & amorem, in Trinitate ineffabili conſiſtit*, &c. de quo plura in Commentarijs eius loci. De ratione autem imaginis eſt ſimilitudo, non quælibet, ſed expreſſa & deducta ex prototypo: vt docet D. Thomas 1. par. q. 93. art. 1. & ſeqq. vbi in articulo 5. addit, hominem, ſive rationalem animam, eſſe ad imaginem Dei, non ſolùm quoad naturam divinam, ſed etiam quoad Trinitatem perſonarum. Conſentiuntque in ea doctrina omnes Theologi, ſicut & Interpretes ad illud Geneſis 1. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Poteſt igitur ex contemplatione animæ rationalis, præſertim quatenus ab Angelo comprehenſæ, colligi evidenter Trinitas perſonarum, ratione expreſſæ ſimilitudinis & connexionis cum illa.

40 *RESP.* Prætermiſsis alijs, quæ eo loco opportuniorem ſedem habebunt, hominem ſecundùm animam dici factum ad imaginem & ſimilitudinem Dei, & Trinitatis ipſius; non quia referatur naturaliter ad tres perſonas divinas ſecundùm peculiares proprietates illarum, vel ad vnam aliquam (quod optimè probat Auguſtinus lib. 7. de Trinit. c. vlt. & in Imperfecto ſuper Geneſim cap. vlt. in fine) ſed quia imitatur naturam intellectualem Dei, quæ eſt in tribus perſonis ſe invicem intelligentibus & amantibus. Vnde licèt ad naturam Dei intellectualem per ſe ſe habeat Trinitas perſonarum ſe mutuò intelligentium & amantiū; non tamen ad rationem imaginis & ſimilitudinis, quæ competit animæ rationali. Hæc enim naturali connexione & habitudine ſolùm refertur ad Trinitatem, quatenus eſt vnius naturæ communis: non autem prout perſonarum varietate diſcreta eſt. Idque colligitur, vel

ex

ex ipſis verbis Geneſeos nuper relatis. Nam vbi dicitur *ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, vox illa *noſtram*, denotat naturam tribus perſonis communem & vnicam, quam animus rationalis exprimit ſecundùm gradum intellectualem: non autem ſignificat proprietates peculiares perſonarum, quibus invicem diſcernuntur, niſi indirectè.

41 *OPPONES IV.* Plura naturaliter cognoſcibilia ab intellectu creato connectuntur cum Deo, vt trino. Ergo ex cognitione illorum poteſt haberi evidens cognitio abſtractiva Trinitatis. Conſequentia patet ex deſtructione fundamenti, quo vſi ſumus à num. 17. ad ſuadendam doctrinam oppoſitam. Antecedens verò probatur multipliciter. *Primò*: Quia lumine naturæ cognoſcibilis eſt, ab Angelo ſaltem, potentia obedientialis creata ad videndum Deum vt trinum: ſiquidem naturalis potentia, quæ cum ea identitatem realem habet, comprehenditur ab Angelo: nequit autem aliquid comprehendi, niſi cognoſcatur quidquid cum eo habet identitatem. Atqui potentia obedientialis ad videndum Deum vt trinum connectitur neceſſariò cum ipſo Deo, quatenus trino. Ergo lumine naturæ cognoſci poteſt ab Angelo aliquid connexum cum Deo, vt trino. *Secundò*. Demonſtrabilis eſt lumine naturæ poſsibilitas viſionis beatificæ, vt docet Scotus in 4. diſt. 49. q. 8. & demonſtratam de facto fuiſſe à D. Thoma contendit Vazquez 1. part. quæſt. 12 diſp. 15 cap. 15. Viſio autem beatifica neceſſariò connectitur cum Deo, vt trino, veluti cum obiecto proprio. Ergo pariter demonſtrabile eſt, Deum eſſe trinum. Vbi enim demonſtrabilis eſt poſsibilitas alicuius actûs, etiam illius obiectum demonſtrari poteſt. *Tertiò*. Relatio diſsimilitudinis creaturæ ad Deum vt trinum, cognoſcitur naturaliter ab intellectu creato. Ea verò eſt connexa cum Deo vt trino, ſicut omnis relatio connectitur cum ſuo termino. Ergo, &c.

42 *RESP.* Negando antecedens. AD I. Probationem nego antecedens: Quia licèt Angelus naturaliter comprehendat potentiam naturalem intellectûs creati identificatam in re cum potentia obedientiali, non ideo hanc naturaliter cognoſcit, neque in ordine ad videndum Deum vt trinum, nec in ordine ad aliud donum vel effectum ſupernaturalem: nam quâvis potentia quoad entitatem ſit eadem, inducit duplicem rationem formalem diverſam, duplicemque connotationem, in ordine ad effectus diverſi ordinis. Cognitio autem obiecti alicuius comprehenſiva ſolùm exigit penetrare illud quoad omnia quæ ſpectant ad illius ordinem, ſeu ſphæram. Ad ordinem autem ſive ſphæram obiecti naturalis nullatenus ſpectat aliquid ſupernaturale, aut cum ſupernaturali connexum, etiam vt termino ſuæ habitudinis, ſive non repugnantiæ. Hoc autem modo ſe habet potentia obedientialis, quamvis quoad entitatem ſit indiſtincta à potentia naturali. AD II. Poſsibilitas viſionis beatificæ nullatenus demonſtrabilis eſt viribus naturæ: vt latè oſtendimus Tomo I. Diſp. IX. Admiſſa verò gratis opinione contrariâ vt probabili, ſummùm eſt concedendum, poſſe demonſtrari viſionis beatificæ poſsibilitatem, quoad *an eſt*, & abſtrahendo ab eo an ſit viſio vnius Dei, vel trini. Vt autem ex cognitione demonſtrativa viſionis deveniretur neceſſariò in notitiam Dei vt trini, oporteret vt cognitio ipſa viſionis eſſet quidditativa, aut comprehenſiva: nam ſola illa debet manifeſtare palam obiectum viſionis, præſertim terminativum, & non motivum, qualis eſt Trinitas. AD III. Relatio diſsimilitudinis, ſicut & dependentiæ, quâ creaturæ reſpiciunt Deum, ſolùm ſpectat illum ſub ratione entis increati, vel ſub alia perfectione, aut prædicato abſoluto, & communi tribus perſonis. Quare ex cognitione eius relationis, adhuc comprehenſiva, ſummùm haberi poteſt abſtractiva cognitio Dei vnius, non autem trini. Quòd ſi verò fingatur vel adſtruatur creatura aliqua importans relationem explicitam ad Trinitatem, vel ad aliquam divinam perſonam, quatenus reipſa diſtinctam ab alia; eiuſmodi relatio vt talis nequit cognoſci naturæ viribus: vt nuper dictum eſt de potentia obedientiali, in qua militat eadem ratio.

43 INSTABIS. Ideo ex cognitione ſapientiæ creatæ, v.g. venit intellectus, ſaltem angelicus, in cognitionem abſtractivam ſapientiæ increatæ, quia hæc eſt cauſa exemplaris, ad quam illa eſſentialiter refertur. Atqui etiam relationes divinæ ſunt exemplaris cauſa relationum creatarum, quæ proinde ad illas eſſentialiter referuntur. Ergo ex cognitione cuiuslibet relationis creatæ, intellectus, ſaltem angelicus, venire poteſt in cognitionem abſtractivam relationum divinarum. Nec refert ſi dixeris, relationes divinas non eſſe in Deo rationes efficiendi, ſive virtutes activas. Nam nec miſericordia Dei, vel iuſtitia, eſt ratio efficiendi, ſive virtus activa miſericordiæ aut iuſtitiæ creatæ, ſed dumtaxat cauſa exemplaris: & tamen ex cognitione, ſaltem comprehenſiva, iuſtitiæ ac miſericordiæ creatæ relatè ad increatam, cognoſcitur hæc evidenter abſtractivè. Ergo pariter ex cognitione comprehenſiva creatæ paternitatis, quatenus relatæ ad paternitatem divinam, tanquam ad exemplarem ſui cauſam, quamvis non efficientem, cognoſci evidenter abſtractivè poterit paternitas divina & increata.

RESP.

44 *RESP.* Omiſsis aliorum ſolutionibus, non ideo ſolùm ex cognitione comprehenſiva ſapientiæ creatæ venire intellectum angelicum naturaliter in cognitionem evidentem abſtractivam ſapientiæ increatæ, quia hęc eſt cauſa exemplaris, ad quam illa refertur: ſed vlteriùs, & maximè, quia principia naturalia dictant, ſapientiam eſſe perfectionem quandam Deo convenientem à ſeipſo: ideoque omnem ſapientiam creatam debere eſſe illius participationem, in genere cauſæ exemplaris. Quippe, vt demonſtrat Anſelmus in hoc Opuſculo cap. 4. & 8. noſque ibidem oſtendimus in Cõmentarijs, quemadmodum omnis perfectio convenit Deo à ſe, ita etiam cuilibet creaturæ per participationem ab ipſo in genere cauſæ efficientis, finalis, & exemplaris. Hoc enim evidenter probatur ratione naturali, ex ipſa perfectione primi entis & ſummæ cauſæ. Cæterum, ſive relationes creatæ cauſentur à diuinis quoddammodo in genere cauſæ exemplaris, ſive non, id certum eſt, nullum principium naturale dictare, aut manuducere intellectum in cognitionem relationum divinarum producentis & producti. Cùm enim illæ ſuprà omnem rationem naturalem, & ſupra principia quælibet lumine naturæ nota, ſint vnica entitas abſoluta, & multiplex relativa, identificenturque & diſtinguantur invicem: nequeunt perducere intellectum in aliquam ſui notitiam ſecundùm lumen naturale. Vnde dato quòd paternitas creata cauſetur in genere cauſæ exẽplaris à paternitate divina, prout oppoſitâ filiationi; non cognoſcitur viribus naturæ ab Angelo: quoniam ſub ea conſideratione reſpicit terminum ſive cauſam exemplarem poſitam extra, immo & ſupra metas omnium principiorum naturalium. Itaque naturalis ratio ſolùm cognoſcit paternitatem creatam, quatenus procedit à Deo vt cauſa efficiente, finali, & exemplari illius, ratione eſſentiæ ſuæ, quæ eſt idea rerum omnium, & artis ac potentiæ: non autem prout pendet à paternitate divina, ſi fortè hæc quoddammodo eſt illius cauſa exemplaris. Et tamen paternitas ipſa creata comprehenditur ab Angelo, quia cognoſcitur ab illo penes omnem habitudinem ad conno ata ſua intra metas principiorum naturalium: ſicut ſuprà num. 42. circa finem dictum eſt de potentia naturali intellectus creati comprehenſa ab Angelo, licèt ab eo non cognoſcatur naturaliter potentia obedientialis, quamvis cum ea identitatem habens, ob ſimilem cauſam.

(?)

* * * * * * * * * * *

SECTIO QVINTA.

Argumentum pro demonſtrabilitate myſterij Trinitatis ſuppoſita fide, obijcitur & ſoluitur. Illata aliquot ex dictis.

45 OPPONES V. Saltem ſuppoſita revelatione & fide myſterij Trinitatis videtur poſſe illud demonſtrari ratione naturali: vt Ricardus Victorinus, & alij ſuprà num. 11. & 12. allegati contendebant. *Primò*: quia generatim potentia inferior ex coniunctione ad ſuperiorem vim perficitur, præſertim intra limites ſui obiecti adæquati. Cùm igitur Deus vt trinus contineatur intra limites obiecti adæquati intellectûs, quamvis hic ſeorſim à lumine fidei ſuperiore nequeat Trinitatem attingere, poterit ex coniunctione ad illam. *Secundò* Intellectus noſter nequit credere humana fide myſterium Trinitatis non ſuppoſita revelatione, & poteſt credere illa ſuppoſita: vt patet in hæreticis, qui illud fide humana credunt. Ergo pariter intellectus incapax demonſtrandi myſterium Trinitatis non ſuppoſita revelatione, poterit ſuppoſitâ illâ. *Tertiò* Non ſuppoſitâ revelatione nequit intellectus ad nvenire rationes probabiles ad ſuadendum hoc myſterium. Et tamen illâ ſuppoſitâ inventæ ſunt plures, præſertim ab Anſelmo impræſenti à cap 28 vſque ad 64. Ergo pariter ſuppoſita revelatione, & non antea, poſſunt inveniri rationes demonſtrativæ ad idem myſterium probandum.

46 *RESP.* Negando maiorem. Suppoſitio enim fidei ſolũ deſervire poteſt ad demonſtrationẽ theologicam huius myſterij, non autem purè naturalem: de qua ſola eſt quæſtio, vt dictum eſt à num. 28. AD I. Probationem dico, quamvis inferius adiuvetur ex conſortio ſuperioris, vbi hoc in illud derivat vim aliquã; non tamen vbi nullam. Porrò revelatio Dei in ordine ad demonſtrationem naturalem non derivat vim aliquam: cùm non ſubminiſtret aliquod principium naturale connexum neceſſariò cum myſterio Trinitatis; ſed ſolùm leniat difficultatem illam, quam patimur in aſſentiẽdo ipſi, quamvis quoddammodo & in ſpeciem reluctantibus principijs naturalibus. AD II. Diſparitas eſt manifeſta. Fides enim humana nititur teſtimonio humano & extrinſeco de divina revelatione, quam ſupponit omnino: ac proinde haberi poteſt humana fides de myſterio Trinitatis ſuppoſitâ revelatione, & non antea, dum perſiſtit teſtimonium extrinſecum & humanum. Demonſtratio autem naturalis nititur principio intrinſeco & neceſſariò connexo cum veritate demonſtrata. Cumque ſuppo-

ſuppoſitio revelationis nec præſtet, nec inferat principium intrinſecum neceſſariò connexum cũ Trinitatis myſterio, nequit hoc demonſtrari naturaliter ſuppoſitâ revelatione, ſicuti nec ante illã poterat demonſtrari. AD III. Negãda eſt conſequentia, propter rationẽ diſparitatis. Atque imprimis nihil mirũ quòd intellectus, non modò humanus, verùm & angelicus ante revelationẽ huius myſterij nequeat excogitare rationes probabiles ad illud ſuadendum: quia aſſenſus probabilis, & ratio ex quâ ille oritur, ſupponunt apprehenſionẽ terminorũ deſumptã ex ijs quæ cernuntur naturali curſu producta. Nulla autẽ res naturali curſu producta poteſt perducere in apprehẽſionem poſsibilitatis huius myſterij, ſed potiùs illæ omnes repugnare videntur, vt duo aut plura aliqua ſint eadem cũ vno tertio, & tamen verè differant inter ſe. Omne etiam quod Angelus vel homo naturaliter cognoſcit, vehementer inducit ad ſuadendũ, principium generans aut producens, qualitercumque ſit, diſtingui ſecundùm naturam ſuam reipſa, ſive numero ſaltẽ, à termino genito, ſeu vtcumque producto. Quare niſi ſupponatur revelatio divina, myſterium hoc eſt prorſus inopinabile ab homine, immo & ab Angelo. Suppoſita verò revelatione illius, ſupponitur etiam apprehenſio terminorum: ac præterea, quod caput eſt, lenitur repugnantia prædicta ex ſubiectione mentis creatę ad teſtimonium divinum, in cuius obſequium ſe captivari patitur, vt intelligat, ſubſtantiã infinitam & incomprehenſam Dei non eſſe noſtris rationibus metiendã, nec modum exiſtendi ipſius exigendum eſſe ad canones Philoſophorum Gentiliũ. Devicta autẽ, aut extenuata difficultate illa, locus eſt vt intellectus exquirat rationes quaſdã veroſimiles aut probabiles, præſertim ex alijs prædicatis datis mirabilibus Dei, quæ lumine naturæ in ipſo deteguntur, ſuperiora omnibus quæ in creaturis cernuntur. Quẽadmodũ enim, quãvis omnis creatura ſit cõpoſita, Deus eſt ſummè ſimplex; illa mutabilis, Deus autẽ omnino immutabilis, etiã penes actus liberos (quod ſanè eſt myſterium inevidens omni viatori, & vel ipſis Philoſophis, Gentilibus neceſſariò fatendum) ita etiam in Deo inveniri poſſunt prædicata identitatis & diſtinctionis, vnitatis & pluralitatis intra vnam numero ſubſtantiam trium perſonarum, quæ nullum in creaturis locum habent.

47 *ATQVE* Hoc modo ſe geſsit Anſelmus impræſenti. Supponit enim fidem Trinitatis in ijs, quos erudiendos accepit in hoc Opuſculo: & deinde accedit ad excogitandum varias rationes, quibus vtcumque ſuadeat, ſeu oſtendat non abhorrere à vero, quidquid de Trinitate credimus; paretque viam ſeu modum ad occurrendum argumentis infidelium ſeu hæreticorum contrà diſputantium. Quod ipſe in ſimili exponit libro 1. Cur Deus homo capite 1. dicens, hoc genus tractandi res divinas ex lumine naturalis rationis fuiſſe ſibi impoſitum à diſcipulis ſuis, *non vt per rationem ad fidem accedant; ſed vt eorum, quæ credunt intellectu, & delectentur contemplatione; & vt parati ſint ſint, quantum poſsint, ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti rationem de ea, quæ in nobis eſt, ſpe.* Quare etiam in hoc Opuſculo poſtquam à capite 28. vſque ad 61. exquiſivit varias rationes ad ſuadendam vtcumque veritatem huius myſterij, iam capite 62. & 63. omnes illas fatetur impares propter ſummam celſitudinem eius arcani, quod agnoſcit ineffabile, & omnem mentem creatam ſuperans. Vnde reijciuntur, non modò Raymundus Lullius, ſed & alij quilibet exiſtimantes, rationibus à ſe excogitatis demonſtrari myſteria ſupernaturalia, & præſertim Trinitatis: cùm Anſelmus, cœleſti viri ingenio, & ante ipſum prima illa Eccleſiæ lumina, atque in ijs Magnus Auguſtinus, antonomaſticè INGENIORVM AQVILA, quo nihil maius, ſublimius, mirabilius, inter DD. fateantur imparilitatem & inſufficientiam ſuam ad tantum myſterium demonſtrandum. Habebant enim præ oculis regulam illam à Magno Parente Gregorio obſervatam lib. 14. Moral. capite 12. *Sancta Eccleſia in omne quod veraciter ſapit, ſenſum ſuum humiliter deprimit, ne in inquiſitione occultorum tumeat, & perſcrutari aliqua, quæ vltra vires ſunt illius, præſumat.* Sed & Seneca, Ethnicus licèt, præſcribit nobis ſobrietatem eiuſmodi in rebus divinis tractandis, allegato in id Ariſtotele. Ait enim libro 7. Natur. QQ. capite 30. *Egregiè Ariſtoteles ait, nunquam nos eſſe debere verecundiores, quàm cùm de Dijs agitur. Si intramus templa compoſiti, ſi ad ſacrificium acceſſuri vultum demittimus, togam adducimus, ſi in omne argumentum modeſtiæ fingimur: quanto hoc magis facere debemus cùm de deorum natura diſputamus, nequid temerè, nequid imprudenter, aut ignorantes affirmemus, aut ſcientes mentiamur?* Quod præſertim circa magnum hoc & ineffabile Trinitatis myſterium obſervare oportet: nam teſte Auguſtino libro primo de Trinitate capite tertio, ſicut nullibi *fructuoſius laboratur*, ita etiam nullibi *periculoſius erratur.*

48 *INFERTVR I.* Catholicos, vbi differunt cum Gentilibus circa veritatem

huius myſterij, nõ debere inniti rationibus naturalibus in id probandum: tum quia nulla eſt manifeſta aut concludens, ſed omnes ab ijs facilè ſolvi poſſunt, præſertim ſi ſint Philoſophi: tum præterea, quia id eſſet exponere riſui aut vilipendio Religionem Chriſtianam: quoniam ij iuxta ſupercilium & faſtum ſuum eam deſpicerent, veluti levibus fundamentis innixam. Nec præterea redarguendi ſunt teſtimonijs Scripturæ, quam ij non excipiũt, nec à Deo revelatam arbitrantur. Quare Lactantius lib. 5. Divin. Inſt. c. 1. aſſentiente Hieronymo Epiſt. ad Magnum, improbat conſilium S. Cypriani de myſterijs fidei differentis adverſus Demetrianum hominem Ethnicum ex teſtimonijs Scripturæ, quam ille vanam arbitrabatur. Et Chryſoſtomus Homil. 3. in Epiſt. ad Titum obſervat, Apoſtolum Paulum cum Ethnicis differentem id caviſſe, ne Scripturam divinam ludibrio illorum exponeret. Itaque adverſus Gentiles & Paganos, myſterium Trinitatis, ſicuti & alia quælibet ad fidem ſpectantia, probari debent, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritûs & virtutis, vt inquit Apoſtolus. Cùm verò ab ijs impetimur multiplici argumento contra poſsibilitatẽ eorum myſteriorum, ſupereſt vt illa ſolvamus, oſtendendo nihil in ijs eſſe rationi contrariũ, aut veritati repugnans, præſertim ex eo quòd res divinæ ſint ſupra captum noſtrum, nec ad humanos canones exigendæ ſint. Et ſanè ratione naturali demonſtratur Deum perfectè liberum eſſe, ac prorſus immutabilem, quod planè fatentur ipſi Gentiles allegati in Commentarijs ad c. 16. Tomo præced. Verumtamen quomodo ſumma ipſius libertas & immutabilitas cohæreant, res ſummè arcana eſt, nec Gentilibus, nec ipſis Catholicis pervia: vt ſatis ſuperque oſtẽdimus ibidem latè differentes de conſtitutione actuum liberorum Dei Quocumque enim modo id explanare tentemus, inſurgunt difficultates pene inſuperabiles, quas nullus mortalium hucuſque plenè ſolviſſe inveniatur. Quid ergo mirum ſi à nobis exigat Deus aliquod obſequium circa myſteria fidei, præſertim Trinitatis, quamvis in ijs appareant ingentes difficultates, quas nemo mortalium perfectè extricare poſsit? Nimirum, ea eſt conditio propria rerũ divinarum, adhuc in quibuſdã eorum, quæ Deo convenire manifeſtum eſt apud omnes Philoſophos cuiuslibet ſectæ: nec tamen ab vllo eorum ſatis explicari poſſunt. Quòd ſi verò quiſpiam ob tenuitatem ingenij ſui prematur ita difficultate aliqua, vt nequeat ſibi ſatisfacere, nec quieſcat, ſupereſt vt dicat, vt ille alius olim in Evangelio: *Domine adiuva incredulitatem meam.* Aut etiã vſurpare poterit illud Caſsiani lib. 4. de Incar. c. 6. *Rationem dicti quæris? Nõ reddo. Interim Deus hoc dixit. Deus hoc locutº eſt mihi VERBVM ILLIVS SVMMA RATIO EST. Remoueo argumenta: remoueo diſputationẽ. Sola mihi ad credulitatem ſuffecit perſona dicentis Non licet mihi de fide dicti ambigere: non licet deliberare. Quid mihi quærere quomodo verum ſit quod Deus dixit, cùm dubitare non debeam, quin verum ſit quod Deus dixit?*

49 *INFERO II.* Quãvis ratione naturali demõſtrari nequeat poſsibilitas, ſeu non repugnantia huius myſterij, omnis enim demõſtratio procedere debet ex principijs manifeſtis, nullũ autem principium manifeſtum intra limites rationis naturalis ducit in id probãdũ, ſed potiùs videtur abducere in oppoſitũ) adhuc tamẽ eius impoſsibilitatẽ non eſſe demonſtrabilẽ. Ratio eſt: Quia ſolùm poteſt demonſtrari id quod eſt verũ, non quod falſum eſt. Atqui impoſsibilitas huius myſterij non eſt vera, ſed falſa: vt pote cõtraria fidei. Ergo impoſsibilitas huius myſterij non eſt demonſtrabilis. Quare omnia argumẽta ex principijs naturalibus ducta ad illã probãdã verè ſolvi poſſunt à quolibet homine ſufficiẽter inſtructo notitiâ eorundẽ principiorũ, & diſtantiæ infinitæ Dei à creaturis: nã hic ſuppoſita fide, aut propriâ, aut alienâ, quâ ſibi proponatur myſteriũ ipſum Trinitatis, vtcumquẽ poteſt exponere principia in ſpeciẽ contraria, vt non habeant locũ apud Deum, cuius perfectiones & myſteria ſunt ſupra captũ noſtrũ, incõparabili exceſſu. Eritque inſtãtia idonea, quã nuper indicavimus, in actib⁹ liberis, quos ratio manifeſta in Deo probat; cũ tamen nemo mortalium id ſatis expoſuerit, nec plenè ſedaverit difficultates inſuperabiles, quę vtrinq; animum pulſant, ſed ſolùm lenierit, ne omnino concludentes ſint. Sed de hoc infrà vberiùs in progreſſu Diſp. LX. vbi diſcutiemus, An hoc myſterium ſit contra rationem naturalem.

50 *INFERO III.* Nec ex effectibus ſupernaturalibus, quatenus cõparantur ad Deum, veluti efficientẽ illorum cauſam, poſſe evidenter cognoſci aut demonſtrari myſterium Trinitatis. Illatio hæc pariter communis eſt apud Theologos, ac præcipua Aſſertio: eodẽque fundamento ſuadetur, ac ſuprà n. 17. probata fuit quoad effectus naturales: quoniã, nimirũ, ij per ſe non connectuntur, perfectate effectûs, vt ita loquamur, cum Deo vt trino, veluti cum cauſa efficiente: ſed tanquam vno, ratione eiuſdẽ artis & omnipotentiæ reſidentis in tribus perſonis. Atqui eadẽ ratio eſt de quolibet effectu ſupernaturali, vt patet. Ergo ex nullo ſupernaturali effectu cõparato ad Deũ, veluti efficiẽtẽ cauſã, poteſt Trinitas evidenter cognoſci aut demõſtrari. Fortaſis tamẽ ab hac regula excipi debet viſio beatifica Trinitatis, prout quidditativè

cog-

cognita.quoniam cùm iuxta veriorem ſententiã,procedat efficienter ab eſſentia divina mentibus Beatorum vnita in ratione ſpeciei intelligibilis, & immediatè repræſentante perſonas; neceſſum eſt vt perſonæ ipſæ *vt quod* efficienter concurrant ad viſionem ſui ipſarum, media ſpecie impreſſa,vt virtute agendi. Itaque ſaltem viſio illa apparet per ſe connexa cũ tribus perſonis, veluti principio ſui efficiente intelligibiliter Atque hæc eſt ratio,inter alias,cur exiſtimemus,nec poteſtate abſoluta Dei fieri poſſe, vt videatur vna aliqua ex divinis perſonis ſine alia:cùm fieri nullatenus poſsit, vt aliqua ex perſonis divinis præ alia habeat influxum ſpecialem in genere cauſæ efficientis, ſive intelligibiliter,ſive phyſicè:quoniam ratio agendi in vtroque ordine eſt Deo vnica,& communis tribus perſonis.Sed de hoc latè & ex inſtituto in progreſſu Diſp.LXVIII.ſect.5.

51 *SIVE* Autem ex viſione beatifica,quatenus procedente à Deo,vt causâ efficiẽte, haberi poſsit evidens cognitio abſtractiva Trinitatis,ſive non id certum videtur,ex cognitione quidditativa eiuſdẽ viſionis,prout connexæ cum ſuo obiecto, quod eſt Deus vnus & trinus prout in ſe eſt, haberi poſſe evidentem notitiam abſtractivam Trinitatis:quoniam nequit cognoſci quidditativè actus,quin cognoſcatur ſaltem evidenter abſtractivè terminus vel obiectum immediatum ipſius,à quo ſpeciẽ deſumit: nec poteſt clarè percipi illius quidditas ignoto prorſus obiecto ad quod eſſentialiter tendit. Porrò eadem eſt ratio de quolibet actu fidei,quo explicitè credimus myſterium Trinitatis. Eadem quoque de quolibet actu intellectûs & voluntatis explicitè terminato ad quãlibet ex divinis perſonis in ſingulari. Nequit enim quidditativè cognoſci ignoto prorſus illius obiecto ſpeciali. Verùm cũ cognitio quidditativa quorumlibet actuum ſupernaturalium ſolùm poſsit haberi per lumẽ ſupernaturale;nihil inde imminuitur veritas ſententiæ hactenus ſtatutæ,quæ ſolùm excluſit evidentiam abſtractivam Trinitatis attentis naturæ viribus, ſeu in vi conſiderationis effectuum aut principiorum naturalium, vel etiam ſupernaturalium, quatenus procedentium à Deo in genere cauſæ efficientis.

DISPVTATIO LII.

AN PHILOSOPHI GENTILES HABVERINT NOTITIAM ALIQVAM MYSTERII TRINITATIS.

AD ILLVSTRIS.ET NOBIL.D.D.ANTONIVM MONSALVE, Supremorum Senatuum Caſtellæ & Cameræ Conſiliarium, Regiæ Gazæ Ex-Præfectum: Virum inſignis pietatis, integritatis & doctrinæ, &c.

VIDEBITVR Cuipiam opino affirmans,conformis Anſelmo: qui impræſenti à c.29. proponit multas & varias rationes ex conſideratione rerum naturalium deſumptas ad probandũ myſterium Trinitatis. Nõ apparet autem veroſimile, eaſdem rationes, aut etiam multò plures, non occurriſſe tot Philoſophis Gentilibus præſtanti ingenio præditis, & aſsiduè verſatis in ſpeculandis rebus naturæ. Ergo & ipſi abſq; dubio notitiam aliquam Trinitatis ſibi compararunt. Ex oppoſito autem D.Thomas 1.p.q.32.ar.1.ad 1.negat Philoſophos Gentiles habuiſſe notitiam Trinitatis, ſeu trium perſonarum divinarum, quæ ſint vnius numero naturæ, ſive eſſentiæ. Idque multis cõfirmat eo loco. Quare oportet examinare, vtrum ex iis verum ſit. Quod habet locum apud Magiſtrum in 1.d.2. & d.3.c.Nunc reſtat, Scotum ibid.d.2.q.2. Durandum q.4. & d.3.p.1.q.4. D.Th. 1.p.q.32.ar.2. & illorum Interpretes iis locis.

SECTIO PRIMA.

Selecta quorundam Gentilium teſtimonia, quibus videtur probari, notam ijs fuiſſe diuinitatem Patris, & Filij, ſeu Mentis ab ipſo genitæ, & procreatricis rerum vniuerſarum.

2 CELEBRIS Eſt in hac controverſia opinio Auguſtini Eugubini, lib. 1. de Perenni Philoſophia ferè per totum, cum pluribus ex ijs, quos infrà n. 15. & 16. allegabimus, contendentis, Philoſophis Chaldæis primùm, deinde Ægyptijs, Phœnicibus, Græcis, ac Romanis, ijs ſaltem qui ſapientiores fuere, & celebriores, notam fuiſſe Patris ac Filij divinitatẽ poteſtatemque. Quod aſſumit in ſpecie probandum à capite tertio, & oſtendere conatur, eos omnes *per illam à primo homine deſcendentem Theologiam, tũ toto mundo reſonantibus oraculis, notum habuiſſe, Deum immenſam immutabilemque naturam, alterã ab æterno Mentem genuiſſe, eiſdemque eam nominibus, quibus extrema poſtea, maiorque Theologia, vocantes, nunc Filium Dei, nunc vocem Dei, nunc Verbum, nunc Mentem, Sapientiamque*, &c. Deinde allegat in ſpecie varia ipſorum teſtimonia, quorum aliquot ſolùm, eaque præcipua omnium, ſeligam & proponam.

3 *PRIMVM* Teſtimonium ducit ex Mercurio Triſmegiſto, quem c. 3. iam citato appellat Anteſignanum & Principem Ægyptiæ Theologiæ abſque controverſia. Deinde lib. 2. c. 17. hæc illius verba profert: *Adiuro te, cœlum, Dei magni ſapiens opus. Adiuro te vocẽ Patris, quam protulit ipſe primam, cùm omnẽ mundum ſtabiliuit. Obteſtor te per vnigenitũ Verbum, & Patrem, qui continet omnia. Eſto mihi propitius*, &c. Nec ſolùm Eugubinus, ſed & Suidas, eam ſententiam mirabilem Mercurio tribuit, dum de illo ait: Καὶ ταῦτα εἰρηκὼς ἐξαπολέγων, ὄρκιζω σε, φησὶ, &c. *Et hæc locutus orauit dicens: Adiuro te cœlum*, &c. prout nuper exſcripſimus. Neque obſtat, addit Eugubinus, in vulgatis Triſmegiſti libris non extare ea verba. Nam credendum eſt, Suidam ea legiſſe in alijs eius Opuſculis, quæ hodie non extant: quemadmodum apud Lactantium, Auguſtinum, & Cyrillum in libris adverſus Julianum Imperatorem allegantur plura eiuſdem Triſmegiſti teſtimonia, quæ in eius Opuſculis nunc extantibus non apparent: creduntur tamẽ fuiſſe in alijs innumeris, quæ temporum iniuria perierunt. Præterea in Pimandro hæc habet idem Mercurius, quaſi dicta à Mente illa rerum procreatrice, ſibi aliquando apparente: παραγίνομαι ἐγὼ, &c. id eſt, *Accedo ego Mens ad ſanctos, & bonos, & puros, & miſericordes, & pios, & præſentia mea eſt auxilium, & ſtatim omnia cognoſcunt, & Patrem inuocant propitium cum dilectione, & gratias agunt benedicentes, & laudantes coniunctiſ cum ipſo in charitate.*

4 *SECVNDVM* Teſtimonium deſumit eodem cap. 3 ex Magis à Zoroaſtre deſcendentibus: qui hæc dixiſſe narrantur: Πάντα ἐξετέλεσε πατὴρ, καὶ νῷ παρέδωκε δευτέρῳ, ὃν πρῶτον κλήζεται πᾶν γένος ἀνθρώπων. *Omnia perfecit Pater, ac Menti tradidit ſecundæ, quam vocat primam omne hominum genus.* Quæ ſic exponit Eugubinus, quaſi ſenſus ſit, *Creatorem omnium, quæ cernuntur, & quæ fugiunt oculorum obtutum, eſſe Patrem, creantem hæc per mediam illam Intelligentiam, ac Mentem: quæ ſecunda quidem eſt, ſi Patrem reſpicias: prima, ſi res viſibiles & inuiſibiles creatas, quarum hæc ipſa Mens fuit principium.* Hæc autem valde conſona apparent ijs, quæ ſacra & ſeverior Theologia tradit de Patre & Filio. Ergo Magi, ſive Chaldæi notitiam habuerunt Patris & Filij. Deinde cap. 7. profert hanc Zoroaſtræorum veterem ſententiam: σύμβολα πατρικὰ νῦν ἔσπειρε ταῖς ψυχαῖς. *Signa vel indicia paterna Mens inſeruit animis.* Quaſi dicat, à paterna Mente, ſeu ab ea quæ Patris eſt Mens, inditam fuiſſe animis noſtris imaginem quandam divinitatis. Porro eiuſdem Zoroaſtris liber, inſcriptus, *Oracula Magica*, editus fuit Pariſijs cum Scholijs Plethonis ac Pſelli, ſimulque cum Oraculis Sibyllarum: in quo plura eiuſmodi continentur.

5 *TERTIVM* Capit ex Græcis, ad quos Ægyptiorum & Chaldæorum Theologia eadem devenerit. Nam quicumque primùm inter Græcos inſigni opinione philoſophati ſunt, habuerunt duces doctrinæ ſuæ Chaldæos & Ægyptios, ad quos diſcendi causâ ſe ſe recipiebant, principia rerum eodem, atque illi, ordine collocantes. nimirum, τ' ἀγαθὸν, id eſt, Ipſum-Bonũ primo ordine conſtituentes, deinde Νοῦν, id eſt, Mentem: videlicet, Mentem ex æterno à Patre primogenitam, & vnigenitã, rerumque principium ab eo conſtitutam. Hinc Anaxagoras inter antiquiores Græcos dixit, omnium rerum principium eſſe Νοῦν, id eſt Mentem: & quidem eandem cum illa à Chaldæis teſtata: ſiquidem illam ſapientiſſimam cẽ fuit, & , teſte Ariſtotele, vocavit ἀμιγῆ καὶ ἀπαθῆ. id eſt, ſine complexu, ſine alterius reĩ commiſtione. quæ ſanè perfectio in ſolum Deũ cadere poteſt. Hinc Euripides, quem eiuſdem Anaxagoræ diſcipulum fuiſſe ferunt, eandẽ ſententiam complexus fuit; præcipuè quatenus ille docuit, Mentẽ informe atque immobile Chaos

for-

formaſſe, motumque indidiſſe. Ideoque Ariſtoteles teſtatur dixiſſe Anaxagoram: πάντων πρᾶγμάτων κίνησιν ἐμποιῆσαι τὸν νοῦν, καὶ διακρῖναι. id eſt, *omnibus quondam quieſcentibus, motum Mentem dediſſe, ab inuicemque ſeparaſſe.* Quæ omnia mirè videntur reſpondere doctrinæ Moyſi loquentis de Deo, aientiſque, priùs tenebras fuiſſe, & aquam cum terra commiſtam.

6 *QVARTVM* Ex Platone, qui ſæpe in libris ſuis exprimit τ'ἀγαθὸν, id eſt, *Ipſum-Bonum*, quaſi Patrem Mentis, ſive Demiurgi, id eſt, Opificis. Deinde cùm audiſſet, ab Anaxagora tributam Menti rerum creationem, eidē placito maximè acquieuit, repudiata quorumlibet aliorum opinione: quoniam exiſtimauit nullam aliam rerū cauſam aſsignari poſſe, niſi ineptam: Mente verò ſtatuta, vt omnium rerum principio, omnia pulchrè & concinnè fieri, ordinarique. Vnde in Phædone inquit: *Audiens ex libro Anaxagoræ, Mentē eſſe mundi ædificatricem, omniumque rerū cauſam, hac ſum mirificè lætatus: & neſcio qua ratione videbatur mihi optimè habere, Mentem eſſe, omniū cauſam, dare Intelligentiæ omnium rerū principatum.* Præterea in Cratylo eandem Anaxagoræ ſententiam refert ac probare videtur, dum ait: εἶναι δὲ τὸ δίκαιον, &c. *Eſſe Iuſtitiam, quā Anaxagoras Mentem dixit, aſſerit Cratylus. quæ cùm ſit Imperatrix & Regina, ac Princeps, nulliſque commiſta, eā tradit omnia creare, per omnia commeantem.* Deinde in Philebo inquit: *Conſentiunt omnes ſapientes, ſeipſos in eo iactantes, quòd Mens ſit regina nobis cœli & terræ Et fortè rectè loquūtur.* Mitto plura alia teſtimonia eiuſdem Platonis in id ſuadendum: quibus nullum luculētius, quàm illud lib. 6. de Republica, vbi loquens de Mente illa diuina ait: *Hunc igitur, inquam, vocare me dicito illius Boni fœtum, quem Bonum ſibimetipſi proportione quadam reſpondentem genuit.* Quod & Platonici poſtea generatim complexi ſunt. nam & Macrobius teſtatur, illos duo hæc principia rerum conſtituiſſe τἀγαθὸν, καὶ νοῦν, nimirum, Bonū & Mentem. quæ duo Eugubinus lib. 1. c. 4. vult eſſe Patrem æternum, & Filium. Idipſum ferè tradidiſſe leguntur Zeno, Cleanthes, alijque: de quibus videſis Iuſtinum in Apol. 2. Origenem Hom. 14. in Geneſ. Tertullianum in Apolog. c. 21. & Lactantium lib. 4. cap. 8. & 9.

7 *QVINTVM* Ex Ariſtotele: de quo teſtatur idem Eugubinus (quamvis nullo ipſius loco aſsignato, vt aſſolet) cùm audiſſet, priſcos rerum principatum & procreationem dediſſe Menti, alacri voce pronuntiaſſe, eam eſſe τῶν φαινομένων θειότατον. id eſt, *omnium, quæ poſſunt cogitari, diuiniſsimum.* Addit ſtatim, eūdem diſſerētem de diuinitate eiuſdem Mentis, ipſi tribuiſſe infinitam voluntatem in intelligendo & amādo diuinitatem ſuam. Quin & in Phyſicis teſtatum, Anaxagoram poſuiſſe Mentē illam, ὃ μηδενὶ μεμιγμένον, *nulli rei admiſtam.* id eſt, puram, ſimplicem, ac planè diuinam, quę & à Græcis dicta ſit αὐτοκράτως, Dominatrix, Regina, Omnipotens. Denique idem Ariſtoteles lib. 1. Phyſicor. quærens de principijs rerum, & refellens plures priſcorū opiniones, poſtea aliā indicat, ac probare videtur, dicens: *Mentē quidā qui dixit, quemadmodum in animalibus, omnique natura, ſic cauſā fuiſſe mūdi, totiuſque ordinis, is certè viſus eſt reſipuiſſe prę ijs, qui priùs temerariè loquerentur. Itaque huiuſmodi qui ſunt hoc arbitrati, nō ſolum bene & congruè hanc cauſam, principium rerū ſtatuerunt; ſed etiā talē cauſam attulerunt, vnde motus extiterit, vel exiſtat rebus.*

8 *SEXTVM* Denique (omiſsis alijs compluribus) petitur ex Macrobio in Commētario primo in Somnium Scipionis c. 2. vbi latè eandem Platonicorum ſententiā confirmat hiſce verbis: *Cæterū cùm ad ſummū & principem omniū Deum, qui apud Græcos τὸ ἀγαθὸν πρῶτον ἀπάντων* (id eſt, Bonū primū vniuerſorum) *nūcupatur, tractatus ſe audet attollere, vel ad Mentē quam Græci νοῦν (Mentē) appellant, originales rerum ſpecies, quæ εἴδη (Ideæ) ſunt, continentē, ex ſummo natam & profectam Deo: cùm de ijs, inquam, loquūtur, ſummo Deo & Mente, nihil fabuloſum penitus attingunt: ſed ſiquid de his aſsignare conantur, quæ non ſermonem tantummodò, ſed cogitationem quoque humanam ſuperant, ad ſimilitudines & exempla cōfugiunt. Sic Plato cùm περὶ ἀγαθοῦ* (de Bono) *loqui eſſet animatus, dicere quid ſit non eſt auſus, hoc ſolum de eo ſciens, quòd ſciri quale ſit, ab hominibus non poſsit. Solum verò de viſibilibus Solem reperit & per eius ſimilitudinem, viā ſermoni ſuo attollendi ſe ad incomprehenſibilia patefecit. Ideo & cùm nullum ei ſimulachrum cū Dijs alijs conſtitueret, finxit antiquitas, quia ſummus Deus, NATAQVE EX EO MENS, ſicut vltra animam, ita ſupra naturam ſunt: quò nihil eſt de fabulis peruenire.* Hactenus Macrobius, & ipſe Gentilis. Videtur itaque ex præiactis omnibus Veterum Ethnicorum teſtimonijs, alijſque quam pluribus, breuitatis causâ omiſsis, aliquam ijs fuiſſe notitiam Patris, & Filij ab ipſo geniti per intellectum, quem Mentem appellārunt, cohærenter ad ſacram & ſeueriorem Theologiam.

SECTIO SECVNDA.

Alia illuſtria Ethnicorum teſtimonia de diuinitate trium perſonarum, propter quæ multi contendunt, myſterium Trinitatis innotuiſſe ijs. Expenditur accuratiùs mens Platonis.

9 AC Primò quidem Mercurius Triſmegiſtus, præter teſtimonia n. 3. allegata de Patre, & Mente ipſius prole, videtur notitiam habuiſſe Spiritûs ſancti. Nam, teſte Suida Serm. 3. ait de illo: *Niſi prouidentia eſſet quædam dominatoris omnium, vt hanc ego Theologiam reuelarem, neque vos tunc talis amor tenuiſſet, vt de eo quæreretis. Nunc reliqua audite. Huius ſpiritus, de quo ſæpenumero dixi, omnia indigent, omnia portat, ſecundùm dignitatem omnia viuificat, & nutrit. & à ſancto fonte dependet, omnibus ſpiritibus & viuentibus ſemper eſt auxiliator.* Quæ verba mirè conſonare videntur ijs, quæ de Spiritu ſancto leguntur Geneſis 1. vbi dicitur: *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Aliud quoque eiuſdem Mercurij teſtimonium profert Suidas, in quo videtur tota Trinitas exprimi. *Erat*, inquit, *lumen intellectuale. & erat ſemper MENS mentis luminoſa: & nihil aliud erat, quàm horum vnitas, & SPIRITVS omnia continens. Extra hũc non Deus, non Angelus, non ſubſtantia vlla alia: omnium Dominus, & PATER & Deus, & omnia ſub ipſo, & in ipſo ſunt. Nã VERBVM eius perfectum exiſtens, & fœcundum, & opifex, lapſum in fœcunda natura & aqua fecunda, prolificam fecit aquã.* Hactenus ille. Qui, dum ait, Verbum divinum fecundam reddidiſſe aquam, ſignificavit, volatilia & aquatilia animantia fuiſſe per Verbum producta, quod refertur initio Geneſeos, & cõcinit Eccleſia trito illo Hymno:

Magnæ Deus potentiæ,
Qui ex aquis ortum genus,
Partim remittis gurgiti,
Partim leuas in aera.

10 *SECVNDVM* Teſtimonium deſumitur ex Oraculo Apollinis Delphici ad quẽdam Sacerdotem conſulentem de vera religione, ijs verſibus:

Μὴ φελες πάτερα μέ, &c. id eſt:
Ne me vtinã ſupremũ infelix ipſe ſacerdos
Sciueris de ſancto ac diuino Genitore,
Et Sobole chara rebus magni Induperantis,
Et Flatu, qui mundum adſtrictum continet omnem,
Montes, tellures, fluuios, mare, tartara, & ignem,
Aeraque. Heu tẽplis is me diſcedere ab iſtis
Cogit. linquetur, quo edebã oracula limen.

Addit verò Eugubin. lib. 2. c. 19. relatis ijs verſibus: *Hoc oraculũ excerptum cũ multis alijs ab ijs, qui audierunt, traditumque memoriæ, cuiuſmodi carminibus Sibyllæ, quæ & ipſa Apollinis Oraculo præfuit, multa decantata reperiuntur. Philoſophis etiam atteſtantibus, Sibyllas diuinas fuiſſe & Oraculũ illud diuina ſæpenumero myſteria aperuiſſe. Decantabantur autẽ, auctore Plutarcho, ferme cuncta, ſcribebanturque à priſcis numeroſè. Philoſophique priſci ferè omnes, ſiue de creatione mũdi, ſiue de reliquis Philoſophiæ partibus, poeticè, non oratione ſoluta, ſcripſerunt.* Itaque videtur eo reſponſo Apollinis Delphici expreſſa Trinitas perſonarum divinarũ, Genitoris, Sobolis, & Flatûs, quæ tria ſatis denotant ſingularum characteriſticas proprietates. Eidẽ Oraculo affine eſt aliud Serapidis Thuli, datũ, quod ex monumentis antiquiorum Regum Ægypti refert Ludovicus Vives infrà n. 16. allegandus, poſt Suidam, v. *Thulis*, hiſce carminibus Latinè è Græco expreſſum:

Principio Deus eſt, tũ Sermo, & Spiritus iſtis
Additur. æquæua hæc ſunt & tẽdentia in vnũ.

Refert autẽ Ruffin. lib. 2. Hiſt. c. 23. aliquos, qui cenſuerunt, Serapidem fuiſſe Ioſeph, Saræ pronepotẽ, qui dictꝰ fuerit Seraphis, quaſi ἀπὸ Σάρας. quod & diſertè aſſerit Iulius Firmicus lib. de erroribus profanorum c. 14. Vide Cornelium à Lapide ad c. 41. Geneſ. in fine. Quod ſi verum ſupponatur, apparebit veroſim Ilus tam miram Trinitatis notitiam à Serapide prodijſſe: vtpote qui illã à Sara, & Patriarcha Abrahamo, quaſi hæreditaria traditione potuerit accipere.

11 *TERTIVM* Platon. in Epiſt. quadam ad Dionyſ. qui eum conſuluerat de natura Dei. Ille verò reſpondet, quæ divina ſunt, per ænigmata ſolùm declarari debere: vt ſi caſu aliquo ſcriptũ perveniat ad quẽquã, legens nõ capiat. Verba ſunt: Φραστέον δή σοι δι' αἰνίγμων, &c. *Dicendũ eſt igitur tibi nũc per ænigmata quædã: vt ſiquid huic tabellæ vel mari, vel terræ contingat, qui eã legerit, intelligere nõ poſſit. Circa omniũ Regẽ cũcta ſunt ipſius gratia omnia: ipſe pulchrorũ omniũ cauſa: circa ſecundũ ſecunda: tertia circa tertiũ.* Ijs autẽ verbis tres divinitatis perſonas ſignificari ex ſentẽtia Platonic. obſervat Euſeb. Cæſar. lib. 11. de Præpar. dicens: *Hæc Platonis verba qui explicandam Philoſophi mentẽ ſuſcepere, ad primũ Deũ ſecundumque principium referunt: necnon ad tertium, quem mundi animam, Deumque tertium ipſi appellare ſolent.*

12 *PORRO* Platonicorum coryphæus Plotinus eam ſententiam ſui Anteſignani ita exponit Enneadis 5. lib. 1. cap. 6. & 7. vt ex ijs tribus primum, cenſeat eſſe ſummè perfectum, quod proinde πρωτόγονον vocat, id eſt, po-

potiorem mentem. Secundum appellat τὸν δεύτερον, id est, *Mentem posteriorem*, à priore genitam, quæ & Genitoris imago sit. Tertium vocat Animam, quæ à Mente posteriore ortum ducat, eiusque λόγος, id est, Sermo, aut Ratio sit. Addit præterea, Mentem à Primo illo trium genitam omnia quæ sunt genuisse, ac proinde omnem pulchritudinem Idearum, & Deos omnes intelligibiles. Deinde cap. 8. luculentiùs exponit sententiam Platonis, & nominatim verba illa nuper exscripta ad Dionysium: quasi illius Philosophi sensus fuerit, Deum summum esse Patrem τῆς αἰτίας, id est, causæ vel principij, sive Mentis, ac Demiurgi: hunc verò procreare Animam, id est, postremum ex ijs tribus. Patrem verò ipsum appellat τἀγαθόν, id est, *Ipsum Bonum* à quo & Mens & Idea ortum habeat, sicut & à Mente oritur Anima. Quin & præterea idem Plotinus librum scripsit de Tribus imperatricibus subsistentijs: in quo loquens de tertia earum, quam appellat Animam mundi, ait: *Hæc quidem cuncta animalia creavit, inspirata eis vita, quæque alit tellus, quæ mare, quæ volant in aere, quæ sunt in cœlo astra diuina. Hæc item Solem, hæc magnum hoc cœlum exornauit.* Insuper eodem libro inquit: *Ingressa hæc Anima cœleste corpus,* ἔδωκε τὴν ζωὴν (id est, *dedit vitam*) *dedit immortalitatem excitauit ipsum postratum, iacensque. Quod circumrotatum motum sempiternum, ab Anima sapienter agente, animal beatum effectum est.* Hæc & plura alia ille, iuxta Anteſignani sui mentem. Eodem sensu Cyrillus lib. 3. contra Iulianum interpretatur Platonem dicens: *Plato vnum quidem opificem esse definiuit eum, qui causa est omnium: quē & mundo citimum esse factum asserit. ante hunc porrò Deum alterum constitisse, nempe boni ideam. Ad hæc tertium insuper principium excogitauit, quod ordine ac natura prioribus illis inferius; quam etiam* ψυχὴν τῶν ὅλων ἁπάντων ἀπεκάλει. id est, *ANIMAM omnium, quæ sunt, appellat.* Deinde lib. 4. iuxta eandem Plotini expositionem interpretatur mentem Platonis: vt trias illa Deorum ab ipso posita sic ordinetur: Pater sit τἀγαθόν, seu *Ipsum Bonum*, mentem omnem & vsiam excedens: ilius autem Mens, qui & τὸ ὄν & Idea nominatur: Tertius denique Deus sit ψυχὴ ἁπάντων, Anima vniuersorum. Consentiunt in eadem Platonis interpretatione Eusebius, & Theodoretus lib. 2. adversus Gentiles.

13 *VNDE* Reijciendus est Proclus, qui in Timæum scribens, post memoratas & reiectas aliorum opiniones circa mentem Platonis, sequitur aliam æquè improbabilem. Arbitratur enim Platonem illi suæ triadi principium supremum negasse, & supra illam posuisse aliquem Deum summum. Id autem colligit, quoniam vbique Plato à multitudine ad vnitates solet assurgere: ac proinde diuinus etiam ordo debet incipere ab vno. Vnde subdit: *A Trinitate progredi diuinum numerum oportet: sed Trinitatem Vnitas antecedit.* Sed enim futilis est interpretatio hæc Platonis, nullum aliumDeum summum constituentis, quàm primum illius triadis, quem τἀγαθὸν, *Ipsum-Bonum* appellat, Patrem τῆς αἰτίας, καὶ δημιουργὸς, id est, *Causæ & Opificis* rerum omnium aliarum, quem aliàs Mentem nominat. Deinde refellitur Proclus: quoniam si primus ille Deus triadis Platonianæ est summus è tribus, iam numerus ternarius assurgit in vnitatem, nempe in illum vnū Deum, & veluti superiorem alijs omnibus. Non ergo aut ex mente Platonis, aut ex ascensu vel reditu è multitudine ad veritatem, colligitur debere esse vnum aliquem Deum tota illa triade superiorem. Itaque Plato trinitatem divinam Patris, Filij, & Animæ, seu Spiritūs sancti agnovisse videtur.

14 *DENIQVE* Porphyrius, quem allegat S. Cyrillus differens adversus Iulianum Imperatorem, eodem sensu interpretatur Platonem, & ex ipsius mente triadem illam personarum divinarum exponit luculentiùs, dicens, ἀχρὶ τριῶν ὑποστάσεων, &c. *Vsq; ad tres hypostases* (ide est, substantias, aut personas) *progredi. nimirum, habere diuinam substantiam tres descensus, vel in triplicem numerum se propagare. Esse enim supremum, altissimumque Deum ipsum per se bonum; post eum & secundum Opificem, deinceps Animam mundi. Vsque enim ad Animam procedere deitatē.* Hæc inibi: ex quibus apertè confutatur opinio illa Procli statuentis, quasi ex mente Platonis, Deum aliquem supremum vltra totam illam triadem. Quòd verò Animam pro eodem accipiat, ac Spiritum; patet: nam Spiritus est Latinè, quod Græcè Anima, id est, ἄνεμος, *Ventus.* Porrò idem sunt spiritus ac ventus, sive anemos: & apud Latinos anima denotat spirationē ventumque. Quapropter, quē Scriptura appellat sæpe Spiritum, Plato & alij videntur appellasse Animam mundi: indeque fortasse Maro ansam arripuit, vt quadam eorum imitatione diceret Æneidos 6.

Principio cœlū ac terras, camposque liquentes,
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque astra
Spiritus intus alit: totamque infusa per artus
Mēs agitat molē & magno se corpore miscet.

Vbi *Spiritum* appellat Deum ipsum, iuxta sententiam Platonis, sive Animam mundi, vt omnes Stoici loquebantur: qui, teste Clemente Alexandrino lib. 5. Stromatum, asserebāt, Deum vniversam essentiam pervadere. Affert etiam

Clemens in id probandum carmina quædam Euripidis, Æſchyli, Orphei, ac Pindari. Idē Plato cum Socrate apud Plutarchum lib. 1. de Placitis cap. 3. ait: ὁ δὲ θεὸς νοῦς ἐστὶ τοῦ κόσμου. *Deus eſt mens mundi.* Quo ſenſu Laertius in Zenone dixit, *Animæ Vniuerſi partes eſſe animantium animas.* Vide plura alia à nobis obſervata diſp. 75. de Anima, & 79. Verùm Plato ipſe cum ſuis, Animam illam mundi, non quemlibet Deum perhibetur dixiſſe, ſed tertium illius triadis. Videtur ergo agnoviſſe Trinitatem ex Patre, Mente, & Spiritu, ſeu Animâ mundi conſtantem.

15 *POSSENT* Gentilium aliorum teſtimonia ijs ſimilia aggregari: verùm quæ hactenus exhibuimus, maioris notæ ſunt, & videntur ſufficere, vt ijs Philoſophis, ac præſertim Platoni, fateamur affulſiſſe aliquam Trinitatis divinæ lucem. Quod ex profeſſo docet, multipliciterque ſuadere conatur Eugubinus initio allegatus, præſertim toto ferè libro ſecundo Perennis Philoſophiæ. Sed & plura ipſius opinioni favencia longè antea indicarunt Cyrillus Alexandrinus lib. 1. & 8 contra Iulianum, Lactantius lib 4. Divin. Inſtit. cap. 9 Auguſtinus q 25. ad cap. 8. Exodi, & Oratione *de quinque hæreſibus aduerſus Iudæos*, & lib. 10. de Civit. cap. 28. & 29. Theodoretus lib. 2. contra Græcos poſt medium, Noſter Beda in Scholijs ad lib. Boetij de Trinitate, Ioannes Sariſberienſis in Policratico lib. 7. cap. 5. Claudianus Mamertus lib. 2. de ſtatu animæ cap. 7. vbi ait: *Quo fit, vt mirari admodum nequeam huius Platonis animam, qui tantis equidem ſæculis ante puerperium Virginis, ante Incarnationem, ante Reſurrectionem, ante prædicatam in Gentilibus ſummæ Trinitatis vnitatem ineffabilem, vnum, tres in diuinitate perſonas, laudabili auſu, mirabili ingenio, inimitabili eloquentia quæſiuit, inuenit, prodidit.* Legendi itidem ea de re Vincentius in Speculo Hiſtor lib. 4. c. 10. Ludovicus Vives in Commentarijs ad lib. 10. S. Auguſtini de Civit. c. 23. Abaelardus 1. introd. à c. 17 ad 25. Cuſanus lib. de Beryllo c. 23. & 24. Carpentarius ad 5. Theol. cap 6. Petrus Gregorius tom. 3. Comment. in Syntagma lib. 6 cap. 18 Salmeron tomo 2. tract. 23. Theophilus Raynaudus in Theologia Natur. diſt 5. q. 2. art. 2. Dionyſius Petavius lib. 1. de Trinitat. cap. 1. vt omittam Scholaſticos in 1. diſt. 3. & Interpretes D. Thomæ 1. p q. 32. ar. 1. qui obvij ſunt, & rem hanc leviter ſolùm indicarunt.

16 *NEC* Deſunt, qui velint, etiam in Regionibus Novi Orbis, antequam à Chriſtianis ille detegeretur, fuiſſe Trinitatis notitiam aliquam. Etenim de Peruanis prodit Ioſephus Acoſta lib. 5. Hiſtor. Moral. Indorum cap. 27. tres Solis ſtatuas adorare ſolitos: quarum vna SOL PATER ET DOMINVS ab ijs appellabatur: altera SOL FILIVS: tertia SOL FRATER. Nimirum, tria hæc ſignificari ait totidem vocibus Indicis, quibus ea exprimebant: *Aponti, Chuijnthi*, & *Intiquarqui*. Similiter teſtatur & ait, in vrbe illa eiuſdē Peruviæ, quæ Chuquiſaca dicitur, fuiſſe tres ſtatuas numinis præſidentis mediæ aëris regioni, vbi pluit, ningit, & tonat. Idolum verò, nomine *Tanga tanga* dicebatur eſſe *Vnum in tribus*, & ſimul, *tres in Vno*. De Sinenſibus quoque ſimilia refert Trigautius lib. 1. de Chriſtiana Expedit. apud Sinas cap. 10. ſicuti & de Tiberenſibus Cataiæ Nierembergius lib. 2. Hiſtoriæ Natur. cap. 17. Supereſt vt accedamus iam ad ferendum iudicium in hac controverſia.

SECTIO TERTIA.

Neminem ex Philoſophis vtcumque agnoviſſe Trinitatem, niſi præcedente Dei reuelatione aliqua, nec Triſmegiſtum quidem. Vbi de huius ſcriptis, an verè ab ipſo prodierint, an potiùs ſuppoſititia cenſeri debeant. Opinio Petauij impugnata.

17 IN Hac re primò certum videtur, nec Philoſophos Gentiles, nec quemquam alium ex mortalibus, quocumque excellenti ingenio præditum, ſecluſa Dei revelatione ſibi aut alteri facta, detexiſſe myſterium Trinitatis. Vt enim oſtenſum fuit latè Diſp. præcedenti, nec intellectus humanus, nec angelicus, ſolis naturæ viribus, & nullâ Dei revelatione ſuppoſitâ, potuit vnquam adinvenire aut excogitare rationes demonſtrativas, immo nec probabiles, ad id ſuadendum. Secluſis autem ijs, & revelatione Dei, nullum potuit eſſe principium Philoſophis ad cognoſcendum aut tradendum ſcripto myſterium Trinitatis. Quare vera eſt ſententia S. Thomæ 1. par. quæſt. 32. art. 1. ad 1. dicentis: *Philoſophi non cognouerunt myſterium Trinitatis diuinarum perſonarum per propria, quæ ſunt paternitas, filiatio & proceſſio, ſecundùm illud Apoſtoli ad Corinthios Loquimur Dei ſapientiam, quam nemo principum huius ſæculi cognouit: id eſt, Philoſophorum, ſecundùm Gloſſam.* Sive, vt exponit Anſelmus eo loco, *Regum & Philoſophorum, qui in hoc ſæculo principatum ſapientiæ tenere videbantur.* Neque in id probandum opus eſt proponere fundamentum aliquod præter ea, quæ loco indicato exhibuimus ſect. 2. & 3.

18 *QVARE* Supereſt, vt ſiquam Tri-

Trinitatis notitiam habuerunt vnquam Gentiles Philoſophi, ac nominatim Chaldæi, Ægyptij, Græci, vel Romani, illam hauſerint ex doctrina revelata ſacris Scriptoribus, vel Prophetis, Patriarchiſve antiquis, aut etiam Sibyllis (de quo Diſp. ſequenti) & ad eoſdem Ethnicos derivatâ, aut viva illorum voce, aut ſcripto. Hic eſt cõmunis ſenſus Patrum Eccleſiæ, quotcumque aſſerunt, aut indicant, huius myſterij affulſiſſe lucem aliquam Gentilibus. Neque enim eam notitiam tribuunt ijs vî naturali ingenij partam, ſed quaſi traditam magiſterio illorum, qui à Deo illuminati fuerunt, & eandem alijs, aut ſcripto, aut viva voce communicârunt.

19 *ATQVE* Imprimis, ſi Mercurius ille Triſmegiſtus verè ſcripto tradidit Trinitatis myſterium, & fuit multò antiquior Moyſe, vt plerique ſupponunt; neceſſum eſt vt eam doctrinam adeò arcanam, & naturali rationis lumini inacceſſam, didicerit; non quidem ex ſacra Scriptura, cuius primus ſcriptor fuit Moyſes: ſed per revelationem divinam, aut ſibi immediatè factam, aut alijs Patriarchis Moyſe antiquioribus, è quorum magiſterio aut traditione illam hauſerit, tempore ipſo legis naturę. De quo legendus Cano lib. 10. de locis cap. 6. Porrò Recentiores ferè omnes, Triſmegiſtum aiunt Moyſe & Pharaone antiquiorem fuiſſe: Candalla verò, qui eum Græcè & Latinè edidit, vult fuiſſe æqualem Abrahami. Non ergo Triſmegiſtus potuit, iuxta eam hypotheſim, diſcere myſteria fidei ex ſacris litteris à Moyſe ſcriptis. Abſurdum verò planè videtur quod idem Candalla ſubdit, Triſmegiſtum ipſum ſui ipſius interpretem Græcum fuiſſe. Nam tempore Abrahami, quo ille Triſmegiſtum floruiſſe ait, ne nomen quidem Græcorum, hoc eſt Ἑλλήνων, auditum fuerat: quippe quod longè poſtea inventũ eſt ſæculo circiter quinto-decimo ante Chriſtum natum, poſt aditam Chananæam. Etenim, vt colligitur ex Apollodoro lib. 1. Diodoro lib. 4. Strabone lib. 8. Pauſania Conone apud Photium Codice 186. Græcum omne genus (quod diviſum fuit in Æolicum, Doricum, & Ionicum) propagatum fuit ab Hellene filio Deucalionis, qui in Theſſalia ſedem ac regnum habuiſſe fertur. Huius tempore diluvium in Græcia ingens fuit circa annum ante Chriſtum M.D.XXIX. tertium ab egreſſu Hebræorum ex Ægypto. De quo videſis Petavium in Rationario l. 1. cap. 7. Abrahamus ergo, qui tot ſæculis Hebræorum exitum ex Ægypto antecеſſit, proindeque & Deucalionem, & Hellenem Græcorum parentem; totidem vt minimum ſæculis antiquior Græcis omnibus fuit. Cùm igitur Candalla aſſerat, Triſmegiſtum fuiſſe ſynchronon Abrahami, reliqui autem ferè dicant, ſaltem fuiſſe Moyſe & egreſſu Iſraelitarum antiquiorem; abſurdum eſt dicere, eum Græcè loquutum, aut ſui ipſius interpretem Græcũ fuiſſe. Deinde Euſebius *lib. 10. de Præpar. cap. 1. 2 & 3.* ac Theodoretus *lib. de Græcanicis affectionibus*, aiunt, Moyſem fuiſſe multò antiquiorẽ omnibus Philoſophis Græcis. Si ergo Triſmegiſtus longè antiquior Moyſe fuit, & æqualis Abrahami; nullus eſt locus, vt Græcè philoſophatus fuerit. *Denique*, Iamblicus in libro de Myſterijs auctor eſt, *Ægyptios ſcriptores putantes omnia inventa eſſe à Mercurio, ſuos libros Mercurio inſcripſiſſe.* Ægyptij autem ſcriptores, omnium conſenſu, fuerũt Græcis longè antiquiores. Ergo & Mercurius ipſe, cui, veluti omnium antiquiſsimo, cæteri Ægyptij ſua ſcripta, doctrinamque tribuebant, Græcis omnibus antiquior fuit. Hæc autem ferè omnia procedunt ex hypotheſi tantæ illius antiquitatis, quantam Triſmegiſto communiter tribuunt Recentiores, & ipſe Cãdalla. Vide infrà *num. 23. & ſeq.*

20 *QVIQVID* Autem ſit de tempore in quo floruit Triſmegiſtus, id certum exiſtimatur, eum vetuſtiſsimum Philoſophorũ fuiſſe, quotquot vnquam ſcripſiſſe inveniũtur, & Anteſignanum Theologiæ Ægyptiorum, vt Eugubinus loquitur. Eius nomine varia Opuſcula edita inveniuntur: vt liber Pimandri, ſeu Pœmandri: item liber ad Aſclepium, & alia quædam: ex quibus varia teſtimonia collegit S. Cyrillus Alexandrinus *lib. 1. contra Iulianum in fine.* Is non ſolùm Patris, ſed Verbi quoque, & Spiritus ſancti meminit, ac Trinitatis mundum fulcientis: propterea aĩt, *pyramidem ſubiacere mentali mundo.* Mitto teſtimonia ipſius ſuprà *num. 3.* memorata, & plura alia quæ allegant Suidas, Lactantius, & Auguſtinus, plureſque alij, tum Veteres, tum Recentiores, tanquam verè ſcripta ab Hermete Triſmegiſto, ſeu Mercurio.

21 *VERVMTAMEN* Ea omnia conficta eſſe, neque vnquam à vero illo Hermete, ſeu Mercurio Triſmegiſto prolata, cenſuit Albertus Magnus, quem allegat Dionyſius Carthuſianus *in 1. d ſt. 3. q. 3.* alijque, quorum exiſtimationem tuetur, ac multis ſtabilire conatur Dionyſius Petavius *lib. 1. de Trinit. c. 2.* latè, contendens, librum Pimandri Triſmegiſto adſcriptum, eſſe ſuppoſititium, & cõfictum, nec tantæ antiquitatis, quantam ei tribuunt omnes ferè docti, pariter & indocti: ſed ſub Apoſtolorum tempora prodijſſe. Summa autem rationum, quibus idem Petavius cum alijs ducitur ad id aſſerendum, præcipuè in eo nititur, quòd auctor verus eius libri decerpſerit plura, partim ex Platone, alijſque Philoſophis; partim ex Scriptura ſacra in vtroque Teſtamento. Id verò

ſò demonſtrare conatur conferendo ipſius doctrinam cum ea, quam in ſacris libris teſtatam habemus. *Primò* enim Mercurius ille *cap.* 1. Pimandri refert, ſibi per viſum oblatam fuiſſe faciem orbis cõditi. Ea verò talis ferè eſt, qualis depingitur à Moyſe in Geneſi. Ergo putandus eſt legiſſe librum Geneſis, ac proinde non fuiſſe antiquior Moyſe, cuius contrarium ſupponit. *Secundo.* Ibidem Pimader ſe λόγον κυρίȣ eſſe prædicat, id eſt, Sermonem, aut verbum Domini. Ea verò loquendi ratio & appellatio, planè eſt mutuata ex Scriptura, in qua ſola invenitur. *Tertio.* Ait ipſe, λόγον & νȣν, id eſt, Verbum & Mentem, eſſe genitum à Patre θεὸν τȣ̃ πυρὸς καὶ πνεύματος, *Deum ignis & ſpiritus.* Patet verò, ea deſumpta eſſe ex Evangelio Ioannis 1. vbi Filius Dei appellatur λόγος, ſeu Verbum; & ex teſtimonijs Mathæi & Lucæ 3. vbi Baptiſta ait, Chriſtum baptizare in ſpiritu & igne. *Quartò.* Mercurius ipſe λόγον, ſeu Verbum appellat ὁμοȣ́σιον *conſubſtantiale* Patri. Eam autem vocem vſurpare nõ potuit, niſi qui religionis Chriſtianæ rudimentis ſaltem initiatus eſſet. Sunt & alia plura loca ipſius apud Petavium allegatum, quæ videntur non ſolùm affinia, ſed eadem ferè cum ijs, quæ in ſola Scriptura, & nominatim in Novo Teſtamento leguntur. Ergo auctor Pimandri habuit planè notitiam vtriuſque Teſtamenti: ac proinde non fuit verus ille Triſmegiſtus longè antiquior omnibus divinis Scripturis; ſed circulator quiſpiam Semi-Chriſtianus, qui ſub Triſmegiſti perſona fumum ſuum poſteris venditare voluit.

22 *VRGETVR* Ampliùs. Nam cap. 16. eiuſdem Pimandri habetur epiſtola Æſculapij ad Ammonem, vbi ille ſe gerens veluti diſcipulum Mercurij Triſmegiſti, eius dictum refert, quod ſe ex ipſius ore accepiſſe teſtatur. Nimirum, libros ſuos Græcè redditos, fore obſcuriores; quin & amiſſuros vim & energiam ſuam ſi pigmentis ac ceruſſa Græcæ philologiæ veſtirentur. Quare inquit Æſculapius ad Ammonem Regem: *Quantum igitur potes, ò Rex, (nam omnia potes) orationem hãc ab nemine interpretetam conſerva, vti nec ad Græcos myſteria iſta perveniant: neve Græcorum ſuperba & diſſoluta loquendi ratio, ac velut ornamentis fucata, maieſtatem illius & grauitatem & efficacem vocabulorum locutionem enervet.* Ac mox: *Græci enim, ò Rex, orationes habent probationibus vacuas, minimeque efficaces: taliſque Græcorum eſt Philoſophia, vt ſit inanis ſtrepitus verborum.* Hinc autem perſpicuè conſtat, tempore, quo Pimander ſcriptus fuit, iam Græcam linguam, eiuſque elegantiam in vſu fuiſſe. Atqui ex dictis ſuprà *num.* 19. demonſtratum eſt, verum illum Triſmegiſtum multis ſæculis antecеſſiſſe Græcos omnes, & Hellenem illorum progenitorem. Ergo & Triſmegiſtus ipſe verus multis ſæculis antecеſſit auctorem Pimandri. Supereſt igitur vt hic fuerit quiſpiam circulator, aut aretalogus, qui non bellè mimum ſuum peregerit, dum librum pſeudepigraphum edidit, venditavitque tanquam ſcriptum ante Moyſi tempora; cum non, niſi poſt ipſum, immo & poſt Evangelium promulgatum ſcribi potuerit.

23 *DIFFICILIA* Profectò hæc ſunt: nec mirum vt Petavium, & alios, in eam opinionem adduxerint, vt antiquiſsimus ille Mercurius Triſmegiſtus non fuerit verus auctor Pimandri, aliorumque librorum, qui eius nomine circunferuntur. Adhuc tamen difficilius & incredibilius apparet, tot Eccleſiæ clariſsimos & præſtantiſsimos Patres hallucinatos fuiſſe, dum teſtimonia ex ijs libris exſcripſerunt, tanquam à vero illo Triſmegiſto editis, vt redarguerent Ethnicos, & alios errones, cõtra veritatem fidei noſtræ diſputantes. Et certè ijs non potuit non occurrere ſimilitudo inter quaſdam locutiones Pimandri, ac Sacræ Scripturæ in vtroque Teſtamento, quod paſsim legebant: nec veroſimile apparet, vt rationes ipſæ dubitandi, quæ Petavio & alijs difficultatẽ ingerunt, non pariter ijs in oculos incurrerent. Adhuc tamen ijs viſum fuit, illorum librorum auctorem fuiſſe, non circulatorem aut aretalogum quendam, ſub Apoſtolorum tempora ſcribentem, ſed verum illum & antiquiſsimum Mercurium. Ita ex Patribus S. Iuſtinus *in calce Protreptrici ad Græcos* Lactantius *lib.* 4. *c.* 6. Cyrillus *Tomo VI. lib.* 1. *contra Iulianum*; Auguſtinus *ipſe Tomo VI lib. de Hæreſibus c.* 3. & alij plures; teſtimonia Mercurij Triſmegiſti allegantes, tanquam veri, & nullatenus ſuppoſititij; eademque omnino cũ ijs, quæ in Pimandro habentur, & in alijs libris Mercurij ipſius nomine editis. Vnde, vt loquar cum Raynaudo in Theologia Naturali diſt. 5. q. 2. art. 2. n. 253. *præſtat ſanè cum tot perantiquis & eruditiſsimis Patribus falli, agnoſcendo pro veris Hermetis* (Triſmegiſti, nimirum) *operibus quæ illi agnoverunt, quàm nimia in operibus dijudicandis ſagacitate iniuriam inferre præiudicio illorum. Quod aliquos poſt Albertum feciſſe, & etiam num facere novimus.*

24 *IAM* Verò ad præcipuam difficultatem, ſeu fundamentum, cui innititur Petavius, ex antiquitate Triſmegiſti vltra Moyſem & Pharaonem, vt proinde non potuerit legere Pentateuchum Moyſi, nec ex eo vſurpare locutiones quaſdam; Reſpondeo non ſatis probari tantam Mercurij antiquitatem, quidquid

Can-

Caudalla ſuprà impugnatus, & alij Recentiores dixerint, ſuppoſuerintvè. Quin potiùs habeo pro me Cyrillum ſuprà allegatum, qui Mercurium illum, cuius teſtimonia allegat, à Moyſe ſuam Theologiam didiciſſe arbitratur, dicens: τελεσθὴς ὢν, καὶ τεμένεσι θεῶν προσιζήσας, &c. Id eſt: *Cùm eſſet ſacrificus, templiſque deorum aſſideret, viſus eſt ſemper Moſaica æmulari, tametſi haud prorſus ſyncerè & citra culpam. At ex parte habuit, Vnde ex Moſe proficeret.* Si autem & Moyſem æmulatus fuit, & per ipſum profecit; profectò non prior, ſed poſterior Moyſe fuit. Habeo vlteriùs pro eâdem opinione Auguſtinum, qui lectis abſdubiò, & expenſis, quæ eouſque circumferebantur de antiquitate Triſmegiſti, cenſet illum diu poſt Moyſi tempus natum fuiſſe. Etenim lib. decimo-octavo de Civitate cap. triceſimo nono loquens de cultu litterarum apud „ Ægyptios, ait: * Quod attinet ad Philoſo- „ phiam, quæ ſe docere aliquid profitetur, vn- „ de fiant homines beati, circa tempora Mer- „ curij, quem Triſmegiſtum vocaverunt, in il- „ lis terris eiuſmodi ſtudia claruerunt. Longè „ quidem antè ſapientes, quàm Philoſophos, „ habuit Græcia: ſed tamen poſt Abraham, & „ Iſaac, & Iacob, & Ioſeph: nimirũ, etiam poſt „ ipſum Moyſem. Eo quippe tempore, quo „ Moyſes natus eſt, fuiſſe reperitur Atlas ille „ magnus Aſtrologus Promethei frater, mater- „ nus avus Mercurij Maioris, CVIVS NE- „ POS FVIT TRISMEGISTVS ILLE MER- „ CVRIVS. Hucuſque Auguſtinus: qui non ex cerebro quidem finxit, ſed ex lectione antiquorum ſcriptorum didicit, Triſmegiſtum longè poſt tempus Moyſi natum fuiſſe: vtpote nepotem Mercurij Maioris, & abnepotem Atlantis, cuius tempore Moyſes natus eſt. Quare cùm inter Atlantem & Triſmegiſtum quatuor generationes interceſſerint, ſatis veroſimile eſt, vt multis annis poſt egreſſum Iſraelitarum ex Ægypto, poſt ſcriptum à Moyſe Pentateuchũ, & poſt propagationem Græcorum ab Hellene Deucalionis filio, aut natus fuerit, aut ſaltem floruerit Triſmegiſtus. Vnde & legere potuit Pentateuchum à Moyſe ſcriptum, & ex illo vſurpare partem aliquam doctrinę, & quaſdam loquendi formulas. Potuit etiam vetare vt ſua ipſius ſcripta Græcè redderentur, ne amitterent robur & gravitatem: cùm iam eo tempore Græca turgeret facundia: vtpotè quæ paulo poſt egreſſum Iſraelitarum ex Ægypto incepit, annuente ipſo Petavio lib. 7. Rationarij cap 7. Nihil ergo inde imminuitur fides Scriptoris Pimandri, nec ſatis probatur, librum illum non fuiſſe à Triſmegiſto ſcriptum.

25 *PRÆTEREA*. Idem Auguſtinus cap. 40. immediato irridet Ægyptios ſibi arrogantes in litteris antiquitatem cẽtum miſlium annorum, cùm tamen ſuo ipſius tempore vix elapſa fuiſſent pluſquam duo millia ab eo tempore, quo Iſis prima omnium cultum litterarum in Ægyptum invexit. In quod probandum allegat Varronem veterem ſcriptorem, de quo & inquit: *Non enim parvus author eſt in hiſtoria Varro, qui hoc prodidit, quod à litterarum etiam diuinarum veritate non diſſonat.* Porrò ab ortu Moyſi vſque ad tempus in quo hæc ſcribebat Auguſtinus, fluxerunt circiter duo millia annorum: vt vel leviter verſatis in Chronologia patet. Moyſes enim natus fuit anno ante Chriſti ortum milleſimo quingenteſimo octuageſimo nono (de quo videndus Salianus initio quartæ mundi ætatis) ac proindè bis milleſimo circiter antequam Auguſtinus ſcriberet libros de Civitate circa annum Chriſti CCCCXX. Quare ſi ab eodem Auguſtini tempore vſque ad primam litterarum introductionem in Ægyptum non multò plures annĩ duobus millibus fluxerunt, oportet vt paulo ante Moyſis nativitatem Iſis eas invexerit. Vnde ſi Mercurius Triſmegiſtus fuit Moyſe antiquior, vt communiter Recentiores ſupponũt, vix, aut ne vix quidem locus eſt, vt Atlas abavus eiuſdem Triſmegiſti fuerit in Ægypto magnus Aſtrologus: quod planè teſtatur idem Auguſtinus cap. 39. præcedenti. Nimirum, ipſe Atlas Aſtrologiam non didicit, niſi poſtquã Iſis illam cum alijs diſciplinis in Ægyptum invexerat. Cumque inter Iſidem & nativitatem Moyſi non multum tempus interceſſerit, nullatenus potuit eſſe ſufficiens ſpatium, vt in terim quatuor generationes ab Atlante ad Triſmegiſtum decurrerent, & multò minus vt hic eſſet antiquior Moyſe. Quare, quidquid Recẽtiores ſupponant, dicendum eſt, Triſmegiſtum Moyſe poſteriorem fuiſſe: ac proinde potuiſſe in Ægypto legere Pentateuchum ab ipſo ſcriptum, ex eoque diſcere ſacram hiſtoriam, ac locutiones quaſdam vſurpare, & in Pimandrum alioſque libros ſuos transferre. Quin & vlteriùs ex traditione ab Hebræis in Ægypto diſſeminata circa Trinitatis myſterium, potuit illud ſubobſcurè ſaltem, prout ab ijs tradebatur, addiſcere, & poſtea ſcripto evulgare. Statuta autem ſemel poſsibilitate eius rei, ſolùm ſupereſt difficultas circa factum. Cùm verò factum ipſum teſtentur tot antiqui ſcriptores & Patres, præſtat illorum præiudicio deferre, quàm Recentiorum quorumlibet. Accedit quòd immẽſa præconia, quibus Veteres omnes Mercurium illum in cœlum extollunt, denotent, eum cæteris mortalibus longiſsimè antecelluiſſe in notitia rerum divinarum, & myſteriorum Dei. Proptereà enim illum Triſmegiſtũ, id eſt, Termaximum appellarunt: ſicuti Homerus beatiſ-

tiſſimos quoſdam *Triſmatum* dicit, id eſt, Texabeatos: & alij ex Græcis iniquiſsimum quempiam, atque extremè improbum appellat, Triſcataraton, nimirum, Ter-execrandum. Ideo de illo inquit Plato in Phædro, Deũ apud Ægyptios habitum: & Philo Phœnix, omnium mortalium, quos Sol vnquam aſpexit, ſapientiſsimum appellat ex ſententia Sanchuniati, Theologiæ Phœnicum illuſtratoris, qui & illum ducem habuerit in tradendis rebus divinis ac vetuſtiſsimis, eiuſque libros ex Ægyptia in Phœniciam linguam verterit. Lege plura apud Eugubinum lib. 1. c. 25.

26 *VNVS* Reſtat ſcrupulus ex locis Noui Teſtamenti obſervatis à Petavio, quorum aliquæ locutiones leguntur in Pimandro, quæ ſanè vſurpari non potuerunt à ſcriptore aliquo, quamvis eius temporis à nobis conſtituti Triſmegiſto, quatuordecim circiter ſæculis ante adventum Chriſti, & non antea. Reſponderi tamen poteſt primò, locutiones illas Pimandri nõ eſſe omnino eaſdem cum ijs, quæ leguntur in Novo Teſtamento: ſed aliquantò diverſas, vt patet ex collatione illarum. Deinde nonnullæ earum inveniuntur apud Platonem, & alios Philoſophos veteres, præſertim circa Νοῦν, ſeu *Mentem* genitam ab æterno Patre, vt vidimus num. 4. & ſeqq. itemque circa Animam mundi, ſeu Spiritum diſtinctum ab vtroque, vt patet ex tota ferè ſect. 2. quę omnia procul dubiò ab ijs Philoſophis ſcripta & vbique vulgata fuerunt, multis ſæculis antequam Novum Teſtamentum ſcriberetur. Nihil ergo mirum ſi aliquæ locutiones affines formulis illius legantur multò antea expreſſæ in Pimandro Triſmegiſti.

27 *NEQVE* Obſtat quòd aliquæ illarum ſint propriæ Noui Teſtamenti. nam id non prohibet vt inveniantur aliæ anteriores formulæ ijs quadantenus ſimiles, præſertim quoad perſonas Trinitatis ſecundùm ea, quæ ſingulis earum appropiantur. Quod agnovit in ijs veteribus Philoſophis S. Thomas 1. p. quæſt. 32. corpore, dicens. *Cognouerunt tamen quidam eſſentialia attributa, quæ appropriantur perſonis: vt potentia Patri, ſapientia Filio, bonitas Spiritui ſancto.* Quod tandem opponit Petavius, vocem homoüſion de Verbo ſeu Mẽte divina acceptam, quæ legitur in Pimandro, non potuiſſe vſurpari, niſi ab homine myſterijs fidei Chriſtianæ initiato; pariter debet ab ipſo ſolvi. Nam neque vlla τοῦ ὁμοουσίου mentio habetur expreſſa in ſacris litteris, aut habita fuit in vſu Eccleſiæ, vſque ad tempus Concilij Nicæni, tribus ferè ſæculis poſtquam τὸ ὁμοούσιον in Pimandro legebatur, niſi apud paucos quoſdam: de quo legendus idem Petavius lib. 4. de Trinit. cap. 5. & nos infrà Diſp. LV. ſect. 3.

Quemadmodum ergo ſcriptor Pimandri verã vſus fuit voce longè poſtea recepta ab Eccleſia, veluti teſſera Catholicæ religionis contra perfidiam Arianam; ita etiam potuit vti vocibus aut formulis affinibus ijs, quæ poſtea expreſſæ fuerunt in Evangelio. Nimirum, poſtquam ille myſterium Trinitatis vtcumque didicerat ex ſubobſcura traditione apud Hebræos, vel ſcripta Moyſi; ita etiam, vt erat ingenio præcellẽti, & forſan ſpeciatim illuſtrato à Deo, potuit adinvenire voces opportunas exponendis myſterijs, & ſimiles ijs, quibus poſtea Scriptores ſacri vſi ſunt, & ipſa Eccleſia in Concilio Nicæno.

28 *DENIQVE* Fortaſis accidere potuit, vt aliquæ ex ijs vocibus, aut formulis locutionum, quæ in Pimandro leguntur à tempore ipſo Apoſtolorum, adderentur ab aliquo homine ſemi-chriſtiano, aut Chriſtiano quidem, ſed imprudente, qui religioni Catholicæ vellet conciliare fidem ex teſtimonio Philoſophorum Gentilium, quaſi ij dixiſſent, quod reverà non dixerunt. Eo autem ſummùm permiſſo, liber Pimandri, & reliqua Opuſcula, quæ Triſmegiſti nomine circumferuntur, nõ propterea inter pſeudepigrapha aut commentitia cenſeri debent: nam & plurima aliorum ſcripta indubitata habentur, licèt quorundam negligentiâ, aut fraude vnum vel aliud verbum ijs additum aut detractum inveniatur. Quare doctorum & eruditorum hominum curæ eſt potiùs ea corrigere, aut emaculata reddere, quàm omnino proſcribere veluti ſuppoſititia, contra omnium antiquorum ſententiam.

SECTIO QVARTA.

Notitiam Trinitatis, quæ in libris Triſmegiſti deteguntur, videri conſonam Catholicæ doctrinæ; illam verò quæ extat in ſcriptis Platonis, & aliorum Gentilium, non eſſe puram, ſed fæce errorum admiſtam, è quibus Ariana hæreſis ortum duxerit, & Catholica veritas confirmari non poſsit. Argumenta initio obiecta ſolvuntur.

29 POSTQVAM Sectione præcedenti ſtatuimus, libros nomine Triſmegiſti à Candalla & alijs editos, nõ eſſe ſuppoſititios, nec ab aliquo circulatore ſcriptos, ſed ab ipſo, prout omnis Chriſtiana antiquitas exiſtimavit; nunc addendum eſt, doctrinam in ijs traditam circa myſterium Trinitatis, poſſe commodè intelligi & explanari, vt nõ diſſideat à doctrina Catholica, ſeu ab vnitate perſonarum in eſſentia. Id patet ex teſtimonijs Triſmegiſti ipſius, ſuprà num. 3. exſcriptis: ac præterea ex eo, quòd λόγον illud, ſive Verbum

Pa-

Patris æterni, appellat ὁμοούσιον, id eſt, conſubſtantiale Patri, vt ſuprà num.21. vidimus: quæ vox Catholicæ fidei quaſi teſſera eſt ad explanationem huius myſterij.

30 *INSVRGIT* Petavius vbi ſuprà contra hanc exiſtimationem ex libro Hermetis, id eſt, Triſmegiſti, qui λόγος τέλειος, id eſt, *Sermo perfectus* inſcribitur: cuius teſtimonium à Lactantio primùm Græcè allegatum lib.4. cap.6. dein Latinè ab Auguſtino Tomo VI. lib de hæreſibus cap.3. eſt huiuſmodi: ὁ κύριος καὶ πάντων ποιητής, &c. *Dominus, & vniuerſorum effector, quem nos Deum appellare inſtituimus; poſtquam ſecundum fecit Deum aſpectabilem, & ſenſibilem (ſenſibilem dico, non quòd ſenſu vtatur ipſe: nam de eo cauſæ eſſe nihil poteſt, cur ſentire dicatur: ſed quoniam in ſenſus immittit, & mentem) quoniam ergo primum illum fecit, ac ſolum, & vnum; & pulcher ei viſus eſt, & bonis omnibus refertiſsimus, ſanctificauit eum, ac penitus dilexit, velut proprium fœtum.* Vbi Verbum illud, ſeu Filium Dei, non videtur vllo modo aſſerere ὁμοούσιον Patri, prout ſuprà ex Pimandro legimus, ſed factitium. quale profectò ab Arianis confictum fuit. Porrò verbum, ἐποίησε, id eſt, *fecit*, quo ſemel & iterum Hermes, ſeu Triſmegiſtus vtitur, nullum relinquit locum vt ſecundus ille Deus ſit purè genitus, & non factus.

31 *RESPONDEO* Verbum ἐποίησε, *fecit*, pro eodem vſurpari à Triſmegiſto, ac verbum ἐγέννησε *genuit*: nam in teſtimonio alio ſuprà num.3. exſcripto idem Triſmegiſtus fœtum illum Patris æterni appellat μονογενέα, id eſt, *vnigenitum* Patris. quo ipſo potiùs ipſius generationem, quàm effectionem, ſignificaſſe videtur. Accedit, quòd Suidas apud Eugubinum lib.2.cap.17.ait: *Mercurius Termaximus, is fuit ſapiens Ægyptius. Floruit ante Pharaonem. Appellatus eſt Termaximus, quoniam de Trinitate edidit oraculum, dicens, in Trinitate vnam eſſe diuinitatem, his verbis: Erat lumen intellectuale ante lumen intellectuale. Et erat ſemper MENS MENTIS luminoſa. Et nihil aliud erat, quàm horum vnitas, & Spiritus omnia continens. Extra hunc non Deus, non Angelus, nõ ſubſtantia vlla alia. Omnium enim dominus, & Pater, & Deus, & omnia ſub ipſum, & in ipſo ſunt. Nam Verbum eius perfectum exiſtens, & fœcundum & opifex lapſum in fœcunda natura, & aqua fœcunda, prolificam fecit aquam.* Vbi, inter alia, palam expreſsit τὴν ἑνότητα, id eſt, vnitatem illorum trium, quorum primum appellavit alijs atque alijs locis Genitorem, alium Vnigenitum, alium denique Spiritum. Lege Lactantium lib.1. Divin. Inſtit. cap.6. & lib.4. c.6. & 7. dicentem: *Non dubito quin ad veritatem Triſmegiſtus hac aliqua ratione peruenerit: qui de Deo Patre omnia, de Filio verò loquutus eſt multa, quæ diuinis continentur arcanis.* Iterum autẽ moneo, ſi quid verè ſcivit ſeu novit Triſmegiſtus de myſterio adeò arcano & ſublimi, acceptum fuiſſe per revelationem divinam fidelibus Hebræis ſeu Patriarchis factam, & inde ad ipſum derivatam.

32 *QVOD* Autem nemo ex cæteris Philoſophis Gentilibus tradiderit aliquid de Trinitate ſine fœce erroris, ne Plato quidẽ; patet conſulendo illorum teſtimonia: in quibus nunquam vnus Deus in tribus perſonis legitur, neque eadem divinitas trium; ſed tres dij, ſeu totidem perſonæ ſingulis naturis conſtantes, immo & inæquales inter ſe, quales poſteà ab Arianis creditæ ſunt. Imprimis enim Plato, tum in Timæo, tum alibi ſæpe, ſummum quẽdam ac ſupremum Deum & vnicum, ac prorſus ſingularem, agnoſcit, qui aliorum deorum, & minorum quidem ſator ac propagator ſit. Atque in eodem Timæo deſcribit inferiores, poſt illum ſummum, deos, quibus curæ ſit efficientia rerum corporatarum, quæque ſub aſpectum cadunt. Alijs quoque locis duos ac tres deos vniverſè diſtinguit, è quibus primus reliquorum Parens & effector ſit: ſecundus Demiurgos ſeu Opifex rerum aliarum: tertius ſubobſcurè ſignificatus, quem multi, quaſi ex ipſius ſenſu, Animam mundi interpretantur. Quin vel in loco illo ex epiſtola ſecunda ad Dionyſium ſuprà exſcripto num.11. quem magnis clamoribus celebrant Eugubinus, & Claudianus Mamertus, Plato ipſe palam proferre videtur tres perſonas divinas: non tamen æquales, ſed quarum vna ſola ſit ſumma, & ſibi ſufficiens, abſoluta, & ſine habitudine ad reliquas, ac τ'αγαθὸν, hoc eſt *ipſummet bonum*, &, vt Proclus exponit, *cauſa vel principium eſſentiæ omnis, & ſupra id omne quod eſt, erectum*: vel vt ipſe Plato ibidem ait, αἴτιον ἁπάντων τῶν καλῶν. id eſt, *cauſa pulchrorum omnium*. Secundum autem deum priori ſubijcit, tanquam ab eo præpoſitum efficiendis rebus ac procurandis. Licèt autem nonnunquam genitum ab eo dicat, non tamen quaſi ὁμοούσιον, *conſubſtantialem* generanti, ſed quaſi factum reipsâ, & verbo tenus genitum: quale fingebant Arius, Euſebius Cæſarienſis, & Arianorum virulentiſsimi Anomæi, id palam effutientes, quod ipſorum anteambulo ſentiebat quidem, ſed tenebris obducere conabatur. Tertius denique è tribus ijs manifeſtè à Platonicis dicebatur factus, quem propterea ποίημα, id eſt, effectum, ſeu facturam appellabant. Non ergo Plato aſſeruit Deum vnicum tribus perſonis æqualibus conſtantem,

ſed

ſed tres deos inæquales, & quorum ſupremus fuerit conditor, ſeu factor reliquorum.

33 *CONFIRMATVR I.* Macrobius enim lib. 1. in Somnium Scipionis cap. 14. hoc eodem ſenſu Platonem interpretatur, dicens: *Deus qui prima cauſa & eſt, & vocatur, vnus omnium, quæque ſunt, quæque videntur eſſe, princeps & origo eſt. Hic ſuperabundanti maieſtatis fœcunditate de ſe MENTEM CREAVIT. Hæc Mens, quæ νοῦς vocatur, quà Patrem inſpicit, plenam ſimilitudinem ſervat auctoris: Animam verò de ſe creat, poſteriora reſpiciens. Rurſus Anima partem, quà intueatur, exuitur; ac paulatim regrediente reſpectu in fabricam corporum, incorporea ipſa degenerat.* Vbi verbis illis, *Mentem creavit*, ſicut & ſequentibus, *Animam creat*, videtur duos illos poſteriores deos aſſerere creatos, ſive factos à Deo illo ſupremo, quem *primam cauſam* appellat. Plato igitur, interprete Macrobio, non agnovit tres perſonas divinas æquales, ſive increatas: ſed vnicum ac prorſus ſingularem Deum ſupremum, qui aliorum duorum, veluti inferioris notæ, cauſa & effector ſit. quæ planè eſt impietas Ariana. Sed longè maioris ponderis eſt quod legitur apud Tertullianum, *omnes hæreſes a Philoſophia* (nimirum, prava) *ſubornari, & Platonem omnium hæreticorum condimentarium factum.* Similiter Iſidorus Peluſiota lib. 2. Epiſt. 143. obſervat, Philonem Platonicum ſtatuiſſe inæqualitatem perſonarum divinarum, poſtea ab Ario traditam. Noſter quoque Genebrardus lib. 1. de Trinit. circa quintum errorem notat, Platonem & Platonicos, vt Calcidium & Plotinum, commentos fuiſſe in divinis perſonis eſſentiæ multiplicitatem, quod & antea obſervavit Scaliger Exercitat. 365. n. 3. & de Platone nominatim Conſtantinus Magnus Oratione ad Sanctorum cœtum cap. 9.

34 *CONFIRMATVR II.* Quoniam S. Cyrillus alijs atque alijs locis exponēs ſenſum Platonis circa Triadem illam, aſſerit illum poſuiſſe tres deos, & hos inæquales: vnum, videlicet, increatum & ſupremum; reliquos duos inferiores, & ab ipſo factos. Ita ille lib. 1. contra Iulianum: vbi & addit, eam Platonis exiſtimationem fuiſſe prolusionem quandam Arianæ hæreſeos. Deinde lib. 3. adverſus eundem Iulianū, inquit: *Quippe pater & præceptor ipſius Plato vnum quidem eſſe Opificem definijt eum, qui cauſa eſt omnium: quē & mundo citimum eſſe factum aſſerit. ante hunc porrò Deum alterum conſtituiſſe, nempe Boni Ideam. Ad hæc tertium inſuper principium excogitavit, QVOD ORDINE ET NATVRA PRIORIBVS ILLIS INFERIVS: quam etiam omnium, quæ ſunt, Animam appellat.* Hactenus ille: luculenter exponens qualiter in Triade illa à Platone cōficta, primus Deus, id eſt, Idea Boni, præcedat; ſequatur deinde ſecundus, id eſt, Demiurgos, ſeu Opifex ab ipſo factus: tertius denique ſit Anima mundi, vtroque illo inferior. Deinde lib. 8. idipſum fuſiùs exponit, addita præterea interpretatione Numenij ac Plotini in eundem ſenſum: cōcluditurque, eam exiſtimationem plurimùm abhorrere à ſenſu Catholico circa Trinitatem.

35 *CONSONAT* Cyrillo clariſſimum Eccleſiæ ac Theologiæ lumen Auguſtinus lib. 13. de Civitate cap. 16. & 17. vbi ex Platonicorum ſenſu conſtituit tres divinitatis gradus. Primum nominat propriū ſummi Dei, à quo producti ſint reliqui: ſecundum conuenientem mundo: tertium complurium deorum corporibus illigatorum, diſſolubilium ac mortalium natura ſua, ſed immortalium ex dono ſummi Dei, qui natura omni valentior eſt. Quę interpretatio abſdubiò eruta eſt ex Platonis Timæo: vbi ſupremus ille Deus alijs minoribus dijs immortalitatem pollicetur verbis à Cicerone redditis lib. de Vniverſitate in hunc modum: *Hæc vos, qui deorum ſatu orti eſtis, attendite: quorum operum ego parens effectorque ſum: quæ per me facta non ſunt diſſoluta me invito: quamquam omne colligatum ſolui poteſt. Sed haud quaquam boni eſt ratione vinctum velle diſſoluere. At quoniam orti eſtis, immortales vos quidem eſſe & indiſſolubiles non poteſtis. Neutiquam tamen diſſolvemini, nec vlla vos mortis fata peribunt.* Hæc Plato: in quibus apertè ait, omnes illos deos à primo & ſummo conditos, eſſe natura ſua diſſolubiles, ac mortales, qui proinde in nihilum abirent, niſi ipſius beneficio perſiſterent. Agnoſcit igitur illos planè creatos, & inferiores ſummo Deo. Neque obſtat quòd in eodem Timæo, δημιουργὸν, ſeu Opificem appelet αἴτιον, id eſt, cauſam, ſummumque parentem, & conditorem rerum omnium. Nam eo loco, appellatione τοῦ δημιουργοῦ ſeu Opificis, non videtur denotare voluiſſe ſecundum illum Deum, ſive Mentem, quam alibi docet à Patre procreatam; ſed ſummum ac ſupremum Deum, quem appellat τἀγαθὸν, *Ipſum-bonū*, ſeu Ideam Boni. Alioqui ſibi alijs atque alijs locis palam contradiceret.

36 *VERVM* Nominatim circa perſonam Spiritus ſancti idem Auguſtinus monet, ignotam prorſus fuiſſe ſummis Philoſophis; atque in id probandum allegat Didymū, quin & adumbratum vult in hiſtoria Magorū Ægyptiorum: qui cum Moyſe contendentes, cùm non poſſent perinde ac ille, cyniphes edere, dixerunt: *Digitus Dei eſt hic.* Nimirum, digi-

digitū nomine Spiritū ſanctum denotari. Verba ſunt: *Commendatur enim fortaſſe Trinitas: & quod verum eſt, ſummi Philoſophi Genſium, quantum ex eorum litteris indagatur, ſine Spiritu ſancto philoſophati ſunt: quamvis de Patre & Filio non tacuerint. quod etiam Didymus in libro ſuo meminit, quem ſcripſit de Spiritu ſancto.* Vbi de Platone potiſsimùm, alijſque præſtantibus Philoſophis, vno Triſmegiſto excepto, intelligendus eſt Auguſtinus, vt iam monuimus ſectione præcedenti. Ignoto autem Spiritu ſancto, patet myſterium Trinitatis ignorari. Non ergo vel præſtantiſſimi ex Philoſophis, ſalem Triſmegiſto excepto, compertum habuere myſterium Trinitatis. Idipſum tradit Cyprianus, vel ſiquis alius auctor eſt Operis de Virtutibus Chriſti Cardinal. Serm. de Spiritu ſancto: vbi inquit, *Platonicos de Patre & Filio aliqua ſenſiſſe: non potuiſſe tamen propinquare ſanctitudini.* id eſt, ad notitiam Spiritus ſancti. Verùm & S. Petrus Damianus Sermone de Annuntiat. idipſum docet, ſicut & auctor Sermonum adſcriptorum Bernardo, titulo Sermonis ſecundi de Nativit. vbi nominatim de Platone hæc habentur: *Nunquid non maximus ille Gigas (Platonem loquor) ab intellectu tam puriſsimæ veritatis repulſus eſt? Nunquid non acerrimo mentis ingenio tangens, ſed non attingens divinitatem Dei, dicit: Vnum inveni, quod cuncta operetur, & aliud per quod cuncta efficiuntur: tertium autem invenire non potui? Rectè de Spiritu ſancto inſcius, qui illi non erat infuſus, qui ſanctarum revelationū magiſter eſt, qui revelat Paulo quæ oculus non vidit, ſicut idem Apoſtolus gloriatur.* Quare D. Thom. 1. p. q. 32. art. 1. ad 1. ait de ijs: *Licèt appropriata tribus perſonis cognoſcerent, dicūtur tamen in tertio ſigno defeciſſe: id eſt, in cognitione tertiæ perſonæ: quia à bonitate, quæ Spiritui ſancto appropriatur, deuiauerūt, dum cognoſcentes Deum, non ſicut Deū glorificauerunt, vt dicitur Roman 1. Vel quia ponebant Platonici vnum primum ens, quod etiam dicebant eſſe Patrem totius vniuerſitatis rerum. Conſequenter ponebant aliam ſubſtantiam ſub eo, quam vocabant Mentem, vel paternum intellectum: in quo erant rationes omnium rerum, ſicut Macrobius recitat ſuper Somnium Scipionis. Non autem ponebāt aliquam ſubſtantiam tertiam ſeparatam, quæ videretur Spiritui ſancto reſpondere. Sic autem nos non ponimus Patrem, & Filium ſecundùm ſubſtantiam differentes: SED FVIT ERROR ORIGENIS ET ARII SEQVENTIVM PLATONICOS.* Hactenus ille.

37 *QVAPROPTER* Refellendi ſunt, Eugubinus, Claudianus Mamertus, & alij, magnis clamoribus celebrantes Platonem, quaſi diſertè & perſpicuè arcanum illud myſterium Trinitatis cognoverit & tradiderit, propterea-que gratiam ipſi habere debeamus. Sed enim potiùs Origenes & Arius, cum grege ſuo, eam celebritatem Platoni conciliare deberent, qui ova ijs commiſerit excludenda. Nimirum, quā ille erroribus cōſpurcatam & fœculentā Triadem ſcripto edidit obſcuriore, ij palā evulgā-runt in ſummā Chriſtiani orbis perniciem. Eadem verò ratio eſt de Porphyrio, ac Plotino, & alijs Platonicæ doctrinæ ſectatoribus: qui omnes cœcutierunt, aut caligaverunt quaſi noctuę circa inacceſſam lucē eius myſterij. Gratulā-dum potiùs eſt Patribus Concilij Nicæni, quī pro commentitia Triade, cuius fabula per totū pene orbem graſſabatur, veram & ſolidam aſſeruerunt. Neque ipſi ad eam contra Arianos probandam vſi ſunt tam debilibus fundamentis, qualia eſſent teſtimonia Gentilium, præſertim erronum, & à veritate deviantium: ſed longè ſolidioribus divinæ Scripturæ palam illam tradentis. Quippe ij perſpectum habebāt, illud probationis genus futile prorſus & enerve eſſe: nec idoneas eſſe tenebras ad aſſerendam lucē. Audiant itaque Eugubinus, & Mamertus expoſtulationem Photij in Bibliotheca Codice 170. conquerentis, *aliquos ex noſtris ea quæ plurimum diſtant & abhorrent, eniti ad religionis noſtræ, quæ nequaquam indiga, ſed ſola ſyncera eſt ac vera, comprobationē per vim applicare, eaque conciliare cum noſtris, à quibus magis differunt, quàm à luce tenebræ.* Nec ideo tamen nego, Platonem ex ſcriptis Triſmegiſti iam Græcè redditis potuiſſe agnoſcere Trinitatē perſonarum divinarum. Sed tamen vbi in ijs ignoravit vnitatem numericam naturæ, & æqualitatem ſuppoſitorum, non eſt dicendus agnoviſſe Triadem veram, qualem credimus Catholici; ſed fabuloſam, qualem Ariani poſt Platonicos commenti ſunt.

38 *AD* Argumenta ſectionis primæ, fatemur aliquos ex Gentilibus agnoviſſe in divinis Patrem & Filium, non tamen conſubſtantiales: in quo potiſsimùm ſitum eſt myſterium Trinitatis. Solus fortaſſe Triſmegiſtus id ex traditione Hebræorum in Ægypto agnovit, & ſuboſcurè explicavit, prout acceperat ab ijs. Reliqui autem, ſive Zoroaſter, ſive Plato, ſive alij quicumque Græcorum, quamvis Mentem à Patre progenitam dicant, ſatis denotant illam fuiſſe factam, inferioremque, & ſubſtantiæ diverſæ à conditore. Quod ſupra demonſtravimus, in ipſorum teſtimonijs haberi. Si autem forſan alicuius ex ijs teſtimonium luculentum exhibeatur pro vera Trinitate; idem ferè de illo dicemus, ac de Triſmegiſto.

AD

39 AD Argumenta ſectionis ſecundæ patet ſimiliter ex nuper dictis, Trinitatem à Gentilibus traditam (ſaltem Triſmegiſto excepto) non fuiſſe qualem Catholici credimus, tribus perſonis omnino æqualibus & vnicâ eſſentiâ conſtantem: ſed qualem Ariani poſtea exceperunt & evulgârunt. Oſtenſum enim eſt, Philoſophos illos triplicem Deum inæqualem conſtituiſſe, triplici naturâ conſtãtem, ſupremâ in ſummo Deo, inferiore in duobus reliquis. Verùm vt monuimus num. 17. & 18. qualiſcumque demum notitia ijs fuerit circa tres perſonas divinas, non eſt orta ex acumine ingenij, ſed ex traditione ab Hebræis accepta, quamvis conſpurcatâ, & tenebris errorum obductâ ab ipſis Gentilibus. Aut etiam id diſcere potuerunt ex Sibyllarum Oraculis, ſive prædictionibus, quas ipſi Gentiles legere, allegare, & in pretio haberi ſoliti ſunt. Denique Philoſophi Gentiles qui paulo poſt evulgatum Evangelium ſcripſere, videntur plurima circa res divinas mutuaſſe ex Novo Teſtamento. Ideoque Marſilius Ficinus libro de Religione Chriſti cap. 2. & 20. ait: *Ego certè reperi præcipua Numenij, Philonis, Plotini, Iamblici, Proculi myſteria, à Ioanne, Paulo, Hierotheo, & Dionyſio Areopagita, accepta fuiſſe. Quidquid enim de Mente Diuina, Angeliſque, & cæteris ad Theologiam ſpectantibus, magnificum dixerè, manifeſtè ab illis vſurpauerunt.*

40 QVOAD Oracula, ſive Apollinis Delphici, ſive Serapidis Thuli, memorata num. 10. dicimus, potuiſſe fieri vt dæmon in ijs reſponſa præbens, divina virtute compelleretur ad edifferendum Trinitatis myſterium, quod ille ab initio conditionis ſuæ agnovit per fidem theologicam, & nunc credit per fidem, ſaltem coactam. Verùm dato quòd in ijs Oraculis myſterium Trinitatis proferretur, obſcurè ſolùm & ruditer à Philoſophis intellectũ fuit: vtpotè non capientibus, nec cogitantibus quidem, poſſe vnicam naturam eſſe in tribus perſonis omnino æqualibus. Hoc enim ſoli fideles, ſaltem ſapientiores, ante Chriſti adventum ex revelatione divina, & antiqua traditione agnoverunt: reliqui autem ferè ignorârunt, niſi fortè aliquot pauciſſimi ex Hebræorum magiſterio id acceperint. Huc ſpectãt Oracula Sibyllarum. Sed de ijs commodiùs tractabimus Diſp. ventura.

DISPVTATIO LIII.

AN SIBYLLAE AGNOVERINT MYSTERIVM TRINITATIS, ET INCARNATIONIS, AC PASSIONIS CHRISTI.

AD ILLVSTRISSIMVM ET LITTERATISSIMVM D. D. GVNDISALVM FERNANDEZ DE CORDOBA, Alcantarenſis Ordinis Equitem, Regium Conſiliarium in Supremo Caſtellæ Senatu, olim Hiſpalenſis Emporij, poſtea Regiæ Gazæ Præſidem: omnigenis dotibus natalitij ſplendoris, pietatis, integritatis, & eruditionis inſtructum.

AGGREDIMVR Controverſiam celebrem ab ipſis ferè Apoſtolorum temporibus. Tunc enim Chriſtiani, præter alia fidei argumenta, vrgebant Ethnicos prædictionibus Sibyllarum, in quibus apertè habebantur dogmata noſtræ ac veræ Religionis. Deinde ſucceſſu temporum vſque in hanc diem, tum Eccleſiæ Patres, tum alij viri eruditi, rem hanc ex profeſſo examinare conati ſunt. Ex quibus ſeligere curabimus, quæ viſa fuerint maioris

maioris momenti, ac veritati conformiora, inquirentes potiſsimùm, An Sibyllis perſpecta fuerit, & ab ijs decantata veritas myſteriorum Trinitatis, Incarnationis, ac Paſsionis Filij Dei.

SECTIO PRIMA.

Quænam fuerint Sibyllæ, quot, & quo tempore vaticinia ſua edidiſſe inueniantur iuxta Varronem, Lactantium, & alios Veteres Scriptores.

1 SIBYLLÆ Olim à Græcis & Latinis dictæ ſunt mulieres quædã divino ſpiritu afflatæ ad arcana quædam cognoſcenda & futura prædicenda. De ijs agit Varro in libris rerum divinarum, Lactantius lib. 1. Divinarum Inſtitut. & Diodorus Siculus lib. quinto, alijſque plurea in progreſſu allegandi. Porrò ex ijs Varro, quem Lactantius ipſe, ſicut & Auguſtinus, doctiſsimum Romanorum appellat, ait, Sibyllas dictas fuiſſe mulieres Deo plenas, quarum pectora, cùm divinum numen recepiſſent, vaticinabantur. Dictæ verò ſunt Sibyllæ à conſilijs Deorum nuntiandis. Æolico enim ſermone θεοὺς, *deos* dicunt, non θεους; & conſilium, non βϛλὼ, ſed βυλὼ. Vnde & Sibyllæ dictæ ſunt, quaſi Deorum conſilia nuntiantes, aut divinorum conſiliatrices & conſciæ. Vnde Hieronymus ad Iovinianum inquit: *Quòd ſi Æolici ſermonis genere Sibyllæ θεοβϛλαι appellantur, rectè conſilium Dei ſola ſcribitur noſſe Virginitas.*

2 *SED* Circa numerum illarum variant auctores priſci, ſicut & circa patriam, ac tempus vniuſcuiuſque. Quidam id nomen tribuunt Delphicæ, quæ Oraculo Apollinis apud Delphos præfecta erat, & à Deorum conſilijs dicta fuit: eamque Suidas Romana voce prophetiſſam appellari poſſe ait. Quare ij vnã tantum Sibyllam fuiſſe volunt. Martianus Capella aſsignat duas: nimirum, Erophilam Troianam Marmeſi filiam, quam & Phrygiam & Cumæam appellat: alteram verò Symmachiam Hipporenſis filiam, quæ Erythæ nata Cumis vaticinata fuerit. Alij tres Sibyllas fuiſſe volunt: faveteque Plinius lib. 34. cap. 5. referens, Romæ fuiſſe trium Sibyllarum ſtatuas iuxta roſtra: vnam, quam Pacuvius Taurus Ædilis Plebis inſtituit: duas verò reliquas, quas M. Meſſala erexit. Solinus eas nominat, Cumanam, Delphicam, & Erythræam Heriphilem. Ælianus in Varia Hiſtoria quatuor refert, Erythræam, Samiam, Ægyptiam, & Sardianam. Nonnulli ijs duas alias addunt, Iudæam, & Cumæam. Denique Varro quatuor alias adiungit: vt proinde omnes fuerint decem: idque Ælianus iam citatus libro 12. confirmat, dicens: *Sibyllæ ſunt quatuor: Erythræa, Samia, Ægyptia, & Sardiana. Adiungunt quidam ſex alias, vt ſint omnes numero decem, è quibus Cumæa, & Iudæa eſſe feruntur.* Quod ſi verum eſt, qui vnicam fuiſſe volunt, perinde ſe geſſerunt, ac cum Iovibus, Herculibus, Minervis, alijſque eiuſmodi, qui cùm multi fuiſſent, pro vno eodemque habiti ſunt, vt idem Varro obſervat. Cùm verò ille tantæ auctoritatis ſit, vt teſte Lactantio lib. 1. nemo vnquam Gentilium doctior extiterit, nec apud Latinos, nec Græcos quidem; attingemus breviter nonnulla de ſingulis Sibyllarum, iuxta ordinem ab ipſo præſcriptum.

4 *PRIMA* Sibyllarum apud laudatum Varronem, omniumque antiquiſsima, dicta eſt Delphica: cuius meminit Chryſippus libro de Divinatione: quam aliqui Artemin dictam fuiſſe cenſent, Delphiſque ortam. Porrò adeò antiqua exiſtimatur, vt Boetius dicat, multò ante Troianum excidium vaticinatam fuiſſe: cuius proinde plures verſus mutuatus ſit Homerus, & Iliadi ſuæ inſeruerit. Ait autem Diodorus Siculus lib. 4. eam Daphnem appellatam, & Tireſiæ filiam fuiſſe, quam Argivi, devictis Thebis, reddituri votum miſsêre Delphos. illam verò iam à patre Tireſia edoctam vaticinari, poſtea ex Oraculo Apollinis longè doctiorem evaſiſſe, & reſponſa dare ſolitam conſulto illo. Verba autem Diodori Latinè reddita hæc ſunt: *Thebæ captæ ac dirutæ ſunt. Tireſiæ filiam Daphnem poſtea cùm victores cepiſſent, in Delphos voto ſuſcepto miſſere oblationem Deo. Ea diuinandi artem edocta, in Delphis degens, multò maiorem ſcientiam aſſecuta eſt. Itaque natura admirabili duce, plurima ſcripſit varij generis reſponſa. Cuius ex verſibus Homerum poetam ferunt multa ad ornatum ſui poematis ſumpta tranſtuliſſe. Cum hæc ſæpiùs Dei ſpiritu ferretur, multaque traderet reſponſa, Sibylla ab omnibus dicta eſt.* Hæc ille. Propterea quæ primam omnium Sibyllam appellatam, teſtatur Varro. De ea quoque loquuntur Solin. c. 7. Polyhiſt. & Plinius vbi ſuprà, ac præterea, quantum conijcere poſſum, Pauſanias in Phocicis.

5 *SECVNDA* Erythræa, *quæ inter alios Sibyllas* (inquit Aug. lib. 18. de Civit. c. 23. in ipſa epigrapha capitis) *cognoſcitur de Chriſto euidẽtia multa cecinisſe.* Eam Apollod. Erythræus affirmat fuiſſe ſuam civẽ, & Græcis ad expugnandam Troiã ituris vaticinatã illius ex-

excidium, ac mendacem futurum Homerum in eo narrando. Eiuſmodi autem vaticinium extat integrum in libro tertio Oraculorum Sibyllinorum circumferri ſolito, diverſarum editionũ. Communis etiam opinio eſt, illam floruiſſe ante Troianum bellum. Solinus vbi ſuprà paulo poſt fuiſſe ait. Euſebius Cęſarienſis in Chronicis vult nõ ita antiquam fuiſſe, ſed circa primam ætatem Romæ, & regnum Romuli. Lactantius ait, Babylone natam, maluiſſe autem Erythræam appellari. Eius meminit Ælianus lib. 12. Variæ Hiſtoriæ, & Marcianus Capella, ac Strabo lib. 14. inquiens: *Erythris nata eſt priſcis temporibus Sibylla, mulier fatidica & diuino ſpiritu incitata.* Refert autem Auguſtinus loco indicato, ſe legiſſe prædictiones illius Latinè expreſſas verſibus malè Latinis, & non ſtantibus, propter interpretis imperitiam: poſtea verò eas Græcè ſcriptas ſibi fuiſſe à viro clariſsimo Flacciano, qui Proconſul fuerat. Vide Diſp. LV. num. 25. Arij hęreſim ab eâdem Sibylla prædictam.

6 *TERTIA* Cumæria, ſeu Cimmeria, de qua Nævius in libris de primo bello Punico, & L. Piſo Cenſorinus in Annalibus, relati ab Onuphrio in libro de Sibyllis, cuius ordinem ſequimur. Hæc fertur prophetaſſe in Italia paulo poſt excidium Troianum. Quòd autem Cimmeria interdum appellatur, in cauſa eſt Cimmerium Campaniæ opidum, Cumis vicinum, vbi orta fuiſſe traditur. Aliqui volunt, hanc ipſam eſſe quam Virgilius lib. 6. Æneidos fingit conſultam ab Ænea, Deiphoben nomine: quæ & iuxta illum erat *Vna Phœbi Triviæque ſacerdos.* Varroni autem non eſt viſum veroſimile vatem ab Ænea conſultam potuiſſe pertingere Ramana regna, etiam poſt quinque Reges.

7 *QVARTA* Samia, nomine Phyto, de qua Eratoſthenes vetus ſcriptor in Annalibus Samiorum, & Ælianus libro duodecimo Variæ Hiſtoriæ. Euſebius Cæſarienſis in Chronicis vult, illam Numæ Pompilij tempore vixiſſe, & regnante Athenis Hippomene, circa olympiadem decimam ſextam, Heriphilemque appellatam.

8 *QVINTA* Cumana, quam alij Amaltheam, alij Demophilem, alij Herophilem appellant: Suidas verò Herophilem dicit. De hac fertur novem libros Oraculorum attuliſſe ad Regem Tarquinium Priſcum, & pro ijs cẽtum Philippeos poſtulaſſe; Tarquinium verò reputantem ſecum pretij magnitudinem, mulierem veluti inſanam irriſiſſe. Illa coram ipſo Rege tres combuſsit, & pro reliquis idem pretium poſtulavit, Tarquinio interea magis eam irridente, quaſi lymphaticam. Denique illa tribus alijs exuſtis, cùm idem pretium pro reliquis exigeret, Regem in id adduxit, vt trecentis aureis eos redimeret. Ita Dionyſius, Solinus, Plinius, Gellius, & Servius: niſi quòd aliqui non Tarquinium Priſcum, ſed Superbum fuiſſe volunt; & Plinius non novem, ſed tres libros fuiſſe ait. Sepulchrum huius Sibyllæ in Sicilia commemorat Solinus. Porrò ſi illa ad Tarquinium Superbum vendendos attulit libros, vixit olympiade circiter quinquageſima quinta, quâ ille Romæ imperabat. Teſtantur verò Ludovicus Vives in librum 18. de Civitate cap. 23. & Onuphrius, ſepulcrũ huius Sibyllæ perſtitiſſe Cumis in Italia, donec anno M.D.XXXI. Puteolano incẽdio obrutum eſt. Quæ omnia conſonant teſtimonio Iuſtini Martyris in libro ad Gentes admonitorio narrantis, ſe aliquando ad Cumas Campaniæ profectum, nõ longè à Baijs Siciliæ vidiſſe maximam Baſilicam totam in lapide inciſam, opus quidem eximium, & omni admiratione dignum: vbi eandem Sibyllã olim oracula edere ſolitam accolæ eius loci, veluti à maioribus acceptum, referebant. Oſtendebanturque, proſequitur ille, adhuc vaſa tria in templi medio in eodem lapide inciſa, quibus aquâ repletis lavabatur, acceptaque ſtolâ in abditiſſimam eius templi partem, in eodem lapide fabrefactam, ſeſe includens, thronoque, ſive alta ſede in eodem lapide excavata reſidens, oracula reddebat. Hæc ille. Verùm, vt diximus, præcedenti ſæculo ſacellum ipſum dirutum fuit ingenti Campaniæ terræmotu, totumque minutiſsimo pulvere & cinere ex mari inſurgente coopertum. Idem ferè, quod in Iuſtino, legitur in Ariſt. lib. de mirabil. auſcult.

9 *SEXTA* Helleſpontica, in agro Troiano, & vico Marmiſſo nata fertur, circa oppidum Gergithium, quæ Solonis & Cyri temporibus floruit, ſi Heraclidi Pontico fides: proindeque circa olympiadem ſexageſimam.

10 *SEPTIMA* Lybica, quam Euripides in Lamiæ prologo cõmemorat. Vnde ſuadetur, illam vixiſſe ante olympiadem octuageſimam, ſiquidem Euripides ipſe tunc florebat.

11 *OCTAVA* Perſica, iuxta Onuphriũ, prima penes Lud. Vivẽ: cuius meminit Nicanor rerum Alexandri Macedonis ſcriptor. Hanc Chaldæam appellat Iuſtinus Martyr in admonitione ad Gentes: eamque Babylone ortam, & filiam Erimanthæ nobilis fœminæ tradit ex Beroſo, Beli ſacerdote in Babylone, qui eiuſdem Alexandri Magni ætate vixit, & Hiſtoriam rerum Chaldaicarum, Regumque geſta tribus libris comprehenſa dicavit Antiocho poſt Alexandrum tertio. Alij illam Hebræam fuiſſe aiunt, & proprio nomine Sambetham Noe dictam, ex quadam vrbe iuxta Mare Rubrum ortam. Eius libri traduntur

fuiſſe

fuisse viginti quatuor: in quibus plurima de Christi divinitate, vita, & rebus, leguntur. Monet Iustinus, suo ipsius ævo versus illius passim legi solitos, sed mutilos, & interdum parũ cohærentes; non quidem vitio vatis, sed exscribentium festinanter, vt proinde multâ cõiecturâ opus esset. Præterea illam Cumanam appellat, tanquam ex Babylone in Italicas Cumas venerit, ibidemque consulentibus Dei afflatu oracula reddiderit.

12 *NONA* Phrygia, quam Ancyræ in Galatia vaticinatã aiunt. Non satis constat, quonam tempore vixerit. Eam nono loco numerant Varro & Lactantius. Marcianus Capella eandem fuisse cũ Cumæa vult, & in agro Troiano natam.

13 *DECIMA* Tiburtina, nomine Albunea, quæ Tibure veluti dea ad Anienis ripas colebatur. Ferunt in huius gurgite inventum eius simulachrum, tenens in manu librum. Illius sacra in Capitolium invecta dicuntur: sicut & aliarum Sibyllarum, quæcumque inveniri potuerunt. Asservata autem fuerunt vsque ad belli Marsici, sive socialis tempora: quibus Olympiade CLXXIII. C. Norbano, & P. Scipione Cos. incenso Capitolio, sive ex insidijs, vt quidam ferunt, sive casu, simul cum alijs veteribus monimentis Sibyllina carmina absumpta sunt. Vt autem Tacitus indicat, & alij tradunt, Augustus Cæsar videns suo tempore plura vana Sibyllarum nomine circumferri, iussit omnia earum carmina conquisita Samo, Erythræa, Ilio, Africa, & per Italicas colonias, intra certum diem ad Romanæ vrbis Præfectum afferri, examinarique iudicio XV. virorum. Venuit autem vt privatim haberentur à quoquam: quod iam antè cautum fuerat. Addit verò ex Varrone Lactantius, refecto iam Capitolio, ex omnibus civitatibus, & Italicis, & Græcis, ac præcipuè Erythræis, coactos allatosque fuisse Romam libros cuiuslibet Sibyllæ nomine editos. Et mox subdit: *Fenestella diligentissimus scriptor de XV. viris dicens, ait, restituto Capitolio retulisse ad Senatus Consultum Curiorem Consulem, vt Legati Erythras mitterentur, qui carmina Sibyllæ conquisita Romam deportarent, itaque missos esse P. Gabinium, M. Otacilium, L. Valerium: qui descriptos à privatis versus circa mille Romam deportaverunt.* Hæc ille, quæ & Varro tradidit. Cæterum postea ijs carminibus plura ab imperitis addita fuerunt inepta, plura depravata aut mutila. Quare vt illorum purior lectio esset, commissa est cura XV. viris: qui id accuratissimè præstitisse dicuntur. Perdurarunt verò vsque ad tempora Honorij & Theodosij Iunioris Imperatorum. Cæterum Stilico Honorij Cæsaris socer, vt in generum seditionem concitaret, omnes versus Sibyllinos de medio abstulit. Quò spectans Rutilius Claudianus cecinit:

Nec tantam Geticis grassatus proditor armis,
Ante Sibyllinæ fata cremauit opis.

14 *PORRO* Præter decem Sibyllas iam enumeratas memorantur aliæ nonnullæ. Talis fuisse dicitur Colophonia, quæ Lampusia dicta est, Calchantis sacerdotis & auguris filia, cuius olim vaticinia legebãtur carminibus expressa. Tales quoque Elysia, & Cassandra, quam Sibyllarum numero accensent, quòd Troiæ excidium præcinuisse dicatur, & consulentibus responsa dedisse. Quod indicat Maro lib. 2. Æneidos, dicens:

Tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris
Ora, Dei iussu non vnquã credita Teucris.

Nimirum de qua dixerat Tryphiodorus:

——— cui contulit augur Apollo
Esse bonam vatem, sed non credenda profari.

Talis prætereà Epirotica Thespiotiæ nata, quam vaticinatam aiunt: & Thessalica Manto, Thiresiæ vatis filia, quam Virgilius fatidicam appellat: itidemque Carmenta Evandri Regis mater, cuius meminit Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum: vbi enumeratis quibusdam Sibyllarum, addit: *Mitto Ægyptiam, & Italicam, quæ Romæ habitauit Carmentale, cuius filius fuit Euander: qui Romæ templum Panis, quod Lupercal appellatur, condidit.* Porrò earum fœminarum, quibus vaticinandi vis tribuitur (præter enumeratas Sibyllas) nomina expressit Angelus Politianus his versibus:

——— Veteres prompseri Sibyllæ
Carmen Amalthea, & fati Marpesia dives,
Erophileque Idæ genus, perdoctaque Sabe,
Demoque, Phrygoque, & veri gnara Phaenis,
Et Carmenta parens, & Manto, & Pythia longos
Phemonoe commenta pedes, & filia Glauci
Deiphobe, nimium vivax, & Martia, &c.

14 *EARVM* Sibyllarum ferè omnium carmina circumferebantur legebanturque tempore Lactantij, vt ipse testatur, exceptis Cumanæ versibus, qui à Romanis occulebantur, ne à quoquam, nisi à XV. viris legerentur. Quamvis verò à singulis Sibyllis singuli libri scripti fuissent, tunc confusi & immisti habebantur, vt proinde difficile esset suum vnicuique earum tribuere librum, Erythræâ exceptâ, quæ suum nomen carminibus

inſeruerat. Exiſtimat autem Onuphrius libros Sibyllarum legi ſolitos Lactantij ævo eſſe eoſdem, qui communiter nunc circunferuntur: quoniam in ijs leguntur verſus ipſi Sibyllarum à Lactantio obſervati.

SECTIO SECVNDA.

Sibyllarum prædictiones non modò apud Ethnicos, ſed apud Patres etiam Eccleſiæ, præſertim cum ijs diſputantes, magnum auctoritatis pondus habuiſſe. Illuſtria teſtimonia Iuſtini Martyris, Clementiſque Alexandrini, exſcribuntur.

15 VIDIMVS Sectione præcedenti, quàm celebres fuerint apud Ethnicos Sibyllæ, quaſi divino ſpiritu plenæ: quali curâ illarum ſcripta fuerint vndique conquiſita & aſſervata: quomodo etiam dicta illarum, totidem reſpõſa ſive oracula Numinis per eas loquentis habita ſint. Nũc oportet oſtendere, quanto in pretio fuerint ipſis Eccleſiæ Patribus, præſertim vbi teſtimonijs earum vtebantur ad redarguendos Gentiles, & ſuadendam veritatem Religionis noſtræ, longè antea prædictam ab ijs fœminis, quas ipſi non è cerebro, aut ſpiritu humano, ſed divino locutas arbitrabantur. Proferam ad longum tota hac ſectione eorundem Patrum teſtimonia.

16 AGMEN Patrum ducat antiquiſsimus Iuſtinus Philoſophus & Martyr, qui circa annum Chriſti centeſimum quinquageſimum floruit, & ſcripſit Admonitorium ad Græcos, vbi ita loquitur: Ἔσται δὲ ὑμῖν ἐκ πάντως, &c. *Perfacile autem vobis erit rectam Religionem ex parte aliqua, & ea quæ proximè ad Prophetarum accedunt doctrinam, à veteri Sibylla ex afflatu quodam mirifico per ſortes ac reſponſa vos docente percipere. Hanc Babylone ortam, Beroſi, qui Chaldaicam hiſtoriam ſcripſit, filiam ad Campaniæ oras neſcio quomodo perveniſſe ferunt, vbi reſponſa dedit in vrbe, cui Cumæ nomen eſt, ſexto à Baijs (qui locus thermas habet campanas lapide. Vidimus ſanè, ea in vrbe cùm eſſemus, locum quendam, vbi baſilicam ingentem vno fabrefactam ſaxo conſpeximus, rem profectò maximam, & admiratione omni digniſsimam: vbi oracula eam edidiſſe, qui res patrias à maioribus ſuis quaſi per manus traditas acceperant, affirmabant. In media autem baſilica nobis illi oſtenderunt tria folia ex eodem exciſa lapide, quibus aquâ repletis laviſſe ibi eam, & ſtolâ ſumptâ in penitiſsimam ſe baſilicæ ædem eodem extructam ſaxo abdere, atque in media ea æde ſuper ſublimiore gradu & throno conſidere ſolitam, & ſortes ad eum modum promulgare dixerunt.*

17 *HVIVS* Sibyllæ (proſequitur Iuſtinus) *tanquam fatidicæ cùm permulti alij meminere ſcriptores, tum etiam Plato in Phædro. Mihi certè quidem is videtur, cùm in illius vaticinia incidiſſet, vatem divinitate donaſſe. Videbat enim prædictiones eius ad rem conferre: ac proinde admiratione ductus in libro ad Menonem fatidicos laudat, & ad verbum ita ſcribit: Rectè profectò divinos eos appellaverimus, quos modò vocamus fatidicos, & vates, nec minùs hos etiam (in reipublicæ adminiſtratione verſantes homines) quàm reliquos, atque inſuper eos quoque dixerimus divinos eſſe, atque numine inſtigari afflatos, nec non à Deo agitari attonitos, qui res multas & magnas rectè & verè dicunt, nihil eorum, quæ locuntur, intelligentes: manifeſtè & apertè ad carmina reſpiciens Sibyllæ. Huic enim haud quaquam, ſicuti Poetis, etiam poſtquam poemata ſcripſere, facultas fuit corrigendi, atque expoliendi reſponſa ſua, iuxta exquiſitionem numerorum, & dimenſionum carminis rationem: ſed in ipſo afflatûs tempore ſortes illa ſuas explebat: & evaneſcente inſtinctu ipſo, ſimul quoque dictorum memoria evanuit. Atque hæc ipſa cauſa eſt, quam ob rem non omnes carminis numeros Sibyllæ ſeruẽt oracula. Quin ipſi quoque, cùm in vrbe ea eſſemus, indicibus, qui hoſpites ad ea, quæ viſenda ſunt ducere ſolent, oſtendentibus, qui nobis loca etiam, in quibus illa eſt vaticinata, commoſtrârunt, vidimus loculum quendam ex ære elaboratum, vbi reliquias eius ſervari dicebant. Inſuper inter alia omnia, quę indices iſti expoſuerunt, illud quoque fuit, à maioribus ſe audiviſſe, quòd qui reſponſa ab oraculo excipiebant, quia tum ab eruditione alieni fuiſſent, multoties in accuratione numerorum obſervatione erraverint; & proinde iſtam illi carminum quorundam inconcinnitatis attulerunt cauſam, quòd cùm vates ipſa mentis emotione, & afflata libera, dictorum ſuorum memoriam non retinuerit: tum qui oracula ſcripto mandabant, propter imperitiam numerorum obſervandorum accurata ratione exciderint. Quapropter Platonem in Sibyllæ oracula innuentem, de vatibus hoc dixiſſe conſtat, ita ſcribentem: Cùm multas, magnaſque res rectè & verè dicunt, nihil eorum, quæ loquuntur, intelligunt. Porrò cùm non in poeticis numeris, neque in ea, quæ apud vos clara habetur eruditione, viri Græci, res veri cultus Dei ſint ſitæ, relicta deinceps carminũ, & orationũ exquiſita ratione, ad dicta Sibil. citra cõtẽtionis ſtudiũ animũ aver-*

advertentes, cognoſcite tandem, quorum vobis illa bonorum futura ſit conciliatrix. Servatoris noſtri Ieſu Chriſti adventum diſertis verbis clarè prædicens: Qui cùm Dei ſit Verbum, virtute, ac potentia ab eo indiſcretum, homine, qui iuxta imaginem, & ſimilitudinẽ Dei conformatus eſt, aſſumpto, ad memoriã nos priſcorum parentum noſtrorum religionis revocavit, quam qui ex eis prognati ſunt, mortales relinquentes, invidi dæmonis inſtinctu, ad eorum, qui dicuntur, & non ſunt, vtpotè falſorum deorum, delapſi ſunt cultum. Quòd ſi vos addubitatio aliqua conturbat, quominus creationem hominis credatis; eis dumtaxat fidem habete, quorum vos auctoritatẽ ſequi debere exiſtimatis: ac ſcitote, oraculum veſtrum à quopiam, vt hymnum, & laudem Omnipotentis ederet Dei rogatum, ſic illud in medio hymno ceciniſſe:

Quem primum finxit mortalem, dixit Adamum.

Atque hymnus hic multis, qui mihi noti ſũt, aſſervatur: ad eos coarguendos, qui omniũ teſtificatione confirmatæ veritati credere nolunt. Itaque viri Græci, ſi falſam de eis, qui nõ ſunt, dijs imaginationem ſalute veſtra antiquiorem non habetis; credite, ſicut dixi, antiquiſsimæ, & priſcæ admodum Sibyllæ, cuius libri in vniverſo extant orbe, de eis, qui dicũtur, non ſunt autem, dijs mirifico quodã præpotẽtis numinis afflatu ſortibus vos datis docenti: de futuro autem ſervatoris noſtri Ieſu Chriſti adventu, ac de rebus ab eo gerendis liquidò, & apertè vaticinanti. Harum nanque rerum cognitio perneceſſaria fuerit, ſacrorum virorum prædictiones antecedens, præmeditatio. Denique ſi quis opinetur ab antiquiſsimis quibuſque, ſicuti apud vos nominati fuerunt, Philoſophis, de Deo diſcendã eſſe rationem, Acmonem is & Mercurium audiat: illũ quidẽ in libris de eo ſuis, Deum πάνκρυφον, id eſt, prorſus occultum nominantem: hunc verò clarè, & manifeſtè dicentem, Deũ intelligentiâ comprehendere difficile eſt, eloqui autem impoſsibile, ei quoque, cui intelligẽtiâ illum nôſſe ſit poſsibile. Vndequaque ergo, & modis omnibus, ſcire convenit, nullo planè pacto, aut aliunde de Deo, vel de recta religione diſci quidquam poſſe, quàm à Prophetis ſolis, qui divina inſpiratione afflati vos docent, & inſtituunt. Hactenus ille.

18 *IDEM* Iuſtinus in Apologetico vtilitatem lectionis librorum Sibyllarum ita cõmendat: κατ' ἐνέργειαν δὲ τῶν φαύλων δαιμόνων, &c. *Opera autem & inſtinctu malorum dæmonum, mortis ſupplicium aduerſus librorũ Hyſtaſpit, aut Sibyllæ, aut Prophetarũ lectores cõſtitutum eſt: vt per timorem homines ab illis, quo minus ea legentes bonarum artium percipiant notitiam, ſed in ſeruitute eorum retineantur, abſterreãtur. quod certè quidem efficere, & ad finem ſuum perducere nequiuerunt. Non enim abſque timore tãtum huiuſmodi ſcripta legimus, verùm etiã vobis ad inſpiciendum quæ in ijs tradũtur, vt videtis, offerimus; grata acceptaque omnibus fore ſcientes. Atque hoc etiamſi paucis perſuaſerimus, maximum tamen inde feremus lucrum. nam vt boni agricolæ, ampla è Domino recipiemus mercedem.* Hęc ille adverſus edictum Gentiliũ, quo prohibebatur lectio oraculorũ Sibyllinorum, inſtinctu dæmonis, quemadmodũ & Prophetarum: ne ex illorum doctrina Ethnici ſuum errorem dediſcerent, & verum Deũ ac ſalutis viam agnoſcerent. Itaque Iuſtinus eorũ lectionẽ vtilem & ſalutarem eſſe contendit.

19 *CLEMENS* Alexan. in Protreptico, ſeu Adhortatoria ad Gentes, pariter Ethnicorũ ſuperſtitionem, & flagitioſam vitã, quã & ij dijs ſuis tribuebant libidine ac petulantiâ plenam, carpit, exhibitis in medium & laudatis Sibyllæ cuiuſdam verſibus, tanquã divino ſpiritu loquentis. Ait enim: *Ac plurima quidẽ vobis de dijs ficta & fabulosè tradita. Quæcũque autem facta eſſe reputa eſt, ea de hominibus turpibus, & qui petulanter ac flagitiosè vixerunt, ſcripta ſunt.*

Inſani tumidique incedutis, atque relictã
Rectæ calle viæ fugitis per inhoſpita ſaxa,
Et ſentes: cur erratis? Deſiſtite rebus
Vanis hominum, ò homines, noctiſque tenebris
Dimiſsis, claræ, quæ offertur, prẽdite lucẽ.

Hæc vobis præcipit prophetica & poetica Sibylla: præcipit etiã Veritas, quæ harum terribilium & ſtuporem incutientium perſonarũ, deorum aperit turbã falsò ſuſceptam opinionẽ ſynonymis arguens. &c. Itaque Clemens ad cõvincendos erroris Ethnicos turbã illam impiorum deorum adorantes, plurimùm momenti habere cenſuit Sibyllarum carmina: quæ homines, ſi modò ſalutis ſuæ meminerint, longè aliã docent morum viam inſiſtere ab eâ, quâ ij incedſiſſe leguntur.

20 *IDEM* Libro 1. Stromatum ait: *Neque verò Moſes ſolus, ſed etiam Sibylla Orpheo antiquior eſt. Traditur enim & de nomine eius, & de oraculis quæ illi adſcribuntur, quorum ſunt complures libri*, &c. Itaque rationem habet Clemens & temporis, & nominis, & oraculorum Sibyllæ: tanquam id vtile ſit ad redarguendos Gentiles. Præmiſsit autem, nec impugnavit eodem libro ſententiam Heraclitii, de quo ait: *Heraclitus ſcribit, Sibyllæ non humanitus, ſed divinitus res futuras oſtẽſas fuiſſe.* Porrò Theo-

philus Raynaudus in Theol. Natur. d. 7. q. 2. ar. 2. n. 256. allegat eundem Clement. lib. 6. Stromatum c. 2. ante medium, quaſi adducat verba aliqua S. Pauli ex quodam Sibyllæ loco argumentatis. Sed enim in toto eo capite nihil eiuſmodi invenire potui, neque in Indice totius Operis à Gentiano Herveto editi.

SECTIO TERTIA.

Exſcribitur ad longum præclarus locus Conſtantini Magni de Sibylla Erythræa, & Virgilio, quorum carminibus Chriſti diuinitas, & res geſtæ, prædicuntur. Suffragium S. Auguſtini illuſtre pro eiſdem prædictionibus.

21 CONSTANTINVS Magnus in Oratione ad Sanctorum cœtum, apud Euſebium Cæſarienſem, longè vberiùs idipſum exponit, & plura huc ſpectantia, quæ hoc loco integra exſcribere viſum eſt. Ait enim: παρεισῆλθέ μοι καὶ τῶν ἀλλοδαπῶν τι μαρτύριον περὶ τοῦ Χριστοῦ θειότητος ἀπομνημονεῦσαι, &c.* Subit autem animum meum, etiam extraneorum quoddã de Chriſti diuinitate teſtimonium cõmemorare. Nam illi, qui ei tam contumeliosè obtrectant, ſi vel ſuis ipſorum teſtimonijs fidẽ tribuere voluerint, ex ijſdem ſatis poterunt intelligere, illũ, & Deũ, & Dei filium eſſe. Sibylla enim, Erythræa, quę ſe ſexta poſt diluviũ ætate fuiſſe affirmat, quę que Sacerdos erat Apollinis, coronâ ſimiliter cum Deo illo, quẽ colebat, redimita: quæ etiã tripodem ſerpentis amplexu circumplicatum obſervans, ijs, qui quicquam ab ipſa ſciſcitabantur, reſpondit, ſe parentũ inſciitiã illi cultui dicatam fuiſſe; quem cultum nihil in ſe complecti, quod ad honeſtatẽ faceret; ſed hominum animos pudore ſpoliare, nõ aliter atque hiſtorici de Daphne prodiderunt: hęc, inquam, Sibylla quodam tẽpore intra adyta illa, in quibus tam abſurda, & planè inepta ſuperſtitio vſurpari ſolet, concluſa, & divino quodã inſtinctu afflata, verſibus ea, quæ erant de Deo, futura, prædixit, notiſque, & ordine primarum litterarũ (quæ ἀκροστιχὶς dicitur) hiſtoriã de IESV adventu declaravit. Ἀκροστιχὶς, hæc quidẽ eſt, IESVS CHRISTVS DEI FILIVS SERVATOR CRVX. Eius autem carmina infra ſcripſimus.*

Iudicis adventu magni ſudore videbis
Emanâre ſolum. Tunc Rex æternus ab arce
Syderea præſens carni ius dicet, & orbi,
Vt ſpectare Deum pia gens, atque impia poſsit;
Sublimem carne humana, ſanctaque caterva
Cinctum, ſupremóque homines, qui iudicet ævo.
Hæc erit omnis humus, vepres, & triſtis arena.
Reſcindent ſimulacra homines, aurumque repellent;
Incendentque avidè terr. m, mare, ſydera, flammæ.
Stabunt functorum ſub apertum corpora lumen,
Tetraque mens, & ſancta illo ſplendore patebit.
Voce latens facinus, quod geſsit quiſque, loquetur;
Subdolaque humani pandentur pectoris antra.
Dira mali facies, pavor vndique, & vndique luctus;
Et iubar involuent Solis ſtellaſque tenẽbræ;
Iam vaga labetur Phœbe, ruet arduus æther,
Ferre caput valles, diſiectis Alpibus, imas
Iuſſerit: humanum culmen, faſtuſque iacebit;
Lataque planities montes æquabit, & altum
Intactum ratè ſtabit, & vrent fulmina terras.
Vnà defficiet flagrans cum fontibus amnis.
Stridula de cælo tuba fundet lugubre murmur;
Supremumque orbi canet exitiabile carmen,
Et ſubito ſtygium chaos apparebit hiatu,
Regnantumque Dei celebrabit turba tribunal.
Vndaque ſulphureæ fluet alto ex æthere flammæ;
Afflabit mortale genus inſigne coruſcans,
Trabs ſancta in rectis animis optabile robur,
Omnibus vna pijs vitæ melioris origo:
Rurſus veſani dolor, atque offenſio mundi,
Colluſtrans vndis duodeno in fonte fideles.
Regnabit latè paſcentis ferrea virga.
Vnus, & æternus Deus hic Servator & idem
Xhriſtus pro nobis paſſus, quem carmina ſignant.

Ac

„Atque ita in Virginis animum divinitus pla-
„nè illabebantur,ad prædicendum. Eam igitur
„ego beatam puto, quam Servator vatem ad
„divinandum de ſua in nos providentia dele-
„git.

„ 22 *VERVM* Multi ſunt, qui nul-
„lam fidem ei adiungunt; idque cùm fatean-
„tur Sibyllam vatem Erythræam extitiſſe:imò
„verò ſuſpicantur, quendam noſtræ religionis
„profeſſorem, poeticæ non ignarum,iſta car-
„mina contexiſſe: falſoque inſcripta eſſe, &
„inter Sibyllæ oracula numerari,quæ ſanè ſen-
„tentias per quam vtiles, cùm ad nimiam vo-
„luptatum licentiam circuncidendam, tum ad
„aditum rectà ad temperantem modeſtamque
„vitam perducentem, aperiendum continent.
„Verùm de huius rei veritate ſatis cõſtat.quip-
„pè noſtri homines, tempora adeò accuratè,
„& magno ſtudio collegerunt, vt nemo poſsit
„ſuſpicari, hoc poema poſt Chriſti in terras
„deſcenſum editum fuiſſe:atque illi propterea
„mendacij perſpicuè convincuntur, qui iſta
„carmina non olim à Sibylla condita eſſe præ-
„dicant.Perſpicuum enim eſt,Ciceronem iſtud
„poema cùm fortè perlegiſſet,in latinum con-
„vertiſſe ſermonem,ſuiſque ſcriptis attexuiſſe,
„quem ab Antonio rerum ſummâ potito inter
„fectum conſtat: Antonium autem ab Augu-
„ſto, qui quinquaginta ſex annos regnavit,
„ſuperatum: Auguſto item ſucceſsiſſe Tybe-
„rium, cuius temporibus Servatoris adventus
„mundo illuxit, & ſantiſsimæ religionis my-
„ſterium vigere cæpit, & nova ſecuta eſt po-
„puli propagatio. De qua arbitror eum, qui
„ex poetis Italorum eſt facilè præſtantiſsimus,
„ita eeciniſſe:

*Iam nova progenies cælo dimittitur al-
to.*

„Et iterum in alio Bucolicorum libro:

*Sicelides Muſæ paulo maiora cana-
mus.*

„Quid iſto apertius?Addit enim:

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas.

„Cumæam vult planè Sibyllam eſſe. Neque
„his contentus erat ille quidem, ſed progreſ-
„ſus eſt longiùs, adeò, vt eius vti teſtimo-
„nio neceſsitas poſtulare videatur. Quid igi-
„tur dicit?

*Magnus ab integro ſeclorum naſcitur
ordo:
Iam redit, & virgo, redeunt Saturnia
regna.*

„Quid ergo? Quæ eſt illa virgo, quæ rediit?
„An non quæ plena, & gravida facta eſt è
„Spiritu ſancto? Et quid obſtat, quominus
„puella hæc gravida è Spiritu Dei, virgo ma-
„neat perpetuo? Revertetur etiam Domi-
„nus ipſe, qui virgo eſt. Secundò & or-
„bem afflictum adventu ſuo levabit. Adiungit
„item poeta:

*Tu modò naſcenti puero, quo ferrea pri-
mùm
Deſinet, & toto ſurget gens aurea mun-
do,
Caſta Lucina fave.
Hoc duce ſi qua manent ſceleris veſtigia
noſtri,
Irrita perpetua ſoluent formidine ter-
ras.*

„ 23 *PERSPICVE* Igitur poſſu-
„mus intelligere etiam hæc, quæ dicta ſunt
„per allegoriam occultè his, qui vim verbo-
„rum altiùs perquirunt, Chriſti divinitatem
„ſub aſpectu ſubijcere: ac poetam, ne quis
„princeps in civitate, quæ caput imperij eſt,
„ipſi, quòd contra patrias leges ſcripſiſſet,
„quodque maiorum inſtituta olim de dijs
„ſancita reiecisſet, crimini dare poſſet, ve-
„ritatem tanquam involucris quibuſdam te-
„xiſſe. Vidit enim,credo,beatum,& eximium
„adventus Servatoris myſterium: verùm vt
„immanem evitaret crudelitatem, mentes
„audientium ad ſuam ipſorum conſuetudi-
„nem traduxit: atque, novæ proli aras ex-
„truendas eſſe, templa apparanda, ſacrificia
„obeunda. Ea igitur,quæ ſequuntur, aptè ad
„prudentum intelligentiam inducit, ait
„enim:

*Ille Deum vitam accipiet, diuiſque vide-
bit
Permiſtos Heroas, & ipſe videbitur
illis:
Pacatumque reget patris virtutibus or-
bem.
At tibi prima puer nullo monuſcula cul-
tu
Errantes hederas paſsim cum baccare tel-
lus,
Miſtaque ridenti colocaſia fundet acan-
tho.*

„Vir admirabilis, & omni doctrina eximiè
„ornatus, accuratè illorum temporum perſpi-
„ciens crudelitatem,inquit:

*Ipſæ lacte domum referent diſtenta ca-
pellæ
Vbera, nec magnos metuent armenta Leo-
nes.*

„Vera planè ſunt, quæ dicit, nam regiæ aulæ
„principes fides non extimeſcet.

*Ipſa tibi blandos fundent cunabula flo-
res,
Occidet & ſerpens, & fallax herba ve-
neni
Occidet: Aſſyrium vulgò naſcetur amo-
mum,*

„ 24 *HIS* Certè nec verius quid-
„quam, nec ad Servatoris virtutem aptius dici
„poterit. Ipſa enim Dei cunabula, Spiritûs ſancti
„virtute, fragrantes flores novæ ſoboli extulerût.
„Serpens verò, à quo primi noſtri parentes pri-
„mùm in fraudem impulſi, & mentes eorum à
„temperantia naturaliter ipſis inſita ad voluptā-
„tũ blanditias traductæ erant, vt interitum ip-
„ſorum cervicibus impẽdentem planè perſpi-
„cerẽt, omnino perijt, & venenum eius pariter
„ſublatũ eſt. Quippe, vt antè Servatoris deſcẽ-
„ſũ, ignoratio immortalitatis, quæ iuſtis tri-
„buitur, animos hominum nulla ſpe bona ad-
„huc confirmatos penitùs fregit: ſic cùm ille
„paſſus fuiſſet, & corpus, quo circũdabatur, eſ-
„ſet à Spiritûs ſancti communione ad tempus
„ſeparatũ, reſurrectionis vis hominibus pate-
„facta fuit: & ſi quæ labes humanorum ſcelerũ
„reſidebat, illa vniverſa ſacro Baptiſmatis lava-
„cro abſterſa. Tunc igitur illos, qui ipſis pare-
„bãt, bono animo eſſe iuſſit: & veneranda ſua,
„eximiaque reſurrectione admonitos, ſimilia
„ſperare mandavit. Itaque non ſine cauſa fallax
„herba veneni occidit: occidit etiam & mors:
„reſurrectio autem tanquam ſigillo confirmata
„eſt. Cùm autẽ dicit, Aſſyrium amomum vbi-
„que naſci; Aſſyriorũ genus, quod fidei divinæ
„cauſa fuit, multitudinemque hominum Deum
„religioſè colẽtium, innuit. Quæ planè nõ ali-
„ter, quàm denſa ramorum velut multitudo ex
„vna radice odoriferis floribus pullulat, ex
„æqualis roris temperatione rigata effloreſcit.
„Erudiè igitur, ô ſapientiſsimè poeta Maro,
„dixiſti: & quæ ſequuntur omnia, his aptè reſ-
„pondent:

At ſimul Heroum laudes, & facta parentis
Iam legere, & quæ ſit poterit cognoſcere virtus.

„ 25 *PER* Heroum laudes, iuſto-
„rum hominum rectè facta ſignificat: per vir-
„tutem patris, mundi fabricam, & molitionem
„Dei ad æternum tempus duraturam intelli-
„git: fortaſsè etiam leges, quibus Sacroſancta
„Eccleſia vtitur, dum vitam humanam ex iu-
„ſtitiæ, & temperantiæ regula inſtruit. Eſt præ-
„terea illud ſummè mirandum, quo pacto ho-
„mines, quorum vita, quaſi media inter bono-
„rum, malorumque vitam interiecta eſt, quæ-
„que ſubitam repẽtinamque mutationem neu-
„tiquam admittit, ab eo rudi, mediocrique vi-
„tæ genere, ad cœleſte ac divinum, quod in re-
„bus mente ſola comprehenſis poſitum eſt, aſ-
„cenderint.

Molli paulatim flaueſcet campus ariſta.

„Hoc eſt, fructus divinæ legis ad hominum
„vſum producetur.

Et duræ quercus ſudabunt roſcida mella,

„Inſcitiam hominum illius temporis, & rudes,
„impolitoſque mores deſcribit. Ac fortaſſe
„etiam eos, qui labores à Deo exantlatos au-
„diant, ſuavem quendam fructum ex ſua ipſo-
„rum in arduis rebus tolerantia percepturos
„demonſtrat.

Pauca tamen ſuberunt priſcæ veſtigia fraudis,
Quæ tentare Thetin ratibus, quæ cingere muris
Oppida, quæ iubeant telluri infindere ſulcos.
Alter erit typhis, & altera quæ vehat Argo
Delectos Heroas: erunt etiam altera bella,
Atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.

„ 26 *SCITE* Quidem, ô poeta ſa-
„pientiſsime. Poeticam enim facultatem, non
„extra decori fines provexiſti. Nam tibi, cùm
„non eſſes propheta, vaticinari non erat pro-
„poſitum. Obſtabat etiam, credo, periculum
„ quoddam, quod ipſorum capitibus imminet,
„qui patria inſtituta coarguunt. Providè igi-
„tur, & abſque periculo, quoad eius fieri pote-
„rat, his qui intelligentiæ acumine valent, ve-
„ritatem aperuit, ac turres, & bella criminatus,
„quæ certè iam in hominum vita cernuntur
„(Servatorem ad bellum Troianum proficiſ-
„centem depingit) per Troiam, mundum vni-
„verſum intelligit. Nam & providentiâ pro-
„priâ, & Patris nutu in terram demiſſus, ex
„adverſo cum improba hoſtium manu dimi-
„cavit. Sed quid poſtea dicit poeta?

Hinc vbi iam firmata virum te fecerit ætas.

„Hoc eſt, vbi adoleverit, malis, quæ vitam hu-
„manam occupant, radicitùs extirpatis, totam
„terram pacis ornamentis decorabit.

Cedet & ipſe mari victor, nec nautica pinus
Mutabit merces, omnis ferè omnia tellus:
Non raſtros patietur humus, non vinea falcem,
Nec varios diſcet mentiri lana colores:
Sponte ſua ſanguix paſcentes veſtiet agnos.
Aggredere ô magnos, aderit iam tempus, honores,
Chara Deum ſoboles, magnum Iouis incrementum.
Aſpice conuexo nutantem pondere mundum,
Terraſque, tractuſque maris, cœlumque profundum:
Aſpice, venturo lætentur vt omnia ſæclo.
O mihi tam longè maneat pars vltima vitæ,

Spiri-

Spiritus & quantum ſat erit, tua dicere facta.

Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,

Nec Linus, huic mater quamuis, atque huic pater adſit.

Pan etiam Arcadia mecum ſi iudice certet,

Pan etiam Arcadia dicat ſe iudice victum.

27 *ASPICE*, Inquit, immenſi Orbis, & omnium elementorum hilaritatem. Iſta aliquis fortè parum prudẽs, de hominum ortu ac ſtirpe dici exiſtimaverit. Verùm quam rationem habere potuerit, vt prole hominis ſatu edita, terra non raſtros, non aratra paſſura eſſet, nec vllam falcis aciem, nec aliũ cultum deſideratura? Aut quo pacto hoc quod dicitur, in humana ſobole, ac ſtirpe intelligitur? Eſt enim natura divini ſcilicet mandati quaſi famula, non humani præcepti miniſtra. Quin etiam hilaris elementorũ aſpectus, Dei deſcenſum, non hominis alicuius conceptionem indicat. Quod autem poeta vitæ exitum ſibi longiùs propagari optet, eſt divini planè adventûs invocatio. A Deo enim, non ab homine vitam, conſervationemque petere conſuevimus. Erythræa etiam cum Deo ſic loquitur: Quid mihi, Domine, divinandi neceſſitudinem imponit, ac non potiùs è terra in ſublime ſublatam, ad diem vſque ſantiſſimi adventûs tui reſervas? Maro item, præter illa quæ ſunt iam citata, hæc affert:

Incipe parue puer riſu cognoſcere matrem.

Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes.

Incipe parue puer: cui non riſere parentes,

Nec Deus hunc menſa, dea nec dignata cubili eſt.

28 *QVOMODO* Enim huic non riſere parentes? Quia ille qui eſt eius parens, eſt vis quædam expers qualitatis: & licèt figuræ ſit expers, in aliarum tamen rerum deſcriptione cernitur: idque humano corpore vacans. Vacare etiam cubili Spiritum ſanctum, quis ignorat? Quætandem cupiditas, quod deſiderium ei in bono expetendo adeſt, cuius amore inflammantur omnia? At quid ſapientiæ cum voluptate commune? Verùm iſta illis ad loquendum permittantur, qui humanam quandam Dei procreationem inducunt, quique animum ſuum omni turpis facinoris, & convicij macula purgare minimè elaborant. Te, pietas, invoco, tuum auxilium in his, quæ dicuntur, imploro: quæ quidem & legẽ quandam ſacram, caſtamque præſcribis, & optatiſſimam omnium bonorum ſpem (quæ ſanctiſſimæ immortalitatis magiſtra & vera, certaque promiſsio) oſtentas. Te, ô pietas, vna cum clementia, adoro. Tibi, pro tuis ſubſidijs, nos, qui his eguimus, gratias debemus immortales. Temeraria multitudo tui auxilij ignara, propter odium innatum, quo incenditur adverſum te, etiam Deum ipſum deteſtatur. Omnino enim, nec vitæ ſuæ cauſam, nec ſe, nec reliquos impios ex officio & cultu Deo Opt. Max. debito pendere agnoſcit. Totus enim orbis & omnia, quæ eius ambitu continentur, ſunt illius poſſeſsio. * Hactenus Imperator Conſtantinus, mirâ tum pietate, tum eruditione inſignis: cuius tam longum teſtimonium hoc loco exſcribendum curavimus, in gratiam præſertim eorum, quibus copia non eſt Operum Euſebij Cæſarienſis, inter quæ illud fuit editum.

29 *HIERONYMVS* Similiter agnovit in Sibyllis myſteria divina proferentibus vim miram ac divinam prædicendi. Etenim lib. 1. contra Iovinianum, inquit: *Quid referam Sibyllas, Erithræam, atque Cumanam, & octo reliquas (nam Varro decem fuiſſe autumat) quantum inſigne virginitas eſt, & virginitatis præmium diuinatio? Quòd ſi Æolici generis ſermonis Sybilla θεοβγλη appellatur, rectè conſilium Dei ſola ſcribitur noſſe virginitas.* Vbi & virginitatem ijs tribuit, quæ aliquid contulerit ad recipiendum vaticinandi donum. Deinde in Chronicis ait, Sibyllam Erythræam floruiſſe ſub Romulo; Samiam verò, quæ & Herophila appellabatur, ſub Numa Pompilio.

30 *AVGVSTINVS* Quoque vbique ſerius & Catholicus ſcriptor varijs locis auctoritatem prædictionum Sibyllinarum, præſertim Sibyllæ Cumææ, imò & Virgilij iuxta ipſius vaticinium loquentis, confirmat. Etenim Epiſt. 156. ad Martianũ exponens verſus quosdam Virgilij, ait: *Omnino non eſt cui alteri, præter Dominum Ieſum Chriſtum, dicat genus humanum:*

Te duce ſiqua manent ſceleris veſtigia noſtri,

Irrita perpetua ſoluent formidine terras.

Quod ex Cumæo, id eſt, ex Sibyllino carmine ſe faſſus eſt tranſtuliſſe Virgilius: quoniam fortaſſe etiam ille vates aliquid de vnico Saluatore in ſpiritu audierat, quod neceſſe habuit confiteri. Præterea in expoſitione ad Romanos 1. ad illa verba, *per Prophetas ſuos*, ita loquitur: *Fuerunt enim & prophetæ non ipſius, in quibus etiam aliqua inueniuntur, quæ de Chriſto audita cecinerunt, ſicut etiam de Sibylla dicitur. Quod non facilè cre-*

de-

derem; niſi quòd Poetarum quidam in Romana lingua nobiliſſimus, antequam diceret ea de innouatione ſæculi, quæ in Domini noſtri Ieſu Chriſti regnum ſatis concinere & conuenire videbantur, præpoſuit verſum, dicens:

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas.

Cumæum autem carmen Sibyllinum eſſe nemo dubitauerit. Vlteriùs lib. 10. de Civitat. cap. 27. inquit: *De Chriſto Poeta nobiliſſimus, poeticè quidem, quia in alterius adumbrata perſona, veraciter tamen, ſi ad ipſum referas, dixit:*

Te duce, ſiqua manent ſceleris veſtigia noſtri,
Irrita perpetua ſoluent formidine terras.

Ea quippe dixit, quæ etiam multum proficientium in virtute iuſtitiæ poſſunt propter huius vitæ infirmitatem, etſi non ſcelera, ſcelerum tamen manere veſtigia, quæ non niſi ab illo Saluatore ſanantur, de quo iſte verſus expreſſus eſt. Nam hoc vtique non à ſeipſo Virgilius in Eccloga ipſius quarto fermè verſu indicat, vbi ait:

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas.

Vnde hoc à Cumæa Sibylla dictum eſſe inconſtanter appareat, & quæ ſequuntur. Denique idem Auguſtinus lib. 18. de Civit. c. 23. ex profeſſo agit de Sibylla Erythræa, quæ inter alias Sibyllas cognoſcitur de Chriſto multa cecinisſe. Et exhibitis in medium verſibus ipſius ſuprà obſervatis ab Euſebio Cæſarienſi, quibus vita paſſio, mors, & plura alia ad Chriſtum ſpectantia exprimuntur, poſtea ſubdit: *Hæc autem Sibylla, ſiue Erythræa, ſiue, vt quidam magis credunt, Cumana, ita nihil habet in toto carmine ſuo, cuius exigua iſta particula eſt, quod ad deorum falſorum ſiue factorum cultum pertineat; quin imò etiam contra eos, & contra cultores eorum loquitur, vt in eorum numero deputanda videatur, qui pertinent ad Ciuitatem Dei.* Hæc ille: in quibus non ſolùm tradit, Sibyllam ſpiritu divino præcinuiſſe myſteria Chriſti, ſed etiam reputari debere inter membra ſpectantia ad Civitatem cœleſtem, quaſi veram prophetiſſam. quippe quæ nihil prædixerit non cohærens veræ religioni.

31 *VNDE* Occurritur obiectioni quorundam ex eodem Auguſtino lib. 13. contra Fauſtum cap. 15. vbi Sibyllas accuſat impietatis. Inde enim ſummùm probatur, illas ex mente S. Doctoris impias, aut ſortilegas, vel dæmonis obſequio deditas fuiſſe. Adhuc tamen cohæret, quod multa divino & verè prophetico ſpiritu prædixerint: ea, nimirum, quæ ad myſteria fidei ſpectant; quamvis circa res profanas, aut ſuperſtitioſas non, niſi agitante dæmone, fuerint loquutæ. Sic Balaam, quamvis impius, ex inſtinctu Dei prophetavit: ſic & Caiphas. Nec vlla eſt repugnantia in eo, vt aliqui prædicant ex divina inſpiratione plura ſibi neutiquam profutura, ſed alijs: vt obſervat Ananias 2. de natura dæmon. cap. 12. & Abulenſis in cap. 13. Ioſue q. 14. imò &, vt videtur, ipſe Auguſtinus loco allegato ex lib. 18. de Civit. c. 23. vbi non ſolùm ait Sibyllam Erythræam, vel Cumanam, plurima de Chriſto vēturo apertè vaticinatam (quæ certè diabolico ſpiritu prædicere non potuit) ſed etiam illam ſpectare ad Civitatem Dei: quod non videtur cadere in fœminam impiam, & nefarij ſpiritûs obſequio mancipatam.

32 *DENIQVE* Chriſtiani olim ex teſtimonijs Sibyllarum frequenter vrgebant Ethnicos, incaſum obtendentes, earum carmina aut teſtimonia eſſe ſuppoſititia, aut conficta à Chriſtianis ipſis. quoniam multo ante Chriſti adventum, ac multis retrò ſæculis, ea vaticinia paſſim circumferebantur, atque eiſdem Ethnicis ſacrum quid ac venerandum erant. Quod idem Auguſtinus obſervavit lib. 1. de conſenſu Evangeliſtarum c. 10. Conſtantinus Magnus Oratione ad Sanctorum cœtum iam ſuperiùs laudatâ c. 19. Origenes lib. 7. contra Celſum, & Euſebius Cæſarienſis loco ſuprà latè exſcripto. Quin &, teſte eodem Origene lib. 5. contra eundem Celſum, tam frequens erat vſus teſtimoniorum Sibyllinorū contra Ethnicos, vt propterea ij Chriſtianos Sibylliſtas appellarent. Eos pœnâ mortis deterrere conabantur à lectione eorum librorum: vt conqueritur Iuſtinus Martyr in Oratione ad Antoninum Pium poſt medium. Sciebant enim, ijs teſtimonijs everti inanem mentitorum deorum cultum, & ſtabiliri myſteria veræ Religionis, tot ſæculis antè prædicta, lecta, & obſervata à veteribus Philoſophis Græcis ac Latinis; quæ proinde nullius Chriſtiani hominis arte potuerunt obtrudi in oracula Sibyllarum. Ideoque Auguſtinus, Euſebius, & alij, obſervant carmina illa Sibyllæ Erythrææ, quæ ſuprà n. 21. exſcripſimus, fuiſſe lecta à Cicerone, multò antequam Chriſtus naſceretur. Iulianus Apoſtata apud Cyrillum lib. 6. textu 5. quamvis Religionis Chriſtianæ impijſsimus deſertor & perſecutor fatebatur, Sibyllas divinitus inſpiratas ſua vaticinia edidiſſe. Atque, vt breviter ab hoc me expediam, omnes penè profani ſcriptores, & Patres Eccleſiæ, idipſum exiſtimarunt: vt latè oſtendit Eudæmon Ioannes lib. 1. pro Baronio cap. 5. Salmeron tomo 2. tractatu 19. doctiſsimus Michael Medina de recta in Deum fide lib. 2. cap. 9. vt proinde audiendi non ſint Caſaubonus, & quidam alij ma-

malemeriti de fide, quos vberiùs confutare ſupervacaneum eſſet.

SECTIO IV.

Seliguntur præcipua Oraculorum Sibyllinorum fragmenta, in quibus exprimuntur diſertè myſteria Trinitatis, Incarnationis Verbi, Vitæ, Paſſionis & Reſurrectionis Chriſti, eiuſque miraculorum.

33 PRIMO Omnium, myſterium auguſtiſsimum Trinitatis diſertè indicatum fuiſſe oraculis Sibyllarum, ſupponunt Molina 1.p.q.32. art. 1. Vazquez diſp. 132. cap. 1 Suarez de Trinit. lib. 1. cap. 12. Henriquez lib. de fine hominis cap. 7. num. 4. & alij. Nullum tamen exhibent oraculum illarũ, quo id directè exprimatur. Quare nos curavimus evolvere illa omnia, & quidquid ferè circa ea congeſsit ex varijs Scriptoribus Ioannes Opſopæus in Opere inſcripto *Sibyllina Oracula*, alijque multi ex Auctoribus retro allegatis: & ſolùm pauca quædam invenimus mox proferenda.

34 *ATQVE* Imprimis videtur Sibyllæ Delphicæ adſcribendum oraculum illud Apollinis apud Delphos, Μή με θέλες θνητὸν μὲ, &c. exſcriptum *Diſp. LII. num.* 10. in quo diſertiſsimè exprimitur myſterium Trinitatis. Cùm enim Sibylla Delphica ibidem vaticinia ſua ederet, vt omnes Veteres teſtantur, eademque tam multa de rebus & myſterijs divinis prædicaſſe legatur; veroſimile ſatis eſt, illam divino ſpiritu agitatam eos verſus protulisse. Neque obeſt quòd ij nomine dæmonis proferantur. nam quemadmodum Deus potuit dæmonem compellere vt fateretur veritatem eius myſterij; ita etiam agitare Sibyllam, vt ipſius dæmonis ſenſa verſibus exprimeret in obſequium divinæ veritatis. Deinde ad aliquam ex decem Sibyllis referri poteſt Oraculum aliud Thuli datum, & obſervatum à Suida:

Principio Deus eſt, tum Sermo, & Spiritus iſtis
Additur. Æquæva hæc ſunt, & tendentia in vnum.

Deinde lib. 6. Oraculorum Sibyllinorum initio exprimitur Trinitas divinarum perſonarum ijs verſibus:

Ἀθανάτοις μέγαν υἱὸν, &c. id eſt:

Æterni magnum Natum cano pectore ab imo,
Cui ſolum Genitor tribuit ſupremus habendum,
Nondũ progenito ſiquidẽ de corpore duplex
Extitit. Eſt autẽ perlutus fluctibus amnis
Iordanis, glauco cuius pede voluitur vnda.
Et igne ex primo primus Deus, qui & ſuavem
Spiritu factum albis alis columbæ &c.

In quibus de Genitore, & Genito, & Spiritu ſancto in Chriſti baptiſmate apparẽte ſub ſpecie columbæ, ſermo manifeſtè habetur. Ac ne putetur, illos plures Deos eſſe, ſed vnicum, dicitur lib. 8. circa medium:

Μοῦνος γὰρ θεός ἐστι, καὶ οὐκ ἔστιν θεὸς ἄλλος.

Solus enim Deus eſt, non eſt Deus alter ab ipſo.

Divinitas quoque ſolida Filij ſæpe exprimitur, præſertim eodem libro paulo poſt initium vbi dicitur:

—— hic noſter Deus eſt, noſtræque ſalutis
Conditor æternus, perpeſſus nomine noſtro.

Et non longè à fine eadem divinitas Filij de virgine naſcituri, operâ ſpiritus ſancti, ſignificatur, dum dicitur:

Accipe, Virgo, Deum gremio intemerata pudico.
Sic ait, aſt illam cœleſtis gratia molli
Lenijt AFFLATV.

Græcè, ἐμπνεύσε θεὸς χάριν. quibus ſignificatur inſpiratio gratiæ Spiritui ſancto adſcripta ſpeciatim. Deinde paulo infrà:

Ἀλλ' οὐδὲν μέγα θαῦμα θεῷ πατρὶ, καὶ θεῷ υἱῷ.

Sed res nulla Deo Patri Natoque ſtupẽda.

Sunt & alia huiuſmodi, quæ prætereo, & palam indicare videntur myſterium Trinitatis.

35 *PORRO* In eiſdem Oraculis nuper indicatis, & alibi ſæpe apud Sibyllas, legitur myſterium Incarnationis, ſeu adventûs Filij Dei è cœlo ad terram pro ſalute hominum, tam luculenter expreſſum, vt videantur Sibyllæ ob oculos habuiſſe, quæ poſtea in Evãgelio dicta & tradita ſunt. In earundem quoque Oraculis palam exprimitur vita, & miracula Chriſti. Cùm vero ea omnia tertio quoque verbo legantur in octo libris ab Opſopæo editis Lutetiæ Pariſiorum anno M. DC. VII. ſupervacaneum erit ea huc transferre. Placet itaque ſolùm exſcribere fragmenta quædam Sibyllarum ſingularum à Michaele Medina obſervata lib. 2. de recta in Deum fide cap. 9. eodem ordine, quo ab ipſo proferuntur. Carmina Sibyllæ Perſicæ ſunt:

Virgine matre ſatus, pando reſidebit aſello,
Iocundus princeps, vnus qui ferre ſalutem
Rite queat lapſis: tamen illis forte diebus,
Multi multa ferent, immenſi fata laboris.

Solo ſed ſatis eſt oracula prodere verbo;
Ille Deus caſta naſcetur Virgine magnus;

Libycæ vero:

Ecce dies veniet, quo æternus tempore Princeps,
Irradians ſata læta, viris ſua crimina tollet,
Lumine clareſcet cuius Synagoga recenti
Sordida, qui ſolus reſerabit labra reorum:
Æquus erit cunctis, gremio rex membra reclinat
Reginæ mundi, ſanctus per ſæcula vivus.

Delphicæ:

Non tardet, veniet, tacita ſed mente tenendum
Hoc opus, hoc memori ſemper qui corde reponit,
Huius pertentant cor gaudia magna propheræ
Eximij, qui virginea conceptus ab alvo,
Prodibit ſine contactu maris. Omnia vincit
Hoc naturæ operatur fecit qui cuncta gubernat.

Samiæ:

Ecce dies, nigras quæ tollet læta tenebras,
Mox veniet, ſolvens nodoſa volumina vatum;
Gentis Iudeæ, referet quo carmina plebi.
Hunc poterunt clarum vivorum tangere Regem,
Humano quem virgo ſinu inviolata fovebit.
Annuit hoc cœlum, rutilantia ſydera monſtrant.

Cumanæ:

Iam mea certa manent, & vera noviſsima verba,
Vltima venturi quod erant oracula Regis,
Qui toti veniens mundo, cum pace placebit,
Vt voluit, noſtra veſtitus carne decenter:
Vt cunctis humilis, caſtam pro matre puellam
Deliget, hæc alias formâ præceſſerit omnes.

Helleſponticæ:

Dum meditor, quondam, vidi decorare puellam
Eximiè caſtam (quod ſe ſervaret) honore,
Munere digna ſuo, & divino numine viſa:
Quæ ſobolem multo pareret ſplendore micantem,
Progeniem ſummi, ſpecioſa, & vera, tonantis,
Pacifica mundum qui ſub ditione gubernet.

Phrygiæ:

Ipſa Deum vidi ſummum, punire volentem
Mundi homines ſtupidos, & pectora cæca, rebellis,
Et quia ſic noſtram complerent crimina pellem,
Virginis in corpus voluit demittere cœlo
Ipſe Deus prolem, quam nuntiet Angelus almæ
Matri, quæ miſeros contracta ſorde levaret.

Tiburtinæ:

Verax ipſe Deus dedit hæc mihi munia fandi,
Carmine, quo ſanctam potui monſtrare puellam,
Concipiet quæ Nazareis in finibus illum:
Quem ſub carne Deum Bethlemica rura videbunt.
O nimium felix, cœlo digniſsima mater,
Quæ tantam ſacro lactabit ab vbere prolem.

36 ERYTHRÆÆ Autem, quæ non modò in ſancto Incarnationis myſterio, ſed & in cæteris quæ ad Chriſtianã Religionẽ attinent, intelligendis celebrior eſt, carmina hæc ſunt:

Cerno Dei natum, qui ſe demiſsit ab alto,
Vltima fœlices referent cum tempora ſoles:
Hebræa quem virgo feret de ſtirpe decora.
In terris, multum teneris paſſurus ab annis,
Magnus erit, tamen hic divino carmine vates,
Virgine matre ſatus, prudenti pectore verax.

PRÆ-

37 *PRAETER* Ea fragmenta,congeſsit plura alia Sibyllarum Græcè & Latinè Ælias Schedius de Dijs Germanis cap. 13. Nos, omiſsis Græcis carminibus, illorum ſententiam ſermone ſoluto expreſſam Latinè proferimus.

——— mortuorum verò reſurrectio erit,
Et claudorum curſus celer,& ſurdus audiet,
Et cœci videbunt,loquenturque muti.

Quòd Chriſtus quinque panibus,& minutis piſciculis,millia multa hominum ſatiaturus eſſet,ita prædictum fuit:

Cum panibus quinque,& piſcibus minutis,
Hominum millia in deſerto quinque ſatiabit,
Et relicta accipiens fragmenta omnia,
Duodecim implebit ſportas in ſpem multorum.

Quòd ſuper mare ambulaturus, hiſce carminibus prædictum legitur:

Ventos comprimet voce, ſiſtetque mare
Furens,pedibus pacis,fideque ambulans.

Vti & hiſcè:

Tempeſtates cohibebit,morbum hominum ſolvet,
Vivificabit mortuos,abigens dolores multis,
Ex vno vero fonte panis hominum ſaturabit tumultus.

De paſsione vero,& miſerabili ipſius forma,hunc verſum Sibylla edidit:

Miſerabilis,ſimplex,ſine forma in doloribus ſpem dabit.

Colaphis excipient,& ſpinis coronabunt Salvatorem gentes:

Et colaphis exceptus ſilebit,neque exibit
Sermo,neque vnde veniet,vt interfectoribus loqueretur:
Et coronam accipiet ex ſpinis.

Quòd vero manus,& pedes clavis transfixuri,& ſannis excepturi eſſent, hiſce teſtatur:

In exlegum manus,& infidelium vltimum veniet.
Dabunt vero Deo colaphos manibus impuris,
Et ore pravo convitia evoment veſana;
Dabit verò ad flagellandum purum dorſum.

De medicata potione hæc adducit.

Et in potum fel, & in ſitim acetum dederunt,
In hoſpitalitatis hanc exhibentes menſam.

Vti & hæc habet:

Ipſa enim tu inſipiens tuum Deum non agnoſcis,
Sed ioco excipis inter homines degentem,ſpinis verò
Coronatur,turbidumque fel bibit.

De lege ab ipſo implenda hæc præloquuta eſt:

Sed tunc omnia hæc perfecta ſunt,poſtquam dicet,
Per ipſum omnis lex ſoluta eſt.

Solem ipſo moriente lumen amiſſurum,teſtificata eſt.

Templi verò ſcindetur aulæum,& in medio die
Nox erit nigra,miranda per tres horas.

De reſurrectione verò à mortuis hos verſus protulit:

Et mortis fatum perficiet ad tertium diem dormiens:
Et tunc,reſurgens,in lucem interfectoribus apparebit:
Primus reſurrectionis principium beatis monſtrans.

38 *NEQVE* Quiſquam objiciat,multa ex his carminibus, aut aliqua ſaltem in ijs expreſſa,fuiſſe addita à quopiam Chriſtiano ſub tempus Apoſtolorum: prout indicant aliqui ex Sectarijs,qui nihil non damnant,quod ad pietatem promovendam ſpectet.Imprimis enim ea ipſa carmina Sibyllarum tempore Iuſtini Martyris,id eſt,circa annum Chriſti CL. & aliorum Patrum poſteriorum,circumferebantur,vt modò habentur, & allegabantur contra Ethnicos. qui certè, vt erant addicti olim,& ab ipſa conditione vrbis Romæ, Sibyllinis Oraculis, eaque ingenti ſtudio vndique colligi,& in Capitolio aſſervari curaverant; planè ac nullo negotio irriderent id argumentum Chriſtianorum,ſi aliquis horum quidquam ijs addidiſſet. Nec facilè periculum facerent fidei & opinionis ſuæ graviſsimi Eccleſiæ Patres vtentes teſtimonijs Sibyllarum,niſi certò ſcirēt, nihil alicuius momenti fuiſſe ijs à quopiam additum, eaque omnia eouſque ſervari, qualia olim apud Gentiles Græcos & Romanos aſſervabantur & legebantur.

SED

39 SED Vt id luculentiùs appareat, ſatis ſit obſervare, pulcherrimum illud carmen Acroſtichon Sibyllæ Erythrææ, in quo præcipua Chriſti Domini myſteria & acta diſertiſimè exprimuntur fuiſſe lectum à Cicerone (vt omittam plurimos alios eo antiquiores) quo tempore nõ dum Chriſtus Dominus natus fuerat. Quæ fortaſis cauſa fuit vt ipſe Cicero lib. 2. de Divinatione diceret: *Obſeruemus libros Sibyllinos: vocandus eſt nobis Rex aliquis, ſi modò ſalui eſſe volumus. Nanque in carminibus Sibyllinis legebatur, quam primum Romani Regem Ægypti reduxiſſent, Dominum Orbis proditurum.* Id verò reipſa factum fuit. nam Ptolomæo à Gabinio reducto, natus fuit Salvator noſter. Vnde Virgilius ſpectans oraculum Sibyllæ Cumææ de Chriſto nondum nato, ſed venturo, quamvis poeticè illud aliorſum convertens, cecinit Ecloga 4.

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas:
Magnus ab integro ſæclorum naſcitur ordo.
Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna:
Iam nova progenies cœlo demittitur alto.

Eorumque verſuum lectione multos ad fidem Chriſti cõverſos fuiſſe, obſervat Schedius vbi ſuprà, abſdubiò ex antiquis Hiſtoricis. Nimirum, haud dubiè in ijs Virgilius imitatus eſt Sibyllam, cuius verſus circumferebantur tunc, & nunc etiam habentur lib. 2. Oraculorum Sibyll. circa finem, ſic è Græco Latinè expreſsi:

Sed poſtquam Roma Ægyptum regèt, imperioque
Frænabit, ſummi tunc ſumma potentia regni
Regis inextincti mortalibus exorietur.
Rex etenim ſanctus veniet, qui totius orbis
Omnia ſæclorum per tempora ſceptra tenebit.
Tuncque Latinorum non eluctabilis ira
Tres Romam triſti fatorum ſtamine perdent.

Mitto verſus alios Virgilij immediatè ſequentes, quibus pleniùs adhuc indicat res admirandas Chriſti, ex vaticinio eiuſdem Sibyllæ Cumææ, prout exponit ſæpe S. Auguſtinus locis ſect. præc. num. obſervatis, & communiter alij. Cumque ea omnia præceſſerint non modò geſta & paſsionem Chriſti, ſed etiam nativitatem ipſius; manifeſtè colligitur, nihil eorum potuiſſe fingi aut obtrudi ab aliquo homine Chriſtiano.

40 QVIN Et ipſe Cicero lib. 3. de Republ. videtur Sibyllis exploratam fidem habuiſſe de Chriſto alias leges allaturo. Ait enim: *Eſt quidem vera lex, recta ratio, naturæ congruens, diffuſa in omnes, conſtans, ſempiterna, quæ vocet ad officium iubendo, vetando, à fraude deterreat, quæ tamen neque probos fruſtra iubet, aut vetat; nec improbos vetando, aut iubendo movet. Huic legi nec obrogari fas eſt, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari poteſt. Nec verò aut per Senatum, aut per populum ſolvi hâc lege poſſumus, neque quærendus explanator, aut interpres eius alius: nec erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia poſthac: ſed & apud omnes gentes, & omni tempore vna lex, & ſempiterna, & immutabilis, obtinebit, vnuſque erit quaſi Magiſter & Imperator omnium Deus. Ille legis huius inventor, diſceptator, lator, cui qui non parebit, ipſe ſe fugiet, ac naturam hominis aſpernatus, hoc ipſo luet maximas pœnas, etiamſi cætera ſupplicia, quæ putantur, effugerit.* Hactenus ille. Sed & Calpurnius, pariter Gentilis, quamvis carmina ſequentia ſuo ſæculo adaptet, videtur potiùs propheticè, quàm poeticè celebrare Chriſti cunas. Ait ille:

Aurea ſecura cum pace renaſcitur ætas,
Et redit ad terras tandem ſquallore, ſituque
Alma Themis poſito, iuvenemque beata ſequuntur
Sæcula, maternis cauſam qui luſit in vlnis,
Dum populos Deus ipſe reget, dabit impia vinctas
Poſt tergum Bellona manus, ſpoliataque telis
In ſua vefanos torquebit viſcera morſus,
Et modo quæ toto civilia diſtulit orbe
Secum bella geret: nullos iam Roma Philippos
Deflebit, nullos ducet captiva triumphos:
Omnia Tartareo ſubigentur carcere bella,
Immergentque caput tenebris, lucemque timebunt.
Candida pax aderit, nec ſolùm candida vultu,
Qualis ſæpè fuit, quæ libera Marte profuſo,
Quæ domito procul hoſte, tamen graſſantibus armis
Publica diffudit tacito diſcordia ferro.
Omne procul vitium ſimulatæ cedere pacis

Iuſsit,& inſanos dementia condidit enſes.

Item

——— Sed legibus omne reductis
Ius aderit,moremque fori,vultumque priorem
Reddet,& afflictis melior Deus auferet ævum.
Exultet,quæcumque Notum gens ima iacentem,
Erectumque colit Boream:quæcumque,vel ortu,
Vel patet occaſu,mediove ſub æthere ſervit.

41 Nimirum,vt omnes Scriptores eius ſæculi teſtantur, ſub adventum Chriſti oracula omnia vbique terrarum obmutuêre.Quod & Apollo ipſe profeſſus fuit,valedicens loco veteri,vbi tandiu quieverat:

Οἴ οἴ μοι τρίποδες στοναχήσετε,&c.id eſt:
Hei mihi Tripodes congemiſcite,abijt Apollo,
Abijt,quia flammeum me cogit cœleſte lumen.
Erat Iupiter,& nunc eſt,& erit,magne Iupiter,
Hei mihi Oraculorum deficit me claritas.

Præterea celebre eſt illud:

Πυθῶνος δ' οὐκ ἔστιν ἀναῤῥῶσαι λάλον ὄμφω,&c.
Non poteſt fieri,vt convaleſcat vox Pythiæ,
Iam enim longis temporibus emarcuit,
Conjecta in claves ſilentij non vaticinantis,
Facite verò,vt mos eſt,ſacrificia Phœbo,qualia Deo conveniunt.

43 Vnde & Auguſtus erigens aram *PRIMOGENITO DEI FILIO*, videtur planè Chriſti divinitatem teſtatus.Eodem ſpectaſſe videtur volens nolens Porphyrius, vbi cauſam ſilentij Oraculorum exponens, ait,non mirum eſſe,vrbes peſte vexari,cùm Æſculapius & alij Dij procul ab eſſent. nimirum, fugati à Filio Dei. Sed audiendus eſt Tertullianus in Apologetico, vbi dæmones à Gentilibus cultos,& inanem eorũ iram irridet,dicens:*Edatur hic aliquis ſub tribunalibus veſtris, quem dæmone agi conſtet: iuſſus à quolibet Chriſtiano loqui. Spiritus ille, tam ſe dæmonem confitebitur de vero,quàm alibi Deum de falſo.Æquè producatur aliquis ex ijs qui de Deo pati exiſtimantur:qui aeris maleficum numen nidore concipiunt, qui nictando curantur, qui anhelando profantur:iſtæ ipſa vis cœleſtis pluviarum pollicitatrix,niſi ſe dæmonem eſſe confeſſus fuerit, Chriſtiano mentiri non audens, ibidem illius Chriſtiani procaciſsimi ſanguinem fundite.Nemo ad ſuum dedecus mentitur, quin potiùs ad honorem. Non dicent Chriſtũ magum, non communis conditionis, non è ſepulcro ſurreptum,ſed Dei virtutem, ſapientiam,ſermonem in cœlis eſſe, inde ad iudiciũ venturum.Nec verò ſe negabunt coram nobis immundos ſpiritus ob malitiam prædamnatos, iudicium eius horribile expectantes, nimirum Chriſtum timentes in Deo, & Deum in Chriſto,ſubijciuntur ſervis Dei,& Chriſti,&c.*

43 *FIRMVM* Itaque maneat,Sibyllas ex inſtinctu Dei prædixiſſe plurima myſteria Chriſtianæ Religionis, eaque carminibus expreſsiſſe.Quod abundè oſtenſum fuit tota ferè Diſputatione ex communi conſenſu,nõ modò Patrum Eccleſiæ,ſed & ipſorum Gentilium,qui volentes nolentes ſuffragium Catholicæ fidei in hac parte ferunt. Neque tamen ideo aio,omnia & ſingula quæ modò habentur in Sibyllinis Oraculis,ſeu contenta in Bibliotheca V V. Patrum editionis noviſsimæ Aniſſonianæ anni M.DC.LXXVII. Tomo II. ſeu antea editis à Ioanne Opſopæo, vt iacent, eſſe olim à Sibyllis prolata.Satis enim veroſimile eſt, quædam minoris notæ ijs irrepſiſſe incuriâ temporum,aut imprudenti zelo alicuius Chriſtiani hominis. Adhuc tamen præcipua illorum,& ſufficientiſsima ad confirmationem fidei noſtræ tot antè ſæculis prædicatæ,integra in ijs perſeverant, prout tẽpore Lactantij,Iuſtini Martyris,& ipſorum Gentiliũ, etiam ante Chriſti nativitatẽ,legebantur. Neque quidquam ampliùs evincit Opſopæus in Præfatione ſua ad Lectorem,vbi rigidi Catonis aut Ariſtarchi perſonam induit.

44 *VNVS* Supereſt ſcrupulus ex Ambroſio in Commentario Epiſt. 1.Corinth c.11. dicente:*Spiritus mundi hic eſt per quem arripiuntur fanatici,qui ſine Deo ſunt.Eſt enim inter mundanos ſpiritus potior: Vnde ſolet cõiecturis quæ mundi ſunt diuinare, quem Pythonem appellant.Hic eſt qui per veriſimilia fallitur & fallit.Hic eſt qui per Sibyllam locutus eſt, ſenſum noſtrorum ſecutus; volens locum inter cœleſtes habere* Quibus verbis videtur Ambroſius ſatis apertè iudicare, Sibyllas potiùs diabolico,quàm divino ſpiritu agitatas, ſua oracula edidiſſe,etiam in ijs, quæ noſtrorũ ſenſui,id eſt,Chriſtianorum cohærent.

RESP.

45 *RESP.* Doctrinam traditam nullatenus eo Ambroſij teſtimonio labefactari. Quamvis enim aliquæ Sibyllarum fuerint impiæ, & dæmonis obſequio mancipatæ, immò & dato quòd quædam illarum oracula ab ijs edita fuerint dæmone ſuggerente, adhuc certum eſt, virtute divina factum fuiſſe, & non niſi ex Providentia ſpeciali Dei, vt dæmones cogerentur ad eas prædictiones edendas per ora Sibyllarum, quemadmodum de impio Balaam, & de Caipha, prophetantibus in aliorum vtilitatem, ſuprà obſervatum eſt. Et ſanè cùm in ijs oraculis exprimerentur plurima futura cõtingentia circa ipſam vitam Chriſti, miracula, & paſsionẽ, tot retro ſæculis, quæ nec dæmones, nec Angeli ſancti ſecundùm vires naturæ poſſunt certò prænoſcere, ſed dumtaxat ex revelatione divina; neceſſum eſt omnium illarum prædictionũ veritatem in divinum teſtimonium devolvere. Quin & quemadmodum ſæpe accidit, vt dæmones in arreptitijs & energumenis cogantur proferre veritatem: ita etiam fieri potuit, vt illã per ora Sibyllarum exprimere cogerentur. Eoque ſenſu alij ex Patribus in decurſu allegati, cenſuerunt Sibyllas fuiſſe locutas ex inſtinctu Dei, qui etiam dæmonem mendacij patrẽ adigere poteſt, vt veritati ſuę fidei obſequiũ ferat.

46 *RATIO* Autem congruentiæ ea videtur fuiſſe, quòd quemadmodum Deus prædixit Synagogæ adventum Chriſti, eiuſque vitam & paſsionem futuram, vt poſtea crederent, illum ipſum eſſe, quem olim Prophetæ venturum prædicaverant: ita etiam oportuit vt in populo Gentili eſſent aliqua eorundem myſteriorum vaticinia, quibus poſtea Ethnici ad ea credenda ſuaviùs & faciliùs allicerentur. Vnde Patres Eccleſiæ primis illis ſæculis redarguebant Ethnicos ex prædictionibus Sibyllarum, quibus ij exploratam fidem habebant: vt proinde non poſſent, niſi ſtultè & temerè negare, quæ tot retro ſæculis de Chriſto, eiuſque geſtis, tam luculenter, & diſertis verbis prædicta fuerant.

47 *QVAMVIS* Verò ſuprà num. 21. ex Conſtantino Magno apud Euſebium excripſerimus illam Sibyllæ Erythrææ Acroſtichidem; placet eam nunc in medium proferre, prout habetur apud Auguſtinum lib. 18. de Civitate Dei cap. 23. ſimul & Magni eius Doctoris de illa iudicium. Flacianus Sibyllæ Erythrææ codice prolato oſtendit quodam loco in capitibus verſuum ordinem litterarum ita ſe habentem, vt hæc in eo verba legerentur: Ἰησοῦς χριστὸς θεοῦ υἱὸς σωτὴρ, quod eſt Latinè, Ieſus Chriſtus Dei filius ſalvator. Hi autem verſus, quorum primæ litteræ iſtum ſenſum, quem diximus, reddunt, ſicut eos quidam Latinis extantibus verſibus eſt interpretatus, hæc cõtinẽt:

Iudicij ſigno tellus ſudore madeſcet.
E cœlo rex adveniet per ſecla futurus:
Scilicet in carne præſens vt iudicet orbem.
Vnde Deum cernent incredulus atque fidelis
Celſum cum ſanctis, cui iã termino in ipſo.
Sic animę cũ carne aderũt, quas iudicet ipſe,
Cùm iacet incultus dẽſis in vepribus orbis,
Reijcient ſimulacra viri, cunctã quoq; gazã:
Exuret terras ignis pontumque, polumque,
Inquirens tetri portas effringet Averni,
Sanctorum ſed enim cunctæ lux libera carni
Tradetur, ſontes æternum flamma cremabit,
Occultos actus retegens, tunc quiſque loquetur
Secreta, atque Deus reſerabit pectora luci.
Tunc erit & luctus, ſtridebunt dentibus omnes.
Eripitur ſolis iubar, & chorus interit aſtris.
Solvetur cœlum, lunaris ſplendor obibit,
Deijciet colles, valles extollet ab imo.
Nõ erit in rebus hominis ſublime, vel altũ.
Iam æquantur campis montes, & cærula ponti:
Omnia ceſſabunt, tellus confracta peribit.
Sic piriter fontes torrẽtur, fluminaque ignĩ.
Sed tuba tũc ſonitum triſtẽ dimittet ab alto
Orbe, gemens facinus miſerum, varioſque labores,
Tartareumque chaos monſtrabit terra dehiſcens.
Et corã hìc Domino reges ſiſtentur ad vnũ.
Decidet è cęlis igniſque & ſulphuris amnis.

IN His Latinis verſibus de Græco vtcumque translatis, ibi non potuit ille ſenſus occurrere, qui fit cùm litteræ quæ ſunt in eorum capitibus, connectuntur, vbi littera in Græco poſita eſt: quia non potuerunt verba Latina inveniri quæ ab eadem littera inciperent, & ſententiæ convenirent. Hi autẽ ſunt verſus tres, quintus, & octavus decimus, & nonus decimus. Denique ſi litteras, quæ ſunt in capitibus omnium verſuum connectentes, harum triũ quæ ſcriptæ ſunt non legamus, ſed pro eis litterã, tanquam in eiſdem locis ipſa ſit poſita, recordemur, exprimitur in quinque verbis: Ieſus Chriſtus Deĩ filius ſalvator: ſed cùm Græcè hoc dicitur, non Latinè. Et ſunt verſus viginti & ſeptẽ, qui numerus quadratũ ternariũ ſolidum reddit. Tria enim ter ducta fiunt novẽ. Et ipſa novem ſi ter ducantur, vt ex lato in altum figura cõſurgat ad viginti ſeptem perveniunt. Horum autẽ Græcorum quinque verborum, quæ ſunt Ἰησοῦς χριστὸς θεοῦ υἱὸς σωτὴρ, quod eſt Latinè, Ieſus Chriſtus Dei filius ſalvator; ſi primas litteras iũgas, erit ἰχθύς, id eſt piſcis, in quo nomine myſticè intelligitur Chriſtus, eo quòd in huius mortalitatis abyſſo velut in aquarum profunditate vivus, hoc eſt, ſine peccato, eſſe potuerit.

DIS-

DISPVTATIO LIV.

QVINAM EX HAERETICIS ERRAVERINT CIRCA MYSTERIVM TRINITATIS?

AD ILLVSTRISSIMVM ET LITTERATISSIMVM D. D. PETRVM GIL DE ALFARO, Iacobæi Ordinis Equitem, Regium Conſiliarium in Supremis Senatibus Caſtellæ, Cameræ, & Generalis Inquiſitionis: olim Valliſoletano Prætorio, & deinde Regiæ Gazæ Præfectum: Virum ampliſsimæ mentis, & ad ſumma natum, &c.

PRAEMISSIMVS Diſp.LII.n.32.& ſeqq. Platonem, eiuſque ſectatores, & quoſdam alios Philoſophorũ Gentilium, non habuiſſe rectã de Trinitate ſententiam, ſed vitiatam, & erroribus conſpurcatam: quoniam nullibi inueniũtur ſcripſiſſe aut tradidiſſe, Filium Dei eſſe æqualem Patri, aut ὁμοούσιον, ſeu eiuſdem ſubſtantiæ cum ipſo, ſed inferiorem, & diſtincta natura conſtantem. quin præterea aut illos ignoraſſe Spiritum ſanctum, aut ſaltem non agnoviſſe veram ipſius diuinitatem, & eandem omnino cum natura Patris & Filij. Nunc diſſerendum quaſi hiſtorico modo de iis hæreticis, qui erraverunt planè circa idem myſterium, & de variis eorum ſectis. Porrò S. Anſelmus impræſenti cap.28. dum probat, Filium Dei, ſeu Verbum, non eſſe creaturam, ſed Deum, & eiuſdem naturæ cum Patre loquente, occaſionem ſubminiſtrat excitandi hanc controverſiam.

SECTIO I.

De Origene, an contra veræ Trinitatis myſterium ſcripſerit ac ſenſerit. Oſtenditur, illum turpiter circa id erraſſe, ſicuti & circa plura alia; nec mereri excuſationem vllam, quam fruſtra aliqui in eo quærunt. Exponitur illius damnatio in V. Synodo.

2 PRIMVS E Scriptoribus Chriſtianis, qui apertè errâſſe inveniuntur circa divinitatem Filij & Spiritûs ſancti, proindeque circa myſterium Trinitatis, videtur Origenes, teſte Maximo Doctore Hieronymo Epiſtola ad Avitum, vbi fidem facit, illum libro primo περὶ ἀρχῶν dixiſſe, *Chriſtum Filium Dei non natum eſſe, ſed factum: Deum Patrem per naturam inuiſibilem, à Filio non videri: Filium, qui ſit imago inuiſibilis Patris, comparatum Patri non eſſe veritatem: apud nos autem, qui Dei omnipotentis non poſſumus recipere veritatem, imaginariam veritatem videri: vt maieſtas & magnitudo maioris quoddammodo circumſcripta ſentiatur in Filio: Deum Patrem eſſe lumen incomprehenſibile: Chriſtum collatione Patris lumen eſſe perpetuum; qui apud nos, pro imbecillitate noſtra, magnus eſſe videatur.* Præterea, vt ibidem habetur, idem Origenes, duarum ſtatuarum, *maioris & parvulæ, vnius, quæ mundum impleat, & magnitudine ſua quoddammodo inviſibilis ſit: & alterius, quæ ſub oculos cadat, ponit exemplum: priori Patrem, poſteriori Filium comparans. Deum Patrem omnipotentẽ appellat bonum, & perfectæ bonitatis: Filium*

non eſſe bonum, ſed auram quandam & imaginem bonitatis: vt non dicatur abſolutè bonus, ſed cum additamento paſtor bonus, & cætera. Tertium dignitate & honore, poſt Patrem & Filium, aſſerit Spiritum ſanctum. De quo cùm ignorare ſe dicat, vtrũ factus ſit, an infectus, in poſterioribus quid de eo ſentiret expreſsit; nihil abſque ſolo Patre infectum eſſe confirmans. Filium quoque minorem Patre eo quòd ſecundus ab illo ſit; & Spiritum ſanctum inferiorem Filio, in ſanctis quibuſque verſari. Atque hoc ordine maiorem fortitudinem eſſe Patris quàm Filij & Spiritus ſancti; & rurſum maiorem fortitudinem eſſe Filij quàm Spiritus ſancti & conſequenter ipſius ſancti Spiritus maiorẽ eſſe virtutem cæteris, quæ ſancta dicuntur Hactenus Hieronymus: qui & præterea addit, eundem Origenem libro quarto eiuſdem Operis περὶ ἀρχῶν, aſſerere, Patrem à Filio non comprehendi, licèt ipſe comprehendat Filium: eſſeque maiorem Filio in omnibus, ac proinde in cognitione, *dum perfectiùs & puriùs à ſemetipſo cognoſcitur, quàm à Filio.*

3 *HVIC* Hieronymi teſtimonio de Origenis erroribus, circa myſterium Trinitatis fidem indubiam præſtare oportet, quamvis ij non extent in libris περὶ ἀρχῶν, id eſt, de Principijs editis à Rufino: qui, vt invidiam Origenis minueret, ex eius ſcriptis plurimos errores abraſit, ſubſtitutis loco eorum dogmatibus Catholicis: vt ipſe teſtatur in Præfatione ad eoſdem libros. Quin & addit, ſe propterea id feciſſe, quoniam ij errores non ab Origene traditi ſunt, ſed ab hæreticis intexti, vt tanti ſcriptoris auctoritate confirmarentur. Quare in Præfatione ad librum primum Periarchon inquit: *Sicubi ergo nos in libris eius* (Origenis) *aliquid circa id inuenimus, quod ab ipſo in cæteris locis de pietate, & Trinitate fuerat definitum, velut adulteratum hoc & alienum, aut prætermiſimus, aut ſecundum eam regulam protulimus, quam ab ipſo frequenter inuenimus affirmatam.* Cæterum id Rufini conſilium omnes Catholici improbârunt, & imprimis Hieronymus: qui propterea aliam fidelem & longè meliorem eorum librorum verſionem præſtitit, quamvis iniuriâ temporum abolitam: ex qua conſtabat, Origenem in eo ſere errâſſe planè circa myſterium Trinitatis, ſicuti & circa tranſmigrationem animarum in alia & alia corpora (quæ eſt Pythagorica μετεμψύχωσις) & circa reſurrectionem hominum non cũ eiſdem corporibus; vel eiſdem quidem, ſed poſtea extinguendis: quæ omnia leguntur in libris Periarchon, etiam prout à Rufino translatis. Qui autẽ in hos adeò immanes errores lapſus fuiſſe invenitur, cur tãto ſtudio ab illo minùs craſſo eximatur? Verùm & illum palã tradidiſſe in Commentarijs Evangelij Ioannis, ac lib. 6 contra Celſum, demonſtrat Petavius lib. 1. de Trinit. c. 4. exhibitis ipſius verbis, in quibus indignè loquitur de Filio Dei, tanquam Patre minor ſit, & factus ab ipſo: ſicuti & de Spiritu ſancto ait, factum fuiſſe per Verbũ. S. Epiphanius aſſentitur Hieronymo in Epiſtola ad Ioãnem Hieroſolymitanum, vbi Origenem appellat Arij Patrem, tanquam ex ipſo orta fuerit Arij hæreſis. Idipſum cenſet S. Theoph. Alexandrinus in Epiſtola prima Paſchali; cuius Opuſcula inveniuntur edita in Bibliotheca Magna V V. Patrum editionis M. D C. LXXVII. Sæculo IV. Tomo V. ac denique S. Auguſtinus Tomo VI. lib. de Hæreſibus n. 43.

4 *VERVMTAMEN* Origenes multos olim defenſores habuit, quaſi rectè de Trinitate ſenſerit, & eius libri hæreticorum nequitiâ depravati ac corrupti fuerint. Inter illos Photius Codice 232. nominat S. Athanaſium, Gregorios duos, Nazianzenum, & Nyſſenum, & Dionyſium Alexandrinum. Inſuper Codice 117. ijs adiungit Anonymum quendã, qui Apologiam ſcripſit pro Origene, quinque libris diſtinctam: qualem & olim edidit Rufinus nuper allegatus: cui & nonnulli ex Recentioribus ſuffragantur, ſpeciatim verò Lambertus Danæus, alumnus Genevenſis Synagogæ, qui in Librum S. Auguſtini de Hæreſibus cap. 43. ait, Origenem primum omnium Filiũ Dei dixiſſe homoũſion Patri (quæ vox eſt teſſera Catholicæ Religioni.) & pro hac exiſtimatione appellat teſtes Athanaſium, ac Socratem lib. 3. cap. 7. Sed enim nec Athanaſius in libro de Decretis Nicænæ Synodi, vbi duas Origenis ſententias de Trinitate contra Arianos refert, quidquam habet ſpectans ad homoũſion, ſeu conſubſtantialitatem Patris ac Filij; nec Socrates in loco, quem Danæus allegat.

5 *QVIDQVID* Verò olim aliqui piè ſenſerint de Origene, cõtra Hieronymi & aliorum Patrum ſententiam, videtur omnis dubitatio de medio ſublata in V. Synodo Generali habita ſub Iuſtiniano anno Chriſti D. LIII. in quâ Origenes cum erroribus ſuis, præſertim ſpectantibus ad myſterium Trinitatis, nigro theta notatus fuit. quod ordine ſuo, prout in ea Synodo præſtitum eſt, referre placet. Atque imprimis audiendus eſt Liberatus Diaconus ſcriptor illorum temporũ in Breviario c. 23. ita loquẽs: *Redeunte Pelagio Conſtantinopolim, Monachi quidam ab Hieroſolymis, per quos Pelagius in Gazam tranſitum habuit, venerunt ad eũ in Comitatu, portantes Capitula de libris Origenis excerpta, volentes agere apud Imperatorem, vt Origenes damnaretur cũ illis Capitulis. Igitur Pelagius ſimulans exiſtẽs Theodoro*

Cæ-

Cæſareæ Cappodociæ Epiſcopo, volens ei nocere, eo quòd eſſet Origenis defenſor, vnà cum Menna Archiepiſcopo Conſtantinopolitano flagitabat à Principe, vt iuberet fieri quod Monachi illi ſupplicabant, vt Origenes damnaretur, ipſaque Capitula talia docentia. Annuit Imperator facillimè, gaudens ſe de talibus rebus iudicium ferre. Iubente eo dicta eſt in Origenem, & illa Capitula, anathematis damnatio: quam ſubſcribentes vna cum Menna Archiepiſcopo apud Conſtantinopolim reperto, deinde directa eſt Vigilio Romano Epiſcopo, Zoilo Alexandrino, Efremio Antiocheno, & Petro Hieroſolymitano. Quibus eam accipientibus, & ſubſcribentibus, ORIGENES DAMNATVS EST MORTVVS, QVI VIVENS OLIM FVERAT ANTE DAMNATVS. Cùm igitur decretum illud Iuſtiniani Imperatoris confirmatum fuerit auctoritate Vigilij Pontificis Romani, & dictorũ Patriarcharum, videtur res explorata & omnino certa, fruſtra quoſdã Origenem tueri, hodieque, cùm eius cauſa appareat prorſus deſperata.

6 *AT* Inquies, Acta ipſa Quintæ Synodi adverſus Origenem non extant. Fateor. Sed id nequitiæ Origeniſtarum adſcribitur, qui ea de medio auferre curaverunt: quoniam de ijs ſemel editis teſtimonia indubia permanent. Nam, præter verba Liberati Diaconi nuper exſcripta, fidem facit Cyrillus Monachus in Vita Sanctorum Euthymij, Quiriaci, & Sabbæ Abbatum, dicens, inter plura alia ſatis opportuna: *Poſt hæc cùm ſancta & Oecumenica Quinta Synodus congregata fuiſſet Byzãtij, Origenes, & impia de præexiſtentia & reſtitutione dogmata, generali fuerunt ſubiecta anathemati.* Præterea S. Sophron. Patriarcha Hieroſolymitanus in litteris ad Sergium Patriarcham Conſtantinopolitanum, quæ lectæ & probatæ fuerunt in Sexta Synodo Generali Act. XI. poſt quatuor primas profitetur Quintam, & de illa addit: *Perinit ac in interitum protjcit principaliter ORIGENEM INSANVM, ET OMNES EIVS POMPOSAS SOMNOLENTIAS, ET PLENA MVLTÆ IMPIETATIS COMMENTA: Euagrij quoque & Didymi cum eo dogmata, necnon & fabuloſa deliramenta.* Vnde & Imperator Cõſtantinus IV. in Edicto, quo eandem Synodum Sextam confirmat, inquit: *Suſcipimus quoque &, quæ in temporibus Iuſtiniani diuæ memoriæ in noſtra felicisſima ciuitate congregata eſt, Synodum, contra Dei impugnatores: Origenẽ, videlicet, Didymum & Euagrium.* Vbi Origenes Dei impugnator dicitur, veluti qui abſurdè & impiè de Deo, ſeu de Trinitate ſenſerit. Deinde tota Synodus Septima in Sermone acclamatorio ad Principes dixit: *Etiam Origenis, & Euagrij & Didymi fabulas anathematizamus: SICVT ET CONSTANTINOPOLI CONGREGATVM QVINTVM CONCILIVM EGISSE DIGNOSCITVR.* Verè igitur Origenes cum ſuis erroribus damnatus fuit in Quinta Synodo Generali, quamvis ea Acta non extent. Et ſanè fuiſſe tunc plurimos Origeniſtas, qui anteambulonis ſui famæ conſulerent, invidiamque depellerent; patet ex Cyrillo paulo ante allegato, qui teſtatur, tunc plures Monachos ex erroribus Origenis lepram contraxiſſe, & aliquas Eccleſias cõturbatas fuiſſe. Præterea *Euſtochius* (Patriarcha Hieroſolymitanus, apud eundem Cyrillum) *vbi illi, qui Origenis dogmata tuebantur, cùm alijs in locis, tum maximè in noua Laura inualeſceret, omne ſtudium eò contulit, vt eos expelleret. Qui ad nouam profectus Lauram, omnes inde eiecit: & tanquam communem perniciem lõgè fugauit. Illi in varia loca diſperſi multos in ſuam pellexerunt opinionem.* Habentur hæc Cyrilli verba in Septima Synodo Actione I. quamvis deſint in editione Laurentij Surij. Legendumque in ijs, *Euſtochius*, vt exſcripſimus; non *Euthychius*, vt habebatur in codice, quo vſus eſt Cardinalis Baronius. Denique Facundus Hermiacenſis, cuius Opera habentur Tom. X. Bibliothecæ Magnæ, qui & vixit circa tempus eiuſdem Quintæ Synodi, lib. 1. c. 2. inquit: *Domitianus Ancyrenſis ciuitatis Epiſcopus Prouinciæ primæ Galatiæ, qui fuit ipſi' Origenianæ hæreſis manifeſtus aſſertor, per libellũ quem ad B. Papam Vigilium ſcripſit, Deo extorquente confeſſus eſt, quòd eius complices Origeniani cùm viderent ſe non poſſe propriũ dogma defendere, neque ſibi quidquam ſpei de conflictu reſtare, ad vltionem eorum, quæ cõtra Origenem geſta ſunt, hæc Eccleſiæ ſcãdala commouerunt.* Patet itaque, multos eo tempore fuiſſe Origeniſtas, qui Acta Quintæ Synodi contra illum ſcripta abolere curarent, vt Antefignani ſui invidiã & dedecus minuerent. Verumtamen & ex ijs ipſis habemus hodie vndecimum Anathematiſmum, ſive Canonem, litteraſque Iuſtiniani Imperatoris ad Synodum poſtulantis denuo damnari Origenem, apud Geor. gium Cedrenum.

7 *NEC* Modò ſcripta, ſive errores Origenis, ſed ipſe quoque eorum auctor damnatus ab Eccleſia fuit: vt teſtatum habetur in locis Conciliorum paulo antè obſervatis, & notavit idem Liberatus Diaconus Carthaginenſis ſuprà laudatus. Solent quidem in alijs Concilijs, ſeu decretis damnari quorundã ſcriptorum dogmata, veluti hæretica, erronea, impia, &c. retento interim honore auctoris, quòd certò exiſtimetur ex ignoratione

lapſus, aut bona quadam fide, paratus ſe corrigere ſi Eccleſia aliud definierit, eiuſque cenſuræ ſubmittens ſe ac ſcripta ſua. Sed in Origene alia omnia apparent: quoniam eius perſona & dogmata fidei adverſantia, pariter vno anathematis fulmine inuruntur. Ideoque longè ante tempus Quintæ Synodi allegatæ S. Hieronymus lib. contra Rufinum cap. 3. dixit: *Totus orbis in Origenis odia exarſit.* Ac præterea lib. 2. cap. 6. *Omnis, tam Orientis, quam Occidentis, Catholicorum Synodus pari ſententia & ſpiritu illum HÆRETICVM denuntiat.* Quin & prout refertur in Prato Spirituali S. Sophronij cap. 26. Quiriachus Monachus illum in inferno ardentem vidit ſimul cum Neſtorio, Eutyche, Dioſcoro, & alijs Hæreſiarchis, atque hoſpiti ſuo Theophani oſtendit.

8 *FACESSANT* Igitur qui Origenem hodieque tuentur, tam publicè & ſolemniter ab Eccleſia damnatum, inſtar Arij, Neſtorij, Eutychetis, aliorumque hæreſiarcharum: quos excuſare velle ab hæreſi formali, nec pium, nec tutum eſſet, ſed pluſquam temerarium & abſurdum, quamvis eorum perverſa dogmata damnentur. Sufficeret ad eam apparentem pietatem proſcribendam, teſtimonium S. Epiphanij Hæreſi LXIV. vbi cùm verba quædam Origenis in Pſalmum primum exſcripſiſſet, & in ijs improbaſſet quòd Filiũ Dei appellaret γεννητὸν θεὸν, *productum Deum*; ſubdit cauſam improbandi eam locutionem, quoniam æquivoca eſt: & licèt ab auctore Catholico prolata nihil contineret abſurdi, ab Origene tamen vſurpata putari debet hæretica, veluti quæ denotet, Filiũ Dei eſſe Deum factum, ſive creatum. Verba Epiphanij ſunt: καὶ εἰ μὲν ὑπὸ ἄλλου ἡ λέξις ἐλέγετο, &c. *Et quidem ſi ab alio quopiam ea locutio vſurparetur, recto, ac ſyncero animo pronuntiatum eſſe exiſtimare poſſemus. Nunc cùm in alijs pleriſque locis deprehendamus, Vnigenitum Deum à paterna diuinitate, atque ſubſtãtia, ab eodem auctore ſegregari, necnon Spiritum ſanctum propterea γεννητὸν, hoc eſt, productum Deum, ideo dixiſſe illum apparet quòd creatum ſtatueret.* Itaque tam procul fuit S. Epiphanius ab excuſanda perſona & animo Origenis in ijs, quæ apertè contrariantur doctrinæ Catholicæ, vt vel voces illius homonymas, ſeu ambiguas, quæ à Catholicis citra offenſionem vſurpari poſſent, in eo reprehendat & traducat, veluti animo hæretico prolatas. Hæc itaque de Origene conſtituta ſint: qui, vt erat deditus Platoni, ſicuti ab illo excepit illam animarum μετεμψύχωσιν (quãquam antea à Pythagora confictam) ita etiam didicit fabuloſam Triadem inæqualium perſonarum. Hanc enim ſolam fuiſſe Platoni notam oſtendimus ſuprà Diſp. III. à num. 32. ideoque Tertullianus dixit, *Platonem omnium hæreticorum condimentarium factum.* Quare alij Scriptores ibidem à nobis allegati, obſervant Arianam hæreſim à Platone ortum duxiſſe: vtpotè à quo illam mutuatus ſit Origenes, qui & poſtea *Arij Pater* extitit, vt finiam verbis ipſius Epiphanij.

SECTIO II.

De Ario, præcipuo Trinitatis hoſte, damnato in Nicæna Synodo. Exponitur accuratè eius hæreſis, ac diuiſio in triplicem ſectam, Anomœorum, Semi Arianorum & Vtrorumque mediam. Illam ſecutos fuiſſe olim Euſebium Cæſarienſem, & poſtea Lutherum, plureſque alios. Vbi nonnihil de Caluino.

9 PRIMA Itaque hæreſis directè contraria myſterio Trinitatis numerari poteſt, quæ nuper ex Origene commemorata fuit, conſtituente perſonas divinas inæquales, & diſtinctâ natura conſtantes, in Patre quidem ſuprema, & Filio autem & Spiritu ſancto, inferiore, quæ & propterea creata fuerit. Ea verò exiſtimatio poſtea incrementum & celebritatem nacta eſt auctore Ario, virulentiſsimo Trinitatis hoſte: qui in magnam Chriſtiani orbis perniciem natus fuit in Libya, Ægypto vicina, & Alexandriæ contributa, vt auctor eſt Epiphanius Hæreſi LXIX. num. 1. Is verò propter participationem ſchiſmatis Meletiani à S. Petro Epiſcopo & Martyre fuit communione interdictus: ſed poſtea reconciliatus Eccleſiæ, ab eodem Petro ordinatus eſt Diaconus. Cùm verò redijſſet ad ſchiſma, iterum communione privatus fuit. Quin & Petrus ipſe propter fidem Chriſti in carcerem coniectus, & iam iam ſubiturus necem, admonuit Achillam & Alexandrum Præsbyteros, ne vnquam Arium in communionem reciperent, quem Deo mortuum eſſe ſciret, & Chriſti veſtem, id eſt, Eccleſiam dilaceraſſe. Sic enim ſibi revelatum fuiſſe à Chriſto Domino. Quod & evidenter poſtea confirmatum fuit, ſuccedentibus in Epiſcopatu Alexandriæ eiſdem Achillâ & Alexandro, prout ab ipſo Petro ſimul prædictum fuit, & Ario Eccleſiam dividenti. Vide Diſputatione L V. numero 24.

10 *RELICTIS* Autem pluribus, quæ apud Baronium, Petavium, Severinum Binium, Chriſtianum Lupum, & alios, videri poſſunt circa hiſtoriam Arij, ſufficiat dicere, ipſum iam iteratò ſchiſmatis cõdemnatũ, impiam contra Filium Dei hæreſim effudiſſe, quâ

quâ minorem Patre, & creaturam eſſe affirmavit. quam ob cauſam ab Alexandro Epiſcopo ejectus Eccleſiâ, perſuaſit Euſebio Nicomediẽſi, & Euſebio Cæſarienſi, Epiſcopis, vt ſuæ ipſius opinioni patrocinium ferrent. Quod cùm ab ijs alijſque obtinuiſſet, & propterea magnum in Eccleſia incendium ortum eſſet, quod Conſtantinus Magnus nec per litteras, nec per Hoſium legatum extinguere potuit; coacta eſt Synodus Nicæna ex toto Orbe Chriſtiano: cui interfuere CCCXVIII. Patres, & in ijs multi ſanctitate, miraculis, ac doctrina celeberrimi: inter quos præſertim memorantur, Alexander Epiſcopus Alexandrinus, præcipuus debellator hęreſeos Arianæ: Euſtathius Antiochenus, qui doctrina & ſanctitate conſpicuus, clariſsimâ, vt Hieronymus ait, tubâ in adverſarios bellum cecinit: Macarius Hieroſolymitanus, quem Arius tanquam ſuæ hæreſi acerrimè contradicentem, apud Euſebium Nicomedienſem accuſaverat: Potamon Heracleenſis, altero orbatus oculo ob Chriſti confeſsionem: Paphnutius Thebaidos ſuperioris Epiſcopus, apoſtolicis clarus miraculis, cui eandem ob cauſam alter oculus effoſus fuerat, & ſiniſtrum genu ſuccifum: Spiridio Trimithuntis in Cypro Epiſcopus, mirabilium patrator operum, & ſacrarũ propugnator Scripturarum: Paulus Neocæſarienſis ob fidei confeſsionem celebris, manu ferro candente ſemiuſtâ: Iacobus Niſibenus, vir planè apoſtolicus, & mortuorũ ſuſcitator: Leõtius Cæſareæ Cappadocię Antiſtes, prophetico ſpiritu clarus: Amphion cõfeſſor eximius: Hippatius Gangrenſis, meritis & martyrio clarus: & tandem (vt alios omittam) Magnus ille Nicolaus Myræ Epiſcopus ſanctitate & miraculis celeberrimus. Coacta eſt Synodus anno Chriſti CCCXXV. Ibidem damnata fuit hæreſis Arij, definitumque, Filium eſſe conſubſtantialem & coæqualem Patri, nec fuiſſe factum aut creatũ in tempore, ſed genitum ex æterno. Cui definitioni cùm ſubſcripſiſſet Arius, & octo Epiſcopi eius fautores, omnes in communionem ſuſcepti fuerunt, vt teſtatur S. Hieronymus lib. cõtra Lucif. verùm ea lege Ario impoſita, ne vnquam Alexandriam regrederetur, eiuſque ſcripta igni traderentur. Sed ille geſtans animo eãdem impietatem, quæ altiſsimas radices miſerat, & totam Eccleſiam perturbans, atque Athanaſium homouſij fortiſsimum defenſorem Vaticiano odio perſequens, cùm communionem ab Alexandro Conſtantinopolitano Epiſcopo per vim extorquere conaretur, infami & horrẽda morte vivis ereptus eſt.

11 *ITAQVE* Summa hæreſeos Arij, & & fautorum eius, prout ab ijs omnibus cũ ipſo exprimitur in Epiſtola, ſeu libello ſupplici, quẽ Alexandro Epiſcopo Alexandrino obtulerunt poſt ſuam damnationem, hiſce eorum verbis continetur apud Athanaſium lib. de Synod. & Epiphan. Hæreſi LXIX. n. 7. οἴδαμεν ἕνα θεὸν, &c. *Dicimus vnum Deum, ſolum ingenitum, ſolum æternũ, ſolum principio carentẽ, ſolum verum, ſolum immortalẽ, ſolum ſapientẽ, ſolũ bonũ, ſolum potentẽ, omnium iudicem, gubernatorem adminiſtratorẽ, inuariabilẽ, & mutationis expertem.* Loquuntur autẽ nominatim de Deo Patre ſolo, quem tamen aiunt ex æterno Deum quidem fuiſſe, ſed Patrem non fuiſſe, niſi poſtquam Filium produxit; qui ex nihilo, ſeu ex non extantibus, vt ipſi loquebantur, creatus ſit; proptereáque meritò cenſeatur κτίσμα, καὶ ποίημα, id eſt, creatura & opus; idque eo fine editum, vt medio illo, veluti organo aut inſtrumento, Deus ille Pater vteretur ad reliquas omnes creaturas fabricandas. Ideo cõſequenter Filium non exiſtimabant eundem cum Sapientia illa, quæ in eſt Deo; neque Logon, id eſt, Verbũ intra mentem conceptum. Quare diſtinguebant duplicem Sapientiã, & duplicem Logon: & Filium Dei aiebant eſſe Sapiẽtiam ſeu Logon externum, ab interiori Sapiẽtia, & Logo fabricatum: non quòd id naturâ ſuâ exigeret, ſed quòd id habuerit gratiâ & beneficẽtiâ Patris & Creatoris. Vnde veram & abſolutã eius divinitatem, & identitatem naturæ negabant ipſi, veluti qui ſolùm participatione Deus eſſet; ſupra homines tamen, & Angelos, ac reliquas omnes creaturas; quamvis adderent, inſtar illarũ, poſſe deficere, & in malum vergere, licèt ex præſcientia Dei, prævidentis eum vbique in bono conſtantẽ futurum, exemptus eſſet à reliquis omnibus. quod ab Ario dictum fuiſſe teſtatur S. Athanaſ. Orat. 2. & Sozomen. lib. 1. c. 15. vbi de ipſo ait, dixiſſe *quæ à nullo hactenus vſurpata fuerãt; videlicet, Filiũ Dei ex non entibus factũ eſſe, & fuiſſe quondã cùm nondum eſſet: itẽ, libero ſuo arbitrio ac virtute nequitiæ ac virtutis capacẽ eſſe, & creaturam, atque opificiũ.* Quibus verbis, ſimulque alijs in fine Symboli Nicæni contentis, ac poſtea n. 40. exſcribendis, manifeſtè ſignificatur, inter alia, Arium negaſſe Filio Dei æternitatem, dum dixit, fuiſſe quondã cùm nondum eſſet, atque ex nihilo factum. Addebat præterea, ſolum Filium ἀμέσως, id eſt, nullo medio interpoſito, fuiſſe factum à Deo Patre: cætera autem omnia procreata fuiſſe per Filium, veluti inſtrumentum: quia nulla alia ex reliquis creaturis poſſet capere aut ſuſtinere meram, & immediatam Dei Patris efficientiam, niſi Filius ſolus. Addebat nihilominus, in poteſtate Dei eſſe, vt plures Filios æquales, aut etiam præſtantiores faciat, ſi velit. Quippe in Patris poteſtate eſſe plures δυνάμεις, virtutes, pluresq; λόγους, rationes, è quibus Logon aliũ Chriſto præſtantiorem

creare poſsit. Aiebat denique ſubſtãtias, eſſentias, & naturas Patris, Filij, & Spiritûs ſancti, eſſe tres ſeparatas, inæquales, & diverſas: vt propterea Filius (idemque eſt de Spiritu ſancto) nihil proprium Dei habeat, nec ſit ipſi æqualis, nec cõſubſtantialis: ſed ſolùm ſit Deus cum additamento, ex voluntate Patris, ac longè inferior. Hæc eſt ſumma hæreſis Arij, prout ab ipſo tradita fuit in Thalia, & Sotadeo libello: eamque hoc ſenſu exponunt Athanaſius Orat. 2. & lib. de Synodis, Epiphanius Hæreſi LXIX. Sozomenus loco nuper allegato, & alij.

12 *SED* Nemo ex Patribus clariùs aut breviùs præſtinxit hæreſim Arij, quàm Alexander Epiſcopus Alexandriæ in Epiſtola ad omnes ſub cœlo orthodoxos, vbi ita de eo loquitur: *Aſſerit tempus aliquando fuiſſe, cùm non eſſet Filius Dei, poſtea factum, cùm non extiterit. Talem fuiſſe tum, cùm factus eſt, qualis quiſque homo: omnia enim Deum ex nihilo feciſſe. Eum natura poſſe mutari, virtutis & vitij capacem eſſe. Eſſe in noſtra poteſtate filios Dei fieri, non aliter atque ille factus eſt. Omni exuta in Deum pietate & reverentia, ait Deum, cùm illum præſcientia & præſcitione prænoviſſet neutiquam ipſum aſpernaturum: idcirco ex omnibus præelegiſſe (Non enim eum aut natura, aut prærogativa quidquam præter cæteros filios habuiſſe) ſed cùm eſſet natura mutabili, & propter ſingularitatem in vita, & in moribus ritè inſtituendis diligentiam ac ſtudium, non ad vitia, deflecteret, Deum illum elegiſſe, adeò vt Paulum, & Petrum, ſi in hoc & ipſi enixè incubuiſſent, eodem modo aſſerat futuros fuiſſe filios Dei, quo ille fuit.* Hæc ſunt, quæ de impiiſsimo Arij errore teſtata habemus; quæque ne audirent in Concilio Nicæno, dum referrẽtur, multi ex Patribus aures occluſerunt. Nec ſanè doctrina alia proferenda fuerat in libro Arij, cui nomen THALIA, id eſt, convivium aut epulum; ſive in Sotadeo, quam Athanaſius merito appellat *Sotadici & crapularij Arij Bachanalia.* Nimirum, vt obſervat Socrates, lib. 1. Hiſtor. cap. 6. erant rhythmi vulgares *Sotadeis cantilenis ſeu carminibus perſimiles*, blaſphæmijs pleni, qui inter pocula & tripudia cantabantur ab infima plebe. Vnde in Thalia, ſive Sotadeo Arij libello, non potuit contineri alia doctrina, quàm crapularia, & Bachanalibus apta. Quare Conſtantinus Magnus non ſolùm comburi iuſsit libros Arij in Concilio Nicæno damnatos, verùm etiam ijs, qui Arij Thaliam legerent aut occultarent, pœnam capitis conſtituit, vt Socrates & Sozomenus teſtantur.

13 *QVAMVIS* Autem omnes Arij ſectatores malè audierint in Eccleſia, ideóque peculiari vocabulo, iuxta edictum Conſtantini Imperatoris, *Ariomanitæ*, appellati fuerint, (quo cognomine eos notant Epiphanius, Nazianzenus, & alij, propter maniam, ſeu furorẽ) adhuc tamẽ in varias ſectas, ſeu capita eiuſdem hydræ, diviſi fuerunt; & alias atque alias fidei ſuæ formulas ediderunt, poſt hæreſim præcipuam in Nicæna Synodo damnatam. Porrò vndecim illarum ab ijs traditas, novemdecim annorum decurſu, in alijs atque alijs conciliabulis, refert S. Athanaſius lib. de Synodis. quas ſeorſim deſcribit Petavius lib. 1. de Trinit. c. 9. Et quamvis eæ invicem collatæ, partim conveniant, partim diſſideant in quibuſdam articulis; omnes tamẽ in eo conſentiunt, vt Filius ſeu Verbum nullibi dicatur ὁμοούσιον, *cõſubſtantiale* Patri, ſed ſummùm ὁμοιούσιον, id eſt, ſimilis ſubſtantiæ, vel eſſentiæ. Quæ vocula fuit teſſera illorum, qui Semiariani dicti fuerunt; & ex quibus, in Synodo Orientalium Seleuciæ coactâ, centum quinque in eo errore pertinaces fuerunt, quamvis contrà clamantibus Epiſcopis Ægyptijs, qui *ſoli, præter Alexandrinum hæreticum, homoûſion conſtantiſsimè obtinebãt*: vt teſtatur Hilarius, qui ibidem adfuit, libro contra Conſtantium: in quo ob exſcribentium, vel typographorum incuriam, eſt magna perturbatio in vocabulis homœûſij, atque homoûſij, cùm tamen toto cœlo diſtent, & prius ex his ſit character hæreſeos Semiarianæ, poſterius fidei Catholicæ. Simile etiam erratum eſt in verbis ijs eiuſdem libri: *Centũ & quinque Epiſcopos ὁμοιούσιον, id eſt, diſſimilis eſſentiæ profeſſos eſſe.* Legendum enim *ſimilis eſſentiæ*, patetcùm ij eſſent Semiariani, qui Filium in eſſentia ſimilem Patri profitebantur, & negabant homoûſion, ſeu identitatem in eſſentia.

14 *OMNES* Arianæ hæreſeos ſectatores poſſunt revocari cõmodè ad tres claſſes, veluti præcipuas. Prima, & omnium peſtilentiſsima, eſt Anomœorum, qui puram & integram blaſphæmiã Arij amplexi ſunt effutiẽtes cum ipſo, Filium eſſe creaturam, ex nihilo factã, idque non ab æterno, ſed in tempore; nec vlla in re Patri ſimilem, multò autem minùs æqualem. Secunda Semiarianorum, qui quãvis negarent Filiũ eſſe homoûſion, id eſt conſubſtantialem Patri; aſſerebant tamen, eſſe homoiûſion, id eſt, ſimilis ſubſtantię, vel eſſentiæ. Tertia ijs duobus interiecta, fuit eorum, qui nec aſſerebant Filium eſſe conſubſtantialem Patri, nec ſimilis ſubſtantiæ; ſed indefinitè ſimilem ſtatuebant. Deinde, aut negabant illũ eſſe creaturam ex cæterarum ordine, aut non audebant id palam profiteri. Hæc tripartita diviſio ſequacium Arij colligitur præſertim ex Epiphanio, Athanaſio, Hilario, Socrate, & Sozomeno,

loci-

locis ſuprà indicatis. Mitto alias eorum diviſiones relatas à Rufino lib. 1. Hiſtoriæ cap. 25. Theodoreto lib. 4 de Hæreſibus, cap. de Arianis & Eunomianis, Ambroſio lib. 1 de Fide cap. 4. Porrò Euſebium Cæſariẽſem Arij partibus adhæſiſſe tam ante, quàm poſt Concilium Nicænum, & ſaltem Semiarianum fuiſſe, planè conſtat ex libro ipſius ſeptimo de Præpar. Evangelica c. 13 14. & 15 lib. etiam vndecimo eiuſdẽ Operis, vbi palam cum Platonicis tradit triplex αἴτιον, ſive principium; & lib. decimo octavo, vbi cum eiſdem ſtatuit tres τοιάδας ὑπερουσίας, *intelligibiles eſſentias* Eundem errorem luculentiùs tradit lib. 4 de Demonſt. Evangelica c. 1. 3. 4 5. lib. 5. c. 1. aliiſque plurimis locis Ideoque S. Hieronymus in Apolog. 1. contra Rufinum, eũdem Euſebium diſertè appellat *Arianæ quondam ſignifer um factionis*. Vt propterea audiẽdus non ſit Molinæus Calvinianæ ſectæ Miniſter, qui Cardinalem Perroniũ, ac cæteros Catholicos redarguit in ſua illa Reſponſione ad eundem Cardinalem lib. 3 c. 2 quaſi præter meritum Euſebio Arianiſmum affinxerint. Quippe deſperatam eſſe cauſam pro Euſebio ſuſceptam, probant planè loca ipſius nuper indicata, quæ nervosè & eruditè, vt aiolet, expendit Petavius lib. 1. de Trin. c 11. & 12. Niſi fortè vera ſit coniectura Georgij Trapezuntij in Epiſtola ad Nicolaum V. præfixa Operibus ipſius Euſebij: vbi ait, libros de Præpar. ſcriptos fuiſſe ab Euſebio ante tempus Concilij Nicæni, cùm laboraret Ariana hæreſi: poſtea verò ſubſcripſiſſe Symbolo Nicæno ex animi ſententia, ac piè & ſanctè in orthodoxia vixiſſe. Vide infrà n. 34

15 *CVM* Verò hæreſis Arij, & omnes illius ſectæ, inſigni Dei beneficio, multis iam ſæculis poſt Nicænam Synodum, ſepultæ eſſent, denuo ab Orco revocatæ fuerunt à Sectarijs recentibus, præſertim à Michaele Servetо, qui ſæculo præcedenti negare auſus fuit Chriſto veram divinitatem, ſeu vnionem hypoſtaticam cum Deo, quaſi fuerit homo purus. Quare edidit quoſdam libros ſcriptos *de erroribus Trinitatis*. Imò & vocem ipſam Trinitatis adeò deteſtatus fuit, vt in ipſam horrenda convitia evomuerit, & Trinitarios omnes (ſic appellat Catholicos) Atheos nominaverit. Quæ blaſphæmia vſque adeò diſplicuit vel ipſis hæreticis Genevenſibus, vt iuſſu magiſtratus vltricibus flammis traditus fuerit, & vivus exuſtus anno M. D. LV. idque adhortante Calvino: qui & inde occaſionem ſumpſit ad ſcribendũ Opuſculum de coercendis iure gladij hæreticis. in quo ſanè volens nolens contra ſeipſum ſententiam tulit. Cœperat autem innoteſcere anno Chriſti M. D. XX. iuxta Laurentium Surium. Deinde eandem impietatẽ amplexi ſunt Franciſcus Davidis, & Georgius Blandrata, abſolutè negantes Trinitatem perſonarum in vna divinitate: quorum verba exſcribit Valentia lib. 1. de Trinit. cap. 7. Videtur autem præiviſſe ijs omnibus Lutherus, cuius verba apud auctorem eundem ſunt: *Anima mea odit Vocabulum Homouſion*. Illud verò eſſe ac fuiſſe teſſeram religionis Catholicæ de Trinitate, notum eſt, & ſuprà non ſemel iudicatum. Deinde Filium Dei æternum, qui creavit omnia, appellat *inſtrumentum Patris*. qualiter locutum fuiſſe Arium in libro Thaliæ, vidimus ſuprà. Dixit enim impijſſimus ille, *per Filium* (tanquam per inſtrumentum) *eliquas creaturas architectatas* fuiſſe, vt teſtatur Athanaſius. Nimirum, inſtrumentum omne eſt inferioris naturæ & virtutis relatè ad cauſam principalem. Si ergo opinione Lutheri, ſicut & Arij, Filius Dei eſt inſtrumentum ad reliquas omnes creaturas faciendas, non eſt æqualis aut eiuſdem naturæ & virtutis cum Patre.

16 *VERVM* Nequis fortè exiſtimet Lutherum in voce Homouſion ſolas ſyllabas odio habuiſſe, & non rem ipſam, ſeu vnitatẽ naturæ in tribus perſonis, quę per illas ſignificatur; obſervare oportet, illum in Litanijs, ſeu Germanicis precationibus an. 1543. illud expungi curaſſe: *S. Trinitas Vnus Deus, miſerere nobis*. Præterea in ſuis Biblijs Germanicâ linguâ editis Vvitembergæ, Ienæ, Lypſiæ, & Francofordiæ, ex loco illo Iſaiæ 9. v. 6 vbi Chriſtus Dominus, inter alia attributa, dicitur, *Deus fortis* prætermiſit vocem *Deus*. Præterea ex Epiſt. 1. Ioann. c. 5 expunxit verba illa, in quibus Trinitatis myſterium palã exprimitur: *Tres ſunt qui teſtimoniũ dant in cœlo, Pater, Verbũ & Spiritus ſanctus: & hi tres vnũ ſunt.* Quòd ſi verò alicubi Chriſto divinitatẽ tribuit, certè non niſi paſſam, ac proinde mutabilẽ, & creatã, qualem ne Arius quidẽ negavit. Quin & Euthychetem, & Neſtorium, duos inſignes hoſtes divinitatis Chriſti, excuſare ſtuder, quaſi iure, & ex animi ſententia, non deſeruerint, rectã de Deo fidem: contra verò Sanctos Leonem & Cyrillum criminatur, quaſi non iure ſententiã tulerint adverſus duos illos. Nimirum, Luthero conſequens erat, vt dum Filio Dei veram divinitatem auferebat, nec divis parceret.

17 *SVBSCRIBIT* Luthero, ſicut & Ario, Philippus Melanctон, quem Lutherani honoris cauſâ præceptorem appellant. Nam in locis cõmunibus anno 1558 editis pag. 40. & in Epiſtola ad Electorem Brandeburgenſem duodecima ſcripta anno 1553. & libro contra Stancarum, atque alibi ſæpe, audet dicere Filium eſſe inferiorem Patre ſecundùm divinitatem; paſſim illi tribuens, non divinam naturam abſolutè & ſimplicitèr, ſed aliquid naturæ divinæ, vel quandam naturam divinam:

tanquam non omnino divina ſit in Filio, ſicut eſt in Patre. Niſi fortè aliquis contendat, naturam divinam in tres quaſi particulas dividi ex mente Melanctonis, quarum vnaquæque ſit aliquid naturæ divinæ, conveniens ſingulis perſonis. Quæ profectò eſt antiquiſsima hæreſis Tritheitarum, deſcripta ab Auguſtino Hæreſi 74. hiſce verbis: *Eſt alia hæreſis, quæ triformẽ ſic aſſerit Deum, vt quædam pars eius ſit Pater, quædam Filius, quædam Spiritus ſanctus.* Nec verò negamus, Lutherum & Melanctonem alijs locis divinitatem Chriſti veram profiteri. Hoc ſolùm dicimus, locis ſuprà indicatis palam ab ijs negari. Nimirum, ij duo, ſicuti & quilibet alij hæretici, agitati ſpiritu vertiginis, paſsim inveniuntur non conſtare ſibi, & pugnantia tradere. Mitto plures alios ex eorum grege, qui in eodem luto hærent.

18 *LVTHERO* Calvinus videtur concinere libro contra Gentilem, vbi ait, nomẽ Dei καθ' ὑπεροχήν, hoc eſt, per excellentiam, ſoli Patri convenire. Similiter loquitur Hieronymus Zanckius in opere de Trinitate part. 2. lib. 5. cap. 8. Vnde infertur, Filium eſſe minùs excellentem Deum, ac proinde non verum Deũ. Quare & conſequenter ad ſuam perfidiam inquit eodem loco, *Filij perſonam non, niſi improprie, Creatorem cœli & terræ nominari.* Addit præterea, *Impropriam eſſe atque duram orationem illam Symboli Nicæni, DEVS DE DEO.* Sed mens Calvini luculentiùs apparet, quoniam locum illum ex verbis Chriſti Ioannis 10. *Ego & Pater vnum ſumus*, ex quo Patres Concilij Nicæni colligunt Patris & Filij conſubſtantialitatem, ſeu vnitatem in natura, accipit, non de vnitate in ſubſtantia, ſed de conſenſu ac concordia voluntatis. quæ ipſa olim Arianorum interpretatio fuit. Vnde Georgius Blandrata Servetianus, in Albana diſputatione, quam in Tranſylvania habuit, eandem Arianam interpretationem confirmavit teſtimonio Calvini ipſius dicens: *Auditores ad vnicum Caluinum relegamus, qui veteres ſcriptores palam carpit, quòd locum hunc (Ego & Pater vnum ſumus) ad vnitatem eſſentiæ detorſerunt.* Præterea idem Calvinus lib. 2. Inſtitutionum cap 24 cenſet, Chriſtum eſſe ſubiectum Patri, adhuc ſecundùm naturam divinam. Quo ſenſu interpretatur illa verba Pauli: *Tunc & ipſe Filius ſubiectus erit ei, qui ſubiecit ſibi omnia.* Neque obſtat quòd Calvinus ipſe Michaeli Serveto myſteriũ Trinitatis neganti auctor exſtiterit Genevæ, vt ſuprà num. 15. monuimus, aut quòd illum impugnaverit. Quamvis enim tunc fortaſſe rectam de Trinitate ſententiam haberet, videtur illam mutaſſe locis nuper indicatis. Præterea locum illum Iſaiæ 6. v. 3. *Sanctus, ſanctus, ſanctus*, &c. vnde omnes Patres probant myſterium Trinitatis contra Arianos, ait nullius roboris eſſe ad convincendum illos: vt videbimus infrà Diſp. LVIII. num. 34. Quare Huanius librum edidit Calvino-maſtygem, cui titulum fecit, *Caluinus Arianizans.*

19 *AN* Verò tum Arianis, tum vtrique hæreſiarchæ nuper memorato, accenſeri debeat Eraſmus, prudentis Lectoris iudicio committimus. Certè Miniſtri Hungarici ad conciliandam fidem doctrinæ ſuæ Servetianæ, quæ contradicit myſterio Trinitatis, Eraſmum pro ſe allegant in libro quem Ioanni Regi obtulerunt anno M. D. LXVII. Et ille in Scholijs Tomi tertij Epiſtolarum S. Hieronymi auſus fuit dicere, Arianos non docuiſſe aliquam hæreſim, ſed tantùm feciſſe ſchiſma, eoſque fuiſſe ſuperiores Nicænis Patribus, tum eloquentiâ, tum doctrinâ. Præterea in Adnotationibus ad caput vltimum Epiſtolæ primæ Ioannis, verba illa Chriſti, *Ego & Pater vnum ſumus*, interpretatur, non de vnitate naturæ, ſed de concordia voluntatis. quæ eſt ipſiſsima Arianorum interpretatio, vbi à Catholicis eo teſtimonio impetebantur. Inſuper in Annotat. ad cap. Romanorum nonum inquit, verba illa ad Philip. 2. *Nõ rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo*; nihil valere ad probandam Chriſti divinitatem. quo etiam modo Maximus quidam Arij ſectator locutus eſt olim apud Auguſtinũ lib. 2. contra Maximum, cap 5. Vlteriùs ad eandem divinitatem Chriſti probandã exiſtimat, ineptum eſſe locum illum eiuſdem Apoſtoli Rom. 9. *Ex quibus eſt Chriſtus ſecundùm carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula.* Cenſet enim ibi redundare vocem *Deus* aut verba illa, *Qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula*, referri debere ad Deum Patrem in gratiarum actionem pro Chriſto nobis dato, ita vt præfixo puncto ante vocem *qui*, incipiat nova periodus. Denique ad marginem diſputationis illius S. Auguſtini cum Maximino Ariano, quæ habetur apud ipſum lib. 1. circa medium, adnotatum ab Eraſmo legitur, naturam divinam non eſſe vnam numero. Vide præterea infra Diſp. LIX. n. 8. Ex quibus omnibus, præſertim ſi plura alia conſiderentur paſſim occurrentia in Eraſmo circa alia fidei myſteria propter quæ malè in Eccleſia audivit, non immeritò ſuſpicari poſſumus, illum Ario ſubſcripſiſſe & edidiſſe ova, quæ poſtea Michael Servetus excluſit.

20 *DENIQVE* Poſt prædictos hæreſiarchas palam contradixit myſterio Trinitatis Bullingerus Sacramentarius lib. de auctoritate Scripturæ & Eccleſiæ, vbi tres in divinitate perſonas differre ait, *non ſtatu, ſed gradu; non ſubſiſtentia, ſed forma; non poteſtate,*

ſed

ſed ſpecie. Nimirum, ijs verbis non ſolùm evertitur vera divinitas Chriſti, ſed etiam Spiritûs ſancti, quaſi in ijs non eadem, quæ in Patre, ſed alia & alia ſpecie forma ſeu natura ſit. Quod ipſum ferè nuper in Polonia effutierunt recentes Photiniani, atque Ebionitæ, & ex ijs Ioannes Crellius, Miniſter illius Satanicæ Synagogæ, quæ in Racovia eſt. Is enim librum edidit quadraginta retrò annis, cuius argumentum eſt oſtendere, Deum verum & ſummum eſſe vnicum in perſona, quemadmodum in eſſentia, qui ſit Pater Chriſti Domini: hunc verò purum hominem eſſe ac fuiſſe: appellari autem Filium Dei, ob excellentem functionis dignitatem, & muneris ſibi iniuncti à Deo ad reconciliandum genus humanum. Itaque falſa eſſe quæcumque de æterna ipſius generatione, & temporanea Incarnatione, ot iam ſæculis Eccleſia credit & tradit: ſummumque admittenda, veluti dicta quadam figura & tropo. Quamvis verò totus liber plenus ſit futilibus & ſpernendis cavillis contra Catholicam de Trinitate doctrinam, teſtatur Ioannes Henricus Biſterfeldius in Confutatione illius anno M. DC. XXXIX. editâ, vſque adeò celebrem eſſe in Polonia & Tranſylvania, vt dicant illius ſectatores, *Crellij librum eſſe prorſus inuictum, nullaque ratione refutari poſſe, vtpotè qui omnibus noſtrorum hominum reſponſionibus abundè ſatisfecerit.*

SECTIO TERTIA.

Patripaſſianorum, Noeti, & Sabellij hæreſis, negantium in diuinitate perſonas reipſa diſtinctas, exponitur. Nonnihil de Paulo Samoſateno, ac præterea de quibuſdam recentibus Hæreſiarchis.

21 SVPERIORI Sectione recenſuimus hæreticos illos, qui, licèt fatérentur Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum eſſe tres perſonas, negarunt ijs ex æquo vnam & veram divinitatem, quam ſoli Patri tribuebant. Nunc memorandi ſunt, qui duas aut tres perſonas Trinitatis in vnam confuderunt. Ac primò quidem aliqui hæretici videntur vnicam perſonam agnoviſſe in Patre & Filio, dum Patrem fuiſſe paſſum aſſerebant: quos propterea Cyprianus Epiſt. 73. *Patripaſſianos* vocat, ſicut & Marius Victorinus lib. 1. contra Arium (habentur eius Opuſcula Tomo IV. Bibliothecæ Magnæ Aniſionianæ) eoſque commemorat Tertullianus lib. de Præſcriptionibus cap. vlt. vbi de quibuſdam è ſecta Cataphrygaſtarum, qui Cata Æſchinem dicebantur, inquit: *Priuatam autem blaſphemiam illi qui ſunt Cata Æſchinem, hanc habent, qua adijciunt etiam hoc, vt dicant, Chriſtum ipſum eſſe Filium & Patrem.* Ac præterea ſub finem de Praxea, ait: *Sed poſt hos omnes etiam Praxeas quidam hæreſim introduxit, quam Victorinus corroborare curauit. Hic Deum Patrem omnipotentē Ieſum Chriſtum eſſe dixit, hunc crucifixum, paſſumque contendit. mortuum præterea ſeipſum ſibi ſedere ad dexteram ſuam cum profana & ſacrilega temeritate contendit.* Adverſus eundem Praxeam ſcripſit idem Tertullianus peculiarem librum. Valentinus verò, antiquiſsimus hæreticus, dixit totam Trinitatem fuiſſe paſſam, vt teſtatur Athanaſius, libro de ſalutari adventu Chriſti. Neſcio tamen, an nomine totius Trinitatis tres perſonas diſtinctas intellexerit, an vnicam reipſa.

22 ALII Autem abſolutè tres in Trinitate perſonas reipſa diſtinctas negârunt: quæ hæreſis licèt communiter Sabellio tribuatur, longè antiquior fuit. Imprimis enim S. Ignatius Martyr, Apoſtolorum diſcipulus, in Epiſtola ad Trallianos illam commemorat nomine eorum, qui vnicam in divinis perſonam aſſeruerunt. Deinde eandem vehementiùs propugnavit Noetus Epheſius circa annum Chriſti CC. XLV. vt colligitur ex Epiphanio Hæreſi LVII. vbi teſtatur, illum præceſsiſſe CXXX. retro annis. Itaque is Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, aſſeruit vnum & ſingularem Deum eſſe in perſona, quemadmodum in natura. Vnde & illius ſectatores Noetiani dicti ſunt.

23 VERVM Hæreſim eandem Sabellius natus in Libya, ſive Pentapoli, paucis poſt annis, nimirum Chriſti CC. LVII. aut circiter, famoſiorem reddidit: vt propterea S. Auguſtinus lib. de Hæreſibus ad Quodvult Deum Hæreſi 41. miretur Epiphanium duas ex vna feciſſe hæreſes, & Noetianorum errorem ac Sabellianorum diſtinxiſſe, cùm vnus idemque fuerit, ſed celebrior ſub nomine Sabellij, quàm Noeti. Verba Auguſtini ſunt: *Noetiani difficillimè ab aliquo ſciuntur: Sabelliani autem ſunt in ore multorum. Nam & Praxeanos à Praxea quidam vocant, & Hermogeniani vocari ab Hermogene potuerunt: qui Praxeas & Hermogenes eadem ſentientes in Africa fuiſſe dicuntur. Nec tamen iſtæ plures ſectæ ſunt, ſed vnius ſectæ plura nomina ex ijs hominibus, qui in ea maximè innotuerunt; ſicut Donatiſtæ, ijdem Parmenianiſtæ; ſicut Pelagiani ijdem Celeſtiani.*

24 PORRO Sabellij ac ſequacium perfidiam ita deſcribit Epiphanius Hæreſi LXII. Δογματίζει γαρ ὅτος, καὶ οἱ ἀπ' αὐτὸ Σαβελλιανοὶ. &c. *Dogmatizat autem hic, & qui ab eo dicti ſunt Sabelliani, eundem eſſe Patrem & Filium, & Spiritum ſanctum; vt ad eandem hypoſtaſim tres appellationes con-*

veniant, aut perinde atque in vno homine corpus & anima & ſpiritus ineſt. Ita vt corporis ſit inſtar Pater, animæ Filius, Spiritus denique in ipſa diuinitate humani ſpiritus inſtar habeatur. Præterea addebant ſimilitudinem Solis, cui vni ineſt triplex energia; ſcilicet, vis illuminandi, vis calefaciendi, & forma rotunda, ſeu corpus ipſum Solare, quod appellant diſcum. Hoc itaque modo, Patrem eſſe formam totius hypoſtaſis, Spiritum vim calefaciendi, illuminandi autem Filium, qui inſtar radij certo tempore emiſſus fuit ad redimendum genus humanum, & poſtea ad auctorem rediit ſuum, quemadmodũ radius à Sole emiſſus, in eundem revertitur. Paulo aliter eandem perfidiam exponit Athanaſius Oratione contra Arianos de dicto illo, DEVS EX DEO, non longe à fine, vbi teſtatur Sabellium dixiſſe: *Quemadmodum diuerſa ſunt genera gratiarum, idem autem Spiritus: ita quoque Pater cùm idem ſit, dilatatur in Filium & Spiritum.*

25 *ITAQVE* Sabellius vnicam perſonam in divinis conſtituebat, cuius primaria hypoſtaſis eſſet ac denominaretur Pater, energiæ autem eſſent duæ ſubeuntes denominationem, altera quidem Filij altera verò Spiritus ſancti. Quare hæc hæreſis ex adverſo reſpondet Arianæ: ideoque hanc Gregorius Naziãzenus Oratione 14. vocat Αρειος διαιρεσιν id eſt, *Arij diuiſionem*; illam verò Σαβελλιος συναιρεσιν, *Sabellij contractionem*. Quippe Arius dividebat ſubſtantiam, ſive eſſentiam Patris, Filij, & Spiritus ſancti: Sabellius autem eos tres cõtrahebat in vnicam perſonam. Præterea idem Nazianzenus Orat. 21. Sabellij errorem appellat θεοτητος συναιρεσιν, *diuinitatis contractionẽ*, necnon αθεοτητα, id eſt, atheiſmũ. Quod iam præmiſſerat Orat. 1. vbi dixit, triplicem eſſe ſectam Trinitati contrariã, εθνικην Sabellij, id eſt, atheiſmum illius; Iudaiſmũ Arij; & Polytheiſmum quorundam aliorũ. Rationemque reddit: quoniã Sabellius negans perſonarũ diſtinctionem, & illas confundens, *non magis vnũ facit omnia quàm nihil eſſe ſingula definit*: Arius verò imitatione quadã Iudæorum vulgarium, Deũ omnino ſolitariũ & infœcundũ adſtruit: ac denique alij dividentes triplicem perſonam divinam in eſſentia, ſicut in hypoſtaſi, abſque vlla vera vnitate penes ſubſtantiam, opinione ſua polyarchiam, ſeu plurium Deorum principatũ induxerunt, qui certè atheiſmo æquivalet. Nam, vt probatum fuit Tom. I. Diſp. 12. n. 12. & latiùs Diſp. XIII. Deorũ polyarchia perinde eſt, ac anarchia, ſeu nullus principatus. Ideò etiam Ambroſius in Symbolum Apoſtolorum c. 2. ad finem deſcribens errorem Sabellij, inquit: *Sabellius docuit, vnam ſubſiſtentiam eſſe Patrem & Filiũ & Spiritũ ſanctum, vnamque trinominem perſonam. Seu dum omnes vnam eſſe perſonam reputat, nihil eſſe vnamquamque aſſignat: quoniam deſinet eſſe quod eſt, cùm alterutrũ, id quod eſſe dicitur, vniuſcuiuſque transfunditur.*

26 *AT* Baſilius Magnus Epiſtola LXIV. hæreſim Sabellij potiùs Iudaiſmũ, quã Atheiſmum cenſet; primam verò, ſuperſtitionem Ethnicam primum ex his profert: quia *Iudaiſmus eſt Sabelliſmus ſub prætextu Chriſtianiſmi in Euangelicam prædicationem inuectus. Qui enim rem vnam pluribus nominibus appellatam eſſe dicit Patrem & Filium & Spiritũ ſanctũ, & vnã triũ hypoſtaſim exponit, quid aliud facit? Nonne ſempiternã Vnigeniti quæ ſæcula anteceſſit, exiſtentiam negat? Negat etiam aduentum illius ad homines quadam diſpenſatione factũ, deſcenſum ad inferos, reſurrectionẽ iudicium. Negat etiam porro peculiares Spiritus operationes.* Deinde circa finem Epiſtolæ eandem hæreſim appellat *fictionem perſonarũ ſubſiſtentiæ expertem*: quoniã Sabellius dixit, *eundem Deum vnum ſubiecto exiſtentem, prout rerũ opportunitates ſingillatim poſtulant transformari, ac modò tanquã Patrem modò tanquam Filium, modò tanquã Spiritum ſanctum loqui.* Secundùm verò tradit Hom. 27. quoniã Ariani dum plures Deos profitentur Ethnicorum more Numina multiplicant. Ideoque Gregorius Naziãzenus Orat. 2. ait: *Nihil Trinitatis in ordinem tuũ redige, ne a Trinitate excidas. Nullam re vnam illam naturam ac peræque venerandam truncas. Alioqui ſiquid ex tribus euerteris, totum euerteris immò à toto exciderис.*

27 *VNDE* Sabellius non agnovit Verbum ſubſtantivum in divinis, ſive ſubſiſtẽs, ſed accidentarium, inſtar verbi mentis creatæ, quod cogitando exprimimus, & parimus: ſimiliter nec Spiritum ſanctum per ſe ſubſiſtentem, ſed dumtaxat ſe habentem vt impetum voluntatis. Id colligitur ex eodem Baſilio poſteriori loco ex allegatis, vbi inquit: *Sabellianos cùm Verbum confitentur, ipſum comparare cum interno Sapientiam verò ſimilem eſſe habitui illi, qui in eruditorum anima conflatur, atque idcirco vnicam eſſe perſonam Patris & Filij, quoniam & vnus homo dicitur, non diuiſus ab eo, quod ſecum exiſtit, Verbo, & Sapientia.* Similiter & in Expoſitione Fidei inſcripta κατα μερος, tributa Gregorio Neocæſarienſi, aliàs Thaumaturgo (cuius Opuſcula habentur Tomo III. Magnæ Bibliothecæ) carpuntur Sabelliani, quoniam *Sapientiam in Deo exiſtimant eſſe, ſicut in homine ſapientiam humanam qua ſapiens eſt: & Verbum ſimile eſſe interpretantur verbo, quod*

ore

ore profertur, vel mente concipitur, nulla hypoſtaſi. Ac præterea: *Quò circa Sabellium fugimus, qui dicit eundem eſſe Patrem & Filium: Patrem quidem dicit eum qui loquitur; Filium verò Verbum in Patre manens, & tempore creationis patefactum; completis verò rebus, in Deum remeans. Idem dicit de Spiritu ſancto.*

28 *CERTE* Eiuſmodi error quoad Verbum, ſeu Filium Dei, eſt maximè affinis, aut ortus ex perfidia Ebionis, qui antea dixerat, Verbum in carnem delapſum nihil aliud fuiſſe, quàm ſonum vocis. Vnde eum errorem Sabelliano adnectit Hilarius lib. ſecundo de Trinitate initio, dicens: *Vt Sabellius Patrem extendat in Filium, idque nominibus potiùs putet eſſe confitendum, quàm rebus, cùm ipſum ſibi Filium, ipſum proponat & Patrem: Vt Ebion omne initium Filij Dei ex Maria concedens, non ex Deo hominem, ſed ex homine Deum proferat; neque ſubſiſtens antea quod in principio apud Deum Deus erat Verbum virgo in carne ſuſceperit; ſed carnem genuerit per Verbum; quia in Verbo non antea exiſtentis Vnigeniti Dei naturam dicat, ſed ſonum vocis elatum.* Quare Ebionitæ aiebant, Chriſtum è Spiritu ſancto conceptum de Virgine, eſſe Verbum Dei ad aures allapſum, vt indicat Epiphanius Hæreſi xxx. & ibidem Petavius in Animadverſionibus.

29 *AN* Verò idem Sabellius exiſtimaverit, Patrem pro nobis paſſum fuiſſe, inſtar eorum hæreticorum, qui ob eandem hæreſim Patripaſſiani dicti fuerunt, & ſuprà num. 21. notati ſunt, non omnium vna exiſtimatio eſt. Epiphanius enim Tomo I. in Synopſi libri ſecundi, & in Anacæphaleoſi cenſet, Sabellium eò nomine ſolùm diſcrepare à Noeto, quòd nõ fuerit perinde ac is, arbitratus perſonam Patris fuiſſe pro nobis paſſam. Miratur autem id Auguſtinus, & meritò: quoniam ſi opinione Sabellij vna erat perſona Filij ac Patris, non potuit Pater nõ pati, vbi Filius eſt paſſus. Immò ita dicendum videtur ex ſenſu Sabellij, vt potiùs Pater, quàm Filius, paſſus fuerit: ſiquidem ille ſubſtantian & ſolidam ουσιαν, id eſt, eſſentiam, aſſeverabat Patris propriam: Filium verò & Spiritum ſantum eſſe dumtaxat quaſi Patris energias. Atqui certum eſt, pati, quemadmodũ & agere, proprium eſſe ſubſiſtentium. Deinde ita ſenſiſſe Sabellium, colligitur ex Athanaſio. qui in libro de Synodis teſtatur, à Romanis *Patripaſſianos* appellari ſolitos eoſdem, quos Græci Sabellianos dicunt. Similiter Auguſtinus tract. 36. in Ioannem inquit: *Sabelliani dicti ſunt quidam hæretici, qui vocãtur Patripaſſiani, qui dicunt paſſum Patrem fuiſſe.* Ita ergo cenſuit Sabellius, & conſequẽter ad ſuam perfidiam.

30 *CIRCA* Idem tempus, ſive paucis poſt annis, Paulus Samoſatenus diſſeminavit errorẽ ſuũ, quo divinitatẽ Chriſto penitus eripiebat, ac eum purum hominem aſſeverabat. Quin & præterea τριτυπόσατον, ſeu Trinitatem perſonarum, de medio abſtulit, perinde ferè, ac Sabellius: vt obſervat S. Athanaſius Orat. de ſalut. adventu. Vnde contra illum coacta fuit Synodus Antiochena, cui interfuerunt viri ſanctitate ac doctrina celebres, & in ijs Gregorius Thaumaturgus, Athenodorus eius frater, & Firmilianus Cæſareẽſis. Cùm verò Paulus ipſe callidis tergiverſationibus Patrum ſtudia eluſiſſet, in alia Synodo coacta ſub Aureliano Cæſare damnatus fuit, & ab Eccleſia expulſus circa annũ Chriſti CCLXX. teſte Euſebio Cæſareẽſi lib. 9. cap. 22. & 23. Certè in V. Synodo Generali Coll. V. lecta fuit epiſtola Theophili Patriarchæ Alexandrini ad Porphyriũ Patriarcã Antiochenum, conquerentis à Theodoro Epiſcopo Mopſueſteno, tunc ſuperſtite, ſuſcitari deliria Pauli Samoſateni, cum ſuo, non ſolùm dogmate, ſed & baptiſmate damnati in Nicæna Synodo: quoniam, nimirum, cum Iudæis docuit, Chriſtum non eſſe verum Deum, ſed purum hominem. Quod de illo teſtatur S. Athanaſius Orat. 2. 3. 4. & 5. contra Arianos, & in ſpeciali Opuſculo de Dei Verbi Incarnatione adverſus Arianos: quod Theophilus ipſe allegatus appellat tomum dictatum *aduerſus vltimam Pauli impietatem.* Scilicet, quia Paulus de medio abſtulit Trinitatem perſonarum in divinis, perinde ferè ac Sabellius. Quãvis autem ambo eodem fere tempore in eoſdem errores inciderint, adhuc diſcrimen inter vtrunque eſt, quòd Sabellius præcipuè & apertiùs diſſeruerit contra realem diſtinctionem perſonarum divinarũ intra eàndem eſſentiam: Paulus autem Samoſatenus ex inſtituto reiecerit divinitatem Chriſti. Eâ autem ab illo exclusâ, planè ſequitur ille alius error. Si enim Chriſtus, qui in ſacra Scriptura nominatur Filius Dei, & quidem Vnigenitus, non eſt Deus; nullus profectò intra Deũ erit verè Filius, ac proinde nulla perſona diſtincta ſecundùm rem à Patre. Erit itaque Deus reipſa ſingularis in perſona, quemadmodum in natura. quod in re docuit Sabellius, quidquid ſit de modo loquendi. Similiter ſi Deus eſt omnino ſingularis in perſona, Filius Dei non erit Deus, ſed purus homo: quia Filius debet eſſe perſona diſtincta à Patre. Si ergo in divinis nõ eſt niſi perſona vnica, perſona Filij non eſt divina, ſed purè humana. Itaque alter ex ijs erroribus cum altero nexum habet.

31 *DENIQVE* Eandem hæreſim longiſſimo temporum curſu abolitam inſtaurare curavit, ſicuti & plures alias, Michael Ser-

vetus

vetus ſupra num. 15. notatus, & infenſiſsimus hoſtis Catholicæ Eccleſiæ: qui, vt erat inſanus & præceps, non dubitavit duo extrema adeò diſsita, ac pene contraria, qualia ſunt Arianiſmus & Sabellianiſmus coniungere. Quapropter Valentia iure illum appellat, *mōſtrū quoddam ex omnibus pene fabulis atque erroribus veterum hæreticorum compoſitum.* Nimirum hæc illius verba ſunt circa Trinitatis myſterium: *Cùm dicimus Deum, conſideramus eum ſeparatim extra omnem creaturam, & ineffabilem. Cùm verò dicimus Verbum, conſideramus prolatam* (Sabellius dilatatam dixit) *illius in hoc mundo præſentiam. Et cùm dicimus Spiritum, conſideramus ſpirantem eius in hoc mundo virtutem.* Quid congruentius Sabellio? Similiter Valentinus Gentilis ex eodem recentium Sectariorum grege Propoſi 9. *Non eſt*, inquit, *vnus Deus in tres perſonas diſtinguendus. Qui id facit, neceſſariò vnius Dei ſubſtantiam diuidit.* Itaque ij planè Sabellio conſentiunt, dum negant in divinitate tres perſonas reipſa diſtinctas.

SECTIO IV.

Recenſentur hæretici, qui nominatim Spiritus ſancti diuinitatem ſolidam impugnarunt, in alias atque alias ſectas diuiſi, ſub vna Pneumatomachorum appellatione comprehenſi.

32 HACTENVS recenſuimus hæreſes, quibus Trinitas perſonarum divinarum oppugnata fuit; ſed præſertim quoad perſonam Filij, quam Sabelliani indiſtinctam à perſona Patris aiebant; Ariani autem creatam omnino, & diversâ naturâ conſtantem. Nunc oportet indicare errores illorum, qui abſurdè & impiè de Spiritu ſancto ſenſerunt & ſcripſerunt. Omnium autem eorum antecambulones fuerunt Sadducæi ſub tempus ipſum Chriſti Domini: quoniam de ijs inquit Lucas in Actis Apoſtolorum cap. 23. v. 8. *Sadducæi enim dicunt, non eſſe reſurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum: Phariſæi autem vtraque confitentur* Quo loco nomine τὸ πνεύματος, id eſt, Spiritûs cōprehenditur omne incorporeum, ſive creatum, ſive increatum. Etenim, vel Deum ipſum corporeum faciebant, atque adeò omnem Spiritū, etiam increatum, negabant. Vnde S. Epiphanius Hæreſi XIV. Nazianzenus Orat. 37. & Philaſtrius in Doſitheo, ex eo loco colligunt, Sadducæos Spiritum ſanctum abnegâſſe. Verùm poſt Evangelij promulgationem ſtatim ferè aliquæ hæreſes ortæ ſunt, quarum quędam Spiritum ſanctum omnino negabat: ſiquidem S. Ignatius Martyr, & diſcipulus Apoſtolorum, in Epiſtola ad Trallianos (quæ habetur cum alijs Tomo II. Bibliothecæ Magnæ) illam cōmemorat. Eodem verò circiter tempore Simon Magus, princeps hæreticorum, eò ſuperbiæ & impietatis devenit, vt non erubuerit ſeipſum dicere Spiritum ſanctum. Ita enim de illo teſtantur Auguſtinus, & Theodoretus, poſt Irenæum lib. 1. adverſus hæreſes cap. 20. Sed tamen ille inſignis maleficus, noluit Spiritui ſancto divinitatem eripere, ſed potiùs aſſerere, vt propriæ dignitati conſuleret: vtpotè qui Deus haberi vellet, dum ſe Spiritum ſanctum appellabat. Huc ſpectat hæreſis Cataphrygū, ſeu Montaniſtarum: qui, vt plerique cenſent, Montanum ſuæ ſectæ auctorem aiebant eſſe ipſum Spiritum ſanctum, ſeu Paraclitum à Chriſto promiſſum. Sed tamen Epiphanius Hæreſi XLVIII. quæ eſt eorundem Cataphrygum, aſſerit, illos de Patre, Filio, & Spiritu ſancto, conſentire cum Eccleſia Catholica, quamvis alioqui turpiter erraverint exiſtimantes, Spiritum ſanctum fuiſſe loquutum per Montanum, ſicut & per Priſcam, ac Maximillam, quas prophetiſſas habebant: ideoque in multos errores inciderint. Id ipſum per omnia exiſtimatur de Tertulliano. Quamvis enim Montano & Maximillæ tanquam Dei vatibus fidem habuerit, indeque multipliciter erraverit; nunquam dixiſſe aut putaſſe invenitur, ipſum Montanum eſſe Spiritum ſanctum, neque hanc notam illi adſcribit Epiphanius, aut Philaſtrius. Sed tamen Auguſtinus & Hieronymus lib. 10 de Hæreſibus, alijque, illum etiam ex eo capite deſipuiſſe aiunt.

33 ITAQVE Multò poſt Simonē Magum orta eſt hæreſis deprimentium dignitatem Spiritûs ſancti. Quorum primus extitiſſe invenitur Origenes, qui illum multò inferiorem Patre eſſe, docuit, immò & Filio, quem ipſe minorem Patre appellabat. Nimirum perſonarum divinarum gradationem quandam, ſeu ὑποβαθμὸς, aut deſcenſus quoſdam ordine ſuo meditatus fuit, vt Pater eſſet ſupremus trium, Filius medius, Spiritus ſanctus verò poſtremus, vterque autem ex ijs duobus, creatura. Addidit vlteriùs, nec Patrem à Filio videri, neque Filium à Spiritu ſancto, neque hunc ab Angelis. Totum id teſtatur S. Epiphanius Hæreſi LXIV. & in Anacæphaleoſi. Cōſonat Hieronymus, qui in Epiſt. 59. ad Avitum exponit eiuſdem Origenis ſententiam lib. primo περὶ ἀρχῶν, vbi *tertium dignitate & honore poſt Patrem & Filium aſſerit eſſe Spiritum ſanctum. De quo cùm ignorare ſe dicat, vtrum factus ſit, an infectus, in poſterioribus quid de eo ſentiret, expreſsit, nihil abſque ſolo Patre infectum eſſe confirmans. Filium quoque mi-*

norem Patre, eo quòd ſecundus ab illo ſit ; & Spiritum ſanctum inferiorem Filio in ſanctis quibuſque verſari. Atque hoc ordine maiorem Patris fortitudinem eſſe, quàm Filij, & Spiritus ſancti: & conſequenter ipſius ſancti Spiritus maiorem eſſe virtutem cæteris, quæ ſancta dicuntur. Deinde Epiſtola 61. ad Pammachiũ, quæ ſcripta eſt adverſus errores Ioannis Hieroſolymitani, hæc verba Origenis refert ex libris eiſdem Periarchon: *Sicut enim incongruum eſt dicere, quòd poſsit Filius videre Patrem ; ita inconveniens eſt opinari, quòd Spiritus ſanctus poſsit videre Filium.* Deinde referens errores Origenis, Ioanni ipſi obiectos, nec tamen ab eo purgatos, inquit: *Prima iſta blaſphæmia, quòd nec Filius Patrem, nec Filium poteſt videre Spiritus ſanctus quibus à te telis confoſſa eſt?* Præterea in Apologia ſecunda contra Rufinum ait : *Probo ego inter multa Origenis mala, hæc maximè hæretica, Dei Filium creaturam, Spiritum ſanctum miniſtrum.* Denique Baſilius Magnus lib. de Spiritu ſancto cap. 29. teſtatur, Origenẽ *de Spiritu ſancto non ſana ab omni parte dogmata tradidiſſe.* Scio Noſtrum doctiſsimum Gilbertum Genebrardum initio Operum Origenis ſuſpicari, eiuſmodi dogmata, & plura ijs ſimilia, intexta fuiſſe ipſius Operibus ex nequitiâ Arianorum. Sed tamen ea reverà ab illo tradita fuiſſe argumento ſunt indubia tot Patrum teſtimonia, qui in eiuſdem Origenis libris plurimùm verſati, nigro theta ipſius opiniones circa Spiritum ſanctum notârunt. Et ſanè qui circa myſterium Trinitatis tam turpiter errâſſe perhibetur, vt ſectione prima oſtenſum fuit, quid mirum quòd nominatim de Spiritu ſancto abſurdè & impiè ſenſerit?

34 *DE* Euſebio Cæſarienſi iam ſuprà num. 14. oſtenſum eſt, fuiſſe hoſtem Trinitatis ſacroſanctæ, & Arij partes ſequutũ. Idem igitur, vt erat addictus Origeni, quem & defendendum ex inſtituto ſuſcepit, pariter circa Spiritum ſanctum erravit. Nam perinde ac ille docuit, Spiritum ſanctum eſſe factum à Filio, quoniam Ioannis 1. dicitur, omnia per Verbum fuiſſe facta. Quo argumento vſus fuerat Origenes in idem probandũ Tomo II. in Ioannem. Deinde idem Euſebius lib. 5. contra Marcel. cap. 6. palam, & ſine vlla verborum ambage dicit: *τὸ δὲ παράκλητον πνεῦμα, οὔτε θεὸς, οὔτε υἱός. Paraclitus autem Spiritus, neque Deus eſt, neque Filius.* Deinde lib. 5. de Demonſtratione cap. 4. ait, Chriſtum non ſolùm eſſe Dominum Davidis, ſed etiam Spiritûs ſancti, ac proinde multo magis Angelorum, & omnium creatarum rerum. Quæ dogmata pariter Arius eodem tempore diſſeminabat, dicens, Spiritum ſanctum à Filio creatum, eſſe creaturæ creaturam : vt teſtatur de illo Epiphanius Hæreſi LXIX. Ambroſius lib. de Symbolo cap. 2. & Auguſtinus lib. de Hæreſibus cap. 69. Itaque licèt Arius initio nihil circa Spiritum ſanctum dixiſſet, omniſque illius perfidia directè inveheretur adverſus ſolidam Filij divinitatem, poſtea impetitus argumentis Catholicorum Patrum deſumptis à vera divinitate Spiritus ſancti, pariter ipſum creaturam fecit, nec vtcumque creaturam, ſed à Filio factam, per quem omnia facta fuiſſe in Evangelio dicuntur. Itaque Euſebius & Arius, quemadmodum ſibi invicem concinuerunt in neganda Filio vera divinitate, ita etiam in auferenda Spiritui ſancto. Quare Hieronymus vbi ſuprà impugnans Ruffinum defenſorem Euſebij, aut potiùs excuſatorem, ait: *Dicit Euſebius, immo vt tu vis, Pamphilus, in iſto volumine, Filij & Patris miniſtrum eſſe Spiritum ſanctum, non de eadem Patris Filijque ſubſtantia.* Quæ omnia pariter Arius eodem ferè tempore effutiebat, aut fortaſsis ea priùs ab Ario palam tradita ſunt. Porrò, præter ea quæ ſuprà num. 14. præmiſsimus circa malam fidem Euſebij, & errores Arij, quibus patrocinium præſtitit, addendum eſt, in ſecunda Synodo Nicæna damnari illius memoriam : vt proinde velle illum defendere, ferè idem ſit, ac Eccleſiæ Catholicæ iudicium impugnare. Legendus ea de re Baronius ad annum Chriſti CCCXL. Vtinam aliquis, vel exiguus locus eſſet ad ipſum excuſandum : qui, teſte Hieronymo, infinita edidit volumina, plena eruditionis & eloquentiæ.

35 *SED* Enim tempore Arij, atque Euſebij, impugnatio Spiritus ſancti occulta erat adhuc, quæque ſolùm indirectè colligeretur ex impugnatione divinitatis Filij. Ideoque in Nicæna Synodo nulla publica diſputatio fuit cum Ario circa divinitatem Spiritûs ſancti, ſed Filij dumtaxat. Deinde verò Arij diſcipuli primùm Aêius, à quo cognominati Aetiani, deinde Eunomius, à quo Anomæi, ac denique Macedonius, & Apollinaris, generatimque omnes ij qui Pneumatomachi appellati ſunt, quaſi Spiritûs ſancti impugnatores, palam ipſius divinitatem negârunt. Vnde S. Baſilius Epiſtola 78. poſtquam dixerat, Patres Nicænæ Synodi nihil explicatiùs dixiſſe de Spiritu ſancto, quòd eouſque nulla circa illum controverſia mota fuiſſet, ſubdit: *Paulatim verò progreſſum habuerunt mala impietatis ſemina, quæ antea ab auctore illius hæreſis Ario tacta, ab ijs deinde, qui ipſius propugnanda dogmata malè ſuſceperant, ad Eccleſiarum perniciem nutrita ſunt.* Porrò inter prædictos Hæreſiarchas Apollinarium, præter cæteros errores, divinitatem negâſſe Spiritui ſancto, teſtatur Nazianzenus Epiſtola prima ad Cledonium, dicens:

Sci-

Scire neceſſe eſt, Apollinarium, quamuis diuinitatis nomen Spiritui ſancto tribuerit, vim tamen diuinitatis minime retinuiſſe. Etenim ex magno, maiori, & maximo, hoc eſt, ex Spiritu ſancto, & Filio, & Patre, tanquam ex ſplendore, & radio, & Sole, Trinitatem conſtituere, quod quidem diſertis verbis in illius libris ſcriptum eſt, diuinitatis ſcala eſt, non in cœlum ſubvehens, ſed è cœlo deijciens. Verùm & ipſi Pneumatomachi in varias ſectas diviſi aliter & aliter de Spiritu ſancto ſentiebant & loquebantur. Nam, vt teſtatur idē Nazianzenus Oratione 37. *alij energiam meram, id eſt, efficientiam eſſe dicebant: alij creaturam: alij Deum: alij cuinam attribuendus eſſet generi ignorabant, ſacras, vt aiunt, litteras veriti; quæ nihil ſuper hac re expreſſum haberent. Itaque nec venerabantur ipſum, nec dehoneſtabant, medium quiddam obtinentes.*

36 *ATQVE* Hæc quidem ſummatim de Hæreſiarchis ijs, qui myſterium Trinitatis, præſertim quoad divinitatem ſolidam Filij, aut Spiritûs ſancti, impugnârūt. Nam quod attinet ad quoſdam ex Veteribus Eccleſiæ Patribus, non modò Catholicis, ſed & in Catalogum Sanctorum relatis, non negamus eſſe aliquot teſtimonia obſcura aut difficilia, in quibus minùs exactè loquuti ſunt, rebus nondum ipſorum tempore definitis ab Eccleſia. Quorum loca videri poſſunt apud Valentiam lib. 1. de Vnitate & Trinit. Petavium lib. 1. de Trinitate, & Chriſtianum Lupum in Scholijs ad Concilium Nicænum & Conſtantinopolitanum. Verùm non propterea minùs honoris aut venerationis merentur, cùm id ſana intentione ſcripſerint, quam vbique ac ſemper erga Catholicam fidem retinuiſſe inveniuntur. Propterea enim rectè ac piè dixit Facundus Hermiacenſis lib. 6. defenſionis Concilij Calcedonenſis (apud Bibliothecam Magnam Tomo X. initio) ſiqua errata inveniuntur in ſcriptis SS. Patrum, *luminarium eſſe defectus: quæ, licèt nonnunquam ſplendoris ſui detrimenta ſuſtineant, non tamen amittunt luminaria eſſe, quod ſunt.* Quare ſicuti aliàs obſervavimus nūc quoque id exequimur, nec quemquam eorum vel in minimo notamus, immo nec eorum teſtimonia difficilia proferimus, quæ iam alij piè explicârunt, & Catholico ſenſu prolata oſtenderunt.

37 *HVC* Spectare videbatur error Græcorum plerorumque, non quidem Patrum, ſed popularium, negantium Spiritum ſanctum procedere ex Filio. Sed quinam illum tradiderint, & vberrima eorum impugnatio, in Opuſculo III. Sancti Anſelmi, quod eſt de Proceſſione Spiritus ſancti contra Græcos, apparebit oportuniùs.

DIS-

DISPVTATIO LV.

IN QVIBVS CONCILIIS DAMNATÆ FVERINT HÆRESES CONTRARIÆ mysterio Trinitatis.

AD CLARISS. ET ILLVSTRISS. D. D. MICHAELEM HIERONYMVM RAMOS DEL MANZANO, Iacobæum Equitem, post alia ampliſsima munera, Supremi Iuſtitiæ Senatus Conſiliarium; Magni Parentis, & veluti Oraculi noſtrorum temporũ, Illuſtriſs. Francorum Comitis D. D. FRANCISCI RAMOS Primogenitum; paternæ doctrinæ, pietatis, iuſtitiæ, ac reliquarum virtutum hæredem, &c.

VIDIMVS Diſputatione præcedenti quot & qualia Hæreſiarcharum monſtra virus ſuum evomuerint adverſus Triadem ſacroſanctam. Nunc oportet in medium proferre & expendere definitiones Conciliorum, quibus Catholica veritas contra illos definita & ſtabilita fuit.

SECTIO PRIMA.

Profertur in medium, & expenditur Symbolum Concilij Nicæni aduerſus hæreticos Trinitatis impugnatores, præſertim Arianos. Vbi obiter etiam de profligata Sabellianorum hæreſi.

1 *RELATIS* Hucuſque hæreſibus cõtrarijs Trinitati, ſupereſt in medium proferre canones Conciliorum, in quibus illæ damnatæ ſunt. *AC* Primo quidem Arij perfidia proſcripta fuit in Symbolo Nicænæ Synodi, quod hiſce verbis expreſſum fuit, memoratis ab Athanaſio in Epiſt. ad Iovinianum Auguſtum, Baſilio Magno in Profeſsione præſcripta Euſtathio Sebaſtienſium in Armenia Epiſcopo, Leone Papa in litteris ad Leonem Auguſtum, aliiſque pluribus. Πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεὸν, &c. id eſt: *Credo in vnum Deum, Patrem omnipotentem, omnium visibilium & invisibilium factorem. Et in vnum Dominum IESVM CHRISTVM Filium Dei, ex Patre natum vnigenitum, id eſt, ex ſubſtantia Patris; Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero; natum, non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt, & quæ in cœlo, & quæ in terra. Què propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit, & incarnatus eſt, & homo factus; paſſus eſt, & reſurrexit tertia die; & aſcendit in cœlos, & iterum venturus eſt iudicare viuos & mortuos. Et in Spiritum ſanctum. Eos autem, qui dicunt: Erat aliquando quando non erat, & antequã naſceretur, non erat; & quia ex non entibus factus eſt, aut ex alia ſubſtantia vel eſſentia dicunt eſſe, vel creatum, vel mutabilem, vel convertibilem Filium Dei; anathematizat Catholica & Apoſtolica Eccleſia.*

2 *HVCVSQVE* Illi trecenti octodecim Patres in Oecumenica Synodo Nicæna legitimè congregati, omnes Epiſcopi, præter innumeros Præsbyteros, & Diaconos, qui etiã aderant, ſimul cum Conſtantino Magno Imperatore. Inter eos omnes primas habebant, Hoſius Epiſcopus Cordubenſis (ita teſtantur Socrates lib. 3. cap. 9. & Sozomenus lib. 1. c. 16.) Vitus & Vincentius, qui à Sylveſtro Papa miſſi fuerant, tanquam Legati Sedis Apoſtolicæ: & Alexander Patriarcha Alexãdrinus, qui Arium, veluti infenſiſsimum divinitatis Filij Dei hoſtem, conſtanter & vbique inſectatus eſt. Aderant & plurimi ſanctitate ac doctrina & miraculis eximij, vt Diſp. 54. n. 10. obſervavimus. Itaque ij omnes ex illuſtratione Spiritus ſan-

Qui illam fidei formulam conceperunt, & palam expreſſerunt, quæ omnes pene hæreſes anteriores, præſertim myſterio Trinitatis contrarias, penitus profligavit. Ideoque S. Athanaſius in Epiſt. ad Epiſcopos Africanos id Symbolum appellat, *trophæum & columnam, in qua omnes hæreſes oſtentui inſcriptæ ſunt, & triumphantur.* Non enim modò Arius, & omnes ſectæ ex illius perfidia ortæ, ſed & Sabellius eâ fidei formulâ damnatus fuit, ac præterea Paulus Samoſatenus, qui olim proſcriptus fuerat in Antiochena Synodo. Veniamus ad ſingula breviter, atque ordine ſuo, explicanda.

4 *ATQVE* Imprimis Arij hæreſis (proindeque & Origenis, à quo ille eam didiciſſe putatur, vt vidimus Diſput. LIV. ſectione prima) palam ac multipliciter confoſa fuit, etiâ prout explicabatur & defendebatur ab alijs & alijs ſectatoribus ipſius, quos S. Athanaſius in Epiſtola de Nicæno Fidei decreto ait, fuiſſe animo magis vario & mutabili, quàm ſit chamæleon penes alternationem colorum. Nimirum, dixit Arius cum ſuis, Filium factum fuiſſe ἐξ οὐκ ὄντων, *ex non entibus*, quaſi diceret, ex nihilo. Contrà verò Synodus Nicæna: *Ex Patre natum Vnigenitum, id eſt, ex ſubſtantia Patris.* Quod certè nulli creaturæ, ſeu enti facto ex nihilo, cõvenire poteſt. Itaque, non creatus fuit ſed *natus*: non ex nihilo, ſed *ex Patre*: non filius voluntate gratuita, ſed *Vnigenitus*. Cumque in ijs verbis ſatis excluderetur perfidia Arianorum, *Euſebius, eiuſque fautores* (inquit Athanaſius in Epiſtola ad Epiſcopos Africanos) *peruerſa ſua opinione a vero abducti, dixere inter ſe: Hiſce conſentiamus: etenim nos quoque ex Deo ſumus: Vnus nempe Deus, ex quo omnia.* Similiter & vocem *Vnigenitus* ſubdola interpretatione receperunt, teſtante eodem Athanaſio in Epiſtola de Nicæno decreto, vbi de ijs ait: *Per ſummam impudentiam dixerunt, ſe ad iſtum modum putare Filium prærogatiuam præ alijs habere. Vnigenitumque appellari, eo quòd Vnus ille à ſolo Deo cõditus ſit; cætera vero omnia à Deo per ipſum.* Verùm, vt addit Athanaſius in citata Epiſtola ad Epiſcopos Africanos, *Epiſcopi eorum aſtutia cognita, plenius explicarunt illud, EX DEO eſſe, & ſcripſerunt Filiũ eſſe EX ESSENTIA DEI.* Nimirum ex ipſa ſubſtantia Patris, quo oſtendebatur, longè aliter Filium, quàm creaturas reliquas, ex Patre procedere: veluti à quo per generationem haberet communicatam ipſam eſſentiam, ſive ſubſtantiam Patris.

5 *ADDIDERVNT* Præterea: Θεὸν ἐκ Θεοῦ, φῶς ἐκ φωτὸς, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ. id eſt, *Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum Verum ex Deo Vero.* Quibus verbis expreſſerunt Patres generationem naturalem Verbi divini, procedentis à Patre; non tanquam creaturæ, ſed veluti Dei, & luminis æqualis lumini generanti; nec qualiſcumque Dei, & lata acceptione, vt Ariani effutiebant, ſed Dei veri, & æqualis Deo vero, à quo procedit. Neque audiendus eſt Calvinus lib. contra Gent. pag. 673. vbi ait, locutionem hanc, *Deum de Deo*, eſſe duram. Sed quid mirum ſi impio hæreſiarchæ dura ſit vox, quæ grata fuit tot ſanctiſsimis Patribus Synodi Nicenæ? Quare illam ſæpe vſurpant Eccleſiæ Patres: & præſertim Athanaſius Orat. 5. initio, Cyrillus in calce lib. 11. in Ioan. & in Epiſt. quadam, quâ Nicænum Symbolum exponit: & Auguſtinus Tract. 31. & 39. in Ioannem, atque alibi paſſim. Expreſſerunt præterea ijſdem verbis contra Sabellium & Patripaſsianos diſtinctionem Verbi à Patre realem in perſona, vtpotè ab eo procedentis, coniunctam cum eâdem eſſentia ſeu natura luminis. Quod optimè obſervavit S. Baſilius in Profeſsione fidei præſcripta Euſtathio Epiſcopo Sebaſtenſi, his verbis: *Et hoc confitẽdum eſt, quòd in propria perſona ſit Pater, in propria Filius, quemadmodum & ipſi Patres manifeſtè expoſuerunt dicentes: LVMEN DE LVMINE. Nam aliud eſt Lumen gignens, aliud quod gignitur: Lumen tamen & Lumen vtrumque ita, vt vnum ſit, & idem eſſentiæ Verbum.*

6 *RVRSVS* Adiecerunt: γεννηθέντα, ὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ πατρί. id eſt, *genitum, non factum, conſubſtantialem Patri.* Hæc fuit potiſsima teſſera Religionis Catholicæ de divinitate Filij, quâ præoccupatæ & præcluſæ omnino fuerunt evaſiones & cavilli Arianorũ omnium, præſertim verò Euſebij Nicomedienſis: qui, vt erat pertinax & cœcus, cum paucis aſſeclis eas voces adeò indignatus eſt, vt maluerit Epiſcopatu privari, & ſubire exilium, quàm ſubſcribere. Alter verò Euſebius, id eſt, Cæſarienſis, quamvis initio eas reijceret; poſtea ob reverentiam Conſtantini Magni, qui aderat, fortaſſe etiam timore amittendæ dignitatis, ſubſcripſit. Sed an ficto animo id fecerit, ſcripta & dicta ipſius poſt Conſtantini obitum adverſus Homouſion, locis ſuprà num. 14. indicatis, palam oſtendunt. Etenim ſimul cum altero Euſebio, & reliquis ex Arianorum grege, eã additionem, attrociter inſectatus eſt, effutiens per totum Orbem Chriſtianum, Filium Dei verè eſſe ποιηθέντα, *factum* à Patre, quamvis ἀμέσως, id eſt, immediatè, præ reliquis creaturis: ac præterea non ὁμοούσιον, *conſubſtantialem*, ſed ὁμοιούσιον id eſt, *ſimilem in ſubſtantia.* Etenim penes litterulam vnam erat tanta ſenſûs diverſitas, vt qui homoiſion profitebatur, Catholicus haberetur & eſſet; qui autem

autẽ homœuſion,hæreticus & Arianus audiret. Sed de iis vocibus agemus vberiùs ſect.tertia.

7 PRÆTEREA Additur de eodem Filio Dei: *Per quẽ omnia facta ſunt, & quæ in cœlo, & quẽ in terra.* Quod ipſum præmiſſum fuerat initio ferè Evangelij Ioannis vbi dicitur de Verbo Dei: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Indidem verò iterũ excluditur perfidia Arianorum aientium, Verbum divinum fuiſſe ποίημα, id eſt, *factum.* Nam vt argumentatur S.Auguſtinus Tract. 1. in Ioannẽ circa medium, *Quomodo poteſt fieri, vt Verbum Dei factum ſit, quando Deus per Verbũ fecit omnia? Si & Verbũ Dei ipſũ factũ eſt, per quod aliud Verbum factũ eſt? Si hoc dicis, quia hoc eſt Verbũ Verbi, per quod factũ illud; ipſum dico ego vnicũ Filiũ Dei. Si autẽ non dicis Verbũ Verbi; concede nõ factũ, per quod facta ſunt omnia. Non enim per ſe ipſum fieri potuit, per quem facta ſunt omnia. Crede ergo Euangeliſtæ.* Quid pulchrius, aut nervoſius? Mitto plura alia, quæ ex eodẽ articulo colligũtur cõtra Manichæos, & alia hæreticorũ monſtra: quoniã non ſpectant ad controverſiam, quam præ manibus habemus.

8 *QVI PROPTER NOS HOMINES,* &c Hiſce verbis configitur error Pauli Samoſateni ſuprà n.30. indicatus. Tradidit enim ille, Chriſtum fuiſſe purum ac merum hominẽ. Cuius oppoſitum declarat Nicæna Synodus: dum de eode illo Filio Dei quem dixerat Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, genitum, non factũ, & conſubſtantialem Patri, ſubdit hoc loco, deſcendiſſe propter nos homines, & propter noſtrã ſalutem, & incarnatum fuiſſe, & hominẽ factum, &c. Idem igitur fuit ſimul Deus & homo. Quod ipſum ſatis luculenter expreſsit Ioannes Evangeliſta c.1. dum de ipſo Filio, quem appellat Verbum, & Deũ profert, per quem omnia facta ſunt, ſubdit: *ET VERBVM CARO FACTVM EST, & habitavit in nobis.* Idem ergo Deus, qui erat ab æterno Verbum, factus eſt homo. Sed & præterea eiuſdem Nicæni articuli verbis perſtringitur error ipſius Pauli Samoſateni, cum Sabellio & Patripaſsianis, aſſerentis Patrem & Filium non eſſe perſonas duas. Etenim, præterquamquod verbis præcedentibus ſtatuta fuerat generatio Verbi divini à Patre, quæ evidenter ſupponit alteram perſonam ab alia diſtinctam, ſubditur, non de Patre, ſed de Filio, deſcendiſſe, incarnatum fuiſſe, & paſſum propter nos homines. Si autem Pater & Filius in divinis vnica perſona eſſet, profectò vtrique conveniret deſcenſus, Incarnatio, & Paſsio. Et ſanè in ipſo Evangelio diſertiſsimè habetur diſtinctio perſonæ Patris, à perſona Filij pro nobis incarnata. De quo vberiùs in progreſſu.

9 *ET IN SPIRITVM SANCTVM:* Hoc articulo pariter iugulatur idem error Sabellij conſtituentis vnicã perſonam in divinis quæ ſimul ſit Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. Iugulatur, inquam, nam poſtquam in præcedẽtibus ſermo fuerat diſtinctè ac ſeorſim de Patre & Filio, nunc etiã ſermo eſt de Spiritu ſancto, tanquã alio ab vtroque. Quo eode ſtylo loquutus fuerat Chriſtus Dominus Mathęi 28. præcipiens, Baptiſmũ fieri in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Inſuper eiſdẽ verbis configitur error Arianorũ: qui, licèt directè ac præcipuè bellũ moverint contra divinitatẽ Filij, oppreſsi tamen argumẽtis Patrum, pariter Spiritui ſancto ſolidam divinitatẽ negârunt. Ideoque Gelaſius Cyzicen. in Præfatione ſua teſtatur, Arianos *non ſolùm contra Filium Dei, ſed etiam contra Spiritũ ſanctum blaſphæmaſſe.* Verùm quemadmodũ ij nõ directè, ſed ex obliquo ſolùm adverſus Spiritum ſanctum loquutĩ ſunt; ita etiã ſatis fuit Concilio Nicæno vt in directè & obiter ſolùm eorũ impudentiã reprimeret, profitendo fidem ſuam in Spiritum ſanctum, quemadmodũ paulo antè illã directè & latiùs expreſſerat erga Filium Dei. Ideoque inquit Nazianz. in Epiſt. ad Cledoniũ: *A Patribus minùs plenè de Spiritu ſancto dictum eſt, quoniam nondũ coorta atque excitata hæc quæſtio fuerat.* Et S.Baſilius in Profeſsione Fidei data Euſtathio Epiſcopo Sebaſtenſi ait: *Sententia de Spiritu ſancto in tranſcurſu ſine omni diligentia poſita eſt, propterea quod nondum eſſet mota iſta quæſtio, ſed adhuc credentium mentibus ſecurus, & nullis obiectus inſidijs ineſſet de Spiritu ſancto intellectus.* Vide Diſp.LIV.num.37.

10 VERVM Occaſione deſumpta ex brevitate ſeu tranſcurſu eiuſdem Concilij circa divinitatem Spiritus ſancti, Macedoniani hæretici illam negârunt, aſſerẽtes ſuam opinionẽ non eſſe contrariam Nicænæ Synodo. Sed S. Athanaſius, qui adhuc ſuperſtes erat, eos reiecit in Epiſtola ad Epiſcopos Africanos dicens: *Eadem illa Synodus blaſphæmatores Spiritus ſancti ſubvertit. Nam cùm Patres ſtatuiſſent de fide in Filium, id ſtatim adiectum voluere, CREDIMVS ET IN SPIRITVM SANCTVM: vt perfectam & plenam de ſancta Trinitate fidem, confeſsionemque abſoluentes, formam eius, quæ in Chriſto eſt, fidei, & doctrinam Catholicæ Eccleſiæ exhiberent.* Idem docet in Epiſt. ad Iovinianum Auguſtum, quam Theodoretus inſeruit Hiſtoriæ ſuæ lib. 4. cap. 3. Ratio autem eſt evidens: quia ille, in quem ſimpliciter credimus, debet eſſe ipſa ſumma & prima veritas. Vnde cùm in Concilio Nicæno præſcribitur formula fidei, quâ ſimpliciter credamus in Spiritum ſanctum,

ſupponitur planè quòd ille ſit prima, & ſumma veritas, ac proinde ſummus & verus Deus. Vnde Macedoniani ſuam ipſorum damnationem in ijs verbis contentam ſubodorati, eandem Nicænam Synodum execrari cœperunt. Ideoque vnus ex ijs Sabinus, Metropolita Heracleenſis, auſus fuit dicere, Epiſcopos in ea cõgregatos fuiſſe rudes & imperitos. Sed enim, quàm mendaciter & impudenter id dixerit, conſtat ex obſervatis ſupra Diſp. LIV. n. 10. vbi nominatim expreſsimus multos illorum, inſigni ſanctitate ac miraculis celeberrimos, quibus proinde dubium non eſt adfuiſſe illuſtrationẽ Spiritus ſancti ad definiendum res fidei. Vnde Socrates lib. 1. Hiſtoriæ cap. 6. iure ac meritò dixit: *Illud ſecum Sabinus non cogitat Epiſcopos, qui Concilio aderant, licèt fuiſſent imperiti, animis tamen à Deo illuſtratos, & Spiritus ſancti gratia imbutos, nullo modo à veritate aberrare potuiſſe.* Alioqui Sabinus ipſe pari auſu poſſet impetere Symbolum Apoſtolorum, qui nullius artis vel diſciplinæ adquiſitæ ſplendore eminebant, ideoque imperiti à Gentilibus habebantur, immo & ſtulti. Verumtamen vt erant eximia charitate præditi à Spiritu ſancto planè illuminati ſunt, vt ipſis Philoſophis ac Sapientibus ſæculi longè doctiores evaderent, ijſque præberent certam & ſecuram formulam credendi.

11 PROSEQVITVR Symbolum: *EOS AVTEM, QVI DICVNT*, &c. Perſtringit omnes eos Arianos, qui dixerunt, Filium Dei æternum non eſſe, ſeu nõ extitiſſe ab æterno: itemque eos qui aſſerebant ex non entibus, ſive ex nihilo factum: ac denique aientes, Filiũ eſſe ex alia ſubſtantia vel eſſentia, quàm Patris; aut creatum, aut mutabilem, aut convertibilem aſſeruerunt. Quibus verbis integrè, & è regione contradicitur Ario, cuius error per omnia adverſabatur eidem definitioni: vt vidimus n. 9. & ſeqq. vbi expoſuimus ſatis errorem Arij, negantis Filio Dei ſolidam divinitatem, conſubſtantialitatem, æternitatem, ſanctitatem, & immutabilitatem.

12 PORRO Sabelliani ex illis verbis eiuſdem Symboli, ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως, ἢ οὐσίας, quæ Latinè vertimus, *ex alia ſubſtantia vel eſſentia*, occaſionem acceperunt ad ſuum errorem confirmandum. Quod teſtatur Baſilius in laudata Profeſsione Fidei Euſtathio præſcripta, hiſce verbis: *Nonnulli ex illis, qui impietatẽ Sabellij ſectantur, hypoſtaſin & vſiã idem eſſe arbitrati, illinc argumenta ad tuendam blaſphemiã ſuam trahunt, quod in Nicæna fide ita ſcriptũ eſt: ſi vero quiſquam ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως ἢ οὐσίας*, (id eſt, ex altera hypoſtaſi, vel vſia, vt id ad litteram exprimamus) *Filium Dei eſſe dixerit, hunc anathemate reijcit Catholica & Apoſtolica Eccleſia.* Nimirum, ſi hypoſtaſis ſit idem ac eſſentia, quemadmodum Filius non eſt ex alia eſſentia, quàm Patris, ita nec conſtabit aliâ hypoſtaſi, quam Patris: protereaque erit vnica & eadem perſona cum illo: vt Sabelliani colligebant. Sed hunc eorum cavillum ſtatim reijcit Baſilius, addens: *Non enim idem eſſe dixerunt Patres illi vſiam & hypoſtaſim. Si enim voces illæ vnam & eandem ſignificationem haberent, quid alterutram ponere opus fuiſſet? Sed liquet ideo poſitas, quòd alij quidem Filiũ ex Patris eſſentia negabant: alij verò & ipſi nõ eſſe ex Patris eſſentia Filiũ dicebant: adijciebant autẽ ex alia quoque eſſe hypoſtaſi* (id eſt perſonalitate aut ſubſiſtentia) *quadam; atque ita vtramque opinionem, tanquam alienam è ſenſu Eccleſiaſtico, à ſanctis Patribus reiectam eſſe. Alioquin vbi mentẽ ſuam ſimpliciter declararunt, ex Patris eſſentia Filium eſſe dixerunt; nec adiecerunt, & ex illius hypoſtaſi. Itaque illud ad reprobandum malum ſenſum poſitum eſt: hoc verò declarationẽ habet ſalutaris dogmatis.* Hactenus Baſilius: cui concinit Socrates lib. cap 8. dicens: *In Concilio Nicæno nec verbum fuiſſe factũ de hac controverſia*: nimirum, de diſtinctione inter vſiam & hypoſtaſim, id eſt eſſentiam atque perſonam. Quare in Concilio Nicæno dum dicitur Filium non eſſe ex alia hypoſtaſi vel vſia, quàm Patris, nomine hypoſtaſeos non accipitur ſubſiſtẽtia ſive perſonalitas propria Patris, quaſi Filius ex ea conſtet; ſed ſubſtantia, ſive eſſentia, prout initio eiuſdem Symboli expreſsum fuerat, ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρός. id eſt, ex eſſentia Patris. Itaque Concilium Nicænum diſtinxit planè perſonam Filij à perſona Patris, etiam in ipſo Symbolo, in quo eandem vtriuſque eſſentiã initio expreſsit, ſicut & in fine eãdem eſſentiã vel ſubſtantiã. Quę diſtinctio poſita fuit propter diverſas locutionum formulas, quæ tunc circunferebantur ad ſenſum Catholicum redigendas, quo creditum ſemper fuit, Filium Dei ex eadem numero eſſentia, ſive natura, aut ſubſtantia Patris eſſe, quamvis alia ab eo perſona ſit.

13 QVAMVIS Autem in ea Synodo ne Verbum quidem factum ſit de ea controverſia, nimirum de diſtinctione inter vſiam & hypoſtaſim, id eſt, eſſentiam atque perſonam, vt audivimus ex Socrate; poſtea diſputationem circa id excitârunt Sabelliani, & ab ijs coactus Oſius Cordubenſis Epiſcopus, in Synodo Alexandrina: & quidem acerrimam, & periculoſam. Nam, vt inquit, Nazianzenus in Encomio Sancti Athanaſi, *eo tandem res adducta eſt, vt periculum eſſet, ne Orbis terrarum fines vna cum ſyllabis à ſe in-*

invicem diſtraherentur, & abrumperentur. Non enim iam certamen erat,quale antea, inter Catholicos & Arianos; ſed inter Catholicos Orientis ex vna, & Occidentis ex altera parte, ſeſe invicem accuſantes de Arianiſmo, aut Sabelliſmo. Legendus ea de re Gregorius loco paulo antè laudato, Hieronymus Epiſtol. 87. ad Damaſum Pontificem,Baſilius Magnus in Epiſtol.ad fratrem ſuum Gregorium Nyſſæ Antiſtitem,atque in Profeſsione Euſtathij Sebaſtienſis, & denique Acta ipſa Synodi Alexandrinæ.Græci contendebant dici debere tres hypoſtaſes, vt tres perſonas in divinis diſtinguerent contra Sabellium.Latini è contrà vnicam hypoſtaſim, quòd hæc vox Latinè reddita ſignificet ſubſtantiam, quæ non perſonam, ſed eſſentiã vel naturam deſignat,quę in tribus perſonis divinis eſt vna. Tandem eam controverſiam S.Athanaſius extinxit, declaratumque fuit, eſſentiam, ſive naturam in divinis eſſe vnicam omnino, perſonas autem tres reipſa diſtinctas eſſe, quidquid ſit an dici debeat in divinis perſonis hypoſtaſis aut ſubſtantia vna vel triplex. Circa hoc enim nulla fuit diverſitas quoad ſenſum, & in re, inter Catholicos Græcos & Latinos,ſed penes modum loquendi. De quo iam ſatis diſſeruimus cum Anſelmo Tomo I. Diſp. I. ſect. 5,nec reponere operæ pretium eſſet.

14 NONNVLLA Alia interiecta eidem Symbolo Nicæno,quamvis paris auctoritatis,& æquè contraria alijs hæreticis, non expendimus hoc loco: quia non ſpectant ad ſtabiliendum myſterium Trinitatis,quod nobis dumtaxat curæ impreſenti eſt.

SECTIO II.

Quanta fuerit ſemper auctoritas Concilij Nicæni in toto Orbe Chriſtiano, præſertim apud poſteriores Synodos. De horribili morte Arij eius impugnatoris, in pœnam abominandæ hæreſeos, longè antea prædictæ, & innumerabilium malorum, quorum cauſa extitit.

15 SICVTI Ariani olim, ita & nunc hæretici quidam, ipſorum perfidiam ab Orco revocantes, Symbolum fidei Nicænæ exoſum habent, quo illa integrè iugulatur. Quare recentes Photiniani, Ebionitæ, alijque ſimiles, & in ijs Ioannes Crellius Racoviæ in Polonia miniſter Satanicæ Synagogæ,nullum non movent lapidem,vt labefactent auctoritatem Synodi Nicænæ, ſeu potiùs Eccleſiæ Catholicæ in ea congregatæ.Sed fruſtrà, & irrito planè conatu. nam iuxta promiſſionem Chriſti, *portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam.* Ac ſanè Patres in ea congregatos, quotquot ex animi ſententia ediderunt Symbolum illud, fuiſſe clariſsima Eccleſiæ lumina, & plurimos ex ijs nominatim inſignĩ ſanctitate,martyrio,ac miraculis illuſtres,iam oſtendimus Diſp LIV. num. 10. Vt nihil dicamus de Athanaſio, qui tunc in minoribus erat,nec de Magno Antonio, qui contra eoſdẽ Arianos pro Nicæno Symbolo ſtrenuè decertavit. Vide infrà n.23. Deinde fuiſſe eoſdem doctrina præſtantes,potiùs divina, quàm humana,& cœleſti,quàm terrena,patet: quoniam adverſus hæreticorum colluviem, ſophiſmatis & cavillis armatam ex Ethnicæ Philoſophiæ oplotheca, prævaluerunt, obmuteſcere coactis ijs,qui contrà diſputabant. Etenim vt Theodoretus lib.1.cap.11. Ruffinus lib. 1.cap.5.& Sozomenus lib 1.cap.17. teſtantur, eius celeberrimi conventus famâ permoti complures Gentium Philoſophi ad Epiſcopos dialecticis captionibus,& Ariſtotelicis ſubtilitatibus vexandos convenêre: quorum vnus cæteris inſolentior, verborum inſtructus præſtigijs, cùm ab Epiſcoporum manibus veluti anguis elaberetur;ſenior quidam, ex ſanctis confeſſoribus vnus,nihil aliud ſciens, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum,loquendi facultate ab Epiſcopis impetratâ, *In nomine*,inquit,*Ieſu Chriſti,Philoſophe, audi, quæ vera ſunt.* Quibus breviter expoſitis, iterum ad eum pene obmutescentem,nec reſpondentem aliud, quàm credere ſe; *Si hæc*,inquit,*ita eſſe credis,ſurge,& ſequere me, & huius fidei ſignaculum ſuſcipe.* Tum Philoſophus ad eos,qui aderant,conuerſus,ait: *Donec verbis mecum res geſta eſt, verba verbis oppoſui: vbi verò pro verbis virtus proceſsit ex ore dicentis, non potuerunt reſiſtere verba virtuti.* Patet verò talem ac tantam virtutem ſancti illius Patris, potiùs ex ſapientiæ divinitus inditæ penu, quàm ex humana doctrina prodijſſe. Quare generatim eos Patres, veluti divina ſapientia plenos, laudat Pergamius Epiſcopus,Piſidiæ Metropolita, in litteris poſt Synodum Calchedonenſem extantibus ad Leonem Auguſtum Epiſt.41.dum ait, Nicenum Symbolum eſſe,*Pauciſsimis quidem ſermonibus, ſed perfectis ſenſibus Scripturæ diuinæ, PER VIROS EIVS SCIENTIÆ PERITISSIMOS completum.*

16 IDEO Ab eo tempore,quo Synodus Nicæna concluſa fuit, mirum dictu eſt, quanta conſenſione ac veneratione tota Eccleſia Catholica Symbolũ ipſius exceperit, veluti Oraculum de cœlo editum.Ideo ad illam,tanquam ad Lydium lapidem, & Canonem irrefragabilem, vbique provocat Athanaſius, quoties

diſſerit cum Ario, cum Euſebio, & Aſterio. Eandem exprobrat S. Hilarius Conſtantio fidei paternæ deſertori, & veluti normam reliquarum Synodorum proponit in libellis exhibitis eidem Conſtantio, & libro de Synodis. Illam Epiphanius in Panarijs & Anchorato aludat, tanquam Eccleſiæ fluctuantis firmiſsimam anchoram. Ad eandem, veluti arcem & propugnaculum fidei, Gratianum Cæſarem in bellum profecturum, & de fide interrogantem, deducit Ambroſius in libris ad eundem Gratianum Auguſtum. Sed adhuc longè amplius eſt, quòd Synodi ſequentes, non modò Provinciales, verùm etiam Oecumenicæ, quid quid acturæ aut diſputaturæ eſſent, à fide ſtabilita in Nicæno Concilio initium auſpicabantur, quaſi fundamento cuiuslibet vlterioris fabricæ in rebus fidei ac morum. Quod abundè teſtatur Ruffinus, Socrates, & Sozomenus pluribus locis. Nec mirum: quoniam Deus ipſe eandem Nicænam fidem admirabili Symbolo expreſſam, ſibi plurimum placere declaravit, quà cœleſtibus miraculorum prodigijs, quà illuſtrium Marryrum tolerantiâ & paſsionibus, quà inſignium & ſanctiſsimorum Doctorum ſcriptis, potiùs divina illuſtratione, quàm humanâ adinventione editis. Ad hæc, fides ipſa omnes ſæculi, immo & inferni machinas contra ſe inſurgentes profligavit & vicit. Etenim prævaluit adverſus potentiam Arianorum Regum Italiæ & Hiſpaniæ, Vvandalorum in Africa, Conſtantij & Valentis Imperatorum in Oriente & Occidente, qui non modò hoſtiles copias, & exercitus contra illam inſtruxerunt, ſed & varias Provinciarum Synodos, atque in ijs Ariminenſem & Seleucienſem, ex plurimis Epiſcopis coactas, vt illam labefactarent. Verùm ea omnia fuere ſolùm inania terriculamenta, & non tam ad exitum machinæ, quàm ampliſsima materia triumphi, vt tantò illuſtriùs ſplenderet doctrina Niceni ſymboli, quantò acriùs impugnata fuerat. Legendi de ijs Theodoretus lib. 2. & 4. paſsim, Sozomenus lib. 3. & 6. & Victor Vticenſis de perſecutione Vvandal.

17 QVARE Apoſtolica Sedes eandem cœleſtem doctrinam Nicææ traditam ab illis CCCXVIII. Patribus, veluti divinum quendam theſaurũ, ſartam tectam vbique permanere curavit, neque vnquam fideles ab ea vel latum vnguem diſcedere paſſa eſt. Quare antequam diſſolveretur Synodus Nicæna, miſsis Canonibus ipſius Romam à Conſtantino Magno ad Sylveſtrum Papam, hic in Concilio Romano CCLXXV. Epiſcoporum illos confirmavit his verbis: *Quidquid in Nicæa Bithyniæ conſtitutum eſt, ad robur ſanctæ matris Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ à ſanctis Sacerdotibus trecentis decem & octo, noſtro ore conformiter confirmamus. Omnes qui auſi fuerint diſſoluere definitionem ſancti & magni Concilij, quod apud Nicæam congregatum eſt ſub præſentia piiſſimi ac venerandi Principis Conſtantini Auguſti, anathematizamus. Et dixerunt omnes: PLACET.* Ideo Romani Pontifices Damaſus, Siricius, & alij in Epiſtolis ſuis ingeminant, ſe nolle vt quidquam eorum, quæ à Patribus Nicænis conſtituta fuerunt, violetur vnquam, aut vocetur in dubium. Et Sanct. Leo Papa, cognomento Magnus Epiſtol. 53. quæ eſt ad Anatolium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, inquit: *Nulla ſibimet de multiplicatione Synodalis congregationis Synodalia Concilia blandiantur, neque trecentis illis decem & octo Epiſcopis quantumlibet copioſior numerus Sacerdotum, vel comparare ſe audeat, vel præferre: cũm tanto diuinitus priuilegio Nicæna ſit Synodus conſecrata, vt ſiue per pauciores, ſiue per plures Eccleſiaſtica iudicia celebrentur, omni penitus auctoritate ſit vacuum, quidquid ab illorum fuerit conſtitutione diuerſum.* Et paucis interiectis, ſubiungit: *Sancti illi & venerabiles Patres, qui in vrbe Nicæna, ſacrilego Ario cum ſua impietate damnato, manſuras vſque in finem mundi leges Eccleſiaſticorum Canonum condiderunt, & apud nos, & in toto orbe terrarum in ſuis conſtitutionibus viuunt: & ſiquid vſquam aliter, quàm illi ſtatuerant, præſumitur, ſine cunctatione ceſſetur: vt quæ ad perpetuam vtilitatem generaliter inſtituta ſunt, nulla commutatione varientur.* Præterea in Epiſtola ad Pulcheriam, quæ eſt 55 ait: *Quoniam contra ſtatuta paternorum canonum, quæ ante longiſsimæ ætatis annos in vrbe Nicæna ſpiritualibus ſunt fundata decretis, nihil quidquam audere conceditur, ita vt ſiquis diuerſum aliquid decernere velit, ſe potiùs minuat, quàm illa corrumpat: quæ ſi (vt oportet) à cunctis Pontificibus intemerata ſeruentur, per vniverſas Eccleſias tranquilla erit pax, & firma concordia, nullæ de menſuris harum diſſenſiones, nullæ de ordinationibus lites, nullæ de priuilegijs ambiguitates, nulla erunt de aliena vſurpatione certamina; ſed ea quæ iure charitatis rationabilis eſt, & morum & officiorum ſeruabitur vnitas.* Denique in Epiſtol. 66. inquit: *Tanta eſt apud me Nicænorum Canonum reverentia, vt ea quæ ſunt à ſanctis Patribus conſtituta, nec permiſſerim, nec patiar aliqua novitate violari.*

SED

18 SED Et audire par eſt ex Concilio Oecumenico Calchedonenſi, in Relatione ad Martianum Auguſtum, quanta fuerit apud eos Patres auctoritas Nicænæ Synodi. Aiunt enim: *Vnam eſſe, veluti principali loco, trecentorum decem & octo Patrum doctrinæ confeſsionē, lex nobis Eccleſiæ præſcribit, quam, VELVT COMMVNE SANCTORVM DECRETVM, ad eorum, qui vocantur in adoptionem filiorum, tradimus firmitatē.* Ac præterea in Actione ſecunda eiuſdem Synodi, poſt recitatum Symbolum Nicænum, dicitur: *Reverendiſsimi Epiſcopi clamaverunt: HÆC CATHOLICORVM FIDES: huic omnes credimus: in hanc baptizati ſumus: in hanc baptizamus.* Idem ferè præſtiterant Patres Concilij Conſtantinopolitani Primi, ideſt Secundæ Synodi Generalis: vbi illi centum quinquaginta Patres Canone primo ita decernunt: μη ἀλλοτρίαν τῶν πίστιν, &c. *Non ſperandam eſſe fidem Patrum CCCXVIII. qui in Nicæa Bythyniæ conveniunt, ſed manere eam ratam oportet, & anathematizari omnem hæreſim; ſpecialiter autem Eunomianorum ſiue Anomœorum, & Arianorum, ſiue Eudoxianorū, & Semiarianorum, ſiue Pneumatomachorum (id eſt qui contra Spiritum ſanctum pugnant) & Sabellianorum, & Macedonianorum, & Photinianorum, & Photinianorum, & Apollinariſtarum* Nimirum, omnium eorum tot & tanti errores, etiam poſtea exorti, configuntur planè in eodem Nicæno Symbolo. Plura alia huc ſpectantia vide infrà Diſput. LIX. num. 33. & ſequenti.

19 INDIDEM Ortum eſt, vt quamvis Symbolum Apoſtolorum vbique ac ſemper in ſummo honore fuerit, mox à Synodo Nicæna omnes Græcorum Eccleſiæ Symbolum ab ea traditū acceperint, & Cathecumenis ad diſcēdum tradiderint, cæteriſque fidelibus frequenter recitandum, veluti certum indicium diſcriminis Catholicorum ab Arianis, & varijs eorum ſectis, quæ omnes illud admittere nolebant. Quod & fortaſſe præceptum fuit in eâdem Synodo Nicæna in eum finem, ac poſtea denuo conſtitutum in Synodo Calchedonenſi: vt teſtatur cum ſua Synodo Baſilius Seleucienſis Epiſcopus, Metropolitanus Iſaurorum, Epiſtola 29. ad Leonem Auguſtum, dicens: *Patres, qui ſanctum Concilium Calchedonenſe celebrāverunt, Symbolū Patrum Nicænorum pro Lapide ſumentes, vbique hoc ſolum circumferri & prædicari ad illuminationem fidelium ſanciverunt.* Quamvis autem illud communiter in vſu eſſet, ſemper tamen ab omnibus fides integra ſymboli Apoſtolorum exigebatur, quoad omnia & ſingula in eo contenta: inter quæ habentur expreſsi articuli de Sancta Eccleſia, Sanctorum communione, remiſsione peccatorum, carnis reſurrectione, & vita æterna. Qui omnes ex Symbolo Apoſtolorum fuerunt poſtea Nicæno additi, donec tandem celebrato Concilio Conſtantinopolitano I. aliàs II. Synodo Generali editum fuit Symbolum expreſsè continens omnes duodecim articulos: ideoque omnibus Græcorum Eccleſijs ſtatim in vſu fuit loco Nicæni, à quo ſolùm differt additione ſeu expreſsione quorundam articulorum, quæ in Nicæno non exprimebantur. Ipſum tamen Symboli Nicæni nomen vbique ſervatum fuit, etiam vbi de Conſtantinopolitano eſt ſermo. Nimirum, omnes Patres eâ Synoda Conſtantinopolitano poſteriores, quotieſcumque de Nicæno loquūtur Symbolo, frequenter intelligunt Conſtantinopolitanum, neque tamen illud Conſtantinopolitanum appellant, ſed Nicænum, vt optimè obſervat Chriſtianus Lupus in Scholijs ad Concilium Nicænum. Quin & nos Latini quoties in Miſſa canimus aut recitamus Symbolum Conſtantinopolitanum, Nicænum proferimus. Sed de his iterum erit opportunus alio loco ſermo infrà Opuſcul. III. in Scholijs ad cap. 5. vbi Anſelmus agit de vtroque eo Symbolo.

20 DENIQVE Auctoritati Nicæni Symboli, inter alia prodigia, acceſsit terrima mors Arij illud impugnantis. Etenim, vt referunt Socrates, Sozomenus lib. 2. cap. 26. & 28. alijque plures, aliquot annis poſt diſſolutam Nicænam Synodum, Conſtantinus Arium, quem reſipuiſſe falsò audierat, ab exilio revocavit. Is verò Alexandriam profectus, & ab Athanaſio inde excluſus, Conſtantinopolim perrexit, contendente nimium Euſebio Nicomedienſi Epiſcopo, Arianæ factionis ſignifero, vt ad communionem admitteretur; repugnante autem Alexandro Patriarcha Conſtantinopolitano, & Deum magnâ lachrymarum vi obſecrante, ne lupum inter oves verſari pateretur. Verùm ſtipatus cohorte militum ducentium in Eccleſiam, alvo laceſſente coactus fuit ſecedere, & teterrimo loco malè olentem animam effuſis viſceribus exhalavit. Ita teſtantur Sanct. Athanaſius ad Serapionem Oration. 1. contra Arianos, Ruffinus lib. 1. cap. 12. Socrates lib. 1. cap. 25. Sozomenus lib. 2. cap. 28. & Gregorius Nazianzenus Oratione de laudibus Athanaſij, dicens: *Arius peſtilentis & effrænatæ linguæ pœnas dedit, in obſcœnis & impuris locis extinctus, atque orationis, non morbi, viribus oppreſſus, ac Iudæ inſtar diſruptus, in eadem Verbi proditione.* Similiter Ambroſius lib. de Fide ad Gratianum Auguſtum: *Cui*

ergo credimus, Ioanni in Chriſti pectore recumbenti, an Ario inter effuſa ſua viſcera voluranti? Vt agnoſceremus ſimilem Iudæ proditoris Arij quoque fuiſſe perfidiam, quem ſimilis pœna damnauit. effuſa ſunt enim & Arij viſcera: pudet dicere vbi. atque ita crepuit medius, poſtratus in faciem, ea, quibus Chriſtum negauerat, fœda ora pollutus. Crepuit enim, ſicut etiam de Iuda Petrus Apoſtolus dixit. Vnde viſo aut audito horribili exitu hæreſiarchæ illius, plurimi eorum, quos abduxerat, ad fidem Catholicam redierunt, vt teſtatur Athanaſius loco indicato: ingenſque terror & exanimatio incuſſa fuit Euſebianæ factioni, ac fama tanti prodigij totum Orbem pervaſit. Conſtantinus Imperator eo mirabili eventu valde lætatus fuit, vt refert Socrates lib. 1. cap. 25. & iterum vehementiùs deteſtatus fuit hæreſim Arij, ſeque ipſum arguit levitatis ob Athanaſium miſſum in exilium: ac propterea ad ſuam Eccleſiam Alexandrinam evocandum curavit. quod idem Athanaſius ſcribit loco paulo antè laudato. Lege præterea Nicephorum lib. 8. cap. 51. vbi rem fuſiùs ennarat: ac ſubdit: *Mortuum in fœdo ſubſellio reclinatum inuentũ. Secceſſus is longo pòſt tempore eſt oſtenſus retro forum & macelli porticum: perpetuaque loci eius & mortis Arij eſt memoria. quippe quem prætereuntes omnes digito ſemper deſignare ſoliti fuerint. Diu verò poſtea fama eſt, neminem eo ſubſellio vſum eſſe. Omnes enim locum eum fugerunt, pro deteſtando habentes, in quo ſcilicet Arius impietatis pœnas ſoluiſſet.*

21 *HIC* Exitus vitæ fuit ſceleſtiſſimo Ario iuxta meritum, Deo ſerâ vindictâ vlciſcente quam ille ab ineunte ætate infixerat animo impietatem. Fuit homo oblongus, ſubtriſtis, doloſus, benevolentiæ venator, zeli Chriſtiani & iuſtitiæ ſimulator: ac planè talis, qualem deſcribit Epiphanius Hæreſi 69. hiſce verbis: *Dulcis erat in colloquio, perſuadens ſemper animas, ac blandiens. Quapropter valde cito ſeptingentas virginitatem profeſſas in vnum contraxit: & fama eſt ipſum etiam Præsbyteros ſeptem, & Diaconos duodecim abſtraxiſſe. Sed & venenum ipſius ſtatim ad Epiſcopos peruenit. Secundum enim Pentapolis Epiſcopum, & alios perſuaſit, vt ſimul cum ipſo adducerentur.* Hæc ille, & plura alia. Alexander quoque ſanctiſsimus Alexandriæ Præſul ſcribens ad alterum Alexandrum Byzantij Epiſcopum fidem facit quoad mulierculas ab Ario deceptas, dum de illo ac ſequacibus teſtatur, ſolitos *ſeditiones quotidie concitare, graues ciere perſecutiones, & interdum lites, per mulierculas impurarum ſermones, quas ipſi in fraudem impulerunt, intendere. Non nunquam religionem Chriſtianam, ſuas tenellas meretriculas per ſingulas plateas turpiter circumferentes, grauiſsimis contumelijs afficere.* Nec mirum cum meretriculis familiariter egerit, qui librum illum *Thaliæ* inſcriptum edidit, ſcurrilitatibus crapularijs & laſcivis plenum, ſuæque hæreſi cohærentem. Vnde Athanaſius de ſententia Dionyſij Alexandrini ſcribens, ait de ipſo Ario: * Hæreſimque Thalia effæminatis ridiculiſque numeris ad ſimilitudinem Ægyptij Sotadæ conſcripta, in lucem promulgavit.* Ac præterea in Oratione ad Arianos de eâdem Arij Thalia ita loquitur: * Quomodo de numero Eccleſiæ Catholicæ habeantur, qui Apoſtolicam fidem excuſſerunt, & novarum peſtium inventores ſe præbent? Qui relictis Chriſti eloquijs, Thalias Arij, hoc eſt, Crapulas titulo novæ ſapientiæ cohoneſtant? Ac bono iure eum titulum vſurpant. novam enim hæreſim annuntiant. Quapropter non ſine admiratione eſt, nuſquam in multis multorum operibus & ſermonibus, tum in Vetus, tum in novum Teſtamentum conſcriptis, inter titulos librorum Thalias, hoc eſt, Crapularum nomen reperiri; immo ne apud Ethnicos quidem frugi & temperantes: ſed apud iſtos tantùm, qui iſtiuſmodi res inter pocula ad riſum captandum per plauſum, iocum, laſciviamque decantant. At eximius ille Arius, cùm nihil aut ſanctum, aut grave imitandũ deſumeret, ſecurus negligenſque iſtiuſmodi probitatis, depeculatis aliorũ hæreſibus, æmulum ſe in ridiculis vni Sotadæ præbuit. Ac præterea, paucis interiectis, ſubdit: Ita quoque, fucatus & Sotadicus Arius ſimulat quidem ſe de Deo loqui, cùm interponat verba ſacrarum Scripturarum: deprehenditur tamen vndequaque atheos, dum Filium negat, & illum rebus conditis annumerat.

22 *SED* Quæres, quiſnam fuerit Sotades ille, cui Arium æquiparat Athanaſius. Hoc autem leviter ſolùm indicat ipſe S. Doctor Orat. 2. contra Arianos, dicens: *Neſcio quis Sotades reperitur, homo apud Ethnicos ridiculus.* Pleniùs illum deſcribit Suidas his verbis: *Fuit Sotades Cretenſis Maronita à dæmonio vexatus, iamborum carminum ſcriptor. Scripſit Phlyacas, ſiue Cinædos lingua Ionica.* Nimirum, vt alij tradunt, libros nefandarum libidinum plenos. Vnde & horrendam mortem ſubijt, memoratam à Plutarcho in libro de liberis educandis, vbi inquit de illo: *In vincula coniectus, multo tempore putridus intabuit, & intempeſtiuæ dicacitatis haud increpandas vtiq; pœnas dedit, qui, vt alijs riſum exhi-*

exhiberet, in diuturnos collapſus eſt luctus. Quod autem præmiſsit Athanaſius, nequidem Ethnicis frugi & temperantibus in more fuiſſe, vt ſcriberent carmina Sotadica, qualia Arius, patet ex Martiali: qui, licèt Ethnicus & laſciuus, lib. 2. Epigramm. 86. accinit:

Quòd nec carmine glorior ſupino,
Nec retro lego Sotadem cinædum, &c.
Non ſum, Claſsice, tam malus Poeta.

Quaſi Sotades peſsimus Poeta fuiſſet, edens verſus retrogrados, qui prima fronte lecti honeſtatem exhiberent; præpoſtero autem ordine, turpitudinem & dicacitatem. Similis itaque genij Arius fuiſſe perhibetur in libro illo crapulario verſibus edito, quem inſcripſit Thaliã. Quidni igitur ſimilem mortem experiretur? Quin & Athanaſius illi tribuit atheiſmum, dum Filio Dei ſolidam diuinitatem de medio abſtulit. Inſuper illum ac ſequaces accuſat polytheiſmi Serm. 4. contra Arianos, dum inquit: *Cùm Ariani eiuſmodi ſententiæ ſint, vitari omnino non poteſt quin plura numina conſocient. id enim facinus eſt eorum, qui ab vno Deo deſciſcunt. Cur igitur Ariani, cùm hoc ſenſu ſint, ſeſe non adnumerant Gentilibus? ſiquidem ambo, omiſſo Creatore Deo, creaturæ inſeruiunt.*

23 *EANDEM* Arij perfidiam toti Eccleſiæ cruentiſsimum bellum moventem, & peſsimæ illius mortis inductricem, oracula cœleſtia longè antea prædixerunt. Ac primùm quidem diuina viſio Magno Antonio oſtenſa in Ægypto illuſtris fuit apud Athanaſium in Vita ipſius, hiſce verbis expreſſa: *Lamentabilis ſequitur viſio, & omni lacrymarum fonte plangenda. Cùm autem* (Antonius) *cum fratribus circa ſe confidentibus operaretur, intentè fixit oculos in cœlum gemens atque ſuſpirans: & poſt aliquantulum ſpatium reuelationis inceptæ, nimio dolore contremuit, & ſtatim fixis genibus ante Dei vultum prouolutus orauit, vt clementia ſua futurum ſcelus auerteret. Succedunt orationi lachrymæ, metus ingens inuadit præſentes: obſecrant vt tanti calamitatis exponeret viſionem. Singultus occupant vocem, lingua fletibus præpeditur, & in medio conatu ſermo gemitu interrumpitur. Vix tandem vociferatione fluctuoſa ait: Melius erat, ò filioli, impendens piaculum cita morte lucrari. Sic incipiens rurſus lacrymis vincitur, & inter ægra ſuſpiria tandem pectori accomodans vocem, Magnum, inquit, quoddam, & vniuerſis ſæculis inauditum imminet nefas. MAGNO FIDES CATHOLICA TVRBINE SVBVERTETVR, & homines iumentis ſimiles Chriſti ſancta diripient. VIDI ENIM ALTARE DOMINI MVLORVM CIRCVMDATVM MVLTITVDINE, qui crebris calcitũ ictibus omnia diſsipabant. Hæc eſt cauſa gemituum meorum, quos audiſtis. Et facta eſt vox Domini dicens: ABOMINABITVR ALTARE MEVM. Nec mora, viſionem ſequitur effectus. Nam poſt duos annos ſæua Arianorum erupit inſania. Tunc Eccleſiarum fuerunt rapinæ, tunc diuinorum temeratio vaſorum, tunc pollutis Ethnicorum manibus ſacra polluta ſunt miniſteria, tunc paganorum opificum præſidia aduerſus Chriſtum comparata. Cum aſſumptione palmarum, quod idololatriæ apud Alexandriam inſigne eſt, ad Eccleſiam pergere compellebantur. Chriſtiani, vt Arianorum populi crederẽtur. Proh ſcelus! Horret animus replicare quæ geſta ſunt. Virginum, matronarumque ereptus pudor: ſanguis ouium Chriſti in templo effuſus veneranda reſperſit altaria. Baptiſterium pro voluntate Gentilium pollutum eſt. Nihil deſuit. Viſionis veritatem monſtrauit effectus, quòd calcitrantium mulorum indiſciplinatio eſſet Arianorum impietas.* Eandem quoque Antonij viſionem referunt Chryſoſtomus Homil. 8. in Mathæum, Sozomenus lib. 6. cap. 5. & Nicephorus, non quidem lib. primo cap. 48. vbi allegari ſolet, ſed lib. decimo capite vltimo, id eſt 43 Præterea idem Athanaſius eodem loco hæc teſtatur de ipſo S. Antonio Abbate: *Alexandriam deſcendit, ibique Arianos publico ſermone condemnauit, vltimam hanc eſſe hæreſim, & præcurſorem Antichriſti affirmans.*

24 *VERVM* Expreſsior adhuc fuit altera revelatio divinitus facta ſancto ac beatiſsimo Petro Epiſcopo Alexandrino pridie ſui martyrij. Cùm enim Achillas & Alexander Præsbyteri Alexandrini ad ipſum acceſsiſſent, rogaturi vt Arium in communionem reciperet, *Petrus paululum eos ſegregavit à cæteris* (verba ſunt actorum ſincerorum martyrij ipſius) *& clauſo eorum ſermone dixit ad eos: Nolite me fratres tanquam inhumanum & rigidum accipere. Reuerà enim & ego homo ſum ſub lege peccati degens: ſed credite meis ſermonibus. Latens eſt Arij dolus: omnem ſupergreditur impietatem. Et hoc non à meipſo affirmans, eius ſancio ſegregationem. Hac etenim nocte, dum ſolemniter preces ad Dominum funderem, aſtitit mihi quidam puer, quaſi duodecim annorum, cuius faciei claritatem ferre non poteram: nam tota hæc cella, in qua ſtamus, immenſo lumine radiabat. Ipſe autem erat lineſtinum indutus colobium ſciſſum in partes vtraſque à collo vſque ad pedes, tenenſque gemina manu colobij ſciſſuras, applicabat eas pectori ſuo, quatenus propriam tegeret*

nuditatem. Ad hãc quidem viſionem ego miratus obſtupui. Mox vbi data eſt mihi loquendi facultas exclamans dixi: Domine, quis ſcidit tibi indumentum? Et ille: Arius mihi ſcidit. Sed præcaue omnino, ne eum in communionem recipias. Ecce enim craſtina die venturi ſunt, qui te pro eo poſtulabunt. Vide ne ſuſcipias acquieſcens illis. quin potius iubeto Achillæ, pariter & Alexandro, Præsbyteris, qui poſt tuum exitum recturi ſunt Eccleſiam meam, ne aliquatenus illum recipiant. Tu autem futurus es Martyr, mortem velociùs expleturus. Hactenus viſio ipſa, prædictione certâ futurorum effectuum planè contingentium omnino comprobata: quæ & præteritum Arij ſchiſma, & præſentem aut futuram ipſius hæreſim, divinitus teſtatam reddidit.

25 *SED* Et mirabile eſt ſi forte ea ipſa Arij hæreſis multò antea, id eſt, nonnullis annorum millibus ab Erythrea Sybilla fuiſſet prædicta. Sanè id affirmat Conſtantinus Imperator in Epiſtola ad ipſum Arium Græca, Latinè verſa à Petro Morino, quam ad litteram affert Baronius Tomo III. ad annum Chriſti CCCXIX. Verba Conſtantini Magni, quæ ad rem faciunt, hæc ſunt: *Tu verò, Deus, qui omnium curam habes, propitius eſto ſermoni, ſi fidem teneat. Ego enim homo tuus, ò miſericors, qui prouidentia tua defendor, ac è Græcorum Latinorumque vetuſtiſſimis ſcriptis inſaniam Arij apertè demonſtrabo ante tria millia circiter annorum ab Erythræa præſignatam ac prædictam. Sic enim facta eſt: Væ tibi Libya in maritimis poſita locis. Tibi enim veniet tempus, quo vnà cum populis ac filiabus tuis graue certamen, & crudele & perdifficile ſubire cogeris ex quo fidei pietatiſque iudicium in omnes dimanabit. Tu verò ad extremum vergis initium. Vos enim cæleſtium florum receptaculum conuellere, morſuque dilacerare auſi eſtis, atque adeò ferreis dentibus temeraſtis. Quid igitur, verſutiſsime, vbi nunc terrarum eſſe te fateris? Vbi videlicet? Tuas enim habeo litteras, quas ad me inſano calamo exaraſti, quibus affirmas, omnem Libyæ populum tibi ad ſalutem ſcilicet aſſentiri. Sin hæc ita eſſe negabas, Deum iam teſtor, me quidem vetuſtiſſimos Erythrææ pugillares Græca lingua ſcriptos Alexandriam mittere, quò citiùs pereas.* Hactenus Conſtantinus. Vide de eâdem Sibylla plura Diſp. LIII. num. 5. 21. & ſeqq.

26 *QVIS* Autem ſiccis oculis legere aut enarrare poſsit cruentiſsima perſecutionum genera, quibus Ariani Eccleſiam diu inſectati ſunt, ob ſuam hæreſim propagandam & tuendam? Legendus eâ de re Athanaſius ocu-

latus teſtis in duabus Epiſtolis, alterâ ad Orthodoxos, alterâ ad Solitariam vitam agentes; & in Apologia ad Conſtantium, atque in altera Apologia de fuga ſua: itemque Theodoretus lib. 2. cap. 4. & Sozomenus lib. 3. cap. 6. Neque ea tantùm mala induxit Arius, ſed præterea in cauſa fuit vt Eccleſia ſubiret deplorata illa tempora Concilij Ariminenſis, depicta à Hieronymo in Dialogo adverſus Luciferianos hiſce verbis: *Tunc VSIÆ nomen abolitum eſt: tunc Nicænæ fidei damnatio conclamata eſt. Ingemuit totus orbis, & Arianum ſe eſſe miratus eſt.* Legendi apud eundem plurimi lugubres ac lacrymabiles caſus, qui tunc acciderunt: & præterea apud Severum lib. 2. ſacræ Hiſtoriæ, Rufinum lib. 1. cap. 21. Socratem lib. 2. c. 29. Theodoretum lib. 2 cap. 18. & ſeqq. Sozomenum lib. 4. cap. 16. & ſeqq. & Nicephorum lib. 9. cap. 39. 40. 41. Athanaſium in Epiſtola ad Africanos, Hilarium & Luciferum Calaritanum (cuius Opera habentur Tomo IV. Bibliothecæ Magnæ Aniſſonianæ) integris libris adverſus Conſtantium.

27 *MIRVM* Itaque non eſt, Arium tot malorum inductorem, & Nicænæ Synodi infenſiſsimum hoſtem, tam horribilem mortem ſubijſſe adeò nefarijs ſceleribus reſpondentem. Nimirum, vt verbis S. Hieronymi vtar in cap. 3. ad Galatas, *Arius in Alexandria vna ſcintilla fuit: ſed quia non ſtatim oppreſſa eſt, totum orbem flamma populata eſt.* Quod ipſum ferè in Luthero contigiſſe ſæculo præcedenti, omnes verè pij & Catholici plorant. Supereſt igitur vt recentes Arij in Polonia ſectatores admoneamus verbis Athanaſij apud Nicephorum lib. 8. cap. 51. narrantis terrimam Arij mortẽ, & addentis præterea: *Omnibus autem tunc manifeſtum fuit, cùm Euſebij* (Nicomedienſis, ſcilicet) *minacem denuntiationem, tum Arij ſpem & expectationem fruſtra fuiſſe. Declaratum quoque rurſum, Arianum furorem ab ipſo Seruatore excluſum à communione, & hic, & in primogeniterum Eccleſia. Quis igitur non miretur videns, homines iſtos magno contentionis ſtudio iuſtitiæ laudem ei tribuere, quem condemnauit Dominus? eoſdemque cernens hæreſim defendere eorum, quos excommunicatos eſſe conuicit Dominus, ducem eius Eccleſiam ingredi non paſſus?*

(?)(§)(?)

(?)

SECTIO

SECTIO III.

De vocabulo Homouſion, *quo Patres Nicæni in Symbolo vſi ſunt, fruſtra ab Arianis antiquis & recentibus impetito. Oſtenditur, illud fuiſſe antiquiſsimum in Eccleſia, & veluti teſſeram Catholicæ fidei.*

28 INTER Præcipua dogmata Concilij Nicæni nullum vocabulum eſt quod ita iugulet hæreſim Arianam, ac *Homouſion*, quo exprimitur, Verbum divinum eſſe conſubſtantiale Patri, ſive eiuſdem ſubſtantiæ aut eſſentiæ cum ipſo. Ideo omnes illius erroris ſectæ, cæteroqui diverſæ, & invicem contrariæ, adverſus illud arietabant. Sed & poſtremis hiſce ſæculis non deſunt qui eandem vocem exoſam habeant. Vt enim præmiſsimus Diſp. LIV. num. 15. & 16. Lutherus aliquando dixiſſe memoratur: *Anima mea odit vocabulum Homouſion.* Quin & contra rem ipſam ea voce ſignificatam, id eſt contra vnitatẽ perſonarum divinarum in eſſentia invehũtur plurimi alij ex Sectarijs recentibus, vt eo loco dictum fuit, quos hoc loci confutare viſum. Porrò cùm *vſia* apud Græcos eſſentiam ſive ſubſtantiam ſignificet, deflectitur per compoſitionem vocabulum Homoûſij, & Homœûſij: quorum prius ſignificat identitatem in ſubſtantia, ſecundum verò ſimilitudinem in illa. Patres itaque Nicæni ad ſignificandam identitatem Verbi cum Patre in ſubſtantia ſive eſſentia, vocem Homoûſion inſeruerunt Symbolo Fidei ſuprà num. 2. exſcripto: contra verò plerique Arianorum, vt illam negarent, ſolum vocabulum Homœûſij, acceperunt, quo aliquam Verbi cum Patre ſimilitudinem exprimerent.

29 *ATQVE* Imprimis Ariani, & nuperi illorum ſectatores, immeritò carpunt eam vocem, tanquam inventam à Patribus Cõcilij Nicæni. Nam, præterquam ij in Spiritu ſancto congregati potuiſſent iure illam introducere ad exprimendum opportunè id, quod in ſacra Scriptura perſpicuè ac ſæpenumero traditur; certum alioqui eſt, rem ipſam eâ voce ſignificatam, id eſt, vnitatem, ſeu identitatem ſubſtantiæ in tribus divinis perſonis, traditam eſſe palam pluribus locis S. Scripturæ: in Teſtamento quidem Veteri, ſubobſcurè, vt conſtabit Diſp. LVIII. in Novo autem diſtinctè & apertè: vt oſtendemus Diſp. LIX. per totam. Vt autem ait Athanaſius lib. de Synodis Arimini & Seleuciæ, *nihil id refert, ſi quis voces in Scriptura non repertas vſurpet, quandiu pias ſententias complectitur. contrà hæreticus, tametſi voces ſuas ex ſacris litteris mutuatur, animo corruptus*, &c. Deinde huc ſpectat quod Epiphanius obſervat Hæreſi 73. prope medi ũ: *Eſſentiæ nomen nullo modo in Veteri ac Novo Teſtamento habetur: ſenſus autem & ſignificatio eius vbique habetur.* Idem ergo eſſe aiunt Patres de vocabulo Homoûſij. nam licèt ſub ijs litteris ſive ſyllabis non legatur in Scriptura; res per illud ſignificata inveniatur ſæpe. Alij autem ex Patribus monent, Homouſion contineri virtute, ſeu tanquam in radice, in ijs Scripturæ locis, in quibus vox *ſubſtantia* legitur, quæ eadem eſt cum *vſia*. Vide Ruiz diſput. 11. de Trinit. ſect. 2. Verùm & certum eſt, vocem ipſam Homoûſij ante Nicænam Synodum ab alijs PP. vſurpatam fuiſſe. Quod ex inſtituto probat S. Athanaſius libro de Decretis Nicænæ Synodi, & libro de Sententijs Dionyſij contra Arianos, & libro de Synodis: vbi teſtatur, Dionyſium Alexandrinum ſcribentem ad alium Dionyſium Pontificem Romanũ, dixiſſe Chriſtum eſſe ὁμοούσιον τῷ θεῷ, id eſt, *conſubſtantialem Deo*, quod idem Pontifex ab eo exigebat. Idem Dionyſius in Epiſtola ad Paulum Samoſatenum, qui divinitatem Chriſto eripiebat, ait: ἀλλὰ ὁμοούσιον τῷ πατρὶ εἰρημένον υἱὸν ἅγιον πατέρων. id eſt, Filium *conſubſtantialem Patri dictum fuiſſe à ſanctis Patribus.* Hæc ille ſcribebat circa annum Chriſti CCL. quo Eccleſiam Alexandrinam regebat, ſeptuaginta annis ante Concilium Nicænum. Cumque alleget ipſe Patres præcedentes, tanquam eodem vocabulo vſos, planè illud antiquiſsimũ cenſeri debet, & à tempore ipſo Apoſtolorum derivatum. Opera autem eiuſdem Dionyſij videri poſſunt Tomo III. Bibliothecæ Magnæ. Allegat præterea Athanaſius lib. citato de Decretis Nicænæ Synodi Theognoſtum eâ antiquiorem, qui in libro ſecundo Hypotypoſeon dixit, *Filium haudquaquam ex non entibus, ſed ex Patris ſubſtantia productum eſſe* quod vix diſtat à vocabulo τῷ ὁμοουσίῳ. Denique Euſebius Cæſarienſis, alioqui Semiarianus, in Epiſtola quam ad Cæſarienſes ſuos ſcripſit ex Nicena Synodo, relata à Socrate lib. 1. teſtatur, *Veterum nonnullos doctos & illuſtres Epiſcopos, ac ſcriptores, cùm de Patris & Filij ſuinitate agerent, vſos fuiſſe conſubſtantialis vocabulo.* Quod & numero ſequenti ad finem vberiùs comprobabitur.

30 NEQVE Obſtat quòd ſeptuaginta aut octoginta Patres, qui Concilium Antiochenum celebrârunt contra Paulum Samoſatenum, decreviſſent olim, Filium non eſſe dicendum ὁμοούσιον, *conſubſtantialem* Patri. Solùm enim excluſerunt vſum & intellectum eius vocabuli, in ſenſu quo vſurpatum fuerat à Paulo Samoſateno, qui docebat, Chriſtum non extiriſſe ab æterno, ſed in tempore; idque probare conabatur, *quia, niſi ita eſſet, conſequens foret,*

illum

illum eſſe Patri conſubſtantialem, adeoque tres eſſe ſubſtantias, vnam primariam, duas ex illa deriuatas. Hoc enim illius argumentum refert Athanaſius in libro de Synodis Ariminenſi & Seleucienſi. Itaque Paulus errabat accipiens Homouſion in divinis, quemadmodum in rebus creatis & corporeis accidit, vt filius dicatur conſubſtantialis patri ſuo, quia ab eo recipit ſubſtantiam; non quidem eandem numero, quam ille habet, ſed diſtinctam & ſeparatam. Nimirum, cùm Paulus ipſe negaret Chriſtum eſſe æternum Filium Dei, & purum hominem aſſereret, vt vidimus Diſp. LIV. num. 30. noluit in eo admittere ex æterno ſubſtantiam aliquam divinam, ne quidem diſtinctam reipſa & ſeparatam à ſubſtantia Patris. Itaque Antiochena Synodus, quæ contra illum coacta fuit, decrevit, Filium non eſſe dicendum conſubſtantialem Patri in ſenſu ipſius Pauli. Quod optimè exponit S. Baſilius Epiſt. 300. Præterea, vt Hilarius obſervat in fine libri de Synodis, Paulus Samoſatenus, ſibi non conſtans, nec ſimilis in errore, aliquando affirmavit, Verbum eſſe conſubſtantiale, eodem ſenſu ac Sabellius: nimirum non modò in vnitate eſſentiæ, ſed etiã perſonæ ſolitariæ atque vnicæ. Quare Antiochena Synodus vetuit vſum vocabuli *Homouſion* in eo Pauli ſenſu: *quia per hanc vnius eſſentiæ nuncupationem ſolitarium atque vnicam ſibi eſſe Patrem & Filium prædicabat.* Alioqui, & accepto vocabulo illo ad denotandam vnitatem Filij cum Patre in ſola eſſentia, nec ij Patres, nec alij anteriores, leguntur repuliſſe id vocabulum, ſed potiùs vſurpaſſe: vt n. 29. probatum eſt. Quibus adiungendus, immo præponendus eſt Iacobus frater Domini in Liturgia ſub initium, vbi dicit *conſubſtantialem Spiritum*: & poſtea Filium *conſubſtantialem Patri & Spiritui ſancto.* S. Martialis Epiſcopus ſcribens tempore ipſo Apoſtolorum, Epiſt. 1 ad Burdegal. cap. 10. apertè profitetur vnam eſſentiam trium perſonarum. Iuſtinus Martyr vicinus eidem tempori, inſtituẽs Expoſitionem Fidei, titulum ipſi facit: *De conſſentiali Trinitate.* Eodemque modo ſæpe loquitur ibidem, & q 17. 18. ac 129. & in Dialogo cum Tryphone. Tertullianus lib. 4. contra Marcionem verba illa Ioannis 10. *vnum ſumus*, refert ad *ſubſtantiæ vnitatem*, quæ in nullo differt ab Homoûſio.

31 *QVAPROPTER* Vocabulum illud, quamvis aliquando malè vſurpatum ab homine hæretico, Catholici in Nicæna Synodo ſtabilierunt ad internoſcendam veram religionem à ſecta Arij. Vt enim teſtatur Athanaſius libro de Decretis Nicænæ Synodi, cùm Patres in ea congregati inter ſe conſulerent, quanam verborum formulâ exprimenda eſſet profeſsio Catholicæ fidei contra Arianos, primò definierunt, dici debere Filium Deum ex Deo, & vnigenitum, & lumen ex lumine, & Deum verum ex Deo vero: quoniam eorum id manifeſtè conſtat ex ſacris litteris. Cùm verò Euſebius Nicomedienſis ſignifer factionis Arianæ admonuiſſet ſuos, nihil abſurdi eſſe in ijs articulis admittendis, quoniam omnes creaturæ ex Deo Patre ſunt; Nicæni Patres ad eam evaſionem præcludendam, addiderunt Symbolo, Filium Dei natum eſſe, non vtcumque, ſed ἐξ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς, id eſt, *ex ſubſtantia Patris.* quod certè nulli creaturæ convenit. Cumque adhuc Ariani alia effugia quærerent, ad eorum hæreſim prorſus diruendam, de communi Patrum Nicænorum conſenſu additum fuit vocabulum Homoûſion, quo denotaretur, ſubſtantiam, id eſt, eſſentiã ipſam Patris eſſe in Filio: ac proinde hunc illi non modò ſimilem eſſe, ſed eiuſdem numero naturæ. Hæc omnia ferè Athanaſius inibi. Et certè ſemel ſtatuto Verbum eſſe Filium Dei vnigenitum ex ſubſtantia Patris, non potuiſſe aliquâ veritatis ſpecie negari eſſe conſubſtantialem Patri, vel ipſe Euſebius Nicomedienſis agnovit, teſte Ambroſio lib. 3. de Fide cap. 7. dicente: *Nam quid eſt aliud cur homouſion Patri nolint Filium dicere, niſi quia nolunt verum Dei Filium confiteri? Sicut auctor ipſorum Euſebius Nicomedienſis epiſtola ſua prodidit dicens: Si verum, inquit, & increatum dicimus, homouſion cum Patre incipimus confiteri. Hæc cùm lecta eſſet epiſtola in Concilio Nicæno, hoc verbum in tractatu fidei poſuerunt Patres, quòd id viderunt aduerſarijs eſſe formidini; vt tanquam euaginato ab ipſis gladio ipſorum nefandæ caput hæreſis amputarent.* Itaque ipſi hæretici palam profitentes, ſe nolle vt id vocabulum vſurparetur, in occaſionem fuerunt, vt Eccleſia illud præſcriberet in Symbolo, ad eorum hæreſim penitus extirpandam. Id enim paucis ſyllabis comprehenſum quam plurimas Arianorum ſectas peſſum dedit: vt meritò Athanaſius lib. de Synodo Ariminenſi appellet ipſum Homoûſion, σηλογραφίαν κατὰ τῆς ἀσεβίας αὐτῶν. id eſt, *columnam triumphalem inſcriptam adverſus impietatem eorum.* Ac longè poſtea in eodem libro ſubdit: *Vocis iſtius exquiſita ratio cùm omnem ipſorum ſimulationem ſiquidem illum dicant ex Deo eſſe, redarguit: tum omnes eorum argutias, quibus ſimplices circumueniunt, excludit. Sanè cùm omnia ſophiſticis calumnijs adulterare & immutare poſſint ad arbitrium; ſolam hanc dictionem, vt quæ ipſorum conuincit hæreſim, reformidant quam quidem Patres pro munimento & arca contra omnia illorum impia commenta ſcriptam obiecerũt.* Et Liberius Papa Epiſt. 11.

ait,

ait, fidem Catholicam *vi & nomine Conſubſtantialis comprehenſam, tanquam propugnaculum firmum & inexpugnabile, omnes impetus & nefarias peſtiferæ opinionis Arij machinas retudiſſe, repreſsiſſeque.*

32 *INDE* Eſt vt Ariani, tum in Nicæno Concilio, tum poſt illud, exoſam habuerint vocem illam, veluti à qua ſuum timerent exitium. Quod opportunis comparationibus exponit Epiphanius Hæreſi 69. num. 70. dicens: *Vt ſerpens bituminis odorem refugit, aut ceruæ halitum, aut gagatæ lapidis ſuffitum, aut ſtyracis exhalationem: ſic Arius & Sabellius illam veritate conſtantem Homouſij profeſsionem exoſam habet.* Quin & in Anchorato eandem appellat σύνδεσμον πίστεως, *vinculum fidei*, ſicuti & Marius Victorinus lib. 2. adverſus Arium, Tomo IV. Magnæ Biblioth. MVRVM *ET PROPVGNACVLVM.* Quare eidem vocabulo ſtuduerunt modis omnibus invidiam concitare, & Catholicos convicij loco appellare Homouſianos. Quod teſtatur Auguſtinus lib. contra Sermonē Arianorum cap. 36. vbi etiam præclarè eos refellit, dicens: *Siquis iſtorum, qui nos Homouſianos vocant, filium ſuum non cuius ipſe eſſet, ſed diuerſæ diceret eſſe naturæ, exhæredari ſe ab eo mallet filius, quàm hoc putari. Quanta itaque impietate iſti cœcantur, qui, cùm confiteātur vnigenitum Dei Filium, nolunt eiuſdem naturæ, cuius eſt Pater, confiteri, ſed diuerſæ, atque imparis, & multis modis rebuſque diſſimilis, tanquam non de Deo natus, ſed ab illo de nihilo ſit creatus: ac per hoc & ipſe creatura ſit, gratia filius, non natura. Ecce qui nos quaſi macula noui nominis vocant Homouſianos, nec ſeipſos, cùm ita ſentiunt, intuentur inſanos.* Similiter & Fulgentius libro contra Obiectiones Arianorum Reſponſione 7. illos redarguit dicens: *Mirum eſt autem eos, qui pro vnius ſubſtantiæ credulitate volunt nos Homouſianos dici, quomodo ſe nolunt Triuſianos pro tribus & diuerſis ſubſtantijs appellari.*

33 *DENIQVE*, Quot malignas eius vocis interpretationes commenti fuerint Ariani, vt illam toti orbi Chriſtiano exoſam redderent, & qualiter à Patribus reiecti fuerint, pluraque alia eodem ſpectantia, longum eſſet narrare hoc loci. Conſulendus de ijs omnibus erit poſt Valentiam, Belarminum, & Ruiz diſp. 21. de Trinit. Petavius lib. 4. de Trinit. cap. 5. Nos hæc pauca libavimus, quæ ſufficiant ad redarguendum, non modò veteres Arianos, ſed etiam recentes, quotcumque id vocabulum criminātur, quod Eccleſia Catholica iure ac merito vſurpandum in Symbolo Niceno propoſuit. Vnum id obiter indicandum, ex tot ſectis, in quas diviſa fuit Arij hæreſis, illam præcipuè quæ Semiarianorum dicta fuit, cuique præcipuè adhæſiſſe Euſebium Cæſarienſem in ſuperioribus oſtendimus, vice Homoûſij ſubſtituiſſe Homœûſion. quoniam hoc poſteriori vocabulo non ſubſtantiæ identitas inter Patrem & Filium, ſed ſimilitudo ſignificatur, quam ij admittere non detractabant. Sed Eccleſia Catholica perſtitit in decreto Concilij Nicæni, & Filiū Dei potiùs homoûſion, vt reverà eſt, quàm homœuſion appellari voluit. Vide infrà Diſp. LIX. ſect. 4. per totam.

SECTIO IV.

De Concilijs, in quibus damnati fuere Paulus Samoſatenus, Sabellius, Macedonius, Apollinarius & generatim Pneumatomachi, id eſt, Spiritus ſancti impugnatores.

34 EXPENSIS Nicænæ Synodi decretis contra præcipuum Trinitatis impugnatorem, & Eccleſiæ inter omnes veteres Hæreſiarchas infenſiſsimum Arium, veniamus ad condemnationem aliorum, vel antiquiorum, vel poſteriorum, qui circa idem myſterium turpiter errâſſe inveniuntur. Ac primò quidem Paulus Samoſatenus Antiochiæ Epiſcopus, de quo nonnulla præmiſimus Diſput. LIV. num. 30. cùm Chriſto negaret divinitatem, & purum hominem fuiſſe vellet, damnatus fuit in Concilio Antiocheno I. circa annū Chriſti CCLXVI. ſub Imperio Gallieni, anno illius circiter duodecimo, vt probat Severinus Binius Tomo I. Conciliorum in Notis ad idē Concilium. Inter plures Patres, qui eò convenerunt, fuere S. Gregorius Neocæſarienſis Epiſcopus, ex miraculorum multitudine Thaumaturgus appellatus; itemque Athenodorus eius frater, & Firmilianus Cappadocum Metropolita, ſeptennio poſtquam à Stephano Papa fuerat fidelium communione privatus. Vnde & colligitur, illum ad meliorem frugem redijſſe: nam alioqui non interfuiſſet Concilio. Eamque ipſius reſipiſcentiam fuiſſe litteris teſtatam à Dionyſio Alexandrino ſcribit Euſebius Cæſarienſis lib. 7. Hiſtor cap. 4. Dionyſius Alexandrinus, qui tunc magna pietatis opinione florebat, vocatus fuit ad eandem Synodum. Verùm cùm corporis nimia imbecillitate prohiberetur, Epiſtolam ſcripſit, quam Turrianus è latebris eruit, & è Græca Latinam fecit. Omnes verò ij Patres epiſtolam ſcripſerunt ad Paulum, in qua perſpicuè ſuam ipſorum fidem exprimebant de ſolida divinitate Filij Dei, & ab eo exigebant vt ſuum pariter ſenſum aperiret. Ille verò metuens ne ſede ſua dejiceretur, ſpecie

tenus

tenus ſubſcripſit eidem Synodo. Sed poſtea regreſsis Antiochiâ in proprias ſedes Eſpiſcopis, & virâ functo Thaumaturgo, cuius magna auctoritate terrebatur, larvam depoſuit, & vetus dogma impudentiùs tradere auſus fuit. Quapropter Epiſcopi Aſiæ ſecnndò Antiochię convenere ad Concilium celebrandum, in quo Paulus iterum condemnatus, & Sede ſua pulſus eſt. Verùm cùm parere recuſaret, pluresque ſectatores haberet, à quibus fovebatur, Patres ad Aurelianum Imperatorem, tunc erga Chriſtianos propitium, interpellârunt: qui litem dirimendam commiſit Dionyſio Pontifici Romano. Qui coactâ Synodo Præſulum Italiæ, ex ipſorum conſenſu Paulum ritè depoſitum pronuntiavit. Imperator id iudicium executioni demandari fecit, & Paulum ab Eccleſia pelli. Rem ennarrat idem Euſebius libro allegato cap. 24 Id contigit anno CCLXX iuxta Petavium in Rationario Temporum. Porrò Aurelius, qui antea benevolum ſe erga Chriſtianos exhibuerat, biennio pòſt in eos exarſit, & perſecutione, vt plerique computant, poſt Chriſtum nonâ, innumerorum Martyrum ſanguine Eccleſiam irrigavit.

36 SABELLII Hæreſis negans tres in divinis Perſonas reipſa diſtinctas, quam fuſiùs explicuimus Diſp. LIV. num. 21. & ſeqq. quamvis antiquior Arianâ, invenitut nominatim ab Eccleſia proſcripta aliquantò pòſt. Nimirum in Synodo Alexandrina ſub Sylveſtro Papa, coram eius Legato Hoſio Epiſcopo Cordubenſi. Quamvis enim diſtinctio perſonarum divinarum luculentiſsimè tradita fuiſſet in ipſo Concilij Nicæni Symbolo, vt ſuprà vidimus num. 9. tamen res tunc directè gerebatur contra Arium. In prædicta autem Synodo Alexandrina, eadem Sabellij hæreſis luculentiùs proſcripta fuit. Vt verò fides Trinitatis diſertè & ſine verborum diſsidio ab omnibus exprimeretur, ſtatutum fuit, vtendum eſſe nominibus, οὐσίας, & ὑποστάσεως. Priore illo quidem, ad ſignificandam vnitatem eſſentiæ divinæ in Patre, Filio, & Spiritu ſancto; poſteriore autem, ad denotandum ſingularum perſonarum diſtinctas proprietates. Idem ipſum in alia Synodo poſteriore Alexandrina ſub Liberio Papa cautũ fuit, Præſide S. Athanaſio, cùm Marcelliani eandem Sabellij hæreſim ſuſcitâſſent. Additum eſt tamen, ita vtendum eſſe prædictis nominibus vſiæ & hypoſtaſeos, vt tam Latinis, quàm Græcis, liberum eſſet ſingularũ linguarum idiomatis vti, nec circa verba eſſet diſsidium, vbi res eadem, ſeu identitas eiuſdem eſſentiæ in tribus perſonis aſſerebatur. Cuius rei fidem facit Nazianzenus Orat. de laudibus Athanaſij.

37 HÆRESIS Macedonij memorata Diſp. LIV. num. 37. quam priùs traditam fuiſſe ab Origene oſtendimus ibidem num. 35. & 36. damnata fuit in Synodo Romana, cui Damaſus Papa præfuit. Non enim ſolùm in ea notatum fuit nigro theta Concilium Ariminenſe (in quo, vt inquit Hieronymus, vſiæ nomen eſt abolitum, & impia Arij dogmata prævaluerunt) ſed etiam proſcriptus fuit nominatim Macedonius: qui, cùm ab Arianis pulſus fuiſſet ſede Conſtantinopolitanâ, aliam procudit hæreſim contra Spiritum ſanctum, negans ipſi diviniratem veram & ſolidam. In quem errorem lapſi ſunt ij omnes, qui generatim Pneumatomachi dicti fuerunt, quoniam impugnârunt divinitatem Spiritus ſancti; quamquam multi eorum alioqui de Patre & Filio rectè & Catholicè ſentirent: vt optimè obſervârunt Zonaras & Balſamo ad primum Canonem I. Synodi Conſtantinopolitanæ. Idque nominatim Macedonianis tribuit S. Auguſtinus libro tertio contra Maximinum cap. 23. Philaſtrius cap. 20. & Caſsianus lib. primo de Incarn. cap. ſecundo, vbi teſtatur, Macedonium dixiſſe, Patrem & Filium eſſe eiuſdem ſubſtantiæ, Spiritum ſanctum autem creaturam eſſe. Neque obſtat coniectura Petavij in oppoſitũ, ex eo deſumpta, quòd Macedonius eſſet Princeps Semiarianæ factionis, quæ Filium Dei homoüſion, ſeu conſubſtantialem Patri negabat, & ſolùm homœuſion, ſive ſimilem in ſubſtantia aſſerebat. Quamvis enim Macedonius initio Semiarianæ parti adhæſerit, poſtea videtur eam deſeruiſſe; præſertim in odium Arianorum, qui eum Epiſcopatu Conſtantinopolitano ſpoliârunt. Itaque ſolam videtur divinitatem Spiritus ſancti impugnâſſe.

38 EANDEM Hæreſim, inter plures alios errores, tradidit Apollinarius (de quo aliquid libavimus Diſp. LIV. num. 37.) qui pariter divinitatem veram Spiritu ſancto negavit. Acacius Berrheenſis Epiſcopus in litteris ad ſanctum Cyrillum Alexandrinum, quæ extant inter Acta Concilij Epheſini, teſtatur, illum fuiſſe inſignem diſputatorem, ſed inutilem: qui ingenio plurimum fiſus, inflantem ſignorum ſcientiam, eiuſque doloſas technas, ædificanti rerum ſapientiæ miſcuit, atque ita ſimplicem Chriſti fidem fœdavit & amiſsit. Quod ipſum obſervârunt, in Ario Conſtantinus Magnus, in Paulino quodam Præsbytero Edeſſeno Gennadius Maſsilienſis, in Neſtorio S. Cyrillus, in Eutychete S. Petrus Chryſologus, in Monothelitis Conſtantinus Quartus, & in Petro Abaelardo S. Bernardus. Idemque paſsim apparet in ſectarijs horum temporum. Præterea de illo ait Scriptor incognitus Vitę S. Damaſi Papæ, fuiſſe *virum Jane inter cæteros inſtructũ, ſed contentionis vitio agitatum, & aduerſus om-*

omne, quod quiſque dixiſſet, obvium ire delectatum, ideoque ex contentione lapſum. Sed proximior ruinæ cauſa videtur fuiſſe cupiditas vindictæ ob iniuriam ſibi illatam à Georgio Epiſcopo, quo ſe longè doctiorem exiſtimabat. Rem ennarrat Sozomenus lib. 6. cap. 25 & addit: *Ea eſt humana natura, vt cùm deſpecta ſit, obſtinatione inſoleſcat, & tum contentionis, tum novandarum rerum ſtudio, flagrare incipiat: at cùm æquales partes fert, ſolet ſe moderatè gerere, & intra eoſdem rationis quaſi cancellos manere.* Addit de illo S. Gregorius Nazianzenus Epiſt. prima ad Cledonium, fuiſſe de librorum à ſe ſcriptorum copia gloriatum. Sed notanda ſunt verba S. Baſilij de ipſo in Epiſtola ad Epiſcopos Orientales: *Alter ex illis, de quibus vos admonemus eſt Appollinarius, haud parum & ipſe Eccleſias contriſtans. Facilitati namque ſcribendi, qua per occaſionem ad quoſuis irrepit, coniunctã habens ſufficientem linguæ facultatem, orbem libris ſuis replevit, contempto Eccleſiaſte, qui cavendum eſſe dicit, ne multi libri fiant. In multitudine autem certum eſt, quod multa delinquantur. Nam quomodo poteſt in multiloquio vitari peccatum? Sunt verò quæ ſcribit, etiam ad Theologiam ſpectantia, non ex Scripturæ probationibus, ſed ex humanis argumentis adſtructionem habentia.* Hactenus Baſilius de genio & ingenio Apolinarij.

39 VERVM Ambo Hæreſiarchæ Macedonius & Apollinarius, longè ſolemniori notâ inuſti fuerunt, in Concilio I. Conſtantinopolitano Oecumenico, aliàs II. Synodo Generali, ſicuti & generatim omnes Pneumatomachi. Etenim Canon primus ita habet: *Non ſpernendam eſſe fidem Patrum CCCXVIII. qui in Nicæa Bythyniæ convenerunt, ſed manere eam ratam oportet, & anatematizari omnem hæreſim: ſpecialiter autem Eunomianorum, ſiue Anomœorum; & Arianorum ſiue Eudoxianorum; & Semiarianorum, ſiue Pneumatomachorum (id eſt, qui contra Spiritum ſanctum pugnant) & MACEDONIANORVM, & Photinianorum, & APOLLINARISTARVM.*

40 DEINDE Poſt omnes Canones eiuſdem Concilij habetur Symbolum Fidei ipſius: circa cuius finem hic articulus præſcribitur contra Pneumatomachos omnes: *Credimus in Spiritum ſanctum Dominum, & viuificantem, ex Patre procedentem, & cum Patre & Filio adorandum, & conglorificandum, qui loquutus eſt per Prophetas.* Vbi, licèt nihil dicatur de proceſsione Spiritus ſancti ex Filio (quæ multo poſt tempore definita fuit, præſertim in Concilio Oecumenico Florentino) declaratur tamen vera divinitas Spiritus ſancti, dum aſſeritur eſſe eis, in quem credimus, & præterea Dominus, ac vivificator, ſive auctor vitæ. Inſuper declaratur eius æqualitas & conſubſtantialitas cum Patre & Filio, vbi dicitur cum vtroque adorandus, & συνδοξαζόμενος, id eſt, *conglorificandus.* In eo quippe, quamvis implicitè, aut virtute, continetur, Spiritum ſanctum eſſe conſubſtantialem vtrique. Immo & id expreſſum fuiſſe in eâdem Synodo videtur teſtari Nilus Rhodiorum Epiſcopus lib. de Generalibus Synodis, vbi ait fuiſſe editum hoc decretum: *Nos accepimus & credimus omnibus modis, Sanctum ſpiritum eſſe verum Deum, conſubſtantialem Deo, tum Patri, tum Filio: quoniam Dominus IESVS ſic dixit vt baptizemur, & credamus in nomen Patris, & Filij & Spiritus ſancti. quod non dixiſſet, ſi creatura eſſet. Ei igitur, qui non ita ſentit, anathema.* Verum quidem eſt, neminem alium ex antiquis, præter ipſum Nilum, inveniri, qui teſtetur eum Canonem fuiſſe editum in Synodo eâdem Conſtantinopolitana.

41 OPORTET Verò in laudem Magni Athanaſij obſervare, illum inter Patres eorum temporum fuiſſe primum, qui palam & abſque vllo circuitu profeſſus ſit, Spiritum ſanctum eſſe prorſus æqualem, coæternum, & conſubſtantialem, ſive eiuſdem omnino ſubſtantiæ aut eſſentiæ cum Patre & Filio. Ita enim palam habetur in Symbolo ipſius Athanaſij, & obſervat Nazianzenus in funebri eius Encomio. Subdit verò præterea: *Huius auctoritate permoti, tum Orientales, tum quidquid in Oriente vitale eſt partim animo tenus pietatem colunt, vlteriùs autem eam non proferunt, velut mortuum quendam fœtum in materno vtero extinctum, partim eam fomitis cuiuſdam inſtar leviter accendunt, hactenus, ſcilicet, vt tempori atque ardentioribus orthodoxis, aut piæ plebi vtcumque ſatisfaciant; partim denique omni verborum libertate veritatem prædicant. A qua parte vtinã ego ſtem, non iam timiditati meæ, ignaviæq; conſulens, eiq; aliorũ timiditatem & mentis imbecillitatẽ prætexens. Satis ſuperq; diſpenſavimus, non modò nobis alienos non adiungentes, ſed noſtros etiam perdentes. quod ſanè malorum diſpenſatorum eſt.* Hactenus ille. certè ijs verbis non modò ſeipſum arguit, ſed etiam alios, & in ijs S. Baſilium, qui licèt Catholicè ſentiret, Spiritum ſanctum eſſe conſubſtantialem Patri & Filio (propterea enim Synodus Calchedonenſis in Relatione ad Martianum Auguſtum appellat Baſilium ipſum, *magnum gratiæ miniſtrum, qui Spiritus ſancti doctrinam diligentiùs tradidit*) ad tempus tamen diſpenſavit in tradenda palam conſubſtantialitate Spiritus ſancti, quòd id tunc con-

veniens arbitraretur ad plura mala vitanda. Cæterum S. Athanaſius in litteris ad Epiſcopos Ægypti, Syriæ, Phœniciæ, & Arabiæ, eam diſpenſationem graviter reprehendit; multíque eundem Baſilium notárunt timiditatis, diſſimulationis, immò & prævaricationis impietatiſque quaſi de Patre & Filio Catholicè ſentiret ac loqueretur; de Spiritu ſancto autem, aut impiè ſentiret, aut ſaltem rectam de illo doctrinam obumbraret, tegeretque, nec veritatem liberè profiteretur. Teſtatur ea omnia Naziazenus Epiſt. 26. & alij.

42 CVM Verò Macedoniani impugnatores veræ divinitatis Spiritus ſancti, timerent Baſilium, de cuius ſenſu ea in parte dubitabant, ſub Valente Auguſto conati ſunt S. Doctorem pellere è Sede ſua, ac præterea requiſierunt, vt nudam & apertam ſententiam ſuam de Spiritu ſancto proferret. Ille verò (vt inquit Nazianzenus Oratione de S. Baſilio) *alijs quidem vocibus è Scriptura petitis, teſtimonijſque minimè dubijs eandem vim habentibus, Aduerſarios comprimebat: ſed tamen propriam & apertam vocem interim vſurpare differebat, tum ab ipſo Spiritu, tum à ſynceris eius propugnatoribus gratiam petens, ac rogans, ne hoc ſuo conſilio offenderentur, nec committerent, vt dum vnam voculam mordicus retinere conarentur, omnia perderent.* Addebat præterea, ſalutem noſtram non in verbis, ſed in factis ſitam eſſe, ideóque hæc potiùs curanda: *Et Reipublicæ non poſſe maiorem peſtem & perniciem afferri, quàm ſi ab hæreticis occuparetur Eccleſia.* Itaque Baſilius cenſuit iuxta conditionem illius temporis, & ad vitandam perniciem Eccleſiæ, in quam Macedoniani cœco impetu ferebantur, diſſimulari debere vocem Homoûſion circa Spiritum ſanctum, quamvis certò crederet, & alijs æquivalentibus verbis expreſiſſet eius conſubſtantialitatem cum Patre & Filio.

43 NIMIRVM Baſilius in ea diſpenſatione perinde ferè ſe egit cum Macedonianis, ac antea S. Hilarius Pictavienſis Epiſcopus cum Euſebianis. Etenim Symbolum Philippopolitanum, Antiochenum, & Ancyranum ab ijs editum admiſit atque in ſanum ſenſum traduxit, abſtinens à ſola voce Homoûſij, circa quam cum Catholicis erat Euſebianorum diſſenſio relatè ad Filium, ſicut Macedoniorum erga Spiritum ſanctum. Itaque Baſilius, habita ratione & conſideratione eorum temporum aſperrimorum, videbatur ſibi agere cauſam Eccleſiæ, ſi vocem Homouſion circa Spiritum ſanctum diſſimularet, quamvis contrà inſtarent alij, à quibus permotus Nazianzenus in Apologia ita Baſilium ipſum alloquitur: *Tu verò vir diuine, & ſacroſancte, facito vt nos doceas, quouſque in diſputatione de Spiritus ſancti diuinitate progredi, quaſque voces vſurpare, & quouſque cautione, certaque diſpenſatione vti debeamus, vt ea aduerſus eos, qui contradicunt, in promptu habeamus.* Deinde, tum in funebri eius Encomio, tum in quodam convivio ſolemni eruditorum virorum, qui propterea Baſilio detrahebant, acriter ipſum defendit, præſertim auctoritate Pſalmi 111. v. 5. vbi laudatur vir iuſtus, quoniam diſpenſat, ſeu *diſponit ſermones ſuos in iudicio.* Vbi enim Vulgatus noſter vertit, *diſponit*, Græcè habetur, εἰνοεμήσει, id eſt, *diſpenſabit.* Addebat præterea, omnes Cappadociæ Eccleſias tunc pependiſſe ex Epiſcopatu S. Baſilij: ac proinde conſervationem illius in Epiſcopali Sede fuiſſe cauſam iuſtam, vt ad tempus diſpenſaret circa modum loquendi. Vbi autem nullum inde incommodum oriebatur, Baſilius Clericis ſuis, *quos ob nominis obſcuritatem nemo accuſaturus, patriaque electurus eſſet, loquendi committebat libertatem.* Similiter & alij Patres, vt Gregorius Nyſſæ Antiſtes, Theodorus Antiochenus, & Sophronius, Apologias pro Baſilio ſcripſerunt, quos Photius refert in ſua Bibliotheca. Sed tandem idem Nazianzenus, vt præmiſimus num. 41. laudat Athanaſium quòd palam Spiritus ſancto conſubſtantialitatem, ſicut & Filij, protulerit, abſque diſpenſatione aut diſſimulatione vlla: & ſimul cum ipſo improbat conſilium S. Baſilij in ea parte. Itaque Nazianzenus videtur aliter atque aliter ſenſiſſe diverſis temporibus de ea Baſilij diſpenſatione: vt patet ex teſtimonijs iam productis, in quibus videtur non perſtitiſſe ſibi ſimilis.

44 QVIDQVID Tamen de hoc ſit, Synodus I. Conſtantinopolitana, alias II. Generalis, liberrimè definivit æqualitatem, divinitatem, & conſubſtantialitatem Spiritus ſancti cum Patre & Filio, ſub Damaſo Papa & Theodoſio Auguſto, præſente ipſo Gregorio Nazianzeno, tunc Conſtantinopolitano Patriarcha, anno Chriſti CCCLXXXI. vt patet, tum ex Symbolo ipſius, tum ex teſtimonio Nili Rhodiorum Epiſcopi ſuprà exſcripto num. 40. Addit verò Facundus Hermianenſis, decretum ipſum tranſmiſſum ad Liberium Papam, confirmatum ab eo fuiſſe, & definitam Spiritus ſancti conſubſtantialitatem cum Patre & Filio. Vnde & prorſus ceſſavit diſpenſatio S. Baſilij in Cappadocia ad tempus conceſſa: omneſque Catholici palam & vbique eam veritatem profeſſi fuerunt adverſus Macedonianos & Apollinariſtas, iam in eâdem Synodo anathematizatos.

45 QVOD Autem attinet ad proceſſionem Spiritus ſancti ex Filio, quæ nondũ de-

definita fuit in ea Synodo, quinam ex Græcis illam aſſeruerint, aut negaverint, & quando demum Eccleſia illam definierit, iuſſeritque ſymbolo Conſtantinopolitano addi particulam *Filioque*, non eſt huius loci examinare. Spectat enim ad Opuſculum III. S. Anſelmi cap. 5. in cuius Scholijs nos ea de re vberiùs & commodiùs diſſeremus.

DISPVTATIO LVI.

QVALITER DISSERERE OPORTEAT CIRCA MYSTERIVM TRINITATIS, TVM in controverſijs Dogmaticis, tum in Scholaſticis?

AD NOBILISS. ET ERVDITISS. D. D. DIDACVM DE LA CVEVA ET ALDANA, in Salmanticenſi, tum Eccleſia, tum Academia, poſt plures Theologiæ Cathedras communi plauſu obtentas, Primarium S. Scripturæ Interpretem, eximijs naturæ, ingenij, ac doctrinæ, gratiarumque omnium dotibus ornatiſsimum, & iam ſæpe à Supremis Senatibus Regijs ad Pontificias Infulas electum aut deſtinatum.

DIXIT Auguſtinus lib. 1. de Trinit. cap. 3. nullibi vnquam periculoſiùs errari, aut fructuoſiùs elaborari, quàm circa hoc myſterium. Cùm enim præomnibus alijs longiſsimè ſuperet naturale acumen mentis noſtræ, vt oſtenſum fuit Diſp. LI. facile eſt impingere in ſcopulos vbique occurrentes, ſi quiſquam ingenio ſuo fidat, ducaturve. Quare oportet præ oculis ſemper habere doctrinam revelatam in Sacra Scriptura, & ab Eccleſia traditam, veluti Helicem aut Cynoſuram quandam: inſuperque obſervare regulas à Patribus & Theologis traditas: de quibus omnibus hoc loco agendum, non contentioſo aut diſputatorio dicendi genere, ſed ſimplici & præceptivo: iuxta regulas ab Anſelmo obſervatas infra cap. 36. & 37. & Opuſculo de Incarnat. Verbi cap. 1. 2. & 3. & in Epiſt. de Proceſſione varijs locis, præſertim cap. 18.

SECTIO I.

Res diuinas, præſertim ſpectantes ad myſterium Trinitatis, longiſsimè ſuperare noſtrum captum, ideoque ſolùm ex doctrina diuinitus revelata probari debere. Eam verò contineri in Scriptura, Traditionibus, Conciliis, & communi Patrum conſenſu. Vbi de doctrina S. Anſelmi.

2 CVM Adeò inacceſſa ſit diſtinctio vera & ſolida trium divinarum perſonarum ſecundùm peculiares proprietates, & identitas in eſſentia (in quo potiſsimùm ſitum eſt Trinitatis myſterium) oportet primùm à Deo & Patre luminum impetrare lucem fidei & ſapientiæ, quæ tenebras peccatorum & ignorantiæ, quibus caligamus, expellat. Sic enim paratur pietas & religio illa, quæ ſola in animis noſtris prodeſt ad Trinitatem fructuosè cognoſcendam, potiùs, quàm mentis acumen, aut ratiocinationum circuitus: vt propterea Athanaſius in Epiſt. ad Serapionem circa medium meritò dixerit: *Deitas non demonſtratione rationum traditur, ſed fide & pia cogitatione cum religione.* Nimirum, omnes

nis notitia, quam de Deo habere in hac mortali vita poſſumus, exigua admodum eſt: quæ, iuxta Dionyſium cap. 1. de Myſtica Theologia, ſignificata fuit illâ *caligine, in qua Dominus Moyſi eſt loquutus* Exodi 19. ac præterea in tenebris illis, quas, iuxta Regium Vatem, Deus *poſuit latibulum ſuum.* Vnde & idem Dionyſius cap. 2. de Divin. nomin cognitionem Trinitatis, quam homines mortales aſſequimur, appellat ἀγνοιαν, id eſt, *ignorantiam.* Quin vel Ethnici ipſi, etiam qui Sapientes & Theodidacti cenſebantur, eam mentium ſuarum caliginem & inopiam ad Deum cognoſcendum, immo & nominandum, palam profeſsi ſun: vt vidimus Tomo I. Diſp. XXIII. ſect. 1. n 7. & ſeqq. Inter quos propterea Plato dixit Deum ἀόρατον ὀφθαλμοῖς ἄῤῥητον φωνῇ, id eſt, *oculis inviſibilem, voce inexplicabilem.* Et Iuſtinus, vel ſiquis alius auctor Expoſitionis Fidei inter eius Opera, ait: *Nulla diuinarum rerum manifeſta eſt hominibus, quod Græcorum quidam Sapiens dixit.*

3 ET Hoc quidem, adhuc loquendo de Deo ſpectato ſecundùm perfectiones eſſentiales, aut prædicata abſoluta, in quibus longè maior perſpicacitas tribuitur intellectui humano ſecundùm naturales vires: vt vidimus Diſp. V. eiuſdem præcedentis Tomi. Adhuc enim ſub ea conſideratione notitia rerum diuinarum, quam aſſequimur, valde tenuis, & propemodum nulla eſt: vt propterea res divinæ non, niſi reverenter, & cum agnitione noſtræ infirmitatis, tractandæ ſint; idque, vel Ethnicis ipſis hortantibus. Ex quibus Seneca lib. 7. Natur. QQ. cap. 30. iure ac meritò audiendus eſt, ſimul cum Ariſtotele, quem allegat, dum ait: *Egregiè Ariſtoteles ait, nunquam nos eſſe debere verecundiores, quàm cum de Dijs agitur. Si intramus templa compoſiti, ſi ad ſacrificium acceſſuri vultum demittimus, togam adducimus, ſi in omne argumentum modeſtiæ fingimur: quanto hoc magis facere debemus, cùm de Deorum natura diſputamus, ne quid temerè, nequid impudenter, aut ignorantes affirmemus, aut ſcientes mentiamur?* Egregia ſunt hæc, & conſentanea Dionyſio cap. 1. de Divin. nomin. arenti: *Debemus eatenus ad ſupera contendere, quatenus diuinorum Scriptorum radius ſe ipſe effert: ita dumtaxat, vt ad ſuperiorem ſplendorem moderatione, & reverentia, quam rebus diuinis debemus, coerceamur.*

4 VERVM Id maximè locum habet in Trinitatis myſterio, quod ſolo lumine fidei obſcuro intuetur. Ideoque loquens potiſsimũ de illo Auguſtinus, quan vis ingeniorum apex, lib. 2. de peccatorum meritis cap. 36. aiebat; *Vbi de re obſcuriſsima diſputatur, non adiuvantibus diuinarum Scripturarũ certis clariſque documentis, cohibere ſe debet humana præſumptio, nihil faciens in partem aliquam delinando.* Et Dionyſius cap. 1. de Divin. nom. ait, *nemini committendum eſſe vt dicat, vel cogitatione quidem tractet aliquid de ſuper ſubſtantiali & arcana Deitate, præter illa, quæ diuinitus nobis ex ſacris Scripturis revelata ſunt.* Cyrillus quoque Hieroſolymitanus Catech. IV. eodem ſenſu inquit: *Oportet de diuinis & ſanctis fidei myſterijs, ne tantillum quidem tradi ſine ſacris litteris; neque ſimpliciter probabili rerum ſpecie, ac verborum artificio, in tranſuerſum abripi.* Quare alter Cyrillus, id eſt, Alexandrinus, Tomo V. Dialogo de Trinitate invehitur contra illos, *qui ea, quæ ſuprà captum mentis ſunt, miſerarum ratiunc ularum inventis, temerè ac ſtultè examinare contendunt.* Denique Anſelmus in hoc ipſo Opuſculo infrà cap. 62. differens de Trinitatis myſterio, inquit: *Videtur mihi huius tam ſublimis rei ſecretum tranſcendere omnem intellectus aciem humani: & idcirco conatum explicandi qualiter hoc ſit, continendum puto.* Huc etiam ſpectant quæ ſuprà obſervavimus Diſp. II. præſertim ſect. 2 probantes ex ſacris litteris & Patribus, myſterium hoc eſſe indemonſtrabile ſolo naturali mentis creatæ lumine, & illius captum longiſsimè ſuperare. Recolantur ibi, quoniam plurimum momenti habent ad hanc ipſam doctrinam confirmandam.

5 ITAQVE Quæcumque adverſus hoſtes Trinitatis differenda erunt, ex doctrinæ revelatæ puriſsimis fontibus accipienda ſunt. Ea verò continetur in ſacra potiſsimùm Scriptura, in traditionibuſque Apoſtolicis, ſeu verbo non ſcripto, quæ parem cum eâ auctoritatem habent, vt in Tridentino ſeſſ. 4. definitum eſt. Accedunt definitiones Eccleſiæ Catholicæ in Concilijs ritè coactis & probatis à Romano Pontifice, quorum definitionibus certam & exploratam fidem habendam eſſe, demonſtratum fuit Tomo I. Diſput. II. vbi latè diſſeruimus de principijs, quibus Theologia innititur. Suppoſitis verò ijs, quæ in doctrina revelata palam habentur, noſter labor collocandus eſt in colligendo ex ijs veritates Catholicas adverſus quaslibet hæreſes huic myſterio repugnantes. Quod quĩ ſtrenuè præſtant, duplicem fructum aſſequuntur ex ſimilibus diſputationibus, ab Anſelmo indicatum lib. 1. Cur Deus homo cap. 1. nimirum, *vt eorum, quæ credunt intellectu, & delectentur contemplatione; & parati ſint, quantum poſſunt, ſemper*

ad

ad ſatisfactionem omni poſcenti rationem de ea, quæ in nobis eſt, ſpe. Vbi mutuavit verba Apoſtolorum Principis Petri Epiſt. 1. cap. 3. v. 15. dicentis: *Dominum autem Ieſum Chriſtum ſanctificate in cordibus veſtris, parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationẽ de ea, quæ in vobis eſt, ſpe.* Non poteſt autẽ reddi ratio de ſpe, quin etiam de fide, quæ eſt *ſperandarum ſubſtantia rerum*, vt inquit Paulus ad Hebræos 11. Nimirum, hæretici inſtant paſsim exigentes à nobis rationẽ Catholicæ doctrinæ, quam reddere iuxta principia revelata propriè Theologorum eſt. Ideoque nobis dicendum cum Magno Auguſtino lib. 1. de Trinit. cap. 1. ſub finem. *Suſcipiemus & eam ipſam, quam flagitant, reddere rationem, quòd Trinitas ſit vnus Deus, & ſolus, & verus: & quàm rectè Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, vnius eiuſdemque ſubſtantiæ, vel eſſentiæ, dicatur, credatur, & intelligatur.*

6 QVOD Si verò exhibitis in medium teſtimonijs Scripturæ, in quibus contineatur expreſsè, aut implicitè ſaltem, veritas quælibet ad myſterium Trinitatis ſpectans, quiſquam Adverſariorum contradicat adhuc, & ad puram rationem provocet; is iam non tam hæreticus cenſendus eſt, quàm merus Apoſtata, vt olim Iulianus Auguſtus, aut tranſfuga ad Ethnicorum caſtra: cui proinde dicendum ſit cum Caſsiano lib. 4. de Incarnat. cap. 6. *Rationem dicti quæris? Non reddo. Interim Deus hoc dixit. Deus loquutus eſt mihi. VERBVM ILLIVS SVMMA RATIO EST. Removeo argumenta, removeo diſputationem. Sola mihi ad credulitatem ſufficit perſona dicentis. Non licet mihi de fide dicti ambigere: non licet deliberare. Quid mihi quærere, quomodo verum ſit quod Deus dixit, cùm dubitare non debeam, quin verum ſit quod Deus dixit?* Immo ſic quærentem rationes puras circa res divinas, non modò Ethnicum eſſe, ſed in atheiſmum propendere, cenſet Sanct. Zeno Veronenſis Tomo III. Bibliothecæ Magnæ Sermon. de Fide, dum ait: *NEGAT QVODDAMODO DEVM QVISQVIS RATIONIBVS HVMANIS DEVM METIRI CONATVR.* Sanè hoc modo ſe gerebant Ethnici vniverſè circa quælibet intelligenda. Ideoque Plato apud Clementem Alexandrinum aiebat: *Ego ſum huiuſmodi, vt nulli alij aſſentiar, niſi rationi, quæ mihi conſideranti optima viſa fuerit.* Excuſanda profectò ingenuitas, præſertim in Philoſopho Gentili, circa veritates naturales: execranda verò impudentia, ſi porrigatur ad res divinas, & à Deo traditas.

7 PRÆTER Tria illa principia, Scripturæ, Traditionum, & Conciliorum, quibus potiſsimùm Theologia innititur, inſiſtendum eſt communi SS. Patrum doctrinæ, & conſenſui, quæ habet vim dogmatis Theologici: vt fusè oſtendimus Diſput. II. allegata, præſertim ſection. 3. Nimirum, vt Auguſtinus graviſsimè obijcit Iuliano Pelagiano, *Teſtes fide digniſsimi ſunt Veteres Patres veræ, atque Apoſtolicæ fidei.* Quare impudens habitus eſt Eunomius, qui ſpretis ijs, contra præiudicia Eccleſiæ circa myſterium Trinitatis, aiebat apud Baſilium libro 1. contra eundem Eunomium: *Petimus præ omnibus, vt ne velitis multitudine mendaciũm à veritate diſcernere, maiori parti quod melius eſt attribuendo, neque axiomatis commoveri, aut ordine prægreſſorum plus tribuere, & poſterioribus aures obturare.* Eunomium verò adeò arrogantem ita perſtringit Sanct. Doctor: *Quid dicis? Ne tribuamus plus prægreſſis? Ne reveream multitudinem, & eorum, qui nunc ſunt Chriſtiani, & eorum qui nati ſunt ab eo tempore, quo prædicari cœpit Euangelium? Ne reputemus dignitatem eorum, qui omnigenis donis ſpiritualibus claruerunt? Quibus inimicam & aduerſam hanc viam impietatis recens excogitaſti, ſed clauſis in totum animi oculis, & omnium Sanctorum memoria ex mente abiecta. Otioſum ac purgatum cor ſuum quiſque inductionibus ac ſophiſmatis tuis ſupponamus? Magnam profectò potentiam nactus fueris (ſi quæ varijs ſuis inſidijs diabolus non eſt aſſequutus, ea tibi aſſequi contingat, vt traditionem* (de ſanctiſsima Trinitate) *quæ per omne tempus præteritum apud Sanctos obtinuit, veſtro invento impio viliorem iudicemus.* Hactenus ille Itaque poſt doctrinam revelatam & expreſsam in Scriptura, Traditionibus Apoſtolicis, & Concilijs approbatis à Summis Pontificibus; inſiſtere debemus communi Patrum doctrinæ in qualibet materia ad fidem aut mores ſpectante: quoniam illa ſupponit planè traditionem ab Apoſtolis derivatam, quorum doctrinæ, ſicut & pietatis, Patres ipſi hæredes fuerunt: vt loco nuper indicato oſtenſum eſt. Ideoque iure ac meritò in Tridentino ſeſ. 4. ad coercẽda petulátia ingenia decernitur, nequis Scripturã ad ſuos ſenſus contorqueat, vel illã interpretetur contra vnanimẽ conſenſum SS. Patrũ, &c. idq; ſub graviſsimis pœnis.

8 EX Eiſdem principijs procedendum pariter eſt ad inferendum quaslibet theſes;

ſes, non ſolùm Dogmaticas, quæ communiter dicuntur concluſiones Theologicæ; ſed etiam Scholaſticas, quæ intra Eccleſiæ ſinum à Catholicis viris, illæsâ fide, hinc & inde controvertuntur. Verùm inter vtraſque id diſcriminis eſt (præter alia) quòd priores neceſſariâ collectione & prorſus firmâ deducuntur ex doctrina fidei. Vnde qui illas negat, præſumitur hæreticus: quia cenſetur non negare vim illationis manifeſtam (nemo quippe præſumitur negare quæ evidentia ſunt) ſed principium obſcurum fidei, ex quo illa procedit. Poſteriores autem non manifeſtè aut certò, ſed probabiliter colliguntur ex principijs revelatis; & eò probabiliùs, quò vrgentiori ratione, aut graviori auctoritate oſtenditur connexio ipſarum theſium cum ijs. Porrò quæcumque traduntur ab Anſelmo in hoc Opuſculo, & præſertim circa myſterium Trinitatis, graviſsimi ponderis ſunt. Nam quamvis in eo non vtatur Scripturæ teſtimonijs (vt ab ipſo precibus impetrarunt Monachi, quorum hortatu illud ſcripſit) nec alleget traditiones, aut loca Conciliorum, vel Patrum; omnia tamẽ illa planè ſupponit, dum in Præfatione ait, ſe nihil dicturum, *quod non cohæreat ſcriptis Catholicorum Patrum, & maximè B. Auguſtini.* Nimirum, in ſcriptis Catholicorum Patrum, & maximè B. Auguſtini, continetur doctrina ex ijs puriſsimis fontibus derivata. Rationes autem, quibus Anſelmus vtitur, ad theſes probandas, ſunt optimæ omnium, quotquot circumferuntur ad eaſdem ſtabiliendas. Quod, ſicut in præcedenti Tomo conſtitit ex contextu Sanct. Doctoris, & Commentarijs noſtris; ita quoque in hoc circa myſterium Trinitatis conſtabit ex progreſſu.

SECTIO II.

Etiam Verba idonea & recepta ab Eccleſia in tractando hoc myſterio, iuxta Catholicum ſenſum vſurpanda eſſe, cæteris proſcriptis. Porrò diſputationem ipſam ſobriam eſſe debere, quam Patres & Theologi probant; hæretici autem exoſam habent.

9 QVEMADMODVM Catholici hominis eſt vbique & conſtanter ſentire de rebus divinis, prout fides monet: ita etiam loqui, nec vſurpare vocabula ad nutum, ſed ea ſola, quæ in Eccleſia probata ſunt ad eandem fidem declarandam. Idque maximè habendum præ oculis circa hoc myſterium; in quo præſertim, iuxta effatum celebre Hieronymi, apud D. Thom. 1. part. quæſt. 31. articul. 2. *Ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæreſis.* Quare Dionyſius cap. 1. de Divin. nominib. Baſilius lib. 2. contra Eunomium non longè ab initio, Damaſcenus lib. 1. Fidei cap. 2. alijque ex Patribus, monent, vt cautiſsimè de rebus divinis loquamur. Hinc idem Baſilius Eunomium ipſum gravitet reprehendit, quòd auſus fuiſſet Filium Dei *genituram* appellare: *Quia à communi conſuetudine, & à Scripturarum vſu, genituræ vox aliena eſt.* Additque vlteriùs: *Horrendum eſt autem velle noſtris eum nominibus appellare, cui largitus eſt Deus nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Nazianzenus quoque Orat. 26. quæ eſt de moderatione in diſputationibus ſervanda, illam præſertim commendat dum diſſeritur de Trinitate, dicens: *Ego certè humilitatis & modeſtiæ laudem huic demum tribuerim, non qui de ſeipſo pauca, idque apud paucos, & raro commemorat; nec qui inferiorem humilior affatur: ſed qui parce ac moderatè de Deo loquitur, ac quædam proloqui, quædam premere, & retinere, quorundam etiam inſcitiam fateri novit.*

10 IN Quo ſanè Catholici pluriſmùm diſſidere debemus à Philoſophis Gentilibus, quorum multi in adinveniendis, & excogitandis Dei nominibus liberrimi & temerarij fuere. Ideòque aiebat Auguſtinus lib. 10. de Civitat. cap. 23. *Liberis verbis vtuntur Philoſophi, & in rebus ad intelligendum difficillimis religioſarum aurium non timent offenſionem. Nobis autem ad certam regulam loqui fas eſt, ne verborum licentia de rebus, quæ his ſignificantur, impiam gignat opinionem.* Quod ipſum non modò circa Deum, ſed circa ſacra quælibet obſervavit Sanct. Doctor, dum eodem libro cap. 21. non fuit auſus Martyres Chriſti Heroas appellare, quamvis ſano ſenſu, & alieno à ſuperſtitione Gentilium, quoniam ea appellatio nondum in Eccleſia fuerat introducta. Ideoque ait: *Martyres noſtri Heroes nuncuparentur, ſi, vt dixi, vſus Eccleſiaſtici ſermonis admitteret: non quòd eis eſſet cum dæmonibus in aere ſocietas: ſed quòd eoſdem dæmones, ideſt, aereas vincerent poteſtates &c.*

11 PORRO Ex vocabulis, quæ ſpectant ad myſterium Trinitatis, in Scriptura leguntur hæc; Pater, Filius, ſive Verbum, Spiritus ſanctus, generatio, proceſsio, æqualitas. Alia verò ſunt, quę licèt in Scriptura non legãtur, ab Eccleſia antiquitus introducta aut probata ſunt neceſsitate cogente aut recta ratione, ad ex-

exponendum plura intellectu neceſſaria circa idem myſterium. Ea autem ſunt, *Trinitas perſonarum, eſſentia, ſubſiſtentia, hypoſtaſis, perſona, perſonæ notio, proprietas perſonalis, relatio, proprietas relatiua, homouſion*, & alia id genus: de quorum poſtremo ſuprà Diſp. LV. ſect. 3. latè egimus: de alijs verò diſſeremus in progreſſu.

12 VERVM Non eſt ſatis ea verba vſurpare, niſi in ſano & debito ſenſu accipiantur: nam, vt inquit Baſilius lib. de Spiritu ſancto ad Amphilochium cap. 1. probatque ex inſtituto, ſyllabas, nutus, & ſignificationes, in hoc myſterio obſervare oportet. Subditque: *Si ex lege nec vnum iota, nec apex vnus præteribit; quomodo nobis tutum fuerit, vel minima tranſiliiſſe?* Quare dum tribuimus Deo vocabula illa nuper indicata, præſertim eſſentiæ, perſonæ, relationis, Patris, ac Filij, duo nobis potiſsimùm ſunt curanda. Primum eſt, vt notiones communiſsimas eorum vocabulorum verè tribuamus Summæ illi & infinitæ rei, quæ eſt Deus Trinus & vnus, atque ijs vtcumque ſignificare velimus rationem propriam, & peculiarem, quæ in Deo ijs vocabulis reſpondet. Non enim ea vſurpamus ad exprimendum eſſentiam, perſonam, aut relationem modo quodam proprio rerum creatarum, vel communi rebus creatis & increatis: ſed quatenus ea omnia in in re divina ſunt proprio & peculiari modo. Secundum eſt, rationem peculiarem, qua res illa in Deo ſignificata eſt infinita, diſtare etiam infinitè à ratione propria & peculiari, quæ eiſdem vocabulis ſignificatur in rebus creatis, & proinde finitis. Cumque mens noſtra valde limitata ſit, conſequens eſt, vt eiſdem vocibus non poſsimus tam diſtinctè intelligere aut ſignificare prædicatum illud peculiare & infinitum Dei, ac aliud finitum. Nimirum, ratio peculiaris creatarum rerum, proprio & diſtincto conceptu à nobis intelligitur, dum per ea vocabula diſtinctè ſignificatur. Ratio autem peculiaris divina eiſdem vocabulis reſpondens, ſolùm percipitur à nobis imperfecto & obſcuro conceptu, in eo conſiſtente, vt cogitemus rem illam divinam peculiari ratione habentem vim eſſentiæ, ſubſiſtentiæ, aut paternitatis, v. g. quatenus modo quodam infinitè ſublimiori, continet præſtative, quidquid eſſentia, ſubſtantia, aut paternitas creata, quam eiſdem vocabulis ſignificamus. Vnde etiam oritur, vt ea vocabula totam rationem peculiarem rerum creatarum dicantur adæquare, ſecus verò diuinarum.

13 ITAQVE Quoties loquentes de myſterio Trinitatis vſurpamus vocabula eſſentiæ, hypoſtaſeos, perſonæ, &c. curandum maximè eſt, ne ſubeat animũ noſtrũ cogitatio de rebus divinis per ea ſignificatis, inſtar creatarum rerum, quæ per eadem ſignificare ſolemus: ſed aliquid longè ſublimius & infinitis partibus præſtantius, quod apud nos commune quidem cum rebus creatis nomen habet; rem autem ipſam infinitè ſublimiorem, & liberam à fæce & multiplici imperfectionum nævo, rerum creatarum proprio. Quamvis autem is exceſſus cogitari debeat, reverà tamen ijs vocabulis ſignificamus propriam illam rationem & peculiarem in Deo exiſtentem. Quod opportunè monet Athanaſius in Epiſtola de decretis Concilij Nicæni, his verbis: *Cùm diximus Deum, & Patrem nominamus, ipſius ſubſtantiam ſignificamus. Nam tametſi comprehendere quænam ſit ipſius ſubſtantia nequeas; tamen de ſubſtantia illius, hoc eſt, de ipſo Deo ſentis, & cogitas, cùm Scripturæ nominibus, DEVS PATER, appellatur.* Eadem verò ratio aliorum nominum eſt. Quamvis verò ijs non adæquatè aut perfectè divina prædicata exprimamus; id nobis pro hoc ſtatu ſufficit: vt monet Baſilius libro 1. contra Eunomium, dicens: *Nullum nomen eſt, quod totam Dei naturam ſufficienter enuntiare poſsit: plura verò & varia, ſingula in propria ſignificatione, obſcuram quidem penitus & minutiſsimam, quantum ad totum attinet; nobis tamen ſufficientem intelligentiam colligunt.*

14 IDEM Ipſum indicant verba illa Auguſtini lib. 5. de Trinitate capite 9. quibus docet, tres perſonas in Trinitate dici, *non vt illud, quod eſt Trinitas, dicatur, ſed vt non taceatur.* In cuius ſententiæ intellectu cæcutierunt nuperi ſectatores Sabellij in Tranſylvania, mentientes, nihil penitus de divinitate dici, cùm tres in ea perſonæ dicuntur, iuxta ſenſum Auguſtini. Mens enim illius manifeſta eſt, cùm tres perſonas in Trinitate dicimus, ea locutione aut conceptu noſtro non ſignificari adæquatè aut perfectè propriam ac peculiarem rationem illius myſterij, ſeu rei ſummæ, quæ ſimul eſt Deus vnus & Trinitas. Itaque tantum eſſe exceſſum rei ſignificatæ ſupra vocabula, & conceptus, quibus à nobis ſignificatur & dicitur, vt de ea re adeò ſublimi, potiùs non tacuiſſe, quàm dixiſſe videamur. Quod ipſum ferè indicat idem Sanct. Doctor Tract. 35. in Ioannem, dicens: *Quidquid vis, illud vocas, quia non eſt quod vocas: quia non potes congruum nomen invenire, non remanes*

in vno nomine. Præmiſſeratque tract. 13. *Omnia poſſunt dici de Deo, & nihil digne dicitur de Deo. Nihil latius hac inopia. Quæris congruum: non invenis. Quæris quoquo modo dicere: omnia invenis.*

15 INDIDEM Sequitur, vt poſtquam vocabulis idoneis, & recto ſenſu acceptis, vtimur differentes de hoc myſterio, credamus adhuc exiguum admodum eſſe quidquid de eo intelligimus, atque humiliter & ſobriè eo loquamur. Nec tamen propterea deſiſtendum eſt à ſtudio inquirendæ eiuſdem veritatis meliori modo quo fieri poteſt, ad fidem altiùs ſtabiliendam contra illius impugnatores. Vtrumque id commendat nobis Iuſtinus Martyr in Expoſitione fidei de Trinitate prope medium: vbi cùm præmiſiſſet, *nullo modo nos poſſe penetrare ad diuinam eſſentiam, & ad eius myſteria*, ſubdit: *Non debemus tamen in totum ab ea quærenda deſiſtere, ſed pro ſua quiſque portione acceptæ à Domino ſcientiæ ſtrenuè rem examinet, certus non quidem exactè ſe percepturum, profuturum tamen per huiuſmodi contentionem accedendo ad illum propiùs.* Sic enim doctrina Catholica ita à nobis addiſcitur, vt iuxta monitum Auguſtini lib. 4. de Trinitate cap. 1. prope finem, *& pijs opituletur & ab impijs defendatur.*

16 QVOD Non modò accipiendum de myſterio Trinitatis quoad vnitatem eſſentiæ & pluralitatem perſonarum; ſed etiam nominatim circa generationem Verbi divini, etiã prout diſtinctam à proceſsione Spiritus ſancti. Quamvis enim res ea obſcuriſsima ſit, vt ex Scriptura & Patribus oſtenſum fuit ſuprà Diſput. LI. ſect. 2. adhuc tamen modeſtè & ſobriè id examinare, iuxta doctrinam Patrum ac Theologorum, non modò conceſſum, ſed & neceſſariũ eſt. Vbi enim impetimur ab hæreticis impugnantibus diſtinctionem Filij à Spiritu ſancto, eo quòd generatio non differat vllo modo à proceſsione, opus eſt ſobriè inquirere diſtinctionem vtriuſque, *vt pijs opituletur, & ab impijs defendatur*, iuxta Auguſtini monitum nuper præmiſſum. Neque id damnant Patres, qui in oppoſitum allegari ſolent. Solùm enim reprehendunt inquirentes diſcrimen vtriuſque proceſsionis, ſive ad illud impugnandum, qualiter fiebat olim ab Arianis; ſive ad veritatem examinandam ea præparatione animi, vt non credatur, niſi rationes ſatisfecerint, aut placuerint; ſive inniterido, ſolis naturæ viribus; ſive animo comprehendendi, vel evidenter agnoſcendi; ſive non habito delectu auditorum, opportunitatis, & loci, vt cum fructu, & citra damnum aliquorum fiat; vel denique ex curioſitate ſola, aut libidine excitandi inutiles quæſtiones, præſertim omiſsis iis, quæ inquirere & noſſe opportebat. Alioqui, & ſervatis regulis ſobrietatis ac prudentiæ Chriſtianæ, pium & laudabile eſt mentem exercere in eo diſcrimine quærendo. Quod exemplo ſuo confirmârunt Baſilius, Auguſtinus, Nyſſenus, alijque Patres ſuo loco allegandi, qui nonnullas diſcriminis rationes meditati ſunt & ſcripto expreſſerunt: ſed vberiùs Anſelmus infrà cap. 38. & ſequentibus, ac poſt ipſum Albertus Magnus, Sanct. Thomas, Alexander Alenſis, Bonaventura, & reliqui ferè Scholaſtici: quorum omnium conſilium in ea re tractanda damnare, impium & temerarium eſſet.

17 QVARE Videntur quoddammodo exceſsiſſe moderationis metas Ludovicus Vives in Commentar. ad librum 11. Auguſtini de Civitat. cap. 24. & Fevardentius in lib. 2. Irenæi cap. 4. alioqui viri pij docti, & eruditi) dum ita ſilentium imperant circa generationem Verbi divini, vt videantur obſtruere aditum cuilibet Theologorum diſputationi circa illam. Intelligendi autem ſunt (ita exigit pietas illorum) de diſputatione inconceſſa, aut vitiata ex aliquo capite eorum, quæ nuper indicata fuerunt. Alioqui ij duo auctores viderentur favere errori 29. Vvicleffi, proſcripto in Syn. Conſtantienſi ſeſs. 8. vbi impius ille dixiſſe legitur: *Vniverſitates, ſtudia, Collegia, graduationes, & magiſteria in eiſdem, ſunt vana gentilitate introducta, & tantum proſſunt Eccleſiæ, ſicut diabolus.* Quam eandem impietatem & maledicentiam, vti & plures alias, poſtea ex Orco revocavit peſtilentiſsimus Hæreſiarcha Lutherus in libro contra Latomium, & libro de abroganda Miſſa privata, Melanctonin Apologia contra Pariſienſes, & Calvinus lib. 3. Inſtitution. cap. 2. ſect. 2 generatimque recentes Sectarij, qui Theologiam Scholaſticam prorſus exoſam habent, quoniam eius ope cuncta eorum ſophiſmata, & machinæ contra Eccleſiam Catholicam, evaneſcunt & diſſipantur.

(†)

SE-

SECTIO III.

Regula Prima. De nominibus, quibus vti licet aut non licet in diuinis, numero plurali. Illationes variæ ex ea doctrina, obseruatu dignæ, ad mentem Anselmi infrà cap. 36. & 37. & alijs locis num. 1. indicatis.

18 CVM Adeò necessaria sit circumspectio in vsurpandis vocibus opportunis ad hoc mysterium explicandũ, oportet nonnullas regulas exhibere à Theologis obseruatas, quæ securam parent viam inter errores varios, præsertim Arij & Sabellij, quasi inter Scyllam & Charybdin. Profiteamur autem initio cum Magno Augustino, Sermone 2. Append. Serm. *Tres personas tenemus, & credimus, id est, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, vnius potentiæ, vnius substantiæ, vnius æternitatis, vnius voluntatis, vnius etiam deitatis: & totam Trinitatem vnius Dei appellatione veneramur.* Itaque omnes ferè loquendi formulæ spectant ad ἕνωσιν καὶ διαίρεσιν, iuxta PP. Græcos: id est, iuxta Latinos, *ad vnitatem & distinctionem*: vnitatem in essentia, distinctionem verò in personis. Quod idem ferè habet Anselmus infrà cap. 41.

19 PRIMA Regula: Nomina masculini generis enuntiari possunt pluraliter in divinis: secus verò nomina neutrius generis. Constat id ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. & refertur in cap. Damnamus de summa Trinit. & Fide Cathol. vbi hæc habentur: *Licèt igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus, non tamen aliud: sed id quod est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.* Colligitur planè ex verbis illis Christi Ioann. 15. *Ego & Pater vnum sumus.* In quæ S. Cyrillus lib. 7. cap. 10. inquit: *Vtrumque audi, VNVM, & SVMVS, & à Charybdi & Scylla liberaberis. Quod dixit VNVM, liberat te ab Ario, separante Filiũ à substantia Patris. Quod dixit, SVMVS, liberat te à Sabellio, confundente personas Patris & Filij sine discretione. Si VNVM; nõ ergo diuersum. Si SVMVS; ergo Pater & Filius.* Quid nervosius, aut pulchrius? Similiter Augustinus Tract. 36. in Ioannem: *Aliud non est Pater, Filius aliud. Alius es, rectè dicis: aliud, non rectè. Alius enim est Filius, quia non est ipse, qui Pater: & alius Pater, quia non est ipse, qui Filius. Non tamẽ aliud, sed hoc ipsum est & Pater & Filius.* Similiter Sophronius in Epistola ad Sergium, quæ habetur in Sexta Synodo Actione 11. ait: ὡς δὲ πατὴρ, καὶ υἱὸς, καὶ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἕτερον, καὶ ἕτερον, καὶ ἕτερον, οὐ λέγεται, id est, *Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, non dicuntur alterum, & alterum, & alterum.* Deinde, quibusdam interiectis, subiungit rationem: οὐ γὰρ ἄλλος θεὸς ὁ πατὴρ, &c. *Non enim alius Deus Pater, neque alius rursus Spiritus sanctus: quoniam nec alia natura est Pater, nec alia natura Filius, neque alia rursus natura Spiritus sanctus.* Idem præterea apertissimè colligitur ex Epistola prima Canonica Ioannis cap. 5. vbi dicitur: *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt.* Vbi nomina substantiva multiplicantur, sed neutrum vnicum est: quoniam sicut personæ divinæ relativis proprietatibus distinguuntur, ita etiam vnum atque idem sunt in essentia. Nimirum, nomen neutrum ex vsu Philosophorum ac Patrum significat *quod quid est*, nempe essentiam, quoniam est substantivum: masculinum verò, cùm sit adiectivum, refertur ad personas. Præterea, vt obseruat Sanct. Thom. 1 part. quæst 31. artic. 2. ad 4. nomen neutrum, cùm sit informe, refertur ad essentiam communem, quæ est veluti formabilis per personas: nomen autem masculinum, vel fœmininum, est formatum, & distinctum, ideoque refertur ad suppositum. Quare interroganti, *Quid est homo*, respondemus per genus commune & informe: interroganti autem, *Quis est hic homo*, respondemus per individuum, quod est distinctum & formatum. Hæc tamen regula solùm accipi debet vbi talia pronomina per se affirmantur de Deo. nam alioqui, & coniuncta alicui substantivo personali, multiplicari possunt neutra nomina: ideoque rectè dicitur, *Aliud est suppositum Patris, & aliud Filij.* Sive, quod perinde est, *In diuinis est triplex suppositum.* Ex hac regula inferre licet nonnulla.

20 INFERTVR I. Quemadmodum in divinis non est *aliud* & *aliud*, sed *alius*, & *alius*, ita etiam existimandum esse de reliquis nominibus significantibus alietatem secundùm naturam, vel penes quodlibet prædicatum absolutum. Vnde non sunt facilè admittendæ in divinis huiusmodi propositiones simpliciter prolatæ: *In Deo sunt plura*, aut *multa entia*. Ratio enim entis simpliciter dicta potiùs significat absolutum, quod in Deo est vnicum, quàm relativum, quod est triplex. Possunt tamen dici in Deo plura aut multa cum addito, nimirum relativa. Sine limitatione autem licet dicere: *In diuinis sunt plures res, vel entitates, aut pluralitas*: quoniã eiusmodi nomina ex communi vsu & sensu

non referuntur ad aliquid abſolutum aut communne, ſed ad perſonas, ſive ad relationes, quæ in Deo ſunt plures. Vnde Anſelmus lib. de Incarnatione Verbi cap. 3. ex profeſſo docet probatque, quamvis in divinis non ſint plures dij; ſed vna res eſſentialis, eſſe tamen tres res perſonales. Idque potiſsimùm exponit propiùs ad initium, quàm ad medium capitis; dum ait: *Nihil prohibet dicere duas perſonas, Patrem, & Filium, eſſe duas res, ſi tamen intelligatur cuiuſmodi ſint res. Non enim ſic ſunt Pater & Filius duæ res, vt in his duabus rebus intelligatur eorum ſubſtantia, ſed eorum relationes.*

21 INFERTVR II. In Chriſto Domino eſſe *aliud* & *aliud*, non autem *alium* & *alium*: oppoſito ſanè modo, quàm contingat in Trinitate. Ideoque aiebat Vincentius Lirinenſis cap. 19 *In Trinitate alius atque alius: non aliud atque aliud. In Saluatore aliud, atque aliud: non alius, atque alius.* Ita etiam Anſelmus infrà cap. 41. & paſſim alij ex PP. Ratio prioris partis eſt: quoniam in Chriſto eſt duplex natura, ſive eſſentia: ac proinde in illo multiplicari debent, iuxta præcedentem regulam, nomina neutra, quæ habent vim ſignificandi eſſentiam. Ratio poſterioris eſt: quoniam *alius*, & *alius*, vt ſuprà vidimus, ſignificat pluralitatem ſuppoſitorum: in Chriſto autem ſuppoſitum non eſt duplex, ſed vnicum. Quare, licèt in Chriſto ſit duplex filiatio, non propterea ille dicitur alius, & alius Filius. Sic enim pluralitas ſuppoſitorũ in eo ſignificarentur iuxta hæreſim Neſtorij. Vnde Ruſticus Diaconus mox allegandus, cùm præmiſiſſet, quòd Pater & Filius, & Spiritus ſanctus, ſunt vnum, ob vnitatem naturæ, non tamen vnus, ob pluralitatem perſonarum; è contrà loquitur de Chriſto, dicens: *Vnus eſt, quia vna perſona eſt: non vnum verò, quia non vna natura.*

22 INFERTVR III. Has propoſitiones eſſe veras: *Pater & Filius ſunt vnum: Pater eſt idem quod Filius: Pater & Filius ſunt idem ipſum: Pater non eſt aliud, vel alterũ à Filio.* Quare Auguſtinus lib. de natura boni c. 24. inquit de Patre: *Quod de ſe genuit, hoc eſt, quod ipſe eſt.* Hæ verò è contrà ſunt propoſitiones falſæ: *Pater & Filius eſt vnus: Pater & Filius ſunt idem ipſe: Pater eſt idem, qui Filius.* Priores enim ſignificant vnitatem naturæ, ac proinde ſunt veræ: poſteriores autem tollunt diſtinctionem ſuppoſitorum, & propterea ſunt falſæ. Vnde Ruſticus Diaconus lib. contra Acephalos ait: *Pater, & Filius & Spiritus ſanctus, vnum quidè ſunt, quia vna eorum natura eſt: vnus autem non ſunt, quia tres perſonæ ſunt.* Et Nazianz. ſimiliter Orat. 12. ait: ὅτε τὰ τρία ὡς ἕνα. id eſt, *tria illa non eſſe vnum aliquem.* Rationemque reddit: ὃ γὰρ ἀνυπόστατα. *Non enim ſubſiſtentia carent.* Id eſt, ſinguli habent ſubſiſtentiam, ſeu perſonalitatem, propriam. Ideoque nemo ex ijs eſt vnus cum alio, quamvis tres neutraliter ſint τὸ ἕν, id eſt, vnum. Vnde & idem Nazianzenus Orat. 41. ait: ἓν γὰρ τὰ τρία, κατὰ τὸ θεότητι. *Vnum ſunt tria, & idem divinitate.* Similiter hæ ſunt veræ: *Pater eſt idem Deus, qui Filius: In diuinis eſt Deus & Deus: Deus genuit Deũ: Alius genuit aliũ: Habens deitatẽ genuit aliũ habentem deitatẽ.* Nimirum, nulla ex ijs ſignificat alietatem, aut diſtinctionem in deitate, ſed ſolùm in perſona. Hæ autẽ falſæ. *Deus generans eſt Deus genitus: Idem Deus qui generat, eſt Deus genitus.* Nimirum, in ijs terminus communis *Deus* afficitur termino notionali genitoris, qui planè diſtinguitur à genito. Rurſus etiã ſunt falſæ iſtæ: *Deus genuit alium Deum; vel Deũ alterum: Deus genuit alterũ ſe:* Quoniã in ijs ſignificatur alia deitas. Quare D. Th. 1 p. q. 39. art. 4. ad 4. ait S. Auguſt. emphaticè fuiſſe locutũ Epiſt. 66. ad Maximum vbi dixit: *Pater ita genuit de ſe alterum ſe, vt totus maneret in ſe.* Nimirũ, ſenſus eius propoſitionis eſt, Patrem genuiſſe alterum ſimillimum ſibi: vel, conformiùs ad litteram: Pater ita genuit alterũ in perſona, ſed eundẽ ſecum in deitate, vt nihil propterea ſuæ divinitatis amitteret. Similiter falſa eſt hæc: *Deitas genuit deitatẽ:* quoniã ſic denotatur planè diſtinctio penes naturã divinam. An verò hæc, *Deus genuit Deum*, ſit vera, diſputant S. Thom. 1. p. q. 39. art. 4. Scotus in 1. diſt. 4. q. 1. Durandus q. 2. & illorum Interpretes.

23 INFERTVR IV. In divinis omnino vitari debere nomina *diuerſi, differentis, alieni, extranei, diſſimilis, diſcrepantis, difformis, ſeparati, diuiſi, diſiuncti:* quoniam, vt monet S. Thomas 1. part. quæſt. 31. articul. 2. nomina *diuerſi & differentis* denotant diverſitatem in natura: nomina *alieni, extranei, diſſimilis, diſcrepantis, & difformis*, ſignificant inæqualitatem in eſſentia: ac denique nomina *ſeparati, diuiſi, & diſiuncti*, important diſtinctionem in ſubſtantia. Vnde hæ propoſitiones abſurdæ, & vitandæ ſunt: *Filius eſt diuerſus, differens, alienus, extraneus, diſſimilis, diſcrepans, difformis, ſeparatus, diuiſus, diſiunctus à Patre.* E contra iſtæ ſunt veræ. *Filius eſt diſtinctus à Patre, diſcretus, oppoſitus, æqualis, ſimilis, coniunctuſque cum Patre.* Vide S. Iſidorus lib. 1. de Differ.

cap.

cap. 2. ait: *In perſonis diſcretio eſt: in diuinitate, nulla diſtinctio.* Non tamen prohibemur vti nominibus *diuerſi* & *differentis*, ſi ſumantur cum addito, vt cadant ſupra proprietates relativas: ideoque ex communi Recentiorum vſu licet dicere, perſonas divinas differre invicem, aut diverſas eſſe penes proprietates relativas.

24 INFERTVR V. Nomina excludentia conſortium à divinis perſonis, etiam vitanda eſſe. Ita D. Thom. 1. part. quæſt. 31. artic. 2. 3. & 4. Quia cùm eſſentia ſit vnica in tribus perſonis, neceſſarium eſt inter eas conſortium, immo & vnitas eſſentialis. Vnde hæ propoſitiones ſunt falſæ: *Deus eſt ſolitarius*: *Deus eſt ſolus*: quoniam ea nomina adiectiva coniuncta termino eſſentiali *Deus*, non ſolùm excludunt conſortium aliorum deorum, ſed etiam perſonarum eiuſdem numero eſſentiæ. Quare ſi per impoſsibile in Deo non eſſent plures perſonæ, Deus verè ſolus aut ſolitarius diceretur, quamvis adeſſent Angeli & homines. Sic homo dicitur ſolus vbi nullum alium hominem circa ſe habet, quamvis animantibus brutis circumfuſus ſit. Non tamen ideo prohibentur nomina ſolius & ſolitarij vbi ponuntur ex parte ſubiecti, veluti ſyncathegoremata quædam: vt in ijs propoſitionibus: *Solus Deus eſt ſanctus: ſolus fortis: ſolus immortalis.* quæ omnes verè & Catholicè proferuntur. Et id quidem accipiendum, vbi *το ſolus* præponitur nomini communi *Deus*. nam ſi præponatur nomini perſonæ peculiaris, propoſitio evadit falſa. Vnde & falſæ ſunt iſtæ: *Solus Pater intelligit*: *ſolus Filius creat*: *ſolus Spiritus ſanctus gubernat*: itemque, *ſolus Pater eſt Deus*. Quod ſignificare volunt Theologi, dum aiunt, dictionem excluſivam non poſſe adiungi termino perſonali reſpectu prædicati eſſentialis: vt in prædictis propoſitionibus. Poteſt tamen illa adiungi termino perſonali reſpectu prædicati notionalis. Ideoque veræ ſunt iſtæ propoſitiones: *Solus Pater generat*: *Solus Filius gignitur*: *Solus Spiritus ſanctus ſpiratur.*

25 DICES: Chriſti Domini verba ſunt Mathæi 11. *Nemo novit Filium, niſi Pater: neque Patrem quis novit, niſi Filius.* Quæ propoſitiones æquivalent hiſce: *Solus Pater novit Filium*: *Solus Filius novit Patrem.* Et in ijs quidem particula *ſolus* adiungitur termino perſonali relatè ad terminum eſſentialem ſcientiæ. Ergo poteſt excluſiva *ſolus* adiungi termino perſonali relatè ad terminum eſſentialem. quod eſt contra doctrinam nuperà nobis traditam.

26 RESP. Ex doctrina D. Thomæ 1. part. quæſt. 31. articul. 4. ad 2. & Bonaventuræ in 1. diſtinct. 21. art. 2. quæſt. 2. terminum *nemo* in verbis illis Chriſti diſtribuere pro natura, non autem pro perſona. Itaque veram eſſe illam Chriſti propoſitionem, *Nemo novit Filium, niſi Pater*: falſam verò hanc: *Solus Pater novit Filium*: quia cùm in priore terminus *nemo* ſolùm diſtribuat pro natura intellectuali, tantùm excludit aliam naturam, ſive aliud ſecundùm eſſentiam: in poſteriore autem terminus *ſolus* diſtribuit pro perſona, & excludit aliam perſonam divinam à cognitione Filij. Vide præterea ſenſum eorum verborum Chriſti apud Anſelmum infra Opuſculo III. cap. 8. & ibidem noſtrum Commentarium.

27 INFERTVR VI. Nomina illa, quæ *partitiua* dicuntur, vt *omnis*, *aliquis*, *nullus*, *quilibet*, *quicumque*, non rectè tribui termino eſſentiali in divinis: vt optimè obſervat Alenſis in 1. part. quæſt. 65. membro 2. articul. 4. & Caietanus 1. part. quæſt. 39. articul. 4. §. Ad tertium. Quippe nefas eſſet dicere ſeriò, *Omnis Deus*, *aut quilibet*, &c. quoniam ſic denotaretur, eſſe plures Deos: ſi quidem *omnis* importat collectionem plurium; *aliquis* diſtinctionem vnius ab alijs, *nullus* excluſionem omnium, id eſt, atheiſmum. Poſſunt autem eiuſmodi nomina tribui termino perſonali: ideoque rectè dicitur in divinis: *Omnis perſona creat, intelligit, amat: Nulla perſona ignorat, diſcurrit, mutatur: Aliqua perſona generat, generatur, ſpirat, vel ſpiratur.*

28 INFERTVR VII. Nomina ſubſtantiva concreta de re abſoluta, ſolùm ſingulariter prædicari de tribus perſonis: adiectiva verò pluraliter de ijs enuntiari. Ita Sanct. Thom. 1. part. quæſt. 39. art. 3. Ratio eſt: quoniam nomina ſubſtantiva accipiunt vnitatem, aut pluralitatem à forma, quam ſignificant: adiectiva autem à ſubiecto, vel ſuppoſito, ad quod ſignificandum applicantur. Atqui vnica eſt forma ſive res abſoluta ſignificata in divinis per nomina concreta, ſubſtantiva: triplex autem ſuppoſitum. Ergo nomina concreta ſubſtantiva de re abſoluta, ſolùm poſſunt prædicari ſingulariter de tribus perſonis. Maior propoſita, in quâ ſolâ poſſet eſſe diſsidium, explicatur & probatur: quoniam nomina ſubſtantiva ſignificant formam, veluti exiſtentem per ſe, inſtar ſubſtantiæ: adiectiva autem è converſo, tanquam accidens quoddam, cuius eſt alteri adiacere. Subſtantia autem, ſicuti habet eſſe per ſe, ita & vnitatem: accidens verò, quemadmodum habet eſſe in ſubiecto, ita & vnitatem mutuat ab illo, ideoque mul-

tiplicatur iuxta multiplicationem ſubiecti. Ergo nomina ſubſtantiva concreta de re abſoluta verè ſolùm poſſunt prædicari ſingulariter de tribus perſonis, quarum forma ſubſtantialis eſt vna: adiectiva autem pluraliter, ob pluralitatem quaſi ſubiectorum, id eſt, ſuppoſitorum.

29 HINC Vera & Catholica eſt hæc propoſitio: *Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, ſunt vnus Deus*: quoniam nomen *Deus* eſt ſubſtantivum concretum de re abſoluta, ſive Deitate, quæ in tribus perſonis eſt vnica. Vnde eam loquendi formulam non ſolùm SS. Patres probârunt, ſed & Eccleſia in ſolemnibus Litanijs præſcripſit, quibus dicimus: *ſancta Trinitas vnus Deus, miſerere nobis.* Nec refert, quòd ea locutio diſplicuerit Luthero, & Calvivo in Epiſt. ad Polin pag. 687. Tract. Theol. quos propterea eruditè refellit ex Noſtris doctiſsimus Genebrardus, & præterea pijſsimus Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Chriſto c. 17. Similiter Laurentium Danæum Genevenſem Theologaſtrum eidem formulæ adverſantem, ſolida ac ſolita eruditione impugnat Petavius lib. 8. de Trinitate cap. 8. de Trinitate cap 8. Præterea, & ob eandem rationem veræ ſunt iſtæ: *Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, ſunt vnus Creator, vnus Dominus, vnus ſapiens, vnus æternus, omnipotens, immenſus.* Nimirum, forma abſoluta eſt in ijs propoſitionibus, & vnica in tribus perſonis. Ex eodem capite vera eſt hæc: *Pater, & Filius ſunt vnus ſpirator, ſive, vnum principium Spiritus ſancti*: quoniam virtus ſpirandi in ambobus eſt vnica. E contrà verò eadem prædicata adiectivè ſignificata enuntiãtur pluraliter in divinis. Ideoque veræ cenſentur iſtæ propoſitiones iuxta Scholaſticos cum D. Thom. 1. p. q. 39. artic. *Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, ſunt tres diuini: tres habentes Deitatem: tres creantes: tres ſapientes: tres æterni: tres immenſi: duo ſpirantes.* Neque obſtat quòd in Symbolo Athanaſij dicatur: *Non tres increati, nec tres immenſi: ſed vnus increatus, & vnus immenſus.* Reſpondetur enim, Athanaſium ijs verbis accipere ea adiectiva nomina, non adiectivè, ſed ſubſtantivè pro forma, quam vtcumque ſignificant. Vnde & in numero plurali dixit de eiſdem perſonis divinis: *Coæternæ ſibi ſunt, & coæquales.* Ex eâdem lege adiectivorum oritur, vt verè dicatur: *Pater, & Filius & Spiritus ſanctus, intelligunt, amant, volunt, creant, miſerentur, puniunt.* Sed de intellectu eorum verborum Symboli latiùs in progreſſu.

(1)

SECTIO IV.

Secunda Regula. Qualiter vti debeamus nominibus ſignificantibus vnitatem eſſentiæ, & pluralitatem perſonarum.

30 SECVNDO Maximè curandum eſt, vt vtamur nominibus impoſitis ad ſignificandam vnitatem eſſentiæ, diſtinctionemque perſonarum, ita vt nec voces ſignificantes pluralitatem referantur ad eſſentiã, nec ſignificantes vnitatem referantur ad perſonas. Totum id colligitur ex ipſa doctrina fidei Catholicæ ſtatuta n. 19. & mediâ inter errores Arij ac Sabellij, & traditur ab Anſelmo lib. de Incarn. Verbi cap 3. & D. Thom. 1. p q 30. articul. 3. Vnde falſæ ſunt iſtæ propoſitiones: *Deus eſt ter Deus: Deus eſt geminus Deus: Deus eſt ter vnum: Deus eſt tria.* Hæ autem ſunt veræ: *Deus eſt ter vnus: Deus eſt trinus: Deus eſt tres: Deus eſt Trinitas: Deus eſt trium.* Ratio eſt, quia in ijs prior numerus refert immediatè eſſentiam, poſterior autem perſonas. Cæterum vt omne periculum errandi, adhuc in modo loquendi, caveatur, conſultius erit, ſi quoties additur numerus, referatur explicitè ad perſonas: veluti dicendo: *Deus eſt trinus in perſonis: Deus eſt tres perſonæ: Deus eſt ter vnus in perſonis.*

PORRO, Vt obſervat ipſe Doctor Angelicus eo loco, numerus, quem tribuimus Deo, non eſt prædicamentalis, qui inter ſpecies quantitatis cenſetur; ſed tranſcendens, qui ſupra entitates numeratorum addit dumtaxat indiviſionem ſingularum vnitatum in ſe ipſis: cæterum diviſionem vnius ab alia non affert, niſi ſecundùm quid, & incompletè. Ratio eſt: quia quælibet vnitas perſonæ divinæ non eſt perfectè diſcreta ab vnitate alterius perſonę, propter identitatem in eâdem numero natura: ac proinde non eſt in perſonis divinis numerus ſimpliciter completus, defectu integræ diviſionis, ſed ſecundùm quid & incompletus. Adhuc tamen hoc nomen *Trinitas*, quod numerum importat, convenienter à Patribus accommodatum fuit ad hoc myſterium ſignificandum: quoniam vt obſervat Magiſter in 1. diſt. 24. fine, ex Iſidoro, Trinitas dicitur, quaſi *trium vnitas.* Quare translatum ad divina non ſolùm ſignificat numerum perſonarum, ſed & vnitatem eſſentiæ, quamvis illum directè, & de formali; hanc verò de materiali & in obliquo. Vnde quoties dicimus, *Vnitas in Trinitate*, aut etiam *Trinitas in vnitate*, id ipſum exprimimus, quod implicitè ſignificatur per nomen *Trinitas.* Propterea eſt nomen proprium Dei: cùm in nulla re creata aut creabili poſsit evenire, vt duo, tria, aut plura, diſtinguantur verè atque in-

invicem ſecundùm prædicata ſibi propria, & tamen habeant vnitatem, in eâdem numero eſſentia; qualem eſſe in tribus perſonis denotat nomen *Trinitas*. Quod quidem aliquam analogiam habet cum nomine collectivo quatenus ſignificat plura per modum vnius: differt tamen ab illo, quoniam ſignificat ſummam vnitatem eſſentiæ, quam non exprimit nomen collectivum, ſed ſolam vnitatem ordinis. Vnde in Cõcilio Lateranenſi ſub Innocentio III. damnatus fuit error communiter adſcriptus Ioachimo Abbati, veluti ponenti ſolam vnitatem collectivam in divinis perſonis quoad eſſentiam; cùm verè illa ſit ſumma, & in eâdem numero natura.

31 HINC Colliges, has propoſitiones eſſe falſas: *Deitas eſt trina: Trinitas eſt trina*: quoniam in priore illarum triplicatur Deitas; in poſteriore Trinitas, quaſi vſque ad enneadem excurrat, ſintque proinde tres perſonarum Trinitates. Neque obeſt, ſi opponas illud ab Eccleſia cantari ſolitum in Hymno ad Matutinum in Feſto Corporis Chriſti: *Te trina Deitas*. Non, inquam, obeſt. nam ſtatim ſubditur: *Vnaque poſcimus*. Vbi vox *Vna* moderatur vocem *Trina*, vt hæc ſolùm ſignificet pluralitatem in perſonis, illa verò vnitatem in eſſentia. Hæ autem propoſitiones ſunt veræ. *Vnitas eſt trina: Deus eſt trinus*. Priorem earum probat Auguſtinus lib. Meditat. cap. 30. dum inquit: *O Vna Trinitas, & trina Vnitas Deus*. Ratio autem cur ea locutio admitti poſſit, eſt, quoniam nomen *Vnitas* non ſolùm eſt aptum ad ſignificandum vnitatem eſſentiæ, ſed etiam vniuſcuiuſque perſonæ: nam quælibet ex tribus habet ſuam propriam vnitatem relativam. Quare iuxta hanc dici poteſt in divinis *Vnitas trina*, ſive triplex. Ratio verò vt dici poſsit *Deus trinus*, non autem *Deitas trina*, in eo ſita eſt, quòd nomen *Deus* ex modo ſignificandi accipitur etiam pro perſonis, Deitas verò ſolùm pro eſſentia. Quare vox *trinus* poteſt Deo adaptari, non autem Deitati vox *trina*, niſi addatur aliquid ſignificans vnitatem eſſentiæ: vt fit in illo Hymno. Cæterum licèt rectè dicatur *Deus trinus*, non tamen dici poteſt *Deus triplex*: vt obſervat idem Auguſtinus lib. 6. de Trinitat. cap. 7. & cautum poſtea fuit in Concilio Toletano XI. in Confeſsione Fidei. Ratio eſt: quia ex vſu communi Patrum & Theologorum, nomina *Trinitas*, & *Trinus*, accommodata fuerunt ad ſignificandum indiviſim numerum trium perſonarum, & vnitatẽ eſſentiæ: nomen autem *triplex* non ſic ab iis vſurpatum fuit, nec vſu receptum. Licebit autem eo vti addendo explicitè aliquid, quod referatur ad perſonas: ideoque veræ ſunt iſtæ propoſitiones: *In Deo eſt triplex perſona: itemque multiplex relatio, ac notio*. Quo eodem ſenſu dixit Auguſtinus lib. Medit. cap. 30. *Tu verò Vnitas es diuinitatis, perſonarum pluralitate multiplex*. At non propterea, ne cum addito quidem, concedendum eſt in Deo *triplex Numen*, aut etiam *triforme*: quoniã ratio Numinis, & formæ, ſemper ſupra eſſentiam cadit, quæ in divinis eſt vnica. Si verò in ordine ad effecta creata ſit ſermo de Deo, poteſt ipſi quoddammodo adaptari nomen plurale iuxta effectorum varietatem. Quo ſenſu Eccleſia in Hymno ad Veſperas Pentecoſtes accinit: *Tu ſeptiformis Spiritus*. Nimirum, quoniam ſeptem ſunt formæ, ſive ſpecies donorum, quæ Spiritus ſanctus largitur & efficit in animis iuſtorum.

SECTIO V.

Tertia Regula. Quomodo prædicata diuina, tum notionalia, tum eſſentialia, poſsint prædicari de eſſentialibus aut notionalibus, in abſtracto, aut in concreto.

32 TERTIO Obſervare oportet, notionalia, ſeu propria perſonarum, poſſe rectè prædicari de eſſentialibus in concreto: quoniam, vt tradit S. Thom. 1. p. q. 39. art. 4. nomen eſſentiale concretum ex modo ſignificandi accipitur pro perſona, cùm ſignificet Deitatẽ, prout in habente illam: ac proinde notionalia, ſeu propria perſonarum, poſſunt prædicari de nominibus eſſentialibus in concreto ſumptis quamvis non in quolibet ſuppoſito determinato. Sic etiam vox *homo*, quæ ſignificat humanitatem in habente, ſupponit pro individuis naturæ humanæ, quamvis non pro quolibet eorum determinatè.

33 HINC Colliges, has propoſitiones affirmantes eſſe veras: *Deus generat: Deus generatur: Hic æternus ſpirat. Hic immenſus ſpiratur: Deus refertur ad Deum: Deus relatiuè opponitur Deo*. Ratio eſt: quia, vt nuper diximus, nomina illa *Deus, æternus immenſus*, ex parte ſubiecti, ſunt concreta, quæ applicant ſignificationem ſupra ſuppoſitum aliquod, cui verè ea actio, aut quaſi paſſio convenit. Neque vt propoſitio affirmans ſit vera, opus eſt, vt vniverſè conveniat ſubiecto ſecundùm omnia, in quibus ſubiectum invenitur: ſed ſatis eſt, vt conveniat ipſi, prout in aliquo ſuppoſito. Falſæ autem è contra ſunt iſtæ propoſitiones negantes: *Deus non generat: Deus non generatur: Hic æternus nõ ſpirat: Hic immenſus non ſpiratur: Deus non refertur ad Deum: Deus non opponitur relatiuè Deo*. Ratio eſt contraria quoddamodo

præ-

præcedenti: quoniam vt propoſitio negans ſit vera, ſecundùm nullum ſuppoſitum debet prædicatum convenire ſubiecto, cùm negatio, vt aiunt Dialectici, ſit malignantis naturæ, omnia, quæ poſt ſe invenit, deſtruens. Atqui prædicata generandi, & ſpirandi, &c. conveniunt Deo in aliquo ſuppoſito, quamvis non in omni. Ergo propoſitiones vniversè id negantes de Deo non ſunt veræ, ſed falſæ. Sic certè ſi per miraculum poneretur Socrates in duplici loco, & ſolùm in altero eorum ſcriberet, falſa eſſet propoſitio hæc: *Socrates non ſcribit*: quoniam vniversè prolata ſignificaret, eum in nullo loco ſcribere. Sic etiam falſa eſt hæc: *Filius Dei non eſt mortuus*: quia abſolutè prolata negat de Filio Dei mortuum fuiſſe ſecundùm vnamquamque ex duabus natutis: licèt verè ſecundùm alteram earum mortuus fuerit. Aliqui tamen ex Scholaſticis cum Durando in 1. diſt. 4. quæſt. 2. num. 13. exiſtimant non minùs veram eſſe, quantum eſt ex vi ſignificationis, hanc propoſitionem, *Deus non generat*, quàm illam, *Deus generat*: quamvis addant, priorem ex ijs non eſſe concedendam, idque propter auctoritatem Patrum. Reijciuntur tamen: tum ob rationem iam indicatam ex malignitate negationis: tum etiam, quia iuxta illorum opinionem pariter ex vi ſignificationis veræ eſſent hæ propoſitiones: *Deus non eſt Pater*: *Deus non eſt Filius*: vtpotè quæ prolatæ de aliquo divino ſuppoſito, nimirum, de Spiritu ſancto, ſunt veræ. Conſequens autē autem abſurdum eſſe patet: quoniam ex communi omnium ſenſu cenſetur in ijs vniversè negari de Deo eſſe Patrem, ac Filium. Ergo pariter falſa cenſeri debet illa propoſitio, *Deus non generat*, ob eandem rationem.

34 COLLIGES II. Eſſentialia, ſive communia, vrgentiori ratione prædicari de nominibus eſſentialibus concretis: quoniam per hoc vt in concreto accipiantur, non amittunt id quod eſt eſſentiale & commune omnibus perſonis. Vnde propoſitiones iſtæ ſunt veræ: *Deus intelligit*: *Deus amat*: *Deus creat*. Similiter verè prædicantur de nominibus quibuſvis notionalibus in concreto: vt in his propoſitionibus: *Pater intelligit*: *Filius amat*: *Spiritus ſanctus creat*. Nulla enim perſona exuit id, quod eſt commune tribus, nec importat aliquid proprium cuiuſquam.

35 CÆTERVM Nulla actio, ſive notionalis, ſive eſſentialis, per verbum exercitum ſignificata, prædicari poteſt de nominibus eſſentialibus, aut etiam perſonalibus, abſtractè ſumptis, niſi talis actio procedat ab eo principio in ſenſu formali. Fundamentum deſumitur ex principio illo apud Dialecticos communi: *Omnia verba, excepto ſubſtantivo, Sum, Es, Fui, ſunt adiectiua; & applicata ſubiecto, reddunt ſenſum formalē*. Quapropter falſæ ſunt iſtæ propoſitiones: *Deitas generat*: *Eſſentia refertur*: *Intellectus ſpirat*: *Voluntas generat*: *Immenſitas intelligit*: *Immutabilitas amat*: *Miſericordia punit*: *Iuſtitia miſeretur* Nimirum, actiones eiuſmodi prædicantur de ſubiectis in abſtracto, ac proinde in ſenſu formali, cùm tamen ijs non conveniant, niſi in materiali, ſeu identico. Idque dici debet, non ſolùm in opinione Scoti diſtinguentis in divinis abſtracta à concretis diſtinctione formali ex natura rei; neć ſolùm iuxta ſententiam, quæ admittit præciſiones obiectivas in divinis: ſed etaam in oppoſitâ illas negante, quam latè ſtatuimus Tomo I. Diſput. XXXII per totam. Vt enim ibi diximus n. 54. quamvis vnica ſit formalitas obiectiva eſſentię divinæ comparatæ ad attributa & relationes, ex ijs omnibus indiviſim coaleſcens, adhuc tamen eſt locus abſtractioni formali, in qua non conſideratur quid res habeat, ſed quid ſe habeat per ſe & explicitè ad aliquam actionem, vel functionem, cæteris de materiali ſe habentibus. quod patet in vero, & bono, & ente: quæ non ſubeunt obiectivam præciſionem, & tamē primum ex ijs in ſenſu formali ſolùm ſpectat ad intellectum, ſecundum ad voluntatem; tertium verò ſolùm exprimitur per ordinem ad exiſtendum. E contrà autem veræ ſunt iſtæ: *Intellectus intelligit*: *Voluntas vult*: *Omnipotentia creat*: *Providentia gubernat*: *Bonitas benefacit*. Nimirum, in ijs, prædicatum enuntiatur de ſubiecto in abſtracto, & vt habente rationem principij earum functionum in ſenſu formali.

36 INDIDEM Colligitur, falſam eſſe hanc propoſitionem: *Deitas generatur*; quoniam ſicut *generare* importat principium non ſolùm communicans naturam, ſed etiam producens perſonam; ita etiam generari, præter paſsivam communicationem naturæ, importat productionem termini geniti. Deitas autem, ſeu divina natura, nullo vero ſenſu producitur in Filio, adhuc per accidens, vt monet D. Thom. 1 p. q. 39. art. 5. ad 2. quoniam generari per accidens, nihil aliud eſt, quàm naturam accipere eſſe vi generationis directè terminatæ ad ſolam perſonam, quod alioqui non haberet. Patet verò, Deitatem non accipere eſſe vi generationis directè terminatæ ad ſolam perſonam Filij: cùm potiùs pro priori ad illam intelligatur, veluti principium *quo* ipſius generationis. Itaque non licet dicere: *Natura diuina, prout eſt in Filio, generatur*: quoniam illa ex vi generationis Filij non accipit eſſe, ſed potiùs communicat illud, & præſtat, vt ipſum *eſſe* improductum, quod habe-

bebat in Patre, sit commune per identitatem Filio.

37 DICES: Ergo non totus Filius gignitur: siquidem non producitur natura ipsius, sed solùm personalitas, sive relatio, quâ constat. RESP. negando consequentiam: quia licèt totus Filius constet naturâ & personalitate indivisim, atque ex ijs duabus natura non producatur, adhuc dici debet totum Filium generari: quoniam esse genitum in divinis accipi debet sensu perfectissimo, ac proinde sublimiori, quam in creatis: ubi ratione imperfectionis, non solùm producitur suppositum, sive suppositalitas viventis, verùm etiam natura ipsa: utpotè limitata, & proinde distincta numero à natura generantis intra eandem speciē. E contrà verò in divina ac perfectissima generatione, eadem numero natura generantis communicatur genito: ideoque vt Filius totus dicatur perfectissimè generari, non est opus vt natura producatur, vel accipiat esse per generationem, sed sat est, si personalitas Filij verè producatur, sivé accipiat esse per generationē, quæ communicet ipsi naturam. Ad vitandam verò æquivocationem, & periculum errandi, dici potest, totum Filium, vt Filium, sive vt personam, generari: vt naturam verò, non generari: quoniam Deitas, nec generat, nec generatur: vt definitum legitur absolutè in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. & habetur in cap. Damnamus de Summa Trinit. & Fide Catholica.

38 PRÆTEREA. Quælibet actio, sive essentialis, sive notionalis, significata per nomen aut verbum in actu signato dumtaxat, prædicari potest verè de qualibet perfectione divina concretè aut abstractè accepta. Ratio est: quia non propterea significatur per modum adiectivi, sed substantivi: ac proinde non importat sensum formalem, sed identicum, qui solam exigit identitatem realem prædicati cum subiecto. Vnde veræ sunt hæ propositiones: *Deitas est generatio: Deitas est spiratio: Deitas est relatio. Intellectus est amor: Voluntas est scientia: Paternitas est generatio: Filiatio est natiuitas: Deitas est Pater, Filius, & Spiritus sanctus: Deitas est paternitas, filiatio, spiratio, sapientia, amor.* Nimirum, in ijs omnibus est vera identitas prædicati cū subiecto, quam solam exigit veritas affirmationis in sensu identico, seu materiali, quo solo illæ proferuntur.

39 E Converso autem, perfectiones divinæ, prout exprimentes in suo proprio munere aliquam secundam intentionem, nequeunt mutuò prædicari: quia licèt entitas illarum sit vna, secunda tamen intentio est diversa: ac proinde nequeunt mutuò prædicari: quia licèt entitas illarum sit vna, secunda tamen intentio est diversa: ac proinde nequit vna verè in sensu formali prædicari de alia. Vnde falsæ sunt hæ propositiones: *Attributum iustitiæ est attributum misericordiæ: Attributum immensitatis est attributum omnipotentiæ. Notio paternitatis est notio spirationis activæ aut hæc notio filiationis.* Nimirū, formalis ratio attributi, & notionis attenditur, non secundùm meram entitatem substrati, quæ est eadem in ijs prædicatis divinis, sed secundùm expressam functionem aut secundam intentionem, quæ in singulis eorum est propria, & ab alijs diversa.

SECTIO VI.

Quarta Regula. De propositionibus importantibus habitudinem principij productiui, aut causæ vel quasi causæ formalis, qualiter vsurpandæ sint in mysterio Trinitatis.

40 QVARTO Obseruandum est, propositiones significantes habitudinē termini ad principium productivum, non posse tribui, nisi solis ijs personis, quæ procedunt, idque relativè ad suum principium, à quo producuntur. Ita omnes Scholastici cùm Magistro in 1. distinct. 5. & D. Thomas 1. p. q. 41. art. 3. Ratio verò est desumpta ex Anselmo suprà cap. 5. & infrà Opusculo III. statuente, veluti principium lumine naturæ notum, nihil posse esse principium sui ipsius, sed dumtaxat alterius à se distincti. Vnde falsæ sunt istæ propositiones: *Deitas est ex deitate: Essentia est ab essentia: Sapientia est à sapientia.* Nimirum, præpositiones, *à, ab, ex*, important originem, quæ repugnat deitati, essentiæ, & sapientiæ à se ipsa. Quare sicubi à Patribus aliqua eorum propositionum legitur, accipi debet in concreto, vt sensus sit, *Deus est ex Deo: Sapiens à sapiente, &c.* Similiter falsæ sunt istæ: *Pater est de Filio: Filius est ex Spiritu sancto, aut de substantia Spiritus sancti.* Nimirum, præpositiones *de* & *ex* important habitudinem ad principium producens: quale non est Filius relatè ad Patrem, nec Spiritus sanctus relatè ad Filium. E contrà verò hæ sunt veræ, & formales: *Filius est à Patre: Filius est de substantia Patris. Filius nascitur ex Patre. Spiritus sanctus est ex Patre & Filio, siue de substantia Patris & Filij.* Scilicet, in ijs propositiones, *à, ex, de*, exprimuntur in termino relatè ad principium producens.

41 MONENT Autem Theologi, quamvis præpositiones, *ab, de, ex*, importent ha-

habitudinem termini ad principium producens, adhuc eſſe diſcrimen inter illos. Etenim *ab* ſolùm exprimit habitudinẽ termini ad principium activum. *De* autem ſignificat τὸ ὁμοούσιον, id eſt, conſubſtantialitatem termini cum principio activo producẽte. *Ex* denique indifferens eſt ad exprimendam habitudinem ad principium activum, aut materiale, vel terminum ex quo aliquid ſit. Quòd ſi principium activum ſignificatum per *ex* ſit efficiens, excludit conſubſtantialitatem termini & principij producentis. Hoc ſenſu dum creaturæ dicuntur *ex Deo* procedere, ſignificatur entitas & eſſentia earum creata, ac prorſus alia à ſubſtantia divina. Quod optimè expoſuit Anſelmus ſuprà cap 6. probans, vniverſitatem rerum non habuiſſe ortum ex Deo, τὸ *ex* ſignificante habitudinẽ cauſæ materialis, ſed efficientis, quæ omnia creata, cuiuſcumque generis ſint, *ſola per ſe ipſam produxit ex nihilo.* His enim verbis concludit id caput. Productio autem rei ex nihilo opponitur conſubſtantialitati principij producentis & termini. Ideoque Patres Concilij Niceni in ipſo Fidei Symbolo damnârunt hæreſim Arianorum aientium, Filium factum fuiſſe ἐξ οὐκ ὄντων, id eſt, *ex non entibus*, ſive ex nihilo, proindeque eripientium ipſi vnitatem ſubſtantiæ cum Patre. Eadem autem eſt ratio de Spiritu ſancto relatè ad Patrem & Filium. Itaque ſi principium activum ſignificatum per *ex* ſit efficiens, non habet locum in perſona aliqua divina relatè ad aliam; quippe quarum nulla eſt facta, neć ex nihilo producta, ſed aliqua genita, aliqua ſpirata; & quidem vtraque ἐκ τῆς οὐσίας, *ex ſubſtantia* principij ipſius producentis, vt in eodem Symbolo exprimitur. Creaturæ autem, licèt dicantur *ex Deo* procedere, non tamen ex *ſubſtantia Dei*, nec etiam *de Deo*: quoniam, vt dicebamus, τὸ *de* ex communi Catholicorum ſenſu ſignificat identitatem & vnitatem omnimodam ſubſtantiæ, quæ repugnat creaturis cum Deo collatis.

42 VNDE Infertur, omne quod eſt *de aliquo*, etiam procedere *ex illo*; non autem è contrà. Prior pars conſtat: Quia omne quod eſt *de aliquo*, comparatur ad illud, veluti ad principium conſubſtantiale: quælibet autem res ortum ducit *ex principio ſuo*, vt lumine naturæ notum eſt. Quare quod Patres, tum Nicæni, tum Conſtantinopolitani in Symbolo, expreſſerunt de Filio Dei per præpoſitionem ἐκ, dicentes, Θεὸν ἐκ Θεοῦ, φῶς ἐκ φωτός, id eſt, *Deum ex Deo, lumen ex lumine*: Latini Patres, & ipſa Eccleſia Romana, in Symbolo Latino Miſſæ, declarant per propoſitionem *de*, dum aiunt, *Deum de Deo, lumen de lumine.* Quare Anſelmus infrà Opuſculo III. paſſim, ſed præcipuè capite 5. & ſequent. vtitur præpoſitione *de* ad exprimendum proceſsionem æternam Filij ex Patre, & Spiritus ſancti ex vtroque. Poſterior autem pars ſuadetur: quia omnes creaturæ ſunt *ex Deo*, nec tamen aliqua illarum *de Deo* eſt, quoniam nulla eſt Deo conſubſtantialis, vt ſuprà dicebamus. Ergo non omne quod eſt *ex aliquo*, eſt etiam *de illo*. Ideoque Auguſtinus lib. de Natura Boni cap. 26. inquit: *Quod de ipſo eſt, poteſt dici ex ipſo: non autem omne quod ex ipſo eſt, rectè dicitur de ipſo.* Quoniam, ſcilicet, non omne quod eſt ex aliquo, eſt illi conſubſtantiale. Quod exigebatur, vt diceretur propriè eſſe de illo, iuxta ſtylum Patrum & Theologorum.

43 ITAQVE Præpoſitio *de* duo exigit omnino, alterum vt aliquid procedat ab eo *de quo* eſſe dicitur: alterum vt ſit ipſi conſubſtantiale. Defectu prioris conditionis ſunt falſæ hæ propoſitiones: *Pater eſt de natura diuina: Tres perſonæ ſunt de ſubſtantia diuina.* Quidquid in oppoſitum dicat Vazquez 1. part. diſp. 162. cap. 1. fine: cui contradicunt reliqui Theologi cum Magiſtro in 1. diſtinct. 5. & D. Thomâ 1. part. quæſt. 41. cap. 3. docentes, particulam *de* propriè acceptam ſemper importare habitudinem termini ad principium productivum ipſius. Patet verò, eſſentiam divinam non eſſe principium productivum Patris, ac ſubinde nec trium perſonarum. Non ergo aut Pater, aut tres perſonæ, propriè dici poſſunt eſſe *de natura diuina.* Nec debent id cohærenter dicere, etiam ij qui aiunt, naturam divinam eſſe principium formale *quo* producendi perſonas. Quamvis enim teneantur dicere, Filium eſſe de ſubſtantia Patris, & Spiritum ſanctum de ſubſtantia vtriuſque, immo id dicant propriè & Catholicè; non propterea debent dicere, Patrem eſſe de ſubſtantia divina: tùm natura Dei in nullo vero ſenſu ſit principium formale *quo* productivum perſonæ Patris, vtpotè ingeniti & improducti omnino. Quare hallucinatus fuit Amicus Tomo II. diſput. 30. num. 64. dum eos Auctores notat inconſequentiæ, quæ certè nulla eſt in ipſorum doctrina.

44 OPPONVNT Auguſtinum lib. 7. de Trinit. cap. 6. vbi ait: *Tres perſonas eiuſdem eſſentiæ, vel tres perſonas vnam eſſentiam dicimus: tres autem perſonas ex eadem eſſentia non dicimus, quaſi aliud ibi ſit quod eſſentia eſt, aliud quod perſona.* Vbi Auguſtinus negat tres perſonas eſſe ex eâdẽ eſſentia. RESP. teſtimoniũ id nullatenus opponi nec doctrinæ, quam nuper tradebamus, nec opinioni iam indicatæ eorum Auctorum. Non priori: quia nos etiam dicimus, non poſſe pro-

propriè tres perſonas dici *eſſe de natura diuina*: quoniam non omnes perſonæ diuinæ, ſed duæ tantùm, important habitudinem ad principium productiuum. Vt autem propoſitio illa eſſet vera de tribus perſonis, omnes & ſingulæ deberent procedere ab aliquo principio naturâ diuinâ prædito. Non etiam poſteriori: quia aſſerentes, naturam diuinam eſſe principium formale *quo* productionis, pariter reſpondent eâdem ſolutione. Quamvis enim natura diuina ſit principium formale *quo* productionis Filij & Spiritus ſancti, ac proinde vterque eorum dici poſſit eſſe *ex natura diuina*, vel, *de natura diuina*; non tamen tres perſonæ. Non enim illa eſt principium formale *quo* ad producendum Patrem, qui omnino improductus eſt. Ergo neque tres perſonæ dici poſſunt eſſe *ex natura diuina*, vel *de natura diuina*. Et hactenus quidem de præpoſitionibus importantibus habitudinem ad principium productiuum.

45 SI Autem loquamur de præpoſitionibus, quæ important habitudinẽ ad principium formale, aut quaſi formale (quales cenſentur, *in*, & *per*) poſſunt illæ tribui quibuſlibet, tam notionalibus, quàm eſſentialibus, in ordine ad quamlibet diuinam perfectionem. Ita colligitur ex Scholaſticis cum Magiſtro in 1. diſt. 19. & 33. ac D. Thomâ 1. p. quæſt. 42. art. 5. Ratio verò eſt: quoniam licèt habitudo cauſæ formalis ſtrictè loquendo importet formã informantem & ſubiectum recipiens, ideoque non habeat locum in Deo; principium tamen quaſi formale, & ab omni imperfectione depuratum, non importat, niſi conſtitutionem alicuius diſtincti ſolùm virtualiter, cui per identitatem forma aliqua tribuit ſuam propriam rationem. Hoc autem verificatur tam in notionalibus, quàm in eſſentialibus, prout afficiuntur præpoſitione aliqua ſignificante habitudinem principij quaſi formalis in ordine ad quamlibet perfectionem divinam, virtualiter ab ijs diſtinctam. Hæc enim habet conſtituere ſubiectum, aut quaſi ſubiectum, virtualiter ab ea diſtinctum. Vnde veræ ſunt iſtæ propoſitiones: *Natura eſt in Patre, Filio, & Spiritu ſancto: Deitas eſt in Deo: Pater eſt in Deitate: Deitas eſt in paternitate: Omnipotentia eſt in filiatione: Filiatio eſt in omnipotentia: Omnes perſonæ ſunt in Deo: Deus eſt in omnibus perſonis: Deus eſt in Deo.* Quippe hanc poſtremam concedit Hilarius lib. 5. de Trinit. fine, & cum eo S. Thomas loco nuper indicato. Similiter & iſtæ ſunt veræ ac formales: *Deus punit per iuſtitiam: Pater benefacit per bonitatem: Filius indulget per miſericordiam: Spiritus ſanctus gubernat per prouidentiam.* Nimirum, in his poſterioribus præpoſitio *per* ſignificat habitudinem principij quaſi formalis, ſicut in illis prioribus præpoſitio *in*. In vtriſque autem, ac ſingulis earum, quælibet perfectio divina, & generatim quodlibet prædicatum Dei, ex ratione entis à ſe intimè clauſâ habet identitatem quidditativam cum omni alio divino prædicato non oppoſito ſibi relativè: ac proinde vnum de alio verè enuntiare poteſt, & conſtitui formaliter per illud ſub hac vel illa ratione.

49 HVC Spectare videbatur diſcuſſio illarum propoſitionum: *Pater eſt in Filio: Filius eſt in Patre: Spiritus ſanctus in Patre & Filio*: itemque illarum: *Paternitas eſt in filiatione: Filiatio in paternitate: Spiratio paſſiua in paternitate, & filiatione.* Verùm id ſpectat ad περιχώρησιν, ſeu circuminſeſſionem divinarum perſonarum: de qua in progreſſu ex inſtituto. Nunc obiter ſufficiat dicere, priores ex ijs propoſitionibus eſſe veras, & Catholicas, iuxta ſacras litteras & Patres. De poſterioribus non æquè conſtat, quamvis ſatis frequenter à Scholaſticis proferantur. Vide interim Suarez lib. 4. de Trinit. cap. 16. Ruiz diſp. 107. Amicum diſp. 26. à num. 70. Certè eam incluſionem vnius perſonæ in alia, ſimiliterque præcipuam doctrinam tota ferè Diſputatione hac traditam, complexus eſt Anſelmus infrà cap. 41. & rurſus cap. 43. vbi inquit: *Sic enim diuerſum per hoc, quòd alter eſt Pater, & alter Filius, vt nunquam dicatur, aut Pater Filius, aut Filius Pater: & ſic idem ſunt per ſubſtantiam, vt ſemper ſit in Patre eſſentia Filij, & in Filio eſſentia Patris. Eſt enim non diuerſa, ſed eadem, non plures, ſed vna vtriuſque eſſentia, &c.*

(·?·)

(?)

DISPVTATIO LVII.

AN IN DIVINVS NON SOLVM PATER, SED FILIVS, ET SPIRITVS SANCTVS, ſint veræ & ſubſiſtentes perſonæ.

AD REVERENDISS. ET SAPIENTISS. P. M. Fr. IOSEPHVM ROMERO, Salmanticenſis Academiæ Cancellarium, Primarium Theologiæ Anteceſſorem Emeritum, eiuſdem Facultatis Decanum: Ordinis SS. TRINITATIS ſemel & iterum Provincialem: Virum nobilitate, doctrina, comitate, regimine, & antiquitate ipſa toti Hiſpaniæ ſpectabilem, & veneratione digniſsimum.

OMNES Qui Sacram Scripturam admittunt, quamquam alioqui deſipiant, & tenebris errorum fidei Catholicæ adverſantium ſepulti ſint, profitentur, Deum illum immenſum & incomprehenſibilem, quem Scriptura prædicat factorem cœli & naturæ, ac ratio ipſa naturalis demonſtrat ex effectis, eſſe veram & ſubſiſtentem perſonam. Similiter fatentur, illum eſſe & dici Patrem cuiuſpiam ſingularis atque vnigeniti Filij, quem Scriptura appellat Verbum eiuſdem Patris. Denique agnoſcunt quendam Spiritum eorundem Patris Filiſque, qui eo Spiritus vocabulo ſpeciatim in variis vtriuſque Teſtamenti locis nominatur. Diſsidium itaque cum ijs infidelibus eſt, an quemadmodum Pater, ita Filius, & Spiritus ſanctus, ſint perſonæ ſubſiſtentes. Nomine autem perſonæ apud Latinos, ſicuti & τὸ πρόσωπον apud Græcos, nihil aliud accipitur, quàm ſubſtantia intelligens, & individua, ſeu incommunicabilis. Sic enim illam exponunt inter Græcos Iuſtinus, Athanaſius, Nazianzenus, alijque; & ex Latinis Tertullianus, Cyprianus, Lactantius, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, & Boetius: cuius illa perſonæ definitio in libro de duabus naturis vbique circumfertur, vt ſit, rationalis naturæ individua ſubſtantia. *In quo & omnes Heterodoxi conveniunt, quamvis rem ipſam, ſeu perſonæ definitionem negent Filio aut Spiritu ſancto convenire.*

SECTIO I.

Statuitur Catholica ſententia affirmans; & nominatim de Filio, ſeu Verbo, eſſe perſonam ſubſiſtentem. Quinam ex hæreticis antiquis & recentibus id negaverint. Confutantur demonſtratione à Patribus erutâ ex Scriptura.

TOTIVS Eccleſiæ vox teſtata in quatuor primis & celeberrimis Concilijs Oecumenicis, Nicæno, Epheſino, Calcedonenſi, & Conſtantinopolitano, profitetur, numen increatum tribus perſonis ſubſiſtentibus contineri. nimirum, illo Patre, illo Verbo, ſeu Filio, & illo Spiritu ſancto, de quibus ſermo eſt in Scriptura: ac præterea, vnumquemque eorum eſſe verum & perfectum Deum, per eandem omnino eſſentiam tribus communem: ita, vt perſonæ ſint quidem diſtinctæ ſecundùm rem; eſſentia autem vnica & indiſtincta. Idipſum

ſum habetur dilucidè & perſpicuè in Symbolo S. Athanaſij, atque in ſcriptis Orthodoxorũ Patrum, & omnium Fidelium. Sed præterea in in medium proferre placet illuſtre teſtimoniũ Prochori, vnius à Diſcipulis Chriſti, qui, teſte Simeone Metaphraſte, & alijs, fuit ſocius & amanuenſis B. Ioannis Apoſtoli, huiuſque hiſtoriam ſcripſit, quam Latinè redditam edidit Laurentius de la Barra initio Hiſtoriæ Chriſtianæ VV. Patrum, Pariſijs apud Michaelem Sonnium anno M.D. LXXXIII. initio voluminis: & in fine capitis quinti, pag. 3. col. 2. ait Prochorus: *Ioannes docuit eos* (nimirum, quoſdam à mortuis ſuſcitatos apud Epheſum) *de Vna ſola diuinitate Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, quã deberent adorare, ET QVOD TRES HYPOSTASES SINT VNA SVBSTANTIA.*

3 PORRO Patrem verè perſonam eſſe, nullus veterum hæreticorum negâſſe invenitur, aut in dubium vocare auſus fuit, donec ſæculo præcedenti Valentinus Gentilis in ſuis Propoſitionibus dixit: *Pater non hypoſtaſis, ſeu perſona, ſed Spiritus, à quo omnia ſecundùm Apoſtolum.* Quibus verbis nihil inſipientius proferri potuit: cùm Spiritus ille, à quo omnia provenire dicuntur, planè ſit natura ſubſtantialis, intelligens, & individua, cui proinde conveniat tota ratio & definitio perſonæ. Inſuper ille ipſe Pater, & creator omnium, de ſe ipſo inquit ad Moyſem Exodi 3. *EGO SVM, QVI SVM. Hæc dices filijs Iſrael: QVI EST, miſsit me ad vos.* Vbi planè ſibi nomen tribuit potiſsimum ab exiſtendo, nec vtcumque, ſed per ſeipſum, ſive à ſeipſo. Quod latè explicuimus Tomo I. Diſp. XXIV. ſect. 2. Omne autem id, quod in rebus intelligentibus exiſtit per ſe, eſt planè perſona ſubſiſtens. Itaque ſolùm ex ſumma ignorantia, aut adipali errore, circa rationem propriam, ſeu definitionem perſonæ, potuit Valentinus negare, Patrem æternum eſſe perſonam.

4 SIMILITER Ex tot & tam varijs Hæreticis, quotquot Filij Dei divinitatem ſolidam olim impugnârunt, & ex ijs qui poſtea in illam debacchati ſunt, mirum eſt ſi quiſpiã inveniatur negâſſe, illum ipſum, quem Ioannes Evangeliſta diſertè Verbum Dei, & Filium appellat, eſſe perſonam. Neque intelligi vllo modo poteſt, verum Filium, atque Vnigenitum Patris ſummi, non perinde, ac ipſum, perſonam eſſe. Deinde idem Evangeliſta de illo inquit: *In principio erat Verbum*: ac præterea: *Omnia per ipſum facta ſunt.* Vbi palam tribuit Verbo, ſeu Filio Dei, eſſe ab æterno, & operari. Omne autem id quod in natura intellectuali habet vt ſit & operetur, eſt planè perſona ſubſiſtens. Denique, cùm ipſe Filius Dei, etiam iuxta hæreticos, ſit idem ac IESVS Chriſtus, qui certè fuit perſona ſubſiſtens & operans in rationali natura, nemo de Filio Dei id negare poteſt, niſi pugnantia & contradictoria ſimul tueri velit.

5 VENIAMVS Ad illos hæreticos, qui licèt faterentur, vnigenitum Dei Filium, ſive Chriſtum, eſſe perſonam ſubſiſtentem, negabant tamen id de Verbo illo, quod iuxta Ioannem erat apud Deum, & per quod omnia facta fuiſſe dicuntur. Porrò quidam Valentinus perantiquus hæreticus dixit, Filium Dei vnigenitum eſſe longè alium à Verbo Dei: vt teſtantur de illo S. Irenæus lib. 1. cap. 1. vbi immania portenta ab eo hæretico ficta commemorat, & Theodoretus, in Epitome divin. decret. de Filio. Idipſum poſtea effutivit Arius in libro, quem Θαλειαν inſcripſit, ac præterea illius ſectatores: vt ſcribit Athanaſius in Epiſt. de decretis Nicænæ Synodi, & in Oratione contra Arium de dicto, *Deus ex Deo, &c.* Subditque hæc Arij ipſius verba: *Multa Verba profert Deus. Quodnam igitur ex iſtis Verbis Filium & Verbum Vnigenitum Patris eſſe recipiemus?* Sabelliani quoque ante ipſum Arium negaverunt Verbum eſſe perſonam ſubſiſtentem, aſſerentes, illum eſſe meram ac ſimplicem quandam Dei conceptionem de carne induenda ſuo tempore, ſimilem conceptionibus, ſeu cogitationibus mentium noſtrarum. Ita enim teſtatur Athanaſius in Orat. cõtra Sabellij gregales, ac Baſilius in Sermone contra Sabellium, & Arium. Præterea Samoſateniani negarunt Verbum eſſe perſonam ipſam Filij vnigeniti Dei. Ita enim de ijs ſcribit Athanaſius in Oratione nuper laudata contra Arium: *Quidam ex diſcipulis Samoſatenſis* (nimirum Pauli Samoſateni, de quo nonnulla præmiſimus Diſp. LV. n. 34.) *diuidentes Verbum à Filio, dicunt, Filium eſſe Chriſtum: Verbum tamen, alium. Eiuſque occaſionem arripiunt ex Verbis Petri Actorum 13. dicentis: Verbum miſsit filijs Iſrael, pacem evangelizans per IESVM Chriſtum Hic eſt omnium Dominus. Aiunt enim, Verbum ita loquutum per Chriſtum, quemadmodum in Prophetis ſotet: ac proinde aliud Prophetam eſſe, aliud Dominum.* Epiphanius quoque Hæreſi 73. num. 42. teſtatur, Paulum ipſum Samoſatenum, & Marcellum Ancyranum negâſſe, Dei Filium, reipſa eſſe Filium, vel ſubſiſtens verbum. ſed ſermonem ex ore prodeuntem. Huc ſpectant quoddammodo hæretici quidam Alogiani dicti, quòd Logon, ſeu Verbum divinum è medio tollerent, teſte Auguſtino lib. de Hæreſibus cap. 30. vbi ait: *Alogiani propterea ſic dicti, quia Dominum Verbum recipere noluerunt, Ioannis Euange-*

ge-

gelium reſpicientes, cuius nec Apocalypſim accipiunt.

6 DENIQVE Poſt tot earum hæreſum monſtra iam penè extincta, Michael Servetus ſæculo præcedenti, quemadmodum Sabellianam impietatẽ ab Orco revocavit, ita etiam ſeiunxit Verbum à Filio Dei. Vnde lib. 2. de Trinit. cap. 47. dixit: *Temerarium eſt de Verbo, ſeu ſermone, facere Filium.* Ac præterea pag. 49. *Antiquior traditio per ſacramentum Verbi intelligit quandam in Deo diſpoſitionem, qua placitum eſt ei, arcanum voluntatis ſuæ nobis revelare.* Quaſi Verbum nõ ſit ipſe FiliusDei, ſed illa arcana diſpoſitio. Deinde reprehendit Orthodoxos, quatenus ex illo Ioannis, *Verbum erat apud Deum*, colligunt, Verbum eſſe perſonam diſtinctam à Patre. Ideoque ait: *Quem obſecro ſaporem habent iſta inſulſiſſima verba: Secunda illa res erat apud rem primam? Nam ſana Chriſti doctrina aliter intelligit, Verbum fuiſſe apud Deum: quia, ſcilicet, ſacramentum hoc erat ab initio reconditum in mente diuina, donec venit plenitudo temporis, & tunc manifeſtatum eſt.* Ac tandem pag. 79. concludit: *Neque oſtendere potes vnum iota, quo Verbum illud Filium appellavit Scriptura.*

7 SED Vt appareat quàm inſanè deliraverit præterea idem Servetus, ſubdit, poſtquam Verbum iſtud impletum fuit in myſterio Incarnationis, Chriſtum ipſum eſſe Verbum, etiam ſecundùm Humanitatem. Ait enim pag. 42. *Facto tranſitu de Verbo in carnem, caro dicitur Verbum.* Quod dupliciter exponit. Primo: quia *potuit Dei Verbum in carnis tranſire materiam.* Secundò: quoniam *poteſt etiam intelligi Verbum caro factum, ſecundùm quòd de Chriſto dicitur Deuteronomij 18. Ponam verba mea in ore eius, & in meo nomine loquetur. Propterea dicitur Sermo Patris, quia Patris mentem enuntiat, & eius cognitionem facit.* Itaque Servetus Chriſtum hominem vocat Verbum Patris, eo dumtaxat ſenſu, vt inſtar Verbi indicet mentem Patris. Non tamen concedit, illud Verbum quod erat in mente Dei, ſecundùm id *eſſe* quod habebat in mente divina, eſſe ipſam perſonam ſubſiſtentem Chriſti. Immo & lib. 3. pag. 80. addit, fuiſſe quidem olim: verùm peracta Incarnatione, iam non eſſe. Ait enim: *De Verbo illo, tam in Euangelio, quàm in Epiſtola dicit Ioannes, quòd ERAT olim. Sed de eo nunquam legitur, EST.* Secuti ſunt Servetum Georgius Blandata, & Franciſcus Davidis, alijque ex diſcipulis. nam in diſputatione Albæ Iuliæ habita coram ipſo Principe Tranſylvaniæ, atque editâ Claudiopoli, anno M.D.LXVIII. in Actis ſextæ diei, Georgius Blandata ita ſuo & ſociorum nomine loquitur: *Verbum illud non aſſerimus Filium aliquem fuiſſe, ſed Dei rationem agendi, ſiue voluntatem, mentemque, quam habuit de exhibendo nobis Redemptore ex ſemine Davidis.* Addit deinde, cohærenter ad errorem Serveti, poſt factam Incarnationem, Chriſtum, vt hominem, eſſe Dei Verbum. Id verò ita exponit Franciſcus Davidis in Actis nonæ diei, vt *Verbum apud Ioannem, non æternam aliquam perſonam inviſibilem, ſed ipſum Chriſtum deſignet, qui voluntatem Patris ſui explicare incipiebat.*

8 SED Enim ad debellanda aut configenda tot hæreticorum monſtra ſufficit auctoritas Scripturæ meridiano Sole clarioris, præſertim in primo capite Evangelij Ioannis; vbi imprimis dicitur: *Deus erat Verbum.* Deus autem eſt planè perſona ſubſiſtens. Ergo & Verbum. *Deinde.* Ioannes ibidem aſſerit, Verbum ipſum ſimul cum Patre omnia, quæ facta ſunt, condidiſſe. Patet verò, conditorẽ rerum omnium debere eſſe agens aliquod per ſe ſubſiſtens. *Vlteriùs.* Teſtatur de illo veniſſe in ſua, veluti vniverſoum Dominũ, ſed non fuiſſe à ſuis receptum: ijs verò, qui eum receperunt, dediſſe poteſtatem, vt Filij Dei fierent. Hæc autem omnia, non, niſi perſonæ cuiuſdam divinæ, & planè ſubſiſtentis, ſunt. Ad hęc, induiſſe carnem humanam, & eâ indutâ habitaſſe in nobis, gloriâ plenum, veluti vnigenitum à Patre; quis, niſi delirus & vecors, alio ſenſu accipere poſſit, quàm quòd illud Verbũ Dei, tanquam vera & ſubſiſtens perſona, ſit Filius vnigenitus Patris æterni, plenus gratiâ & veritate, eademque ſubſiſtens perſona, quam ab æterno Verbum, ex tempore Chriſtum, & vbique ac ſemper Dei Filium nominamus? Itaque tam manifeſtè ea omnia eidem perſonæ, eidem Verbo, & Filio Dei, ac Chriſto IESV tribuit Evangeliſta, mirum vt ſit, quempiam hæreticorũ vſque adeò deſipuiſſe aut inſaniſſe, vt vel negaret ibidem de vno eodemque Filio Dei ſermonem eſſe, vel illum præ Verbo divino aſſereret ſubſiſtentem perſonam.

9 QVAPROPTER Antiqui Patres vt probarent Verbum divinum non eſſe inſtar humani, quod facilè evaneſcit; ſed ſolidum, ſubſtantiale, & ſubſiſtens, nullo alio teſtimonio opus eſſe arbitrati ſunt, quàm indicato ex Evangelio Ioannis. Vnde Sabellij gregales in eo errore verſantes ſic laceſsit Athanaſius in Orat. contra illos: *Evangeliſtam non recipiunt ſtatim ab initio clamantem: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deũ, & Deus erat Verbum. Si enim Deus Verbum tantummodo in mente habet, non autem reverà ex ipſo genitum, vt Deum ex*

Deo

Deo, quomodo eſſe poterit apud Deum Verbum, aut quomodo Deus fuerit? Non enim verbum in mente hominis conceptum, homo eſt apud hominem, cùm nec viuat, nec ſubſiſtat; ſed viui dumtaxat, ac ſubſiſtentis motus ſit, quod mox atque enuntiatum eſt non ſubſiſtit, & ſæpe vocatum nequaquam permanet: cùm contrà Pſalmiſta vociferetur, Verbum Dei in æternum permanere. Et in ea re illi ſuffragator, & conſonus Euangeliſta eſt, cùm Verbum Deum eſſe profitetur, & manifeſtatum eum eſſe annuntiat, & aduenijſſe indicat, & incarnatum prædicat.

10 SIMILITER Alij Patres Græci ex allegato Ioannis teſtimonio eandem inſaniam refellunt: quorum aliquot loca in medium proferre placet. Et vt, vel ab auctore ſuſpecto alioqui, & Arianarum partium, veritas hæc teſtimonium accipiat, primò allegandus eſt Euſebius Cæſarienſis, qui libro quarto Evangelicæ Demonſtrationis cap. tertio, vbi Verbum Dei ac Filium appellat καθ' ἑαυτὸν ὑσιωμένον. id eſt, *per ſe ſubſtantiatum*, vt ita ad litteram vertamus. Deinde Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi vndecima inquit: ἐγέννησεν ὁ πατὴρ τὸν λόγον, &c. id eſt: *Genuit Pater Verbum, non vt in hominibus mens verbum generat. Etenim mens in nobis ſubſiſtens eſt: verbum autem loquendo prolatum, & in aera diffuſum, perit. Nos autem nouimus Chriſtum genitum Verbum, non prolatitium, ſed Verbum ſubſiſtens viuens: non labris prolatum, ſed ex Patre ab æterno & ineffabiliter, atque in propria hypoſtaſi genitum.* Conſonat alter Cyrillus, nimirum, Alexandrinus paſſim: potiſsimùm lib. 17. & 19. Theſauri: iuxta quem, alioſque Patres, Filius Dei appellatur λόγος ἐνυπόστατος, καθ' ἑαυτὸν ὑφεστὼς, & φυσικὸς, atque ὑσιώδης. Quibus optimè ſecundùm phraſim Græcam ſignificatur Verbum ſubſtantiale, per ſe ſubſiſtens, & naturale, & eſſentiale. Nilus quoque Abbas, cuius Opuſcula habentur Tomo VII. Magnæ Bibliothecæ Aniſſonianæ, cap. 49. de Oratione Filiũ Dei appellat λόγον ὑσιώδη. id eſt, Verbum ſubſtantiale, vel eſſentiale, contra quàm in verbo creato accidit. Baſilius etiam Oratione contra Sabellianos & Arianos inſiſtens in teſtimonio illo tam luculento Ioannis, inquit: *Statim ab initio Euangeliſta clamat: ET DEVS ERAT VERBVM; propriam ſubſtantiam dans Filio.*

(?)

SECTIO SECVNDA.

Alia argumenta Patrum, & Anſelmi nominatim, pro ſententia Catholica, aduerſus hæreticos.

11 PROBAT II. Aſſertionem S. Ambroſius lib. 4. de Fide ad Gratianum cap. 3. *Solum*, inquit, *Verbum Dei eſt, quod nec prolatiuum eſt, nec ἐνδιάθετον, ſed quod operatur & viuit, & ſanat. Vis ſcire quale Verbum? Audi dicentem* (nimirum, Apoſtolum ad Hebræos 4.) *Viuum eſt enim Verbum Dei, & validum, atque operatoriũ, & acutũ & omni gladio acutiſsimũ, penetrans vſque ad diuiſionẽ animæ, & ſpiritus, artuumque, & medullarum. Verbum igitur audis Dei Filiũ & à patria voluntate, & poteſtate ſecernis? Audis quòd viuit, audis quòd ſanat: noli ergo noſtro comparare verbo*, &c. Vbi & novum argumentum ex illo Apoſtoli teſtimonio ſubminiſtrat Ambroſius, quo id hæreticorum deliramentum reijciatur. Verbum igitur divinum præ humano, & creato, eſt planè ſubſiſtens, & Dei Filius, nullatenus à Patris voluntate & poteſtate ſeiunctus.

12 TERTIO Aſſertionem probat, & contrariam hæreſim refellit Iſidorus Peluſiota lib. 3. Epiſt. 141. vbi Filium Dei demonſtrat eſſe λόγον ἐνυπόστατον, id eſt, *Verbum ſubſiſtens*, ex eo, quòd ipſummet Verbum in ſacra Scriptura dicitur ſua verba habere. Ait enim Λόγος δὲ ὢν, ἐνυπόστατός ἐστι, &c. *Verbum autem cùm ſit, ſubſiſtens eſt, & ſuam habet proprietatem. Non eſſe porrò ſubſiſtentia carens, ex eo intelligitur, quod Verbum ipſum habere ſe verba dicit, ita loquens: QVI AVDIT VERBA MEA. Si igitur Verbo ſunt ſua verba, non eſt expers ſubſtantiæ.* Nimirum, omnia alia verba, ſunt mera verba, & ſolùm habentia vim ſignificandi. Verbum autem divinum non eſt aliqua inanis vox, aut evanida locutio, ſed res ſumma, & per ſe ſubſiſtens, quæ ſuas arcanas cogitationes & conſilia verbis exprimit.

13 QVARTO Idipſum demonſtrant multi ex Patribus ex eo, quòd Verbum Dei appellatur ab eodẽ Euangeliſta Ioanne Filius vnigenitus Patris, cuius Verbum eſt. Primus omnium, quẽ hoc argumento vſum invenio, eſt Ignatius Martyr Apoſtolis ſuppar in Epiſtola ad Magneſianos, inquiens: *Filius eſt ipſius Patris Verbum, non prolatum, ſed ſubſtantiale. Non enim locutionis articulatæ vox eſt, ſed diuinæ efficaciæ ſubſtantia genita.* Nam ſi, vel in creatis, Filius eſt perſona ſolida & ſubſiſtens: quanto magis in divinis? Similiter Maximus Taurinenſis

(cuius Opera habentur initio Tomi VI. Magnæ Bibliothecæ) in Sermone de S. Euſebio Vercellenſi eodem argumento vtitur, dicens: *Ne Verbum ipſum, non ſubſtantiam veritatis, ſed prolationem loquentis Dei putares eſſe ſermonem, dicitur FILIVS.* Auctor quoque libri de Trinitate Novatiano adſcripti, *Sermo*, inquit, *Filius natus eſt, qui non in ſono percuſſi aeris, aut tono coactæ de viſceribus vocis accipitur, ſed in ſubſtantia prolatæ à Deo virtutis agnoſcitur.* Sed vberiùs id argumentum expendit antiquiſsimus Iræneus lib. 1. adverſum hæreſes cap. 1. contra Valentinum illum ſuprà num. 3. notatum, dicens: *Ioanne vnum Deum exponente, & vnum vnigenitum IESVM Chriſtum annuntiante, per quem omnia facta eſſe dicit; hunc, Verbum Dei, hunc vnigenitum, hunc factorem omnium, hunc lumen verum illuminans omnem hominem, hunc mundi fabricatorem, hunc in ſua veniſſe, hunc eundem carnem factum, & habitaſſe in nobis affirmat.* Et paucis interiectis: *Diſcite inſenſati, quoniam IESVS, qui paſſus eſt pro nobis, qui habitavit in nobis, idem ipſe eſt Verbum Dei.* Ac denique: *Verbum, id eſt, Filius, ſemper cum Patre erat. Eſt autem hoc Verbum Dominus noſter IESVS Chriſtus, qui in noviſsimis temporibus homo in hominibus factus eſt, vt finem coniungeret principio, id eſt, hominem Deo.* Hactenus Irenæus: qui ex illo Ioannis teſtimonio evincit, eundem vnigenitum Filium Dei, eſſe Verbum ipſius, & factorem omnium, & lumen verum, & factorem mundi, qui & carnem acceperit, & in nobis habitaverit. Quibus non modò declaratur, illum eſſe verè perſonam ſubſiſtentem, prout in Aſſertione noſtra habetur; ſed etiam perſonam vnam & eandem eſſe Verbi, Filij vnigeniti Dei, & IESV Chriſti. quod negârunt aliqui ex hæreticis num. 5. 6. & 7. allegatis.

14 QVINTO Suadetur ratione S. Anſelmi infrà c. 30. & c. 48. vbi diſcrimen aſsignat inter Verbum increatum, & creatum, quod prius illud ſit æternum & coæternum Patri ſe ipſum ſemper intelligenti: hoc verò temporaneum & fluxũ. Prioris capitis verba ſunt. *Summus ille Spiritus, ſicut eſt æternus, ita æternè ſui memor eſt, & intelligit ſe ad ſimilitudinem mentis rationalis: immo non ad vllius ſimilitudinem, ſed ille principaliter, & mens rationalis ad eius ſimilitudinem. At ſi æternè ſe intelligit, æternè ſe dicit. Si æternè ſe dicit, æternè eſt Verbum eius apud ipſum. Siue igitur ille cogitetur nulla alia exiſtente eſſentia ſiue aliis exiſtentibus, neceſſe eſt Verbum illius coæternum illi eſſe cum ipſo.* Poſteriori autẽ loco allegato inquit: *Quoniam nam- que mens humana non ſemper ſe cogitat, ſicut ſui ſemper meminit, liquet cùm ſe cogitat, quòd verbum eius naſcitur de memoria. Vnde apparet, quia ſi ſemper ſe cogitaret, ſemper verbum eius de memoria naſceretur. Rem etenim cogitare, cuius memoriam habemus, hoc eſt mente eam dicere: verbum verò rei eſt ipſa cogitatio, ad eius ſimilitudinem ex memoria formata. Hinc itaque liquidò animadverti poteſt de ſumma ſapiẽtia, quæ ſic ſemper ſe cogitat, ſicut ſemper ſui memor eſt, QVIA DE ÆTERNA MEMORIA COÆTERNVM VERBVM NASCITVR.* Non ergo Verbum Dei eſt fluxum, aut inconſtans, inſtar creati, vel quod iam deſierit eſſe, aut in naturam Chriſti humanam mutatum fuerit, prout alij atque alij ex hæreticis ſuprà relatis commenti ſunt: ſed ſolidum, ſubſiſtens, æternum, coæternum Patri. Nimirum, verbum mentis noſtræ non eſt perpetuum aut ſubſiſtens, ſed fluens & tranſiens, quia mens noſtra interdum cogitat, interdum non cogitat. Deus autem ex ſumma naturæ ſuæ perfectione determinatus neceſſariò eſt ad cogitandum ſeipſum ab æterno. Vnde oportet, vt Verbum illud, quod cogitando dicit, ſit ſolidum, ſubſiſtens, & ipſi Patri coæternum.

15 DICES: Si ratio hæc S. Anſelmi eſt alicuius roboris, probat planè, conſubſtantialitatem Verbi divini cum Patre, & coæternitatem, vt ita loquamur, demonſtrabilem eſſe ratione naturali. Nimirum per hanc demonſtratur, Deum ſemper ac neceſſariò ſe ipſum intelligere cognitione æterna & immutabili. Si ergo ex hac colligitur certò exiſtentia Verbo coæterni & conſubſtantialis Patri, hæc etiam erit naturaliter demonſtrabilis. Cõſequens autem eſt contrarium doctrinæ communi à nobis traditæ ſuprà Diſp. LI. & Tomo I. Diſp. IX. quibus locis latè probavimus, repugnare omnino, vt obiecta ſupernaturali, præſertim myſterium Trinitatis, evidenter abſtractivè cognoſcantur aut demonſtrentur ratione aliqua naturali.

16 RESP. Rationẽ præiactam Sanct. Anſelmi poſſe dupliciter accipi. Primò nudè in vi luminis naturalis, quamvis ſupponendo notitiam aliquam terminorum, quibus explicatur conſubſtantialitas Verbi cum Patre æterno. Secundò, prout innixam doctrinæ revelatæ. Priori ſenſu, fatemur non eſſe demonſtrationem, ſed congruentiam quandam, cui facilè occurrere poſſet Philoſophus Gentilis, dicereque, ex ea ſolùm probari in divinis exiſtentiã Verbi communiter & impropriè dicti: id eſt, repræſentationis rerũ omniũ in eſſentia ipſa, divina, in qua Deus ſeipsũ, & quælibet alia

cog-

cognoſcit, quin præterea producat Verbum aliquod propriè dictum, ſeu diſtinctum in perſona à principio intelligente. Verùm & adhuc planè demonſtrat, Verbum illud qualecumque in Deo exiſtens eſſe æternum, & eiuſdem ſubſtantiæ cum Deo, ſicuti intellectio Dei eſt æterna, & eiuſdem ſubſtantiæ cum intelligente. quod iam ſuprà cap. 14. & 15. relinquit demonſtratum Sanct. Doctor. Poſteriori autem ſenſu, eſt demonſtratio theologica. Innititur enim doctrinę revelatæ, tum Ioannis 1. vbi Verbum illud dicitur Filius vnigenitus Patris: tum Pſalmi 2. vbi habetur: *Ego hodie genuite*: tum Pſalmi 61.v.12. *Semel locutus eſt Deus.* Quamuis enim Anſelmus nō alleget expreſsè ea teſtimonia dicto loco, ſupponit tamen illa, veluti explorata fidelibus, in quorum gratiam ſcribit. Ex ijs verò palam ſequitur, quemadmodum illa cogitatio & locutio Dei eſt æterna & indiſtincta ab eſſentia intelligentis; ita & Verbum per eam dictum eſſe æternum, & indiſtinctum ab eâdem eſſentia. Cùm verò aliunde locutio habens rationem veræ generationis, exigat omnino terminum à dicente ſeu generante diſtinctum, neceſſariò concluditur, Verbum Dei eſſe diſtinctum à Patre in perſona, ſiquidem aliàs non diſtinguitur in eſſentia Sed de hoc latiùs in Commentarijs ad cap. 28. & ſeqq. Sanè eodem ſenſu Bernardus in Sermone de verbis Abacuc colligit ex paulo antè indicatis verbis Pſalmi: *Semel locutus eſt Deus: Semel vtique, quia ſemper. Vna enim, & non interpolata, ſed continua & perpetua locutio eſt.* Quare Arium impiè iactitantem *Deum multos proferre ſermones*, atque interrogantem, quiſnam ex ijs ſit Filius Dei, perſtringit Athanaſius lib. de Decretis Nicænæ Synodi, quòd hæreticus ille de Deo, tanquam de homine, ſentiret; *quaſi non ſufficiat vnum ex Deo Verbum ad omnem ex Patris voluntate creationem, & prouidentiam implendam. Si enim Deus plura verba loquitur, hoc ipſum imbecillitatem omniū arguit; quod vnumquodque vſum alterius præſtare nequeat. Sin Verbo vnico dicatur vti, quemadmodum reuera vtitur hoc & ad oſtendendam Dei virtutem pertinet & Verbi perfectionem, quod ab illo prodijt.* At lib. 5. contra Arianos inquit: ὥσπερ γὰρ μία οὐσία ἡ ἀρχὴ, οὕτως τῆς οὐσιώδους καὶ ὑφεστώσης ὁ ταύτης λόγος, καὶ ἡ σοφία. id eſt: *Sicut vna ſubſtantia eſt principium: ſic vnum eſt ſubſtantiale, & ſubſiſtens eius Verbum, & ſapientia.* Itaque de primo ad vltimum, res manifeſtiſsima eſt iuxta ſacras litteras, Verbum divinum eſſe perſonam per ſe ſubſiſtentem, Filium Dei Patris, coæternum ipſi, & vnicum, eundemque cum Chriſto IESV; vt propterea hæretici ſuprà à n. 5. indicati, Scripturæ auctoritatem admittentes, & aliquid ex prædictis negantes, pugnantia docuiſſe & credidiſſe inveniantur.

SECTIO III.

Obijciuntur & ſoluuntur argumenta, quibus hæretici hodieque contendant, Verbum Dei non eſſe perſonam ſubſiſtentem. Difficilis locus S. Irenæi expenditur.

17 SED Videamus an hæretici hactenus refutati aliquid veroſimile pro ſe afferant & nobis obijciant. Primò Sabelliani olim, teſte Baſilio in Sermone contra illos, & Athanaſio Sermone 3. contra Arianos, opponebant, Verbum eſſe meram conceptionē mentis, ac proinde non ſubſtantiam, nec perſonam ſubſiſtentē. Eorum veſtigijs inſiſtens Michael Servetus n. 6 allegatus, dicere auſus fuit: *Stultum eſt de ſermone ſeu Verbo diuino velle verba facere.* Vnde & ſyllogiſm⁹ hic nobis obijci poteſt. Conceptio mētis nullatenus habet rationem perſonæ ſubſiſtentis. Atqui Verbum divinum eſt quædam conceptio mentis, vt patet. Non ergo eſt perſona ſubſiſtens. Maior, in qua ſola poteſt eſſe diſsidium, ſuadetur: Quia conceptio mentis, ſi ſit creata, eſt accidens quoddam: ſi increata, ſupponit intellectum, & proinde ſubſtantiam ac perſonam intelligentē conſtitutam. Non ergo eſt perſona ſubſiſtens, ſed aliquid ſupponens naturam intellectualem & perſonam iam ſubſiſtentem.

18 RESP. Argumentum hoc eſſe obiectionem anilem, cui olim breviter & plenè occurſum ivit Athanaſius dicens: *Non eſt quærendum cur non tale ſit Dei Verbum, quale noſtrum eſt, cùm Deus nequaquam talis ſit, quales nos ſumus.* Itaque ſicut infinitè diſtat Deus à nobis, ita & Verbum divinum à creato, vt illud præ hoc ſubſtantia ſit & perſona ſubſiſtens. Quare verbum in creaturis accidens eſt, in divinis autem ſubſtantia: in nobis ſupponit non ſolùm naturam & perſonam, ſed & intellectum in actu primo conſtitutum. In Deo autem non eſt accidens aliquod, ſed ſubſtantia ipſa Dei, à quâ nō diſtinguitur reipſa aliquid intra Deum exiſtens, vt ſuprà c. 14. 15. & 16. demonſtravit Anſelmus: ac proinde Verbum in ſolo Deo poteſt habere rationem perſonæ ſubſiſtentis.

19 INSTABIS. Etiam ſapientia, iuſtitia, & miſericordia, aliæque perfectiones attributorū ſunt indiſtinctę à divina ſubſtantia: nec tamē vllus propterea dixit aliquā ex ijs ſpeciatim eſſe aut conſtituere perſonā ſubſiſtentē. Ergo licèt verbum, ſeu conceptio mentis in Deo

ſit aliquid diſtinctum reipſa ab eius ſubſtantia, non propterea dicendum eſt eſſe aut conſtituere perſonam ſubſiſtentem. Nimirum, tam conceptio mentis, quàm ſapientia, & reliquæ perfectiones attributorum ſupponunt pro aliquo priori rationis conſtitutâ naturam, & perſonam intelligentem.

20 RESP. Verbum in divinis dupliciter accipi à Theologis: nimirum, communiter & impropriè, aut notionaliter & propriè. Priori ſenſu, quamvis ſit indiſtinctum à ſubſtantia Dei reipſa, ſupponit illam pro aliquo priori rationis conſtitutam: ideoque nec conſtituit ſubſtantiam, nec perſonam. Quod idem contingit in ſapientia, iuſtitia, & reliquis attributis. Poſteriori autẽ ſenſu, eſt terminus quidã productus per actionẽ generativa, ſeu dictionẽ Patris, quâ ratione exprimit perſonã conſtitutam ex eâdem numero natura per generationẽ communicata, & ex hypoſtaſi propria ac peculiari perſonæ genitæ. Nimirum, iuxta Evangelium Ioannis ſæpe allegatum, Verbum, de quo loquimur, eſt Filius vnigenitus ab æterno, qui proinde debet eſſe perſona diſtincta à generãte intra eandem numero naturam: cùm duplex aut multiplex natura divina omnino repugnet; vt demonſtratum eſt cum Anſelmo Tomo I. Diſp. XIII. Quòd ſi verò obijcias difficultates illas, quibus conſubſtantialitas Verbi cum Patre, & identitas trium perſonarum in eâdem numero natura impugnari ſolet, eæ non ſunt huius loci, ſed diſcutientur in progreſſu Operis, præſertim Diſp. XL.

21 OPPONVNT II. Servetus, eiuſque ſectatores n. 7. indicati. Evangeliſta Ioannes nuſquam de Verbo divino dixit, *EST*; ſed, *ERAT*. Non ergo permanet tanquam quiddã ſubſiſtens. Si enim eſſet verè perſona ſubſiſtens, diceretur æquè de illo, *EST*, ac *ERAT*.

22 RESP. Evangeliſtam vſum fuiſſe verbo erat, veluti indefinitam & æternam durationem ſignificante, vt quantumvis imaginatio retrogrediatur ſemper fuerit Verbum apud Deum exiſtens ideoque Patri coæternum. Vnde Ambroſius lib. 1 de Fide c. 5. pulcherrimè id exponit, & occurrit obiectioni huic hæreticorum, etiam veterum, dicens: *Erat apud Deum. Erat, erat, erat erat. Ecce quater erat. Vbi impiùs invenit quod non erat? Alibi quoque Ioannes in Epiſtola ſua dicit: Quod erat in principio. Indefinitè tenditur Erat Quidquid excogitaveris, ERAT Filius. Omnes autem hæreſes hoc capite brevi noſter piſcator excluſit. Quod enim erat in principio, non includitur tempore, non principio prævenitur. Ergo Arius conticeſcat. Quod autem ERAT apud Deum, non commiſtione confunditur: ſed manentis Verbi apud Patrem ſolida perfectione diſtinguitur; vt Sabellius obmuteſcat. Et Deus ERAT Verbum. Non ergo in prolatione ſermonis hoc Verbum eſt: ſed in illa cœleſtis aſſignatione virtutis, vt confutetur Photinus. Quòd verò ERAT in principio apud Deum, ſempiternæ diuinitatis ex Patre & Filio inſeparabilis vnitas edocetur, vt erubeſcat Eudoxius, & Eunomius. Poſtremò cũ omnia per ipſum facta dicantur, ipſe Conditor Noui vtique Teſtamenti & Veteris deſignatur, vt Manichæus locum tentationis habere non poſsit. Ita piſcator bonus omnes intra vnũ rete concluſit, vt faceret inhabiles fraudi, quamquam eſſent inutiles captioni.* Quid ſubtilius, aut nervoſius? Similiter in eodem verbo ERAT infinitam & ſempiternam durationem, initij ac finis neſciam, agnoſcunt paſſim Eccleſiæ Patres: præſertim Athanaſius in omnibus ferè libris contra Arianos, Auguſtinus Tract. 1. in Ioannem, & Sermone 24. de Diverſis c. 2. & Homilia 43. c 3. Baſilius Homil. 15. in princ. Ioannis, & lib. de Spiritu S. c. 6. Chryſoſtomus Homil 3 in Ioannẽ, Fulgentius lib. 1. ad Thraſimundum c. 6. Gregorius Nazianzenus Orat. 49. Nyſſenus lib. 3. contra Eunomiũ, Hilarius lib. 2. de Trinit. Idacius, Clarus libro contra Varimadum, & denique Cyrillus lib. 1. in Ioannem c. 1. vbi inquit: *τὸ γὰρ ἦν ἀϊδιότητος ἐκφωνηθὲν*, &c. *Verbum ERAT infinitè pronuntiatum, quonam in loco nos ſiſtet, cùm proſequentem mentem natura ſua ſemper antevertat, & quam illius deſitionem eſſe putaveris, hanc vlterioris curſus faciat initium?*

23 VERVM Vt Serveto, & ſequacibus in Verbum diuinum blaſphemantibus, mutis eſſe liceat, obſervandũ eſt, de ipſo Dei Verbo accipi à Patribus iam memoratis, præſertim Athanaſio, & Baſilio, illud Pſal. 118. *In æternũ, Domine, Verbũ tuum permanet in cœlo.* Si in æternum permanet: ergo ERAT, EST, & ERIT. Vlteriùs. Teſte Evangeliſta, *Deus erat Verbum*. Si ergo Verbum iam non eſt, ſed erat; Deus quoque erat, ſed iam non eſt. Quare Servetus excludens Verbum exiſtens, pariter excludit & tollit de medio Deum. Licebit ergo illum & gregales ſuos non hæreticos modò, ſed atheos iudicare.

24 OPPONVNT III. Irenæum, quaſi alicubi Patrem loquentem appellet Logon, ſeu Verbum. Ergo ex eo quòd Evangeliſta Ioannes nominet Verbum, non propterea intelligi debet perſona aliqua ſubſiſtens diſtincta à Patre.

25 HÆC Obiectio ex eâdẽ officina Serveti prodijt, ſed nullo indicato Irenæi loco, vt proinde merum figmentum illius exiſtimetur à Valentia lib. 1. de Trinit. cap. 3. Sed enim teſtimonium allegatum reipſa apud Irenæum ex-

extat lib.2. cap. 48. vbi Patrem, ſeu mentem loquentem, ait eſſe Verbum. Inquit enim: *Deus autem totus exiſtens mens, & totus exiſtens Logos, quod cogitat, hoc & loquitur, & quod loquitur, hoc & cogitat. Cogitatio enim eius Logos, & Logos mens, & omnia concludens mens, ipſe eſt Pater.* Accedit quòd epigraphe eiuſdem capitis in veteri codice eſt: *Oſtenſio quoniam nus logos, & logos nus, & nus ipſe eſt Pater omnium.* Videtur ergo Irenæus nomen τῦ λόγυ, ſeu Verbi, tribuere etiam Patri. Similiter Ambroſius in libro de Filij diuinitate cap. 5. arbitratur, Filium ritè dici poſſe *Verbum de Verbo.* Ait enim: *Hæc eſt autẽ nominis ratio, vt in Patre & Filio vnitatem ſubſtantiæ credas; licèt rem ipſam, quæ eſt inennarrabilis, definire non poſsis: vt ſiue lumen de lumine dicas, ſiue verbum de verbo, ſiue ſpiritũ de ſpiritu, ſiue dominum de domino; quodcumque de eo dixeris, vnius tamen eſſentiæ Patrem & Filium credas.* Conſonat Marius Victorinus Afer lib. 3. contra Arium apud Bibliothecam Magnam Aniſſonianam Tomo IV. inquiens: *Pater per Filium & Filius virtute Verbi Patris operans, facit omnia: id eſt, ſecum loquens Verbum, per Verbum in manifeſto loquens facit omnia.* Itaque non eſt quòd putemus, Servetum, quamvis alioqui blaſphemum, è cerebro ſuo affinxiſſe Irenæo locutionem illam. Denique pro ea appellari poſſunt multi ex Patribus Græcis, qui indicant Logon eſſe in Patre, ſeu potiùs ipſum Patrem eſſe Logon, dum contra Arianos vrgent argumentum illud pro æternitate Verbi, quoniam Pater ex æterno non fuit *Alogos*, ſive abſque Verbo.

26 RESPONDEO Itaque, in illâ Irenæi, & aliorum quorundam Patrum locutione, quâ Patrem appellant Logon, ſive Verbum, vocem eiuſmodi non accipi propriè & notionaliter, vt ſignificet perſonam: ſed impropriè & communiter, vt ſit idem ac Ratio, ſeu intelligentia Patris, ex qua dicitur Verbum procedere. Si autem vox illa accipiatur propriè & notionaliter, nunquam tribuitur à Patribus alteri, quàm perſonæ Filij, quem ſolũ Evangeliſta Ioannes appellat Verbum, quidquid ſit de ſtylo vnius vel alterius ex Scriptoribus Catholicis contrario in ſpeciem, quem alij ex Patribus corrigunt, aut piè interpretantur iuxta ſenſum nuper à nobis indicatũ. Certè Auguſtinus lib. 6. de Trinit. cap. 2. vetat dici *Verbum de Verbo.* Rationemque reddit: *Quia hoc ſolum de eis dici non poteſt, illud de illo, quod ſimul ambo non ſunt: ſicut Verbum de Verbo dici non poteſt: quia non ſunt ſimul ambo Verbum, ſed ſolus Filius.* Idem ex profeſſo docet Cyrillus Alexandrinus libro primo Commentariorum in Ioannem cap. 4. Vnde conciliando vtrorumque teſtimonia, Verbum acceptum pro termino intellectionis propagatricis, ſeu generativæ, ſolùm de de Filio accipitur, idque propriè: pro ratione autem, ſeu cogitatione, aut intellectione, commune eſt etiam Patri, immo & Spiritui ſancto. Itaque Irenæus, Ambroſius, & Marius Victorinus, hoc poſteriori ſenſu, dumtaxat Logon & Verbum in illa locutione vſurparunt: in priori autem omnes Catholici palam de ſolo Filio eas voces intellexerunt.

27 DENIQVE Samoſateniani olim obijciebant teſtimonium illud Petri Actorum 13. *Verbum miſsit Deus filijs Iſrael evangelizans pacem per IESVM Chriſtum.* Ergo Verbum ipſum non eſt IESVS Chriſtus, ſed aliquid aliud ab eius perſona diſtinctum.

28 RESP. Dato quòd Verbum ibidem accipiatur propriè, ſicuti apud Ioannem dum inquit, *Verbum caro factum eſt*, non ideo colligi diviſionem illam Verbi à Filio, ſive IESV Chriſto. *Poſſumus enim* (inquit Athanaſius loco allegato) *contra hanc obiectionem aliquid ſimile reperire, idque ex Epiſtola ad Corinthios. Expectantes, inquit Apoſtolus, revelationẽ IESV Chriſti, qui & confirmabit vos inculpabiles in die Dñi noſtri IESV Chriſti. Vt enim nõ alter Chriſtus diẽ alterius Chriſti expectantes confirmat: ita quoque Verbum miſsit Pater carnem factum, vt cùm iam homo eſſet, ipſe per ſe ipſum evangelizaret. Atque ideo ſtatim ſubiunxit: Hic eſt omnium Dominus. Dominus autem omnium, Verbum eſt.* Hucuſque Athanaſius. Itaque in ijs Petri verbis non duplex perſona intelligitur, ſed eadem diverſis nominibus expreſſa, id eſt, Verbi, & IESV Chriſti.

SECTIO IV.

Spiritum ſanctum pariter eſſe ſubſiſtentem perſonam, quidquid deliraverint hæretici aliquot veteres & recentes, quorum perfidia exploditur, & fundamenta diruuntur.

29 HÆC Aſſertio eſt imprimis contra Sadducæos, qui, vt teſtatur Nazianzenus Orat. 5. de Theologia, *Spiritum S. penitus nõ eſſe cenſuerunt.* Deinde alij hæretici, iuxta Athanaſium lib. de communi eſſentia Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, dixerunt, Spiritum S. dumtaxat eſſe donũ quoddã, ſive virtutẽ Dei. Illorum deliramentũ alta ſæculorum oblivione ſepultũ excitavit è barathro Michael Servet. lib. de Trin. pag. 28. dicens: *De Spiritu S. non fit mentio, niſi vbi eſt ſermo*

de agendo, quod eſt notatu dignum: quaſi Spiritus ſanctus non rem aliquam ſeparatam, ſed Dei agnitionem, energiam quandam, ſeu inſpirationem virtutis Dei deſignet. Ac præterea ait lib. 6. fine: *Dic igitur quòd Spiritus ſanctus eſt diuina in hominis ſpiritu agitatio. Et quia ſic mouendo, Chriſto credentes ſanctificat Deus, ideo dicitur Spiritus in nomine ſanctus.* Conſonant Serveto gregales, Franciſcus Davidis, Budnæus, & Georgius Blandata in Diſputatione Albę Iulię ſuprà memoratâ, Act. 6. diei, dicentes: *Quæſtio eſt, vtrũ Verbum & Spiritus ſint perſonæ? Nos dicimus, nõ eſſe perſonas, aut individua, aut aliud ſophiſticum: ſed eſſe altiſſimi Dei Patris virtutes, quibus & olim, & nunc quoque in nouæ mundi creatione vtitur.*

30 VERVM Aſſertio noſtra eſt communis & perpetuus totius Eccleſiæ ſenſus expreſſus in quatuor primis Concilijs Generalibus, vt vidimus n 2. quæ S. Patres eandem cum quatuor Evangelijs auctoritatem habere profitentur. In ijs enim traditur, Spiritum ſanctum verè eſſe perſonam diſtinctam à perſona Patris, itemq; à perſona Filij, ac proinde per ſe ſubſiſtentẽ inſtar vtriuſque. Vt autem id perſpicuè probetur ex ſacris litteris, obſervandum eſt ex Catholica doctrina cum Athanaſio Epiſt. ad Serapionẽ initio, nos impræſenti nomine Spiritus non quemlibet intelligere, ſed illum, qui in Scripturis nunquam *ſimpliciter nominatur Spiritus, ſine additamento Dei, aut Patris, aut à me, hoc eſt, ex Deo, vel abſque articulo, vel Chriſti, vel Filij, aut, vt non adiungantur, Sanctus, vel Paraclitus, aut veritatis, hoc eſt, Filij, qui ſe nominat veritatem, niſi cùm quod priùs diſtinctè commemoratũ eſt de hoc Spiritu poſtea ſimpliciter reperitur. Ibi enim* (proſequitur Athanaſius) *ex ſuperioribus recognoſcitur, de quo Spiritu mentio fiat, etiam ſi in ſequentibus nudum tantummodo Spiritus vocabulum ſit poſitum.* Hactenus ille.

31 ITAQVE Spiritum ſanctum, qui iuxta obſervationẽ Athanaſij ſæpiſsimè in Scripturis commemoratur, eſſe perſonam ſubſiſtentem, ſuadetur hoc ſyllogiſmo apodictico ex ijſdem Scripturis eruto. Omne quod operatur, & cognoſcit, & iudicat, & loquitur, & docet, & annuntiat, & arguit, & conſolatur, & ſimul cũ alijs perſonis teſtimonium reddit, & mittit, & præcipit, & adiuvat, & conſtituit Rectores in Eccleſia, atque alia eiuſmodi facit, eſt verè perſona ſubſiſtens. Atqui Spiritus ſanctus iuxta Scripturã ea omnia præſtat. Ergò eſt verè perſona ſubſiſtens. Maior propoſitio eſt manifeſta: cùm ea omnia munia ſint propria ſolius perſonæ ſubſiſtentis, prout diſtinctæ ab omni eo quod non eſt perſona, ſed virtus, actio, motio, aut aliquid eiuſmodi. Minor autẽ ſuaderur ex luculentis teſtimonijs Scripturæ ordine ſuo prolatis, in quibus eæ omnes actiones Spiritui ſancto tribuuntur, dum dicitur: *Omnia autem hæc operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens ſingulis prout vult.* 1. Corinth. 12. *Quæ ſunt Dei nemo nouit, niſi Spiritus Dei.* 1. Corinth. 2. *Viſum eſt Spiritui ſancto.* Actorum 15 *Dixit Spiritus ſanctus.* Actorum 13. *Spiritus ille veritatis docebit vos omnem veritatem.* Ioann. 14. *Quæ ventura ſunt, annũtiabit vobis.* Ibidem: *Arguet mundum de peccato.* Ioannis 16. *Paraclitus autem* (nimirum, conſolator) *Spiritus ſanctus.* Ioannis 14. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus.* 1. Ioannis 5. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Mathæi 28. *Ad euangelizandum pauperibus miſsit me.* Iſaiæ 61. *Segregate mihi Paulum & Barnabam ad opus, ad quod aſſumpſi eos.* Actorum 13. *Spiritus adiuvat infirmitatem noſtram.* Ad Romanos 8. *In quo vos Spiritus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Patet igitur, Scripturam nominatim eas omnes functiones tribuere Spiritui ſancto, vt perſonę ſubſiſtenti. Nam, vt monet Anſelmus in Epiſt. de Proceſſione Spiritus S. cõtra Græcos c. 12. fine, *non tantũ ſuſcipere cũ certitudine debemus quæ in Sacra Scriptura leguntur: ſed etiam ea, quæ ex ijs, nulla alia cõtradicẽte ratione, rationabili neceſsitate ſequũtur.* Maximè vbi illatio, ſeu collectio eſt adeò perſpicua & manifeſta.

32 RESPONDENT Servetiani in prędicta Diſputatione, Actione quintæ diei, in Scriptura dici, Spiritum ſanctum hæc facere, non quòd ipſe faciat, ſed quia Deus per illum, hoc eſt, per virtutẽ ſuam, vel per agitationem illam, ſeu motum, ſeu donum in creaturis (quod Spiritũ ſanctum eſſe Servetus putat) ea faciat. Addit Franciſcus Davidis, Spiritum ſanctum diſtribuere dona ſua ſicut vult, quia Deus dona ſua per Spiritum ſanctum diſtribuit ſicut vult. Idque confirmare nititur: quia etiam Ioannis 3. dicitur de vento: *Vbi vult, ſpirat.* neque tamen ideò ventus eſt perſona ſubſiſtens. Ergo quamvis Spiritus ſanctus dicatur diſtribuere dona ſua ſicut vult, non inde probatur, eſſe ſubſiſtentem perſonam.

33 SED Enim evaſio hæc eſt penitus frivola: cùm tot functiones, & tam diverſæ, quæ evidenter propriæ ſunt perſonæ ſubſiſtentis, Spiritui ſancto tribuantur in ijs Scripturæ locis, non minùs quàm aliæ adſcribantur Deo Patri, ac Filio. Vnde quemadmodum vbi functiones ſimiles tribuuntur Patri, aut Filio, probant planè vnumquemque eorum eſſe ſubſiſtẽtem perſonã; idipſum pariter de Spiritu ſancto con-

conuincitur. Iam quod addunt de Spiritu, ſeu vento, qui dicitur ſpirare *vbi vult*, extra rem eſt: cùm ibi ſolùm ſignificetur motus, ſeu operatio rei naturalis, nullo impedimento prohibita, quę dicitur voluntaria, nō propriè, ſiquidē ventus iudicio ac ratione carer, ſed latè & metaphoricè id eſt, ſpontanea, & minimè coacta, ſeu iuxta inclinationē naturalē. At verò diviſio gratiarū in Scriptura tribuitur Spiritu ſancto, *prout vult*, tanquā iudicio & ratione prædito: qui propterea dicitur & cognoſcere, & iudicare, & loqui, & docere, &c. vt patet ex præiactis teſtimonijs. Patet itaque Scripturam tribuere Spiritui ſancto eas functiones, quæ ſunt propriæ perſonæ per ſe ſubſiſtentis, & agentis ſecundùm mentem ac voluntatem.

34 INSTAT Franciſcus Davidis eodem loco: quoniā omnia, quę Spiritui ſancto tribuūtur in Scriptura, à Deo Patre fiunt. Sed id præter rem eſt: quoniā etiā nos profitemur, quidquid vna ex perſonis divinis facit, à reliquis duabus fieri: quoniam tres perſonæ ſunt vnicū & indiviſum principiū efficiens rerum omniū, vt conſtat planè ex Scriptura, & exprimitur in capite Firmiter de ſumma Trin. & Fide Cathol. Inde verò nullatenus impeditur, vt vnuſquiſq; ex tribus, cui operationes & functiones prædictæ tribuuntur, ſit perſona ſubſiſtens. Sic Ioannis 5 dicitur: *Nō poteſt Filius à ſe facere quid quam, niſi quod vid rit Patrem ſic facientem. Quæcumque enim operatur Pater, hæc & Filius ſimiliter facit.* Et tamen inde non impeditur, ſed potiùs evidenter probatur, Filium eſſe perſonam ſubſiſtentem inſtar Patris. Ergo idem exiſtimari debet de Spiritu ſancto, quamvis omnes actiones quæ ipſi tribuuntur in Scriptura, ſint etiam communes Patri.

35 VNDE Patres Eccleſiæ ex ijſdem locis Scripturæ, quibus vſi fuimus, probārunt, Spiritum ſanctum eſſe perſonam ſubſiſtentē. Et præſertim Baſil. lib. 5. cont. Eunomiū, pleriſq; eorū in medium prolatis, concludit: *Quare quod Viuens ſit Verbū, & perſona perfecta, & Spiritus ſimiliter, ea quæ nunc relata ſunt, abundè docere poſſunt.* Nazianzen. quoque Orat. 4. de Theologia initio, quaſi prævidens effugiū Serveti recurrentis ad agitationē illā n. 32. relatā, inquit: *Si Spiritus ſanctus eſt actus, agetur proculdubio, non aget. Qui fit ergo, vt agat ipſe, atque hæc & illa dicat, & ſegreget, & mœreat, & adiram incitetur, & quæcumque rei motu agitatæ perſpicuè ſunt, non autē mouus.* Ex quibus denique concludit, *Spiritū ſanctum ex eorum numero omnino ſtatuendum eſſe, quæ per ſe ſubſiſtunt.* Mitto aliorum teſtimonia ſimiliter loquentium.

36 OPPONVNT I. Hæretici, nomen Spiritus ſancti nō eſſe alicuius perſonæ certæ, ſed naturæ divinæ, quæ Spiritus quidē eſt, vtpotè immaterialis omnino & intelligens; ac præterea ſanctitate prædita: vt propterea ſive nominetur Pater, ſive etiam Filius, verè ac per ſe quilibet eorum ſit Spiritus S. Non ergo hic eſt perſona aliqua ſubſiſtens, ab ijs diſtincta.

37 RESP. Hanc obiectionem olim fuiſſe propoſitā Orthodoxis Patribus, & ab ijs ſolutā per hoc, vt vox Spiritus S. prout duarū dictionū vim habet, ſit communis cuilibet perſonæ divinæ, ob rationē indicatam in argumento: cæterū incomplexè ſumpta, ſive per modū vnius dictionis ſignificet ſingulariter tertiā perſonā, à Patre & Filio diſtinctam. Quod, inter alios, optimè expreſsit Auguſt lib. 15. de Trinit. c. 19. dicens: *Non ipſe ſolus eſt in illa Trinitate, vel Spiritus vel ſanctus: quia & Pater ſpiritus, & Filius ſpiritus, & Pater ſanctus, & Filius ſanctus: quod non ambigit pietas. Et tamen iſte non fruſtra proprie dicitur Spiritus ſanctus. Quia enim eſt communis ambobus, id vocatur ipſe propriè quod ambo cōmuniter.* At præterea ſubdit: *Vt ergo ex nomine, quod vtrique conuenit, vtriuſque communio ſignificetur, vocatur donum amborū Spiritus ſanctus.*

38 OPPONVNT II. Spiritus ſanctus iuxta ſacras litteras eſt donū & pignus hæreditatis noſtræ. Non ergo perſona aliqua ſubſiſtens. RESPONDET Athanaſ. lib. de communi eſſentia, hanc obiectionē, ſi probat aliquid, probare nimiū. nam etiā Pater in Scriptura dicitur pars hæreditatis noſtræ in verbis illis Pſal. 15. v. 5. *Dominus pars hæreditatis meæ.* Rurſus in eādem Filius dicitur donatus nobis, immo & donum, verbis illis Apoſtoli: *Verumtamen non ſicut delictum, ita & donum.* Ergo, ſi quam vim habet obiectio, nec Pater, nec Filius erit perſona ſubſiſtens. Itaq; quælibet perſona divina, vbi donatur nobis, poteſt dici cōmuniter donū, quamvis in ſe ſubſiſtens ſit: quāvis Spiritus ſanctus ſpeciali titulo appellietur donum, quia procedit à Patre & Filio vt amor, ad quem pertinet benefacere & donare. Aliunde verò ex Scriptura conſtat, dona Spiritus ſancti eſſe aliquid ab ipſo diſtinctum, etiam prouquoddam donum eſt: quoniam ad Galat. 5. & 1. Corinth. 12. dicuntur *fructus Spiritus ſancti.* Nemo autem eſt fructus ſui ipſius, ſed alterius. Denique ipſe Spiritus ſanctus dividit dona ſua, ſicut vult, teſte Apoſt. 1. Corint. 12. v. 11. dicēte: *Hæc autē omnia operatus vnus atque idē Spiritus, diuidens ſingulis prout vult.* Nec tamen ipſe Spiritus ſanctus dividitur. Nam, vt ibidem v. 4. habetur: *Diuiſiones gratiarum ſunt: idem autem Spiritus.* Patet igitur,

Spiritum ſanctum à donis ſuis longè differre.

(?)

SECTIO V.

Concluditur contra Praxeam, Noetũ, Sabellium, & novos eius ſectatores, nec Filium, nec Spiritum ſanctum eſſe eandem cum Patre perſonam; ſed ſingulos eorum trium eſſe totidem ſingulares perſonas ad invicem reipſa diſtinctas. Argumenta in oppoſitum ſoluta.

39 HÆC Aſſertio Catholica fuit olim definita in primis quatuor Conciliis Generalibus contra Praxeam antiquum hæreticum, impugnatum à Tertulliano ſingulari libro; ac præterea contra Noetum, & Sabellium, præ reliquis ab eo errore infamem: de quo, & ſectatoribus ſuis inquit Epiphanius Hæreſi LXII. Δογματίζει γὰρ οὗτος, καὶ οἱ ἀπ' αὐτοῦ Σαβελλιανοὶ, τὸν αὐτὸν εἶναι πατέρα, τὸν αὐτὸν υἱὸν, τὸ αὐτὸν εἶναι ἅγιον πνεῦμα. id eſt, *Dogmatizat autem hic, & qui ab eo dicti ſunt Sabelliani, eundem eſſe Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum.* Vide quæ præmiſimus Diſp. LIV. ſect. 3. vbi multa alia circa errorem illum obſervata ſunt. Eundem, vti & alios affines, ex Orco revocavit Michael Servetus lib. 2. Dialogo de Trinitate: quem meritò appellat Valentia *monſtrum quoddam ex omnibus pene fabulis, atque erroribus veterum hæreticorum compoſitum.* Illum ſequutus fuit, vt ſæpe aliàs, Valentinus Gentilis Propoſi 9. dicens: *Non eſt vnus Deus in tres perſonas diſtinguendus. Qui id facit, neceſſariò vnius Dei ſubſtantiam diuidit.* Itaque ij omnes dilatant eandem perſonam, vt ſit Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, inſtar Sabellij anteambulonis ſui: de quo teſtatur Athanaſius in libro de dicto illo, Deus de Deo, non longè à fine, dixiſſe: *Quemadmodum diuerſa genera ſunt gratiarum, idem autem Spiritus: ita quoque Pater, cùm idem ſit, dilatatur in Filium, & Spiritum.* Idipſum ferè totidem verbis expreſſit Servetus loco indicato.

40 VERVM Quamvis ea hæreſis iam olim & toties proſcripta fuerit ab Eccleſia, oportet nunc breviter illam refutare ex eiſdem Scripturæ teſtimonijs, quibus Orthodoxi Patres vſi ſunt ad eam debellandam. Imprimis celebre eſt illud Ioannis 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, Spiritum veritatis.* Quæ verba ad rem & elegantèr expendit Athanaſius Oratione contra gregales Sabellij, dicens: *Cùm de ſe Filius loquitur, EGO, inquit: cùm de Patre, ILLE, dicit: cùm de Spiritu ſancto, alium ſubiungit. Cur non igitur manifeſtæ defectionis & apoſtaſiæ crimen ſit, negare tria, & illum, qui iſta loquutus eſt, vnum ſolum eſſe dicere?* Similiter Baſilius in Sermone contra Sabellianos & Arianos, ait: *Nonne palam impudens es, cùm audis, EGO, de Filio; ILLE, de Patre; ALIVS, de Spiritu ſancto: & omnia tu miſces, & omnia confundis, & vni rei omnes appellationes attribuis?*

41 CONSONANT Eidem teſtimonio alia plura à SS. Patribus in eum ſcopum obſervata. *Primò* ea, in quibus indicitur planè Trinitas perſonarũ: vt Mathæi 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Et 2. Corinth. vltimo: *Gratia Domini noſtri IESV Chriſti, & charitas Dei, & communicatio ſancti Spiritus ſit cum omnibus vobis.* Et 2. Ioannis 5. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus.* Quid clarius? *Secundo* vtuntur locis illis, in quibus docemur, vnam perſonam eſſe cum alia, vel apud aliam, aut in alia. Sic dicitur nomine Filij, ſive ſapientiæ genitæ, Proverbiorum 8. *Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens.* Et Ioannis 1. *Verbum erat apud Deum.* Ac præterea eodem capite: *Vnigenitus qui eſt in ſinu Patris.* Et cap. 14. *Ego in Patre, & Pater in me eſt.* In quæ verba Auguſtinus lib. 6. de Trinit. cap. vltim. ait: *Singula ſunt in ſingulis, & ſingula in omnibus, & omnia in omnibus, & vnum omnia.* Et poſt pauca ratione reddit: *Quia vnus eſt Deus, ſed tamen Trinitas.* Huc etiam ſpectant loca illa, in quibus ad vnam perſonam habemus acceſſum, ſeu auxilium per aliam; vt cùm dicitur Epheſiorum 1. *Habemus acceſſum ad Patrem per Filium in vno Spiritu.*

42 DENIQVE Diſtinctio perſonarum ab invicem extorquetur hac demonſtratione theologica. Omne quod verè procedit ab aliquo principio, diſtinguitur reipſa ab illo. Atqui Filius procedit verè à Patre, & Spiritus ſanctus ab vtroque, tanquam à principio. Ergo Filius reipſa diſtinguitur à Patre, & Spiritus ſanctus ab vtroque. Maior propoſitio eſt evidens lumine naturæ, quâ propterea ſæpe vtitur Anſelmus, præſertim ſuprà cap. 6. & infrà in Opuſculo de Proceſſione Spiritus ſancti, & impræſenti cap. 28. vbi agens de locutione Dei, ait: *Illa per ſe fieri non potuit. Nihil quippe per ſeipſum fieri poteſt: quia quidquid fit, poſterius eſt eo, per quod fit: & nihil eſt poſterius ſeipſo.* Evidens quippe eſt, nihil eſſe quod poſsit dare principium ſibi ipſi. Alioqui exiſteret ante primam ſui exiſtentiam. quæ eſt manifeſta chimæra. Minor autem ſuadetur quoad vtramque partem. Quoad primam quidem ex ijs Scripturæ locis, in quibus Verbum

Dei

Dei dicitur Filius, & quidem Filius vnigenitus Patris. Conſtat autem Filium verè ex Patre ſuo, tanquam ex principio, procedere. Quare Tertullianus libro iam indicato contra Praxeam iure ac meritò ea collectione vſus fuit: *Pater verè genuit Filium. Ergo duæ perſonæ ſunt.* Similiter Athanaſius in Oratione de dicto illo, Deus de Deo, *Verus inquit, Filius exiſtit, non animi imaginatione formatus. Vt enim verus eſt Pater, ita quoque verè eſt ſapientia. Atque ita fit, vt duo ſint, non autem ſecundùm Sabellium idem Pater & Filius.* Alioqui, vt ipſe colligit, *eadem res erit gignens & genitum. quæ abſurditas in Sabellianis reſidet.* Quoad poſteriorem partem ſuadetur aſſumptio eadem ex ijs Scripturæ locis, in quibus Spiritus ſanctus apertiſsimè dicitur à Patre, immo & à Filio procedere. Quorum plurima collegit & expendit Anſelmus infrà Opuſculo III. nec opus eſt inſerere hoc loco. Quare Eccleſia Catholica ab initio profeſſa eſt *fidem in Patrem & Filium, & Spiritum ſanctum, ab Apoſtolis acceptam*, vt teſtatur Irenæus lib. 1. adverſus hæreſes cap. 2 Illamque Patres Nicæni exprimunt in Symbolo ſuprà Diſp LV. exſcripto, à nobis expenſo ſingillatim quoad omnes partes, contra Arium, Sabellium, & Macedonium. Nec oportet ampliùs immorari in ea diſtinctione reali perſonarum probanda. Qui plura volet, conſulat Bellarminum Tomo I. controv. lib. 2. de Chriſto cap. 6. Ruiz Tomo de Trinitat. diſput. 19.

43 SED Videamus quid olim ij hæreſiarchæ obiecerint, & præterea qui poſtremis hiſce ſæculis eorum inſaniam excitârunt. Prima impugnatio eſt, à nobis induci plures Deos, quemadmodum ab Ethnicis, dum ex tribus perſonis reipſa diſtinctis, vnamquamque profitemur Deum. Huic veterno & iam obſoleto argumento Sabelliani olim, & nunc Servetiani, maiorem fidem habent, quàm doctrinæ totius Eccleſiæ ab Apoſtolicis traditæ, & ab ipſo Chriſto acceptæ.

44 VERVM Sic arguentes Athanaſius in Oratione contra gregales Sabellij, repellit & notat, veluti Iudaicæ ſuperſtitionis miniſtros: quoniam Iudæi pariter vnicam in divinis perſonam admittunt. Negamus itaque ex hac divinarum perſonarum diſtinctione ſequi pluralitatem deorum: quoniam tres illæ vnica & eâdem numero divinitate conſtant. Propterea enim Chriſtus dixit: *Ego & Pater, ϑnum ſumus.* Nimirum, *ϑnum* ad divinitatem refertur: *ſumus* autem, ad diſtinctionem perſonarum. Rurſus in loco illo ex 2. Ioannis 5. ſuprà indicato, poſtquam dictum fuit: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus ſanctus*; continuò additur: *ET HI TRES VNVM SVNT.* Sed de hac identitate in eſſentia cohærente cum diſtinctione perſonarum, fusè in progreſſu Operis. Nunc ſatis ſit exſcribere verba Naziâzeni Orat. 3. de Theologia: *Nos ϑnius Dei principatum colimus, non quem perſona ϑna circumſcribit, ſed quem æqualis naturæ præſtantia conſtituit, ϑoluntatiſque conſenſio, motus identitas, atque ad ϑnam eandemque rem coniuncta propenſio: ita, vt etiam ſi numero differant, auctoritate tamen & potentia minimè inter ſe diſideant.*

45 SECVNDO Obijciunt. Si in divinis ſunt tres perſonæ reipſa diſtinctæ, nulla earum erit ſimpliciter infinita, carebit enim vnaquæque realitate & perfectione alterius perſonæ, nimirum, proprietate relativa alterius. At hoc abſurdum eſſe, patet: quoniam perſona, quæ non eſt ſimpliciter infinita, nequit eſſe divina & increata. Ergo in divinis non ſunt tres perſonæ reipſa diſtinctæ.

46 RESP. Negando ſequelam: quia licèt vnaquæque perſona careat relativa proprietate alterius perſonæ, quatenus non habet illam per identitatem, ſive quatenus ipſi relativè opponitur, adhuc vnaquæque earum eſt ſimpliciter infinita, propter identitatem realem cum eſſentia, quæ eſt infinita ſimpliciter in toto genere entis. vt demonſtratum fuit Tomo I. Diſp. XXXII. Deinde licèt vna perſona non ſit alia, ſed tres relativè diſtinguantur, adhuc non eſt verum abſolutè quòd vna perſona careat proprietatibus relativis alterius. Habet enim illas, non quidem per identitatem cum ijs, ſed ſecundùm περιχώρησιν, quam Latini Patres appellant circuminſeſsionem. Quod ſufficit, vt vnaquæque earum habeat proprietates reliquarum, dicaturque exiſtere, iuxta hymnum Eccleſiæ, *In Patre totus Filius, Et totus in Verbo Pater.* Eoque ſenſu Athanaſius loco mox allegando aiebat, *perfectam etiam paternitatem in Filio ſubſiſtere.* Et rurſus: *Quidquid eſt Filius, id ϑniuerſum eſt proprium* (id eſt, intimum) *ſubſtantiæ Patris.* Quod, quanam ratione intelligendum ſit, dicemus in progreſſu Operis, exponentes propriam rationem τῆς περιχωρήσεως, ſeu circuminſeſsionis. Denique, independenter ab ea doctrina, ſummùm colligitur, nullam ex perſonis divinis ſecundùm proprietatem perſonalem ac peculiarem eſſe infinitam ſimpliciter in toto genere relativo, ſed dumtaxat in genere relativo determinato filiationis, vel paternitatis, vel ſpirationis paſsivæ. Hoc enim ſenſu vnaquæque perſona, prout diſtincta ab alia, eſt relativè infinita, & præterea ſimpliciter infinita ſecundùm eſſentiam tribus communem,

in

in qua tres perſonæ ſunt vnum & idem numero. Quod ſacræ litteræ palam docent locis iam ſuprà indicatis & ex eiſdem colligit Athanaſius in Orat. contra gregales Sabellij, dum ait: *Filius identitatem habet cum Patre: & tamen ipſe interim Pater non eſt, ſed Vnus in natura cum Patre.* Similiter Dionyſius cap. 2. de Divin. nomin. inquit, divinas perſonas eſſe *coniunctas in vnum diſcretè & diſcretas coniunctim.*

47 DICES: Aut pluralitas perſonarum eſt neceſſaria in ente infinito, aut non. Si non; nullatenus eſt aſſerenda in Deo, qui ſecundùm ſe totum eſt ens ſimpliciter neceſſarium. Si autem neceſſaria eſt, etiam in vnaquaque perſona divina, vt perſona eſt, ponenda erit pluralitas perſonarum ſiquidem quælibet perſona divina neceſſariò eſt infinita in ratione perſonæ.

48 RESP. Pluralitatem perſonarum eſſe quidem neceſſariam in ente infinito: quia iuxta fidem, in divinis ſunt tres perſonæ: & aliunde ratio naturalis multipliciter demonſtrat, nullum accidens eſſe in Deo omniaque, quæcumque in ipſo ſunt, eſſentialiter ipſi competere: vt ſuprà vidimus latè cum Anſelmo cap. 14. 15. & 16. Indidem verò non probatur, in vnaquaque perſona tres perſonas neceſſariò eſſe debere. nam vnaquæque ex ijs ſolùm eſt infinita ſimpliciter ſecundùm eſſentiam reliquis communem ſecundùm proprietatem verò relativam, prout diſtinctam virtualiter ab eſſentia, ſolùm eſt infinita in genere aut quaſi genere determinato, v.g. paternitatis, vel filiationis paſſivæ. Mitto, quod nuper indicavi circa τὸ περιχώρησιν, iuxta quam dixit Chriſtus Dominus Ioannis 14. *Ego in Patre, & Pater in me eſt.* Idemque verè dicere potuit de Spiritu ſancto relatè ad vtrumque, & è converſo. Dionyſius quoque locc nuper indicato dixit: *Manent enim mutuò in ſeipſis divinæ perſonæ.* Sic enim vnaquæque perſona dici poteſt infinita etiam in toto genere relationis divinæ, quatenus vel per identitatem, vel per circuminſeſſionem habet in ſe omnes divinas relationes.

49 INSTANT Hæretici. Vnitas eſſentiæ divinæ in vnica perſona ſufficit prorſus ad omnia, quæ videntur neceſſaria in ente infinito, qualis eſt Deus. Eſt enim vnitas eſſentiæ ſimpliciter infinita: nihil autem vel intrà, vel extra Deum eſſe aut cogitari poteſt, ad quod præſtandum non ſufficiat id, quod ſimpliciter infinitum eſt. Ergo ſuperflua eſt omnino pluralitas perſonarum.

50 RESP. Negando antecedens: quoniam in ente infinito ſimpliciter, qualis eſt Deus, neceſſariæ ſimpliciter ſunt duæ proceſſiones veræ, altera Filij, altera Spiritus ſancti, iuxta ſacras litteras. Eæ verò ſalvari non poſſunt ſine vera pluralitate perſonarum: quoniam lumine naturæ evidens eſt, nihil poſſe à ſeipſo procedere. Deus autem non eſt qualecumque ens ſimpliciter infinitum: ſed illud nominatim, in quo divina Scriptura agnoſcit vim generandi & ſpirandi ad intrà: ac proinde eius infinitas nequit eſſe abſque productione & diſtinctione reali perſonarum.

51 TERTIO Obijciunt. In divinis nihil eſt, quod non ſit de intrinſeca ratione eſſentiæ divinæ, ſaltē in re, & ex parte obiecti. At pluralitas perſonarū non eſt de intrinſeca ratione eſſentiæ divinæ, & ex parte obiecti. Non ergo in Deo eſt pluralitas perſonarum. Maior eſt certa: quia quidquid eſt in Deo, eſt Deus. Alioqui non eſſet ſummè ſimplex, ſed compoſitus, aut capax accidentium, contra quā fides docet, & latè ſtabilitum relinquimus Diſp. XXVIII. & XXIX. Maior autem ſuadetur multiplicetur. *Primò*: Quia ſi pluralitas perſonarum eſſet de intrinſeca ratione divinæ eſſentiæ, hæc non eſſent ſimplex, ſed compoſita ex realitatibus diſtinctis. *Secundò*, quia inde ſequeretur, eſſentiam divinam non eſſe vnum per ſe, ſed per aggregationem ex pluribus. Etenim iuxta Ariſtot. ex pluribus entibus completis, ſeu in actu, nequit conſurgere vnū per ſe, ſed ſolùm aggregatione quadam. Atquī vnaquæque ex tribus perſonis eſſet ens in actu, & quidem completiſsimum. Ergo ex ijs non poſſet vnum per ſe conſurgere. Idque patet in pluribus perſonis creatis, ex quibus vnum per ſe coaleſcere nequit. *Tertiò*. Si enim de ratione intrinſeca eſſentiæ ſunt tres perſonæ, de nulla illarum prædicari poterit quòd ſit divina eſſentia, ſicuti de nulla perſona verè dicitur quòd ſit triplex perſona. Non enim de aliqua perſona prædicari poterit eſſentia, quin pariter de illa prædicentur tres perſonæ, ſi hæ intrinſecè eſſentiam conſtituunt. At conſequens eſt falſum: cùm certum ſit, eſſentiam de qualiber perſona prædicari. Non ergo de intrinſeca ratione eſſentiæ ſunt tres perſonæ.

52 RESP. Minor præcipuam ſyllogiſmi eſſe falſam, non ſolū loquendo in re, aut ex natura rei, iuxta quam nulla diſtinctio actualis eſt inter eſſentiam divinam & relationes, vt latè diximus Tom. I. Diſp. XXV. per totam; ſed etiam ſecundùm conceptum obiectivum, iuxta quem eſſentialiter, quamvis implicitè ſolùm, relationes conſtituunt Deitatem, & Deitas viciſsim relationes: vt pariter, ex frequenti Patrum doctrina, conſtituimus ibid. Diſp. XXVI. Quibus adiungo teſtimonium Athanaſij citata Oratione contra gregales Sabellij, vbi inquit: *Plenitudo & integri-*

gritas Deitas eſt Pater, vt Pater; & Filius, vt Filius. Atque inferiùs: *Idem de Filio & Spiritu ſancto eſt exiſtimandum.* Præterea Oration. 4. contra Arianos longè ab initio: *Quia Filius eſt imago Patris, neceſſe eſt vt cogites, ipſam proprietatem Patris, eſſentiam Filij conſtituere.* Similiter Gregorius Nazianzenus Oratione in ſancta lumina inquit: *Vnum in tribus diuinitas eſt, & tria vnum ea, in quibus diuinitas eſt. Vel, vt magis propriè loquar, tria ſunt ea, quæ ipſa diuinitas eſt.* Itaque illa propoſitio, quæ negat pluralitatem perſonarum eſſe de intrinſeca ratione eſſentiæ divinæ, eſt planè falſa.

53 VENIAMVS Ad ſingulas eius probationes AD I. Quamvis pluralitas perſonarum, etiam prout ſunt diſtinctæ inter ſe, ſit de intrinſeca ratione eſſentiæ divinæ, non ideo reſultat aliqua illorũ compoſitio, vel cum eſſentia, vel inter ſe. Non quidem cum eſſentia: quia vbi non eſt diſtinctorum vnio, nulla compoſitio eſt. Atqui nulla relatio in ſingulari, nec tres relationes ſimul, quibus conſtituuntur perſonæ, ſunt aliquid diſtinctum ab eſſentia, ſed vnum & idem cum ipſa, vt Catholica ſententia docet. Non ergo vllam compoſitionem faciunt cum eſſentia. Sed neque inter ſe. Compoſitio enim eſt propriè diſtinctorum vnio in ordine ad conſtituendum vnũ aliquod tertium. Atqui licèt tres perſonæ, quatenus invicem oppoſitæ, ſint reipſa diſtinctæ, non vniuntur in ordine ad conſtituendum vnum aliquod tertium. Non enim conſtituunt tertiam aliquam perſonam, vt patet; nec vnam naturam ſub ea ratione formali, quâ diſtinguuntur: quia prout exprimunt diſtinctionem, non poſſunt exprimere identitatem. Non ergo vlla compoſitio infertur ex pluralitate perſonarum. His adde, nec vniri perſonas ipſas vt actum & potentiam, vel tanquam materiam & formam, vel tanquam accidens & ſubiectum, vel denique vt partes homogeneas, aut heterogeneas, ſed ratione alia longè ſuperiori, & proinde nullam compoſitionem inferente: quæ ſanè, ſi aliqua eſſet, deberet vno aliquo ex ijs modis contingere.

54 AD II. Probationem. Illud axioma Ariſtotelicum, *ex pluribus entibus in actu nequit fieri vnum per ſe*; intelligitur ſolùm de ijs entibus in actu, quæ innoteſcunt lumine naturæ, aut ſervatis naturæ regulis: iuxta quas quodlibet ens in actu ſeorſim ab alio conſtat propria natura & entitate, nec habet, aut habere poteſt eandem numero naturam cum alio. Sic autem evidens eſt, ex pluribus fieri non poſſe vnum per ſe: quoniam ex pluribus nequit fieri per ſe vnum, niſi per ſe invicem ordinata ſint: non ordinantur autem per ſe invicem ea, quorum vnumquodque ſeorſim ab alio eſt ens completum in actu, & ſua propria natura conſtans. Quare ſolùm ſupereſt vt ex ijs fiat vnum per accidens ſolùm, ſeu aggregatione quadam. Perſonæ autẽ divinæ licèt ſint plura entia in actu ſecundùm proprias hypoſtaſes, non tamen ſecundùm naturam, quæ in tribus eadem numero eſt, & indiſtincta ſecundùm rem à ſingulis earum, atque à tribus ſimul. Quare ex tribus perſonis, & naturâ communi, conſurgit vnum per ſe: nimirum, vnus Deus per ſe in natura, & trinus in perſonis: non quidem per compoſitionem inter perſonas inter ſe comparatas, aut cum natura: ſed per identitatem in eâdem numero natura, & diſtinctionem atque oppoſitionem relativam in perſonis.

55 AD III. Probationem, negatur maior propoſitio ſive ſequela. Non enim de qualibet perſona prædicari poteſt quod ſit triplex perſona, ſed ſolùm id quod eſt, dicitur perſona triplex. Ideo Nazianzenus Oration. 5. de Theologia aiebat: *Filius non eſt Pater, ſed id, quod Pater. Nec Spiritus ſanctus eſt Filius, ſed quod Filius. Atque ita inconfuſa trium perſonarum diſtinctio in vna diuinitatis natura conſeruatur.* Similiter Auguſtinus in Pſalm. 48. concione 1. *Quidquid eſt Pater, quod Deus eſt, hoc eſt Filius, hoc eſt Spiritus ſanctus.* Itaque vnaquæque perſona eſt id, quod ſunt tres perſonæ: nimirum, eſt eadem quidditas, natura, divinitas, quæ indiviſim eſt triplex perſona: non tamen vnaquæque perſona eſt triplex. Hoc enim repugnat in terminis, & manifeſtã contradictionem involuit. Neque obeſt quòd tres perſonæ, ſeu hypoſtaſes, ſint de intrinſeco conceptu naturæ, ſeu identificentur reipſa cum eâdem natura. Adhuc enim hæc ab ijs diſtinguitur virtualiter intrinſecè, quæ eſt peculiaris quædam & eminentialis diſtinctio, fundata in divina infinitate & fœcunditate indiviſim, ſuprà omnem rationẽ naturalem, & quæ nec extra Deum habet idoneum exemplum, neque in Deo ipſo quantum ad ea, quæ ratione naturali demonſtrari poſſunt. De quo latè egimus Tomo I. Diſput. XXVII. per totam: vbi & plures difficultates, quæ hoc loci occurrere poſſent, præoccupavimus, nec vacat modò repetere. Itaque diſtinctio illa virtualis intrinſeca, quæ eſt inter naturam divinam & tres perſonas, ac quamlibet illarum ſeorſim; ſicut ſufficit vt aliqua prædicata in re affirmentur de eſſentia, quæ in re negantur de perſonis: ita etiam ſufficit, vt quamvis vnaquæque perſona ſit identificata cum eſſentia, non tamen ſit per identitatem alia perſona, aut tres perſonæ. Vide Anſel-

ſelmum infrà cap. 61, & 62. cum Scholijs noſtris ad ea loca.

56 VLTIMO Objicies. Anſelmus, D. Thomas, alijque Patres, ex infinitate Dei probant non plures vno Deos eſſe, ſed vnum numero dumtaxat: vt vidimus ſuprà Diſput. XIII. per totam. Ergo pariter ex infinitate perſonæ divinæ probari poteſt, non plures vnâ perſonas eſſe, ſed vnam numero dumtaxat. Nimirum, eadem ratio eſſe videtur vtriuſque.

57 RESP. Negando conſequentiam: quia pluralitas Deorum, eſt pluralitas in natura & perfectione eſſentiali, quæ, ſi infinita ſit, nequit eſſe duplex aut multiplex, propter rationes eo loco à nobis expenſas, & præſertim, quia natura vna careret perfectione eſſentiali alterius. quod repugnat infinito ſecundùm eſſentiam, & conceptui obiectivo divinitatis. Pluralitas autem perſonarum eâdem numero naturâ conſtantium, non obſtat infinitati eſſentiali vniuſcuiuſque earum: cùm quælibet earum ſit ipſa divinitas infinita per eſſentiam, nec aliquid excludat de eſſentiali eius perfectione, vel eo careat. Solùm itaque colligere licet, nullam ex perſonis, prout diſtinctam reipſa à reliquis, eſſe infinitam in toto genere, aut quaſi genere perſonæ, ſed ſolùm in determinato quaſi genere, vel paternitatis, vel filiationis, vel ſpirationis paſſivæ. Quo ſenſu infinitas, ſicuti non excludit proceſſionem veram vnius ab alio, vel relativam oppoſitionem in ea fundatam: ſic nec pluralitatem relationum, quarum quælibet in ſuo quaſi genere ſit infinita, ſeu nullo perfectionis aut formalis rationis ſuæ termino comprehenſa. An verò vnaquæque perſona & relatio ex propria & peculiari ratione importet perfectionem aliquam relativam, eamque finitam, aut infinitam, examinabimus in progreſſu Operis. Plura alia Sabellianorum argumenta in ipſos regeſta conſule apud Ruiz diſput. 19. de Trinit. ſect. 2.

DISPVTATIO LVIII.

AN IN TESTAMENTO VETERI TRADITVM SIT MYSTERIVM TRINITATIS. CONTRA IVDÆOS, ET HÆRETICOS QVOSDAM.

AD ILLVSTRISS. ET SPLENDIDISS. HEROEM, D. D. FERNANDVM DE MOSCOSO ET OSSORIO, Iacobæum Equitem, Excellentiſsimorum Principum Comitum de Altamira & Marchionum de Aſtorga digniſsimam ſobolem, cui præterea virtutum, ac litterarum decus iamdiu, poſt alia ampliſsima munera, locum ac ſedem dedit inter Patres Supremi Caſtellæ Senatus, &c.

VAMVIS Trinitatis myſterium tradatur variis Scripturæ locis, Iudæi, & hæretici, qui quoquo modo illud impugnarunt, teſtimonia ipſa abſurdè & præpoſterè interpretantur: ſive, vt dicam verbis Petri Apoſtoli Epiſt. 2. cap. 3. indocti & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras Scripturas, ad ſuam ipſorum perditionem. *Porrò loca Novi Teſtamenti, in quibus id myſterium palam exprimitur iam produximus Diſp. præced. ſpeciatim ſect. 5. Nunc autem quædam alia ex Teſtamento Veteri obſervanda ſunt, quibus eadem veritas probetur, non ſolùm contra Iudæos, ſed etiam Sabellianos, & alios quoſdam hæreticos in progreſſu notandos.*

SE-

SECTIO TERTIA.

Recenſentur Hæretici veteres & recentiores, qui directè myſterium ipſum Trinitatis impugnarunt. Porrò in Veteri Teſtamento non prædicari apertè omnino id myſterium, ſed in Novo dumtaxat. Rationes ex Patribus circa id obſervatæ.

2 QVAMVIS Innumeræ ſint ſectæ impugnantium plura eorum, quæ ad myſterium Trinitatis attinent, vt divinitatem ſolidam Filij, ac Spiritus ſancti, illius generationem naturalem, huiuſque proceſsionem, aliaque id genus; hoc loci ſolùm commemorandi ſunt, qui directè impugnant Trinitatẽ ipſam. Et vt omittam Iudæos, Mahumetanos, atque Ethnicos, quibus vel ipſius nomen exoſum aut ignotũ eſt, plures alij Trinitatem reiecerunt, hodieque: ac primùm quidem Sabellius, & ſequaces: qui nomine tenus Trinitatem admiſerunt, ſed reipſa, ſive quoad diſtinctionem veram perſonarũ, inficiati ſunt. Præterea Glaber Rodolphus lib. 3. cap. 8. teſtatur, Liſoium & Heribertum eò inſaniæ peruenisſe, vt dicerent, deliramenta eſſe, quæcumque habentur in Vetere ac Novo Teſtamento circa myſterium Trinitatis. Michael Servetus, qui ſæculo præcedenti omnia pene hæreſeon monſtra in vnum collegit & effutivit, donec Genevæ ab ipſis Sectarijs vivus combuſtus fuit anno M.D.LV. adeò exoſam habuit Trinitatẽ, vt omnes qui illam profitebantur, appellaret Tritheitas, & Atheos, quaſi aut Deum triparitum agnoſcerent, aut nullum.

3 SERVETO Subſcripſit in ea parte Theodorus Beza Epiſt. 1. vbi inſolentiſſimo auſu, & horrendo blaſphemiæ genere, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum appellat Cerberum tricipitem. Calvinus, licèt interdum de Trinitate rectè ſenſerit, & Genevenſes impulerit ad exurendum Servetum, adhuc pro ſui genij & ingenij vertigine, quæ hæreticis pene cognata eſt, invenitur impugnâſſe aliquando Trinitatem. Nam lib. 1. Inſtitut. cap. 13. §. 5. profitetur ſe deſideraſſe, vt ſepulta fuiſſent nomina Trinitatis, Perſonæ, Homoûſij, ſive conſubſtantialis. Vide infrà num. 34. Valentinus Gentilis Protheſi 35 ait: *Confuſsio trium in vnum & eundem numero ſpiritum, fundamentum & origo omnium errorum fuit.* Vnde ſi quam Trinitatem admiſit, ſolùm chimæricam tradidit. nimirum, eſſentiam loco Patris, veluti perſonam conditinctam à Filio & Spiritu ſancto: vt teſtatur de illo Bellarminus lib. 2. de Chriſto cap. 2. fine.

4 LVTHERVS Quoque, vt erat inſtabilis, quamvis aliàs myſterium Trinitatis admiſerit, aut docuerit, non ſemel illud impugnaſſe perhibetur. Non enim ſolùm dixit apud Valentiam lib. 1. de Trinit. cap. 7. *Anima mea odit vocabulum Homouſion*: nec ſolùm more Arianorum alicubi Filium Dei appellat *inſtrumentum Patris*: ſed etiam (quod directè huc ſpectat) in Litanijs, ſeu precationibus anni M.D.XLIII. expungi curavit precem illam: *Sancta Trinitas vnus Deus, miſerere nobis*. Præterea quemadmodum in Biblijs Germanica lingua editis Vvitembergæ, Ienæ, Lypſiæ, & Francofordiæ, ex loco illo Iſaiæ 9. v. 9. expunxit verba illa, *Deus fortis*, in quibus vera Chriſti divinitas aſſeritur: ita etiam ex Epiſt. 1. Ioannis cap. 5. auferri curavit luculentiſsimum illud Trinitatis teſtimoniũ: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres vnũ ſunt.* Lambertus quoque Danæus Genevenſis miniſter in lib. adverſum Noſtrum doctiſsimũ & eximium virum Genebrardum, audentior Luthero, aſſerit precationem illam ſolemnem, *Sancta Trinitas vnus Deus, miſerere nobis*, eſſe ineptam, inſanam, & inconcinnam. Theodorus Dorſchius impudentia ſimili ait: *Ab homine peccati eſt Deus trinus & vnus. nam hic nomine tantùm Deus: revera autem idolum eſt.* Chriſtianus Francus lib. contra Trinitatem apud Valentiam lib. 5. de Trinit. inquit, ex fonte deorum Gentilium innumeros ſanctos invocari, veluti minores deos, & tres divinas perſonas, veluti tres Deos maiores adorandos, in orbem Chriſtianum effluxiſſe. Lege Coccium lib. 1. de Trinit. art. 4. vbi eas hæreticorum inſanias & blaſphemias refert. Mitto Crellium recentem hæreticum in Polonia, qui myſteriũ Trinitatis latè & multipliciter evertere conatur lib. ea de re edito, & apud plures gregales ipſius Polonos ac Tranſylvanos celebri. de quo in progreſſu Operis.

5 ALIORVM Hæreſis ex oppoſito multiplicat in divinis perſonas vltra ternarium numerum. Hanc primi excogitaſſe videntur Gnoſtici, & Priſcillianiſtæ, relati ac proſcripti in Concilio I. Bracarenſi anno Chriſti DLX. ſub Ariamiro, ſeu Theodomiro Hiſpaniarum Rege can. 2. hiſce verbis: *Siquis extra ſanctam Trinitatem alia, neſcio quæ, divinitatis nomina introducit, dicens, quòd in ipſa diuinitate ſit Trinitas Trinitatis, ſicut Gnoſtici, & Priſcillianiſtæ dixerunt; anathema ſit.* Anaſtaſius quoque Imperator olim dixit, non Trinitatem, ſed Quaternitatem adorandam eſſe. in cuius ſceleris pœnam fulmine percuſſus interijt, vt teſtatur Paulus Diaconus, Pomponius Lætus, & Blondus apud Coccium iam allegatum lib. 1. de Trinit. art. 1. ſub initium.

Mitto

Mitto alias hæreſes prædictis affines. nam ſufficit hoc loco præcipuas indicaſſe.

6 VT Autem ad ſcopum in epigrapha Diſputationis præfixum accedamus, præmittere oportet illud Auguſtini Sermone 38. de Tempore nõ longè ab initio: *Omnis Scriptura Veteris ac Noui Teſtamenti, ſi Catholicè intelligitur, hoc inſinuat, quòd Pater & Filius & Spiritus ſanctus vnus ſit Deus eiuſdem ſubſtantiæ, vniuſque eſſentiæ, atque inſeparabilis in Diuinitate vnitas.* Sed id tamen diſcriminis eſt: quòd in Novo Teſtamẽto apertiſsima ſunt teſtimonia, in quibus ea veritas traditur: in Veteri autem ſubobſcura, & quoddammodo involuta: quoniam oportuit celſitudinem ſummam eius myſterij non vſque adeò apertã fuiſſe, ſed ſub involũcris quibuſdam, vſque ad tempus legis Evangelicæ: in quo Chriſtus Iuſtitiæ Sol venit ad illuminandum genus humanum; præſertim cùm Hebraico populo in pluralitatem deorum proclivi oporteret non clarè & diſtinctè proponi Trinitatem perſonarum, nec ita vt apertè diſcernerentur perſonæ divinæ. Nec tamen ideo probo quod aliqui aiunt, Septuaginta Interpretes eam ob cauſam in verſione Scripturæ reddidiſſe obſcuriorem notitiam Trinitatis, quàm in fonte Hebraico eſſet. Non, inquam, probo: tum quoniam eorum verſio, prout ab ijs primùm profecta eſt, germana & exacta fuit: tum præterea, quoniam verſio Septuaginta Interpretum non erat in vſu apud Hebræos, ſicut nec lingua Græca: ideoque non potuit ijs eſſe occaſio adorandi Deos plures. Alioqui idem periculum fuiſſet ex textu Hebraico & vernaculo, ſi in hoc clariùs, quàm in Græca verſione, traderetur Trinitas.

7 PORRO Trinitatis myſterium non fuiſſe luculenter expreſſum in Veteri Teſtamento, ſed eius notitiam plenam reſervatam eſſe in tempus legis Evangelicæ, multipliciter ſuaderi poteſt. *Primò*: quia in toto Veteri Teſtamento vix invenitur teſtimonium aliquod, aut ne vix quidem, in quo illud omnino apertè habeatur. Quod conſtabit ſectionibus ſequentibus, exhibitis in medium præcipuis eius locis allegari ſolitis, in quorum nullo Trinitas perſonarum evidenter traditur, licèt ex multis eorum, præſertim ſimul ſumptis, certò & firmiter colligatur. *Secundò*, eius notitiam indubiam & expreſſam fuiſſe reſervatam tempori legis gratiæ, nec vtcumque, ſed circa mortẽ Chriſti reſurrectionemque, colligitur ex verbis ipſius, qui, inſtante iam morte, Ioannis 16. dixit ad diſcipulos: *Hæc in proverbijs locutus ſum vobis. Venit hora cùm iam non in proverbijs loquar vobis, ſed palam de Patre annunciabo vobis.* Quam promiſsionem non debere accipi de tempore alterius vitæ, ſed huius præſentis, probat optimè Auguſtinus Tract. 102. in Ioannem, & confirmat Noſter Beda in eundem locum ex verbis Chriſti immediatè ſequentibus: *In illo die in nomine meo petetis*; quæ certè ad ſtatum huius mortalis vitæ pertinent. Quapropter ij duo Patres, & Cyrillus lib. 11. in Ioannem cap. 8. Chryſoſtomus Homil. 78. in Ioannem, ac Theophilactus, Euthymius, & Theodorus Heracleota, & cum ijs Toletus ac Maldonatus in eadem verba iam exſcripta Ioannis 16. cenſent notitiam apertam myſterij Trinitatis fuiſſe reſervatam in tempus poſt Reſurrectionem Chriſti, & adventum Spiritus ſancti. *Tertiò* denique idipſum colligitur ex verbis illis ipſius Chriſti Ioannis 17. *Pater, manifeſtaui nomen tuum hominibus.* Nam licèt Pater cœleſtis, quatenus Deus eſt, fuiſſet antea Iudæis notus, non tamen quatenus Pater Filij æterni. Quo ſenſu ea verba interpretantur Auguſtinus Tract. 106. in in Ioannem, Chryſoſtomus Homil. 80. Cyrillus lib. 11. in Ioannem cap. 18. & lib. 10 Theſauri prope finem, Rupertus Abbas, & Leontius in eundem locum. Ipiſum denotant verba illa Chriſti Ioannis 14. *Amodò cognoſcetis eum.* nimirum, Patrem: quia ante tempus illud, ſicuti incognitum erat Trinitatis myſterium, ita & Pater, vt Pater æterni Filij. Sic enim ea verba interpretatur idem Cyrillus ibidem lib. 9.

8 ILLVSTRANT Patres alij eandem doctrinam: quorum aliquot teſtimonia in medium proferre placet: ac primò quidem Cypriani in prologo libri de Cardinalibus operibus Chriſti circa medium, vbi loquens de myſterio Trinitatis inquit: *Ad hanc rerum adeò profundarum imaginem, niſi Incarnati Verbi magiſterium acceſsiſſet, humana defeciſſent ingenia: & neſcio, ſi & aliqui auderent ad hæc tentanda conatus aſſurgere.* Similiter Magnus Gregorius lib. 2. in Ezechielem Homil. 16. ait: *Sancti Patres, quos per ſanctam Scripturam ante legem fuiſſe cognoſcimus, vnum quidem omnipotentem Deum, ſanctam videlicet Trinitatem eſſe noverunt: ſed eandem Trinitatem, quam cognouerant, aperte minimè prædicauerunt.* Et paucis interpoſitis: *Hebræorum populus mandata Decalogi ſeruare conatus eſt: ſed tamen de cognitione ſanctæ Trinitatis eruditus non eſt. Et quamvis hanc ſpirituales Patres perfectè cognouiſſent, multitudo tamen Synagogæ nec inuenire myſterium Trinitatis potuit, nec quærere ſcivit. Superueniente autem gratia per Teſtamẽtum Nouum omnis fidelis populus, vnum Deum Trinitatem eſſe cognouit.*

9 SED Nec prætereundus eſt Theo-

do-

doretus lib.2. ad Græcos de Principijs, vbi de Hebræis loquens opportunam doctrinæ,in qua verſamur, rationem aſsignat: *Cùm in Ægypto longinquum ſanè tempus permanſiſſent,multorumque ibi Deorum cultum ritu Ægyptiaco didiciſſent , ſapientiſsimus Deus nequaquam illis manifeſtè, apertaque prorſus oratione,Trinitatis myſteria tradidit, ne ita propoſitam ſibi eſſe deorum multitudinem arbitrantes, occaſionem hanc haberent ad impietatem Ægyptiam declinandi. Trinitatis tamen dogmata ne tunc quidem venturis in poſterum penitus occultavit. In antiquis enim Scripturis perfectioris Theologiæ materiam, quaſi ſemina quædam , diſperſit.* Nimirum, varijs locis quæ poſtea allegat ex Geneſi, Deuteronomio,Pſalmis,& Prophetis. Hanc ipſam rationem abſconditæ notitiæ Trinitatis in ordine ad vulgus Hebræorum reddit Iſidorus Peluſiota lib.2. Epiſt. 143. & nos ſuprà indicavimus num *6*.

10 ALIAM Rationem aſsignat Nazianzenus Orat.37.quæ eſt 5. de Theologia, deſumptam ex ſuavi & naturæ rerum accommodato curſu divinæ providentiæ , quæ non ſubitò, ſed gradatim effecta perficit, & ab imperfectioribus ad perfecta & ſumma progreditur. Ait enim : *Vetus Teſtamentum Patrem apertè prædicabat, Filium obſcuriùs. Novum autem nobis Filium perſpicuè oſtendit , & Spiritus diuinitatem ſubobſcurè quoddammodo indicavit. Nunc verò Spiritus ipſe nobiſcum verſatur , ſeſeque nobis apertiùs declarat. Neque enim tutum erat Patris diuinitate nondum confeſſa , Filium apertè prædicari, nec Filij diuinitate adhuc amiſſa , ſpiritum ſanctum , velut graviorem quandam , ſi ita loqui fas eſt , ſarcinam nobis ingeri : ne alioqui , velut cibus vltra vires gravati, ac Solis radijs haberes oculos adijcientes , ijs quoque, quibus prædili eramus, viribus periclitaremur.* Hactenus ille: in cuius verbis quod dicitur, Patrem apertè prædicatum fuiſſe in Veteri Teſtamento, intelligendum eſt, propter quædam teſtimonia , præſertim Pſalmi 2. & alia infrà expendenda , in quibus exprimitur generatio divina: verùm non ita apertè, vt ab omnibus intelligeretur , ſed à paucis & cœlo probatis hominibus , & lumine divinitus dato. Similiter quod ſubdit , divinitatem Spiritus ſancti *ſubobſcurè quoddammodo* in Novo Teſtamento prædicatam fuiſſe, intelligi debet relatè ad claritatem multò maiorem,qua in die Pentecoſtes cognitus fuit. nam abſolutè divitas Spiritus ſancti ante Pentecoſtem tradita fuit palã à Chriſto Domino iam iam in cœlos aſcenſuro,verbis ijs:*Baptizantes eos in nomine Patris,& Filij,& Spiritus S.* Quo eodem ſenſu comparativo accipiendus eſt Epiphanius in Ancorato dum ait:*Vna deitas à Moyſe præcipuè annuntiata eſt : perſonarum dualitas à Prophetis vehementer prædicata:Trinitas verò perſonarum in Evangelio manifeſta facta eſt.* Etenim ab alijs Prophetis, ferè apertè prædicta fuit perſonarum divinarum dualitas: Trinitas autem ſolùm ex Novo Teſtamento palam innotuit , licèt etiam ex Veteri firmiter colligatur.

11 ITAQVE Oportet in medium proferre & expendere teſtimonia Veteris Teſtamenti, quibus ſubobſcurè traditur myſterium Trinitatis ; non ſolùm contra Iudæos , ſed etiam adverſus quoſdam hæreticos ſuperiùs notatos.

SECTIO SECVNDA.

Proferuntur loca Veteris Teſtamenti ex libro Geneſis , in quibus ſubobſcurè traditur myſterium Trinitatis , præſertim contra Iudæos,& Sabellianos:quorum evaſiones refutantur.

12 QVAMVIS Sectione præcedenti diximus , myſterium Trinitatis in Veteri Teſtamento fuiſſe traditum ſubobſcurè ſolùm; non propterea intelligendum tam abſtrusè aut ænigmaticè traditum,vt docti præſertim ac politi homines illud non intelligerent , nec perciperent in divinis aliquam diſtinctionem perſonarum.Id elegantèr verſibus deſcribit Nazianzenus ipſe, à quo nuper didicimus,Hebræis in Veteri Teſtamento Filium obſcuriùs ſignificatum, quàm Patrẽ. Accinit enim Carm 3.Arcan.

Os, τὶς δ' ἐνσελιδεσσι , θεοπνεύστοιο νόμοιο, &c. id eſt.

Qui autem in pagin's diuinæ legis
Spiritus cœleſtis percipere cupit diuinitatẽ,
Multas quidem & crebras ſemitas in
vnum coeuntes
Cernet, ſi lubet, & ſiquid Spiritus ſancti
Traxit corde ſuo , & ipſi mens acutè intuetur.
Quòd ſi nudam vocem optat diuinitatis
amabilis,
Sciat ſe non prudentem deſiderare rationẽ.
Non enim oportebat,
Cùm nondum Chriſti ipſa diuinitas mortalium pleriſque innotuiſſet,
Onus inducere cordibus imbecilliſsimis incredibile.
Non enim inchoantibus perfectior doctrina
Tempeſtiua eſt. Ecquis verò hebetibus adhuc oculis,vel ignis ſplendorem

Oſten-

Oſtendit totum, vel luce immoderatiore ſatiavit?

Conſultius eſt, ſi paulatim inferas igneos ſplendores.

Itaque notitia divinitatis in pluribus perſonis ita in Scriptura tradebatur ſubobſcurè, vt tamen qui ſubtiliori mente & lumine cœleſti erant præditi, facilè in eius teſtimonijs deprehendere poſſent diſtinctionem perſonarum intra Deum: non autem reliqui obtuſiores, & vulgares homines. Omittam verò loca illa Veteris Teſtamenti, ex quibus aliqui minùs ſolidè colligere ſtudent myſterium Trinitatis, ſeu pluralitatem perſonarum: eaque ſolùm proferam, quæ vim habere videntur ineluctabilem contra Iudæos & Sabellianos, vnicã in divinis perſonam agnoſcentes.

13 PRÆCIPVVS Scripturæ locus, iſque celeberrimus apud Patres, habetur Geneſis 1. v. 26. vbi Deus hominem conditurus ità loquitur: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Quibus verbis exprimitur conſultatio ac deliberatio plurium perſonarum circa opus à ſeipſis perficiendum. At certè non aliarum, quàm divinarũ. Deus enim ibi loquitur, vt Scriptura teſtatur. Ergo in divinis ſunt plures perſonæ.

14 HVIC Argumento dupliciter reſpondere conati ſunt Adverſarij. Quidam enim relati à Baſilio Homil. nona in Hexaêmeron ac Theodoreto Quæſt. 19. in Geneſim, aiunt, in ijs verbis, Deum, quamvis ſolitarium, ſecum loqui. Alij verò relati ab eodem Baſilio, & Ambroſio lib. 6. in Hexaêmer. cap. 7. ac Chryſoſtomo Homil. 7. in Geneſim, aiunt, Deum illis verbis alloqui Angelos. Quã interpretationem ex Hebræis ſequuntur præcipui inter illos omnes Abem Hezra, R. Selomoh, & R. Moſes Maiemonides lib. 2. More nebochim, ideſt, Ductoris dubiorum, cap. 6. Aiunt enim, Deum, quoties molitur præcipuum aliquod opus, deliberare ſeu conſultare cum familia ſua, ideſt, Angelis. id enim ſolemne eſſe in Scriptura: vt cùm Deus lib. 3. Regum 22. v. 19. conſilium habuit cum cœleſti militia circa internecionem Regis Achab. Etenim ibi Propheta Michæas ait: *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum, & omnẽ exercitum cœli aſſiſtentem ei à dextris & à ſiniſtris: & ait Dominus: Quis decipiet Achab Regem Iſrael vt aſcendat & cadat in Ramoth Galaad?* Non ergo mirum ſi Deus conſulat ac deliberet cum Angelis.

15 VERVM Vtraque evaſio facilè præcluditur. Prior quidem: nam, vt optimè vrget Baſilius allegatus, nemo prudens artifex, ſi ſit ſolus, ità loqui conſuevit: *Faciamus ſtatuam.* Nimirum, ea verba ſunt exhortantis, imperantiſve, aut inſtigantis ad opus, quod nemo præſtat erga ſe ſolum. Illuſtria ſunt verba Baſilij, quæ propterea exſcribo: *Quis enim faber, aut ærarius, aut lignarius, aut certè coriarius ſutor ſolus ipſe quidem, nec alio quoquam ſibi cooperante ſtipatus, interque artis ſuæ inſtrumenta deſidens: quis, inquã, ſibi ſoli admurmurat dicens, Faciamus gladium; aut, Compingamus aratrum; aut, Conficiamus calceamentum: ac non potiũs ſilentio ſuam, cùm libuerit, accommodatam ad artem exequitur operationem? Sunt enim inſignes profectò nugæ, vnum aliquem inveniri, qui ſibi imperet, ſiue præceptorem deſidere, ac heriliter ſeipſum vehementerque vrgere, & adhortari.* Poſterior autem tergiverſatio eſt futilior: quoniam ſtultum omnino eſt dicere, Deum ſervos ac miniſtros ſuos in conſilium vocare ad quævis opera edenda, ſed dumtaxat æquales, & ὁμοτίμους, inter quos eiuſmodi conſultatio tranſigitur. Quod opportunè obſervant Baſilius, Chryſoſtomus Tomo V. Homilia quadam in ea verba, & Ambroſius lib. 6. in Hexaêm. cap. 7. dicens: *Sed & Iudæi conticeſcant, & Ariani cum ſuis paribus obmuteſcant, qui dum vnum à conſortio diuinæ operationis excludunt, plures inſerunt; & prærogatiuam, quam Filio negant, ſervulis donant.* Nimirum, abſurditas eſt, ſervos in conſilium cum Deo admittere ad opera molienda, & excludere æquales. Deinde præcluditur eadem evaſio ex verbis immediatè ſequentibus: *Ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Non enim homo ad imaginem Angelorum factus eſt, ſed Dei. Solùm quippe factus eſt ad imaginem & ſimilitudinem eius, in quo reſidet idea, ſive exemplar rerum creandarum. Idea autem eiuſmodi in Deo ſolo reſidet, ſeu in ſola mente & eſſentia divina: vt ſuprà Anſelmus demonſtravit cap. 8. 9. ac 10. & nos cum ipſo. Rurſus. Illa conſultatio ac deliberatio habetur inter eos, qui vim habent faciendi hominem ad imaginem & ſimilitudinem Dei, quæ profectò & præcipuè ſecundùm animum rationalem eſt: atque adeò inter eos, qui vim habent creandi rationalem animam: vtpote quæ per ſolam creationem fit. Atqui Angelos non habere vim creandi aliquid, ac præſertim rationalem animam, explorata res eſt. Vt propterea Damaſcenus lib. 2. Fidei cap. 3. dixerit: *Quicumque autem ſunt, qui eſſentiam vllam, quæcumque tandem illa ſit, ab Angelis procreatam eſſe contendunt, horum ore pater ipſorum diabolus loquitur.* Rationem verò ſubdit, quam miror prætermiſiſſam à Iacobo Billio in ſua verſione, alioquin exacta & eleganti, ijs verbis: κτίσματα γὰρ ὄντες, οὐκ εἰσὶ δημιουργοί. id eſt: *Cùm enim ſint* crea-

creaturæ; non ſunt conditores. Ac præterea ſtatim: *Deus enim eſt, qui omnia fecit, omnibus prouidet ac proſpicit, omnia conſeruat, ſolus increatus.* Et Anſelmus ſupra cap. 6 fine: *Nihil apertius, quàm quòd illa ſumma eſſentia tantam rerum molem, tam numeroſam multitudinem, tam formosè formatam, tam ordinatè variatam, SOLA PER SEIPSAM PRODVXIT E NIHILO.* Vide quæ præmiſimus Tomo I. Diſput. XVI. & ſeqq. ad excludendum vim creandi ab Angelis, & ab omni creatura poſsibili. Dum ergo verba, *Faciamus hominem*, proferuntur inter ſolos eos, & ad illos, qui vim habent creandi; conſequens eſt, vt inter ſolas & ad ſolas divinas atque increatas perſonas proferantur, non autẽ ad Angelos incapaces creandi. Ideoque Athanaſius Serm. 3. contra Arianos aientes, Filium eſſe creatum, aiebat: *Quomodo ſecundùm vos ex non entibus extitit, potens non entia, vt entia ſint, condere atque architectari? Neque enim vel Angeli quidquam creare poſſunt, cùm & ipſi ſint creaturæ.*

16 ITAQVE Certum eſſe debet, non vnam aliquam ſingularem perſonam fuiſſe, quę verba *Faciamus hominem*, loquuta ſit, & id opus effecerit; ſed plures colloquentes ac deliberantes. In hoc enim omnes Catholicè conſentire debemus iuxta proprium ac litteralem ſenſum eorum verborum: licèt varia ac multiplex alioqui interpretatio ac ſententia Patrum ſit: exiſtimantibus quibuſdam, voces illas dirigi à Patre ad Filium, quem Scriptura appellat MAGNI CONSILII ANGELVM; prout exponunt Tertullianus lib. de carne Chriſti c. 5. Theophilus Anthioch. lib. 2. ad Autolicũ, Ambroſius vbi ſuprà, Antiochenæ Synodi Patres in Epiſt. ad Paulum Samoſatenum, Athanaſius Orat. ſeu lib. 4 contra Arianos, Auguſt. lib. 1. de Trinit. c. 7 Baſilius lib. 9 in Hexaëmerõ, Chryſoſt. Hom. 8. in Geneſim, Cyrillus Alex. lib. 1. in Ioann. cap. 2. aliiſque locis, Cyrillus Hieroſolym. Catecheſi 10. & Epiphan. Hæreſi 23. n. 5. vbi eam expoſitionem reſtatur eſſe communẽ ſenſum fidelium, & apprimè conſonam veritati. alijs verò arbitrantibus ijs verbis Patris æterni ſimul advocari Filium & Spiritũ ſanctum. Quod ſecundum cùm planè non ſolùm aſſerant alij Patres, ſed ij ipſi, quos nuper allegavimus, quamvis a lijs locis, quæ brevitatis cauſa prætermitto, non eſt putandus hic poſterior dicendi modus contrarius præcedenti: ſed vterque optimè cohæret. Denique alij deliberationem eſſe aiunt trium perſonarum divinarum ſecũ colloquentiũ. Quod ex allegatis Patribus docet Cyrillus Alex. lib. 1. adverſus Iulianum, ac præterea Fulgentius lib. de Fide ad Petrum cap. 1. Theodor. lib. 2. contra Græcos, & Iſidorus Peluſiota lib. 3. Epiſt. 112. vt alios plures omittam. Quapropter certum omnino & exploratum eſt, eam deliberationem inter plures perſonas divinas habitam, quæ ſimul molirentur creationem hominis, & inter quas ea verba haberentur.

17 QVOD Autem aliqui ex Rabbinis num. 14. allegati obijciunt ex Scriptura, vbi nonnunquã referuntur conventus Dei cum Angelis, præſertim circa Regẽ Achab; præter rem eſt. Nam, vt obſervant Patres, quoties in Scriptura creaturas alias convocat Deus, nominatim appellat illas atque exprimit, vt nulla ſit dubitatio. Sic res ſe habuit in loco illo 3. Regũ 22. vbi palam ſermo eſt cum exercitu cœleſti, quĩ iuxta clariſsima Scripturæ teſtimonia ex Angelis conſtat. Sic etiam Iob c. 1. & 2. conventus filiorum Dei, & ipſius Sathanæ ante eius faciem, ſignificat apertè Angelos. At verò in illo Geneſis loco nulla prorſus fit Angelorum mentio, neque aliquid denotatur, quod veroſimiliter de ijs accipi poſsit. Quare ſupereſt, vt illa deliberatio & locutio ſolùm inter divinas perſonas tranſigatur. Huc etiam ſpectant verba eiuſdem Geneſeos cap. 3. v. 22. vbi Deus inquit: *Ecce Adam quaſi vnus ex NOBIS factus eſt.* Quæ planè ſolùm à pluribus perſonis divinis & æqualibus proferri potuerunt: ſicuti & quæ habentur Geneſis 11. v. 7. *Venite, deſcendamus, & confundamus ibi linguas eorum, &c.* Nimirum cùm ijs vtriſque locis nulla Angelorum mentio fiat, nec à longè quidem indicetur, illa planè intelligi debent de pluribus perſonis divinis invicem loquentibus. Quod obſervant ibidem ſacri Interpretes: & æquè refellit perfidiam Iudæorum, ac locus præcedens ex cap. primo Geneſis, quidquid contradicat Aben Hezra, non alia ſolutione vtens, quàm refutatâ in præcedentibus, & quam ex gregalibus ſuis R. Salomoh veluti frivolam deſerit.

18 DVPLICI Teſtimonio iam producto ex Geneſi conſonant alia duo, quæ, licèt ſingula non habeant vim ineluctabilem contra Iudæos, aut Sabellianos; ſimul tamen ſumpta cum præcedentibus, myſterium Trinitatis, ſeu pluralitatem perſonarum planè demonſtrant.

19 PRIMVS Habetur Geneſis 18. vbi Dominus ita apparuit Abrahamo, vt tamen dicatur tres vidiſſe, & quaſi vnũ adoraſſe. Nimirũ cùm dicuntur *tres viri ſtantes prope eum*, ſubditur de Abrahamo: *Et adorauit in terram & dixit: Domine, ſi inveni gratiã in oculis tuis, &c.* Vbi licèt dubium non ſit, tres illos fuiſſe Angelos (ita enim teſtatur Auguſt. lib. 16. de Civit. c. 29.) certum eſt illos auguſtiorem formam exhibuiſſe, tum ſpecie ipſa, tum ex modo loquendi; ideoque Abrahamum meritò illos

tanquam Deum adoraſſe & compellaſſe. Similiter & ij ita ipſum alloquuntur, quaſi non tres eſſent, ſed vnus. Sic enim ipſum alloquuntur numero ſingulari ibid. v. 10. *Cui dixit: Revertens veniã ad te tempore iſto, vita comite.* Ac præterea v. 13. *Dixit autem Dominus ad Abraham: Quare riſit Sara?* Eodemque ſtylo numeri ſingularis progreditur ſæpe. Quare ex illo capite Patres colligunt ſignificationẽ vnitatis eſſentiæ, & pluralitatis perſonarum in divinis: præſertim verò Hilarius lib. 4. de Trin. Cyrillus Alex. lib. 1. contra Iulianum, Auguſt. lib. 2. de Trinit. cap. 11. & 12. dicens: *Tres viri viſi ſunt, nec quiſquam in eis, vel forma, vel ætate, vel poteſtate maior cæteris dictus eſt. Cur non hic accipiamus viſibiliter inſinuatam per creaturam viſibilem Trinitatis æqualitatem, atque in tribus perſonis vnam eandemque ſubſtantiam?* Athanaſius quoque Dialogo 3. de Sancta Trinitate contra Macedonium obſervat, Abrahamum, *agnitis tribus hypoſtaſibus, Dominum vnum adoraſſe* Quin & Chryſoſtomus Tomo III. Serm. ad illud 1. Corinth. 15 *Cum autem ſubiecta fuerint illi omnia, &c.* cenſet Trinitatem fuiſſe ſignificatã Abrahamo in viſione illa trium Angelorũ. Quare Eccleſia eandem interpretationem ſequens in ſolemni Officio Quinquageſimæ inquit de Abrahamo: *Tres vidit, & vnum adoravit.*

20 SECVNDVM Teſtimonium habẽtur cap. 19. immediatè ſequenti eiuſdem Geneſeos v. 24. vbi dicitur: *Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam, & Gomorrham, ſulphur à Domino de cœlo.* Vbi diſtinguuntur duę perſonæ divinæ, quarum vtraque abominandas illas vrbes igne cœlitus miſſo conſumpſerit, propter indiviſam Patris ac Filij naturam, potentiam, operationemque. Sic enim eum locũ vrgent graviſsimi Patres contra Iudæos & Arianos: præſertim S. Ignatius Martyr. Epiſt. ad Antiochenſes prope initium, Irenæus lib. 3. adverſus hæreſes cap. 6. Iuſtinus lib. de veritate Chriſtianæ Religionis, & in Dialogo cum Tryphone, Synodus I. Antiochena in Profeſſione Fidei miſſa ad Paulum Antiochenum §. 2. Sixtus I. Papa Epiſt. 1. Marcellinus Papa Epiſt. 1. Athanaſius Orat. 3 contra Arianos, Ambroſius lib. 1. de Fide cap. 2. Chryſoſtomus Tom. III. Serm. de Trinitate, Baſilius lib. 5 cõtra Eunomium, Cyrillus Alexandrinus lib. 1. in Ioannem cap. 2. Concilium Sirmienſe can. 16, vbi anathema infert, ſiquis verba illa PLVIT DOMINVS A DOMINO, *non de Filio & Patre intelligat, ſed ipſum à ſe pluiſſe dicat. Pluit enim Dominus Filius à Domino Patre.* Nec obeſt quod illa Synodus fuerit erratica, & in qua prævaluit Arianorum perfidia, nam quoad prædictum articulum non erravit, ſed ſubſcripſit communi interpretationi Patrum: ideoque ea ex parte probatur ab Hilario lib. de Synodis, cui & plurimi alij doctrina ac ſanctitate celebres conſentiunt, præter allegatos. Vide præterea Bellarminum lib. 1. de Chriſto cap. 7. Quod autem eruditiſsimus Petavius lib. 2. de Trinit. cap. 7. ait, poſſe teſtimonium illud Geneſeos, quamvis apud Chriſtianos validum, ab Hebræis eludi ex proprietate ſuæ linguæ, in qua ſæpe nomen proprium repeti ſolet, & vſurpari loco pronominis; id, inquam, ſolùm probat, hoc argumentum, ſeorſim acceptum, non eſſe omnino evidens & ἀναντίρρητον adverſus Iudæos. Aliunde tamen contra illos vrgeri poteſt. Nam in ipſo capite 19 Geneſis paulo antea, id eſt, v. 17. dictum fuerat de duobus Angelis, qui apparuerunt Loth: *Eduxeruntque eum, & poſuerunt extra ciuitatem, &c.* Statim autem Loth v. 18. immediato alloquitur illos, non numero plurali, ſed ſingulari, *Quæſo, Domine mi, quia inuenit ſervus tuus gratiam coram te, &c.* Deinde Angeli numero ſingulari reſpondent: *Suſcepi preces tuas, vt non ſubuertam vrbem, pro qua loquutus es.* Vbi duo illi Angeli loquentes de ſe ipſis numero ſingulari & plurali, quaſi eſſent vnum aliquid, & multi ſimul, denotant planè in verbis ſequentibus ſignificari etiam duos & vnum, dum additur ſtatim v. 24. *Dominus pluit ſuper Sodomam, & Gomorram ſulphur & ignem à Domino de cœlo.* Itaque ex illo indubiè colligitur pluralitas perſonarum divinarum, quæ tamen inter ſe ſint vnum aliquid, & propterea ſignificentur non modò numero plurali, ſed & ſingulari.

21 QVARE Audiendi non ſunt quotquot aiunt, in ijs verbis non eſſe myſterium aliquod, ſed Hebraiſmum, ſeu peculiarem phraſim linguæ ſacræ, vt in alijs ſimilibus locis. Quod dixerunt aliqui allegati & reiecti à Pererio Tomo III. in Geneſ. ad cap. 19. diſput. 4. Quamvis enim ea phraſis apud Hebræos in more ſit, adhuc tamen in illo loco deprehenduntur plura alia, ob quæ merito exiſtimetur, phraſim ipſam myſterio plenam eſſe; præſertim acceden.e communi Patrum conſenſu, quos num. præcedente allegavimus, & pluriũ aliorum. Quin & Rabbini aliquot apud Galatinum libro 2. de arcanis Catholicæ Veritatis capit. 6 prope finem, fatentur, eo loci denotari pluralitatem divinarum perſonarum. Nec præterea audiendi qui volunt, per Dominum, qui ibidem pluiſſe ſulphur dicitur, intelligi debere Angelum, qui Dei vices gerebat. Etenim in

ſa-

ſacro textu adhibetur Hebraicè vtroh qui ineffabile nomen IEHOVA, quod ſolius Dei eſt.

22 ID Autem obſervare oportet, quemadmodum in verbis illis, *Dominus pluit*, &c. intelligun.ur Pater & Filius, ex communi Patrum ſenſu ad litteram: ſic etiam duos Angelos, qui paulo antè apparuerunt Loth, repreſentaſſe perſonas Filij & Spiritus ſancti. Quod latè & ex inſtituto docet probatque S. Athanaſius Dialogo 3. de ſancta Trinitate contra Macedonium, & placet Auguſtino lib. 2. de Trinit. cap. 12. atque Iſidoro lib. 7. Etymolog. cap. 3 quoniam ij duo Angeli eodē cap. 19. Geneſis v. 13. dixerunt ſe miſſos fuiſſe à Domino. Pater autem non mittitur, ſed id proprium eſt Filij ac Spiritus ſancti. Ergo illi duo Angeli non repræſentabant Patrem, ſed Filium ac Spiritum ſanctum. Mitto illud Exodi 3. v. 6. *Deus Abraham, Deus Iſaac & Deus Iacob.* Ac præterea Deuteron. 6. v. 4. *Audi Iſrael: Dominus Deus noſter, Dominus vnus eſt.* Vbi ex communi ſenſu Patrum trina repetitio Trinitatem perſonarum denotat: ideoq; Eccleſia ex poſteriori loco eruit Reſponſorium quoddam infeſto SS. Trinitatis. In Hebræo autem, vt obſervat Cornelius, habetur: *Audi Iſrael: Deus, Deus noſter, Deus vnus eſt.* Subditque exinde derivatam eſſe noſtriam huius myſterij ad Ægyptios: apud quos celebre fuit Oraculum Serapidis ad Thulem Regem:

Πρῶτα θεός, μετέπειτα λόγος, καὶ πνεῦμα σὺν αὐτοῖς,
Ταῦτα δὲ σύμφυτα, ταῦτα καὶ εἰς ἓν ἑνωτατέτυκται. id eſt.

Primum Deus, deinde Verbum, & Spiritus cum illis:
Illa autem congenita, & in vnum coeuntia.

SECTIO TERTIA.

Expenduntur alia loca Veteris Teſtamenti, in quibus præterea indicatur pluralitas perſonarum diuinarum, ſeu etiam Trinitas, Aduerſariorum effugia præcluduntur.

23 CVM Pſalmi divinis myſterijs pleni ſint, non eſt dubitandum quin omnium illorum maximum ac ſupremum ſignificent, quale eſt pluralitatis, ſeu Trinitatis perſonarum in vnica & eadem natura. Porrò pluralitas ſeu diſtinctio perſonarū Patris & Filij luculenter traditur pluribus locis, quorum aliqua nunc indicare & breviter expendere oportet. Porrò celeberrimum eſt teſtimonium Pſalm. 2. v. 7. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu: ego hodie genui te.* Quæ verba de Chriſto Dei Filio accipi debere, certum fide eſt apud omnes Catholicos: ſiquidē eo ſenſu intelliguntur ad litterā Actorū 4. v. 25 & c. 13. v. 33. ad Hebræos c. 1. & 5. Apocal. 12. & 19. Quin & Veteres Hebræi id ipſum de Chriſto intellexerunt: vt teſtantur Aben Hezra, & R. Salomoh in Commentarijs, addentes, eum ſenſum eſſe multò faciliorem aptioremque: quamvis poſterior iſte in editione Veneta addat in odium Chriſtianorū, quos Minæos, id eſt, hæreticos appellat, illa verba intelligi debere de David, *vt hæreticis reſpondeatur.* Patet verò, generationem non verſari, niſi inter plures perſonas.

24 IDEM Colligitur ex Pſalm. 44. v. 6. *Sedes tua, Deus in ſæculum ſæculi, virga directionis, virga regni tui. Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem. Propterea vnxit te Deus, Deus tuus &c* Quæ verba adeò expreſſa ſunt, vt non modò ab omnibus Chriſtianis cum Apoſtolo ad Hebræos 1. v. 8. accipiantur de Chriſto, ſed etiā ab Hebræis. Et certè vel ij ipſi nihil aliud dicere poſſent: cùm in eo teſtimonio Deus vngens & vnctus planè diſtinguantur, veluti perſonæ duæ. Verùm plura huc ſpectantia, & alia Veteris Teſtamenti loca, obſervabimus in progreſſu, vbi de vera divinitate Filij ſermo erit. Neque enim oportet ea omnia inferere hoc loco.

25 VENIAMVS Itaque ad loca illa, in quibus non adeò expreſsè, ſed ſubobſcurè ſignificatur Trinitas. Pſalm. 32. v. 6. dicitur: *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Vbi Dominus, Verbum, & Spiritus, ex communi omnium Patrum Græcorum & Latinorum ſenſu ſignificant tres perſonas divinas Quod ipſum fatentur ex Rabbinis allegati à Galatino lib. 2. de arcanis, cap. 4. & à Paulo Burgenſi in Scrutinio Scriptur. part. 1. diſt. 9. cap. 12. Vnde Noſter Genebrardus ibidem in Commentario ad marginem poſuit: *Sanctiſsima Trinitas à Davide agnita.* Prolixum autem eſſet allegare innumera Patrum teſtimonia in id conſentientium, quæ videri poſſunt apud Lorinum & alios Interpretes, ac præterea apud Ruiz de Trinit. diſp. 36. ſect. 5. vbi denſum ipſorum agmen appellat.

26 PSALMO Sexageſimo ſexto, v. 8. dicitur: *Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus.* Qua trina repetitione ſignificari tres perſonas divinas ſub vnica natura, ſicuti & in loco illo Deuter. ſupr. n. 22. expenſo, cenſent Alexander Papa I. Epiſt. 1. cap. 6. Benedictus Papa I in Epiſtola decretali, Gregorius Magnus lib. 29. Moral. capit. 16.

plurimique alij Patres apud Lorinum ibid. Quare & in ſolemni officio SS. Trinitatis inde quoddam Reſponſorium deſumptum eſt.

27 DICES Ex obſervatione Petavij vbi ſuprà, aliorumque: Scriptura interdum loco relativi pronominis repetit eiuſdē perſonæ nomen. veluti dum 1. Corinth. 1. dicitur: *Expectantibus revelationem Domini noſtri IESV CHRISTI, qui & confirmavit vos vſque in finē ſine crimine in die aduentus Domini noſtri IESV CHRISTI.* Et tamen exinde nō licet colligere in Chriſto duas perſonas: vt obſervat Athanaſius Orat. 5. contra Arianos, coniungens illam repetitionem cum altera Levit. 9 v. 7. & ſeqq. Similiter Geneſis 4 Lamech alloquens vxores ſuas ait: *Audite me vxores Lamech*: quaſi dicat: *vxores meæ*. Non enim inde poteſt colligi duplex Lamech ex repetitione nominis. Ergo neque ex eo, quòd Deus repetatur pluries in illo Pſalmo, inferri poteſt pluralitas perſonarum in Deo, ſaltem ita, vt vt Hebræi vllum veroſimile effugium habere nequeant.

28 RESP. Iam ſuprà dictum fuiſſe, non quodlibet ex ijs teſtimonijs ſeorſim ſumptum habere vim ineluctabilē contra Iudęos, niſi cęteris adiungatur: quæ omnia ſimul ad convincendam eorum pervicaciam ſunt planè ἀνατίῤῥητα, ſeu inconcuſſa. Deinde, adhuc perſiſtendo in argumento præiacto, dico, ſicuti eadem vocabula in Scriptura ſignificant res longè diverſas, iuxta varietatem materiæ, quæ tractatur, & habita ratione contextus: ita etiam figuras dictionis, & repetitionem eiuſdem vocabuli, interdum diverſas ſignificationes habere. Dei autem & Domini repetitio, iuxta conditionē propriā rei ſignificatæ ijs nominibus, & in plurimis Scripturæ locis declaratæ, habet vim ſignificandi perſonas diſtinctas in divinis. Cùm, verò ex eadem Scriptura apertè conſtet, non fuiſſe duplicem Lamech in illo loco Geneſis, nec duplicem IESVM CHRISTVM, ſed vnicum; conſequens eſt vt repetitio in locis, quæ nobis obijciuntur, cadat ſupra vnicam & eandem perſonam.

29 EX Prophetis autem celeberrimus eſt locus Iſaiæ 6. v. 3. vbi Seraphim *clamabant alter ad alterum, & dicebant: SANCTVS, SANCTVS, SANCTVS: Dominus Deus exercituum, plena eſt omnis terra gloria eius.* Quibus verbis tres perſonas divinas ſignificari concors Catholicorum omnium ſententia eſt, licèt alioqui inter eos diſcordia ſit, an Iſaias tunc viderit Deum tantū qualicumque illo viſionis genere, an etiam tres perſonas diſtinctè. Etenim Alcaz. in Apoc. 4. v. 2. not. 3. exiſtimat, Iſaiam vidiſſe ſolum Deum Patrem, non item reliquas perſonas: & pro ſua ſententia appellat Irenæum, Origenē, & Athanaſium. Alij verò per plures, qui cenſent Filiū apparuiſſe in omnibus viſionibus Veteris Teſtamenti, vt præberet ſpeciē Incarnationis futuræ, idipſum arbitrantur hoc loco. quod præterea confirmant cum Procopio eruditiſsimi Interpretes Arias Montan & Gaſpar Sanchez, Omnes tamen ij & reliqui ex Catholicis profitentur, quæcunque perſona directè viſa fuerit ab Iſaia, reliquas etiam apparuiſſe, ſaltem concomittanter, propter identitatem in divina eſſentia, & περιχώρησιν, ſeu circuminſeſsionem vniuſcuiuſque perſonæ in alijs, de qua latè in Scholijs ad Opuſcul. III. S. Anſelmi: tum præterea, quoniam opera Dei ad extra, ac per conſequens apparitiones, indiviſim cōveniunt tribus perſonis. Vnde & Ambroſius lib. 3. de Spiritu S. c. 23. ac cæteri Patres, aiunt Seraphinos eo loci ter clamaſſe SANCTVS in cultū ſummæ Trinitatis. Quare & Procopius ibidē ait: *Seraphim, qui Dominum Sabaoth dicunt, in vna diuinitatis natura Trinitatem ponunt.*

30 DICENDVM Autem omnino eſt, Iſaiæ ſimul apparuiſſe tres perſonas ſanctæ Trinitatis directè & expreſsè: proindeq; imaginem illam, quæ in mente Prophetæ fuit, repræſentaſſe ſimul vnitatem eſſentiæ, & tres perſonas, ſublimi quodam & arcano modo: quemadmodum ſi alicui infunderetur ſpecies quidditativa viſionis beatificæ attingentis Deū vnum & trinum prout in ſe eſt, per illam cognoſceret evidenter abſtractivè vnitatem eſſentiæ, & Trinitatem perſonarum, cum ipſa viſione connexam, per modum obiecti. Idemque eſſet de ſpecie perfectè repræſentante actum fidei theologicæ, quo credimus explicitè myſterium Trinitatis. Ita Cornelius ibidem, ſicuti & Tolerus ac Maldonatus in cap. 12. Ioannis. Idque ſuadetur multipliciter. *Primò*. Nam in dicto cap. Ioannis palam dicitur v. 41. Filium tunc apparuiſſe Iſaiæ, verbis illis: *Hæc dixit Iſaias quando vidit gloriam eius, & locutus eſt de eo.* Idipſum de Spiritu ſancto patet Actorum 28. v. 25. vbi Paulus Apoſtolus ait: *Bene Spiritus ſanctus loquutus per Iſaiam Prophetam ad patres noſtros, dicens: Vade ad populum iſtum, & dices ad eos: Aure auditis, & non intelligetis, &c.* Nimirum, illo ipſo cap. 6. Iſaiæ, in cuius loco explanando, & vrgendo verſamur. Itaque idem ipſe Spiritus ſanctus, quem Iſaias illo cap. 6. dicitur vidiſſe in ſolio ſedentem, eſt quem Paulus ait tunc loquutum fuiſſe per Iſaiam Ergo tunc apparuit ipſi Filius & Spiritus ſanctus. Cumque aliunde omnes Interpretes conſentiant in eo, vt Pater ipſi tunc apparuerit in ſolio ſedens; conſequens demum eſt, vt tres perſonę divinæ apparuerint directè Iſaiæ. *Secundò* id

ſua,

ſuadetur: quia tunc Iſaias vidit illum Dominum, quem Seraphini laudabant clamantes tunc alter ad alterum. Seraphini autem clamant ſemel, *Dominus Deus Sabaoth*, propter vnitatẽ eſſentiæ: & ter SANCTVS propter Trinitatem perſonarum: vt eſt concors omniũ Patrũ ſententia apud Leonẽ de Caſtro, & Cornelium allegatum, ibidem. Ergo & Iſaias vidit tunc vnitatem eſſentiæ, ac Trinitatem perſonarum. Vidit, inquam, eo genere viſionis, quod intra beatificam ac quidditativam eſt, & quale nuper deſcripſimus, aut certè alio prorſus ignoto ex innumeris, quibus Deus ſeipſum certò manifeſtare ſolet, aut poteſt.

31 ITAQVE Ex loco illo planè colligitur Trinitas perſonarum. Quod non ſolùm apud omnes Catholicos eſt certum, ſed etiam in confeſſo apud quoſdam ex Hebræis: ex quibus R. Simeon filius Iaoi, teſte Galatino lib. 2. c. 1. ait: *Sanctus hic eſt Pater, Sanctus hic eſt Filius, Sanctus hic eſt Spiritus ſanctus.* Addit idem Galatinus, Rabbinos ſanxiſſe, vt ſaltem bis in die, ſcilicet oriente & occidente Sole, à quolibet Iudæo recitentur illa verba Seraphinorum apud Iſaiam, aut illa Moyſis Deuteron. 6. v. 4. iuxta Hebraicũ textum: *Audi Iſrael, Deus, Deus noſter, Deus vnus eſt.* Aſſerit vlteriùs, eam conſuetudinem vſque ad ſua tempora perſeveraſſe apud Iudæos, vt proinde vnum Deum & Trinitatem perſonarum profiterentur, repetendo ter Deum ex loco Deuteronomij, quemadmodum & Sanctum ex Iſaia. Quòd autem in Deuteronomio addatur ſecundo loco *noſter*, denotat planè Verbum divinũ, quatenus carnem noſtram aſſumpſit, & datum fuit Emmanuel. Quo ſenſu etiam David ſecundo loco poſuit *noſter*, dum dixit Pſalm. 66. v. 7. *Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus.* Denique eruditiſsimus Noſter Genebrardus in fine lib. 1. Chronologiæ allegat veterem Rabbinum Ibba, iuxta quem per triplicem vocem KADOS, id eſt, SANCTVS, idem ſignificatur, quod alibi per tria ſpecula, tria luminaria, tres ſupremos patres initio ac fine carentes; alibi quoque per tria *iodim*, deſignantia tres, *Iehova*, id eſt, tres perſonas divinas.

32 PRÆDICTVM Iſaiæ locum, quatenus in eo explicatur vnitas eſſentiæ, & Trinitas perſonarum, illuſtrant ſpeciatim Hieronymus, Cyrillus, Procopius, & Origenes ibidem, Ambroſius lib 3 de Spiritu ſancto c 23. Auguſt. Tom III. lib. de Fide ad Petrum cap. 1. & Damaſcenus in Triſagio, vbi opportunè inquit: *Deitas trinè ſanctificatur, gloriaque afficitur, cùm dicitur ter Sanctus, Sanctus, Sanctus: ac rurſus tres hypoſtaſes vna tantũ gloriâ afficiuntur, cùm dicitur, Dominus Deus Sabaoth, plena eſt omnis terra gloria eius. Sanctus ergo Pater, ſanctus Filius, ſanctus Spiritus ſanctus. Ter ſanctam ergo dicimus Deitatem, & Trinitatem, non verò vnicam eius perſonam.* Quin & Synodus V. Generalis, quæ fuit Conſtantinop. II. eandem interpretationem confirmat, & tres ſummi Pontifices nominatim: id eſt Alexander I. Epiſt. 3. cap. 6. quod tanquam vnica Epiſtola Benedicti I. Papæ habetur Tomo II. Conciliorum, & Felix Papa Epiſt. 3. ad Petrum Fullonem ex Synodo Romana: vbi & præterea veritatem eius interpretationis confirmat inſigni miraculo, quod his verbis enarrat: *Cùm terræmotu Conſtantinopolis quateretur, populuſque in campo oraret, infantulus, toto populo ſpectante cum Proclo ciuitatis Epiſcopo, in cœlum per vnam horam raptus eſt, ibique huiuſmodi didicit hymnum. Rurſumque deſcendens nuntiauit, quæ in æthere audierat, dicens, de cœlo, quaſi de multitudine pſallentiũ, huiuſmodi laudes inſonuiſſe auribus ſuis, dictumque ſibi, vt eam laudationem populo indicaret. Quam vbi populi inceperant, ciuitatem receperunt, Deoque per huiuſmodi laudem propitio facto, ab imminenti ira liberati ſunt.*

33 PORRO Hymnus ipſe, ſeu Litania, quã puer revelavit Conſtantinopolitanis civibus, conſtat ex verbis Seraphinorum apud Iſaiam, & nonnullis præterea additis. nimirũ, ἅγιος ὁ θεὸς ἰσχυρὸς, ἅγιος ἀθάνατος, ἐλέησον ἡμᾶς. *Sanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctus immortalis, miſerere nobis.* Accidit verò id Theodoſio Iuniore imperante anno Chriſti CDXLVI. quo ipſo tempore graſſabatur hæreſis Eutychiana effutiens, vnicam naturam, ſicut & perſonam, eſſe in Chriſto; & ſubinde divinitatem ipſam paſſam ac crucifixam. Cui perfidiæ contradixit hymnus, Deum celebrans, veluti fortem, & immortalẽ; qui proinde nihil in natura ſua pati potuerit per vnionem hypoſtaticam. Ac propterea ipſo miraculo confirmata fuit fides Trinitatis, iuxta illum Iſaiæ locum, in quo Triſagion canitur. Eandem hiſtoriam tradunt Damaſcenus loco allegato, & Nicephorus lib. 14. c. 46. vbi poſtquam latè narravit inſolitum & horrendum illum terræmotum, longè lateque graſſantem, & ſpeciatim Conſtantinopolitanæ vrbi excidium penitus afferentẽ, ſubdit: *Byzantij autẽ in maximum coniecti metum, à ruinis ædificiorum ſibi timentes, muros reliquerunt: & extra vrbẽ in Cãpo, qui dicitur, morati ſunt, vnà cũ Imperatore Theodoſio, & Patriarcha Proclo, cõtinuis precibus incũbentes. Deumq; vt propitius eis eſſet, & ab imminenti calamitate vrbem liberaret, obteſtantes. Et cùm aliquando motu eo graſſante, terra veluti fluctuans con-*

cuteretur, & homines per motum eam ex fundamentis ipſis extirpatum iri verererentur, & omnes litanijs ac ſupplicationibus dediti collachrymarent, & ex profundo intimoque animo miſericordiam diuinam implorarent: tum miraculum præter opinionem omnium, quod ſenſum & mentem omnium excedat, ſubſequutum eſt. Subitò nanque è medio, in ſpectantibus omnibus, diuina quadam vi puer in aerem ſublimis ad cœleſtem vſque tractũ, ita vt iam non appareret, ſublatus, diuinam vocem, qua Angelis Deum laudibus ferre mos eſt, audiuit: eaque voce percepta, rurſum priore per aerem via reverſus deſcendit: & Epiſcopo Proclo, ipſique Imperatori, & multitudini omni, ſupplicationibus operanti, Deumque hymnis celebranti, ab Angelis canentibus ſe verba hæc audiuiſſe renuntiavit: SANCTVS DEVS, SANCTVS FORTIS, SANCTVS IMMORTALIS, MISERERE NOSTRI. Quæ vbi Proclus intellexit, ſtatim ad eum modum populum pſallere iuſſit: & terræmotus ſtatim conſtitit, omninoque conquievit, &c. Puer verborum eorum miniſterium exequutus, ſtatim vita defunctus eſt, & in magna Eccleſia, quæ Pacis nomen obtinet, conditus. Locus autem, in quo ille in ſublime actus eſt, poſtea ὑψωμάθιον, id eſt, diuina exaltatio, vocatus eſt. Hæc, & plura alia ibi, lectu digniſſima.

34 VNDE Audiendus non eſt Calvinus, qui exiſtimat eo Iſaiæ teſtimonio non probari Trinitatem perſonarum in vnitate eſſentiæ, adhuc contra Arianos, nec vtendum nobis eo eſſe, ne ijs ridiculi ſimus. *Et certè*, inquit, *hac repetitione potiùs indefeſſa aſſiduitas notatur: ac ſi dixiſſet Propheta, nullum angelicæ melodiæ finem eſſe in canendis Deo laudibus; ſicut inexhauſtam earum materiam ſuppeditat nobis eius ſanctitas.* Ergonè de ridiculo erit Arianis Patrum ac Theologorum, immo ipſius Eccleſiæ communis ſenſus circa illa verba, cùm vel ex ipſis Rabbinis aliqui in eo loco Trinitatem agnoſcant? Cùm cœlum ad confirmandam fidem Theodoſij, atque Imperij Orientalis circa myſterium Trinitatis, ex teſtimonio illo creditum, & ab ijs probatum contra Arium, tam publicum & inſigne miraculum ediderit? Iunge hæc cum pluribus alijs, quæ in ipſo Calvino notavimus ſuprà Diſp. LIV. num. 8. & vide, an iure iniuriàve Hunnius librum ediderit Calvino maſtygem ſub hac epigrapha: CALVINVS ARIANIZANS. Vide ſuprà num. 3.

35 CERTE Summa illa & clariſſima Eccleſiæ lumina (Pontifices Summos & & Patres dico) longè aliter exiſtimârunt, in eo Seraphinorum hymno ſanctam & individuam Trinitatem apertè ſignificari. Atque in ijs Damaſcenus laudato loco probat, vnicam perſonam divinam ſingillatim acceptam non poſſe appellari Triſagion, nec Trilumen: ſed id tribus perſonis ſimul & indiviſim convenire. Similiter, præter Patres iam allegatos, Antheon Epiſcopus Arſinoenſis in Epiſtola ad Petrum Anthiochenum (quæ edita invenitur in quâdam Synodo Conſtantinopolitana ſub Felice Papa III.) probat Triſagio illo ſignificari Trinitatẽ perſonarum: ac præterea exinde refellit eiuſdem Petri hæreſim, quâ denotabat crucifixum fuiſſe Spiritum ſanctum, vel aliam quandam perſonã, ideoque illi hymno addiderat vocem *crucifixus*. Aut etiam, vt alij exiſtimant, quia arbitrabatur totam Trinitatem fuiſſe crucifixam, vel Triſagion competere ſoli Filio, tanquam ſit Trinitas vnica Filij perſona, vt ſomniavit Sabellius, eaq; pro nobis crucifixa. Lege Baroniũ ad annum Chriſti CDLXXXIII. & Acta Synodi II Conſtantinopolitanę contra eundem Petrum Gnaphæum, ſive Fullonem.

36 CONFIRMATVR Idem ſenſus communis Eccleſiæ contra Iudæos, & Hæreticos cuiuslibet ſectæ ex verbis ſubiunctis eodem cap. 6. Iſaiæ proſequentis ſuam viſionem v. 8. *Et dixit Dominus ad me: Quem mittã, & quis ibit nobis.* Vbi iterum luculentiùs exprimitur vnitas eſſentiæ, & Trinitas perſonarũ: vnitas, vbi in ſingulari dicitur MITTAM: Trinitas autem in plurali vbi additur NOBIS: quemadmodum ſuprà à num. 13. in varijs teſtimonijs Geneſeos obſervatum eſt. Verùm & nominatim Arianos (quidquid Calvinus refragetur) eo Iſaiæ loco deturbari patet, regrediẽdo ad totum Iſaiæ locum, & exinde probando ſolidam Filij divinitatem hoc vno ſyllogiſmo: Ille, quem vidit Iſaias, fuit proculdubio verus Deus: vt patet ex contextu, & ipſi Arianĩ fatentur. Atqui Iſaias tunc vidit Filium Dei: vt patet Ioannis 12. v. 41. Ergo Filius Dei eſt verus Deus. Quid ad hæc Calvinus pro Arianis, aut ij pro ſeipſis? Vtraque præmiſſarum conſtat apertè ex Scriptura. Conſequentia autem eſt evidens.

37 ALTER Iſaiæ locus celebris habetur cap. 48. v. 16. vbi dicitur: *Ex tempore antequam fieret, ibi eram: & nunc Dominus Deus miſit me, & Spiritus eius.* Quibus verbis ſignificari myſticè Sanct. Trinitatem (ſcilicet, Filium, qui miſſus ſit à Patre, & à Spiritu ſancto, quatenus Filius ipſe homo eſt) cenſent Cyrillus, Procopius, Haymo Alberſtadenſis, & D. Thomas, poſt Origenem, Euſebium, Athanaſium, Aguſtinũ, & alios plures, quos allegat & ſequitur Leo de Caſtro ibid. & Galatinus lib. 2. de arca-

nis cap. 10. Hieronymus quoque ea verba ita exponit: *Quando fiebant omnia à Patre, Filius erat cum eo, cui adgaudebat. qui etiam nunc dicit: Ego, qui ſemper eram cum Patre, & in Patre, & ſine Patre nunquam eram; etiam nunc loquor: & iuxta frágilitatem carnis aſſumptæ dico, quòd Dominus Deus miſit me, & Spiritus eius: breviquè verſiculo Trinitatis oſtenditur Sacramentum.*

38 QVOD Si verò obijcias, Filium non mitti à Spiritu ſancto, cùm ab eo non procedat, & nemo in divinis mittatur niſi ab eo, à quo procedit; RESP. id intelligi debere de Filio ſecundùm naturam divinam, quà Verbum eſt. Sic enim ſolùm à Patre mittitur: vt docent Theologi cum D. Thom. 1. part. quæſt. 34. articul. 8. Cæterum quà homo eſt, ſive prout in natura humana, etiam à Spiritu ſancto mittitur, vt ijdem Scholaſtici docent duce Anſelmo libro de Proceſſione Spiritus ſancti contra Græcos column. 11. cap. 6. aliquantò poſt medium, illis verbis: *Si autem dicunt (Græci) quia Spiritus ſanctus mittit etiam Filium, ſicut idem ipſe dicit per Prophetam: Et nunc Dominus Deus miſit me, & Spiritus eius: hoc ſecundùm hominem, quem gerebat, intelligendum eſt, qui Patris & Spiritus ſancti vna voluntate & diſpoſitione mundum redempturus in mundo apparuit.* Sed de hoc ibidem latiùs in Commentarijs.

39 RVRSVS In eodem teſtimonio obſervandum eſt, de Patre & Spiritu ſancto dici, non *miſſerunt* in plurali, ſed *miſit* in ſingulari: quò denotatur, perſonas mittentes eſſe vnum & idem ſecundùm naturam & virtutem divinam, quâ mittunt Filium vt hominem in ſalutem mundi. Vnde & ex eiſdem verbis Paſchaſius lib. de Spiritu ſancto cap. 7. colligit, Spiritum ſanctum eſſe hypoſtaſim, ſeu perſonam ſubſiſtentem in Trinitate, à reliquis diſtinctam, dicens: *Aliter ergo in perſona eſt Dominus Pater, alter Spiritus Dei Patris. Itaque dum à Patre & Spiritu ſancto deſtinari Filius legitur, ſub trium nomine perſonarum, Spiritus Sanctus à ſemetipſo* (id eſt, per ſemetipſum) *ſubſiſtere, evidenter aperitur.*

40 MITTO Alia plura teſtimonia eiuſdem Veteris Teſtamenti, quibus Patres vtuntur ad probandum diſtinctionem realem perſonarum in divinis, & illa nominatim, quæ de Chriſto, ſeu Meſsia venturo annuntiabant planè & perſpicuè veram ac ſolidam divinitatem diſtinctionemque à perſona divina mittente. Quorum præcipua in progreſſu Operis expendemus. Verùm quoniam ex ijs pariter demonſtratur ſolida divinitas Chriſti, ab Arianis negata; pariter proferentur contra Iudæos & Arianos, ne eadem loca Scripturæ ſæpiùs, quàm par eſt, repetere cogamur.

(?)

DISPVTATIO LIX.

AN IDENTITAS, SIVE VNITAS NATVRÆ DIVINÆ IN TRIBVS PERSONIS, tradatur in Novo Teſtamento?

CONTRA HÆRETICOS, PRÆSERTIM TRITHEITAS, ET ARIANOS.

AD ILLVSTRISS. ET NOBILISS. HEROEM, D. D. GARSIAM DE MEDRANO, Oppidi & Antiquæ Turris S. Gregorij hæreditario iure, eoque ſplendidiſsimo apud Numantinos, Toparcham; poſt plures Iuris Pontificij in Salmanticenſi Academia Cathedras, & ampliſsimas Præfecturas, iamdiu Supremorum Senatuum Caſtellæ, Cameræ, & S. Inquiſitionis graviſsimum Conſiliarium.

SVPERIORI Diſputatione vidimus quàm multis Veteris Teſtamenti locis tradatur, quamvis ſubobſcurè, diſtinctio perſonarum divinarum intra eandem naturam divinam, præſertim contra Iudæos. Nunc idipſum inquirendum eſt circa Novum Teſtamentum: non quidem contra Iudæos, qui illud reſpuunt: ſed adverſus hæreticos quoſdam Trinitatis hoſtes, ſtatim indicandos. Diſſerit de hoc Anſelmus infrà cap. 43. & 51.

SECTIO PRIMA.

Stabilitur ſententia Catholica affirmans adverſus hæreſes contrarias quæ ſingillatim & ordine ſuo referuntur, ac refelluntur.

2 RECTVM *Et Catholicum* eſt (aiebat Ambroſius in libro de Symbolo cap. 2.) *vt & vnum Deum ſecundùm vnitatem ſubſtantiæ fateamur; & Patrem, & Filium & Spiritum ſanctum, in ſua quẽque ſubſiſtentia ſentiamus, &c. Vna eſt igitur in tribus deitas, & tria ſunt, in quibus vna deitas.* Id apertè & luculenter traditur in triplici genere teſtimoniorum Scripturæ. Primum eſt eorum, in quibus palam aſſeritur vnus & ſolus Deus. Talia ſunt Deuteron. 32. *Videte quòd ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus præter me.* Pſalm. 85 *Tu es Deus ſolus:* & 1 Corinth. *Scimus quia nihil eſt idolum in mundo, & quòd nullus eſt Deus, niſi vnus.* Secundũ genus teſtimoniorum eſt, in quo nominatim de Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, ſeu de quolibet eorum, aſſeritur in ſacris litteris eſſe Deũ. Ea verò innumera ſunt, & partim à nobis exhibita in præcedentibus, pro divinitate vera Patris, quam ne hæretici quidẽ negare audent: partim proferenda in ſequentibus, vbi de vera & ſolida divinitate, tum Filij, tum Spiritus ſancti, ſingillatim diſſeremus. Tertium genus eſt eorum, in quibus apertè traditur vera ac realis diſtinctio trium perſonarum ſubſiſtentium, Patris, Filij, & Spiritus ſancti, qualia exhibuimus Diſp. LVII. & Diſp. LVIII. præced per totas. Vnde demum conſtat iuxta ſacram Scripturam, in divinis eſſe tres perſonas reipſa diſtinctas, & vnicam deitatem, ſeu naturam: quod eſt perinde ac dicere, Deum vnum in eſſentia & trinum in perſonis. Quam veritatem Eccleſia Catholica à Spiritu ſancto edocta ſemper & vbique firmiſsimè amplexa eſt,

&

& tum ex parte, tum integrè & ex toto (prout exigebat opportunitas temporum, & hæreſum contrariarum debellatio) definivit in quatuor primis Concilijs Generalibus, deinde in Bracarenſi I. can. 1. his verbis: *Siquis Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, non confitetur tres perſonas Vnius ſubſtantiæ, & Virtutis, ac poteſtatis, ſicut Catholica, & Apoſtolica Eccleſia docet, ſed Vnam tantùm & ſolitariam eſſe perſonam; ita Vt ipſe ſit Pater, qui Filius, ipſe etiam ſit Paracletus Spiritus, ſicut Sabellius & Priſcillianus dixerunt; anathema ſit.* Idipſum traditur in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. prout habetur in cap. Firmiter, & cap. Damnamus, de Summa Trinitate & Fide Catholica: ac denique in pluribus alijs: vt propterea communis formula fidei apud omnes Catholicos, & veluti præcipua teſſera Religionis noſtræ adverſus Ethnicos, Iudæos, Paganos, & hæreticos Arianos, Sabellianos, Macedonianos, Servetianos, & alios quoſdam, ſit confeſsio vnius Dei & trium perſonarum in eâdem numero eſſentia. Neque opus eſt ea Conciliorum loca hic congerere, quorũ pleraque iam ſparſim in ſuperioribus propoſuimus, reliqua verò in progreſſu exſcribemus opportuniori loco. Solùm itaque nunc indicandæ erunt diverſæ hæreſes, quibus directè contradicit doctrina Catholica diſtinctionis trium perſonarum ſub eadem omnino eſſentia.

3 PRIMA Hæreſis eſt Tritheitarum, qui ſic appellati ſunt, quod tres Deos aſſererent, deſumpta occaſione ex myſterio Trinitatis. Illos Peratarum appellatione notat, & reijcit Theodoretus lib. 1. Hæretic. fabul. cap. 18. denominatione deſumpta à Peratico Euphrate, qui eius ſectæ auctor aut propagator habetur. Et ſanè ea hæreſis antiqua eſt: ſiquidem Dionyſius Romanus apud Athanaſium in Epiſtola de Decretis Nicænæ Synodi aiebat de auctoribus eius erroris: *Iſti quoddamodo tres Deos conſtituunt, dum in tres ſubſtantias alienigenas ſanctam Vnitatem diſpartiũtur.* Tribuitur quoque alijs hæreticis, qui Severitæ, & Theodoſiani appellati ſunt. Auguſtinus Hæreſi 74. hiſce verbis illam refert: *Eſt alia hæreſis, quæ triformem ſic aſſerit Deum, Vt quædam pars eius ſit Pater, quædam Filius, quædam Spiritus ſanctus.* Eandem adſcribunt aliqui Philopono vt Nicephorus lib. 18. Hiſtor. cap. 48. initio, vbi ait: *Sed Philoponus cum ſectatoribus ſuis communem humanam naturam, ipſamque etiam diuinam, quam indiuiſibilem dicimus, in plurimas partitur perſonas, diſcernens eam, & & ſingulatim indiuiduis tribuens, & tribus ſuperſubſtantialis naturæ ſubſiſtentijs diſpertiens.* Deinde refert aliquos, qui id erroris impugnarunt. Eundem Vigilantio adſcribit Auctor Commentarij in librum Boetij de Trinitate inter Opera N. Venerabilis Bedæ. Denique multò poſt eam inſaniam inſtauravit Clericus quidam in Francia circa annum Domini MXC. tempore ipſo S. Anſelmi, qui cõtra illum ſcripſit librum de Fide Trinitatis & Incarnatione Verbi, & Vrbano II. Romano Pontifici dicavit. Etenim, vt habetur ibidem cap. 1. & 3. Clericus ille aiebat, in divinis *non eſſe Vnam tantùm rem, ſed tres res eſſe tres perſonas, ſicut tres Angeli, aut tres animæ: ita tamen Vt Voluntate & potentia omnino ſint idem.* Vix autem ab eadem hæreſi differre videtur error communiter adſcriptus Ioachimo Abbati. Vt enim habetur cap. Damnamus de Summa Trinitate & Fide Catholica, quamvis concederet, *quòd Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, ſunt Vna eſſentia, Vna ſubſtantia, Vnaque natura; Verùm Vnitatem huiuſmodi non veram & propriam, ſed quaſi collectiuam & ſimilitudinariam eſſe fatebatur: quemadmodum dicuntur multi homines Vnus populus, & multi fideles Vna Eccleſia.* Nimirum, iuxta eam doctrinam, vnicuique ex divinis perſonis adſcribitur propria & peculiaris natura, ſine identitate eiuſdem numero deitatis in tribus, cum ſola identitate ſimilitudinis, qualis etiam eſt in hominibus, aut in civibus, vel fidelibus, qui vnam civitatem aut Eccleſiam conſtituunt collectione quadam. An autem Ioachimus ex animi ſententia eam hæreſim tradiderit, an potiùs æmuli aliquot illam ipſi affinxerint, & traduxerint apud Patres Cõcilij Lateranenſis, non eſt noſtri inſtituti examinare. Lege Vivarium in Apologia pro eodẽ Ioachimo, quam adiunxit Commentarijs Flavij Dextri. Denique eundẽ Tritheitarum errorem pluribus iam ſæculis tumulatum ex Orco revocârunt Tritheitæ, ſeu Trinitarij recentes, quibus anteambulo fuiſſe quoddammodo dicitur Valentinus Gentilis: vt teſtantur Bellarminus lib. 1. de Chriſto cap. 2. Recupitus lib. 5. de Deo q. 3. Petavius Tomo I. Theologic. Dogmatum de Deo lib. 2.

4 PRÆDICTA Hæreſis non ſolùm eſt contraria fidei Catholicæ, ſed etiam rationi naturali: iuxta quam Anſelmus ſuprà cap. 4. & nos cum ipſo Tomo I. Diſp. XII. per totam multipliciter demonſtravimus repugnare plures numero aut ſpecie Deos, vel naturas divinas & increatas. Videantur ibi, & ſimul nonnulla quædam alia Diſp. XII. immediatè præcedenti num. 44. & ſeqq. Nunc id obiter obſervare ſufficiat, polytheiſmũ vix ab atheiſmo differre; ſive, quod perinde eſt, æqualis ferè inſaniæ aut impudentiæ eſſe comminiſci

plu-

plures Deos, ac nullum admittere. Quo ſenſu Athanaſius lib. 1. contra Gentiles aiebat: ὡσπερ γαρ ἐλέγομεν τὴν πολυθεότητα ἀθεότητα εἶναι. ὅτως ἀνάγκη τὴν πολυαρχίαν ἀναρχίαν εἶναι. id eſt, *Perinde enim eſt dicere multos deos, ac nullos. Neceſſum enim eſt principum multitudinem eſſe nullum principatum.*

5 SECVNDA Hæreſis reiecta ex eadem doctrina Catholica, eſt oppoſita ex diametro præcedenti. nimirum, Sabelliana, quæ docet, in divinis non eſſe tres perſonas reipſa diſtinctas ſub eâdem numero natura: ſed vnicam perſonam, tribus nominibus Patris, Filij, ac Spiritûs ſancti denotatam, penes varias functiones. Quem errorem multi alij amplexi olim ſunt, à nobis relati & reiecti ſuprà Diſp. LIV. ſect. 3 per totam, ac præterea Diſp LVIII. præſertim ſect. 5. vbi ex ſacris litteris demonſtrata fuit vera & realis Trinitas perſonarum.

6 TERTIA Eſt Ariana, quæ licèt in varias ac multiplices ſectas, veluti eiuſdem hydræ capita, fuerit diviſa, apud omnes gregales id firmum habuit, vt negaret Patrem, ac Filium, ac Spiritum ſanctum, eſſe eiuſdem numero ſubſtantiæ vel eſſentiæ. Quamvis enim quidam Arianorum contra Anomœos omnium peſsimos aſſererent Filium eſſe homœuſion, id eſt, ſimilem in ſubſtantia Patri, omnes tamen negârunt eſſe homouſion, id eſt, conſubſtantialem Patri: vt vidimus eâdem Diſp. LIV. ſect 2. Huc ſpectat quoddammodo hæreſis Macedonianorum, & Apollinariſtarum, & eorum tandem omnium, qui generatim appellati fuerunt Pneumatomachi, id eſt, Spiritus ſancti impugnatores: quos ibidem recenſuimus ſect. 4. Nimirum, ij negabant Spiritui ſancto ſolidam divinitatem ſicuti & Ariani Filio, & conſequenter vtrique negabant identitatem in eâdem numero natura & ſubſtantia cum Patre. Illorum autem omnium impugnationem damnationemque exhibuimus ſingillatim Diſp. LV. quæ hoc loci ſupponenda potiùs, quàm inculcanda eſt.

7 DENIQVE Recentiores hæretici, qui communiter Trinitarij, ſeu potiùs Tritheitæ appellantur, eandem Arianorum perfidiam aliter atque aliter ſuſcitârunt. Quamvis enim aliqui illorum tres eſſentias ſeu divinitates æquales in tribus perſonis divinis commenti fuerint, vt monuimus num. 3. fine: tamen alij inæqualitatem naturarum poſuerunt, & nominatim Valentinus Gentilis ibidem allegatus, qui *ſolum Patrem dixit eſſe immenſæ ſubſtantiæ & eſſentiatorem, & eminentiorem cæteris*. Filium verò, ſicut & Spiritum ſanctum, *eſſe circumſcriptibilem, & eſſentiatum*; quamvis ab æterno genitum alterum, & alterum ſpiratum ex Patris ſubſtantia. Quod ipſum poſteriores Arianos docuiſſe teſtatur Auguſtinus lib. 6. de Trinit. cap. 1. Lege Noſtrum Genebrardum lib. 2. de Trinit. ante medium, vbi de Tritheitis agit, ac Bellarminum lib. 1. de Chriſto cap. 2. & Benedictum Arctium in Hiſtoria de ſupplicio Valentini Gentilis.

8 AN Verò eiſdem Arianis accenſeri quoddammodo debeant Lutherus, & Calvinus, Michael Servetus, Philippus Melanctõ, alijque ipſorum ſectatores, immo & Eraſmus, iam ſuprà Diſput. LIV. num 15. & ſeqq. dictum fuit. Nunc circa poſtremum ex ijs accipe teſtimonium Catherini in Tractatu de Immaculata Conceptione his verbis: *Siquid auctoritatis (Eraſmus ait) habuiſſem in illis Synodis, in quibus de Orbis concordia tractabatur, ſuaſiſſem præſtare, neſcire quid vellet HOMOVSII verbum in perſonis diuinis, quàm tanto rerum tumultu vel tueri, vel impugnare.* Hæc ille: quæ totidem pene verbis effutiebant Ariani: & vt abrogaretur HOMOVSION, inducere conati ſunt, vt exiſtimaretur, quæſtionẽ circa HOMOVSION eſſe ſolùm de voce, nec dignam, vt tanta partium contentione exagitaretur. Vide Tomum I. Cõciliorũ editionis Venetæ anni M.D.LXXXV. lib. 1. de Actis, quæ præceſſerunt Concilium Nicænum pag. 508. At eam quæſtiõnem fuiſſe admodum de re, & HOMOVSII vocabulum eſſe ſummi ponderis ad ſententiam Catholicam ab hæreticis internoſcendam, patet ex dictis Diſput. LV. ſect. 3. per totam. Sed & Theodorus Beza in magna confeſsione (veriùs confuſione) Gallicana, art. 2. p. 1. dixit: *Eſſentiam diuinam eſſe realiter, & ſecundùm entitatem, diſtinctam in tres perſonas.* Quæ eſt planè hæreſis Tritheitarum. Henricus Bullingerus, Zuinglij ſucceſſor, dixit, perſonas divinas eſſe gradu, forma, & ſpecie differentes. Ita de ijs teſtantur Valentia in Controv. de Trinit. lib. 1. cap. 7. Bellarminus in Præfatione ad libros de Chriſto, & Ioannes Coccius lib. 1. de Trinit. art. 4. vbi & plures alias recentium hæreticorum ſimiles blaſphemias refert. Vide omnino Ruiz diſp 20. ſect. 6 & ſequentibus, ac diſp. 22. Et vt planè noveris genium Eraſmi, ne pigeat legere ac relegere Antopologiam eruditiſsimi atque incomparabilis viri I. Geneſij Sepulvedæ contra illum, pro Alberto Pio.

(?)

SECTIO SECVNDA.

Oſtenditur ex ſacris litteris identitas trium perſonarum diuinarum in eadem numero natura. Euaſiones hæreticorum refelluntur multiplici impugnatione, præſertim ex Concilijs & Patribus erutâ.

9 AC Primùm quidem id probari poſſet ex ijs Scripturæ teſtimonijs, in quibus tribuitur Patri, Filio, ac Spiritui ſancto vera divinitas, ſeu in quibus vnuſquiſque eorum aſſeritur verus Deus. Cùm ergo aliunde eadem Spiritura palâ doceat, vnicum Deum verum eſſe, & præterea tres perſonas diſtinguat reipſa, vt vidimus Diſp. LVII. evidenter colligitur, cum illarum diſtinctione cohærere vnicam & eandem numero divinitatem, ſeu naturam. Ideoque Anſelmus infrà cap. 51. ait: *Quoniam ſummæ eſſentiæ plures eſſe non poſſunt: quid magis neceſſarium, quàm Patrem & Filium, & vtriuſque Amorem, eſſe vnam ſummam eſſentiam?* Verùm ea lotum Filij probatur ſolida divinitas, tum Filij, tum Spiritus ſancti, commodiùs ac ſeorſim afferemus in progreſſu. Vbi manifeſtis Scripturæ teſtimonijs demonſtrabimus, vnum quemque eorum eſſe verum & ſummum Deum.

10 VENIAMVS Itaque ad ea loca, in quibus directè exprimitur vnitas ſeu identitas eſſentiæ, id eſt, ipſum Homoüſion in diſtinctis perſonis. Porrò in eum ſcopum nullum eſt illuſtrius teſtimonium illo Chriſti Domini Ioannis 10. v. 30. dicentis: *Ego & Pater vnum ſumus.* Vbi *το vnum* (quod in Græco textu eſt ἕν) in neutro genere prolatũ, & ſine alio ſubſtantivo nomine, idem valet ac *vnum ens*: vnius autem entis vnica eſt eſſentia; vtpotè quæ eſt abſtractum entis, & ſolùm differt ab eo penes modum ſignificandi. Cùm verò aliunde Pater & Filius non ſint vnũ ens ſecundùm aliquod accidens, quod ſuprà cum Anſelmo cap. 14. 15. & 16 demonſtratum fuit in Deum non cadere; nec etiam ſint vnum ens ſecundùm relationem, quæ planè eſt diverſa in generante & genito: conſequens eſt, vt Pater & Filius ſint vnum ens ſecundùm ſubſtantiam, ſive eſſentiam, ac proinde alter alteri homoüſios, ſive conſubſtantialis. Eadem verò ratio eſt de Spiritu ſancto, vtrique amborum collato vt conſtat ex Epiſt. 1. eiuſdem Ioannis cap. 5 vbi etiam Spiritus ſanctus dicitur eſſe vnum cum Patre & Filio: vt videbimus infrà n 29. & ſeq.

11 QVOD Teſtimonium adeò luculentum eſt, vt eo Eccleſia Catholica ſemper vſa fuerit ad probandam vnitatem eſſentiæ, ſive ſuoſtantiæ, in divinis perſonis, contra Arianos omnes cuiuslibet ſectæ ex multis & diverſis, in quas eadem hæreſis, veluti in plurima capita eiuſdem hydræ, diviſa fuit. Quare exinde probat eandem ſubſtantiæ vnitatem Alexander Epiſcopus Alexandrinus in Epiſt. 11 ad omnes Epiſcopos, quæ præfixa legitur Actis Concilij Nicæni, & incipit: ΕΝΟΣ σώματος ὄντος, &c. Athanaſius ſæpe in quinque Orationibus contra Arianos, præſertim in duabus poſtremis earum circa medium, alijſque locis: Baſilius lib. 1. & 4. contra Eunomium, Chryſoſtomus Hom. 60. in Ioannem, Cyrillus Alexandr. lib. 1. in Ioannem cap. 2. & lib. 7. cap. 10. & lib. 12. Theſauri cap. 15. Cyrillus Hieroſol. catecheſi 11. Epiphanius Hæreſi 57. & 62. & 69. Gregorius Nazianzenus lib. de Fide id eſt, Oratione 49. col. 3 & 4. præter alios Patres Græcos apud Maldonatum in Catenæ Græcorum ad cap. 10 Ioannis allegatum. Similiter ex Latinis Hilarius lib. 3. & 7 de Trinitate, Ambroſius ſæpe in quinque libris de Fide ad Gratianum, & tribus libris de Spiritu ſancto, Hieronymus in cap. 6. Iſaiæ ad illa verba: *Et audi vocem*, &c. Auguſtinus tract. 36. in Ioannem, & lib. 4. de Trinit. cap. 9. & liq. 5. cap. 3 & 9 contra Maximinum cap. 14. vbi exclamat: *QVID EST HOMOVSION, NISI, EGO ET PATER VNVM SVMVS?* Sed quid moramur in re adeò aperta? Vix vnus aliquis Patrum Eccleſiæ, aut ne vix quidem, ſcripſit de Trinitate, qui non probaverit vnitatem eſſentiæ ex illo Ioannis teſtimonio: nec Concilia vnquam inveniuntur eam veritatem definiſſe, aut probaſſe HOMOVSION, ſine reſpectu ad locum illum.

12 NIHILOMINVS Ea Arij & quorundam eius ſequacium ſuperbia fuit, vt contempto Patrum Eccleſiæ conſenſu & communi voce totius Synodi Nicænæ, acciperent teſtimonium illud ſenſu præpoſtero, & ſuæ ipſorum hæreſi favente. Nimirum vt lamentatur idem Alexander paulo antè laudatus, in Epiſt. 2. præfixa eidem Synodo Nicænæ col. 7. plus iudicio ſuo deferri volebant, quàm aliorum omnium Patrum. Obſervemus verba, q ibus ad vivum depingit genium Arianorum, atque adeò hæreticorum omnium. *Nemmem volunt ex antiquis Patribus ſibi comparare: neque illis, quibus nos ab ineunte ætate vſi ſumus præceptoribus, ſe pares exiſtimari ſinunt: immo nè vnum quidem collegarum noſtrorum, vel ad mediocrem ſapientiam perveniſſe cenſent: ſed ſe ſolos ſapientes, ſolos egeſtatem voluntariam ſectantes, ſolos dogmatum inventores, & ſibi ſolis ea doctrinæ patefacta eſſe myſteria, quæ in nullius vnquam ſub Sole*

co-

cogitationem ac mentem venerint, arbitrantur. O impiam arrogantiam! ò inſaniam immenſam! ò inanem gloriam cum furore coniunctam! ò ſpiritus planè ſatanicos, qui impijs eorum animis velut callum malitiæ obduxere! Non diuina veterum Scripturarum claritas vllum ipſis incuſſit pudorem: non conſentiens collegarum & pia de Chriſto doctrina eorum audaciam repreſſit, &c.

13 ITAQVE Arius, Euſebius Nicomedienſis, & reliqui gregales, contra communem aliorum Patrum ſenſum, immo & totius Eccleſiæ, interpretabantur ea verba, quaſi ijs non probetur, Patrem Filiumque eſſe vnũ in ſubſtantia vel eſſentia, ſed in concordiâ voluntatum. Ita reſpondebant olim Ariani, teſtante Synodo Sardicenſi in Epiſt. ad omnes Epiſcopos colum. vltima, Athanaſio Orat. 4. contra Arianos, Auguſtino lib 6. de Trinit. c. 3. & lib. 2. contra Maximinum Arianum cap. 12. ac lib 3. cap. 22. Eandem ſolutionem adhibebat Eunomius, peſsimæ Arianorum factionis anteambulo apud Baſilium lib. 1. contra illum. Eandem quoque adhibuit Ioachimus Abbas (vel æmuli aliquot ipſius nomine) ad ſuadendum alium errorem ſatis affinem Arianiſmo aut potiùs Tritheiſmo: vt refertur in cap. *Damnamus*, de ſumma Trinitate & Fide Cathol. Denique eadem interpretatio placuit nuper hæreticis Tranſylvanis, & Franciſco Davidi ad novum Arianiſmum aut Tritheiſmum defendendum. Vt videas Sectarios recentes omnino eoſdem eſſe cum antiquis: niſi quòd illorum hæreſim iam emortuam & ſepultam pluribus retro ſæculis ex Orco revocare curârunt. Quin & Eraſmo placuit eadem expoſitio, vt teſtatur Bellarminus in Præfatione ad libros de Chriſto: vt qui aliàs ova reliquit fovenda Luthero, pullos ab Arianis iam excluſos quadamtenus non repelleret.

14 EAM Interpretationem probare nituntur ijs Scripturæ teſtimonijs, in quibus fideles dicuntur vnum corpus, vna Eccleſia, qualiter Ioannis 17. v. 11. dicitur: *Vt ſint vnum, ſicut & nos.* Et v. 21. *Vt omnes vnũ ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint.* Ac præterea: *Vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus: ego in eis, & tu in me, vt ſint conſummati in vnũ.* Atqui fideles non ſunt vnum inter ſe, & cum Chriſto, ſecundùm ſubſtantiam, ſed ſecundùm conſenſionem voluntatum. Ergo pariter ex eâdem locutione, qua Chriſtus aſſerit, ſe vnum eſſe cum Patre, non probatur vnitas in eâdem numero ſubſtantia, ſed ſolùm penes affectionem, aut conſenſionem voluntatum.

15 SED Contrà 1. ex communi doctrina Patrum præcludentium eiuſmodi evaſionem. Quoties enim in ſacris litteris plura dicuntur vnum ſine addito, ſeu non addendo aliquid, penes quod vnum ſint; intelligitur eadem entitas ſeu eſſentia, aut natura, quod præcipuè obſervant locis nuper allegatis: cuius rationem aſsignavimus num. 10. & probat exẽplis S. Auguſt. Nam 1. Corinth. 3. dicitur: *Qui plantat, & qui rigat, vnum ſunt.* Nimirum, quatenus miniſtri Dei. Præmiſſum enim fuerat: *Nam neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, eſt aliquid; ſed qui incrementum dat Deus.* Similiter 1. Corinth 6. *Qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur.* Non dixit *vnum* abſolutè, ſed cum addito, *vnum corpus.* Et præterea. *Qui autem adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt.* Non dixit, *vnum* ſimpliciter, ſed *vnus ſpiritus.* Nec invenietur aliquis Scripturæ locus in quo, quæ ſimpliciter plura ſunt, dicantur ſine addito eſſe vnum.

16 CONTRA II. Quamvis enim in verbis Ioannis 17. quæ nuper num. 14. obiecta nobis fuerunt, dicantur fideles eſſe *vnũ* non addendo in quo ſint vnum, ſtatim v. 21. id declaratur per verba ſequentia: *Vt & ipſi in nobis vnum ſint.* Patet verò, fideles in Deo vnum eſſe non poſſe per identitatem eiuſdem numero ſubſtantiæ, aut divinæ aut creatæ; ſed dumtaxat per vnitatem fidei & charitatis, quâ primariò conſtituunt vnum cum Deo, & ſubinde ac ſecundariò inter ſeipſos. Quæ expoſitio eſt Auguſtini ipſius, & Concilij Sardicenſis ea parte quâ Catholicè loquitur in Epiſt. ad omnes Epiſcopos col. vlt. Dum ergo Filius abſolutè & ſine addito vllo inquit: *Ego & Pater, vnum ſumus*; loquitur planè de vnitate ſecundùm eandem numero ſubſtantiam. Vnde & in his verbis Filius non rogat, vt ipſe ſit vnum cum Patre, quaſi id ex gratia ſibi convenire poſſet: ſed affirmat, tanquam aliquid neceſſariò exiſtens, ſe eſſe vnum cum Patre. In verbis autem obiectis ex cap. 17. Ioannis rogat, vt fideles ſint vnum cum Patre & cum ipſo: ac proinde apertè denotat, vnionem illã eſſe ſecundùm gratiam, quæ negari poſſet, non autem ſecundùm naturam. Quin & particula *ſicut*, quæ in eodem teſtimonio habetur, ſignificat inæqualitatem in imitatione creaturæ relatè ad Creatorem: vt obſervat Innocentius III. cap. *Damnamus* de Summa Trinit. & conſtat præterea ex verbis illis Math. 5. *Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* Vbi deridiculo eſſet qui negaret *to ſicut*, imperfectam ſolùm ſimilitudinem denotare. Quæ eſt obſervatio Athanaſij Orat. 4. contra Arianos. At verò in loco illo Ioannis 10. non habetur *ſicut*, nec imitatio alicuius exemplaris; ſed abſolutè dicitur: *Vnum ſumus.* Quo

pla-

planè ſignificatur vnitas, quæ eſt ipſum principium & exemplar.

17 CONTRA III. Vt enim ſapiẽter monet Auguſtinus allegato lib. 6. de Trinit. cap. 3. & Athanaſius loco nuper indicato, nulla pura creatura auderet de ſeipſa dicere: *Ego & Deus vnum ſumus.* Nec de quovis alio, qui Deus non eſſet, quiſquam auderet dicere ſine additto, illum & Deum eſſe vnum. Nimirum, impudentia eſſet aliquid creatum dicere abſolutè *vnum* cum Deo, à quo neceſſum eſt vt in infinitum diſtet naturâ & dignitate. Itaque ſummùm licet id dicere cum addito: vt ſecundùm charitatem, penes affectum, penes repræſentationem, aut aliud ſimile. Dum igitur Chriſtus ait abſolutè & ſine addito: *Ego & Pater vnum ſumus*, manifeſtè ſupponit, ſe verum Deum eſſe, & vnius ſubſtantiæ cum Patre. Ideoque Victor Epiſcopus in Confeſsione Fidei ad Hunericum opportunè obſervat ea verba Chriſti: *Quia non dixit, Ego & Pater vnum volumus: ſed, VNVM SVMVS.* quod non conſenſionem voluntatum, ſed identitatem ſubſtantiæ ſignificat.

18 CONTRA IV. Et enim ex ipſo contextu Ioannis 10. conſtat, Chriſtum voluiſſe oſtendere, neminem poſſe rapere oves de manu ſua, quoniam nemo eas poteſt rapere de manu Patris, & ipſe vnum cum Patre eſt. Cujus argumenti, ſeu probationis, efficacia & vis in eo eſt ſita, quòd potentia vtriuſque ſit vna: & quemadmodum potentia Patris eſt invicta ad tuendum oves ſuas, ita & potentia Filij. Hinc autem infertur neceſſariò Patrem & Filium, eſſe eiuſdem naturæ & voluntatis: nã vbi potẽtia eſt vnica & indiviſa, natura & voluntas nequit eſſe diverſa. Eadem igitur eſt natura ac voluntas Patris & Filij. Ita ratiocinantur Baſilius lib. 1. contra Eunomium prope finem, & lib. 4. c. 1. Ambroſius lib 3. de Spiritu ſancto cap. 18. Hilarius lib. 2. de Trinit. circa med. Auguſtinus Tract. 48. in Ioannem, & Chryſoſtomus Homil. 61. in Ioannem, præcipuè dum concludit: *εἰ δὲ δύναμις ἡ αὐτὴ, εὔδηλον ὅτι καὶ οὐσία. Si enim eadem vtriuſque eſt poteſtas, patet quòd & eadem ſubſtantia ſit.*

19 VRGETVR Impugnatio eadem. Si enim Chriſtus diceret, ſe vnum eſſe cum Patre ſolùm penes concordiam voluntatum, & non ſecundùm potentiam, inde non poſſet ſatis probare, neminem habere vim ad auferendum oves de manu ipſius, ſicut nec de manu Patris. Sola quippe concordia voluntatis vnius cum voluntate alterius potentioris, ſeu ſuperiori aut etiam infinitâ potentiâ prædiți, non conſtituit manum eius ęquè fortem cum manu ſuperioris. Sic certè nullus iuſtorum, ſive Angelus, ſive homo purus, quamvis coniunctam habeat ſuam voluntatem cum divina, potentiâ ſufficienti prædituș eſt ad tuendum omnes electos, qui ovium nomine ibidem indicantur. Ergo vt vim habeat ratio Chriſti, oſtendatque, neminem habere vim ad auferendum oves de manu ſua, ſicut nec de manu Patris; oportet ſupponere in vtroque æqualem, ſeu potiùs eandem fortitudinem ac potentiam, ſubindeque eandem naturam. Vnde & Chriſtus ipſe ſubdit v. 38. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & ſi mihi non vultis credere, operibus credite; vt cognoſcatis & credatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre.* Quibus planè oſtendit, ex vnitate earundem operationum vnitatem eiuſdem potentiæ cum Patre, proindeque vnitatem ſubſtantiæ ſive naturæ.

20 CONTRA V. Tam apertè enim Chriſtus ijs verbis ſignificavit, vnam ſibi eſſe cum Patre operationem, potentiam, & naturam, vt Iudæi, qui aderant, ſcandalizarentur veluti de blaſphemia, qua ſeipſum faceret Deũ; ideoque tollerent lapides contra illum. Patet ex ipſo contextu. nam ſtatim ac Chriſtus dixit, *Ego & Pater vnum ſumus*; additur: *Suſtulerunt ergo Iudæi lapides, vt lapidarent eum. Reſpondit eis IESVS: Multa bona opera oſtendi vobis ex Patre meo: propter quod eorum opus me lapidatis? Reſponderunt ei Iudæi: De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia: & quia tu, homo cùm ſis, facis te ipſum Deum.* Ergo idem fuit in Chriſto dicere, ſe eſſe vnum cum Patre, & ſe aſſerere Deum, ſive eiuſdem naturæ & potentiæ cum Patre. Quod obſervant Auguſtinus allegato Tract. 48. Chryſoſtomus Homil. 60. in Ioannem, Athanaſius Orat. 5. contra Arianos, & alij Patres, indidem iure ac meritò colligentes, Arianos eſſe ſtolidiores Iudæis: quoniam non percipiunt ſenſum apertum eorum verborum Chriſti, qui vel obduratis & excœcatis Iudæis ſtatim palam innotuit.

21 VERVM Hæretici opponunt, Chriſtum verbis immediatè ſequentibus correxiſſe eam Iudæorum interpretationem: quoniam ſtatim addidit: *Non ne ſcriptum eſt in lege veſtra: Ego dixi: Dij eſtis? Si illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolui Scriptura: quem Pater ſanctificavit, & miſsit in mundum, vos dicitis, quia blaſphemat: quia dixi: Filius Dei ſum?* RESP. Chriſtum ijs verbis non correxiſſe exiſtimationẽ Iudæorum, quâ arbitrabantur ipſum ſibi tribuere eandem divinitatem cum Patre: ſed potiùs eam veritatem noviter confirmaſſe argumento, vt aiunt, à minore ad maius. Si enim Scriptura filios adoptionis Dei, & gra-

tuirò ſolùm admiſſos ad cœleſtem hæreditatẽ, appellat deos: quantò magis FiliusDei naturalis, à Patre ſanctificatus & miſſus in mundum poterit Deus appellari? Ita Auguſtinus, Beda, & alij Interpretes communiter in eum locum. *Rurſus.* Si Chriſtus non eſſet verus Deus & æqualis Patri, facilè calumniam illam depuliſſet ſola inficiatione, negans ſe vnum cum Deo eo ſenſu, quo illi verba eius interpretabantur; & ſolùm tribuens ſibi illud diuinitatis genus, quod Propheris & alijs viris tribui ſolet. At nullatenus eam interpretationem adhibuit, aut excuſationem: ſed ilud ipſum quod Iudæi cõceperant de illo, & cuius cauſa lapidare eum volebant, confirmat ex magnis illis & inuſitatis operibus, quæ ſibi cum Patre communia ſunt. Ideo enim addidit: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi* &c. Denique, Si Chriſtus vellet ſe à Iudæis haberi vnum cũ Deo & Filium Dei, eo ſolùm ſenſu, quo alij iuſti, vt Abraham, & Moyſes; debuiſſet id apertè exponere ad vitãdam latriam hominum erga ſe: ſicuti Paulus, & Barnabas Actor. 14. volentibus ſibi tribuere divinum honorem reſtiterunt, & palam profeſsi ſunt, ſe puros homines eſſe, inſtar reliquorum, non autem Deos. Cùm ergo Chriſtus non reſtiterit tali exiſtimationi, ſed potiùs illam confirmaverit argumento à minori ad maius, voluit planè haberi vnus in ſubſtantia cum Patre, & Filius Dei. Nam, ipſo Chriſto interpretante ibidem, verba, *Ego & Pater vnum ſumus*, tantundem valent, atque illa, *Filius Dei ſum.*

22 ITAQVE Inconcuſſum & irrefragabile exiſtit argumentum ex illo Ioannis teſtimonio deſumptum, ad probandum contra hæreticos, præſertim Sabellianos, & Arianos, in quaslibet ſectas diviſos, optimè cohærere cũ identitate & vnitate numerica naturæ divinæ diſtinctionem perſonarum Patris & Filij, abſque vlla ſeparatione ſubſtantiæ aut diviſione. Ideoque aiebat Ambroſius lib. 3. de Spiritu ſancto cap. 18. *Cùm enim dicit, EGO ET PATER, revelatur æqualitas. cùm dicit, VNVM SVMVS, vnitas declaratur. Æqualitas confuſionem excludit: vnitas ſeparationem: æqualitas Patrem, Filiumque diſtinguit: vnitas Patrem Filiumque non ſeparat. Ergo cùm dicit, EGO ET PATER, Sabellianum repellit; quia alium ſe, aliũ Patrem dixit: repellit Photinianum, quia ſe cũ Patre iunxit. Illos ſuperioribus repellit, quia dixit, EGO ET PATER inferioribus Arianos, quia dicit, VNVM SVMVS. Tamen & in ſuperioribus & in inferioribus hæreticam iugulat ſæuitatem: Sabellianorũ, quia VNVM dixit SVMVS; non VNVS SVMVS: Arianorum, quia EGO ET PATER, non, Pater & ego, dixit.* Quid ſubtilius aut nervoſius? Similiter Auguſtinus Tract. 35. in Ioannem: *Non dixit: Pater ego ſum: aut, Ego & Pater vnum eſt. Sed cùm dicit, EGO ET PATER VNVM SVMVS, vtrumque audi: & VNVM, & SVMVS: & à Carybdi & à Scylla liberaberis. In duobus iſtis verbis, quod dixit, VNVM, liberat te ab Ario. Quod dixit. SVMVS, liberat te à Sabellio. Si vnum; nõ ergo diuerſum. Si ſumus; ergo & Pater, & Filius. SVMVS enim non diceret de vno: ſed VNVM non diceret de diuerſis.* Id ipſum ferè legere eſt apud Athanaſium Orat. 4. & 5. contra Arianos, Epiphanium Hæreſi 62. num. 4. Gregorium Bœticum, aut potiùs Fauſtinum lib. de Trinitate & Fide, Cyril. lib. 7. in Ioannem, & lib. 1. Theſauri ſub initium, Nyſſenum lib. 4. contra Eunomium, & Luciferum Calaritanum libro de non conveniendo cum hæreticis, nuperrimè recuſo in Bibliotheca Magna Aniſſoniana Tomo IV.

SECTIO III.

Alia illuſtria teſtimonia S. Scripturæ pro vnitate ſubſtantiæ in perſonis diuinis expenduntur, aduerſus Arianos & Tritheitas potiſsimùm.

23 QVONIAM Sectione præcedenti plus ſolito immorati ſumus exponendo & vrgendo locum illum Ioannis 10. placet nunc plura alia eiuſdẽ Evangeliſtę loca breviùs proponere in Adverſarios.

SECVNDO Itaque ſuadetur veritas Catholica ex cap. 5. Ioannis, vbi oſtenditur divinitas Chriſti per æqualitatem cum Deo, quæ ſanè per identitatem ſubſtantiæ eſſe debet, quæ in Deo multiplicari non poteſt. Cùm enim Chriſtus dixiſſet v. 17. *Pater meus vſque modò operatur, & ego operor;* ſubdit Evangeliſta: *Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere; quia non ſolùm ſoluebat Sabbathum, ſed & Patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo.* Quæ verba ſic contra Arianos vrget Magnus Auguſtinus Tract. 17. *Omnes dicimus Deo, Pater noſter, qui es in cœlis. Legimus & Iudæos dixiſſe, cùm tu ſis Pater noſter. Ergo nõ hinc iraſcebantur, quia Patrem ſuum dicebat Deum: ſed quòd longè alio modo quàm homines. Ecce intelligunt Iudæi, quod non intelligunt Ariani.* Itaque dum hi non intelligunt, Chriſtum ſe palã profeſſum fuiſſe Filium Dei alio ſublimiori ſenſu, quàm reliquos iuſtos, ſtupidiores & hebetiores ſe produnt, quàm Iudæi: qui ſanè non cri-

mi-

minabantur in Chriſto quòd Filium Dei ſe diceret vtcumque, ſed altiori modo, per æqualitatem, ſeu identitatem naturæ cum Deo. Quin & Fulgentius in Reſponſione contra Arianos cenſet, verba illa, *Sed & Patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo*, non ex Iudæorum malevolentia, ſed ex Apoſtolica auctoritate proferri. Nimirum ex contextu illius capitis conſtat, Iudæos in ea parte nihil falſum affinxiſſe Chriſto; ſed indignatos fuiſſe ob ea, quę ex ipſius ore palam audierunt, quaſi in hominem cadere non poſſent. Ergo Chriſtus ſe palam dixit Filium Dei naturalem, & æqualem per identitatem naturæ cum Deo.

24 CONFIRMATVR. Vt enim optimè argumentatur Cyrillus lib. 32. Theſauri, & Dialogo 2. de Trinit. ſi Chriſtus non eſſet æqualis Deo per identitatem naturæ cum Patre, ſed potiùs inæqualis, veluti creatura Creatori; debuiſſet planè & luculenter depellere à Iudæis illam exiſtimationem, quâ cenſebatur ſibi tribuiſſe æqualitatem cùm Deo. Nimirum lex omnibus inſita naturaliter de ſummo honore tribuendo ſoli Deo, & non ſinendo vt puræ creaturæ tribuatur, adſtringebat Chriſtum, vt eam de ſe exiſtimationem, aut illationem ex verbis ſuis, procul repelleret à cordibus Iudæorum. Atqui tàm procul fuit à repellenda illa, vt potiùs eam confirmaverit multipliciter eodem loco. Propterea enim ſtatim adiunxit: *Amen, amen dico vobis: non poteſt Filius à ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem. Quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit.* Quo planè declarat, indiviſam ſibi atque vnam omnino eſſe cum Patre operationem; ac ſubinde potentiam & naturam. Rurſus: *Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos, & viuificat: ſic & Filius, quos vult, viuificat.* Præterea: *vt omnes honorificant Filium, honorificant Patrem.* Vbi æqualitatem honoris eiuſdem ſibi cum Patre adſcribit. Itaque omnia Chriſti verba nihil aliud manifeſtabant Iudæis, quàm ſe æqualem Patri Deo eſſe, neque vllam aliam interpretationem patiebantur, quamvis cœci & obdurati animo eſſent ad id credendum. Ergo Chriſtus in ſe veram æqualitatem ſeu identitatem cum Deo agnovit & palam prædicavit Iudæis: quâ certè ſi non haberet, debuiſſet palam à ſe excludere, ne ſibi tribuere aut permittere videretur ſummum honorem ſoli Deo debitum, quem non niſi per ſummam impudentiam aut ſuperbiam, tolerare poſſet.

25 TERTIO Probatur ex alijs verbis Chriſti Ioannis cap. 14 v. 9. dicentis: *Qui videt me, videt & Patrem.* Hinc enim demonſtratur identitas naturæ Patris & Filij. Niſi enim adeò ſimiles & æquales eſſent ambo, vt eandem prorſus naturam ſive ſubſtantiam haberet, non eſſet neceſſum, vt qui alterum videt, videat & alterum. Fac enim duo aliqua adeò ſimilia, vt nec ovum, quod aiunt, ſit ovo ſimilius: certè dum natura vtriuſque eſt diſtincta numero, quamvis intra eandem ſpeciem, ex viſione vnius non colligitur viſio alterius: fierique poteſt, & paſſim ſolet, vt qui alterum ex ijs videt, non videat alterum: quoniam vnũquodque eorum propria ac ſingulari natura conſtat, & ſubinde alijs numero perfectionibus, quamvis prorſus ſimilibus: propterea-que ſeparari ab eo poteſt, tum in re, tum etiam in ordine ad cognitionẽ. Cùm igitur quiſquis videt Filium, neceſſariò videat & Patrem; conſequens eſt vt ambo ſint ſummè ſimiles: id eſt, ea ſimilitudine, quæ conſiſtit in identitate eiuſdem numero naturæ & perfectionis.

26 CONFIRMATVR I. Vt enim optimè argumentatur Chryſoſtomus Homil. 74. in Ioannem, exponens eadem verba: *ὁ δὲ τὴν κτίσιν ἰδὼν, οὐχὶ καὶ τὸν θεὸν τὸν οὐσίαν εἶδεν*, &c. *εἰ δὲ ἑτέρας οὐσίας ἦν, οὐκ ἂν τοῦτο εἶπεν. Qui verò creaturam videt, non ideo videt Dei ſubſtantiam*, &c. *Si enim diuerſæ eſſet ſubſtantiæ, nunquam illud diceret.* Vnde eruitur formula argumentationis. Si in Filio non eſſet eadem numero ſubſtantia cum Patre, ſed alia, hæc eſſet planè creata: quoniam omnis natura diſtincta à natura Dei, neceſſariò cenſetur inter res creatas. Ergo quẽmadmodum ex eo quòd videatur creatura aliqua non eſt conſequens vt videatur Deus (neque enim id colligere ſe arbitraretur, niſi inſanus aliquis) ſic nec conſequens eſſet, vt viſo Filio Pater videatur. At Chriſtus Dominus teſtatur, conſequens eſſe, vt viſo Filio videatur Pater. Ergo in Filio eadem numero ſubſtantia, ac in Patre eſt. Vnde & idem Chryſoſtomus ſubdit: *Nemo quid ſit aurum neſciens, poteſt auri in argento videre ſubſtantiam. Non enim alia per aliam natura videtur.*

27 CONFIRMATVR II. Chriſtus enim eo ipſo loco dixit v. 7. *Si cognoviſſetis me, & Patrem meum vtique cognoviſſetis: & amodò cognoſcetis eum, & vidiſtis eum.* Philippus verò deſiderans videre Patrem dixit: *Domine, oſtende nobis Patrem & ſufficit nobis.* At verò Chriſtus eam petitionem deſideriumque redarguit, quaſi importunum: quoniam quiſquis videt Filium, videt & Patrem: ac proindè fruſtra hunc videre deſiderat, quem iam intuetur. Hæc autem reprehenſio eſſet irrationabilis, ſi Chriſtus non haberet eandem ſubſtantiam divinam cum Patre. Si enim ſubſtantia perſonę Filij eſſet aliquid diſtinctum à ſubſtantia Patris, ac proinde creatura, ex eius viſione nullatenus colligeretur viſio

ſub-

ſubſtantiæ Patris. Nullius enim creaturæ viſio eſt connexa cum viſione ſubſtantiæ Dei, vt patet. Vnde deſiderium Philippi fuiſſet rationabile: ſicuti vniuersè rationabile eſt, hominem conſpectis creaturis deſiderare viſionem Creatoris, quale fuiſſe votum Moyſis conſtat Exodi 32. v. 13. Cùm ergo certùm ſit ex reprehenſione Chriſti, deſiderium Philippi fuiſſe ſupervacaneum & irrationabile, cùm viſo Filio exoptavit videre Patrem; neceſſum eſt dicere, eandem eſſe prorſus Patris ac Filij ſubſtantiam perfectionemque, vt proinde quiſquis videt vnum, videat & alterum. Quare ipſe Dominus ſtatim adiecit *: *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt?* Quoniam, nimirum, cùm eadem ſit vtriuſque ſubſtantia, neceſſe eſt vt vnuſquiſque eorum invicem in altero ſit, & viſo altero videatur.

28 QVARTO Demonſtratur ex verbis eiuſdem Chriſti Ioannis 16. v. 15. *Omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt.* Etc. 17. v. 10. *Et mea omnia, tua ſunt: & tua, mea ſunt.* Vnde colligitur planè, ſalva diſtinctione perſonarum, toties à Chriſto explicatâ, ſubſtantiam omnemque perfectionem eſſe eãdem in Patre & Filio, ſeu vtrique indiviſim communem. Quare Auguſtinus lib. 3. contra Maxim. capit. 9. eam ſententiam Chriſti ad hæreticos convincendos appellat *rectiſſimam regulam, vt vbicumque aliquid tribuunt Patri, quod Filio denegant, ipſam fideliſſimam teſtem contra errores eorum, vel contra mendacia paducamus.* Et poſtea cap. 14. inquit: *Nihil Patre minùs habet ille, qui dicit: Omnia quæ habet Pater, mea ſunt. Æqualis eſt igitur.* Ex eâdem regula Cyrillus lib. 9. Theſauri colligit, omnes proprietates Patris ineſſe Filio. Scilicet, proprietates abſolutas, *κατ' αὐτότητα, per identitatem*; relativas autem, ſecundùm *περιχώρησιν*, id eſt, *circum inſeſſionem*, quam ipſe Chriſtus expreſsit poſtremis verbis teſtimonij obſervati numero præcedenti.

29 HVC Spectant plurima alia vtriuſque Teſtamenti loca, quæ palam docent, Filium Dei, ſicuti & Spiritum ſanctum, eſſe verum & ſummum Deum, alleganda in progreſſu. Inde enim convincitur, eſſe eundem numero Deum, & eiuſdem ſubſtantiæ in tribus perſonis. Nam iuxta aperta Scripturæ teſtimonia num. 2. allegata, Deus vnus eſt, non plures: atq; adeò eadẽ numero divinitas reſidet in ijs perſonis, quarum quamlibet Scriptura eadẽ ſine addito Deum vocat. Sed quoniam in locis expenſis hactenus tota hac diſputatione nulla fit expreſſa mentio Spiritûs ſancti quoad identatem ſubſtantiæ cum reliquis perſonis, oportet illam indiviſim de ijs tribus oſtendere,

30 QVINTO Itaque ſuadetur identitas divinitatis trium perſonarum celebri teſtimonio Epiſtolæ primæ Ioannis 5. v. 7. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres vnũ ſunt.* Sic habetur in Vulgata editione, & à tempore ipſo naſcentis Eccleſiæ legebatur. Conſtat id ex S. Hyginio Papa & Martyre, qui electus fuit Pontifex anno Chriſti CLV. quinquaginta & quatuor annis ſolùm elapſis ab obitu ipſius Ioannis Evangeliſtæ, qui fuit anno Chriſti CI. iuxta Irenæum & Polycarpũ, quos allegant & ſequuntur Euſebius & Hieronymus. Is ergo Pontifex adeò vicinus Apoſtolo Ioanni, quique forſan in infantia aut pueritia eum videre potuit (non enim conſtat, quoto ætatis anno Pontificatum ſuſceperit) in prima ex duabus Epiſtolis Decretalibus, quæ habentur Tomo I. Conciliorum, illud teſtimonium Ioannis allegat & exſcribit totidem ferè verbis. nimirum: *Tres in nobis ſunt, qui teſtimonium perhibent in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus: & hi tres vnum ſunt.* Similiter Tertullianus, vicinus eorum temporum, vtpote qui elapſis quadraginta annis ab obitu Hyginij, & à Nativitate Chriſti CXCVII. iam florebat in Eccleſia, lib. 4. in Marcionem longè poſt medium, ea verba Ioannis allegat, & exinde colligit vnitatem eiuſdem ſubſtantiæ in divinis perſonis. Similiter Cyprianus, qui anno Chriſti CCL. electus fuit Epiſcopus Carthaginenſis, lib. de Vnitate Eccleſiæ, teſtimonium illud pariter legit, prout in Vulgato habetur: ſicuti & Athanaſius lib. 1. ad Theophilum, & alij poſtetiores Patres allegati à Bellarmino lib. de Chriſto cap. 6. & à pluribus alijs; & Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. cui Latini pariter & Græci interfuerunt. Quæ omnia ideo minutatim obſervavi, vt conſter, quàm impudenter mentitus fuerit Georgius Blandata in diſputat. 2. Albana, vbi auſus eſt dicere, verba illa, *Et hi tres vnum ſunt*, à nullo auctore legi, excepto Hieronymo. Verũ illi iam præiverat Lutherus: qui ea verba à Biblijs Germanicis expũgi curavit: vt vidimus Diſp. LVIII. num. 4.

31 ID Tamen notandum ex eodem Doctore Maximo in Præfatione ad Epiſtolas Canonicas, ſeptimum illum verſiculum allegatum, fuiſſe expunctum ab infidelibus, id eſt, Arianis translatoribus, quòd inde myſterium Trinitatis apertiſsimè comprobaretur. Quæ cauſa fuit, vt illum verſum non legerint in aliquot Græcis codicibus Oecumenius, Beda, & quidam alij, quos allegat Franciſcus Lucas in eum locum. In alijs autem ferè omnibus & ſaltem in ijs, qui ſcripti fuerunt ante ortam controverſiam Eccleſiæ cum Sabellio & Ario

(qua-

(quales fuerunt abſdubio quibus vſi ſunt Hyginius Papa, Tertullianus, & Cyprianus) habebatur palam ille verſus integer. In eo autẽ oſtenditur manifeſtè diſtinctio perſonarum divinarum cum vnitate eſſentiæ cohærens. Ergo iuxta Scripturam cohæret vnitas ſubſtantiæ ſive eſſentiæ cum Trinitate perſonarum. Sic enim intelligunt locum illum Patres, & Interpretes omnes Catholici à tempore ipſo Primitivæ Eccleſiæ, & ſpeciatim Hyginius, Tertullianus, & Athanaſius locis num. 29. præcedenti indicatis, ac præterea Ioannes II. Papa Epiſt. ad Valerium, Idacius Clarus lib. adverſus Varimadum edito in Bibliotheca Magna Tomo V. Sæculo IV. Vticenſis lib. 2. Fulgentius lib. contra obiect. Arian. Auguſtinus lib. 3. contra Maximinum cap. 12. Eugenius Carthaginenſis in Expoſitione Fidei Catholicæ, Bernardus Serm. 1. & 2. in Octava Paſchæ, & Innocentius III. in Concilio Lateran. allegato cap. Damnamus de Summa Trinit. & Fide Cathol. vt omittam innumeros Interpretes ad eundem locum 1. Ioannis 5 v. 7. Denique, vt nulli Catholico in ea parte dubium ſuperſit, Concilium Tridentinũ ſeſſ. quarta de Canonicis Scripturis iubet eam Epiſtolam, veluti Canonicam, recipi cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſuevit. Conſueviſſe autem legi illam cum ijs verbis in Eccleſia Catholica, iam ſatis demonſtratum eſt.

31 SED Opponunt hæretici verſiculum immediatum eiuſdem Ioannis dicentis ſtatim: *Et tres ſunt qui teſtimonium dant in terra: Spiritus, & aqua, & ſanguis: & hi tres vnum ſunt.* Vbi totidem verbis aſſeritur de his tribus eſſe vnum, ac antea dictum fuerat de Patre, Filio, & Spiritu ſancto Atqui de Spiritu, aqua, & ſanguine, non dicitur eſſe vnũ per identitatem ſeu vnitatem eiuſdem omnino ſubſtantiæ in tribus, vt patet. Ergo nec de Patre, Filio, & Spiritu ſancto.

32 HVIC Obiectioni poſſumus reſpondere diverſimodè. *Primò*, verba illa, *Et hi tres vnum ſunt*, vbi ſermo eſt de ſpiritu, aqua, & ſanguine, non extare in multis codicibus Latinis. Etenim in Biblijs Lovanienſibus allegantur ad marginem quindecim codices manuſcripti, in quibus ea verba non leguntur: cùm tamen legantur verſiculo præcedenti, vbi de Patre, Filio, & Spiritu ſancto fuerat ſermo. Vnde non ſatis conſtare videtur, verba illa in Eccleſia Catholica legi conſueviſſe de ſpiritu, aqua, & ſanguine, quemadmodum conſtat fuiſſe conſuetudinem vt legerentur de Patre, Filio, & Spiritu ſancto. *Secundò* dici poteſt, in Græcis codicibus longè aliter ſermonem eſſe de tribus perſonis, quàm de ſpiritu, aqua, & ſanguine, quantum ad hoc quod eſt dici vnum. Nam de perſonis divinis dicitur: καὶ ὅτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσιν. *Et hi tres vnum ſunt.* Quo planè & abſolutè ſtatuitur trium perſonarum vnitas in ſubſtantia. De ſpiritu autem, aqua, & ſanguine, dicitur: καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσιν. *Et hi tres in vnum ſunt.* Non dixit *vnum ſunt*, ſed *in vnum ſunt*: id eſt, conſpirant in vnum teſtimonium quod certè facere poſſunt, quamvis differant in ſubſtantia: ſicuti & homines in ſubſtantia diſtincti, immo & cœlum in terra, quæ adeò differunt, in ſuſtantia ſua, dicũtur conſpirare nonnunquam in vnam & eandẽ veritatem. *Tertiò* dicimus, admiſſa identitate eorum verborum in vtroque verſiculo, prout plerumque legitur in editionibus Latinis, diſparem eſſe ſenſum vtrobique. Nam, vt obſervat Auguſt. lib. 3. nuper allegato contra Maximinũ cap. 22. loquens de ſpiritu, aqua, & ſanguine, *hæc ſacramenta ſunt, in quibus nõ quid ſint, ſed quid oſtendant, ſemper attenditur: quoniam ſigna ſunt rerum, aliud exiſtentia, & aliud ſignificantia. Si ergo illa, quæ his ſignificantur, intelliguntur, ipſa inveniuntur vnius eſſe ſubſtantiæ.* Quaſi diceret: Non eſt opus, vt ſpiritus, aqua, & ſanguis, quæ ſunt mera ſacramenta, aut plura ſigna trium perſonarum divinarum, ſint in ſe formaliter & intrinſecè vnum in ſubſtantia ſua: ſed ſat eſt, vt obiectivè ſeu repræſentativè id habeant, quatenus myſterium per ea ſignificatum eſt in ſubſtantia vnum. Sic certè omnes illæ imagines, quibus idem omnino prototypus ſignificatur, poſſunt dici vnum aliquid: non intrinſecè & formaliter, ſed repræſentativè ſolùm. Quod autem hoc modo ſe habeant ſpiritus, aqua, & ſanguis, patet. Tria enim hæc ad ſignificandam Trinitatem & vnitatem perſonarum concurrerunt quando Chriſtus Dominus in cruce *inclinato capite tradidit ſpiritum*, & aperto latere *continuò exiuit ſanguis, & aqua.*

SECTIO IV.

Colligitur demum conſubſtantialitas trium perſonarum in diuinis, è ſacris litteris erueta, & in pluribus Concilijs deffinita, ac tradita à Patribus.

33 PRÆIACTIS Scripturæ teſtimonijs, & pluribus alijs Diſp. LVIII. prolatis, ac de cætero proferendis, quibus traditur vna divinitas trium perſonarum, ac nominatim Filij & Spiritus ſancti (circa quos duos ſolùm fuit & eſt cum hæreticis controverſia) demonſtratur apertiſsimè identitas ſubſtantiæ, ſive eiuſdem numero naturæ in tribus perſonis, aut conſubſtantialitas, ſive

HOMOVSION. Ideoque ea veritas Catholica fuit ſæpe ab Eccleſia definita: vt vidimus ſuprà num. 2. ac præterea in V. Synodo Generali, id eſt Conſtantinopolitana II. vbi collat. 8. can. 1. dicitur: *Siquis non confitetur Patris, & Filij Spiritus ſancti, Vnam naturam, ſiue ſubſtantiam, & Vnam Virtutem, & poteſtatem, Trinitatem conſubſtantialem, Vnam Deitatem in tribus ſubſiſtentijs ſiue perſonis adorandam; talis anathema ſit.* Eiſdem vocibus *Trinitatis conſubſtantialis* vtitur VII. Synodus Generalis id eſt, Nicæna II. Act. 3. in Confeſsione Fidei Tharaſij, quæ approbatur ab eodem Concilio, & longè poſtea in exemplari litterarum Theodori Patriarchæ Hieroſolymitani.

34 QVIN Et in I. Synodo Generali, id eſt Magno illo Concilio Nicæno CCCXVIII. Patrum, licèt præcipua Catholicorum diſputatio cum Arianis fuerit circa ſolidam divinitatem Filij, & identitatem eiuſdē naturæ cum Patre, obiter tamen eadem vtriuſque conſubſtantialitas cum Spiritu ſancto fuit definita: non ſolùm ex omnimoda paritate rationis, quoniam æquè conſtat ex locis S. Scripturæ, ſed etiam iuxtà Acta eiuſdem Concilij. Non ſolùm enim in Symbolo, quod ibidem initio præfigitur, formula credendi proponitur *in Spiritum ſanctum*, quamadmodum & in Patrem ac Filium (quod ſufficere videbatur ad ſentiendum pariter de ijs tribus) ſed etiam lib. 2. Auctorum eiuſdem Synodi, aliquanto poſt medium, §. *Siquidem inexplicabilis*, pag. 592. editionis Pariſienſis M.DCXXXVI. quâ nunc vtimur, hæc, inter alia, habentur: *Vnam diuinitatem cogitari & credi aſſeruimus, Vnam ſubſtantiam, dominationem, & ſententiam Vnam Patris, Filij, & Spiritus ſancti. Scire autem S. Trinitatis hypoſtaſes, non eſſe diſiunctas, aut locales; ſed ſola fide, Vnam diuinitatē conſiderari, & credi, vt ſæpiùs diximus, ſanctæ, ET CONSVBSTANTIALIS, & adorandæ Trinitatis.* Et paulò inferiùs ijdē SS Patres concludunt, *ſanctæ Trinitatis Vnam eſſe diuinitatem ſemper exiſtētem, & ſubſiſtentem; Trinitatē verè Trinitatem: & nihil in ea prius aliquando, ſed ſemper & eodem modo exiſtentem, INDIVIDVAM ET CONSVBSTANTIALEM TRINITATEM.* Idem ferè habetur §. *Audiam*, in fine eiuſdem libri. Inſuper, vt teſtatur Sozom. lib. 6 Hiſt. Tripartitæ c. 20. in fin. *plurimi Epiſcopi in Alexandria congregati cum Athanaſio & Euſebio, Nicæni Concilij decreta roborauerunt: & CONSVBSTANTIALEM Patri ac Filio Spiritum ſanctum ſunt profeſsi.* Ergo id ipſum iam ſatis, quamvis non ita ex profeſſo, definitū fuerat in Concilio Nicæno.

35 CONFIRMATVR Illuſtribus teſtimonijs quorundam Summorum Pontificum: qui tradunt eandem vnitatem naturæ, ſeu conſubſtantialitatem, non Patris modò & Filij, verùm etiam Spiritus ſancti, veluti in eâdem Synodo Nicæna definitam. Ac primùm quidem S. Damaſus Papa ſimul cum alijs Epiſcopis, quī ad eum convenerant, Epiſt. 6 inquit: *Patres noſtri trecenti decem & octo Epiſcopi, habito tractatu in Vrbe Nicæna, hunc murum fortiſsimum contra omnia arma diabolica ſtatuerunt, & hoc remedio venena mortifera ſunt depulſa, vt Pater & Filius Vnius diuinitatis, Vnius Virtutis, Vniuſque magnitudinis debeat credi, Vniuſque eſſentiæ, ſiue ſubſtantiæ; SIMVL SPIRITVS SANCTVS.* S. Martinus Papa & Martyr in Decretis Synodicis contra Theodorum & Cyrum cap. 1. loquens eâdem phraſi Nicænæ Synodi confitetur *Vnum Deum in tribus ſubſiſtentijs cō ſubſtantialibus.* Et cap. 2. appellat *conſubſtantialem Trinitatem.* S. Agatho Papa ſimul cum Concilio Romano in Epiſt. 2. quæ habetur in VI. Synodo Actione quarta, colum. 2. eiuſdem Epiſtolæ Trinitatem appellat *coeſſentialem*, ac poſtea *conſubſtantialem.* Similiter Ioannes Papa II. Epiſt. ad Senatores, quæ denominari ſolet, *Liber de duabus naturis* contra Eutychianos, ſimul cum Auguſtino lib. 11. de Civitat cap. 24 profitetur, *Quod Spiritus ſimul Patris & Filij ſit, & ipſe conſubſtantialis, & coæternus ambobus.* Liberius Papa Epiſt. 11. ad Orientales circa medium, loquens de fide Concilij Nicæni ait: *Quæ nomine CONSVBSTANTIALIS comprehenſa, tāquam propugnaculum firmum & inexpugnabile, omnes impetus & machinas Arij reprimit.* Vide plura alia huc ſpectantia ſuprà Diſput. LV. ſect. 2. per totam, præſertim num. 15. 16. 17. 18. 19. & 20. & ſectione 3. per totam, vbi de HOMOVSII auctoritate agitur. Ibidemque num. 29. & 30. produximus teſtimonia Patrum Nicæna Synodo longè antiquiorum, qui Patrum, Filium, & Spiritum ſanctum dixerunt *conſubſtantiales, & coeſſentiales.* Nimirum, quamvis eæ voces non legantur in Scriptura, legitur palam res ipſa, quæ per eas ſignificatur, & eſt vnitas naturæ in tribus perſonis. Quare tum Patres ipſi, tum poſtea Nicæna Synodus, vrgente neceſsitate ad reijciendam, immò & radicitus extirpandam perfidiam Arij, meritò vocem Homoûſij, ſive conſubſtantialis, vſurpârunt: quidquid in oppoſitum latrarent olim Ariani, & nunc illorum ſectatores, quibus ea vox angue, & cane peius ſonat: vt iam antea obſervavimus.

VN-

36 VNDE Reiecta manet obiectio hæreticorum petita ex Apoſtolo 2. Timoth. c. 6. damnante *prophanas novitates*, ac proinde voces novas, quibus exponantur res diuinę, præter receptas in Scripturis. Iam enim ex tota hac Diſp & præced. conſtat, identitatẽ ſubſtantiæ, ſive vnitatem eſſentiæ & naturæ, quoad rem ipſam haberi in Scriptura: ac proinde potuiſſe Patres vrgente neceſsitate vti ea voce ad eandem veritatem Catholicam exprimendam, abſque vllo hæreticorum effugio. Sic certè Eccleſia Catholica vſa eſt voce Tranſubſtantiationis, quæ in Scriptura ſolùm extat quoad rem ſignificatam per illam. Vnde Athanaſius in diſputatione Laodiceæ habita coram Probo reſpondit Ario: *Eccleſiaſticæ ſemper moris eſt diſciplinæ, ſi quando hæreticorum nova doctrina exurgit, contra inſolentes quæſtionum novitates, rebus immutabiliter permanentibus, nominum vocabula mutare, & ſignificantiùs rerum naturas exprimere; quæ tamen exiſtentium cauſarum virtutibus congruant, & quæ magis antiquitatis eaſdem fuiſſe demonſtrent.* Auguſtinus quoque Tract. XCVII. in Ioannem: *Aduerſus impietatem Arianorum novum nomen Patres HOMOVSION condiderunt: ſed non rem novam tali nomine ſignificarunt.* quin potiùs tot & tam luculentis Scripturæ teſtimonijs expreſſam. Nec negat Auguſtinus id nomen antiquius fuiſſe Patribus Nicænis, ſed appellat novum, quia in Scriptura non legitur. Denique Fulgentius reſpondens ſeptimæ obiectioni Arianorum inquit: *Mirum eſt quòd in hoc nomine ſonus tantùm attenditur, nec dicti intelligentia veſtigatur: cùm pleraque non ſint antiquitus dicta, & pro temporum cauſarumque opportunitatibus profeſsioni fidei inveniantur inſerta.*

37 HOC Loco proponenda eſſent argumenta hæreticorum contra vnitatem eſſentiæ in tribus perſonis. Verùm ne controverſia ſit prolixior iuſto, obijciemus ea & ſolvemus Diſput. ſequenti.

DISPVTATIO LX.

AN DISTINCTIO REALIS IN PERSONIS, ET IDENTITAS IN SVBSTANTIA, SEV natura, ſit contraria rationi naturali.

AD REVERENDISSIMVM P.N.M. Fr. BENEDICTVM DE SALAZAR, Congegationis Benedictinæ Hiſpaniarum & Angliæ Generalem, Catholicæ Maieſtatis Theologum, Supremæ Inquiſitionis Cenſorem, natalitio ſanguinis ſplendore, virtutum & litterarum cultu, Philoſophiæ ac Theologiæ profeſſione, atque illuſtrium diſcipulorum fœtu venerandum, olim electum Chiapenſem Epiſcopum.

SVPPONIMVS Ex dictis ſuprà Diſp. LI. cum communi Patrum & Scholaſticorum ſententia, diſtinctionem realem perſonarum diuinarum inter ſe, & identitatem in ſubſtantia, ſeu natura, eſſe prorſus ſuprà rationem naturalem, ideoque nullius creaturæ viribus naturalibus poſſe demonſtrari, aut qualitercumque percipi cognicione evidenti. Nunc autem exquirendum, an ſicuti id myſterium eſt ſupra naturalia principia, ita etiam ſit contra illa. De quo diſſerit Anſelmus infrà cap. 62. ſed hoc loci oportuit præmitti, quoniam recto ordine ſequitur poſt Diſputationem præcedentem. Tractant id Scholaſtici cum Magiſtro variis locis: ſed potiſsimùm in 1. diſt. 2. & 3. vbi eadem quæſtio excitatur à D. Thoma, Bonaventura, Scoto, & Durando, vt alios plures omittam.

SECTIO PRIMA.

Catholica ſententia negans ſtatuitur contra hæreticos Trinitatis hoſtes. Porrò difficultatem hanc ſummam eſſe, etiam ipſis Eccleſiæ Patribus, & ſummis Theologis. Præmittuntur ex ijs quædam obſervatu digna ad ſolvenda argumenta expeditè ac facilè.

1 OMNES Hæretici, qui Trinitatis myſterium à Nicæna Synodo definitum ſub vocabulo Homouſij, ſive eiuſdē omnino ſubſtantiæ in tribus perſonis, exoſum habuerunt, hodieque, ſive Tritheitæ, ſive Ariani, ſive Serveciani, aut quacumque alia appellatione cenſeantur; obſtirmato & pertinaci animo volunt, identitatem in eſſentia & diſtinctionem in perſonis, eſſe contrariam rationi naturali, ac proinde fictitiam. In quod probandum plurima olim congeſſerunt argumenta: quæ omnia ſatis contrita à Patribus, & obſoleta cum hæreſi Ariana, inſtauravit ſæculo præcedenti impijſsimus Michael Servetus, propterea vivus exuſtus Genevæ anno M. D. LV. & alij ex Sectarijs Diſp. præced. ſect. 1. notati. Verùm & recentiùs adhuc eandem perfidiam ex Orco revocârunt in Polonia novi quidam Photiniani, atque Ebionitæ, & in ijs præſertim Joann. Crellius, Miniſter illius Satanicæ Synagogæ, quæ eſt in Racovia: qui hoc ipſo ſæculo librum ſcripſit Trinitati planè contrarium, & tantæ exiſtimationis inter gregales ſuos, vt vēditaverint illum veluti prorſus invictum. Sed quàm futilis ille ſit, & anilibus ſophiſmatis plenus, oſtendit ſatis Biſterfeldius in Confutatione illius edita anno M. DC. XXXIX. & pleniùs adhuc atque eruditiſsimè Petavius toto lib. 3. de Trinitate. Nos breviùs, & quantùm ſatis fuerit, ad ea ſophiſmata extricanda, rem diſcutiemus.

3 CATHOLICA Sententia eſt, identitatem ſubſtantiæ divinæ in tribus perſonis, veriſsimam eſſe: vtpote à Scriptura traditam, & in Concilijs Oecumenicis definitam: vt vidimus Diſp. præcedenti per totā: ac proinde non eſſe contrariam rationi naturali, quamvis ſit ſupra illam. Ratio communis eſt, quoniam verum vero nequit eſſe contrarium. Alioqui duæ propoſitiones contrariæ, & per conſequens duæ contradictoriæ, poſſent eſſe ſimul veræ, contra principium certum & evidens, *Quodlibet eſt, vel non eſt.* At identitas, ſeu vnitas trium perſonarum divinarum in eâdem natura, eſt vera, immò certa ſecundùm fidem, quæ falli nō poteſt. Similiter ratio naturalis eſt vera: cùm nitatur principijs ab Auctore naturæ indi-

ditis, quæ prorſus vera & certa ſunt. Ergo identitas, ſeu vnitas trium perſonarum divinarum in eâdem natura, non eſt contra rationem naturalem. Mitto alias probationes, quæ vel in hanc ipſam rediguntur, vel minoris momenti ſunt.

4 ANTEQVAM Argumenta objiciam, religioni ducerem non profiteri initio ſummam celſitudinem huius myſterij, & difficultatem adeò abſtruſam in expediendis nodis, quibus infirmitas humana irretitur, vt vel ſapientiſsimi Eccleſiæ Patres, & magna illa Orbis Chriſtiani lumina, olim plurimum laboris atque operæ in eo collocaverint. Ideo aiebat Dionyſius Theologorum Coryphæus lib. de Divin. nomin. cap. 13. *Diuinitas, quæ omnia ſuperat, vnitatis, & Trinitatis nomine celebrata, non eſt vt vnitas & trinitas, aut à nobis, aut ab aliquo alio eorum, quæ ſunt, cognita.* Et poſt pauca: *Nulla autem monas, aut trias, neque numerus, neque vnitas, aut fœcunditas, nec quidquam aliud eorum, quæ aut ſunt, aut cognita ſunt, arcanum illud ſummæ, omniaque ſuperantis Diuinitatis, QVOD RATIONEM OMNEM, MENTEMQVE VINCIT, ENVNTIAT. Neque eius nomen eſt, neque notio, ſed in ijs, ad quæ aditus non patet, ſecreta eſt.* Similiter Magnus ille Auguſtinus, quamvis ingeniorum Phœnix, lib. 1. de Trinit. cap 1. *Non contendo explicare quā rectè intelligatur Trinitas diuinarum perſonarum: ſed quàm rectè credatur.* Rationemque reddit libro de Spiritu & Anima cap. 22. dicens: *Ex his, quæ cognoſcuntur à nobis, quædam ſunt infra rationem, vt ea quæ ſenſa percipimus: quædam autem ſecundùm rationem, vt ea quæ ratione percipimus: quædam denique ſupra rationem, quæ nec ſenſus nec ratio perſuadet; ſed aut diuina reuelatione comprehenduntur, aut diuinarum Scripturarum auctoritate creduntur: VT DEVM IN VNA SVBSTANTIA ESSE PERSONALITER TRINVM.* Similiter Chryſoſtomus Tomo VI. Oration. 1. de Incomprehenſibili aiebat: οἶδα ὅτι υἱὸν ἐγέννησε. τὸ δὲ πῶς ἀγνοῶ, &c. *Novi quòd Filium genuit: quomodo autem, ignoro. Novi quòd ex ipſo ſit Spiritus: quomodo verò ſit ex ipſo, neſcio. Cibis veſcor & quomodo in pituitam, in ſanguinem, in humorem, in bilem vertantur, ignoro. Hæc ipſa, quæ quotidie manducantes cernimus ignoramus: & Dei ſubſtantiam curioſè perſcrutamur.* Plura alia huiuſmodi paſsim legun ur apud Patres: qui ſe impares omnino faten ur ad reddendam rationem eius tam abſtruſi myſterij,

5 VERVMTAMEN Vbi impetebantur ab Arianis, alijſve hæreticis multiplici argumento, non detrectabant reſpondere, aut reddere rationem eius, quæ in ijs, erat, fidei, iuxta monitum Apoſtoli: ideoque apud eundem Auguſtinum, Athanaſium, Cyrillum Alexandrinum, Baſilium Magnum, Nazianzenum, Nyſſenum, Fulgentium, alioſque plurimos Patres diſſerentes contra Arianos leguntur horum argumenta ſoluta: quamvis adhuc poſt ſolutionem datam res maneat obſcura, & quoddammodo inacceſſa, quæque potiùs creditur, quàm intelligitur. Alioqui non eſſet myſterium ſupernaturale omnino. Ideo Anſelmus infrà cap. 62. ait: *Videtur mihi huius tam ſublimis rei ſecretum tranſcendere omnem intellectus aciem humani: & idcirco conatum explicandi qualiter hoc ſit, continendum puto.* Deinde libro de Fide Trinitatis & Incarn. Verbi c. 6. cuilibet ſubeunti ingentem difficultatem in credendo aut defendendo vnitatem eſſentiæ in tribus perſonis hanc regulam ſtatuit: *Sufferat paululſper aliquid, quod intellectus penetrare non poſſit eſſe in Deo: nec comparet naturam, quæ ſuper omnia eſt libera ab omni lege loci, & temporis, & compoſitionis partium, rebus quæ loco aut tempore clauduntur, aut partibus componuntur: ſed credat aliquid in illa eſſe, quod in iſtis eſſe nequit: & acquieſcat auctoritati Chriſti, nec diſputet contra illam.* Itaque cùm hæretici recentes vix aliud nunc obijciant contra vnitatem naturę in tribus perſonis quàm olim ipſorum anteambulones Ariani, rationemque à nobis exigant, quam ij tunc à Catholicis Patribus exigebant, *Suſcipimus* (vt ita loquar cum Auguſtino lib. 1. allegato de Trinit. c. 1. ſub finem) *eam ipſam, quam flagitant, reddere rationem, quod Trinitas ſit Vnus Deus, & ſolus, & verus: & quàm rectè Pater & Filius & Spiritus ſanctus Vnius eiuſdemque ſubſtantiæ vel eſſentiæ eſſe dicatur, credatur, intelligatur.* Vt autem id præſtemus expeditè, & independenter à quibuſdam domeſticis controverſijs inter Catholicos, quas Tomo I. profligavimus, nec repetere oportet, nonnulla præmittenda ſunt.

6 PRIMO Nota, quemadmodum certum eſt, & Patres Eccleſiæ palam profitentur, myſterium hoc eſſe ſupra rationem naturalem, ita vt viribus eius nequeat demonſtrari: ita etiam contra rationem naturalem non eſſe, neque oppoſitum demonſtrari poſſe. Omnis enim demonſtratio habet vim generandi ſcientiam, quæ eſſentialiter eſt de rebus veris certis & neceſſarijs, quales non ſunt, nec eſſe poſſunt, quæcumque contrariantur myſterijs à Deo revelatis, quæ ſunt vera, certa, & neceſſaria ex ſuppoſitione divinæ revelationis, in qua nulla omnino falſitas eſſe poteſt. Itaque nullum ex argumentis, quibus hoc myſterium impetitur, eſt vera demonſtratio: ac proinde ſufficienter ſolvi poteſt ab ijs, qui de rebus, tum naturalibus, tum divinis, competentem notitiam nacti ſunt: quamvis alij imperiti neſciant reſpondere, & hallucinentur inanibus tricarum & ſophiſmatum irretiti nodis.

7 QVIN Præterea docti Theologi non ſolùm poſſunt lenire vtcumque difficultatem argumentorum eiuſmodi, ſed evidenter ea ſolvere. quod multi graves Auctores hoc loco docent cum Valentia in Prolegomenis ad libros de Trinitate cap. 2. & mihi etiam probatur. Ea enim argumenta neceſſum eſt fallacia eſſe, ac proinde vitium aliquod habere, vel ex capite formæ, vel materiæ. Si peccent ex parte formæ, poterunt planè & luculenter ſolvi ab eo qui præceptionibus Dialecticæ ſatis inſtructus ſit, & probè novit ſeveram argumẽtandi methodum. Si peccent ex parte ſolius materiæ, etiã poterunt manifeſtè ſolvi. Ad hoc enim non eſt neceſſum oſtendere evidenter eſſe falſum id, quod in argumentum aſſumitur, & contrarium eſſe verum, vt falsò exiſtimavit Durandus in Prolog. Sentenc. q. 1. Sufficit itaque evidẽter reddere rationem idoneam ſeu probabilem, nè id, quod in argumento aſſumitur, cẽſeatur omnino verum; quin potiùs, vt animus ſibi prudenter perſuadeat, illud eſſe falſum; ac proinde non divertat à ſententia, quam eatenus tuebatur. Totum id præſtari poteſt vbi Theologus Catholicus impetitur argumentis contra fidẽ iuxta formulã debitam conſtructis, ſed peccantibus ex parte materiæ. Ergo poteſt illa omnia evidenter ſolvere.

8 ASSVMPTIONEM Probo. Vt enim argumentum contra vnitatem eſſentiæ in tribus perſonis rectè diſpoſitum ex parte formæ, concludat, ex parte materiæ abſque vlla idonea ſolutione, ſeu ratione in oppoſitum, deberet inniti alicui propoſitioni contrariæ myſterio fidei, & ita vniverſali, vt contineat ſub ſe, non ſolùm res creatas & finitas, verùm etiam rem infinitã & increatã ſub communiſſima aliqua ratione: v.g. ſub hac formula: *Nulla omnino res vna numero ſecundùm eſſentiam, poteſt eſſe trina numero ſecundũ hypoſtaſim. Atqui Deus eſt res vna numero ſecundũ eſſentiã. Ergo Deus nequit eſſe trinus numero ſecundùm hypoſtaſim.* In hoc ſyllogiſmo, qui rectè diſpoſitus eſt ex parte formæ, vt cõcluſio ſit ineluctabilis, ſive ullã ideneã ſolutionẽ, aut etiã evidentẽ permittens, maior illa propoſitio debet ſupponi vera in communiſſima acceptione, ſeu abſtractione à re creata & increata, finita & infinita, vt patet. Nam ſi vocabulum RES

accipiatur ibidem ſolùm pro re infinita, ſubiectum minoris propoſitionis, quod eſt Deus continebitur ſub propoſitione maiori: atque adeò conſequentia quæ de Deo infertur, erit evidenter nulla: quoniam licèt forma ſyllogiſmi ſit recta, accipitur præpoſterè ex parte materiæ, nec ſub eo ſenſu vniverſali, qui neceſſarius eſſet ad conſequentiam inferendam. Quare arguenti ſolùm ſupereſt probare illam propoſitionem in ſenſu vniverſali & communi rebus creatis & increatis. Id autem probare nequit, niſi vel ex alio principio, quod æqualem exceptionem patiatur: vel ab inductione in omnibus & ſingulis rebus creatis. Verum hinc ad divina non eſſe tranſitum, nec eiſdem regulis demetiendas eſſe res finitas atque infinitas, vnuſquiſque ſibi prudenter perſuadere poteſt, vt ſuprà ex Anſelmo obſervavimus.

9 DEINDE: Veritas huius myſterij, ſicuti & aliorum ad fidem ſpectantium, ijs motivis nititur, vt ſit evidenter credibilis, ſeu digna prudenti aſſenſu. Ac proinde poteſt cordatus & doctus Theologus evidenter ſolvere argumentum ex inductione ſibi obiectum, reddendo rationem manifeſtè idoneam, vt quiſque prudens exiſtimet, non perindè exiſtimandum eſſe de re increata & infinita, ac de rebus finitis & creatis, vt inſtar illarum nequeat vna numero exiſtens ſecundùm eſſentiam, eſſe trina numero ſecundùm hypoſtaſim. Poteſt igitur id argumentum evidenter ſolvere. Sic certè refellendus eſſet qui objiceret, in Deo non eſſe actum aliquem liberum voluntatis; quoniam omnis actus liber poteſt eſſe aut non eſſe quoad ſuam entitatem, pro libito volentis; in Deo autem quidquid eſt, neceſſariò exiſtit, eſtque indiſtinctum ab ipſo. Refellendus inquam, eſſet, negando illam propoſitionem vniverſalem, ſi ad actum liberum per eſſentiam extendatur; & ſolùm concedendo illam de actu libero per participationem, ſive finito. Ille enim ratione immutabilitatis divinæ nequit deficere ſeu non eſſe quoad ſuam entitatem, quamvis deeſſe potuerit quoad terminationem liberam vt vidimus Tomo I. Diſput. XXXIV. & ſequentibus. Actus autem liber creatus, poteſt quoad ſuam entitatem deficere, aut non eſſe: quoniam finitus eſt, & mutabilis. Itaque fides Catholica, quæ docet Deum immutabilem & liberum eſſe, innixa motivis reddentibus eam veritatem evidenter credibilem, præſtat ſolutionem manifeſtam argumento, quo quiſpiam contenderet, non eſſe liberum verè & in exercitio, ex eo quòd omnis actus liber poſsit eſſe aut non eſſe quoad ſuam entitatem pro libito volentis. Reſpondetur enim, hanc propoſitionem poſtremam ſolùm eſſe verom in actu libero voluntatis creatæ, quæ finita & mutabilis eſt, falſam autẽ in actu libero voluntatis divinæ, quam fides docet immutabilem prorſus eſſe. Eodem itaque modo occurrendum eſt argumento præcedenti propoſito contra myſterium Trinitatis, ex inductione in rebus creatis quæ in infinitũ diſtant à divinis, de quibus proinde longè aliter ſentire & loqui debemus.

14 HAC Via & ratione Patres olim reſpondere ſoliti ſunt hæreticis ex inductione rerum creatarum arguentibus contra vnitatem eiuſdem omnino eſſentiæ in tribus perſonis, & contra plura alia, quæ ſpectant ad idem Trinitatis myſterium. Ideo Athanaſius in libro de Decretis Synodi Nicænæ ante medium aiebat: *Tametſi eædem dictiones de Deo & hominibus* (ſubindeque de alijs rebus creatis) *in ſacris Scripturis habeantur; hominum tamen perſpicacium eſt, vt Paulus præcipit, lectioni attendere, vt rem cum iudicio diſcernant, & pro natura vocabula accipiant ſine intellectus confuſione: ne quæ Dei ſunt, humano more intelligant. Id enim eſt vinum aqua miſcere, & alienum ignem altari inferre.* Similiter Nazianzenus Oration. 5 de Theologia reſpondens argumentis Eunomij impugnantis proceſsionem Spiritus ſancti ait: *Valde profectò turpe eſt, nec turpe ſolùm, ſed etiam admodum ſtultum & inane, ex humilibus ac terrenis rebus ſuperarum ſimulachrum ſumere; quodque Iſaias ait, viuentia in mortuis quærere.* Cyrillus quoque Alexandrinus lib. 11. in Ioannem ita hæreticos ijs communibus regulis innitentes ad impugnanda myſteria Dei refellit: εἰ μὲν γὰρ τὸ διεῖργον ϗ διὲν ἢ ἀπεριόριστον ὅλως εἰς διαφορὰν ἡμᾶς τε ϗ θεὸν, &c. *Si nihil inter nos & Deum eſt diſcriminis, diuina noſtris metiamur. Sin autem incomprehenſibile eſt interuallum, cur naturæ noſtræ defectus, canonem, & regulam, ac normam Deo præſiniunt ex ijs, quæ nobis impoſſibilia ſunt, neceſsitati ſubijcientes naturam omni neceſsitate potiorem?* Sed ijs Patribus longè antea præiverat Sanct. Dionyſius lib. de Myſtica Theologia cap. 5. vbi ita invehitur contra hæreticos ſic arguentes: *Rebus terremis adhæreſcunt, & nihil ſupra ea, quæ ſunt, & ſupra ſubſtantiam* (nimirum, creatam) *cogitant. quin potiùs arbitrantur ſua cognitione noſſe eum, qui poſuit tenebras latibulum ſuum: & ſummam cauſam omnium ex extremis in natura rerum deſignant: nihilque eam antecellere aiunt impijs imaginibus, quas ipſi fingunt.* Itaque quamvis eiſdem vocabulis ſignificentur res divinæ, & creatæ,

im-

immò & quamvis ſub communiſſima abſtractione eandem rationem formalem ex parte rei ſignificatæ habere videantur, aut reipſa habeant; ſtultum & indignum eſt ea cogitare, quaſi pariter ſe habeant in Deo, quemadmodum in creaturis: cùm Deus omni enti creato infinitis partibus antecellat in qualibet perfectione ſua, & modo habendi eam.

11 SECVNDO Obſervandum, argumenta illa, & difficultates, quæ ab hæreticis objiciuntur, & ſtatim in oculos incurrunt, ne vna & eadem numero eſſentia habeat identitatem realem cum tribus numero perſonis, nevè aliquid reipſa conveniat eſſentiæ, quod repugnet perſonis, aut è contra; alios atque alios Theologos impulſiſſe in opiniones varias, vt vnuſquiſque iuxta ſuum dicendi modum extenuaret aut imminueret pondus graviſsimum eius difficultatis. Hinc Gilbertus Porretanus, Epiſcopus Pictavienſis, diſtinxit reipſa tres hypoſtaſes ab eſſentia divina, vt quod affirmatur de hac, poſſet de ijs negari, & è converſo. Verùm cùm eius opinio traducta fuiſſet ac damnata in Concilio Remenſi ſub Eugenio III. inſtante imprimis S. Bernardo; Subtilis Doctor Scotus circa annum M. CCC. excogitavit diſtinctionem formalem ex natura rei inter eſſentiam & hypoſtaſes divinas, minorem illâ abſolutè reali, quæ in Gilberto fuerat proſcripta ab Eccleſia, & maiorem quàm ſolius rationis, communiter traditam, & paucis antè annis à D. Thom. ſtatutam. Paulo autem poſt Durandus, cùm ſibi diſpliceret ea Scoti diſtinctio, & Thomiſtica inſufficiens omnino videretur, docuit ex profeſſo, hypoſtaſes divinas diſtingui ex natura rei veluti modos ab eſſentia divina. Sic enim, & non aliter viſum ipſi eſt leniri ſummam illam difficultatem, quæ ſtatim occurrit in myſterio Trinitatis. De his omnibus vide quæ diximus latè Tomo I. Diſp. XXV.

12 RVRSVS Ex ijs ipſis Theologis, qui vtramque diſtinctionem ex natura rei, ſeu formalem, ſeu modalem, à Scoto, & Durando traditam reijciunt, & ſufficere exiſtimant diſtinctionem virtualē ad leniendam difficultatem illam; ſunt qui velint ſatis eſſe diſtinctionem virtualem in ordine ad connotata extrinſeca, diſtinctionemque rationis, propter quam poſsit duplex aut multiplex quaſi contradictorium prædicari de eâdem entitate eſſentiæ, & relationum. Aiunt enim, tunc ſolùm eſſe veram contradictionem eiuſmodi, repugnantiamque, cum idem affirmatur & negatur de eodem ſecundùm idem, ſive ſecundùm eandem rationem formalem: non verò quando de eodem ſecundùm aliam atque aliam rationem ab intellectu apprehenſam. Alij verò ex oppoſito inſtant ex doctrina Conciliorum, iuxta quam reipſa, & ante omnem intellectus conſiderationem, diſtinctione mentis noſtræ, quædam reipſa conveniunt eſſentiæ divinæ, quæ repugnant divinis relationibus, & è contra: ac proinde aiunt opus eſſe diſtinctione virtuali intrinſeca, id eſt, conveniente eſſentiæ comparatæ cum relationibus, independenter ab omni diſtinctione rationis in ea fundata, immo & à poſsibilitate illius. Eam verò diſtinctionem virtualem intrinſecam propriam eſſe volunt entitatis divinæ, quatenus eſt infinitè perfecta & fœcunda indiviſim: vt proinde nullum in creaturis locum habeat, immo neque in Deo ipſo, ſecundùm eas perfectiones ſeu prædicata, quæ ratione naturali demonſtrantur, & nullum myſterium important. Itaque ſecundùm hoc genus diſtinctionis reſpondent argumentis, quæ fiunt contra vnitatem eſſentiæ in tribus perſonis: exiſtimantes priorem modum non ſufficere, vt prædicata quaſi contradictoria in re conveniant eſſentiæ divinæ cum relationibus comparatæ.

13 CVM Verò nos Tomo I. Diſputatione XXV. per totam reiecerimus errorem Gilberti, & opinionem vtramque Scoti & Durandi; ac præterea Diſp. XXVII. ſtatuerimus diſtinctionem virtualem intrinſecam inter eſſentiam divinam & relationes, tanquam ea ſola exigatur & ſufficiat ad leniendum ſummam difficultatem huius myſterij; nunc conſequenter, illâ ſuppoſitâ, reſpondebimus argumentis hæreticorum. Itaque nihil morabimur lectorem referendo & refellendo ſolutiones, quibus vtuntur Auctores earum opinionum: quorum doctrinam generatim & multipliciter impugnavimus locis allegatis. Certè ipſi, vbi impetuntur argumentis poſtea objiciendis, curabunt reſpondere iuxta ſua ipſorum principia. Nobis ſolùm curæ erit ſolutionem præſtare iuxta doctrinam ijs locis traditam, quæ nunc etiam placet. Vide præcipuè ſectionem tertiam & quartam allegatæ Diſputationis XXVII. vbi ex mente S. Anſelmi, & rationibus efficacibus, quantum capio, probata & explicata fuit eiuſmodi diſtinctio virtualis intrinſeca inter eſſentiam & relationes, quamvis hæ reipſa diſtinguantur inter ſe. Illa verò doctrina non eſt nunc iterum probanda, ſed ſolùm ſupponenda. Itaque accedamus iam ad objicienda & extricanda argumenta hæreticorum.

(?)

SECTIO SECVNDA.

Hæreticorum argumenta obijciuntur, & prætermiſsis ſolutionibus aliorum ex Catholicis, enervantur plerumque iuxta noſtram doctrinam Tomo I. Diſp. XXVII. ſtatutam de diſtinctione virtuali intrinſeca eſſentiæ diuinæ à relationibus, ſeu hypoſtaſibus.

14 OBIICIVNT I. Principium ſive effatum illud celeberrimum, quod veteres hæretici olim opponere ſoliti ſunt; deinde intermedio tempore Gilbertus Porretanus, teſte Othone Friſingenſi libro de geſtis Frederici Imperatoris cap. 55. & 56. atque hoc ipſo ſæculo, poſt alios recentes hæreticos Crellius lib. 2 cap. 3. pag. 517 iterum atque iterum ingeminat: *Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe.* Nimirum, in eo effato aut principio volunt niti totam artem ſyllogiſticam, quæ planè corrueret cum ſuo Ariſtotele, niſi id in omni materia ratum firmumque eſſet. At firmum ratumque non eſt, ſed potiùs falſum, ſi eadem numero eſſentia divina eſt eadem cum perſonis tribus reipſa diſtinctis. Sic enim perſonæ ipſæ erunt vnum & idem reipſa cum vno tertio, non tamen inter ſe. Ergo eadem numero eſſentia Dei nequit vnum & idem eſſe cum tribus perſonis reipſa diſtinctis.

15 CONFIRMATVR. Illud enim effatum nititur in principio notiſsimo: *Impoſsibile eſt idem de eodem ſimul affirmari & negari.* quod vix differt à primo principio omnium animis inſito: *Quodlibet eſt, vel nõ eſt.* Eo nanque ipſo quòd ex duobus extremis vnũ ſit reipſa idem cum aliquo tertio, hoc affirmatur de illo: ac proinde extremum alterum, quod eſt idem cum eodem tertio, nequit verè de altero priori extremo negari. Sic enim tertium ipſum ſimul affirmaretur de vnoqueque extremo, & negaretur ſecundùm alterum extremum ſibi identificatum. Ergo non eſt locus vt eſſentia divina ſit vnum & idem cum hypoſtaſibus inter ſe diſtinctis. Sic enim de vnaquaque earum ſimul affirmaretur & negaretur: affirmaretur propter identitatem realem cum vnaquaque, negaretur verò propter diſtinctionem realem hypoſtaſeon trium inter ſe.

16 RESPONDEO Effatum illud eſſe veriſsimum prout iacet, in rebus ijs, quæ evidenter demonſtrari poſſunt lumine naturalis rationis, ſive in divinis, ſive in creatis: & fruſtra aliquos excogitare quædam exempla in oppoſitum, cùm nullum inveniatur adæquatè: immo & è re ac ſublimitate myſterij Trinitatis ſit, vt nullum extra illud inveniri poſsit exemplum. Quod etiam ipſi hæretici Ariani, quibuſcum diſputamus (ſaltem exceptis Anomæis omnium peſsimis, qui negabant Chriſtum ante Mariam fuiſſe) fateri debent in ipſo Incarnationis myſterio: de quo iure ac meritò Concilium Toletanum II. dixit: *Partus Virginis neque ratione colligitur, neque exẽplo monſtratur: quia ſi ratione colligeretur, non poterit eſſe mirabilis: ſi exemplo, non erit ſingularis.* Ac certè dum aliqui in motu actione & paſsione, alijſque rebus, non creatis modò, ſed infimis, meditantur diſtinctionem plurium inter ſe ſe, & identitatem cum eodem tertio, obtrudere id volunt in rebus nullius pretij id, quod nec in Deo percipere poſſemus, niſi ex ipſius revelatione, in cuius obſequium oportet captivare intellectum, iuxta monitum Apoſtoli. Recole verba Anſelmi ſuprà num. 5. exſcripta, & præterea accipe hæc ex D. Thoma in 1. diſt. 33. q. vn. art. 1. ad 2. *In nulla re creata invenitur aliquid ſimile diuinæ ſimplicitati: vt habens ſit id, quod habetur. Omnia enim ſimilia, quæ poſſent induci, vel de punctis, vel de differentijs exiſtentibus in genere, plus habent de diſsimilitudine, quam de ſimilitudine: & omnino magis abducunt à veritate, quàm in rerum intellectum inducunt.* Porrò Ariſtoteles, ac reliqui Philoſophi Gentiles eo principio vſi, ſolùm cognoverunt illas res divinas & creatas, quæ lumine naturali demonſtrari poſſunt, ſive quæ ſervant communes leges: iuxta quas concluditur identitas duorum aut plurium inter ſe ex identitate cum tertio. Quare in divinis ex eo quòd potentia & ſapientia ſint vnũ & idẽ omnino cũ eſſentia divina (quod naturalis ratio demonſtrat ex cõceptu entis à ſe, & actus puri ac ſimplicis) rectè colligitur identitas illarum inter ſe. Similiter in creatis ex eo quod animal rationale & homo ſint vnum & idem cum compoſito ex anima intelligente & corpore, colligitur optimè quòd ſint inter ſe vnum idemque.

17 SI Autem principium illud accipiatur ſub communiſsima ratione abſtrahente à creatis & increatis, etiam ijs quæ ſupra omnem rationem naturalem ſunt; concedendum quidem eſt de ijs, quæ ſunt vnum & idem cum tertio adæquatè, vt in vtroque exemplo nuper propoſitio attributorum Dei collatorum cum eſſentia, & compoſiti humani: negandum verò in iis, quæ ſolùm inadæquatè idem ſunt cum vno tertio. Hoc autem modo ſe habent hypoſtaſes divinæ: quarum vnaquæque eſt realiter vnum & idem cum eſſentia inadæquatè ſumpta, id eſt, ſolùm quatenus eſſentia eſt, ſeu perfectio communis: non autem quatenus illa præterea eſt vnum idemque cum reliquis hy-

hypoſtaſibus, ratione ſummę & infinitæ, tum perfectionis, tum fœcunditatis ſuæ indiviſim. Ideoque eam fœcunditatem in ordine ad generationem æternam Filij, & proceſsionē Spiritus ſancti, habemus teſtatam abūdè in ſacris litteris; ſicut & vnitatem in eſſentia, ac diſtinctionem realem in perſonis vt patet ex vtrâque Diſputatione præcedenti. Fides itaque ipſa nos docet, identitatem ſingularem hypoſtaſeon cū eſſentia divina non eſſe adæquatam: ac proinde ex illa non colligi identitatem hypoſtaſeon inter ſe.

18 QVAMVIS Autem hoc ipſum nequeat oſtendi exemplo aliquo in creatis, immo neque in divinis quæ ratione naturali demonſtrātur; adhuc eſt inſtantia admodum affinis in libertate divinorum actuum, quæ licèt generatim demonſtretur, adhuc impervia, & arcana eſt omni intellectui creato circa modū, quo cohæret cum immutabilitate & perfectione divina: vt patet ex innumeris Theologorum ſententijs prorſus incertis, quas expendimus Tomo I. Diſp. XXXV. & ſeqq. Sumo itaque terminationē liberam tum volitionis, tum nolitionis creandi mundum. Certè quælibet illarum ex hypotheſi exiſtentiæ ſuæ debet eſſe vnū & idem reipſa cum Deo: quoniam ratione naturali demonſtratur, quidquid eſt intra Deū, eſſe vnum idemque reipſa cum illo, ex ratione actūs puri & ſummè ſimplicis. Et tamen repugnat terminationes liberas volendi, & nolendi creare mundum eſſe vnum & idem reipſa inter ſe: immò & repugnat vtramque coexiſtere, quoniam Deus nequit ſimul velle & nolle idem obiectum pro eodem tempore. Nimirum, nulla ex ijs terminationibus, prout condiſtincta ab alia, identificat ſibi adæquatè Deum, ſed inadæquatè ſolùm. Quamvis enim terminatio libera creandi mundum, quæ modò exiſtit, ſit eadem reipſa cum Deo, vt volēte creare mundum; non tamen eſt eadem cum Deo, vt nolente creare mundum: immo repugnat quòd ſub hac conſideratione identificetur cum Deo. Quod omnes Philoſophi ac Theologi ducti ratione naturali debemus fateri, quāvis nobis incognita ſit ratio formalis ipſius terminationis liberæ, prout liberæ, quam nullus mortalium hactenus certò detexit, aut ſufficienter explicuit, adhuc eo genere evidentiæ imperfectæ & abſtractivę, quā attributa & perfectiones Dei explicamus. Quid ergo mirum ſi in ijs, quæ ſpectant ad Deum ipſum prorſus ad intra, & plena ſunt myſterio iuxta ſacras litteras, dicamus, vnamquamque perſonalitatum eſſe vnum & idem reipſa cum eſſentia Dei ſolùm inadæquatè; non autem adæquatè, ſive quatenus eſſentia ipſa ratione infinitæ perfectionis & fœcūditatis ſuæ extenditur ad indētificandū ſibi perſonalitates diſtinctas & oppoſitas?

19 PORRO Idipſum ferè eſt, eſſentiam divinam identificari ſingulis hypoſtaſibus ſolùm inadæquatè, ac diſtingui virtualiter intrinſecè à qualibet earum: quoniā diſtinctio virtualis intrinſeca conſiſtit in eminentia quadam obiecti, quod propter infinitam perfectionem ac fœcunditatem ſuam æquivalet rebus formaliter & reipſa diſtinctis, quoad ſubeūdum in re abſque contradictione prędicata cōtradictoria: qualia ſunt communicari & non communicari, generare & non generare, producī & non produci, diſtingui & non diſtingui. Hoc autem inde provenit, quoniam obiectum eſt tantæ eminentiæ in ſe, vt indiviſim per identitatem complectatur ea extrema invicem relativè oppoſita: de quorum altero verificetur propoſitio affirmans, & de altero negans: ac proinde obiectum, ſive eſſentia communis cum neutro eorum ſeorſim habet identitatem realem adæquatam, ſed inadæquatam ſolùm: quia vltra extremum vnum identificat alterum oppoſitum, propter infinitam ſuam fœcunditatem. Cæterum ad ſolutionem præiacti argumenti opportunior vſus eſt terminorum diſtinctionis adæquatæ & inadæquatę, quàm diſtinctionis virtualis intrinſecæ, licèt reipſa in idem recidant.

20 AD Confirmationem præter ea quæ diximus Tomo I. Diſp. XXVI. n. 48. & 49 & Diſp. XXXII. num. 64. & ſeqq. patet ex eâdem doctrina. Principium namque illud, *Impoſsibile eſt idem ſimul affirmari & negari de eodem*, ſi intelligatur ſub ratione communiſsima Deo & creaturis, concedendum eſt dumtaxat, vbi affirmatio & negatio eſt de eodem ſubiecto adæquatè; negandum autem ſi ſubiectum ſit ſolùm inadæquatè idem, vt contingit in eſſentia & perſonalitatibus divinis, propter infinitatem & fœcunditatem dictam, quæ præſtat locum, vt eadem eſſentia divina identificet ſibi principium & terminum generationis & ſpirationis ad intra, quamvis ea ipſa inter ſe diſtinguantur. Inde eſt vt in Concilijs de eſſentia prędicentur in re aliqua, quę negantur de perſonis, & è converſo, vt Patrem eſſe vnius eiuſdemque eſſentiæ cum Filio, diſtinctam verò perſonam à Filio: Patrem eſſe genitorem Filij, & hunc à Patre generari; eſſentiam verò divinam, nec generare, nec generari: Patrem dediſſe Filio totam eſſentiam, ſive omnia, prēter eſſe Patrem. Sic, nimirum, loquuntur Concilium Toletanum XI. in profeſsione Fidei, Remenſe ſub Eugenio III. in Actis contra Gilbertum Porretanum: Lateranē ſe ſub Innocentio III in cap. *Firmiter* de ſumma Trinitate & Fide Cathlica adverſus libellū Abbatis Ioachimi: ac denique Florentinum

ſub

ſub Eugenio IV. ſeſſ. 17. 18. & 25. ex communi conſenſu Patrum, tam Latinorum, quàm Græcorum. Quin & in eodem Concilio Lateranenſi paulo ante indicato, prout habetur in cap. Damnamus eodem tit. dicitur de eſſentia divina ſimpliciter, ac nulla præciſione factâ: *Non eſt generans, neque genita, neque procedens: ſed eſt Pater, qui generat, Filius, qui gignitur; Spiritus ſanctus, qui procedit: Vt diſtinctiones ſint in perſonis, & vnitas in natura.* Nimirum, ad ea prædicata quaſi contradictoria verificanda in re, ſufficit & exigitur omnino vt eſſentia nõ ſit eadẽ adęquatè cũ ſingulis hypoſtaſibus, ſed inadæquatè tantùm; ſive, quod perinde eſt, vt à qualibet earum diſtinguantur virtualiter intrinſecè nam ratione eius diſtinctionis fundatæ in ſumma eminentia & fœcunditate entitatis divinæ, eſt locus & æquivalentia ſufficiens ad plures entitates, vt ſubire poſsit in re, & citra contradictionẽ vllam prædicata quaſi contradictoria. Reliqua huc ſpectantia vide allegata Diſp. XXVII.

21 INSTANT Hæretici Hic eſt optimus ſyllogiſmus expoſitorius: *Hæc eſſentia eſt Pater: Hæc eſſentia eſt Filius: Ergo Filius eſt Pater.* Cùm igitur conſequens ſit apud nos falſum, negari debet, eandem eſſe Patris ac Filij eſſentiam. RESP. Syllogiſmum præiactũ non eſſe expoſitorium legitimum. nam medium illius, nimirum *hæc eſſentia*, non ſe habet vt terminus omnino ſingularis, prout exigitur ad ſyllogiſmum expoſitorium concludẽtem; ſed inſtar termini communis pluribus perſonis. Quare collectio eſt nulla: ſicuti in hoc ſyllogiſmo: *Aliquis homo eſt Paulus: Aliquis homo eſt Petrus: Ergo Petrus eſt Paulus.* Nimirum, in illo, *aliquis homo*, habet ſe vt terminus communis.

22 OBIICIVNT II. Qui non gignit, nec procedit, non eſt verus Deus. Atqui vnus Deus in eſſentia non gignit, nec gignitur, nec procedit. Ergo vnus Deus in eſſentia non eſt verus Deus. Sed Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, ſunt, per nos, verus Deus. Ergo non ſunt vnus Deus in eſſentia. Propoſitio prima ſyllogiſmi ita probatur: Nullus eſt Deus præter Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum. Sed Pater gignit, Filius gignitur, Spiritus ſanctus procedit Ergo qui non gignit, nec gignitur, nec procedit, non eſt verus Deus. Aſſumptio autem eiuſdem primi ſyllogiſmi probatur hoc modo. Deus in eſſentia nihil eſt aliud, quàm ipſa eſſentia communis tribus. Eſſentiam autẽ non generare, nec generari, nec procedere, Sententiarij docent. Hæc ad verbum habet Valentinus Gentilis.

23 IOANNES Vvingandus lib. contra novos Arianos proponens ſibi hoc argumentum, negavit minorem propoſitionem primi ſyllogimi, ſive aſſumptionem: & ad illius probationem dixit, eſſentiam divinam verè generare, gigni, & procedere, quidquid Scholaſtici in oppoſitum doceant. Sed hic auctor non ſolùm contradicit Scholaſticis, verùm etiam expreſſæ definitioni Concilij Lateranenſis verbis num. 20. exſcriptis, in quibus de eſſentia dicitur palam, non eſſe generantem, nec genitam, nec procedentem. Deinde ex ſententia ipſius ſequitur planè, in divinis eſſe non vnicam, ſed plures eſſentias. nam producens & productum debent diſtingui reipſa inter ſe: indeque Catholici omnes probamus diſtinctionem realem perſonarum, quoniam ſe habent vt producens & productum. Si igitur eſſentia divina eſt verè producens & producta, erit planè duplex, aut multiplex eſſentia reipſa diſtincta. Vnde Vvingandus dum parvipendit communem illam Scholaſticorum doctrinam, contradicit Concilio Lateranenſi, & cogitur admittere polytheiſmum.

24 QVARE Aliter occurrendum eſt, & quidem in forma, claritatis gratiâ. Dum enim in prima propoſitione dicitur, *Qui non gignit*, &c. *non eſt verus Deus*, diſtinguendum eſt. Et ſi vox Deus accipiatur pro perſona divina in communi, concedenda eſt propoſitio. nam qui non gignit, nec gignitur, nec procedit, non eſt perſona divina. Si autem non accipiatur pro perſona divina in communi, ſed abſtrahendo à perſona, vel eſſentia, aut etiam determinatè pro eſſentia; negari debet: quia eſſentia divina, quamvis nec gignat, nec gignatur, nec procedat, eſt verus Deus eſſentialiter. Deinde aſsũptio, ſeu minor propoſitio, pariter eſt diſtinguenda. Vnus Deus in eſſentia, ſumptâ voce *Deus* pro perſona in communi, non gignit, nec gignitur, nec procedit; nego; ſumptâ voce *Deus* pro ſola natura, concedo: & nego conſequentiam, ac ſubinde reliqua, quę inferuntur. Itaque divinitas, ſive eſſentia Dei, quamvis reipſa ſit eadem, ac omnes & ſingulæ perſonæ, & cum ijs vnum numero Deum conſtituat, diſtinguitur virtualiter intrinſecè à perſona gignente, genita, & procedente, ob infinitam perfectionem & fœcunditatem quam habet intra ſe: ac propterea locus eſt vt de illa negetur id, quod de ſingulis perſonis prædicatur verè. quale eſt gignere, gigni & procedere. Diſtinctio enim virtualis intrinſeca æquivalet reali actuali in ordine ad ſubeũdum in re prædicata illa quaſi contradictoria, abſque contradictione vlla. Nimirum, ea non conveniunt Deo ſecundùm vnum & idem virtualiter intrinſecè: ſed penes abſolutum & relativum, quæ duo virtualiter intrinſecè ſunt diverſa. Vt autem veram contradictionem includerent, debe-

berent convenire Deo ſecundùm idem, & non penes rationes virtualiter intrinſecè diverſas. Sic certè terminatio libera volitionis nolitionisque divinæ non diſtinguitur à Deo ipſo, niſi ſummùm virtualiter intrinſecè: vt latè oſtẽſum eſt Tomo I. Diſp. XXXV. & ſeqq. At nihilominus id ſufficit, vt dicatur, liberam terminationem volendi creare mundum v. g. potuiſſe deficere, ſeu non eſſe, quamvis id de Deo nullatenus dici poſsit. quæ duo prædicata certè ſunt quaſi contradictoria, non minùs quàm illa, quæ de eſſentia divina & ſingulis hypoſtaſibus affirmantur & negantur.

21 OBIICIVNT III. Tranſylvani lib. 1. cap. 5. Si tres perſonæ ſunt vnum in eſſentia, erit in Deo quaternitas, non Trinitas. nam imprimis eſſentia, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, ſunt quatuor nomina, & non ſynonyma. Ergo quatuor res ſignificant. Item, Pater, Filius, Spiritus ſanctus, ſunt tres. Sed eſſentia nihil eſt horum. nam eſſentia non eſt Pater, quia non genuit; nec Filius, quia non eſt res genita; nec Spiritus, quia non proceſsit. Eſt igitur quartum aliquid.

22 PRÆTEREA: Eſſentia eſt fons perſonarum: ab illa enim emanant relationes, & proinde perſonæ, quæ relationibus conſtituuntur. At fons & rivuli diſtinguũtur realiter. Ergo eſſentia diſtinguitur realiter à tribus perſonis. Ergo cum illis facit numerum quaternarium.

23 PRÆTEREA. Papiſtæ in Symbolo poſt illa verba, *Credo in Vnum Deum*, ponunt virgulam, ne cogantur dicere: *Credo in Vnum Deum Patrem*. Ergo diſtinguunt Deũ à Patre. Sed infrà etiam diſtinguunt Patrem à Filio, & Filium à Spiritu ſancto. Ergo ſunt quatuor.

24 PRÆTEREA. Papiſtæ dicunt, tres perſonas in vno Deo reſidere, & vnum Deũ ſe in tribus perſonis manifeſtaſſe. At quis eſt ille Deus? Certè non Pater, non Filius, neque Spiritus. Nullus enim horũ ſe in tribus perſonis manifeſtavit, nec in vllo horum tres perſonæ reſident. Igitur eſt quartus quidam Deus. Hæc illi ad litteram opponunt apud Bellarminum lib. 2 de Chriſto cap. 8.

25 RESP. Has eſſe meras nugas & cavillos, quos facilè ſolvunt vel ij, qui ſacram Theologiam ſummis labijs guſtárunt. Imprimis negamus ex vnitate trium perſonarum in eſſentia colligi quaternitatem. Quin immò illam ſtatuentes notantur anathemate in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. *Damnamus* de ſumma Trinit. & Fide Catholica. Neque id abſurdũ colligitur ex eo quòd eſſentia, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, ſint quatuor nomina non ſynonyma. Nam nec nomina plurima attributorum divinorum, vt bonitatis, ſapientiæ, iuſtitiæ, miſericordiæ, &c. ſynonyma ſunt: & tamẽ inde nõ colligitur quòd ſignificẽt totidem res verè diſtinctas, ſed vnam & eandem ſub alijs atque alijs functionibus. Ergo neque ex eodem capite licet inferre eſſentiam eſſe rem diſtinctam verè à tribus perſonis: ſed ſolùm colligitur, eſſe ab ijs virtualiter diſtinctam, veluti abſolutum à relativo. Itaque quatuor illa nomina ſignificant vnam rem abſolutam, & tres relationes diſtinctas inter ſe, verùm non diverſas ab illa. Ideoque aiebat Auguſtinus lib. 1. de Doctr. cap. 5. *Res, quibus fruendum eſt, Pater, & Filius, & Spiritus eſt: eademque Trinitas vna quædam ſumma res.* Verùm luculentiùs Anſelmus lib. de Fide Trinitatis & Incarn. Verbi cap. 3. ex profeſſo ſtatuit ac probat, tres perſonas ſimul eſſe vnam rem, & tres res: vnam, nimirum, rem abſolutam & communem, quæ eſt eſſentia & divinitas; tres autem relativas, id eſt, perſonas. Quare ibidem loquens de Rucelino, ſeu Roſcelino, qui hæreſim quandam eo tempore tradiderat contrariam huic doctrinæ, inquit: *Si autẽ hoc omnino vult aſſerere, tres, ſcilicet, perſonas, ſecundùm quòd vnaquæque Deus eſt, non eſſe vnam rem, ſed tres res, vnamquamque per ſe, ſicut ſunt tres Angeli; apertiſsimum eſt quia tres Deos conſtituit.* Deinde dum ſubiungitur in argumento, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum eſſe tres res, concedendum eſt id de tribus rebus relativis. Dum autem in aſſumptione additur, eſſentiam nihil eorum eſſe, negandum eſt id in re. Nam quãvis eſſentia diſtinguatur virtualiter intrinſecè à perſonis, ideoque non generet, nec generetur, nec procedat inſtar earum, verè & in re eſt eadem entitas cum vnaquaque perſona, & cum tribus ſimul: quoniam divinitas ſeu eſſentia eſt ens à ſe, ac proinde actus purus, & omnino ſimplex. Ergo ſecundùm rem debet identificare ſibi quidquid eſt intra Deum, ac proinde tres perſonas, ſeu tres res oppoſitas relativè.

26 AD I. Inſtantiam ex num. 22. negamus eſſentiam in re eſſe fontem perſonarum. Id enim ſoli Patri competit, à quo naſcitur Filius, & ſubinde ac ſimul ab vtroque Spiritus Sanctus. Nec relationes emanant ab eſſentia in re, ſed ſolùm reſultare intelliguntur ad productionem perſonarum. Solùm itaque dici poteſt, eſſentiam præcedere tres perſonalitates ordine ſolius rationis & intelligentiæ, veluti virtuale principium illarum, à quibus ſolùm diſtinguitur virtualiter in re, & actualiter ſecundùm conſiderationem. Principium autem actuale reale reliquarum perſonarum, & fons primus, eſt ſola perſona Patris.

AD

27 AD II Inſtantiam reſpondit Benedictus Aretius Zuinglianus in hiſtoria de ſupplicio Valentini Gentilis capit. 6. & 11. non colligi ſolum Patrem eſſe Deum ex verbis Symboli *Credo in Vnum Deum Patrem*: quoniam ibidem neceſſariò debet inſeri virgula inter *Deum*, & *Patrem*, vt etiam in reliqua parte ſymboli Filius & Spiritus ſanctus cenſeantur re ac nomine vnius Dei. Sed fallitur Aretius: quoniam in Catechiſmis Catholicis non adhibetur ea virgula, nec habetur apud Patres Veteres exponentes verba Symboli, in quo legerunt indiuiſum: *Credo in Vnum Deum Patrem*. Sic, nimirum, extat apud Irenæum lib. 1. cap. 2. Ruffinum in Expoſitione ſymboli, Cyrillum Hieroſol. Catecheſi 7. & alios. Verùm inde perperam colligit Valentinus, ſolum Deum eſſe Patrem. nam de reliquo in eodem Symbolo additur fides in Filium eius vnicum Dominum noſtrum, ac præterea in Spiritum ſanctum: quorum neutrũ eſſe poteſt, niſi vterque eorum ſimul cum Patre, vnius Dei re ac nomine cenſeatur. De quo vide quæ ſupra Diſput. LV. ſect. 1. diximus in expoſitione Symboli Nicæni. Verùm & permiſſo quòd virgula inſerta eſſet inter *Deum*, & *Patrem*, non inde quaternitas colligererur: ſed ſolùm, illum vnum Deum eſſe Patrem, eſſe Filium, eſſe Spiritum ſanctum: vt denotat contextus ipſe Symboli.

28 AD III. Siqui ex Catholicis aiunt, tres perſonas in vno Deo reſidere, nihil aliud ſignificare volunt, quàm tres perſonas eſſe vnius Deitatis, vnius naturæ, ſubſtantiæ, aut eſſentiæ. Similiter cùm ait n, Deum ſe manifeſtaſſe in tribus perſonis, ſenſus eſt, Deum eſſe tres perſonas, & hoc ipſum nobis reveläſſe in ſacra Scriptura. Demum cùm quæritur, quis ſit ille Deus, an Pater, an Filius, an Spiritus ſanctus; reſpondemus, eſſe Deum vnum in eſſentia, & trinum in perſonis: qualem didicimus ex eâdem Scriptura, & probavimus vtrâque Diſp. LVIII. & LIX.

29 OBIICIVNT IV. Pater eſt ingenitus, „ & Filius genitus. Ergo non ſunt vnus Deus. „ Alioqui idẽ erit genitus, & non genitus. quæ „ implicant contradictionem. *Deinde*. Gene „ rabile & ingenerabile differunt pluſquam „ genere, ſicut corruptibile & incorruptibile. „ Ergo Pater & Filius differunt pluſquam ge „ nere *Præterea*. Vel genitum & ingenitum „ ſunt accidentia, vel ſubſtantia. Si primum; „ ergo in Deo ſunt accidentia. Si ſecundùm; „ ergo Pater & Filius differunt ſubſtantiali„ ter.

30 RESP. Vtramque illam propoſitionem, ex qua incipit argumentum, eſſe affirmantem veramque; ac proinde nullam importare contradictionem: quia hæc verſari debet inter duas propoſitiones, quarum altera affirmat, altera negat. Verùm ſi altera ex ijs fiat negativa, vt ſi dicatur, Deus eſt genitus, Deus non eſt genitus; vel hoc modo, Deus genuit, Deus non genuit: erunt contradictoriæ: cæterum ex ijs affirmans eſt vera, & negans falſa. Ratio eſt, quia nomen DEVS abſolutè accipitur pro perſonis indiſtinctè: verùm quãdo modificatur dicendo, *Deus genuit*, aut etiã, *Deus eſt genitus*, tunc ratione prædicati notionalis ſubiectum *Deus* reſtringitur ad certam perſonam, nimirum, vel Patris generantis, vel Filij geniti: ac proinde vera eſt propoſitio Eademque ratio eſt vt vera ſit propoſitio affirmans, *Deus eſt ingenitus*, quoniam prædicatum reſtringitur ad perſonam Patris ingenitam. Cæterum vbi propoſitio eſt negans, ſubiectum nõ reſtringitur per prædicatum: quoniam ex vſu frequenti Dialecticorum, negatio eſt naturæ malignantis, ac proinde de omnibus perſonis divinis negat eſſe genitas. quod eſſe falſum, intellectum de Filio, patet vel ex vno illo loco Pſalm. 2. *Dominus dixit ad me: Filius meus eſt tu, ego hodie genui te.* Vide Diſp. LVIII. num. 23.

31 AD I. Inſtantiam. Generabile tunc ſolùm differt genere ab ingenerabili, cùm illud prius habet eſſe per motum, ſeu mutationem, quæ eſt propria rerum corruptibilium. Ideoque ſubſtantia cœleſtis differt genere à ſublunari, iuxta eam ſententiam quę docet, cœlos eſſe ab intrinſeco incorruptibiles, quam latè tradidimus Diſp. 64. de Cœlo. Filius autem ita eſt generabilis, vt non habeat eſſe per motum, vel mutationem vllam à Patre: vtpote *apud quem*, vt loquitur Iacobus Apoſtolus, *nõ eſt tranſmutatio, nec Vicißitudinis obumbratio.* Vnde dicendum aliter, generabile & ingenerabile tunc ſolùm ſpecie differre, cùm natura vnius eſt generabilis, & ingenerabilis natura alterius. Porro in divinis natura generabilis non eſt, ne in Filio quidem, cùm ſit eadem numero ac Patris ingeniti: ſed ſolùm communicatur Filio à Patre. Quare Filius non diſtinguitur naturâ à Patre, ſed in modo illam habendi per communicationem, ſive generationem. quæ alietas non eſt generica, aut ſubſtantialis, ſed perſonalis, ſive, vt loquitur Damaſcenus lib. 1. Fidei c. 9. *κατὰ τὸ ὑπάρξεως τρόπον.* id eſt, *penes exiſtentiæ modum.* Quin & in creatis aliquid quoddammodo ſimile videre licet: nam in Adamo, Eva, & Caino, non fuit diverſitas generica aut ſpecifica naturarum. Et tamen Adam à nullo homine eſt genitus: Eva ex Adamo facta fuit modo à generatione diverſo: Cain denique ex vtroque genitus. Quo exemplo vtitur idem Damaſcenus poſt Iuſtinũ

lib.

lib. de recta fidei confeſsione, Nazianzenum Orat. 5. de Theologia, & Auguſtinum lib. 1. & 2. contra Maximinum Quemadmodum itaque eadem ſpecie natura in Adamo fuit ingenita, in Eva peculiari modo ædificata, & in Caino per generationem producta: ita eadem numero natura in tribus perſonis in Patre cõiungitur cum perſonali notione Ingeniti, in Filio cum proprietate Geniti, in Spiritu ſancto cum proprietate Procedentis ab vtroque; ſed ipſa prorſus ingenita, ſolumque communicabilis Filio per generationem, & Spiritus ſancto per proceſsionem.

32 AD II. Genitum & Ingenitum non ſignificant in Deo accidens, nec ſubſtantiam. Non accidens: quia nullum in Deo accidens eſt: vt ſuprà demonſtravit Anſelmus cap. 14. & 24. Non ſubſtantiam: quia eſſe ingenitum in Patre eſt negatio quædam proceſsionis ab alio, quæ non habet rationem ſubſtãtiæ: eſſe autem genitum in Filio, ſignificat hypoſtaſim relativam Filij, quæ eſt alterius rationis formalis à ſubſtantia, vt ijſdem locis probat Anſelmus, & opportunè monet Auguſtinus lib. 5. de Trinit. c. 3 4. & 5 vbi & argumentum hoc regerit in Arianos ex verbis Ioannis 10. *Ego & Pater vnum ſumus.* Vel enim ibi Pater & Filius dicuntur vnum penes accidens, aut ſecundùm ſubſtantiam. Si primum; ergo in Deo ſunt accidentia. Si ſecundum; ergo Pater & Filius ſunt eiuſdem ſubſtantię. Vnde & lib. 3. contra Maximinum cap. 14. exclamat: *QVID EST HOMOVSION, NISI EGO ET PATER VNVM SVMVS?*

33 SED Inſtabis: Si ad eſſentiam vel ſubſtantiam Dei non ſpectat quòd genitus vel ingenitus ſit, quomodo non ſpectabit ad aliquod ipſius accidens? RESP. ſi loquamur in re, omnes proprietates perſonales, ſive hypoſtaſes, & relationes divinas, ſpectare ad eſſentiam vel ſubſtantiam Dei, quatenus ſunt eadem entitas cum illa. Omne enim quod eſt intra Deum, eſt Deus: neque aliud quidquam patitur ſumma eius ſimplicitas: vt Anſelmus ſuprà docuit cap 14. & 15. ac nos latè cum ipſo Diſp. XXVIII. & XXIX. Loquendo autem in ſenſu abſtractionis formalis, proprietates perſonales, vt eſſe generans, aut genitum, vel procedens, nec exprimunt ſubſtantiam, nec accidens: ſed dumtaxat munus proprium relationis: quòd, licèt in creatis ſit accidens, in Deo eſt ſubſtantia ſecundùm rem. Neque enim relationes divinæ communicant cum creatis in genere relationis prædicamentalis, aut ſub eo continentur: vt vidimus Diſp. XXX. ac proinde nec in conceptu communi accidentis,

quod vagatur per novem poſteriora prędicamenta,

SECTIO III.

Quædam alia hæterodoxorum argumenta contra Vnitatem eſſentiæ, & Trinitatem perſonarum, obiecta & ſoluta.

34 OBIICIVNT V. Aut perſona in „ Deo eſt finita, aut infinita. Si „ infinita; ergo vna tantùm. Si „ finita; ergo infinitæ perſonæ deberent eſſe, „ vt reſpondeant infinitati eſſentiæ. *Præterea.* „ Multiplicatio ſuppoſitorum, vel eſt neceſſa„ ria ad conſervationem ſpeciei, vel vt vnum „ ſuppoſitum perficiatur ex altero. At Deus, „ cùm ſit æternus, non eget conſervatione; „ nec perfectione, cùm ſit perfectiſsimus. *De„ nique.* Vel perſona, vt perſona, dicit perfe„ ctionem, vel non. Si dicit perfectionem; er„ go vna perfectio eſt in vna perſona, quæ nõ „ eſt in alia: & cùm illa non ſit accidens, erit „ ſubſtantialis perfectio in vna, & non in alia. „ Si vero perſona, vt perſona, non dicit perfe„ ctionem; ergo perfectior erit perſona hu„ mana, quàm divina. nam humanam certum „ eſt dicere perfectionem.

35 RESP. Omnia, quæ in Deo ſunt, eſſe infinita, vt probatum fuit Tomo I. Diſp. XXXII. per totam: quia in nullo prædicato divino eſt limitatio à principijs extrinſecis, vel intrinſecis. Inde autem non colligitur, in divinis eſſe vnicam perſonam: ſed dumtaxat, vnicam eſſe perfectionem infinitam omnium perſonarum, ſicuti & vnicam eſſentiam. Quemadmodum enim divinitas vna numero eſt in tribus perſonis, ita etiam infinita perfectio, quæ eſt ipſa divinitas. AD II. Multiplicatio ſuppoſitorum in divinis non tendit ad ſpeciei cõſervationem, nec vt vnum perficiatur ex alio; ſed oritur ex eo quòd natura infinitè perfecta, eſt etiam infinitè fœcunda ad intra per intellectum & voluntatem: ac proinde exigit tres perſonas, & non plures, nec pauciores; ex quibus vna ſit producens, & prorſus improducta, aliæ producta per cognitionem, alia demum per amorem. AD III. Theologi variè reſpondent: quoniam aliqui tribuunt propriam & peculiarem perfectionem hypoſtaſibus divinis, prout virtualiter diſtinctis ab eſſentia; alij è contra negant: de quo in progreſſu. Nunc autem iuxta vtramque opinionem reſpondemus obiter. Iuxta affimantem dicimus, ſolùm colligi, perfectionem relativam propriamque vnius perſonæ non eſſe in alia perſona formaliter; eſſe tamen æquivalenter. Eiuſmodi autem perfectio, quatenus peculiaris, & relativa, non exprimit ſubſtantiam, nec accidens, ſed dumtaxat rationem hypoſtaſis relativæ, quamvis in re, & ſe-

cum

cundùm eſſentiam eandem numero imbibitam in tribus perſonis, ſit perfectio ſubſtantialis, eademque in ijs. Iuxta opinionem verò negantem, adhuc quælibet perſona divina, vt perſona, eſt infinitè perfectior qualibet perſona creata: quoniam adhuc ſub ratione hypoſtaſeos divinæ excludit omne principium limitativum, tam intrinſecum, quàm extrinſecum, & præterea exigit identitatem cùm eadem numero eſſentia infinitè perfecta: quorum vtrumque repugnat perſonæ & hypoſtaſi creatæ. Sed de hoc latiùs ſuo loco Diſp. LXXIII.

36 OBIICIVNT VI. Vel ſubſiſtentia eſt de intrinſeca ratione eſſentiæ, vel nō eſt. Si eſt; ergo eſſentia eſt incommunicabilis; vel ſi communicatur, communicabitur etiam ſubſiſtentia. Et tunc vel habent perſonæ, præter iſtam ſubſiſtentiam, quam accipiunt cum eſſentia, aliam propriam, vel non. Si habent; ergo quatuor erunt ſubſiſtentiæ, & proinde quatuor perſonæ. Si non habent; ergo vna tantùm erit ſubſtantia, ac proinde exiſtet vna tantùm perſona. Si verò ſubſiſtentia non eſt de ratione eſſentiæ; ergo eſſentia non eſt infinita ſimpliciter, cùm non contineat omnem perfectionem: & præterea erunt divinæ perſonæ compoſitæ ex eſſentia & ſubſiſtentia, quod eſt abſurdiſſimum.

37 IN Hoc argumento multa tanguntur, quæ peculiare examen poſtulant & in progreſſu diſcutienda erunt: alia verò præcedenti Tomo profligata ſunt. Imprimis enim tangitur controverſia illa, An in Deo ſit aliqua ſubſiſtentia abſoluta & communis tribus perſonis: circa quam Anſelmus infrà cap. 43. videtur affirmantem ſententiam tradere. Inde verò ſolum colligitur, communicatâ eſſentiâ, pariter communicari ſubſiſtentiam illam abſolutam & communem; præter quam vnaquæque perſona habeat ſuam peculiarem ſubſiſtentiam relativam, à qua ſola provenit conſtitutio perſonæ; non autem ab illa communi, quæ ſolùm conſtituit ſubſiſtens, vt eo loco dicemus, non autem conſtituit eſſentiam incommunicabilem aut perſonam. Iuxta ſententiam verò, quæ negat ſubſiſtentiam abſolutam & communem, ſolumque ponit tres ſubſiſtentias relativas, non colligitur eſſentiam non eſſe ſimpliciter infinitam, nec componere cum ijs: quoniā licèt quoad explicitum illas non contineat, implicitè tamen, immo & in ſuo conceptu obiectivo illas continet, ſicuti & continetur per identitatem à qualibet illarum: vt latè dictum fuit Diſp. XXVI. per totam. Vnde nullam ſubit limitationem, compoſitionemve. Sic certè neque ipſi hæretici negare poſſunt diſtinctionem aliquam rationis cum fundamento ex parte obiecti inter eſſentiam & attributa: quin tamen exinde inferatur, aut limitatio eſſentiæ, aut eiuſdem compoſitio cum attributis.

38 INSTABIS. Quæcumque ex ijs opinionibus ſupponatur, hypoſtaſes ſive ſubſiſtentiæ illæ, quas dicimus proprias ſingularum perſonarum, prout condiſtinctæ ab eſſentia ſecundùm rationem, non exiſtunt in re, ſed ſolùm in mente. Non enim addunt aliquid in re diſtinctum ab eſſentia, ſed in mente tantùm. Ergo nec conſtituunt tres perſonas in re, ſed ſecundùm rationē tantùm: ac proinde nec Trinitatem veram perſonarum, ſed ſolùm imaginariam, qualem Sabellius conceſſit.

39 RESP. Hypoſtaſes, ſive relationes illas, prout condiſtinctas actu per rationē ab eſſentia, non exiſtere in re: quia nulla actualis diſtinctio in re, ne formalis quidem, nec modalis, eſt inter eſſentiam & relationes: vt ex profeſſo oſtendimus Tomo I. Diſp. XXV. per totam: ac proinde nec relationes ipſæ exiſtunt in re, quatenus actu diſtinctæ ab eſſentia. Cæterum relationes ipſæ, ſeu hypoſtaſes, non conſtituunt perſonas, quatenus diſtinctæ actu ab eſſentia, ſed ſolùm prout virtualiter intrinſecè ab ea diſtinctæ. Hoc enim ſenſu quidquid important, adhuc peculiare & propriū vniuſcuiuſque eſt omnino reale, ac proinde aptum ad conſtituendum Trinitatem perſonarum realem. Ideoque Anſelmus lib. de Fide Trinitatis & Incarnatione Verbi, cap. 3. ex inſtituto docet, omnes Chriſtianos profiteri, perſonas divinas ſecundùm peculiaria & propria eſſe tres res; ſecundùm eſſentiam verò cōmunem eſſe vnam omnino rem, abſque ſeparatione aliqua, aut diviſione. Inſuper & Concilium XI. Toletanum cap. 1. declarat, in relationibus numerum cerni; in divinitatis verò ſubſtantia quid enumeratum ſit, non inveniri. Itaque hypoſtaſes, vel ſubſiſtentiæ illæ, quas dicimus peculiares, licèt ſolùm ratione diſtinguantur actu ab eſſentia non ſic inter ſe diſtinguuntur, ſed ſecundùm rem. Sunt enim reipſa tres hypoſtaſes, quæ veriſimam Trinitatem in re conſtituunt.

40 OBIICIVNT VII. Iuxta Ariſtotelem lib. 9. Metaph. com. 16. actiones intellectus & voluntatis ſunt immanentes, ac proinde ſteriles. Ergo non habent vim producendi aliquid in divinis. Non itaque locus eſt, vt ſit reipſa triplex perſona divina. nam ad hoc neceſſum eſt, vt aliqua ex ijs procederet per intellectum, alia per voluntatem. neque aliter altera ex his duabus eſſet propriè Verbum, altera Amor, vt Catholici loquimur. *Praterea*: Sicuti intellectus & voluntas ſunt in Deo vnica realitas, ita etiam operatio intelligendi & & volendi. Ergo pariter Verbum & Spiritus

ſanctus ſunt eadem omnino res. Ab vno enim non procedit, niſi vnum. *Denique.* Verbum, quod dicitur procedere per intellectionem, aut eſt intelligens, aut non. Si primum; non eſt verus Deus. Si ſecundum, pariter producet aliud Verbum, & hoc ſimiliter aliud. quod eſt progredi in infinitum. Eademque ratio apparet in Spiritu ſancto ſi procedit per amorem nam & ille amet neceſſe eſt vt verus Deus ſit; ac proinde alium Spiritum producat.

41 RESP. Actiones intellectus & voluntatis appellari ſteriles ab Ariſtotele, quatenus nõ operantur aliquid extra ipſum agens, quod maneat poſt actionem. Hoc enim eſt proprium actionum tranſeuntium, ſeu formaliter talium, quales ſunt in agentibus creatis, quoties aliquid extra ſe operantur; vel ſolùm virtualiter aut eminenter talium, quales ſunt divinæ in ordine ad effecta creata: vt latè diximus Tomo I. Diſp. XIX. per totam. Non autem negat Philoſophus actiones immanentes producere aliquid, quod maneat intra ipſum agens. Nam imprimis lib. 2. Ethic. cap. 1. & 2. generatim docet, habitus virtutum & vitiorum produci & augeri per actiones bonas aut malas. Vnde & habitus virtutum intellectualium, quos exponit lib. 6. eiuſdem Operis, abſdubio generantur & augentur intra ipſum agens per operationes intellectus & voluntatis. *Præterea.* Intellectio creata habet exprimere & producere verbum mentis intra ſe, ſive expreſſam ſimilitudinem obiecti repræſentati in ſpecie impreſſa, qualiter explicuimus diſp. 90 de Anima, ſect. 3. & ſeqq. cum ipſo Ariſtot. lib 3 de Anima textu 16. & 37. eademque ratio eſt in voluntate relatè ad impulſum. Quemadmodum igitur intellectio & amor creatus habent vim producendi verbũ & impulſum, reipſa diſtincta, & exiſtentia intra ipſum ſuppoſitum intelligens & amans: ita etiam, quamvis longè ſublimiori modo, intellectio & amor divinus habent vim producendi in Patre Verbum, & in Patre & Filio Spiritum ſanctum ab vtroque reipſa diſtinctum; & ambos quidem manentes intra Deũ. AD II. Operationes intelligendi & volendi, ſi abſolutè ſolùm conſiderentur, ſunt prorſus vnum: ſi autem notionaliter, diſtinguuntur virtualiter intrinſecè: ideoque poſſunt eſſe emanationes terminorum reipſa diſtinctorum, quales ſunt Filius & Spiritus ſanctus. Vide quæ diximus circa hoc Tomo 1. Diſput. XXVII. à num. 38. AD III. Verbum procedens per intellectionem, eſt quidem intelligens; non tamen intellectione notionali, ſed eſſentiali. Similiter Spiritus ſanctus eſt amans amore eſſentiali, non autem notionali. Sola autem intellectio & amor notionalis habent vim producendi aliquid intra Deum. Quod non eſt huius loci explicare, ſed ſupponere ex dicendis in progreſſu. Quare non colligitur progreſſus in infinitum.

SECTIO QVARTA.

Ioannis Crellij, hæretici Photiniani, captiones & ſophiſmata quædam aduerſus eandem Catholicam doctrinam, obijciuntur, & extricantur.

42 OPPONIT VII. Crellius, dogma de Trinitate Catholicum, ſibi ipſi contradicere. Ex eo enim quòd Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, dicantur vnũ in eſſentia, & tres in perſonis, ſequitur planè, Filium eſſe Patrem, ac præterea tres Deos ſummos exiſtere: quæ eſt aperta contradictio. Prior pars probatur: *Quia vnus ille Deus ſummus eſt Pater*, inquit, *teſtantibus ſacris litteris, & fatentibus aduerſarijs. At Filius, ex aduerſariorum ſententia, eſt vnus ille Deus; ille idem nimirum numero, qui Pater modò dictus fuerat. Ergo Filius eſt Pater.* Poſteriorem partem ſic extorquere nititur. Hæc eſt optima collectio: *Pater eſt perſona diuina; Filius eſt perſona diuina; Spiritus eſt perſona diuina. Ergo tres ſunt perſonæ diuinæ, non vna.* Ergo ſimiliter collectio hæc bona eſt: *Pater eſt Deus ſummus; Filius eſt Deus ſummus; Spiritus eſt Deus ſummus. Ergo tres ſunt dij ſummi.* Hactenus ille.

43 VERVM Hæc, & alia quæ reſtant, ſunt mera ſophiſmata, & rancidæ veterum hæreticorum nugæ, iam diu obſoletæ, & aniles, in quibus ſolvendis proinde non morabimur lectorem, ſed levi manu eas conteremus. Præmittere autem oportet, cùm olim Praxeas hæreticus antiquiſsimus eodem ſophiſmate, quo nunc Crellius, impetijſſet Catholicam de Trinitate doctrinam, fuiſſe hiſce verbis refutatum à Tertulliano lib. contra eundem Praxeam cap. 13. *Duos definimus, Patrem, & Filium, & iam tres cum Spiritu ſancto, ſecundùm rationem œconomiæ, quæ facit numerum, &c. Duos tamen deos, & duos dominos nunquam ex ore noſtro proferimus; non quaſi non & Pater Deus, & Filius Deus, & Spiritus ſanctus Deus, & Deus vnuſquiſque.* Similiter Auguſtinus contra hæreticos ita arguentes Tomo III. lib. de Agone Chriſtiano cap. 15. inquit: *Nec eos audiamus, qui indignantur & ſtomachantur, quia non tres Deos colendos dicimus. Neſciunt enim quòd ſit vna, eademque ſubſtantia: & phantaſmatibus ſuis illuduntur, quia ſolent videre corporaliter vel animalia tria, vel quæ-*

cum-

cumque corpora tria, locis ſuis eſſe ſeparata. Sic putant intelligendam ſubſtantiam Dei: & multum errant, quia ſuperbi ſunt, & nō poſſunt diſcere, quia nolunt credere. Denique Hilarius lib. 3. de Trinit. *Sunt plures*, inquit, *ſæculi prudentes, quorum prudentia Deo ſtultitia eſt. qui cùm audiunt Deum ex Deo, verum à vero, perfectum e perfecto, vnum ab vno natum eſſe, tanquam impoſſibilia nobis prædicantibus contradicunt, quibuſdam ſententiarum collectionibus inhærentes.* Itaque Crellius non nova quædam argumenta cudit, ſed ranciva, & pardipenſa olim à Patribus, vbi ab Arij aut Sabellij, aliorumve hæreſiarcharum gregalibus impetebantur.

44 NEGO Itaque, in dogmate Catholico de Trinitate vllam contradictionem eſſe. Imprimis enim non colligitur inde, Filium eſſe Patrē. Etenim Dei nomine quandoque intelligitur natura, ſive Divinitas: quandoque certa aliqua perſona, vt Patris, vel alterius ex duabus reliquis. Et hoc poſteriori ſenſu intelligitur illa maior propoſitio: *Vnus ille Deus ſummus eſt Pater.* Prædicatur enim ibidem de natura divina, quòd ſit Pater. Deinde in minori propoſitione, pariter Dei nomine, intelligitur natura eadem divina, non autem Patris perſona. Quippe eo dumtaxat ſenſu vera eſt propoſitio illa: *Atqui Filius eſt ille ſummus Deus.* Vnde collectio, ſive conſequentia eſt nulla: *Ergo Filius eſt Pater.* Variatur enim ab abſoluto ad relativum: quī eſt ſenſus planè diverſus in concluſione ab illo, qui fuerat in præmiſſis. Quare potiùs inferendum eſſet: *Ergo Filius eſt idem numero Deus cum Patre.* Quæ collectio eſt planè Catholica, & ſolùm ſignificat identitatem naturæ in Filio ac Patre.

45 POSTERIOR Pars argumenti laborat eodem vitio, faciens tranſitum ab abſoluto ad relativum, à communi ad proprium: inter quæ duo Eccleſia Catholica perpetuò docuit diſtinguendum eſſe, veluti inter aliam atque aliam rationem formalem. Cuius contrarium Crellius ex ſuo, & paucorum errore ſupponit, cùm probare id deberet. Et certè ſyllogiſmum non aliter inſtruere poſſet ad inferendum ex doctrina Catholica tres deos, quàm præmittendo vnam aliquam maiorem propoſitionem illis duabus à ſe obiectis in hunc modum: In hoc conveniunt vocabula iſta *Deus*, & *perſona*, vt ſi dicantur de pluribus, multiplicatis ſubiectis etiam ipſa multiplicentur. Atqui de Patre, Filio, & Spiritu ſancto, prædicantur illa duo nomina, *Deus* & *perſona*. Ergo Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſunt tres dij, quemadmodum tres perſonæ. Verùm primam ex ijs tribus propoſitionibus falſam eſſe patet; ac proinde collectionem nullam. Nimirum, eadem divina Scriptura, quam ipſi hæretici admittunt, ſicuti varijs locis prædicat Deum vnum in eſſentia, ita etiam trinum in perſonis: ac proinde docet apertè, non ſic multiplicari rationem Deitatis, ac perſonæ. Non enim divina natura in ijs aliquam diviſionem, diſtinctionem, aut inæqualitatem ſubit, ſed eadem omnino eſt, & vnus numero Deus in perſonis tribus. Quod optimè exponit Nazianzenus Orat. 37. dum ait: ἡμῖν εἷς θεὸς, ὅτι μία θεότης, &c. *Nobis vnus eſt Deus, quoniam vna eſt diuinitas, atque ad vnum ea, quæ ex ipſo ſunt, referuntur, etſi tria credantur. Non enim hoc magis, illud minùs eſt Deus; nec hoc prius, illud poſterius. Nec voluntate ſcinduntur, nec potentia diuiduntur, aut denique quidquam eorum, quæ diuiduis rebus contingunt, hic quoque reperitur. Sed indiuidua in diuiduis, vt vno verbo dicam, eſt diuinitas.* Quòd ſi verò ex tribus perſonis divinis abſtrahat aliquis rationem communem perſonæ divinæ, illa ratio ſic abſtracta ſolùm erit vna logicè, ſive ſecundùm rationem; quo dumtaxat ſenſu eſt vna ratio perſonæ creatæ in communi abſtracta ab omnibus & ſingulis perſonis creatis. Divinitas autem non eſt aliquid commune tribus perſonis ſecundùm rationem tantùm, ſed ſecundùm rem, veluti vna numero natura.

46 INSTAT Crellius. Sacræ litteræ Deum illum vnum appellant Patrem. Atqui Pater eſt perſona. Ergo ſacræ litteræ Deū illum appellant perſonam. Alioqui licebit ita argumentari: *Deus ille vnus non eſt perſona diuina: Pater eſt perſona diuina. Ergo Pater non eſt ille Deus vnus.* Cūm igitur hoc ſit contrarium ſacris litteris, etiam debet cenſeri ijs contrarium negare, Deum illū vnum eſſe perſonam divinam. Quod ſi hoc ſtatuatur, vti neceſſarium eſt, ſtatim colligitur, perſonas in divinis non eſſe tres, ſed vnam, quemadmodum nec eſt Deus, niſi ille vnus.

47 VERVM Æquæ puerilis eſt inſtantia, ac argumentum ipſum: in quo Crellius aut ignorat, aut neſcire ſe diſſimulat, id quod omnibus Catholicis in confeſſo eſt. nimirū Deum vnū, quē ſacræ litteræ prædicant, quandoq; ſignificare naturā communē pluribus ſuppoſitis; quandoque non ſolū Patrē, ſed etiā Filium, ac Spiritum ſanctum; aut ſimul tres, aut ſeorſim ſingulos. Quomodo autem in vnoquoque teſtimonio accipiendum ſit in Scriptura nomen Deus, an pro natura, an pro perſonis omnibus, an pro aliqua illarum ſingulatim, apparebit ex contextu: iuxta quem conſta-

conſtabit an notio illa communis naturæ diuinæ determinetur ad certam aliquam perſonam, vel ad omnes. Concedimus itaque ſæpe Dei nomine in Scripturis intelligi perſonam, ſive vnam, ſive plures. Quo autem iure infert Crellius exinde, perſonas in diuinis non eſſe tres, ſed vnam? Ipſa enim Scriptura, quæ prædicat vnum Deum, profitetur palam tres perſonas in diuinis. Quare iuxta apertiſsima illius teſtimonia Concilium Lateranenſe, prout habetur in cap. Firmiter de Summa Trinitat. & Fide Catholica, inquit adverſus errorem Ioachimo Abbati adſcriptum: *Vna quædam res eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, tres ſimul perſonæ, ac ſingulatim quælibet earundem. Et ideo in Deo Trinitas eſt ſolummodo, non quaternitas: quia quælibet trium perſonarum eſt illa res, videlicet ſubſtantia, eſſentia, ſiue natura diuina.* Itaque non ſolus Pater, ſed etiam Filius, & Spiritus ſanctus, ſive coniunctim, ſive ſeorſim, eſt Deus ille vnus, ac ſumma res; licèt vnuſquiſque eorum ſit perſona diſtincta à duobus reliquis.

48 OPPONIT VIII. Inferri etiam ex Catholica de Trinitate ſententia, quamlibet diuinitatis perſonam eſſe trinam in perſonis; & ſic vnam ſimul eſſe, & non vnam. Quod abſurdum ita colligit lib. 2. ſect 1. cap. 2. *Etenim ſic dicunt Aduerſarij, Deũ illum Vnum trinum eſſe in perſonis. Ibidem rurſus, vt diximus, aſſerunt, quamlibet perſonam diuinam eſſe Deum illum Vnum. Vnde conſequitur, quamlibet perſonam diuinam eſſe trinam in perſonis.* Quòd ſi verò quiſpiam ex Catholicis dicat, maiorem illam propoſitionem affirmantem eſſe particularem, ideoque ex illa non poſſe concludi aliquid vniverſale de tribus perſonis, inſtat Crellius: quia licèt maior ſit ſingularis, æquivalet vniverſali, *cùm nihil ſubſumatur in minori, quod ſub illo ſingulari, quod maioris ſubiectum eſt, & medius argumenti terminus, non contineatur, ſeu de quo ſingulare illud dici nequeat.*

49 RESP. Conſequentiam vniverſalem eius ſyllogiſmi peccare eodem illo vitio, quod indicatur in argumento: quoniam procedit ex propoſitione maiori particulari, ex qua ſummùm colligere licet conſequentiam particularem. Nec verè aſſumit Crellius, maiorem illam æquivalere vniverſali. nam ſi illa vniverſè proferatur dicendo, *Omnis ille, qui eſt Deus Vnus in eſſentia, eſt etiam trinus in perſonis*; eſt planè falſa. Nam paternitas, ſive Pater eſt reipſa idem cum illo vno Deo, vel deitate ſubſiſtente in tribus perſonis, quin propterea aut paternitas ſit trina', aut Pater trinus exiſtat in perſonis. Igitur in propoſitione illa Catholica, *Deus Vnus eſt trinus in perſonis*, nomen *Deus* non æquivalet termino vniverſali. Ratio autem cur licèt Deus vnus ſit trinus in perſonis, non ideo colligatur ex parte formæ ſyllogiſticæ quòd quælibet perſona ſit trina, conſiſtit in eo, quòd propoſitio illa, *Deus Vnus eſt trinus in perſonis*, ex modo ipſe enuntiandi potiùs accipiatur Logicè, quàm Philoſophicè: id eſt, non tam vt terminus primæ intentionis, cuius eſt à communi ad inferiora deſcendere ſenſu diſtributivo, quàm ſecundæ intentionis, cui non eſt in inferiora deſcenſus. Ratione eius diſcriminis, licèt omnia prædicata hominis, quæ ad primam intentionem ſpectant, vt eſſentia, & proprietates, debeant convenire ſingulis hominibus; non tamen illa, quæ dicuntur ſecundæ intentionis, vt eſſe ſpeciem, eſſe prædicatum commune pluribus numero diſtinctis, eſſe multiplicabilem in plura individua. Hoc enim ſolùm competit homini, prout abſtracto per intellectum à pluribus, & indifferenti ad illa. Sic igitur vbi dicimus, *Deus Vnus eſt trinus in perſonis*, prædicatum tribuitur ſubiecto veluti abſtracto per rationem à perſonis tribus, & quaſi indifferenti ad illas: ideoque non intelligitur contrahi ad vnam quamque ſub eadem amplitudine. Secus accidit in ijs prædicatis diuinis, quæ non ſolùm in re, verùm etiam penes modum ſignificandi, pertinent ad primam intentionem: vt eſſe ens increatum, immutabile, æternum, immenſum, ſapientem, &c. Hæc enim omnia, quemadmodum de vno Deo, ita de ſingulis perſonis verè prædicantur.

50 OPPONIT IX. Sequi ex myſterio Trinitatis, *quòd ſimul Vna, & tres ſupremæ deitatis ſubſtantiæ forent. Etenim ſi perſona nihil aliud eſt, quàm ſubſtantia prima intelligens; vbi ſunt plures perſonæ, ibi plures ſubſtantias primas intelligentes eſſe, neceſſe eſt. Multiplicato enim definito, quod hic perſona eſt, multiplicatur etiam tota definitio.* Hactenus Crellius cap. 4. lib. 2. ſect. 1. pag. 524. Vnde & conſequens videtur eſſe, vt ex ipſo myſterio Trinitatis, prout exponitur à Catholicis, colligatur trinitas ſubſtantiarum, proindeque & deorum.

51 RESP. Crellium pariter in hoc, ac in cæteris ſophiſmatis hallucinari, & ad idem ſaxum offendere, dum perinde omnino loquitur, aut Catholicos ſentire exiſtimat de ſubſtantia, ac de perſona

divina: cùm planè hæc duo differant ſecundùm rationem formalem, veluti abſolutum à relativo, & commune à proprio. Nego itaque ex myſterio Trinitatis ſequi quòd ſimul vna & tres ſupremæ deitatis ſubſtantiæ ſint. Nam imprimis perſona non definitur ſubſtantia prima intelligens, vt Crellius ſupponit, ſed *rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia*. Vbi *indiuidua ſubſtantia* idem eſt, ac ſuppoſitum incommunicabile, vt vidimus latè Diſput. LXXIX. ſect. 5. ferè per totam, quidquid alij ſentiant. Itaque perſona in recto importat ſuppoſitum incommunicabile: in obliquo autem rationalem naturam, quæ per ſuppoſitalitatem, ſive perſonalitatem, completur, & terminatur quoddammodo intra genus, aut quaſi genus ſubſtantiæ, redditurque incommunicabilis alteri cuilibet ſuppoſito, ſaltem extraneo: vt latè exponemus Diſp. LXXV. ſect. 5. Vndè ſolùm infertur, multiplicata in diuinis perſona, multiplicari etiam ſuppoſitum incommunicabile, non verò ſubſtantiam, ſiue naturam naturalem, quam ſolùm in obliquo importat perſona. Verùm nec aliunde dicendum eſt multiplicari in diuinis definitionem perſonæ, ſed vnam & eandem eſſe ex parte eſſentiæ, ſive ſubſtantiæ; licèt conſiderata ex parte definiti quoad rationem peculiarem & propriam incommunicabilitatis multiplicetur: quoniam ſuppoſita, ſive hypoſtaſes, verè ſunt in diuinis tres. Quemadmodum verò alia eſt ratio formalis ſuppoſiti, ſive hypoſtaſeos, quàm ſubſtantiæ: ita etiam locus eſt, vt quamvis tres hypoſtaſes, ſive ſuppoſita tria ſint in diuinis, ſubſtantia tamen ſit vna. Vide plura alia ibidem.

52 NEC Audiendus eſt idem Crellius pag. 530. cùm carpit & irridet quoſdam è Catholicis, quaſi dixerint, *perſonam non eſſe ſubſtantiam, ſeu rem per ſe ſubſiſtentem, ſed ſubſiſtentiam naturæ intelligentis incommunicabilem*; & præterea ſubſiſtentiam ipſam, non concretam, ſed abſtractam, eſſe modum quendam entis, non ens ipſum. Non, inquam, audiendus eſt: quoniam nemo ex Catholicis negat, immo nec dubitat, perſonam quamlibet diuinam verè & in re eſſe ſubſtantiam; verùm quoddammodo affectam hypoſtaſi propriâ, quam Damaſcenus appellat τὸ ὑπάρξεως τρόπον, id eſt, exiſtendi modum. non quia ſit verè modus ex natura rei afficiens ſubſiſtentiam diuinam, vt cogitavit Durandus, propterea latè reiectus à nobis Tomo I. Diſput. XXV. à num 79. ſed quia conſideratione mentis noſtræ intelligitur afficere ſubſiſtentiam diuinam communem ex ſe tribus perſonis. Vide verba Concilij Lateranenſis ſuprà num. 47. exſcripta, in quibus apertiſsimè traditur vnam & eandem rem, quæ eſt ſubſtantia, eſſentia, ſive natura diuina, eſſe tres perſonas. Qua ergo ſpecie veritatis, aut qua ratione Crellius affingit Doctoribus Catholicis doctrinam oppoſitam?

53 OPPONIT Denique lib. 2. ſect. 1. cap. 5 pag. 534. Vnius eiuſdemque rei tres ſubſiſtentiæ eſſe non poſſunt; quoniam vnius rei non poſſunt eſſe plures formæ eiuſdem rationis, ſive ſubſtantiales ſint, ſive accidentales, ſive quocumque nomine appellentur, ne quis exiſtimet pluribus modis locum eſſe. Non enim poſſunt inhærentiæ vnius eſſe plures exiſtentiæ, non plures rationalitates, non plures longitudines, aut albedines. Repugnat igitur in eâdem numero natura divina eſſe plures relationes, hypoſtaſes, aut ſubſiſtentias numero diſtinctas.

54 AT Quis non videat, impugnationem hanc procedere ex odio Vatiniano in Eccleſiam Catholicam: cùm in ea ipſa appareat ſolutio nodi, quam Crellius, niſi furore ageretur, vidiſſet? Permiſſo enim, plures formas eiuſdem rationis non poſſe eidem rei competere, nequaquam impeditur, vt eidem naturæ divinæ plures hypoſtaſes, ſive relationes conveniant: vtpote quæ diverſæ rationis ſunt. Paternitas enim, filiatio, & ſpiratio paſsiva, non ſunt formæ eiuſdem omnino rationis, ſed diverſæ: atque adeò ſicuti diverſa attributa eidem naturæ conveniunt, cur non & diverſæ relationes? Vel in creatis accidit, vt eadem perſona afficiatur diverſis relationibus, altera paternitatis ad ſuum filium, altera filietatis ad genitorem ſuum. Cur itaque in diuinis, vbi omnia myſterio plena ſunt, non cohærebunt plures relationes in eâdem numero eſſentia?

56 SED Inſtat pag. 539. Quidquid ſit de alijs formis, nullus eſt locus in eâdem natura pluribus perſonalibus proprietatibus, ſive ſubſiſtentijs. Etenim ſubſiſtentia ex propria ratione habet reddere naturam incommunicabilem alteri: ac proinde non relinquit in ea locum, vt alijs præterea ſubſiſtentijs, ſive perſonis communicetur.

57 RESP. Negando aſſumptum: Quia ſubſiſtentia in cõmuni illa acceptione, ſub qua abſtrahit à divina & creata, non habet reddere naturam, ſed perſonam incommunicabilem alteri: ac proinde relinquit locum, vt natura alijs præterea communicetur perſonis. Permiſſo etiam quòd naturam ipſam conſtituat alteri incommunicabilem, id intelligi debet

de

de natura, prout affecta tali ſubſiſtentia; non autem prout ab ea abſtrahit. Vnde demum non colligitur, naturam divinam per ſe communem non eſſe pluribus perſonis: ſed dumtaxat, eandem divinitatem, quatenus affectam vna aliqua hypoſtaſi, non eſſe communicabilem alteri hypoſtaſi eiuſdē rationis. Non enim locus eſt, vt in divinis ſint plures Patres, aut plures Filij, vel Spiritus ſancti.

58 INSTAT Præterea ibidem: quoniam inde ſequitur, eaſdem perſonas ſimul eſſe communicabiles & incommunicabiles: primum, quia dicimus, eſſentiam communicari: ſecundum, quia fatemur, perſonā communicari non poſſe. Deinde, quoniā ſi pluſquam vna ſubſiſtentia in divinis eſt, cur non infinitæ?

59 AT Neutrum ex ijs colligitur. Non primum: quia cùm eadem fides Catholica, quæ tradit myſterium Trinitatis, doceat, aliam eſſe rationem naturæ, aliam perſonæ; illam pluribus communicari, hanc incommunicabilem eſſe; nunquam ex illius ſenſu colligitur, perſonā ſimul eſſe communicabilē & incommunicabilē. Nimirum, de perſona ſolum verificatur incommunicabilem eſſe: de natura verò communicabilē. Non ſecundum: quia in natura intelligente ſummè perfecta, qualis eſt divina, duæ ſolùm proceſſiones eſſe poſſunt, altera per intellectum, altera per voluntatem; quarum priore procedat Verbū, poſteriore autem Amor, ſive Spiritus ſanctus. Vnde demum concluditur, non plures tribus perſonis in Deo eſſe, quarum altera generet per intellectum, & non generetur: altera generetur per intellectum, & non generet: altera demum procedat ab vtroque per voluntatem, & non ſit principiū alterius proceſſionis. Non ergo colligitur maior numerus perſonarum, quàm Trinitas.

CAPVT XXIX.

MONOLOGII, ALIAS XXVIII.

QVOD DEI LOCVTIO IDIPSVM SIT, QVOD IPSE; nec tamen ſint duo, ſed vnus ſpiritus.

60 IAM Verò ijs, quæ de proprietatibus huius ſummæ naturæ ad præſens mihi ducem rationem ſequenti occurrerunt, perſpectis; opportunum exiſtimo, vt de eius locutione, per quam facta ſunt omnia, ſiquid poſsim, conſiderem.

61 ETENIM Cùm omnia, quæ de illa ſuprà potui animadvertere, rationis robur inflexibile teneant; illud me maximè cogit de illa diligentiùs diſcutere, quia idipſum, quod ipſe ſummus ſpiritus eſt, probatur eſſe. Si enim ille nihil fecit, niſi per ſe ipſum; & quidquid ab eo factum eſt, per illam eſt factum: quomodo illa eſt aliud, quàm eſt idem ipſe?

62 AMPLIVS, Aſſerunt vtique inexpugnabiliter ea, quæ iam inventa ſunt, quia nihil omnino potuit vnquam, aut poteſt ſubſiſtere, præter creantem ſpiritum, & eius creaturā. Hanc verò ſpiritus eiuſdem locutionem impoſsibile eſt inter creata contineri: quoniam quidquid creatum ſubſiſtit, per illam factum eſt: illa verò per ſe fieri non potuit. Nihil quippe per ſe ipſum fieri poteſt: quia quidquid fit, poſterius eſt eo, per quod fit; & nihil eſt poſterius ſe ipſo. Relinquitur ergo, vt hæc

ſummi ſpiritus locutio, cùm creatura eſſe non poſsit, non ſit aliud, quã ſummus ſpiritus.

63 DENIQVE: Hæc ipſa locutio nihil aliud poteſt intelligi, quàm eiuſdem ſpiritus intelligentia, qua cuncta intelligit. Quid enim eſt aliud illi rem loqui aliquam, hoc loquendi modo, quàm intelligere? Nam, non vt homo, non ſemper dicit, quod intelligit. Si igitur ſummè ſimplex natura non eſt aliud, quàm quod eſt ſua intelligentia, quemadmodum eſt id, quod eſt ſua ſapientia; neceſſe eſt vt ſimiliter non ſit aliud, quàm quod eſt ſua locutio.

64 SED Quoniam iam manifeſtum eſt, ſummum ſpiritum vnum tantùm eſſe, & omnimodè individuum; neceſſe eſt, vt ſit illi hæc ſua locutio conſubſtantialis, vt non ſint duo, ſed vnus ſpiritus.

DISPVTATIO LXI.

DE LOCVTIONE PER QVAM PROCEDIT VERBVM DIVINVM.

DIVINVM Illud & ſummè arcanum myſterium generationis Verbi, à quo potiſsimùm pendet quidquid ſpectat ad Trinitatem perſonarũ, incipit veſtigare Anſelmus ex conſideratione locutionis intellectualis & intimæ, qua Deus ſeipſum perfectè ex æterno novit, & expreſsit: vt proinde per illam dixerit interiùs ſe ipſum, & expreſſerit Verbum conſubſtantiale ſibi. Incipit, inquam, veſtigare cohærenter ad doctrinam in Scriptura revelatã, & à Patribus traditam, quam vis nullum teſtimonium expreſsè alleget impræſenti: vt proinde ratio naturalis non dominetur, ſed ſerviat, & impendatur in obſequium fidei: ex cuius doctrina colligat decreta, ſive concluſiones Theologicas.

SCHOLIA IN CAPVT XXIX.

SECTIO PRIMA.

Exponitur littera Anſelmi. Duplicem in Deo locutionem conſiderari; eſſentialem vnam & communem tribus perſonis; notionalem alterom, actiuè in Patre exiſtentem, & paſsivè in Verbo, vniuſcuiuſque propriam, de qua hoc loci eſt ſermo.

1 INCHOAT Anſelmus ab hoc capite Tractationem de ineffabili Trinitatis myſterio poſtquam in ſuperioribus egit de ijs perfectionibus divinis, quæ naturalis rationalis ductu veſtigari aut demonſtrari poſſunt. Summa verò totius capitis eſt oſtendere, locutionem Dei non eſſe aliud quidquam ab ipſo; nec ex ambobus conſurgere duos ſpiritus, ſed vnicum dumtaxat: ac denique locutionem eſſe Deo ipſi conſubſtantialem. Quæ omnia myſterio plena ſunt, ideoque à nobis per partes, ac ſuo ordine vicumque explicanda.

2 *IAM NVNCIIS*, &c. Monet, ſe hactenus in colligendis, & exponendis

dis proprietatibus ac perfectionibus Dei laboraſſe ſolius rationis naturalis ductu: ideoque illas *perſpectas* dicit, quoniã planè in ſuperioribus demonſtratæ fuerunt. Nunc autem longè aliter indicat ſe tractaturum de locutione Dei, per quam facta ſunt omnia. Nimirum, ſuppoſita veritate Scripturæ in omnibus ijs, quæ tradit, tum circa myſterium Trinitatis, tum ſpeciatim circa locutionem Dei, tentat exquirere rationem, ſi quoquo modo poſsit. Vt enim Tomo I. Diſp. I. ſect. 3. & Diſp IX per totam probatum eſt iuxta doctrinam ipſius, nullius obiecti ſupernaturalis, præſertim verò myſterij Trinitatis, exiſtentia aut poſsibilitas ratione naturali demonſtrari poteſt. Quod palam fatetur infrà S. Doctor cap. 62. & nos Diſput. LI. vberiùs confirmavimus. Quare nunc agnoſcens ſe nihil demonſtrare poſſe ſola ratione naturali de Trinitatis myſterio, niſi adiuvetur principijs fidei, eaque omnino ſupponat, tanquam certa & explorata, præmittit, *opportunum eſſe, vt ſiquid poſsit, conſideret*: ſeu mentem ratiocinando & perveſtigando exerceat circa ea ipſa, quæ de hoc myſterio per fidem edocemur, & abſque vlla dubitatione credimus.

4 VERVM Vt clariùs intelligatur mens Anſelmi, & appareat, de quânam locutione impræſenti diſſerat, obſervandum eſt, illã dupliciter vſurpari poſſe ac ſolere in Deo. Primò eſſentialiter, & ſenſu communi tribus perſonis. Secundò notionaliter, veluti propriã alicuius certæ perſonæ. Priori ſenſu Anſelmus ſuprà diſſeruit cap. 11. cuius epigrapha eſt: *Quòd hæc ſummæ eſſentiæ locutio ſit ſummæ eſſentia.* Et in ipſius capitis initio dixit: *Sed cum pariter ratione docente ſit certum, quia quidquid ſumma ſubſtantia fecit, per aliud non fecit, quàm per ſemetipſam; & quidquid fecit, PER INTIMAM LOCVTIONEM FECIT, ſiue ſingula ſingulis verbis, ſiue potiùs vno verbo ſimul omnia dicendo: quid magis neceſſarium videri poteſt, quàm hanc ſummæ eſſentiæ locutionem non eſſe aliud, quàm ſummam eſſentiam?* Nimirum, hæc ipſa verba declarãt, Anſelmum in ijs agere de locutione illa, qua Deus efficit omnia creata, quæ in ſe ipſis antea nihil erant, niſi in mente artificis, in quo vita erant, vt præmiſſerat cap. 8. & 9. Eiuſmodi autem locutio eſt eſſentialis, & communis tribus perſonis, ab ijſque indiſtincta, ſicuti & quilibet actus mentis divinæ ſub habitudine ad res creatas. Quin & adhuc ſub munere creationis activæ locutionem illam eſſe indiſtinctam à ſubſtantia Dei, oſtendimus Tomo I. Diſp. XIX. per totam, iuxta doctrinam Anſelmi in ijs capitibus 8. & 11.

5 POSTERIORI Autem ſenſu locutio ſignificat intellectionem, ſeu cognitionem illam naturæ fœcundæ in Patre, quâ Verbum divinum gignitur. Et de hac diſſerit in hoc capite, demonſtratque, impoſsibile eſſe vt inter creata contineatur: concluditque demum, *ſummo ſpiritui conſubſtantialem eſſe, vt non ſint duo, ſed vnus ſpiritus.* Vbi vt conſubſtantialitas propriè locum habeat, ſubdiſtinguenda eſt ea locutio in activam & paſsivam. Activa eſt ipſa intellectio notionalis, quâ Pater æternus dicit, loquitur, ſeu generat Verbum. Et hæc cùm in nullo vero ſenſu diſtinguitur reipſa à Patre loquente, eſt quidem eadem entitas cum illo, non tamen ipſi conſubſtantialis. Nimirum, τὸ ὁμοούσιον apud Græcos, ſicuti & conſubſtantiale apud Patres Latinos, ſolùm accipitur de perſonis divinis, quæ, cùm inter ſe reipſa diſtinguantur ſecundùm propria, ſunt vnum & idem numero in ſubſtantia ſive eſſentia ijs communi. Activa autem locutio, qua Pater dicit, ſeu generat Verbum, nullo vero ſenſu diſtinguitur ſecundùm rem ab ipſo Patre: cùm non conſtituat perſonam à Patre diſtinctam. Ideoque licèt ſit vnum & idem cum ſubſtantia ipſius in re, conſubſtantialis ipſi dici non poteſt. Paſsivè autem accepta, eſt idem omnino, ac Verbum ipſum dictum, ſive productum à Patre. Quo ſenſu optimè concludit Anſelmus, illam eſſe conſubſtantialem loquenti, vt proinde non ſint duo ſpiritus, ſed vnus. Quamvis enim ea locutio paſsiva, ſeu Verbum, ſit aliquid reipſa diſtinctum à Patre loquente, ſive generante; ſubſtantia tamen ſpiritualis, ſeu eſſentia vtriuſque eſt vna, vt proinde Verbum ſit conſubſtantiale Patri.

6 VTRAMQVE Conceptionem, ſeu intellectionem mentis divinæ, id eſt, tam eſſentialem & communem tribus perſonis, quàm peculiarem & notionalem Patris, meritò Anſelmus *locutionem* vocat. Nam vt ipſe ſuprà cap. 9. diſſerens de Ideis divinis aiebat: *Illa forma rerum, quæ in eius* (nimirum, ſummæ naturæ) *ratione res creandas præcedebat, quid aliud eſt, quàm rerum quædam in ipſa ratione locutio? veluti cùm faber facturus aliquid ſuæ artis opus, priùs illud dicit intra ſe mentis conceptione. Mentem autem, ſiue rationis conceptionem, locutionẽ ſic intelligo, non cùm voces rerum ſignificatiuæ cogitantur, ſed cùm reipſæ, vel futuræ, vel iam exiſtentes, acie cogitationis in mente conſpiciuntur.* Vbi S. Doctor optimè vſus eſt verbo conſpiciendi: quoniã eiuſmodi locutio mentis aliquid apud ſe cogitãtis & dicentis, ſit viſio intima. Quod in rem noſtram

exponit Auguſtinus lib. 15. de Trinitate cap. 10. dicens: *Nec tamen quia dicimus locutiones cordis eſſe cogitiones, ideo non ſunt etiam viſiones exortæ de notitiæ viſionibus, quando veræ ſunt. Foris enim, cùm per corpus hæc fiant, aliud eſt locutio, aliud viſio. Intus autem cùm cogitamus, vtrumque vnum eſt. Sicut auditio & viſio duo quædam ſunt inter ſe diſtantia in ſenſibus corporis: in animo autem non eſt aliud & aliud videre & audire. ac per hoc cùm locutio foris non videatur, ſed potiùs audiatur; locutiones tamen interiores, hoc eſt cogitationes, viſas dixit à Domino ſanctum Euangelium, non auditas.* Itaque Anſelmus meritò ait, tunc eſſe locutionem rerum intimam, ſeu intellectualem, cùm res ipſæ, vel futuræ, vel iam exiſtentes, acie cogitationis in mente conſpiciuntur Quod totum convenit intellectioni divinæ, tum eſſentiali, tum notionali. Quia, vt inquit Fulgentius lib. 3. ad Monimum cap. 7. *Nihil aliud eſt apud ſe dicere, quàm apud ſe cogitare.* Sive ergo loquamur de intima cogitatione Dei apud ſe eſſentiali, ſive notionali, vtraque eſt dictio, ſed locutio. Verùm poſterior eſt, de qua præcipuè in hoc capite agitur, vipote quæ ſola eſt expreſsio, ſeu productio Verbi divini.

SECTIO II.

Commentarius litteræ quoad poſteriores partes. Locutionem Dei non eſſe aliud quidquam à ſummo ſpiritu, ſiue ſubſtantia diuina: idque ſiue accipiatur de locutione eſſentiali, ſiue notionali. Porrò hanc paſsiuè ſumptam eſſe ipſum Verbum conſubſtantiale Patri.

7 ETENIM CVM OMNIA, &c. Monet ſe iam ſuprà egiſſe de locutione Dei. nimirum cap 8. 9. 10. & 11. concluſiſſeque plura de illa rationibus ineluctabilibus: quarum vis & efficacia vberi s dignoſci poteſt ex noſtris Commentarijs ad ea loca. Nunc autem aſſumit probandum, locutionem eandem non eſſe aliud à ſummo ſpiritu, ſive Deo. Formula autem probationis hæc fere eſt. Omnes creaturæ à Deo factæ ſunt non per aliud, quàm per ſemetipſum. Atqui omnes creaturæ à Deo per locutionem factæ ſunt. Ergo locutio non eſt aliud ab ipſo Deo. Conſequentia eſt optima in primo modo tertiæ figuræ. Maior propoſitio ſupponitur demonſtrata in præcedentibus capit. 6. & 7. vbi manifeſtis rationibus probatum fuit, Deum omnia alia à ſe, & ſingula eorum per ſe ipſum, & nulla adiuvante cauſa, produxiſſe de nihilo. Eſt enim ſolus ipſe primum ens, idque à ſeipſo: ac proinde prima omnium aliorum entium cauſa per ſe ipſum. Minor autem, ſive aſſumptio poteſt dupliciter accipi: nimirũ, vel de locutione eſſentiali, vel de notionali. Priori modo intellecta, ſuadetur demonſtratione purè naturali. Omnes enim creaturæ factæ ſunt à Deo veluti perfectiſsimo agente, atque adeò per actum intellectus & voluntatis. nimirum, id eſt proprium perfectiſsimi agentis, vt per intellectum & voluntatem agat. Atqui actus intellectus eſt dictio, ſeu locutio intima, vt iam ſuperiori ſectione oſtenſum eſt. Ergo omnes creaturæ factæ ſunt à Deo per locutionem. Præterea ſuadetur ratione alia Anſelmi ſuprà cap 9. Omnes creaturæ factæ ſunt à Deo tanquam perfectiſsimo artifice: atque adeò ſecundùm ideam in mente exiſtentem, quâ loquitur intra ſe id, quod exteriùs operatur. Ergo omnes illę per locutionem factæ ſunt à Deo. Denique adhuc de ipſa locutione eſſentiali demonſtrari poteſt theologicè ex Scriptura. Nam verè iuxta Geneſim Deus per locutionem, ſive dictionẽ omnia, in lucem exiſtentiamque protulit. *Dixit Deus: Fiat lux. Et facta eſt lux.* Geneſ. 1. *Dixit quoque Deus: Fiat firmamẽtum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. Et facit Deus firmamentum diuiſitque aquas* &c. Similia habentur in toto contextu capitis. Vnde Pſalmo 148. generatim de creaturis omnibus aſſeritur *Ipſe dixit, & facta ſunt; mandavit, & creata ſunt.* Dicere autem eſt loqui. Omnes igitur creaturæ à Deo per locutionem factæ ſunt.

8 IAM Si aſſumptio illa præcipui ſyllogiſmi accipiatur de locutione notionali, quæ paſsivè conſiderata eſt Verbum ipſum per eam productum à Patre, iuxta dicta num. 5. ſuadetur demonſtratione purè theologica: Quia omnia per Verbum facta ſunt, vt habetur Ioannis 1. Verbum autem eſt locutio æterni Patris paſsivè accepta. nimirum, Verbum eſt idipſum, quod Pater æternus intra ſe loquitur, & exprimit intellectu Ergo omnia à Deo per locutionem paſsivam facta ſunt.

9 STATVTO Semel, omnes creaturas fuiſſe à Deo factas per locutionem paſsivam, ſeu Verbum, prout in ſacris litteris habetur; probat iam Anſelmus eiuſmodi locutionem, ſeu Verbum, non eſſe quidquam aliud à ſummo ſpiritu, ſive Deo loquente. *Aliud*, inquam, id eſt, diverſum, aut diſtinctum ſecundùm eſſentiam. Vt enim iam ante ſupponitur demonſtratum, quidquid Deus, ſive ſummus ſpiritus facit, non facit per aliud, quàm

quàm per ſeipſum. At quidquid Deus fecit, per Verbum vtique fecit. *Omnia enim per ipſum facta ſunt*, teſte Evangeliſta. Ergo Verbum nō eſt quidquam aliud à ſummo ſpiritu, ſive Deo. Itaque Verbum, per quod Pater æternus fecit omnia, non eſt aliud, ſive alterius eſſentiæ ab ipſo Patre. Quæ planè eſt theologica demonſtratio.

10 *AMPLIVS. ASSERVNT VTIQVE*, &c. Probat ſecundò Anſelmus, & pariter demonſtrat, eam locutionem non eſſe aliud à ſummo ſpiritu, ſive Deo. Omne enim quod exiſtit, aut eſt Deus, aut creatura. Atqui locutio illa nullatenus eſt creatura. Ergo eſt Deus, ſive non aliud ab ipſo Deo. Maior propoſitio ſupponitur demonſtrata ab ipſo Anſelmo ſuprà cap. 3. 4. 6. & 7. & colligitur lumine naturæ ex ratione entis à ſe, quæ debet eſſe vnica & immultiplicabilis, ac cæterorum omnium entium cauſa creatrix, tanquam fons totius perfectionis & exiſtentiæ quarumlibet aliarum rerum. Vnde omne aliud ab ea diſtinctum, debet eſſe creatura. Inſuper conſtat ex prima diviſione entis, quod neque eſſe, nec intelligi quidem poteſt, niſi exiſtens à ſe, vel ab alio: cùm ea diviſio fiat per membra adeò oppoſita, vt nullum medium admittant. Atqui ens à ſe, eſt ſolus Deus: ens autem ab alio, creatura, vt patet. Omne ergo quod exiſtit, aut eſt Deus, aut creatura. Vnde Auguſtinus lib. 1. de Trinitate cap. 6. eâdem, quâ nunc Anſelmus, ratiocinatione Arianos refellebat, dicens de Verbo, ſeu Filio Dei: *Si factus non eſt, creatura non eſt. Si autem creatura non eſt, eiuſdem cum Patre ſubſtantiæ eſt. Omnis enim ſubſtantia, quæ Deus non eſt, creatura eſt: & quæ creatura non eſt, Deus eſt.*

11 ASSVMPTIO Verò, ſeu minor propoſitio illius primi ſyllogiſmi, ſi intelligatur de locutione eſſentiali, patet: Quia locutio eſſentialis Dei eſt intellectio, quâ ſe infinitè & comprehenſivè cognoſcit, tamquàm actus purus & omnino ſimplex: atque adeò illa debet eſſe vnum & idem cum ſubſtantia ipſius Dei. Cuius collectionis vis & efficacitas, quamvis obvia, pleniùs innotuit Tomo I. Diſput. XXVIII. & XXIX. vbi cum Anſelmo diſſeruimus latè de ſimplicitate divina. Deinde aſſumptio eadem, ſive intelligatur de locutione eſſentiali, ſive de notionali, ſuadetur ex doctrina ijs locis demonſtrata, & ab Anſelmo ſuprà cap. 15. ac 17. cum alijs Patribus tradita: quoniam, nimirum nihil creatum exiſtit intra Deum. Quidquid enim intra Deum exiſtit, eſt Deus. Alioqui Deo, vel ipſius ſubſtantiæ aliquid reipſa accideret, vel faceret compoſitionem cum illa, contra quàm ratio naturalis dictat, & Concilia docent. Atqui locutio, tam eſſentialis, quàm notionalis, intra Deum exiſtit: nimirum, intellectio eſſentialis, & dictio productiva divini Verbi: quarum prior demonſtratur in Deo ex ratione entis à ſe, & proinde ſummè perfecti in intelligendo: poſterior autem conſtat eâdem fide, quâ credimus Verbum divinum procedere à Patre. Ergo nec locutio eſſentialis, nec notionalis, eſt creatura, ſed aliquid indiſtinctum à Deo. Et id æquè palam demonſtratur de locutione notionali paſſiva, ac de activa: nam paſſiva eſt ipſum Verbum dictum, ſeu productum à Patre. Atqui iuxta Evangeliſtam, *Verbum erat apud Deum*. Ergo locutio notionalis paſſiva eſt aliquid verè exiſtens intra Deum. Non ergo eſt aliquid creatum, vel à divina ſubſtantia diſtinctum. Vnde infrà cap. 31. inquit: *Nam hoc quoque Verbum, quo ſe ipſum dicit* (Deus) *neceſſe eſt idipſum eſſe, quod ipſe eſt: ſicut conſtat de Verbo illo, quo dicit ea, quæ facta ſunt à ſe.* Nimirum, quoad identitatem cum ſubſtantia Dei, eadem omnino ratio eſt de Verbo propriè & perſonaliter dicto, ac de eo quod impropriè appellatur Verbum, ſive ſpecies expreſſa communis tribus divinis perſonis.

12 PROBAT Anſelmus tertiò, locutionem non eſſe aliquid creatum: Quia quidquid eſt creatum, per locutionem divinam factum eſt. Atqui locutio divina per ſe ipſam facta non eſt. Ergo locutio divina non eſt aliquid creatum. Maior propoſitio, ſive intellecta de locutione Dei eſſentiali, ſive de notionali, tum activè, tum paſſivè ſumptâ, ſupponitur demonſtrata ſuprà num. 7 aut etiam tradita per fidem in Evangelio, vbi de Verbo divino dicitur: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Minor autē, ſive aſſumptio, ſuadetur palam ex principio notiſsimo, quòd nulla res poſsit efficere ſeipſam, ſed aliquid aliud diſtinctum à ſe. Nimirum, nulla res poteſt eſſe prior naturâ ſeipſa, vel exiſtere ante primam ſui exiſtentiam: ac proinde neque dare exiſtentiam ſibi ipſi. Quod non diretè proponitur ſed ab Anſelmo hoc loci, ſuprà cap. 6. vbi nos plura in Commentario circa id obſervavimus, & latiùs adhuc in Metaphyſica diſput 4. præſertim ſect. 1. vbi latè confirmavimus tritum illud effatum omnium Sapientum: *Omne quod fit, ab alio fit.* Ergo locutio divina non fuit facta per ſe ipſam. Cùm igitur omne quod factum eſt, ſive creatum, per illam fuerit factum; illa non poteſt eſſe aliquid creatum, ſed increatum; proindeque indiſtinctum à ſummo ſpiritu, ſive ſubſtantia divina.

13 *DENIQVE HÆC IPSA LOCVTIO*, &c. Probat quartò S. Doctor, locutionem, quâ Deus cuncta efficit, eſſe indiſtinctam ab ipſius eſſentia: Quia eiuſmodi locutio eſt intelligentia ipſa, qua cuncta intelligit. Nihil enim aliud eſt Deo, rem loqui aliquam *hoc loquendi modo*, nimirum, dicendo, & exprimendo, quàm illam intelligere. Quod iam ſuprà num 7. & 8 explanatum eſt. Neque enim, ſubdit Anſelmus, perinde ſe habet in dicendo, ac homo qui ſæpe dicit, ſive loquitur ſine intelligentia. Deus enim, qui ſummè ſapiens eſt, quidquid dicit, ſeu loquitur, perfectiſsimè & comprehenſivè intelligit. Atqui intelligentia Dei non eſt aliud à ſubſtantia divina intelligente: vt demonſtratum fuit ſuprà cap. 14. 15. & 16. & iterum demonſtrat obiter ex ſumma ſimplicitate Dei. Ergo neque locutio Dei eſt aliud à ſubſtantia divina intelligente.

14 *SED QVONIAM IAM*, &c. Concludit Anſelmus quod maximè è re myſterij Trinitatis eſt, locutionem Dei paſsivè ſumptam, nimirum, Verbum divinum eſſe conſubſtantiale ſummo ſpiritui, ſive Deo. Demonſtratum eſt enim ſuperioribus, ſummum ſpiritum ſive Deum vnicum eſſe, pluresque Deos omnino repugnare. Quod abundè oſtendit ſuprà S. Doctor cap. 3. & 4. noſque ibidem latè Diſput. XII. & XIII. Ergo quidquid eſt ſummus ſpiritus, ſive Deus, eſt vnum & idem cum illo vnico & ſummo Deo. Atqui locutio divina paſsivè ſumpta, eſt ſumus ipſe ſpiritus, ſive Deus: vt in hoc capite relinquitur probatum, & declarat Evangeliſta dum ait: *Deus erat Verbum*. Ergo locutio divina paſsivè ſumpta, ſive Verbum, eſt vnum & idem cum illo vnico & ſummo Deo. Alioqui eſſent duo Dij contra hypotheſim ſuo loco demonſtratam. Si autem Verbum divinum eſt vnum & idem in ſubſtantia cum illo vnico ac ſummo Deo, à quo dicitur, & à quo procedit tanquam verus Filius, vt ex fide ſupponimus, & idem Evangeliſta teſtatur; de primo ad vltimum colligitur planè, Verbum ipſum eſſe ὁμοούσιον, ſive conſubſtantiale Deo Patri. Nimirum conſubſtantialitas, vt monuimus num. 5. duo importat indiviſim ac neceſſariò: alterum eſt, vt ſubſtantia ſit vna & eadem: alterum vt conveniat pluribus perſonis reipſa diſtinctis, quarum vna ex alia procedat. Quorum vtrumque competit locutioni paſsivæ, ſeu Verbo divino relatè ad Patrem.

(?)

****

SECTIO III.

Illuſtratur doctrina Anſelmi variis teſtimoniis & rationibus Sanctorum Patrum, ex comparatione Verbi diuini & creati, penes ea in quibus conueniunt, ſeorſim conſiderata.

15 CVM Anſelmus hoc loco auſpicetur tractationem myſterij trinitatis ex conſideratione verbi mentis, quod commune eſt ad increatum & creatum; & de vtroque agat, tum penes ea, in quibus ambo conveniunt, tum ſecundùm illa, in quibus differunt; oportet idipſum aliquantò vberiùs explanare. Id enim plurimum momenti afferet, tum ad pleniorem huius capitis intelligentiam, tum ad ea, quæ poſtea tradit, penitiùs indaganda. Atque imprimis loquendo generatim, ſeu abſtrahendo à divinis & creatis, omne verbum mentis eſt expreſſa ſimilitudo & imago rei cognitæ. Quod S. Doctor infrà cap. 31. exponit, dum ait: *Quamcumque enim rem mens, ſeu per corporis imaginationem, ſeu per rationem cupit veraciter cogitare, eius vtique ſimilitudinem, quantum valet, in ipſa ſua cogitatione conatur exprimere.* Et capite 29 immediato inquit: *Omnia huiuſmodi verba, quibus res quaslibet mente dicimus, id eſt, cogitamus, ſimilitudines & imagines ſunt rerum, quorum verba ſunt.* Nimirum, ſimilitudines & imagines intelligibiles, ſed naturales, & independētes à varietate ſermonum quibus res interiùs conceptas, exteriùs declaramus in humano victu. Nam, vt inquit Auguſtinus Tract. 1. in Ioannem, in mente eſt ſcientia, ex qua verbum mentis deinde naſcitur, ſive interior cognitio, *quæ eiuſmodi ſit omnino, cuiuſmodi eſt illa ſcientia, de qua naſcitur. Formata quippe cogitatio ab ea re, quam ſcimus, verbum eſt, quod in corde dicimus, quod nec Græcum eſt, nec Latinum, nec linguæ alicuius alterius: ſed cum id opus eſt, in eorum, quibus loquimur, perferre notitiam, aliquod ſignum, quo ſignificetur, aſſumitur.* Vtriuſque doctrinam ſequitur D. Thomas 1 p. q. 27. art. 1. dicens: *Quicumque intelligit, ex hoc ipſo quod intelligit, procedit aliquid intra ipſum, quod eſt conceptio intellectus, ex vi intellectionis proveniens.* Et articulo 2. in corpore, & ad 3. tradit, tam in divinis, quàm in creatis, conceptionem, ſeu verbum, eſſe ſimilitudinem rei intellectæ.

16 SECVNDO, Verbum increatum & creatum in eo conveniunt, vt quodlibet eorum ſit æquale, ſeu eiuſdem ordinis, aut gradus cum mente ſe cognoſcente. Debet enim eſſe purè ſpirituale inſtar illius, & exprimere tanquam

quam ſimilitudo aut imago interna & naturalis id, quod ſe habet ex parte mentis cognitæ. Imago autem & ſimilitudo naturalis rei, eſt eiuſdem ordinis aut gradûs cum eo, quod exprimit & repræſentat. Ita Anſelmus locis indicatis, præeunte Auguſtino loco nuper laudato ex Tract. 1. in Ioannem: vbi inquit: *Cùm ſe mens ipſa novit, ſic eſt eadem notitia Verbum eius, vt ei ſit par omnino & æquale, atque identidem: quia neque inferioris eſſentiæ notitia eſt, ſicut corporis: neque ſuperioris, ſicut Dei. Et cùm habeat notitia ſimilitudinem ad eam rem, quam novit, hoc eſt, cuius notitia eſt; hæc habet perfectam, & æqualem: quia mens ipſa, quæ novit, eſt nota. Ideoque & imago, & Verbum eſt: quia de illa exprimitur, cùm cognoſcendo eidem coæquatur, & eſt gignenti æqua e quod genitum eſt.* Vnde & lib. 15. de Trinitat cap. 14. colligit, Verbum in divinis eſſe per omnia æquale principio dicenti, ſeu loquenti, ſiquidem vel in creatis verbum mentis ſeipſam cognoſcentis eſt paris perfectionis cum illa. Rationemque præterea ſubdit de Verbo divino: *Non enim* (Pater) *ſeipſum integrè perfectèque dixiſſet, ſi aliquid minùs, aut amplius eſſet in eius Verbo, quàm in ipſo. Ibi ſumme illud agnoſcitur eſt eſt, non non: & ideo Verbum hoc verè veritas eſt: quoniam quidquid in ea ſcientia, de qua genitum eſt, & in ipſo eſt.*

17 TERTIO Conveniunt in eo, quòd in vtriuſque productione nulla paſsio, vel motus intercedat, ſeu affectio aliqua earum, quas ſecum affert corporea generatio. Quod opportunè obſervârunt Baſilius Magnus Homil. 16. in principium Evangelij Ioannis, Chryſoſtomus Homil. 2. in Ioannem, Cyrillus lib. 1. Theſauri cap. 5. & 7. ac Dialogo 2. de Trinit. Damaſcenus lib. 1. de Fide cap. 9. Gregorius Nyſſenus lib. 3. contra Eunomium, Iſidorus Peluſiota lib. 3 Epiſt. 18. & 14. atque ante illos omnes Athanaſius lib. de Decretis Nicænæ Synodi, vbi loquens de Filio ait: λόγος δέ ἐστιν οὗτος τοῦ πατρὸς, ἐν ᾧ τὸ ἀπαθὲς, καὶ ἀμερὲς τοῦ πατρὸς νοεῖν δυνατόν, &c. *Hic verò eſt Verbum Patris, in quo impatibilitatem, & impartilitatem Patris intelligere poſſumus. Verbum enim, ne hominum quidem, per paſsionem aut partitionem gignitur; nedum Dei.* Ratio autem generatim deſumitur ex doctrina Ariſtot. lib. 3. Phyſicorum diſtinguentis motum qui eſt actus imperfecti, ab eo, qui eſt exiſtentis in actu per formã, ſive ſpeciẽ intelligibilem. Prioris generis eſt motus phyſicus generationis, alterationis, & lationis cùm ſit via quædam ſubiecti ad formam adquirendam, quam nondum habet. Poſterioris autem eſt intellectio quælibet, ſeu expreſsio verbi. Supponit enim mentem in actu conſtitutam per formam, ſeu ſpeciem intelligibilem: ideoque ἀπαθῶς, id eſt, abſque vlla paſsione, aut agitatione, vel alteratione fit: nec vllo modo ſpectat ad prædicamentum actionis fluentis cũ motu: vt probavimus multipliciter de omnĩ actu cognitionis, etiam ad ſenſum ſpectante, diſp. 90. de Anima à num. 63.

18 QVARTO Conſentiunt ambo in eo, vt vtrumque ex mente, ſeu memoria oriatur, & in ea permaneat integrum, ac minimè divulſum: & quidem diſtinctum reipſa à principio loquente, eiuſdem tamen quoddammodo naturæ. Id obſervat imprimis Damaſcenus allegato lib. 1. Fidei cap. 6. dum inquit: ὥσπερ γὰρ ὁ ἡμέτερος λόγος, &c. *Quemadmodum Verbum noſtrum à mente gignitur, nec idem eſt omnino quod ipſa mens, nec planè diuerſum. (Nam cùm à mente proficiſcatur, aliud eſt, quàm mens: & cùm mentem ipſam indicat, non eſt prorſus ab illa diuerſum: ſed cùm ſit Vnum natura, aliud tamen ſubiectio eſt.) Sic & Dei Verbum, qui Filius eſt, quatenus propria ſubſiſtit perſona, ab eo diſtinguitur, a quo genitum eſt. quatenus autem illa in ſe exprimit, quæ cernuntur in Deo, Vnum natura cum illo eſt.* Nec modò oportet diſcrimen aſsignare inter vtrumque quoad identitatem naturæ longè aliam in vtroque. de quo poſtea.

19 QVINTA Vtriuſque affinitas ſita eſt in continendo, & exprimendo mentẽ totam ſe ipſam cognoſcentem: vtpote cum vtrumque verbum ſit eius ſimilitudo & imago expreſſa: vt num. 15. præmiſſum eſt: ac proinde totam illam referat & exprimat intelligibiliter. Quocirca aiebat Baſilius Homil. 16. in Ioannem initio: μένων ὁλος ὁ νὸς ἐν τῇ ἰδίᾳ συστάσει, ὅλον τὸν λογον καὶ ἀπηρτισμένον ὑρίσηται, &c. *Manens tota mens in proprio ſtatu, Verbum totum & perfectum emittit: ac procedens Verbum totam mentis à qua gignitur, vim in ſeipſo complectitur.* Similiter Fulgentius lib. 3. ad Monimũ cap. 7. præter plura alia huc ſpectantia, inquit: *Nec minus habet Verbum, quod ex mente naſcitur, quàm eſt mens de qua naſcitur: QVIA QVANTA EST MENS, QVÆ GENERAT VERBVM, TANTVM EST ETIAM IPSVM VERBVM. Sicut enim de tota mente naſcitur Verbum: ſic intra totam permanet natum. Et quia cogitante mente, non eſt eius aliquid, vbi in ea Verbum non ſit: ideo Verbum tantum eſt, quanta eſt mens ipſa, de qua eſt: & cùm apud illam eſt, in illa eſt: & quanta illa eſt, tantum etiam Verbum eſt, quia de tota & in tota eſt: tantumque eſt ipſum Verbum, quanta ſimul eſt & mens ipſa cum Verbo.*

ne-

neque enim ſic de illa verbum naſcitur, vt ab ea localiter ſecernatur. Natiuitas quippe illa, quæ oſtendit quid ſit, & de qua ſit, ipſa oſtendit, quod extra eum, de quo natum eſt, eſſe non poſſit, nec in aliquo minus ſit, ſed ſic de ipſa ſit, vt apud ipſam, & in ipſa ſit; tantumque ſit de illa, quantum in illa, & tantum in illa, quantum cum illa.

20 SEXTA Similitudo inter vtrumque Verbum eſt ſita in eo, quod quemadmodũ Deus nihil extra ſe operatur, niſi per Verbum increatum ita nec homo, niſi præcedente interiùs creato verbo. Quod ſapienter obſervavit Auguſtinus lib. 15. de Trinitate cap. 1. dicens: *Sicut de Verbo illo* (nimirum increato) *dictũ eſt: Omnia per ipſum facta ſunt; vbi Deus per vnigenitum Verbum ſuum prædicatur vniuerſa feciſſe: ita opera hominis nulla ſunt, quæ non priùs dicantur in corde.* Huic ſimilitudini adnectit aliam: *Quis poteſt eſſe verbum noſtrum, quod non ſequatur opus; opus autem eſſe non poteſt, niſi ſequatur verbum. Sic & Verbum Dei potuit eſſe nulla exiſtente creatura; creatura verò nulla eſſe poteſt, niſi per ipſum, per quod facta ſunt omnia.* Quam ipſam doctrinam luculenter tradit infrà cap. 31. vbi poſtquam præmiſit, mentem noſtram poſſe interiùs cogitare & exprimere ſeipſam independenter à rebus externis, ſubdit, multò magis id exiſtimari debere de Deo: concluditque: *Sine igitur ille cogitetur nulla alia exiſtente eſſentia ſiue alijs exiſtentibus; neceſſe eſt, Verbum illius coæternum illi eſſe cum ipſo.*

21 SEPTIMO Conveniunt in eo, quòd vtrumque eſt relativum, ſeu importans habitudinem ad dicentem, ſive intus loquentem. Vnde ſequitur vt & diſtinctum ab eo ſit, & nihilmonus eiuſdem naturæ, ſaltem identitate ſimilitudinis, ac repræſentationis, quatenus mens ſe ipſam conſiderans, quandam ſui imaginem interiùs exprimit. Quare Gregorius Nyſſæ Antiſtes Oratione Catechetica cap. 1. aiebat ὁ δὲ λόγος οὗτος ἕτερός ἐστι παρὰ τὸν οὗ ἐστὶ λόγος, &c. *Verbum hoc aliud eſt ab eo, cuius eſt Verbum. Nam hoc quoque eſt aliquomodo ex ijs quæ ad aliquid dicuntur: quandoquidem oportet omnino cum Verbo etiam Verbi Patrem ſub audiri. Non enim eſſet verbum, niſi eſſet verbum alicuius. Quare ſi notionis habitudine ac relatione diſcernit auditorum mens, & ipſum verbum, & id ex quo exiſtit; nihil eſt nobis vtique periculi, ne Verbi myſterium cum Græcorum pugnans opinionibus, conveniat cum ijs, qui fauent partibus Iudæorum.* Vbi ex ratione verbi communi ad creatum & increatum, probat, notionem verbi eſſe relativam ad dicentem. Similiter Auguſtinus lib. 7. de Trinitate cap. 2. ait: *Sicut Filius ad Patrem refertur, non ad ſeipſum dicitur: ita & Verbũ ad eum, cuius Verbum eſt, refertur, cùm dicitur verbum. Eo quippe Filius, quo Verbum, & eo Verbum, quo Filius.* Ac præterea ſubdit: *Verbum non ad ſe dicitur, ſed tantùm relatiuè ad eum, cuius verbum eſt, ſicut filius ad patrem.* Et hæc quidem obſervaſſe ſufficiat circa ſimilitudinem multiplicem verbi increati & creati: vt proinde Anſelmus, inſtar aliorum Patrum, ex conſideratione creati quoddammodo ad illius æterni & increati veſtigationem aſcenderit.

SECTIO QVARTA.

Triplex ratio diſcriminis inter Verbum increatum & creatum ex doctrina Anſelmi, & aliorum Patrum erута, ac rationibus confirmata.

22 DIFFERVNT Primò, ac maximè in eo, quòd verbum creatum mentis ſeipſam conſiderantis, exprimat totam illam, veluti imago, & ſimilitudo adæquata, ſitque proinde ſimilis naturæ cum illa, ſeu intra eundem ordinem; non tamen eiuſdẽ numero eſſentiæ. Nimirum, mens eſt cauſa efficiens verbi, tanquam effectus ab ipſa verè dependentis, ac proinde poſterioris naturâ. Omne autem id, quod eſt naturâ poſterius alio, nequit habere eandem numero naturam, ſive eſſentiam cum ipſo. At Verbum increatum ita eſt ſimile & adæquatum principio intelligenti, ſeu loquenti, vt quamvis diſtinguatur ab illo tanquam terminus reipſa productus, non tamen factus, nec poſterior natura, ſed origine ſolùm. Itaque eandem omnino naturam, ſeu eſſentiam habet cum principio dicente, ſive loquente: eſtque proinde ipſi ὁμοούσιον, id eſt, *conſubſtantiale*: vt Anſelmus concludit in fine huius capitis, & poſtea latè oſtendemus in progreſſu Operis. Sic etiam Auctor libri de cognitione veræ vitæ, inter Auguſtini Opera editi Tomo IX. cap. 16. aiebat: *Summus Pater Verbum ſuum ſeipſum cogitando genuit, quod in Patris & Spiritus ſancti eſſentia, ſimul coeſſentiale ſubſiſtit.*

23 DIFFERVNT Secundò, quatenus verbum noſtrum interius eſt fluxum, quodque adventu cogitationis incipit, receſſu deſinit: *Verbum autẽ Domini manet in æternum*, vt Iſaias ait cap. 9. Ideo Bernardus in Sermone de verbis Abacuc exponens verba illa Pſalmi: *Semel locutus eſt Deus*, aiebat: *Semel locutus eſt Deus: ſemel vtique, quia ſemper. Vna enim, & non interpolata, ſed per-*

perpetua locutus eſt. Quod ipſum probat Anſelmus infrà cap. 30. concludenti ratione, dicens: *Nã ſummus ille ſpiritus, ſicut eſt æternus, ita æternè ſui memor eſt, & intelligit ſe ad ſimilitudinem mentis rationalis; immo non ad vllius ſimilitudinem, ſed ille principaliter, & mens rationalis ad eius ſimilitudinem. At ſi æternè ſe intelligit, æternè ſe dicit. Si æternè ſe dicit, æternè eſt Verbum eius apud ipſum.* Deinde inferiùs cap. 46. aliàs 48. adhuc luculentiùs exponit id diſcrimen vtriuſque verbi, eâ ratione aſsignata: *Quoniam nanque mens humana non ſemper ſe cogitat, ſicut ſui ſemper meminit; liquet, cùm ſe cogitat, quia verbum eius naſcitur de memoria. Vnde apparet, quia ſi ſemper ſe cogitaret, ſemper verbum eius de memoria naſceretur. Rem etenim cogitare, cuius memoriam habemus, hoc eſt mente eam dicere: verbum verò rei, eſt ipſa cogitatio, ad eius ſimilitudinem ex memoria formata. Hinc itaque liquidò animaduerti poteſt de ſumma ſapientia, quæ ſic ſemper ſe dicit, ſicut ſemper ſui memor eſt, quia de æterna memoria eius coæternum Verbum naſcitur.* Itaque cùm divina mens præ qualibet creata neceſſariò ſit in actuali cogitatione, ſiue locutione ſui ipſius ab æterno in æternum, neceſſariò etiam in ea exiſtit Verbum coæternum loquenti: ſecus autem in mente noſtra, quæ non ſemper ſeipſam cogitat. In ſtatu autem beatitudinis, ſi fortè viſio beatifica habet vim exprimendi verbum quidditativè repræſentans Deum (quod multi ex Theologis probabiliter negant) illud erit longè ſtabilius, quã in ſtatu viæ, & quoddammodo imitabitur diuturnitatem Verbi increati. nam tunc, vt ait Auguſtinus lib. 15. de Trinitat. cap. 16. *Forſan non erunt volubiles noſtræ cogitationes, ab alijs in alias euntes, atque redeuntes; ſed omnem ſcientiam noſtram vno ſimul conſpectu videbimus.*

24 DIFFERVNT Tertiò, quoniam Verbum increatum eſt καθ' ἑαυτὸν ὄντως ὑφεστὼς, per ſubſtantiatum, vt inquit Euſebius Cæſarienſis lib. 4. Evangelicæ Demonſtrationis cap. 3. Ab alijs quoque dicitur λόγος ἐνυπόστατος, καθ' ἑαυτὸν ὑφεστὼς, καὶ φυσικὸς, καὶ ὄντως ὤν. id eſt, *Verbum ſubſiſtens, per ſe exiſtens, & naturale, & ſubſtantiale.* Cùm enim non ſit alterius eſſentiæ, aut ſubſtantiæ à loquente, vt iam antea oſtenſum eſt, debet pariter eſſe per ſe ſubſiſtens. Cæterum verbum creatum, quamvis etiam ſimile menti loquenti ſeipſam, non eſt eiuſdem numero eſſentiæ cum illa; nec habet rationem ſubſtantiæ, ſiue entis ſubſiſtentis, aut exiſtentis per ſe; ſed eſt accidens quoddam prolatitium, & inhærens menti, quod proinde facilè incipit ac deſinit eſſe. Id diſcrimen vtriuſque verbi optimè declarat Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 11. dicens: ἐγέννησεν ὁ πατὴρ τὸν λόγον, &c. *Genuit Pater Verbum: non vt in hominibus mens verbum generat. Etenim mens in nobis ſubſiſtens eſt: verbum autem loquendo prolatum, & in aere diffuſum, perit. Nos autem nouimus Chriſtum genitum Verbum, non prolatitium; ſed Verbum ſubſiſtens viuens; non labris prolatum: ſed ex Patre ab æterno, & ineffabiliter, atque in propria hypoſtaſi genitum.* Quod & alter Cyrillus ſæpe obſervat: præſertim lib. 17. &

19. Theſauri. Sed de hoc plura alibi opportũna proferemus.



CA

CAPVT XXX.

QVOD EADEM LOCVTIO NON CONSTET EX PLVRIBVS VERBIS, SED SIT vnum Verbum.

QVR Igitur dubitem, quod ſuprà dubium dimiſſeram; ſcilicet, vtrum hæc locutio in pluribus verbis, an in vno Verbo conſiſtat? Nam ſi ſic eſt ſummæ naturæ conſubſtantialis, vt non ſint duo, ſed vnus ſpiritus; vtique ſicut illa ſummè ſimplex eſt, ita & iſta. Non igitur conſtat pluribus verbis: ſed eſt vnum Verbum per quod facta ſunt omnia.

SCHOLIA IN CAPVT XXX.

SECTIO PRIMA.

Quarta ratio diſcriminis ab Anſelmo aſſignata inter Verbum increatum & creatum, illuſtratur auctoritate & ratione.

CVR IGITVR DVBITEM, &c. Anſelmus ſuprà cap. 12. probans ſummæ eſſentiæ locutionem non eſſe aliud ab ipſa ſumma eſſentia, dixit de illa: *Quidquid fecit, per intimam locutionem ſuam fecit; ſiue ſingula ſingulis verbis, ſiue potiùs vno verbo ſimul omnia dicendo.* Itaque tunc indefinitam reliquit eam quæſtionem: quoniã ibi non ſpectabat ad ſcopum ſibi præfixum. Nunc verò cùm maximè ſit è re huius tractationis, in quâ nominatim de locutione & Verbo eſt ſermo, illam excitat, & dirimit ex doctrina capitis præcedentis. Ibidem enim demonſtratum fuit, eam ſummæ naturæ locutionem ita eſſe conſubſtantialem ipſi, vt non ſint duo, ſed vnus ſpiritus. Ratio autem ne ſint duo ſpiritus, ſed vnus, quæ deſumitur ex ſumma ſimplicitate Dei, pariter probat, nec Verbum, ſive locutionem eſſe duplicem, ſed vnam. Si enim duplex locutio in Deo eſſet, ex vtraque coaleſceret ſummus ſpiritus: atque adeò in eo eſſet compoſitio aliqua, non autem ſumma ſimplicitas contra quàm demonſtratum fuit ſuprà cap. 25. Non ergo in Deo eſt duplex locutio, ſed vnica; & conſequenter nec duplex Verbum, ſed vnum.

26 IDEM Quantum diſcrimen verbi creati ab increati ab increato eruitur, præterea ex d. ſectione præcedenti. Mens enim creata, cùm finita ſit, parit ſubinde verbum finitum: atque adeò limitatum & diviſum iuxta veritatem obiectorum, quæ intra ſe exprimit. Quemadmodum enim ob limitationem ſuam nequit vnica cogitatione omnia cognoſcere, ſed pluribus & omnino diſtinctis; ita nec exprimere vno verbo, ſed pluribus. Deus autem, cùm ſimpliciter infinitus & illimitatus ſit, omnia per vnicum mentis ſuæ actum perfectè & comprehenſivè novit: proindeque ea omnia, non per duplex aut multiplex, ſed per vnicum Verbum, & in vnico Verbo exprimit. Quæ ratio diſcriminis eſt planè demonſtrativa.

27 IDEM Præterea colligunt Patres ex illis verbis Pſalmi 61. v. 12. *Semel locutus eſt Deus.* quia, nimirum, in illo non non ſunt plura verba, ſicuti in nobis, ſed vnũ. Ideo aiebat Bernardus loco iam allegato ex Sermone in verba Abacuc: *Semel locutus eſt Deus: ſemel vtique, quia ſemper. Vna enim, & non interpolata ſed continua & perpetua locutio eſt.* Ergo & vnicum Verbum. Quare impijſsimum Arium olim obijcientem, Deum multos habere ſermones, & inquirentem, quiſnam ex ijs eſſet Dei Filius, refellit Athanaſius: nam Hæreſiarcha ille perinde exiſtimabat de Deo, ac de homine, ὥσπερ ἐπ ἀρχοντος εἷς τὸν ἐν τῷ θεῷ λόγος, &c. *Quaſi non ſufficiat vnum ex Deo Verbum ad omnem ex voluntate Patris creationem, & providentiam implendam. Si enim Deus plura verba loquitur, hoc ipſum imbecillitatem omnem arguit; quod vnumquodque vſum alterius præſtare nequeat. Sin Verbo vnico dicatur vti, quemadmodum reverà vtitur; hoc & ad oſtendendam*

dam Dei virtutem pertinet, & Verbi perfectionem, quod ab illo prodijt.

28 DEINDE Idem Athanaſius lib. 5. contra Arianos vnitatem Verbi divini ex vnitate divinæ ſubſtantiæ colligit, dicens: ὥσπερ γὰρ μία οὐσία ἡ ἀρχή, οὕτως εἷς οὐσιώδης, καὶ ὑφεστὼς ὁ ταύτης λόγος, καὶ ἡ σοφία. *Sicut enim vna ſubſtantia eſt principium, ſic vnum eſt eſſe ſubſtantiale, & ſubſiſtens eius Verbum, ac ſapientia.* Quòd ſi verò opponas, etiam in vnoquoque noſtrûm ſubſtantiam eſſe vnam, & tamen verba plura exiſtere; ac proinde eam Athanaſij rationem aut nihil, aut nimium probare: Reſpondeo, illam optimam eſſe iuxta ſubiectam materiâ, in qua ſola procedit. Loquitur enim de ſubſtantia divina, eiuſque ſapientia, & Verbo ſubſiſtente. Hoc autem ipſo quòd in divinis ſubſtantiale eſſe ſit vnum perfectiſsimè in tribus perſonis, Verbum quoque deber eſſe in ijs perfectiſsimum, & vnum, ac per ſe ſubſiſtens, quale non eſt verbum creatum, quod habet eſſe accidentarium & prolatitium. Rurſus. Ex eo quòd in divinis perſonis ſubſtantia ſit perfectè vna, evincitur ſapientiam ipſius pariter vnam eſſe, ac proinde intellectionem, & locutionem. Ergo & Verbum illius non duplex, aut multiplex, ſed vnum eſt.

SECTIO VI.

Multipliciter accipi nomen Verbi iuxta ſacras litteras. Errores quorundam hæreticorum indicati, & reiecti circa Verbum Dei, eiuſque vocis acceptionem.

29 ANSELMVS In hoc ipſo capite, & ſequentibus, paſsim Filium appellat *Verbum*, nec qualecumque Verbum, ſed illud nominatim, *per quod facta ſunt omnia.* Vt autem id penitiùs intelligatur, obſervandum eſt *Verbum* in Scriptura ſacra diverſimodè accipi. Primò & frequenter, pro qualibet re, quæ ſignificari poteſt per *Verbum.* Sic 1. Reg. 3. dicitur ad Heli: *Ecce ego facio verbum in Iſrael, quod quicumque audierit, tinnient ambæ aures eius.* Similiter Exodi 9. *Cras faciet Dominus verbum iſtud.* Sunt & alia eiuſmodi teſtimonia ſatis obvia. Secundò, & frequentiùs adhuc, accipitur pro voce, ſigno, ſcriptura, aut nutu, prolatis ex ex intentione ſignificandi internos mentis cõceptus. Tertiò vſurpatur *Verbum* nonnunquã pro imaginatione vocis, ſive pro actu illo imaginativæ facultatis, quo percipimus vocem ipſam. Quartò denique ac proprijſsimè accipitur *Verbum* pro conceptu intimo mentis: in quo differunt λογός, & λέξις. Nam, vt probat Ammonius ex libro 3. Platonis de Republ. *logos* eſt *dianía*, vel cogitatio: *lexis* verò *apangelía*, id eſt, oratio interpres cogitationis. Iuxta hanc poſtremam ſignificationem intelliguntur plura Scripturæ loca: vt Iob 4. *Conceptum ſermonem tenere quis poterit?* Pſalm. 13. *Dixit inſipiens in corde ſuo.* Eccleſiaſtici 1. *Locutus ſum in corde meo.* Sapientiæ 2. *Dixerunt impij apud ſe non rectè cogitantes.* Sunt & alia eiuſmodi loca obſervata ab Auguſtino lib. 15. de Trinit. cap. 10. Vide plura ex Anſelmo infrà num. 40.

30 PORRO Scriptura eadem ſæpe Filium Dei, ſive perſonam à Patre procedentem, appellat *Verbum.* Circa cuius ſignificationem, ac ſenſum, quamplurimi Hæreſiarchæ cœcutierunt, & nunc etiam aliqui Imprimis Valentinus, teſte S. Irenæo lib. 2. cap. 1. inter plura alia deliramenta, & illud potiſsimè, quo ſomniavit triginta æonas, ſive ſæcula, à Deo prodeuntia, tripliciter erravit circa Verbum Dei. Primò enim dixit, Verbum non eſſe Filium Dei, nec ex illo veluti Filium immediatè proceſsiſſe: ſed priùs productam fuiſſe mentem ex coniugio profundi, ſive innarrabilis, tanquam patris, & ſilentij tanquam matris, veluti vnigenitum filium; deinde cum mente productam fuiſſe veritatem; ac denique ex mente & veritate proceſsiſſe Verbum. Secundò finxit, id Verbum non ab æterno extitiſſe, ſed ex tempore. Tertiò eſſe verbum prolatitium, ſive prolatione genitum. Verùm eas hominis inſanias refellit Irenæus ibidem, ac poſtea in verbum prolatitium invehitur lib. 2. cap. 48. & lib. 5. c. 18. circa quod nonnulla obſervabimus in progreſſu. Sed & Valentini gregales poſtea in decem ſectas circa id diviſi ſunt, quas diſtinguit Epiphanius Hæreſi 71. aliquantò poſt medium: ac longè pòſt ait, iuxta deliramentum Valentini ex quaternario illo innarrabilis, & ſilentij, & Patris, & veritatis, productum fuiſſe Verbum. Eandem hæreſim breviùs commemorat Theodoretus lib. 1. hæreticarum fabularum cap. 10. & lib. 5. Epitomes divinorum decret. cap. 2. atque Auguſtinus lib. de Hæreſibus hæreſi 11. vt omittã tam Recentiores, qui contra Hæreſes ex profeſſo ſcripſerunt. Vide Diſp. LXXXII. à n. 4.

31 SECVNDO Alij ſubſcripſerunt Valentino in aſſerendo, Verbum Dei eſſe prolatitium, ſive ſermonem ore prolatum, ideoque non Verbum ſubſtantiale, nec Filium Dei. Ita Paulus Samoſatenus, de quo iam plura in ſuperioribus diximus, apud Epiphanium Hæreſi 65. & 73. & Philaſtrium in catalogo 2. de hæreſibus ſub Apoſtolis. Conſenſerunt eidem errori Photinus, & qui ab eo cognominatĩ

ſunt

ſunt Photiāni, pariter exiſtimantes Verbum Dei prolatitium. Quod de ijs teſtantur idem Epiphanius Hæreſi 71. & Philaſtrius vbi nuper n. 18. Verùm iam ſuprà Diſp. LVII. oſtenſum eſt manifeſtè ex ſacris litteris, Verbum Dei eſſe ſubſiſtentem perſonam, diſtinctam à Patre, ac proinde non Verbum prolatitium, ſed ſolidum, & *ſummæ naturæ conſubſtantiale*, vt loquitur Anſelmus in hoc capite.

32 TERTIO Marcellus, cùm negaret myſterium Trinitatis, addebat, quandam extenſionem diuinitatis Patris veniſſe ad Chriſtum, eamque appellari Verbum: qualiter & huius extenſionem ad Apoſtolos dicebat eſſe Spiritum ſanctum. Ita de illo teſtatur Theodoretus lib. 2. hæreticarum fabularum cap. penult. Verùm errorem hunc ſatis refutavimus Diſp. LVII. nuper allegata, vbi oſtenſa fuit ſolida diſtinctio trium perſonarum ſubſiſtentiū in divinis. Deinde reijcitur. nam vel extenſionis nomen accipit propriè: & hoc ſenſu, cùm ſit aliquid ſpectans ad corpus, ſive ad quantitatem molis, profectò nullum habet locum in Deo, qui purus ſpiritus eſt. Si autem accipiatur metaphoricè pro donis ſpiritualibus, quæ à Deo communicantur, patet, ijs nulla ratione convenire vt ſint Verbum Dei, præſertim Verbum illud, per quod facta ſunt omnia, vt Ioannes Evangeliſta loquitur.

33 QVARTO Aliqui ex diſcipulis Pauli Samoſateni tradiderunt errorem ab Athanaſio relatum Orat. 5. contra Arianos his verbis: *Quidam ex diſcipulis Samoſatenſis, diuidentes Verbum à Filio, dicunt, Filium quidem eſſe Chriſtum, Verbum tamen alium: eiuſque occaſionem accipiunt ex actis Petri dicentis: Verbum miſsit Deus Filijs Iſrael, pacem annuntians per Ieſum Chriſtum. Hic eſt omnium Dominus. Aiunt enim, Verbum, ita loquutum per Ieſum Chriſtum, quemadmodum etiam in Prophetis loqui ſolet: ac proinde aliud Prophetam eſſe, aliud Dominum.* Ac deinde paulo pòſt obſervat, eoſdem non conſtitiſſe ſibi in eo errore, dum aiebant, ante Verbum fuiſſe divinam Incarnationem. Sed enim Verbum ipſum non eſſe aliā perſonam à Chriſto patet ex Evangeliſta dicente: *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis, &c.* Vbi de eodem illo Verbo, quod erat apud Deum & Deus, ſubiungit fuiſſe carnem factum, & habitaſſe inter homines, & ab ijs viſum. Is autem eſt planè Chriſtus Ieſus, eodem Evangeliſta atteſtante, & Vnigenitus Filius æterni Patris. Non ergo Filius eſt alius à Verbo. Ad auctoritatem verò Petri Apoſtoli, cui innititur error contrarius, iam reſpondimus cum eodem Athanaſio ſuprà Diſput. LVII. num. 28. nec repetere oportet.

34 QVINTO Porphyrius, teſte Theophylacto in 1. caput Ioannis ad illa verba, *Hoc erat in principio apud Deum*, impugnabat Verbum divinum, quaſi nec eſſet prolativum, nec mente conceptum. Videtur autem idem omnino eſſe error Alogianorum, denominatorum ab ἀ privante, & λογω, tanquam ſive Verbo; ſive inſtar animalium mutorum, quæ propterea Græcè dicuntur aloga. Verùm cùm ij apertiſsimè refellerentur teſtimonio Evangelij Ioannis aientis, *Et Verbum erat apud Deum, &c.* Similiterque Epiſtolæ, & Apocalypſeos, vbi diſertè nominatur Verbum Dei; eorum ſcriptorum auctoritatem negabant. Quod ſatis indicat Epiphanius Hæreſi 51. prope initium, vbi referens eundem errorem, ait, ſectatores illius reieciſſe libros Ioannis Apoſtoli, quos & planè intelligit Philaſtrius in 2. catalogo ſub Apoſtolis num. 13. nomine eorum, qui Evangelium & Apocalypſim Ioannis negarunt. Auguſtinus lib. de Hæreſibus hæreſi 30. appellat illos Alogianos. Verùm ij, cùm aliunde proferrent nomen Chriſtianorum, planè exuebant illud negata auctoritate Evangelij Ioannis, quæ profectò ſumma eſt, & ſemper fuit apud Chriſtianos omnes. Deinde ſunt alia Scripturæ teſtimonia, in quibus eſt mentio expreſſa Verbi divini: præſertim apud Iſaiam cap. nono, dum dicitur: *Verbum autem Domini manet in æternum.*

35 SEXTO Arius, inſtar Alogianorum, negabat Verbum, aut aiebat illud non eſſe Filium: vt legere eſt apud Athanaſium lib. de decretis Nicænæ Synodi col. 2. & 5. Qui tamen in Epiſtola de ſententia Dionyſij poſt medium teſtatur, eundem Arium diſtinxiſſe duo Verba: alterum in Deo exiſtens, quod eſt ſapientia itidem exiſtens in Deo: alterum verò extraneum à Patris ſubſtantia, de quo ſolo fuerit locutus Ioannes dum dixit: *In principio erat Verbum*: ſimiliterque Apoſtolus dum ait: *Chriſtus Dei Virtus, & Dei ſapientia.* Propterea què idem Arius in Sotadeis canticis, & in Thalia, illudens Catholicis, qui Filium Dei appellabant λόγον, id eſt, Verbum, dixit: πολλοῦς λαλεῖ λόγους ὁ θεος. ποῖων αὐτῶν ἆρα λέγομεν ἡμεῖς, καὶ λόγον μονογενῆ τοῦ πατρός; id eſt: *Multa Verba loquitur Deus. Quonam igitur ex iſtis Verbis Filium, & Verbum Vnigenitum Patris eſſe dicimus?* Verùm cùm idem Ioannes, ſimiliterque Apoſtolus, Verbum illud, de quo loquuntur, dicant Deum, & intra Deum manens, & vnum cum Patre, & cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratum, ſe eſſe æqualem Deo; refutatur apertiſsimè blaſphemia Arij. Neque enim ea epi-

epitheta cadere poſſunt in Verbum diſsituur & extraneum à Patre, ſed proprium, & ipſi homouſion vnicumque.

36 SEPTIMO Eunomius, teſte Cyrillo lib. 7. Theſauri cap. 4. & lib. 1. in Ioannem cap. 4. & 7. loquens de Chriſto aiebat: *Verbum a Scripturis dicitur, non quia ex Patre ſecundùm naturam ſit, aut quia ipſe Filius ſit intrinſecum atque inſitum Patri Verbum: ſed quia Patris Verbum audiens nobis enuntiat: ſicut ſanctificatio dicitur, quia ſanctificat.* Verùm, vt hæretici inconſtantes ſunt, & erroribus non ſatis cohærentibus implicantur, idem Eunomius cenſuit cum alijs Arianis, omne verbum eſſe prolatitium: ideoque vt contra Valentinum hæreticum ſuprà relatum oſtenderet verbum prolatitium non eſſe Dei Filium, abſolutè colligebat, non eſſe Verbum. Ita de ijs teſtatur idem Cyrillus lib. 7. allegato cap. 3.

37 VERVM Ioannes in Evangelio vtramque perfidiam planè refellit, dum Verbum illud, quod erat apud Deum & Deus, appellat Vnigenitum à Patre. Vbi manifeſtè oſtendit, Verbum eſſe eiuſdem Patris Filium ſecundùm naturam, eique intrinſecum. Alioqui nec eſſet apud Deum, nec Deus, nec Vnigenitus Patris. Indidem quoque exploditur alia pars erroris de verbo prolatitio. Hoc enim non eſt ſubſiſtens, & impulſu labiorum pariter, ac ſonat, evaneſcit, quoniam ab homine mortali profertur. Verbum autem divinum, ſicuti à Patre æterno procedit, qui naturâ ſuâ æternus & immortalis eſt, ita etiam nunquam moritur, ſed permanet, æternumque ſubſiſtit. Propterea Gregorius Nyſſæ Antiſtes lib. 12. contra eundem Eunomium aiebat: *Etſi Dei Verbum appelletur, non in eius, qui loquitur, impulſu conſiſtere putabitur, vt ad modum noſtri in nihilum evaneſcat. Sed vt natura noſtra mortalis, mortale & ipſa verbum habet: ſic immortalis & ſemper manens natura,* ἀΐδιον ἔχει, καὶ ὑφεστῶτα τὸν λόγον, id eſt, *ſempiternum habet & ſubſiſtens Verbum.* Vide quæ ſuprà num. 24. præmiſsimus, & plura quæ circa id obſervat eruditiſsimus Petavius lib. 6. de Trinit. cap. 1.

38 OCTAVO Sabelliani apud Athanaſium Orat. contra gregales Sabellij col. 1. *Deo tale Verbum adſcribunt, quale homines in ſua mente concipiunt: ideoque vnam perſonam Deum* (ſcilicet, Patrem) *cum Verbo aſſeverant.* Nimirum, in nobis verbum mente conceptum non eſt perſona diſtincta ab intelligente. Cæterum Verbum ſeu Filium Dei eſſe perſonam diſtinctam à Patre, ſicut & à Spiritu ſancto, iam ſuprà Diſp. LVII. ſect. 4. oſtenſum fuit.

36 VLTIMO Michael Servetus, id eſt, monſtrum quoddam ex plurimis Hæreſiarchis compactum, anno M. D XL. inſtauravit præcedentes errores Eunomij, & Sabellianorum, eoſque in vnum coniungens dixit, *Verbum Dei eſſe diſpoſitionem, qua placitum eſt ei, arcanum voluntatis ſuæ nobis revelare.* Præterea ait, Chriſtum D. appellari Verbum, ſive ſermonem Patris, quoniam mentem eius declarat. Quamvis autem in vindictam eius perfidiæ, aliarumque circa myſterium Trinitatis, vivus Genevæ combuſtus fuerit, anno M. D. LV. vt alibi monuimus, non propterea abſterruit alios, ne eandem impietatem effutirent: quales fuerunt Georgius Blandata, & Franciſcus Davidis, alijque diſcipuli Tranſylvani, quos indigitant Valentia in Controverſijs lib. 1. de Trinitat. cap. 2. & Bellarminus Tomo I. lib. 1. de Chriſto cap. 6. Verùm qui perlegerit locum nuper à nobis indicatum Diſput. LVII. præſertim ſect. 4. deprehendet planè ex ſacris litteris, quanta ſit cæcitas eorum omnium hæreticorum. Præivit autem ijs omnibus Origenes Tomo ſeu libro primo in Evangelium Ioannis, vbi fusè conatur ſuadere Chriſtum D. non propriè, ſed metaphoricè ſolùm appellari Logon, ſive Verbum Dei: quemadmodum dicitur lux, agnus, oſtium, & alia eiuſmodi. Alij verò ex Patribus, qui in ſubſidium eiuſdem erroris allegari ſolent, longè alio ſenſu loquuntur, vt oſtendunt Auctores allegati, & præterea Ruiz diſput. 55. de Trinitate.

SECTIO VII.

Verbum non metaphoricè, ſed propriè in ſacris litteris accipi de Filio Dei, iuxta ſenſum communem Anſelmi, & aliorum Patrum. Corollaria obſervatu digna.

40 DICENDVM itaque eſt, Filium Dei, non metaphoricè, aut tralatitiè, ſed propriè ac veriſsimè Verbum appellari. Aſſertio hæc apud omnes Theologos ita certa eſt, & adeò illigata cenſetur cum doctrina revelata, vt erroris notetur tam opinionem, quæ metaphoricè vel impropriè accipit de Filio Dei rationem Verbi. Ideoque Anſelmus paſsim ferè à capite 30. in quo verſamur, vſque ad 40. aut ſupponit, aut probat, rationem Verbi propriſsimè Filio Dei convenire. Quare eodem cap. 40. aliàs 39. ita concludit: *Si ergo Verbum ſummi Spiritus ſic eſt omnino ex ipſius ſola eſſentia, & ſic ſingulariter eſt illi ſimile, vt nulla proles ſic ſit omnino ex ſola parentis eſſentia, aut ſic ſimi-*

mi

milis parenti: profectò nullis rebus tam conuenienter videtur aptari habitudo parentis & prolis, quàm Summo Spiritui, & Verbo eius. Similiter ſuprà cap. 9. præmiſerat: *Nullum aliud verbum ſic dicitur rei ſimile, cuius eſt verbum, aut ſic eam exprimit, quomodo illa ſimilitudo, quæ in acie mentis rem ipſam cogitantis exprimit. Illud igitur iure dicendũ eſt maximè proprium verbum.* Quibus verbis pulchram rationem eius dogmatis profert: quia Verbum propriè acceptum, id eſt, iuxta quartam acceptionem ſuprà num. 29 explicatam, eſt proles quædam mentis expreſſa per modum ſimilitudinis. Ergo tanto magis propriè erit Verbum, quanto magis perfectè ac propriè fuerit proles mentis expreſſa per modum ſimilitudinis. Atqui Filius Dei præ omni alio filio, & præ omni alia intellectuali ſobole, eſt proles mentis paternæ expreſſa per modum ſimilitudinis: vtpote ſecundùm eandem omnino eſſentiam cum Patre, & tanquam ipſi homoûſios, ſive conſubſtantialis: quod nulli alteri filio, aut verbo mentis creatæ competit. Ergo Filio Dei proprijſsimè, & præ omni alio, competit ratio Verbi. Quod ipſum expreſsè docet ac probat eâdem ratione infrà cap. 45. aliàs 46. dicens: *Liquet enim, Filium Dei eſſe verum Verbum &c.* Et c. 37. ait: *Verbum hoc ipſum, quod Verbum eſt, aut imago, ad alterum eſt: quia non, niſi alicuius Verbum eſt, aut imago.* Patet verò, hæc omnia, non tralatitiè, ſed propriè convenire Filio Dei.

41 FVNDAMENTVM Præcipuum deſumitur ex toties memorato Evangelio Ioannis cap. 1. aientis: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, &c.* Ac denique: *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis. & vidimus gloriam eius (gloriam, quaſi vnigeniti à Patre) plenum gratiæ & veritatis.* Vbi cùm Ioannes Apoſtolus exhibeat toti Eccleſiæ formulam credendi in Filium vnigenitum Dei, ac notitiam ſalutarem ipſius, vſus eſt toties nomine *Verbi* ad illum exprimendum. Ergo nomen *Verbi* eſt propriſsimum ipſius, nõ autem tralatitium, vel metaphoricum. Alioqui immeritò Evangeliſta, initio, ſeu in ipſo limine doctrinæ Chriſtianæ obtrudiſſet metaphoram. Quin & dum toties Verbo adiungit *erat*, nec indicat Filium Dei appellari *Verbum*, ſed repetit *eſſe Verbum*; planè denotat, rationem Verbi propriè convenire Filio Dei. Quod ſapienter obſervavit Cyrillus lib. 7. Theſauri cap. 1. paulo poſt initium, dicens, ideo ſic toties vſum Verbi nomine, *vt hoc nomen, quaſi propriũ Filij, elegiſſe videatur: In principio, inquit, erat Verbũ, & Verbum erat, &c. Videſ quomodo ipſum eſſe Filij ſecundùm naturam hoc nomen ſignificat.*

42 CONFIRMATVR Idipſum multipliciter. *Primò.* Quia cùm præcipuum ſubiectum Evangelij Ioannis, ſit Filius Dei caro factus, non niſi abſurdiſsimè exprimeretur toties nomine metaphorico & improprio. Nimirum, vbi in opere aliquo tractatur de re gravi, ſubiectum tractationis totius debet exprimi proprio nomine, non extraneo & metaphorico. Quanto magis, vbi tractatio ipſa eſt de re ſummi momenti, & in qua exhibetur formula fidei divinæ ad ſalutem omnino neceſſariæ? Cùm ergo Ioannes præcipuum Evangelij ſubiectum toties appellet Verbum, non eſt putandus id nomen veluti metaphoricum vſurpaſſe, ſed tanquam germanum & proprijſsimum accepiſſe. *Secundo*: Quoniam, vt obſervat idem Cyrillus vbi ſuprà, *fruſtra miramur Euangeliſtam, & quaſi magnum quid proprium tonaſſet, tonitrui filium appellamus, niſi Verbum quaſi proprium, mirabile & inauditum pronuntiaſſet.* Cui conſonat quod fertur, montem Epheſo vicinum edidiſſe ingentem ſonitum cùm Ioannes ſcriberet initiũ ſui Evangelij. *Tertiò.* Alioqui liceret pariter dicere Evangeliſtam eo loci metaphorâ vſum, vbi de carne aſſumpta à Verbo loquutus eſt: ac proinde dici poſſet, carnem Verbi eſſe impropriè & metaphoricè carnem. Quod patet, eſſe hæreticum. *Quartò*: Quia alioqui pariter licuiſſet Ioanni dicere, *Agnus caro factus eſt*, vel etiam, *Vitis vera caro facta eſt*: ſicut licuit dicere: *Verbum caro factum eſt.* Illud autem vtrumque eſt planè abſurdum: quoniam Chriſtus dicitur *agnus*, ſicut & *vitis vera*, ſolùm per metaphoram. Ergo pariter poſtremũ ex ijs fuiſſet abſurdum, ſi ratio Verbi acciperetur de Filio Dei per metaphoram. *Quartò.* Si enim Chriſtus ſolùm per metaphoram diceretur ab Evangeliſta Verbum, quia exponit aut declarat hominibus voluntatem Patris; ratio Verbi non ſignificaret perſonam divinam, ſed ſolùm munus illius: ſicuti dum Baptiſta ait de ſeipſo, *Ego vox clamantis in deſerto*, vox accipitur non de perſona, ſed de munere exercitioque. Ergo ratio Verbi in Chriſto non ſignificaret propriè ſuppoſitum accipiens carnẽ, ſed dumtaxat munus exercendum per carnem. Conſequens autem patet eſſe falſum, & contrarium teſtimonio Evangeliſtæ: vbi de Verbo illo, quod in principio erat, & erat apud Deum, & Deus ſubiungit: *Verbum caro factum eſt.* Vbi apertiſsimè ſignificatur, illam ipſam perſonam, quæ eſt & erat Verbum divinum, aſſumpſiſſe carnem. Ergo ratio Verbi nõ accipitur metaphoricè pro munere declarandi hominibus voluntatem Patris, vt hæretici illi ſu-

ſuprà notati effutiebant, ſed propriè pro perſona Filij, ſive Verbi. QVINTO. Non tam Verbum caro factum fuiſſet, quàm Filius factus fuiſſet Verbum: ſiquidem iuxta errorem contrarium, ratio Verbi non præcedit aſſumptionem carnis, ſed illam ſequitur, cùm dicatur, non eſſe nomen perſonæ, ſed muneris in carne exercendi à Filio illam præcedente. Ergo potiùs Filius tranſivit ad munus Verbi, quàm Verbum tranſierit in aſſumptionem carnis: ac proinde non tam Verbum fuit caro factum, quàm Filius factus fuit Verbum. quod apertè repugnat Evangeliſtæ.

43 VLTERIVS Id conſtat ex alijs locis eiuſdem Ioannis. Nam in 1. Epiſt. c. 5. ait: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus.* Vbi quemadmodum nomine Patris, & Spiritûs ſancti, accipiuntur perſonæ, quibus propriè competit ratio Patris & Spiritûs ſancti: ita etiam cenſeri debet, rationem Verbi ſecundæ ex ijs, nempe Filio, verè ac propriè cõvenire. Præſertim, quia cùm eę perſonę dicantur *tres*, ad ſignificandam illarum pluralitatem diſtinctionemque, oportuit vt ſingulis tribueretur nomen, non tralaticium, aut metaphoricum, ſed proprium. Ac ſanè quemadmodum verba immedia è ſequentia, *Et hi tres vnum ſunt*, non poſſunt intelligi de vnitate metaphorica, ſed propria, & eiuſdem numero ſubſtantiæ in tribus perſonis: ita etiam ratio Verbi, quæ de ſecunda illarum præmiſſa fuit immediatè, non, niſi propriè, accipienda eſt. Huc ſpectat illud eiuſdem Ioannis Apocalypſis 19. *Vocabat nomen eius Verbum Dei*, quod ſanè meliùs intelligitur de nomine proprio, quàm metaphorico: ſicuti & Eccleſiaſtici 1. dum dicitur: *Fons ſapientiæ Verbum Dei in excelſis.* quo indicatur, Verbum Dei peculiari ratione ſpectare ad ſapientiam, ſive intellectionem divinam: nimirum, tanquam fœtum, ſive ſobolem intellectionis, quod eſt proprijſsimum Verbi. Et ſanè, cùm quævis verba Scripturæ debeant accipi in ſenſu proprio, vbi nullum ſequitur abſurdum, iuxta tritam regulam Auguſtini; quanto magis vbi toties repetitur, & tam ſæpe de Filio Dei legitur ratio Verbi? Itaque patet, Filio Dei rationem Verbi proprijſsimè convenire. Quod non modò tradit Anſelmus impræſenti, ſed etiam communiter Eccleſiæ Patres: ſpeciatim verò Cyrillus ſuprà allegatus, Clemens Romanus Epiſt. 1. ad Iacobum fratrẽ Domini circa medium. Athanaſius Orat. 2. contra Arianos, Baſilius lib. 3. contra Eunomium, & alij plures allegandi Diſput. ſequenti ſect. 2. Vnde qui rationem Verbi in Deo metaphoricè interpretati ſunt, ceciderunt in tot errorũ monſtra, quot initio ferè huius ſectionis indicavimus & reiecimus.

44 COLLIGITVR I. Nimiùm à vero aberrâſſe nonnullos, qui apud Canarienſem 1 par. quæſt. 27. art. 1. diſp. 3. opinati ſunt, Verbũ propriè ſolùm dici de vocali: quaſi mentale dumtaxat appelletur Verbum extenſionè aut metaphora quadam. Sequitur enim exinde, rationem Verbi non propriè convenire Filio Dei, ſed ſolùm metaphoricè: cuius oppoſitum hactenus ex ſacris litteris demonſtratum eſt. Quin & independenter ab eo abſurdo ratio Verbi potiùs competit mentali, quàm vocali: nam verbum vocale eſt mera vox aut ſignum adinventum ad ſignificandum conceptum mentis intra ſe loquentis aliquid, & exprimentis. Quod optimè & opportunè obſervavit Magnus Auguſtinus lib. 15. de Civit. c. 11. dicens: "Verbum, quod foris ſonat, ſignum eſt verbi, quod intus lucet, CVI MAGIS VERBI COMPETIT NOMEN. Nam illud quod profertur carnis ore, vox verbi eſt: verbumque ipſum dicitur propriè illud, à quo, vt foris appareret, aſſumptum eſt. Idem ſignificat Damaſcenus lib. 1. Fidei cap. 18. dum ait: λόγος πάλιν ἐστὶν ὁ ἐνδιάθετος, &c. Verbum rurſus eſt naturalis mentis motio, ſecundùm quam movetur, intelligit, & cogitat; veluti lux ipſius exiſtens, atque ſplendor. Verbum deinde eſt internum, & in corde promitur. Et iterum verbum eſt nuntius intelligentiæ. * nimirum, vt ipſe ſubdit, λόγος προφορικὸς, id eſt, *Verbum prolatum.* Itaque ratio Verbi priùs & propriùs competit interno; quàm externo. Alioquĩ Angeli, qui non externis verbis, ſed internis invicem ſua ſenſa exprimunt, non loquerentur propriè, ſed potiùs eſſent muti. Vnde Patres, & Scholaſtici, præſertim Div. Thomas 1 part. quæſt. 34. art. 1. ad 1. rationem Verbi primariò ac præcipuè tribuunt mentali; vocali autem ſecundariò, & per attributionem ad illud. Et ſanè ita intelligendum eſt de Verbo philoſophicè ac theologicè accepto, quidquid ſit de grammaticali.

45 COLLIGITVR II. Filium Dei poſſe rectè dici *ſermonem Dei*, dum tamen idem per *ſermonem* intelligatur, ac per Verbum ſimpliciter & propriè dictum. Ratio eſt: quia in ſacris litteris Hebræorum 42 legitur: *Vivus eſt ſermo Dei & efficax.* Vbi Græcè habetur *logos*, pro eo quod in Vulgato eſt *ſermo*. Sic enim legitur: ζῶν γὰρ ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ καὶ ἐνεργὴς. Vbi Apoſtolum primariò loqui de Filio Dei, quamvis ſecundariò & participatione quadam id accipiatur de doctrina & præceptis Dei, patet ex contextu. nam eidem logo, ſive ſermoni, tribuuntur ibidẽ oculi. quod propriè in Filium Dei, potiùs quàm in præcepta & doctrinã cadit. Ideoque locũ ipſum

de Filio Dei interpretatur Concilium Nicænum lib. 2. ante medium, §. *quomodo*, & longè poſt medium §. *cùm ſit copioſa*, vbi habetur: ὁ λόγος ἀεὶ ζῶν καὶ ἐνεργὴς, καὶ τομώτερος, id eſt, *Verbum ſemper viuens & penetrabilius*. quæ ſunt ipſæ voces Apoſtoli. Eodem modo cum locum intelligunt de Filio Dei Athanaſius Orat. 3. contra Arianos circa finem, Cyrillus lib 2. in Ioannem cap. 37. Ambroſius lib. 4. de Fide ad Gratianum, Auguſtinus Tract. 108. in Ioannem, & alij plures.

46 SVNT Et alia Scripturæ loca, in quibus quod Græcè eſt *logos*, intellectum de Filio Dei, apud Vulgatum vertitur *ſermo*. Tale eſt illud Sapientiæ 18. v. 15. *Omnipotens ſermo tuus de cœlo à regalibus ſedibus*, &c. *proſiliuit*. Vbi Græcè eſt λόγος, qui in Vulgato exprimitur *ſermo*: & in myſtico ſenſu, quamvis non in literali, vt ibidem monet Lorinus, accipitur à multis Interpretibus, immo & ab Eccleſia in ſolemni officio Epiphaniæ, de Verbo divino, tanquam in eo ſit eadem ratio *ſermonis*, & *Verbi*. Similiter quidam ex Patribus differentes de Filio Dei, in aliquibus Scripturæ locis, pro *Verbo* legunt *ſermonem*. qualiter Tertullianus contra Praxeam cap. 7. & 11. initio Pſalmi 44 legit: *Eructauit cor meum ſermonem bonum*. Græcè λόγον ἀγαθὸν, quod Vulgatus reddidit, *verbum bonum*. Eodem modo ea Pſalmi verba legit Cyprianus lib. 2. contra Iudæos cap. 3. Similiter eo loco legit in Iſaia cap. 59. *ſermonem abbreuiatum*, & Pſalmo 32. *Sermone Domini cœli firmati ſunt*: cùm tamen vtroque loco habeatur in Græco λόγος, & in Vulgato Latino *verbum*. Quin & cap. 6. ita legit initium Evangelij Ioannis: *In principio erat ſermo, & ſermo erat apud Deũ*, &c. Denique alij ex Patribus Filium Dei appellavere *ſermonem*: vt Novatianus ſæpè lib. de Trinitate, Hilarius lib. 2. de Trinit. Ambroſius lib. vnico de Fide contra Arianos cap. 2. & lib 1. Hexaem. cap. 9 & lib. 2. cap. 2 Hieronymus in Iſaiam cap 11. & in epiſt. ad Epheſios cap. 1. Auguſtinus Tract. 54. in Ioannem, & Tract. 108 Lactantius lib 4 cap 8. & 9. Remigius ad Hebræos 4. & ipſe Anſelmus in c. 1. Ioannis, Paulinuſque poeticè in Natali S. Felicis dum accinit:

Chriſte Deus Felicis ades: da nunc mihi verbũ
Sermo Deus.

Ruſticus quoque Diaconus initio Diſputationis contra Acephalos ait: *Si ergo modis omnibus ſic Verbum ſempiternum eſt, ſicut Pater, impaſſibiliſque idem Dei ſermo, & invertibilis ſicut Pater*, &c.

47 VERVM Multò frequentiùs, immo & paſſim ijdem Patres, & alij omnes vtuntur appellatione *Verbi*, quàm *ſermonis*, ad perſonam Filij ſignificandam, eiuſque nativitatem exprimendam. Quod perſpicuè & ex profeſſo oſtendit eruditiſsimus Petavius lib 6. de Trinit. cap. 1. allatis in medium teſtimonijs ipſorum Patrum, etiam eorum, qui obiter aut raro inveniuntur Filium Dei appellaſſe *ſermonem*. nam & ij frequenter ac paſsim non, niſi *Verbi* appellatione vſi ſunt: præſertim poſtquam fides Trinitatis luculenter expreſſa fuit in Concilio Nicæno & deinceps. Itaque de cętero parcius, & obiter ſolùm Dei Filium *ſermonem* appellaverunt, omneſque ferè legerunt, vt in Vulgato habetur, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*, &c. Quod longè melius ducere debuiſſet Eraſmus in ſua translatione, quàm vertere: *In principio erat ſermo*, &c. Quam lectionem poſtea ſecuti ſunt Calvinus, Beza, & alij ex Novatoribus. Itaque iuxta communem ſtylum Patrum ac Theologorum Filius Dei potiùs dicendus eſt *Verbum*, quàm *Sermo*: quamvis vtraque ea vox ſatis exprimat quod Græcè eſt *logos*, vbi de Filio Dei agitur Cui etiam voci reſpondet quod in Græco eſt ῥῆμα, & alicubi vſurpatur ab Apoſtolo Hebræorum 1. v. 3. & cap. 11. v. 3. vbi pro Verbo divino ſumitur, vt Cyrillus obſervavit. Anſelmus autem, vt erat venerator Patrum, & ipſorum veſtigijs inhærebat, tum in ſentiendo, tum in loquendo, ſemper vtitur voce Verbi in hiſce capitibus, alijſque locis, ad ſignificandum Filium Dei.

48 COLLIGITVR III. Filium Dei non eſſe Verbum prolativum, ſeu prolatitium, enuntiativum, ore prolatum, prolationemve: quidquid contrà effutierint Valentinus, Paulus Samoſatenus, Photinus, & alij hæretici ſect. 6 notati. Corollarij huius doctrina eſt certa ſecundùm fidem Catholicam, quæ docet, Verbum divinum eſſe ſubſtantiale, immo & conſubſtantiale Patri, ſubſiſtens, vivens, & coæternum ipſi. quæ omnia cadere nequeunt in verbum prolatitium, ſeu vocale; aut ſonum vocis corporeum, ſenſibilem, prolatumque ex intentione ſignificandi, qui in aëra ſpargitur, & evaneſcit: vt per ſe patet, nec vlteriori probatione eget. Sufficit enim initium Evangelij Ioannis toties allegatum ad eam perfidiam rejiciendam, quamvis illam expreſsè non damnaret Concilium Nicænum lib. 2. longè poſt medium in reſponſione, cui initium, *Cùm ſit copioſa*; & præterea Syrmienſis Synodus can. 8. vbi ita cavetur: *Siquis inſitum & prolativum Verbum Dei Filium dicat, anathema ſit*. Hilarius verò lib. de Synodis exponens ea verba canonis ait, ab hæreticis dictum fuiſſe Verbum *inſitum*, id eſt, *per inſitam nobis loquendi naturam prolatum in vocem*. Quo etiam ſenſu Auguſtinus lib 7. de Trinit.

cap.

cap. 1. alijsque locis, veluti hæreticum respuit, quòd Filius Dei dicatur Verbum prolativum: nimirum, in sensu eorum hæreticorum, quem nuper explicuimus.

DISPVTATIO LXII.

VTRVM RATIO VERBI IN DIVINIS SIT ESSENTIALIS, AN POTIVS PERSONALIS?

AD REVERENDISS. ET DOCTISS. P. M. Fr. RAYMVNDVM LVMBIER, Carmelitanæ Religionis in Aragonia iam antea semel & iterum Provincialem, Regium Concionatorem, Supremæ Inquisitionis Censorem, in Cæsarauguſtana Academia iam diu Theologiæ Anteceſſorem Primarium, Virum mentis capaciſsimæ, & varijs ac pluribus voluminibus ediris vbique celebrem, &c.

HAEC *Controversia non excitatur à nobis contra aliquos hæreticorum, qui dixerunt rationem Verbi non personalem, sed essentialem in Deo esse. quales fuere imprimis, Ariani, & Sabelliani, in eo consentientes, vt Verbum in Deo existens nihil aliud sit, quàm eius sapientia, prorsus improducta. quibus consentiunt ex Recentibus Sectarijs Michael Servetus, Blandata, & alij ex Transylvanis. Nimirum, eorum omnium error iam suprà Disput. LVII. latè reiectus fuit, statuta in divinis reali distinctione trium personarum, ex quibus vna sit Verbum. Neque etiam disputamus cum Alogianis hæreticis, qui omne Verbum in Deo negabant, teste Augustino lib. de Hæresibus hæresi 30. Nec denique cum Nestorianis asserentibus, distinctam esse personam Verbi à persona Filij. Nimirum vterque error apertè reijcitur ex cap. 1. Evangelij Ioannis: vbi & statuitur in Deo Verbum, & ipsum appellatur vnigenitum à Patre, & caro factum. Disputatio itaque est inter Catholicos, eaque celebris apud Magistrum in 1. distinct. 27. vbi tractatur à Div. Thom. Scoto, Durando, & reliquis de Schola Theologis: An, nimirum, ratio Verbi propriè sumpta in divinis sit aliquod prædicatum essentiale & proinde commune tribus personis: an potiùs aliquid personale & peculiare Filio Dei.*

SECTIO PRIMA.

Referuntur sententiæ, & præmittuntur aliqua obseruatu maximè digna ad dirimendam controuersiam.

2 DVRANDVS, Vt erat ingenuus, & liber in opinando, quique nullius hominis puri (vt ipse ait in Præfatione ad Commentarios in Magistrum Sententiarum) auctoritatem præferebat rationi, sed potiùs è converso; singulariter in hac controversia opinatus fuit, docuitque, Verbum in divinis solùm dici essentialiter, non autem personaliter, nisi appropriatione quadam, sicuti sapientia in divinis appropriatur Filio, & amor Spiritui san-

ſancto, cùm tamen ſapientia & amor dicantur eſſentialiter. Ita ille in 1. diſt. 27. q. 3.

3 SECVNDA Docet, rationem Verbi verè & propriè Deo convenire, non ſolùm ſecundùm perſonam Filij, ſed etiam quoad prædicatum eſſentiale & commune tribus perſonis. Ita S. Thom. in 1. diſt. 27. quæſt. 2. art. 2. & 4. de Veritate art. 2. Capreolus in 1. diſt. 27. ar. 1. concl. 4 Ferrara 4. contra Gent. cap. 13. Bergomenſis in Tabula Aurea dub. 1060. & 1261. quibus ſubſcribere videtur Valentia diſput. de Trinitat. quæſt. 1. puncto 1. §. 3. & Illuſtriſsimus Godoy 1. part. tract. 12. diſput. 78. §. 3 vbi allegato D. Thom. vtroque loco nuper indicato, docet, rationem Verbi inadæquatè acceptam, eſſentialiter de Deo dici, quamvis adæquatè & propriè accepta ſolùm perſonaliter dicatur, prout ipſe tradiderat §. 1. & 2. eiuſdem diſputationis.

4 TERTIA Aſſerit rationem Verbi in divinis ſolùm eſſe perſonalem, nullo autem modo eſſentialem. Hanc videtur tradere Div. Thomas 1. part. quæſt 34. art. 1. quatenus ait, ſi Verbum propriè accipiatur, ſolùm dici in divinis perſonaliter. Quod ipſum docent omnes ferè Theologi, ſed tamen diverſimodè loquuntur. Etenim plerique Thomiſtarum, quos allegant & ſequuntur ibidem Carmelitani Salmanticenſes, ſolùm diſtinguunt Verbum in communiter & propriè acceptum: ac priori ſenſu aiunt eſſe prædicatum commune in divinis, poſteriori autem perſonale & peculiare Filij. Sed tamen, vt optimè obſervat Ferre quæſt. 12. de Trinitat. num. 260. ea diſtinctione adhibita non ſatis dirimitur controverſia Adhuc enim diſceptatio eſt, An Verbo communiter dicto, quod ij Auctores in Deo admittunt, verè & ſimpliciter conveniat ratio Verbi. Hoc enim ipſi non declarant. Quare luculentiùs & abſolutè alij cum Caietano, Bañez, & Albelda, aiunt rationem Verbi propriè acceptam ſolùm dici in divinis perſonaliter, nullatenus verò eſſentialiter. Idipſum tradit Suarez lib 9 de Trinit. cap. 2. num. 6 Torres 1. part. quæſt. 27. art. 1. quæſt. 3. concl. 1. Molina 1. part. quæſt 34. art. 1. & vberiùs atque eruditè Ruiz diſput. 57. de Trinit. per totam: qui omnes opinionem Durandi, veluti erroneam & in fide periculoſam notant. Quamvis enim Durandus non neget proprium Verbum in divinis, ſed concedat illud in actu eſſentiali intelligendi; ac propterea differat ab hæreticis Alogianis, qui ſimpliciter negabant omne Verbum in Deo: negat tamen rationem Verbi propriè dictam de Filio: quod vix, aut ne vix quidem cohærere poteſt cum doctrina revelata, quæ toties ipſum appellat Verbum, idque nomen ipſi adſcribit tanquam proprium. Vt autem perſpicuè & abſque vocum diſsidio controverſia dirimatur, nonnulla obſervare oportet.

5 PRÆMITTO I. Dum diſquiritur, An Verbum in divinis propriè dicatur ſecundùm rationem eſſentialem, an potiùs iuxta perſonalem, dupliciter accipi poſſe *τὸ propriè*. Primò, quatenus proprium diſtinguitur contra commune: ſecundò, prout diſtinguitur contra improprium, ſive metaphoricum. Priori ſenſu diſtinguimus in Deo prædicata relativa, ſive notionalia, ab abſolutis, ſive eſſentialibus, tanquam propria à communibus: ſicuti, & in qualibet ſpecies aut natura creata rationem differentialem peculiaremque à genericâ & communi; & differentiam individuam à conceptu ſpeciei communi pluribus individuis. Poſteriori autem ſenſu, idem ſignificat *τὸ propriè*, ac verè & ſimpliciter, ſive abſque vllo addito. Hoc ſenſu ſolus homo vivens dicitur *propriè* homo: nimirum, quatenus differt ab homine picto, cui ſolùm per metaphoram, vel ſimilitudinem quandam, convenit ratio hominis: viventi autem verè, ſimpliciter, & ſine addito.

6 PORRO Inter opiniones duas poſtremas id diſcriminis invenio. Secunda enim docet, rationem Verbi in divinis eſſe verè, ſimpliciter, & ſine addito, non ſolùm perſonalem, ſed etiam eſſentialem: ac proinde vtramque vult eſſe propriam, quatenus proprium diſtinguitur contra metaphoricum, ſive tralatitium. Non enim agnoſcit in divinis Verbum aliquod impropriè, aut per ſolam metaphoram dictum. Tertia verò rationem Verbi propriè dictam, proprietate excludente metaphoram, vult eſſe dumtaxat perſonalem, & peculiarem Filij. Itaque rationem Verbi, quæ frequenter à Theologis tribui ſolet eſſentiæ divinæ, prout habet rationem ſpeciei expreſſæ, vult eſſe impropriam ſive metaphoricam. Durandus verò primæ opinionis auctor, rationem Verbi propriè & ſimpliciter dictam, quatenus proprium differt ab improprio ſive metaphorico, videtur tribuere ſoli eſſentiæ divinæ; perſonæ autem Filij rationem Verbi dumtaxat metaphoricam, ſive impropriam. Hæc enim vix differre videtur ab ea acceptione, quæ datur alicui per ſolam appropriationem prædicati ex ſe communis ad aliquod peculiare aut ſingulare.

7 PRÆMITTO II. Verbum propriè & adæquatè dictum eſſe propriam ſoboſem potentiæ locutivæ. Sicuti autem hæc eſt duplex, altera loquens interiùs, nimirum mens; altera autem externas proferens voces: ita etiam verbum aliud eſt mentale, quo intellectus loquitur ſibi, aut alijs; aliud vocale,

quo

quo exteriùs profert conceptiones ſuas, eaſque manifeſtat. Porrò ex ijs duobus Verbis, præcipuum eſt mentale: vtpotè cuius ſignificandi gratiâ inſtitutum eſt vocale, deſerviens veluti inſtrumentum ad illius manifeſtationem. Id palam docet Auguſtinus lib. 15. de Trinit. cap. 11. dicens: * Verbum quod foris ſonat, ſignum eſt verbi, quod intus lucet, cui magis competit verbi nomen. Nam illud quod profertur carnis ore, vox verbi eſt, verbumque & ipſum dicitur propter illud, à quo, vt foris appareret, aſſumptum eſt. Similiter Anſelmus ſuprà cap. 9. ait: Nullum aliud verbum ſic dicitur rei ſimile, cuius eſt verbum, aut ſic eam exprimit, quomodo illa ſimilitudo, quæ in acie mentis rem ipſam cogitantis exprimit. Illud igitur iure dicendum eſt maximè proprium verbum. *

8 QVAMVIS Verò vtrumque verbum conveniat in manifeſtando, ſeu exprimendo aliquid, differunt multipliciter inter ſe. PRIMO, quoniam vocale rem dictam manifeſtat, non natura ſua, ſed ad placitum, ſive ex ordinatione libera alterius: mentale verò ex natura ſua, cùm ſit naturalis imago rei, quam exprimit, manifeſtatve. SECVNDO differunt, quia vocale non eſt actus immanens, ſed tranſiens à principio proferenre in extrinſecum ambiens, in quo formatur ſonus vim ſignificandi habens: mentale verò manet in principio dicente, in eoque manifeſtat rem dictam. TERTIO, vocale non manifeſtat formaliter rem dictam, ſed efficienter, quatenus emittit in organum auditûs ſpeciem ſui repræſentativam, quâ auditor excitatur ad formandum ſibi phantaſma vocis ſignificativæ, vt ex eodem phantaſmate, vel inſtar ipſius, per intellectum agentem eruat ſibi ſpeciem intelligibilem, qua determinatus intellectus paſſivus eliciat verbum mentale, ſive conceptum expreſſum rei ſignificatæ per vocem. Mentale autem verbum manifeſtat formaliter rem, quam exprimit. Sunt & aliæ inter vtrumque differentiæ, quæ ad præſens non attinent. Sicuti autem ratio Verbi præcipuè convenit mentali, vt dictum eſt numero præced. ita etiam exiſtimari debet, dum ex inſtitutione & vſu hominum vtrumque appellatur, *logos*, ſive *verbum*, potiùs eo nomine ſignificari mentale, quàm vocale verbum, ipſi exprimendo aut manifeſtando deſerviens inſtar alicuius inſtrumenti. Inſtitutio enim humana cenſeri debet rationabilis, ac proinde ita, vt per *logon*, ſeu *verbum*, intelligatur præcipuè id, cui potiſsimùm competit formalis ratio per eandem vocem ſignificata.

9 PRÆMITTO III Durandum in 1. diſt. 27. quæſt. 2. num. 26. ex profeſſo docuiſſe, verbum mentale in nobis non diſtingui reipſa ab actu intelligendi. Vnde quæſtione 3. immediatè ſequenti dixit, Verbum in divinis, ſi propriè accipiatur, eſſe ipſam intellectionem communem tribus perſonis: ac proinde non eſſe aliquid perſonale, ſed eſſentiale. Cæterum innumeri alij Auctores, quamvis cum eodem Durando dicant, verbum mentale in nobis non diſtingui reipſa ab intellectione, adhuc firmiter docent, Verbum in divinis propriè loquendo ſolùm dici perſonaliter. Ita Scotus in 1. diſt. 3. quæſt. 8. cum ſua Schola, & multi alij ex Scholaſticis, atque omnes pene Scriptores Societatis, quorum denſum agmen allegavi diſp. 90. de Anima num. 33.

10 THOMISTÆ Autem frequenter docent, verbum in nobis eſſe diſtinctum reipſa ab intellectione, veluti terminum per ipſam productum, in quo intellectus contemplatur obiectum. Hanc illorum ſententiam, veluti conformiorem doctrinæ D. Thomæ, eo loco latè confirmavi, & à contrarijs obiectionibus vindicavi. Et ſanè opportunior illa apparet, vt faciliùs in hac controverſia aſſeratur Verbum in divinis propriè loquendo non eſſe ſitum in intellectione eſſentiali & communi tribus perſonis, ſed in aliquo termino per intellectionem producto: ſicuti verbum mentale in creatis non eſt ſitum in actu intelligendi, ſed in termino aliquo producto per intellectionem.

11 SED Quamvis ſententiam illam olim à me traditam in obſequium D. Thomæ nunc etiam exiſtimem valde probabilem, & ſatis cohærentem teſtimonijs ipſius eo loco allegatis & expenſis; nunc onus ſuſceptum interpretandi fideliter & ingenuè doctrinam S. Anſelmi cogit ad aſſerendum, veluti probabile admodum ex ipſius ſenſu, verbum mentale in nobis non differre ab intellectione, ſeu cogitatione ipſa obiecti. Id enim videtur tradere S. Doctor infrà cap. 33. aliàs 31. vbi ad exponendum quàm convenienter aſſeratur Verbum in divinis perfectè ſimile intelligenti, ita loquitur de verbo noſtri intellectûs: * Nam nulla ratione negari poteſt, cùm mens rationalis ſeipſam cogitando intelligit, imaginem ipſius naſci in ſua cogitatione: IMMO IPSAM COGITATIONEM SVI ESSE IMAGINEM, ad ſui ſimilitudinem tanquam ex eius impreſsione formatam. Quamcumque enim rem mens, ſeu per corporis imaginationem, ſeu per rationem cupit veraciter cogitare, eius quoque ſimilitudinem, quantum valet, IN IPSA SVA COGITATIONE CONATVR EXPRIMERE, &c. * Atque infrà concludit caput: *Habet igitur mens rationalis, cùm ſe cogitando intelligit, ſecum imaginem ſuam ex ſe natam, ID EST,*

COGITATIONEM SVI AD SVAM SIMILITVDINEM, quaſi ſua impreſſione formatam: quamuis ipſa ſe à ſua imagine non, niſi ratione ſola ſeparari poſsit: QVÆ IMAGO EIVS, VERBVM EIVS EST. Itaque iuxta Anſelmum, verbum mentale videtur eſſe ipſa cogitatio habens rationem ſimilitudinis obiecti expreſſæ ab intellectu. Deinde infra cap. 34. aliàs 33. ait: *Opus quod fit ſecundùm aliquam artem, non ſolùm quando fit, verùm antequam fiat, & poſtquam diſſoluitur, ſemper eſt in ipſa arte non aliud, quàm quod eſt ars ipſa.* Si autem verbum mentale operis eſſet imago aliqua diſtincta ab intellectione, vt terminus illius obiectivè intellectus, iam opus in arte eſſet aliud, quàm ipſa ars, ſive intellectio artificioſa, quod Anſelmus negat. Rationes pro hac eadem ſententia exhibebimus, Deo dante, in alia editione Curſus Philoſophici. Interim lege Ruiz diſp. 59 de Trinit. ſect. 3. vbi & argumentis in oppoſitum, præſertim ab auctoritate D. Thomæ, reſpondet ex profeſſo. Verùm præterea accipe verba ipſius D. Angelici in 1. diſt. 27. ar. 1. *In nobis nihil aliud eſt verbum, quàm ſpecies intellecta, vel fortè ipſa operatio intelligendi.* Vbi vtramque opinionem diſiunctivè docet, quaſi neutram earum certam exiſtimet.

12 ITAQVE Vt tueamur ſententiam communem omnium Theologorum, aſſerentium contra Durandum in hac controverſia, Verbum propriè dictum in divinis eſſe perſonale, non alligabimus doctrinam, aut eius probationes, alterutri ex ijs opinionibus circa diſtinctionem aut indiſtinctionem realem verbi creati ab actu intelligendi: ſed abſtrahemus ab ijs, aut qualibet earum ſuppoſita, tuebimur hoc loco ſententiam communem & veram.

SECTIO SECVNDA.

Verbum in diuinis propriè, adæquatè, & ſimpliciter dictum, non eſſe eſſentiale, ſed perſonale, & idem cum Filio, iuxta Anſelmum: cuius ſententia demonſtratur ex Scriptura, Concilijs, & Patribus, ac ratione ex ipſo Sanct. Doctore eruta.

13 ASSERTIO Propoſita in ipſa ſectionis epigrapha, eſt communis omnium Theologorum contra Durandum, & in eo certitudinis gradu, vt cenſeatur dogma theologicum. Nam quamvis multi velint rationem Verbi propriam (quatenus proprium differt à metaphorico) inadæquatè acceptam, dici etiam in divinis eſſentialiter, vt ſectione tertiâ videbimus; nullus tamen ex ijs, quod ſciam, vult, rationem Verbi propriè, adæquatè & ſimpliciter dictam, eſſe eſſentialem, ſed perſonalem tantùm. Quod paſsim ſupponit Anſelmus in omnibus his capitibus, quæ præ manibus habemus, vbi de ſolo Filio accipit propriè & ſimpliciter rationem Verbi: nunquam verò de Patre, aut Spiritu ſancto, nec de Deo abſtrahendo à perſonis. Et, præter plura alia, infrà cap. 37. alias 38. loquens de Filio inquit: *Verbum hoc ipſum, quod Verbum eſt, aut imago, ad alterum eſt: quia non niſi alicuius eſt Verbum aut imago. Et ſic propria ſunt hæc alterius, vt nequaquam alteri coaptentur. Nã ille, cuius Verbũ eſt, aut imago, nec imago, nec Verbum eſt.* Idipſum tradit ex profeſſo toto capite ſequenti. Atqui eſſe imaginem, & eſſe ad alterum, adæquatè propriè & ſimpliciter, nõ eſt aliquod prædicatum in divinis abſolutum ſive eſſentiale, ſed relativum & proprium Filij, vt patet. Ergo eſſe Verbũ in divinis adæquatè, propriè, & ſimpliciter, nõ eſt aliquid eſſentiale vel abſolutum, ſed relativum & proprium Filij. Deinde cap. 45. aliàs 46. ait: *Liquet enim Filium Dei eſſe verum Verbum.* Denique, vt plura alia loca omittam, lib. de Incarn. Verbi cap. 3. non longè ab initio loquens de Patre & Filio ait: *Quæ ſunt ſingulis propria, vt eſt Patri, genitor, vel gignens; & Filio Verbum, vel genitus; his duobus nominibus, Patris, ſcilicet, & Filij, ſignificantur.* Itaque Anſelmus perſpicuè docet, quemadmodum in divinis non eſt prædicatum eſſentiale & commune genitoris ac gignentis, ſed proprium Patris: ita etiam nomẽ Verbi & geniti non eſſe eſſentiale & commune prædicatum, ſed proprium Filij.

14 PROBATVR I. Scripturæ teſtimonijs adeò manifeſtis, vt mirum appareat, Durandum, Catholicum ſanè virum, contrariam opinionem docere auſum. Etenim Scriptura nomen Verbi nunquam tribuit Patri, aut Spiritui ſancto, multoties autem illud accipit nominatim de Filio. Ergo ratio Verbi, ſaltem propriè, adæquatè, ac ſimpliciter accepta, non eſt aliquid eſſentiale ſive commune alijs perſonis, ſed ſolùm notionale & proprium Filij. Aſſumptio quoad priorem partem conſtat: quia nullus apparet Scripturæ locus, nec affertur à Durando, in quo nomen τὸ λόγος, ſeu *Verbi*, tribuatur, aut Patri, aut Spiritui ſancto. Ideoque S. Tho. quæſt. 4. de Verit. ar. 3. dixit: *Scriptura vix, aut nunquam, Verbum, vel imaginem ponit, niſi pro Filio.* Quoad poſteriorem verò partem ſuadetur proferendo in medium teſtimonia Scripturæ, quibus ratio Verbi nominatim tribuitur Filio.

15 PRIMVS Locus eſt ille celebris Ioann. 1. *Verbum caro factum eſt.* At non Pater, nec Spiritus ſanctus caro factus eſt;

eſt, vt fides docet contra hæreticos Patripaſsianos ſuprà Diſput.LIV.ſect 3.notatos : ſed ſolus Filius. Ergo ratio Verbi prædicatur de ſolo Filio. Quòd ſi fortè reſpondeas, Ioannem dicere potuiſſe, *Deus caro factus eſt* ; nec tamen exinde probandum iri, Deum eſſe ſolam perſonam Filij, aut Patrem vel Spiritum ſanctum non eſſe Deum; CONTRA eſt. Ioannes enim eo loco agit de Verbo illo, quod *erat apud Deum*, vt ipſe paulo antè præmiſſerat. Verbum autem quod *erat apud Deum*, eſt perſona diſtincta ab illo, apud quem erat: vt eo loco obſervant Patres communiter contra Sabellianos. Ergo Verbum caro factum, eſt perſona à Patre diſtincta. Si dixiſſet Ioannes ſolùm, *Deus caro factus eſt*, exinde non colligeretur, Filium præ Patre, aut Spiritu ſancto, incarnatum fuiſſe, Non dixit autem, niſi, *Verbum caro factum eſt*. nimirum, illud ipſum, quod præmiſſerat exiſtens apud Deum, ſicuti apud perſonam diſtinctam. CONTRA II. Ioannes enim ſtatim ſubiungit de eâdem perſona Verbi : *Et habitauit in nobis*. Nulla autem perſona divina habitavit in nobis, niſi ſolus Filius : vtpote *in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo*, vt loquitur Apoſtolus Philipp.2 Ergo Ioannes ibi nomine Verbi intelligit ſolum Filium. CONTRA III. Subdit enim Ioannes immediatè de eodem Verbo : *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre*. Vnigenitus autem Patris, ſolus Filius eſt. Verbum ergo eſt ſola perſona Filij. CONTRA denique. Nam idem Evangeliſta ſtatim ampliùs declarat, ipſum Verbum Vnigenitum eſſe Chriſtum Dominum, iuxta teſtimonium Baptiſtæ illis verbis : *Hic erat quem dixi*, &c Et paucis interiectis: *Vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe narrauit*. nimirum, illud ipſum Verbum, ſive Filius Dei homo factus, de quo agit idem Evangeliſta in tota ea ſacra Hiſtoria. Solus ergo Filius Vnigenitus Dei, eſt quem Ioannes vocat Verbum carnem factum. DENIQVE eodèm ſpectant plura alia, quæ habentur in eodem capite. Tale eſt illud : *Omnia per ipſum* (Verbum) *facta ſunt* quæ nominatim de Filio accipit Apoſtolus ad Hebræos 1. & ad Coloſs.1. Tale etiam illud : *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: quæ verba Chriſtus Dominus de ſeipſo accipi vult, dum Ioannis 3.v.18.& 19.& cap.8 v.12. ait, ſe eſſe lucem mundi. Tale denique illud : *In propria venit, & ſui eum non receperunt*. quæ ſoli Filio Dei, ſeu Verbo carni facto, conveniunt. Itaque multiplici demonſtratione theologica ex primo capite Evangelij Ioannis eruta convincitur planè, Verbum ibidem accipi de ſolo Vnigenito Filio Dei.

16 SECVNDVS Locus habetur epiſt.1.eiuſdem Ioannis cap 5. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres vnum ſunt*. Quæ reſpondent ordine ſuo illi alteri loco Matthæi 28. *Baptizantes eos in nomine Patris & Filij, & Spiritus ſancti*. Itaque perſona quæ ſecundo loco numeratur vtrobique, prout diſtincta à prima & tertia, eſt Verbum & Filius. Quare ſicuti eſſe Filium non eſt aliquid eſſentiale aut commune reliquis duabus perſonis, ita nec eſſe Verbum. Vide ſuprà Diſput. LVII. num.44 & Diſp.LIX.num.29. & ſeqq.

17 TERTIVS Habetur eadem epiſtola 1.cap.1.dum dicitur : *Quod fuit ab initio* (nimirum alluſio eſt ad illud, *Verbum erat apud Deum*) *quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de Verbo vitæ*, &c. Vbi planè ſermo eſt de Filio, ſeu Verbo Dei carne facto, quod dumtaxat ratione humanitatis aſſumptæ, ab hominibus videri oculis, & manibus cõtrectari potuit. Subdit deinde: *Annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis*. Vita autem æterna, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis, eſt ipſe Filius, & Verbum quod *erat apud Deum*, & illud ipſum, quod *caro factum eſt, & habitauit in nobis*. Denique ſubdit expreſſiùs Ioannes, ſe eo loco de Patre & Filio agere, dum ait : *vt ſocietas noſtra ſit cum Patre & cum Filio eius IESV Chriſto*. Ergo Verbum vbique à Ioanne accipitur de Filio.

18 QVARTVS Apocalypſis 19. v.13.vbi de Filio Dei ait : *Et veſtitus erat veſte aſperſa ſanguine : & vocatur nomen eius VERBVM Dei*. In Græco habetur : ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ. Quibus verbis ſolùm poteſt intelligi Filius Dei, qui ſanguinem pro nobis fudit, & de quo totum illud caput procedit. Neque occurrit ſatis Durandus dum opponit, eodem ipſo capite paulo antè dictum fuiſſe : *Vocabatur fidelis & verax, & cum iuſtitia iudicat & pugnat*. Patet verò, ea nomina fidelis ac veracis, non eſſe propria Filij, ſed communia tribus perſonis. In oppoſitum enim eſt : quoniam ex modo, quo Ioannes loquitur, conſtat, nomen Verbi non eſſe commune, ſed peculiare Filij. Dum enim ait, illum vocari fidelem & veracem, loquitur de ipſo, ſecundùm effectus exteriores, penes quos ab hominibus denominabatur. Dum autem loquitur de Filio Dei ad intra, ſeu in ſeipſo conſiderato, inquit : *Vocatur nomen eius Verbum Dei*. Præmiſſerat verò immediatè : *Habens nomen ſcriptum, quod nemo nouit, niſi ipſe*. Itaque nomen Verbi eſt proprium nomen Filij Dei, & ipſi ſoli notum : quia lumine naturæ non innoteſcit

exiſtentia Verbi divini, ſed revelatione ſolâ: cùm tamen nomina, ſeu denominationes fidelis ac veracis in Deo innoteſcant & demonſtrentur lumine naturalis rationis. Itaque habemus ex multiplici teſtimonio Ioannis, notionem Verbi, ſaltem propriè, adæquatè, & ſimpliciter dicti, non eſſe aliquid eſſentiale & commune tribus divinis perſonis, ſed peculiare Filij Dei.

19 HVC Spectant alia teſtimonia ex Veteri Teſtamento deſumpta. Eiuſmodi eſt illud Pſalmi 32. v. 6. *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Vbi ſermonem eſſe de tribus perſonis divinis, de Filio ſpeciatim ſub nomine Verbi, frequens SS. Patrum interpretatio eſt. Vide ſupra Diſp. LVIII. num. 25. Similiter Pſalmo 44. v. 1. dicitur: *Eructauit cor meum Verbum bonum.* Quod communiter ſacri Interpretes legendi apud Lorinum, accipiunt de generatione Verbi divini: cui præterea reſpondent verſus ſequentes. Inſuper Pſalmo 106. v. 20. dicitur: *Miſit Verbum ſuum & ſanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum.* Quod certè proprium eſt Filij, & de ipſo nominatim accipitur ab Athanaſio, Nyſſeno, Cypriano, Cyrillo Alex. Euthymio, Ambroſio, & pluribus alijs PP. apud Lorinum, & Ruiz diſp. 57. ſect. 2. Denique huc ſpectat illud Sapientiæ 16. v. 12. *Etenim neque herba, neque malagma ſanauit eos, ſed tuus, Domine, Sermo, qui ſanat omnia.* Vbi τὸ λόγος, ſive *Sermonis* nomine intelligi Verbum divinum in ſenſu myſtico, ſicuti & in loco Pſalmi 106. nuper allegato, obſervat ibidem Lorinus, & Ruiz loco indicato. Itaque vniverſè verum eſt, nomen τοῦ λόγου, ſeu Verbi, in Scriptura non Patri, aut Spiritui ſancto, ſed Filio dumtaxat tribui, veluti ipſius proprium.

20 PROBATVR II. Quia prædictis Scripturæ teſtimoniis, & interpretationi illorum de ſolo Filio Dei, conſonant non modò Patres, qui abſque numero ferè allegari poſſent, ſed etiam ipſi Apoſtoli extra libros Canonicos. Iacobus Maior, ſeu frater Ioannis Zebedæi, apud Clementem Papam lib. 8. Conſtitut. Apoſtolic. cap. 12. prope initium appellat *Filium Vnigenitum Verbum Deum*: ſicuti & cap. 16. *Vnigenitum Verbum.* Neque vnquam aut Patrem, aut Spiritum ſanctum *Verbi* nomine ſignificare invenitur. Iacobus frater Domini in Liturgia Orat. 3. ait: *Domine IESV Chriſte, Dei Sermo.* Ac præterea veluti perſonam eandem vocat Verbum & Filium: nunquam verò Patrem, aut Spiritum ſanctum, eo nomine ſignificat. Ioannes Evangeliſta in regula fidei, quam iuſſu Deiparæ tradidit S. Gregorio Neoceſareæ Epiſcopo, cognomine Thaumaturgo, vt eſt apud Nyſſenum in eius Vita; *Vnus eſt*, inquit, *Pater Verbi viuentis*, tanquam idem ſit eſſe Patrem Filij, ac Verbi: vtpote vnius & eiuſdem perſonæ. Denique Lucas Evangeliſta in liturgia col. 3. ita precatur: *Domine IESV Chriſte Verbum coæternum principio carentis Patris.* Omnes itaque ij nomen Verbi, veluti proprium, adſcribunt Filio.

21 EODEM Modo loquuntur alij Patres Primitivæ Eccleſiæ, ſuppares & contemporanei eorundem Apoſtolorum. Ignatius Martyr in epiſtol. ad Magneſianos, ait: *Per IESVM Chriſtum Filium ſuum, qui eſt Verbum ipſius, non prolativum, ſcilicet, ſed ſubſtantiale.* Similiter in epiſtol ad Philippenſes loquitur de Verbo, veluti de eâdem perſona cum Filio. Clemens Romanus diſcipulus Petri Apoſtoli, eiuſque in Pontificatu ſucceſſor in epiſtol 1. ad Iacobum fratrem Domini loquens de Deo Patre inquit: *Cuius verè Filius eſt Verbum, & ſpeculum, & character, & imago viuens Patris viuentis.* Quæ ſanè omnia Filij ſolius propria ſunt. Et col. 7. fine: *Deus ergo Pater ſecreti Sacramenti vocabulum eſt, cuius verè Filius eſt Verbum.* Dionyſius Areopagita diſcipulus Pauli Apoſtoli lib. de Divin. nomin. cap. 2. dum docet, Verbum Dei aſſumpſiſſe naturam humanam, & illius actiones, ſubdit: *Hæc enim nulla ratione communia ſunt Patris & Filij.* S. Martialis, & ipſe Apoſtolorum diſcipulus, epiſt. 1. ad Burdegalenſes cap. 10. ait: *Verbum, in quod credidiſtis, Filius eſt Vnigenitus ante omnem ſubſtantiam.* Et paucis interiectis: *Spiritus ſanctus eſt procedens à Patre & Verbo.* Omnia autem hæc declarant, iuxta ſacros illos & Apoſtolicos viros, rationem Verbi eſſe propriam & peculiarem ſolius Filij Dei. Hæc teſtimonia S. Martialis ſcio aliquibus ſuſpecta eſſe, quoniam vtraque epiſtola ipſius nomine edita videtur multis ſuppoſititia, atque imprimis Bellarmino lib. de Scriptoribus Eccleſiaſt. ſæculo primo.

22 SIMILITER Loquuntur alij Patres, qui proximiores fuerunt ſæculo Apoſtolorum. S. Iuſtinus Philoſophus & Martyr, qui ſcripſit circa annum Chriſti CL. in Expoſitione Fidei, ſive de recta confeſſione, ante medium allegans verba quædam Pſalmi 32. ait: *Propter imperitiores vtitur etiam perſonarum diſtinctione, ſic loquens, Verbo Domini cœli firmati ſunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Vbi palam agnoſcit perſonam Verbi diſtinctam à perſona Spiritûs ſancti. Deinde poſt medium eiuſdem libri ſæpe accipit Verbum pro perſona IESV Chriſti Domini. Athenagoras quoque, eiuſdem Iuſtini æqualis, quique flo-

floreba̅t anno Chriſti CLV. in legatione, ſeu Apologia pro Chriſtianis, quā Imperatoribus M. Aurelio Antonino, & Aurelio Commodo obtulit, ante medium inquit: *Filius Dei eſt Verbum Patris, in idea & efficacia.* Ac paucis interiectis: *Mens & Verbum Dei, Filius Dei eſt.*

23 PROBATVR III. Conciliorum teſtimonijs, in quibus ſermo eſt de perſona Filij ac Verbi, quaſi vna & eâdem. Sic nimirum conſtat ex Niceno lib. 2. col. 7. §. *Sancta & magna*, vbi ex illo Evangelij teſtimonio, *Verbum erat apud Deum*, colligitur, Verbum ipſum eſſe *perſonam perfectā ex perfecta. Deus enim eſt, non pars, Filius: ſed perfectus ſicut & Pater.* Quæ collectio non eſſet alicuius ponderis, niſi Verbum in divinis eſſet propriè perſonale, ſicuti & ratio Filij. eodem lib. 2. §. *Non ita*, & §. *Sæpe*, & §. *Ne quæras*, agitur de Verbo, tanquam de eadem perſona cum Filio. Porrò Alexander in epiſt. 2. quæ habetur ante ipſum Concilium col. 6. æternum Parentem appellat *Patrem Verbi.* Similiter in I. Synodo Antiochena, in Profeſsione Fidei miſſa ad Paulum Samoſatenum §. 1. pro eodem accipitur Verbum Dei ac Filius. Deinde in Concilio Epheſino ſæpiſsimè, præſertim verò in Confeſsione Fidei, dicitur *Verbum natum ex ipſa Patris eſſentia*: ac præterea in canonibus 1. 11. 12. & 13. eiuſdem Concilij, definitur, Filium Deum Verbum fuiſſe natum ex Deipara Virgine, & paſſum. Vbi ſemper λόγος appellatur, quod Latinè redditur Verbum: vt conſtat ex editione Græca eiuſdem Concilij apud Hieronymum Commedinum anno M.D. XCI. pag. 82. Idem conſtat ex Concilio Calchedonenſi Act. 5. defin. 2. & ex Synodo II Cōſtantinopolitana, quæ eſt V. Generalis, collat. 8. can. 2 3 4 6. & 7 Et in Confeſsione Fidei, quæ habetur Tomo II. Conciliorum in fragmētis dicitur *Non alium Deum (λόγον) Verbum qui miracula operatus eſt, & alium Chriſtum, qui paſſus eſt, cognoſcimus: ſed vnum eundemque Dominum noſtrum IESVM Chriſtū, DEI VERBVM incarnatum, & hominem factum.*

24 EODEM Conciliorum ſtylo loquuntur Summi Pontifices. Evariſtus Epiſt. 1. ad omnes Epiſcopos Africanos ait: *In ſinu Patris erat Filius, & ex corde Patris Verbum bonum eructatum.* Vide ſuprà num. 19 Liberius Papa in fragmento epiſtolæ ad Athanaſium, edito inter eius opera, inquit: *Eſt noſtra confeſsio, Verbum Dei Filium ſecundùm naturam ex Deo eodemque Patre ſuo genitum eſſe.* Vbi ſolùm notionaliter ſive perſonaliter, accipitur ratio Verbi, ſicut & Filij. Damaſus quoque in Profeſsione Fidei ad Paulum Theſſalonicenſem, ſicuti & Caius Papa Epiſt. vnica, Dei Filium Verbum appellant ſæpe; nunquam verò Patrem aut Spiritum ſanctum dicunt Verbum. Quod ipſum in Concilijs paulo antè memoratis videre eſt. Vbique enim ſoli Filio tribuitur nomen Verbi; nullibi autem Patri aut Spiritui ſancto. Quę omnia vnà cum præcedentibus apertiſsimè demonſtrant, rationem Verbi propriè ac ſimpliciter dictam, non eſſe communem aut eſſentialem in divinis, ſed perſonalem, & ſoli Filio peculiarem.

25 DENIQVE Patres omnes Eccleſiæ in eadem veritate conſentiunt, quorum innumera loca indicat Ruiz diſp. 57 de Trinitate, quæ prolixum eſſe hoc loco referre Sufficiat delibare nonnulla alia. Et præter ea quæ ſuprà num. 13. obſervavimus ex Anſelmo, placet exſcribere quædam Magni Auguſtini, cuius doctrinam ubi maximè ſectandam ipſe propoſuit in Præfatione huius Opuſculi. Etenim lib. 5. de Trinitate cap. 13 ait: *Dicitur relatiuè Filius: relatiue dicitur & Verbum, & Imago: & in omnibus his vocabulis ad Patrem refertur.* Prærerea lib. 6 cap. 2. *Verbum quidem ſolus Filius accipitur: non ſimul Pater & Filius, tanquam ambo vnum Verbum.* Et inferius eodem capite: *Sicut Verbum de Verbo dici non poteſt, quia non ſimul ambo Verbum, ſed ſolus Filius.* Si autem Verbum eſſet propriè aliquid eſſentiale in divinis, certè dici poſſet Verbum de Verbo: ſicut propterea dicitur Deus de Deo, ſapientia de ſapientia, &c. Et lib. 7. cap 2. *Sicut Filius ad Patrem refertur, non ad ſeipſum dicitur: ita & Verbum ad eum, cuius Verbum eſt, refertur. EO QVIPPE FILIVS, QVO VERBVM: ET EO VERBVM, QVO FILIVS.* Atque vt omnem prorſus evaſionem præcludat, qua aliquis forſan acciperet rationem Verbi de Filio ſolùm per appropriationem, vt loquitur Durandus; ipſe S. Doctor confert nomen *Verbi* cum nomine *Sapientiæ*, quod ſolùm appropriatè dicitur de Filio, & ſubdit: *Non eo Verbum, quo ſapientia: quia Verbum non ad ſe dicitur, ſed tantùm relatiuè ad eum, cuius Verbum eſt, ſicut Filius ad Patrem. Sapientia verò eo, quo eſſentia: ideo quia vna eſſentia, vna ſapientia. Quoniam verò & Verbum ſapientia eſt, ſed non eo Verbum, quo ſapientia: Verbum enim relatè, ſapientia verò eſſentialiter intelligitur, &c.*

26 EX Græcis Patribus placet ſeligere duo tantùm teſtimonia. Primum eſt Cyrilli Alexandrini lib. 7. Theſauri cap. 1. ſub initio dicentis: *Verbum Ioannes Filium appellat, vt hoc nomen, quaſi proprium, & ipſius eſſe Filij maximè ſignificatiuum elegiſſe videatur.* Et infrà propè medium capitis ſubdit

dit: *Nec eſt aliud verum Verbum Patris, quã Filius.* Idque ſæpiùs eo loco repetit: ac præterea cap. 2 concludit: *Vnicum ergo Verbum eſt naturale, atque intrinſecum, & id eſt Filius.* Idipſum tradit plurimis alijs locis, quæ vel indicare prolixum eſſet. Alterum eſt Damaſceni lib. 1. Fidei cap. 6 7. & 13. ac præterea in Epiſtola de Trisagio, vbi obſervat, nomina hæc, *Filius Dei, Verbum, ſapientia & virtus, ex Patre genitus, ESSE OSTENSIVA VNIVS HYPOSTASEOS, ET NEQVAQVAM IN ALIA HYPOSTASI, VEL IN COMMVNI DEITATIS LOCVM HABERE.* Quid expreſsius contra Durandum, aut opportunius ad præcludendum frigidas evaſiones, quibus eludit, aut eludere poſſet teſtimonia SS. Patrum?

27 CVM Itaque tam claris Scripturæ, Conciliorum, Patrumque teſtimonijs, innitatur Aſſertio noſtra, non mirum quòd cenſeatur dogma Theologicum, & proinde neceſſariò connexum cum doctrina revelata: quod omnes Scholaſtici cum Magiſtro in 1. diſt. 27. poſt medium vnanimiter docent, ſolo Durando excepto: cuius opinio ſingularis propterea malè audit, & ab alijs atque alijs Theologis gravi cenſura notatur. Sanè illam erroneam cenſent Molina 1. p. quæſt. 34. art. 1. ſub initium, Torres quæſt. 27. art. 1. diſp. 6 q. 3. Suarez lib. 9. de Trinitate cap. 1 num. 7 & cap. 2. num. 6. Quin & longè antea Dionyſius Carthuſianus, Doctor Extaticus, in 1. diſt. 27. q. 3. illam cenſet *ineptam, friuolam, & clariſsime reprobatam Scripturis, & dictis Sanctorum.*

28 VNICVS Ab auctoritate videtur obſtare ſcrupulus ex Baſilio lib. 5. contra Eunomium cap. 11: vbi Spiritum ſanctum appellat Verbum Filij. Ait enim: *Dei quidem Verbum Filius eſt: Filij autem Verbum Spiritus. Portans enim inquit* (Hebræorum 1) *omnia Verbo virtutis ſuæ: & quoniam Verbum Filij per Deum. Gladium, inquit, Spiritus, quod eſt Verbum Dei; Verbum autem Dei viuens atque operans.* Præterea eodem lib. ait: *Spiritus ſanctus Verbum, atque Spiritus oris.* Ergo ex mente Baſilij ratio Verbi non eſt propria Filij, ſed communis etiam Spiritui ſancto. Idipſum colligi videtur ex Idacio Hiſpano libro adverſus Varimadum, vbi inquit: *Verbum Dei Patris Filius. Verbum Dei Spiritus ſanctus.* Quod ſecundum probare nititur ex verbis illis Apoſtoli ad Epheſios 6 indicatis à Baſilio: *Galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus* (*quod eſt Verbũ Dei*) *per omnem orationem*, &c. Ergo Spiritus ſanctus eſt Verbum Dei, ſive Filij.

29 VERVM Non obſtat auctoritas Baſilij, quem D. Thomas dupliciter expoſnit. Primò ita illum interpretatur 1. p. q. 34. art. 2. vt ſolùm figurate loquutus fuerit. nam ſicut Filius dicitur Verbum, quia procedit à Patre veluti manifeſtativus ipſius, & ſecretorum eius, vt teſtatur Auguſtinus lib. de Fide cap. 3 ita etiam Spiritus ſanctus quodammodo dicatur Verbum Filij, quatenus procedit ab ipſo, veluti manifeſtativus illius & ſecretorum eius, iuxta illud teſtimonium Chriſti cap. 6 Evangelij Ioannis v. 5. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Id eſt, vt exponit Anſelmus in Epiſt. de Proceſſione Spiritus S. c 8. aliàs 11. *Cùm ait* (Chriſtus) *De meo accipiet; nequis ſoli Patri tribuat, quod ab alio audit, apertè ſe eſſe, à quo, ſicut à Patre ſcientiã, ſiue eſſentiam accipiat, demonſtrat.* Itaque Spiritus ſanctus ſolùm latè & typicè dicitur Verbum Filij, quatenus ab ipſo, ſicuti & à Patre, accipit ſcientiã ſive eſſentiam, quã per inſpirationem manifeſtat hominibus. *Secundò* interpretatur Baſilium D. Thom. Opuſc. 1. cap. 12 & quæſt 4 de Veritate, vt Spiritum ſanctum appellaverit Filij Verbum effectivè ſolùm, quatenus Sanctis ac Prophetis inſpirat, vt de Filio Dei loquantur. Eodem ſenſu exponi poteſt authoritas Idacij Porrò eodẽ largo & improprio ſenſu dici poteſt Spiritus ſanctus Verbum Patris, ac Filij, quatenus ab vtroque procedens, emittitur ad manifeſtandos ſenſus ac conſilia vtriuſque, iuxta illud Ioan. 15. *Quem ego mittam vobis à Patre, ille vos docebit*, &c. Eidem interpretationi conſonant Scholaſtici in 1. diſt. 27. Denique vbicumque Baſilius ipſe accipit propriè nomen *Verbi* in divinis, ſolùm illud intelligit de Filio. Ideoque Homil. 16 poſt medium ait, Verbum eſſe genitum, & imaginem Genitoris. Et eodem libro ex quo nobis opponitur illud teſtimoniũ, ſect. 11. ait: *Dei Verbum Filius eſt.* Ac præterea ſect. 13. inquit: *Ex Deo natum Verbum.* Alijs denique locis conſtanter nomine Verbi ſolam Filij perſonam intelligit. Porrò locum illum ad Hebræos, & alterum ad Epheſios, non accipiunt Interpretes ſacri de Spiritu ſancto, ſed priorem de ipſo Filio, quatenus eſt Verbũ practicum, ſive potentiam divinam applicans ad operationes: poſteriorem autem, de gladio ſpirituali, qui eſt doctrina & vis præceptorum Dei. Lege Ruiz diſp. 57. ſect. 4.

30 RATIO Theologica eiuſdem dogmatis eruitur ex verbis Anſelmi infrà cap. 37. aliàs 38. circa finem, & proponi poteſt ſub hac differendi formula. Omne quod in divinis eſt ad alterum, eo ipſo eſt perſonale, non autem eſſentiale. Atqui ratio Verbi propriè adæquatè & ſimpliciter dicti in divinis, eſt ad alterum. Ergo non eſt eſſentialis, ſed perſo-

nalis

nalis. Maior eſt certa omnibus Theologis: Quia omne quod in divinis eſt ad alterum, eo ipſo eſt relativum. Omne autem relativum in divinis eſt perſonale, ſeu peculiare perſonarũ, non autem eſſentiale. quippe eſſentialia in Deo ſunt prorſus abſoluta. Minor ſuadetur ratione expreſſa in ipſo teſtimonio Anſelmi ibidem dicentis: *Verbum nanque, hoc ipſo quod Verbum eſt, aut imago, ad alterum eſt: quia non niſi alicuius Verbum eſt, aut imago: & ſic propria ſunt hæc alterius, vt nequaquã alteri coaptentur. Nam ille, cuius Verbum eſt, aut imago, nec imago, nec Verbum eſt.* Vnde eruitur formula probationis. Ratio Verbi propriè, adæquatè, & ſimpliciter dicta in divinis, eſt ratio imaginis expreſſæ ab intellectu. Id enim generatim eſt de ratione verbi mentalis, prout abſtrahit à creato & increato, vt ſit imago expreſſa ab intellectu. Nimirum, vt fert commune effatum Philoſophorum & Patrum cum Auguſtino, ex obiecto & potentia paritur notitia, quæ eſt imago eiuſdem obiecti. Atqui imago expreſſa ab intellectu eſt ad alterum. Non enim eſt imago ſui, ſed alterius; & illius eſt, quidquid eſt ſub ratione imaginis. Ergo ratio Verbi propriè, adæquatè & ſimpliciter dicta in diuinis, eſt ad alterum.

31 CONFIRMATVR Verbum mentale propriè adæquatè & ſimpliciter dictum, abſtrahendo à divinis & creatis, debet eſſe productum à loquente: tum quia eſt imago, aut intentionalis, aut realis obiecti; imago autem non eſt ſimilitudo quælibet, ſed ſimilitudo producta: tum præterea, quia eſt notitia quę paritur ex obiecto & potentia; quidquid autem paritur, per ſui productionem paritur. At quod in divinis producitur, non eſt eſſentiale & cõmune, ſed proprium & perſonale, vt fide ſanctum eſt in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. & habetur in cap. Damnamus de Summa Trinitate & Fide Cathol. vbi de eſſentia, ſeu natura divina dicitur: *Illa res non eſt generans, nec genita, nec procedens: ſed eſt Pater, qui generat: Filius, qui gignitur: & Spiritus ſanctus, qui procedit: vt diſtinctiones ſint in perſonis, & Vnitas in natura.* Ergo Verbum mentale in divinis propriè adæquatè & ſimpliciter dictum, non eſt eſſentiale & commune, ſed proprium & perſonale. At non alterius, quàm Filij: vtpotè cui ſoli Scriptura & Patres tribuunt nomen Verbi. Ergo &c.

***

SECTIO TERTIA.

Rationem Verbi non competere Deo propriè, inadæquatè, penes aliquam rationem eſſentialem & communem, ſed ſummùm metaphoricè aut impropriè. Porrò eam eſſe expreſſam ſententiam SS. Anſelmi & Thomiſtæ: quæ multipliciter probatur.

32 HANC Aſſertionem ſtatuo contra Auctores ſecundæ opinionis: cui aliquando videtur ſuffragium tuliſſe D. Thom. nimirum, in 1. diſt. 27. art. 1. & quæſt. 4. de Veritate art. 2. inquiens: *Si Verbum propriè accipiatur, in diuinis non dicitur, niſi perſonaliter: ſi autem accipiatur communiter, poterit etiam dici eſſentialiter.* Subdit verò M. Ferre vbi ſuprà num. 260. ſequentia verba, quaſi ſint eiuſdem S. Doctoris: *Vbi ly communiter, idem ſonat, quod impropriè, & ſecundùm latam ſignificationem.* Sed enim ea in D. Thoma non extant: quin potiùs eo loco favet ſecundæ opinioni, quam omnes ipſi tribuunt ijs verbis, donec tandem 1. p. quæſt 34. art. 3. firmiter tradidit tertiam ſententiam, quæ docet, Verbum propriè dictum ſolùm eſſe perſonale in divinis, nullatenus verò commune & eſſentiale, niſi impropriè aut metaphoricè tantùm. Id patet ex toto contextu articuli, quidquid in oppoſitum velit Godoy diſp. 78. de Trinitat. §. 4 num. 18. dicens, S. Doctorem in hoc loco non retractaſſe opinionem illam, quamvis ita exiſtimaverit Caietanus. In oppoſitum enim eſt, vt aiebam, totus contextus D. Thom. aſſerentis, Verbum in divinis propriè dictum ſolùm eſſe perſonale; vbi autem non ſumitur perſonaliter, acceptionem ſolùm eſſe metaphoricam. Vnde ſic inchoat corpus articuli: *Dicendum, quòd nomen Verbi in diuinis, ſi propriè ſumatur, eſt nomen perſonale, & NVLLO MODO ESSENTIALE.* Eiſdem ferè verbis concludit corpus articuli. Cùmque in eo præmiſiſſet, Verbum nonnunquam accipi impropriè, ſive figuratiuè, poſtea in fine ſolutionis ad ſecundum argumentum inquit: *Etſi ergo Verbũ aliquando dicatur metaphoricè in diuinis, tamen oportet ponere Verbum propriè dictum, quod perſonaliter dicatur.* Ergo ex mente D. Thom. ſiquando Verbum in divinis non accipitur perſonaliter, ſolùm metaphoricè vſurpatur. Quare Caietanus, & alij ex Thomiſtis, meritò aiunt S. Doctorem in hac re paulatim veniſſe ad veritatis cognitionem, ac correxiſſe demum in ſumma Theologiæ, quæ in Sententiarijs, alijſque locis docuerat.

33 ASSERTIONEM Eandem tradi-

dit ſæpe Anſelmus, nullum in divinis Verbum agnoſcens, niſi relativum ad Patrem, & à reliquis perſonis diſtinctum. Id patet ex locis ipſius ſuprà num. 13. exſcriptis, ac præterea infra cap. 60. circa finem, vbi inquit: *Cùm manifeſtum ſit, vnumquemque, ſcilicet, Patrẽ, & Filium, & Patris, Filijque Spiritum pariter ſe & ambos alios dicere, vnum ſolum ibi eſſe Verbum; nullatenus tamen ipſum Verbum videtur dici poſſe Verbum omnium triũ, ſed tantùm vnius eorum. Conſtat enim, ipſum eſſe imaginem, & Filium eius, cuius eſt Verbum: & patet, quòd nec imago, nec Filius ſuimet, nec à ſe procedentis Spiritus congruè dici poteſt. nam nec ex ſeipſo, nec ex procedente à ſe naſcitur: nec ſeipſum, aut procedentem à ſe, exiſtendo imitatur.* Vbi rationem Verbi ſolùm agnoſcit propriam Filij, quatenus eſt imago procedens, non à ſeipſo, nec à Spiritu ſancto, ſed à ſolo Patre. Si autem ratio Verbi in aliquo ſenſu vero & proprio, quatenus differt à metaphorico & improprio, eſſet communis ſive eſſentialis, de quavis perſona divina poſſet verè & propriè prædicari eadem inadæquata ratio Verbi: quia vt idem S. Doctor præmiſerat circa medium eiuſdem capitis, * Certiſsimum iam cõſideratæ rationes reddiderunt, quidquid ſummæ naturæ ineſt eſſentialiter, id perfectè convenire Patri, & Filio, & eorum Spiritui ſingulatim. * Vnde eruitur multiplex ratio Theologica ad eandem doctrinam probandam.

34 PRIMA Ratio. Si enim ratio Verbi in aliquo vero & proprio ſenſu, quatenus diſtincto à metaphorico, eſt in Deo eſſentialis, poterit prædicari de Patre & Spiritu ſancto, in eodem vero & proprio ſenſu. Omnia enim quę eſſentialia ſunt, quatenus talia, de tribus perſonis ſingulatim ac ſimul prędicari poſſunt. Conſequens autem eſt non modò falſum, ſed repugnans Scripturæ, Concilijs, & Patribus: ex quibus ſectione præcedenti abundè demonſtratum eſt, nomen Verbi nunquam tribui Patri, aut Spiritui ſancto, ſed ſoli Filio. Ergo ratio Verbi in nullo vero & proprio ſenſu, quatenus diſtincto à metaphorico, eſt in Deo eſſentialis, ſed dumtaxat perſonalis.

35 SECVNDA. Sequitur enim ex oppoſito, labefactari aut extenuari argumentũ commune Conciliorum contra Sabellium & Arium, probantium in divinis exiſtentiam Filij, conſubſtantialis Patri, & ab eo perſonaliter diſtincti, ex verbis illis Ioannis 1. *Et Verbum erat apud Deum.* Si enim ratio Verbi in Deo accipitur etiam verè & propriè per cõtrapoſitionem ad ſenſum metaphoricum, poſſent prædicti hæretici in eodem ſenſu ea verba interpretari, dicereque, Verbum apud Deum exiſtens eſſe intellectionem divinam, ſive eſſentiam ſub munere rei intellectæ: ſicuti de miſericordia, quæ indiſtincta eſt reipſa à Deo, dicitur in Pſalmo: *Apud Dominum miſericordia.* Et alio inſuper loco: *Apud te eſt fons vitæ.* Inſuper nec hæretici Patripaſsiani, quos ſuprà Diſp. LIV. ſect. 3. notavimus, vrgeri poſſent ex alijs ſequentibus verbis Ioannis: *Et Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* Dicerent enim, ea intelligi in vero & proprio ſenſu, quatenus diſtincto à metaphorico, de Patre, cui conveniat etiam ratio Verbi, vt proinde ille caro ſit factus, & in nobis habitaverit. Quòd ſi vero vrgerentur ex ſubſequentibus immediatè, *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre*; adhuc dicerent ij, Filium quidem carnem factum, vtpotè cum ipſe vnigenitus ſit; verùm præterea Patrem incarnatum fuiſſe; vtpotè qui etiam verè & propriè in aliquo ſenſu habeat rationem Verbi. Ne igitur effugia ſupereſſent eiuſmodi hæreticis, dicendum eſt, rationem Verbi in nullo ſenſu vero & proprio, diſtincto contra metaphoricum, accipi eſſentialiter, ſed ſolùm perſonaliter.

36 TERTIA. Notio enim Verbi vera & propria, prout diſtincta à metaphorica, importat rationem imaginis procedentis ab intelligente, ſeu dicente, tam in creatis, quàm in divinis, vt Patres in ſuperioribus allegati docent; & Philoſophi omnes generatim tradunt. Atqui ratio imaginis procedentis ab intelligente, ſeu dicente, non eſt in Deo eſſentialis, ſed perſonalis, & propria Filij. Nullum enim prædicatum eſſentiale in Deo procedit, ſeu producitur, vt ſuprà num. 31. didicimus ex Concilio Lateranenſi. Ergo notio Verbi vera & propria, quatenus differt à metaphorica, non eſt in Deo eſſentialis, ſed perſonalis, & propria Filij. Quin vel ipſa ratio imaginis per ſe ſpectata id ſatis confirmat: nam, vt Anſelmus loquitur, & palam eſt, imago, alicuius alterius eſt imago, ac proinde relativè dicitur. Nullum autem prædicatum eſſentiale in divinis dicitur relativè in aliquo vero & proprio ſenſu, quatenus differt à metaphorico. Ergo nec ratio imaginis per ſe ſpectata eſt in aliquo vero & proprio ſenſu eſſentialis, ſed dumtaxat relativa & perſonalis.

37 DICES Ex doctrina Auctorum ſecundæ opinionis, in Verbo verè & propriè dicto, prout diſtinguitur à metaphorico, eſſe duos conceptus inadęquatos: alterum conſiſtentem in ratione imaginis procedentis ab intelligente: alterum in manifeſtatione rei intellectæ, ſeu termini contemplationis. Verbum enim, tam in creatis, quàm in divinis, verè & propriè, ſeu abſque metaphora, id vtrumque habet

habet. Nam non solùm procedit ab intelligente, sed etiam est terminus *in quo* mens contemplatur obiectum, aut saltem est intellectio ipsa, secundùm aliam sententiam S. Anselmi supra num. 11. statutam. Vnde solùm colligitur, Verbum propriè simpliciter & adæquatè acceptum, seu quatenus constans duplici illo conceptu inadæquato simul & indiviſim, non esse essentiale in divinis, sed personale, propriumque Filij. Cùm hoc verò cohæret, quòd acceptum secundùm inadæquatum conceptum termini *in quo* contemplationis, seu etiam intellectionis, iuxta aliam sententiam, sit verè & absque metaphora essentiale & commune tribus personis.

38 SED Præterquam hæc solutio non occurrit duabus primis rationibus num. 34 & 35. propositis, quæ suam vim retinent, vrgetur. Si enim Verbum propriè adæquatè & simpliciter dictum claudit indiviſim eos duos conceptus inadæquatos; ergo cui non conveniunt ambo simul, sed alter ex ijs dumtaxat, in nullo vero & proprio sensu convenit ratio Verbi. Vt enim arguit D. Thom. quæst. 4. de veritate articulo 2. *Si aliquid eorum, quæ sunt de ratione alicuius, auferatur, iam non erit propria acceptio. Vnde si Verbum proprie accipiatur in diuinis, non dicitur, nisi personaliter.* Idque patet generatim. nam rationes formales rerum, sicuti essentiæ, sunt individuæ: ac proinde quolibet partiali constitutivo sublato, penitus auferuntur. Sic certè, quoniam homo indiviſim constituitur ex animali & rationali, si alterum ex ijs auferas, in nullo verò & proprio sensu distincto à metaphorico, remanebit homo. Si igitur formalis ratio Verbi indiviſim claudit eos duos conceptus, quorum alter non convenit, sed potiùs repugnat prædicatis essentialibus divinis, quatenus essentialibus; in nullo demum sensu vero & proprio, ac distincto à metaphorico, conuenit ijs ratio Verbi.

39 VLTERIVS. Spiritui sancto convenit verè & propriè conceptus aliquis inadæquatus constituens personam Filij, Patrisque; nimirum, convenit ipsi eadem natura divina amborum, quæ partialiter cõstituit vtriusque personam: nec tamen ideo Spiritus sanctus in aliquo vero & proprio sensu, distincto à metaphorico, dici potest Pater, aut Filius, adhuc inadæquatè. At hoc ideo est, quia Spiritui sancto non competit alter inadæquatus conceptus hypostasis, sive relationis, qua Pater & Filius in se constituuntur. Si ergo Patri & Spiritui sancto non convenit adæquatum constitutivum Verbi, sed inadæquatum dumtaxat, neutri eorum convenit ratio Verbi in aliquo vero & proprio sensu distincto à metaphorico. Vnde & consequens est, vt ratio Verbi pariter nunquam sit essentialis in aliquo vero & proprio sensu. Sic enim de omnibus & singulis personis verè & propriè prædicaretur.

40 PRÆTEREA. Iuxta Augustinum num. 25. allegatum, *eo Filius, quo Verbum; & eo Verbum, quo Filius.* Quibus denotat, rationem formalem Verbi, & Filij eandem omnino esse. In nullo autem sensu vero & proprio, seu excludente metaphoram, convenit Patri aut Spiritui sancto, vt sit Filius. Ergo neque vt sit Verbum. Et ratio vtriusque est eadem: qui licèt Patri & Spiritui sancto conveniat inadæquatũ Filij constitutivum, quod est diuinitas, non tamen alter inadæquatus conceptus qui est filiatio. Quamvis ergo Patri & Spiritui sancto conueniat alter conceptus inadæquatè constituens Verbum, cùm tamen alter etiam inadæquatus ijs repugnet, in nullo vero & proprio sensu habere possunt rationem Verbi.

41 RVRSVS Iuxta opinionem Thomistarum eorundem, quibuscum modò disputamus, potentia generativa in divinis constituitur adæquatè ex intellectu, & paternitate; intellectu se habente in recto, paternitate verò in obliquo. Vnde cùm maior ratio habeatur recti, quàm obliqui, in quavis constitutione, potiùs censetur potentia generativa in divinis, iuxta eos Auctores, constitui per intellectum, quàm per paternitatem; licèt vtrumque indiviſim & essentialiter importet. Modò sic argumentor. Licèt Filio & Spiritui sancto conveniat intellectus divinus, neutri competit potentia generativa in aliquo sensu proprio, & excludente metaphoram, quia neutri competit partiale constitutivum eiusdem potentiæ, quãvis importatum in obliquo. At licèt Patri & Spiritui sancto conveniat alter ex inadæquatis conceptibus, quibus constituitur Verbum, nimirum, ratio manifestativi, non tamen alter in recto importatus, qui est ratio producti, seu imaginis. Ergo multò minùs ijs competit ratio Verbi in aliquo sensu proprio, & metaphoram excludente.

42 DENIQVE Sumo hos duos conceptus inadæquatos Filij; nimirum, rationem producti, & rationem geniti. Certè Spiritus sanctus etiam habet rationem producti, nec tamen in aliquo vero & proprio sensu excludente metaphoram habet rationem Filij, quia non habet alterum illum conceptum geniti. Quamvis ergo Pater & Spiritus sanctus habeãt inadequatum conceptum Verbi constitutivum, dum alterum inadequatum non habent, nequit in aliquo sensu excludente metaphoram convenire ijs ratio Verbi. Sic certè in nullo sensu metaphoram excludente potest Angelus dici homo; quoniam licèt Angelo competat conceptus

ceptus intelligendi ſine diſcurſu, quæ eſt partialis ratio conſtitutiva hominis (vtpotè modo intelligentis per diſcurſum; modò per ſimplicem apprehenſionem aut iudicium dumtaxat) non tamen competit alter inadæquatus conceptus diſcurrendi, ex quo integratur adæquata differentia conſtitutiva hominis. Quamvis ergo Patri & Spiritui ſancto conveniat inadæquatus conceptus Verbi, etiam per modum differentiæ; dum tamen alter conceptus inadæquatus eiuſdem diſſerentiæ repugnat, neutri eorum in aliquo vero & proprio ſenſu competit ratio Verbi.

43 DICES I. Verbum externum ordinatur ad internum, veluti huius manifeſtativum. propterea enim dici ſolet, voces eſſe ſigna conceptuum. Atqui Deus, vt vnus, poteſt loqui per Verbũ externum, & multoties ſic loquitur, cùm hominibus aliqua revelat. Ergo cùm tale Verbum non dicat per ſe ordinem ad Verbum perſonale, dicet per ſe ordinem ad Verbum eſſentiale, in quo, ſaltem inadæquatè, ſalvatur ratio Verbi. Sic ad litteram argumentatur Godoy vbi ſuprà num. 26.

44 RESP. Verbum externum in nobis ordinari ad internum, veluti huius manifeſtativum, quod in nobis eſt vnicum & propriè dictum; ſive conſiſtat in ipſa intellectione, ſive in termino aliquo per illam producto. Verbum autem externum Dei revelãtis aliquid nobis de Filio ſuo, eſt manifeſtativum Verbi divini propriè dicti. Vbi autem Deus aliquid eſſentiale ſeu commune tribus perſonis revelat per Verbũ exterius; hoc ſolũ eſt manifeſtativum illius prædicati cõmunis, quod in Deo tantùm metaphoricè habet rationem Verbi. Quæ ſolutio deſumitur ex D. Thoma 1 p. quæſt. 34. art. 1. ad 2. in fine, vbi ait: *Si autem dicitur Verbum, quia exteriùs manifeſtat ea, quæ exteriùs manifeſtant, non dicuntur verba, niſi in quantum ſignificant interiorem mentis conceptum, quem aliquis etiam per exteriora ſigna manifeſtat. Etſi ergo Verbum aliquando dicatur metaphoricè in diuinis, tamen oportet ponere Verbum propriè dictum, quod perſonaliter dicatur.*

45 DICES II. Communis eſt opinio Thomiſtarum 1. p quæſt. 12. art. 2. Deum in viſione beatifica gerere munus Verbi. Aiunt enim, eſſentiam divinam vniri mentibus Beatorum, non ſolùm in ratione principij intelligibilis ex parte obiecti, ſed etiam ex parte termini: quæ ſanè eſt ratio Verbi. Hæc autem doctrina corruit, niſi admittatur in divinis ratio eſſentialis inadæquata Verbi propriè dicta, præter adæquatam & propriam Verbi perſonaliter accepti. Non enim vnitur eſſentia divina mentibus Beatorum, tanquam ab ijs procedens, vt patet. Ergo vnitur ſub ratione Verbi non procedentis ab ijs: atque adeò eſſentia divina præſcindendo à proceſsione habet verè & propriè, quamuis inadæquatè ſolùm, rationem Verbi.

46 RESP. Iuxta ſententiam Anſelmi num. 11. ſtatutam, à qua non omnino abhorret D. Thomas ibidem allegatus, nullum eſſe locum illi doctrinę Thomiſtarum aſſerentium, eſſentiam divinam vniri mentibus Beatorum ſub ratione Verbi. Suppoſito enim ex doctrina Anſelmi, Verbum in nobis eſſe reipſa indiſtinctum ab intellectione, neque habere rationem termini, *in quo* mens contempletur obiectum, ſed dumtaxat medij *quo*, ſeu expreſionis vitalis, qua cognoſcit illud; eo, inquam, ſuppoſito, ipſa viſio beatifica eſt Verbum formatum à Beatis, quo vident Deum; nec locus manet, vt eſſentia divina habeat rationem Verbi, ſeu ſpeciei impreſſę tantùm ex parte principij, & puri obiecti ex parte termini. Verùm loquendo iuxta ſententiam communem eorundem Thomiſtarum, quæ diſtinguit in nobis Verbum ab intellectione, veluti terminum *in quo* illa contemplatur obiectum, adhuc locus eſt vt eſſentia divina habeat rationem Verbi, quamvis ſolùm metaphoricè, in ordine ad mentes beatas. Vnitur enim ijs, non vt terminus productus per intellectionem, ſeu per dictionem, quæ ſola eſt ratio Verbi propria vt diſtinguitur contra metaphoricam; ſed ſolùm vt terminus ſpeculationis improductus, *in quo* Beati contemplantur Deum: quæ eſt ratio impropria omnino & metaphorica Verbi.

47 INSTAT Godoy num. 28. ſuppoſita illa doctrina communi Thomiſtarum: Quia eſſentia diuina ſeipſa vnitur mentibus Beatorum ſub ratione principij, ratio ſpeciei convenit ipſi eſſentialiter. Ergo quia etiam ſeipſa vnitur per modum termini contemplationis, etiam convenit ipſi eſſentialiter ratio Verbi.

48 SED Enim ſi inſtantia quidquam probat, evincit, rationem Verbi adæquatè & ſimpliciter dictam convenire eſſentiæ divinæ, ſicut adæquatè & ſimpliciter competit ipſi ratio ſpeciei impreſſæ in ordine ad Beatorum mentes. Conſequens autem eſt contra eundem Auctorem, & omnes alios, Durando excepto. Deinde diſparitas eſt manifeſta: quia proprium & adæquatum munus ſpeciei impreſſæ eſt fœcundare intellectum ex parte obiecti, vt ex ipſo & potentia pariatur notitia: quod totum præſtat eſſentia divina erga mentes Beatorum: atque adeò nihil mirum ſi ratio ſpeciei propriè dicta competat ſibi eſſentialiter. Cæterum munus Verbi propriè dictum, ſive in divinis, ſive in creatis, importat rationẽ imaginis

ginis procedentis ab intelligente. Cumque eſſentia divina nullatenus ſit imago procedens à Beatis, ſed ſummùm terminus, *in quo* Deum contemplantur (iuxta illam Thomiſtarum ſententiam) conſequens eſt vt relatè ad illos nullatenus habeat, ne inadequatè quidem, propriam, ſed ſummam metaphoricam rationem Verbi. Sic certè licèt in Deo admittantur in ſenſu proprio virtutes aliquot morales, quæ ſunt ad alterum, vt iuſtitia diſtribuens, miſericordia, & aliæ ſimiles, non tamen virtutes morales in ordine ad ſe, vt fortitudo v.g niſi metaphoricè tantùm: quoniam licèt multa ex prædicatis fortitudinis, vt bonitas, & ratio virtutis, ſeu perfectionis moralis, habeant propriè locum in Deo, non tamen peculiaris illa fortitudinis notio, quæ eſt mediocritas inter timorem & audaciam. Cùm igitur peculiaris notio Verbi ſit, vt ab intelligente procedat per modum imaginis, & hoc repugnet eſſentiæ divinæ; conſequens eſt, vt illa in nullo proprio ſenſu habeat rationem Verbi, ſed dumtaxat in metaphorico, quatenus vnitur per modum termini intimi, iuxta eam ſententiam, *in quo* Beati contemplantur obiectum.

SECTIO QVARTA.

Præcipua ac difficiliora argumenta ſententiæ contrariæ, multiplicer confirmata, ſoluuntur.

49 VNVM Ex præcipuis fundamentis, quibus Durandus fuit innixus, vt impræſenti negaret, Verbum in diuinis propriè eſſe perſonale, ſeu ſoli Filio conuenire, in eo ſitum eſt, vt Filius non procedat à Patre per intellectum, ſiue per actum cognitionis, ſed per actum naturæ divinæ naturæ præcedentem omnem actum intellectus, prout ipſe aſſeruerat ex profeſſo in 1. diſt 6. quæſt. 2. Verùm cùm ea opinio Durandi ſit procul à veritate aliena, vt in progreſſu apparebit, nihil eſt quòd obijciendis & ſolvendis eius argumentis circa eam quæſtionem immoremur. Itaque ſolùm ea, quæ ſunt huius loci propria, exhibeamus.

50 PRIMO Obijcitur. *Dicere* in divinis non eſt actus perſonalis, ſed eſſentialis. Ergo neque Verbũ eſt aliquid perſonale, ſed eſſentiale. Conſequentia patet. Nam *dicere* ſe habet ad Verbum, ſicut producere ad terminum productum. Atqui productio & terminus producti ſibi proportionantur. Ergo ſi dicere non eſt actus perſonalis, ſed eſſentialis, etiam Verbum non eſt perſonale, ſed eſſentiale. Propterea quoque ſicut in divinis eſſe genitum, & ſpiratum eſt aliquid perſonale; ita etiam generatiua & ſpiratio, quæ ſunt productiones vtriuſque termini, ſunt etiam aliquid perſonale. Antecedens autem præcipuum argumenti ſuadetur multipliciter. *Primò*: quia in ſacris litteris *dicere* paſſim tribuitur Deo, vt Creatori rerum omnium, vt Legumlatori, vt Salvatori. Etenim vt Creator rerum omnium *dixit, Fiat lux & facta eſt lux*. Ac ſic de reliquis in mundi geneſi: generatimque Pſalmo 148 *Ipſe dixit, & facta ſunt*. Vt Legumlator paſsim per Prophetas vrget ſub illa formula, *Hæc dicit Dominus*. Vt Salvator ſemper loquitur in cordibus hominum, exhortans ad ſalutem. Atqui in Deo ratio Creatoris, Legiſlatoris, & Salvatoris, non eſt aliquid perſonale, ſed eſſentiale, ſiue commune tribus perſonis, vt patet. Ergo nec *dicere* eſt aliquid perſonale, ſed eſſentiale. *Secundò* ſuadetur idem antecedens ex Anſelmo in præſenti cap. 30. 34. & 60. vbi ait: *Nihil aliud eſt ſummo ſpiritui dicere, quàm quaſi cogitando intueri*. At cogitando intueri non eſt aliquid perſonale, ſed eſſentiale & commune tribus perſonis. Ergo nec dicere eſt aliquid perſonale, ſed eſſentiale. *Tertiò*. Quidquid eſt commune tribus perſonis, non eſt perſonale, ſed eſſentiale. Atqui dicere eſt commune tribus perſonis, vt idem Anſelmus docet probatque eodem cap. 60. his verbis: *Cum ergo conſtet quia ſicut pertinet ad eius* (Dei) *eſſentiã ſcientia & intelligentia, ſic eius ſcire & intelligere non eſt aliud, quàm dicere, id eſt, ſemper præſens intueri id, quod ſcit & intelligit: neceſſe eſt, vt quemadmodum ſingulus Pater, ſingulus Filius, & ſingulus eorum Spiritus, eſt ſciens & intelligens, & tamen hi tres ſimul non ſunt plures ſcientes aut intelligentes, ſed vnus ſciens & vnus intelligens: ITA SINGVLVS QVISQVE SIT DICENS, NEC TAMEN SINT TRES DICENTES SIMVL, SED VNVS DICENS*. Ergo dicere eſt commune tribus perſonis.

51 RESP. *Dicere* in divinis poſſe accipi communiter & abſolutè, vel propriè & perſonaliter. Priori ſenſu eſt actus eſſentialis & communis tribus perſonis: poſteriori autem notionalis, & proprius Patris relatè ad ſolum Filium. Loqui enim intus propriè nihil aliud eſt, quàm exprimere Verbum interius, veluti imaginem rei conceptæ ab intellectu. quod ſoli Patri in divinis convenit relatè ad Filium. Ideoque ſolus Pater ad intra propriè loquitur ſoli Filio, vt infrà conſtabit. Ad I. probationem antecedentis, quatenus diſtinctioni traditæ obſtare poteſt, reſpondeo, non eſſe ſermonem impræſenti de loquutione Dei ad extra, quam fatemur communem tribus perſonis; ſed ad intrà, quo ſenſu loqui, ſeu dicere propriè,

eſt

eſt ſolius Patris relatè ad Filium. Ad II. & III. Anſelmus ibidem accipit *dicere* communiter & abſolutè, quo ſenſu ait, nihil aliud eſſe, quàm *quaſi cogitando intueri*, ſive vt in poſteriori teſtimonio habet, *ſcire & intelligere*. Cæterum *dicere* propriè & notionaliter ſumptum non ait competere omnibus aut ſingulis perſonis divinis, ſed illi ſoli, quæ habet exprimere Verbum, veluti imaginem, ac Filium ſuum. Quod idem Anſelmus luculenter docet eo cap. 60. poſt verba in obiectione relata, ſubdens: *Licet igitur vnuſquiſque ſeipſum, & omnes inuicem ſe dicant, impoſſibile tamen eſt in ſumma eſſentia eſſe Verbum aliud præter illud, de quo tam conſtat quòd ſic naſcitur ex eo, cuius eſt Verbum, vt etiam eius vera dici poſsit imago, & verè Filius eius ſit.* Sicuti ergo propriè Verbum in divinis ſolius Patris eſt Verbum, ita etiam dicere propriè ſolius eſt Patris. *Dicere* enim propriè non accipitur niſi in ordine ad Verbum propriè acceptum. Vnde & paulo pòſt loquens nominatim de eodem Verbo, ac reddens rationem, cur nõ ſit Verbum trium perſonarum, ſed vnius tantùm, ait: *Conſtat enim, ipſum eſſe imaginem & Filium eius, cuius eſt Verbum: & patet quòd nec imago, nec Filius ſuimet, nec à ſe procedentis Spiritus, congruè dici poteſt. Nam nec ex ſeipſo, nec ex procedente à ſe naſcitur: nec ſeipſum, aut procedentem à ſe, exiſtendo imitatur.*

52 INSTABIS Multipliciter. *Primò.* Quælibet perſona divina dicit ſeipſam & reliqua omnia. Ergo dicit Verbo mentali, non ab alio, ſed à ſeipſa mentaliter prolato: ſicuti quiſquis vocaliter dicit aliquid, dicit planè illud Verbo vocali à ſe prolato. Atqui Verbum mentale, quod ab omnibus divinis perſonis profertur, non eſt perſonale, vt patet. Verbum enim perſonale non ab omnibus perſonis divinis profertur, ſed à ſolo Patre. Ergo quælibet perſona divina dicit ſeipſam, & reliqua omnia, Verbo eſſentiali. *Secundò.* Omne intelligens intelligendo concipit Verbum. Quod generatim, & in ſenſu formali docet S. Thom. 1 p. quæſt. 27. art. 1. dum inquit: *Quicumque intelligit, ex hoc ipſo quòd intelligit, procedit aliquid intra ipſum, quod eſt conceptio intellectus, ex vi intellectiua proueniens, & ex eius notitia procedens. Quam quidem conceptionem vox ſignificat: & dicitur Verbum cordis ſignificatum Verbo oris.* Atqui omnes perſonæ divinæ intelligunt verè & propriè. Ergo concipiunt Verbũ verè & propriè. Cumq; eiuſmodi Verbum non ſit perſonale, vt patet; debet eſſe Verbum eſſentiale verum ac propriũ. *Tertiò.* Si per impoſſibile Deus eſſet dumtaxat vnus in perſona, ſicuti in eſſentia, adhuc intelligeret verè & propriè, ac proindè conciperet verum ac proprium Verbum. At illud nõ eſſet tunc perſonale, ſed eſſentiale, vt patet. Ergo & modò in divinis eſt Verbum eſſentiale verum & proprium. Quippe nunc in Deo ſecundùm eſſentialia eſt omne id, quod eſſet, ſi per impoſſibile non eſſet trinus in perſonis, ſed vnus.

53 RESP. Iuxta ſolutionem præcedentis argumenti, quamlibet perſonam divinam dicere ſeipſam & reliqua omnia, dictione abſoluta & communi, non autem propria & perſonali. Vnde & conſequens eſt, vt quælibet perſona divina proferat Verbũ abſolutũ & commune, non autem perſonale & proprium. Verbum autem quod commune tantùm eſt & abſolutũ, dumtaxat eſt metaphoricũ, ſive impropriũ, defectu veræ proceſsionis ab intelligente: vt ſuprà ſect. 2. & 3. latè oſtenſum eſt. Quare Verbũ propriè dictum in divinis, diſtinctũque à metaphorico, dumtaxat eſt perſonale. AD II. Omne intelligens in elligẽdo concipit Verbũ, aut ſtrictè aut latè, & impropriè acceptũ: ſtrictè quidem, vbi Verbũ procedit ab intelligente, tanquã imago rei intellectæ; latè autẽ, & impropriè, vbi nulla vera proceſsio, aut ratio imaginis eſt. Porrò D. Tho. loco in obiectione exſcripto palam agit de intelligente creato, in quo Verbũ verè procedit ex vi intellectionis, tanquã imago rei intellectæ, ſive diſtincta in re, ſive indiſtincta ab ipſa intellectione: atque adeò ſtrictè habet rationẽ Verbi. Non loquitur autẽ vniverſè de intelligẽte divino: quoniã fide ſanctum eſt, vnãquamque ex divinis perſonis verè intelligere, & ſolùm vnam ex tribus producere Verbum. Itaque omnes perſonæ divinæ intelligunt verè & propriè: ſed vna ſola exprimit Verbũ verũ & proprium. AD III. Si Deus per impoſſibile eſſet ſolitarius in perſona, ſicuti eſt vnus in eſſentia, per locũ ab intrinſeco intelligeret verè & propriè: non tamen cõciperet verũ ac propriũ Verbũ. Etenim concipere verum & propriũ Verbum mentale, proprium eſt mentis fœcundæ, ex qua & obiecto partitur notitia. In ea autem hypotheſi nulla eſſet fœcunditas Deiꝰ nec divinæ mentis ad intra. Vnde nullum eſſet verum ac prorium Verbum.

54 VRGEBIS. Vbi eſt locutio vera & propria, prout diſtinguitur à metaphorica, ibidẽ eſt Verbum verum & propriũ, diſtinctumque à metaphorico. Atqui tres perſonæ divinæ loquuntur ſibi invicẽ locutione vera ac propria, prout differt à metaphorica. Ergo tres perſonæ divinæ habent Verbum verum & propriũ, quatenus diſtinctum à metaphorico. Maior propoſitio patet: quia omnis locutio vera & propria eſt expreſsiva Verbi veri ac propriꝰ. Minor autem ſuadetur diverſimodè. *Primò* ex

iis

ijs Scripturæ locis, in quibus leguntur divinæ perſonæ ſecum invicem loqui, quale eſt illud Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Tale etiam quod habetur cap. 2. *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt.* Talia demum ſunt plura alia, quæ expendimus ſuprà Diſp. LVIII. ſect. 2. & 3. ad probandum, in Veteri Teſtamento traditam fuiſſe diſtinctionem realem perſonarum divinarum, quam eo loci probavimus exinde contra Iudæos & Sabellium. Ergo tres perſonæ divinæ loquuntur ad invicem loquutione vera & propria, per excluſionem omnis metaphoræ. *Secundò* Pater non ſolùm dicit Verbũ, ſed ſeipſum, Spiritum ſanctũ, & totã Trinitatẽ: vt docent omnes ferè Theologi cum D. Tho. 1 p. q. 34. a. 1. ad 3. Ergo Pater non ſolùm loquitur ad Filiũ, ſed etiam ad ſeipſum, ad Spiritum ſanctũ, & ad totã Trinitatẽ. Nam dicere, & loqui, profectò idem ſunt. Ergo non eſt neceſſaria proceſſio perſonæ, ad quam dirigitur loquutio, à perſona loquente: ideoque omnes perſonæ divinæ ſibi invicem loquuntur.

55 RESP. Quidquid in oppoſitum velit Ruiz diſp. 60. ſect. 6. nobis probabilius videri, perſonas divinas propriè nec ſibi ipſis loqui, nec mutuò inter ſe, ſed id ſolùm cõpetere Patri relatè ad Filium. Ratio eſt: quoniam propriè loqui, eſt ſeipſum propriè manifeſtare. Solus autem Pater propriè ſeipſum Filio manifeſtat. Solus ergo Pater Filio propriè loquitur. Aſſumptionẽ probo. Manifeſtare ſeipſum propriè loquendo, eſt notitiam ſui alteri communicare, qua ipſi innoteſcat. Solus autem Pater communicat Filio, propriè loquendo, notitiã ſui. Communicatio enim notitiæ in divinis ſolùm præſtatur per realem productionem, quam nõ exercet perſona aliqua in divinis erga ſeipſam, nec Filius aut Spiritus ſanctus erga Patrẽ, nec ipſe Spiritus ſanctus erga Filium. Solus itaque Pater propriè communicat Filio notitiam ſui, quatenus producit illum per actum intellectus: atque adeò ſolus Pater in divinis propriè ad Filium loquitur. Quamvis autem ambo cõmunicent Spiritui ſancto ſimul cum voluntate notitiam ſui ipſorũ, non tamen per actũ intellectus, cui ſoli convenit ratio loquutionis, per quã aliquis ſe manifeſtat audienti; ſed per actũ volũtatis. Non ergo perſonæ divinæ loquuntur propriè, aut ſibiipſis, aut mutuò inter ſe, nec Pater & Filius ad Spiritum ſanctum, ſed ſolus Pater ad Filium, iuxta illud Ionnis 15. *Omnia quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Vnde locutio propriè dicta in divinis ſolum eſt intellectio notionalis, qua Pater ſolùm Filium generat, ipſique communicat perfectam & comprehenſivam notitiam ſui ex vi generationis. Quo ſenſu intelligo Cyrillum Alexandrin. lib. 19. Theſauri aientem: *Διαλέγεται δὲ Πατὴρ ἀῤῥήτως πρὸς Υἱὸν, ἔχοντες αὐτὸ φυσικῶς τὸ εἰδέναι τὰ τοῦτου νοήματα, ὃ λόγον ἐκφαίνειν δυνάμενον τὰ κεκρυμμένα περιέχοντος. ἔστι καὶ αὐτὸς ἐστὶν ὁ λόγος.* id eſt, *Loquitur verò Pater ad Filium arcano quoddammodo, naturaliter* (id eſt vi nativitatis, ſeu proceſſionis ſuæ) *habentem, vt voluntatem eius ſciat, à quo genitus eſt: neque ſermonem expectat, qui occultam voluntatem eius explicet: quoniam & ipſe Verbum eſt.*

56 NEQVE Obſtat prior difficultas in oppoſitum ex teſtimonijs illis, tum Veteris, tum Novi teſtamenti, in quibus perſonæ divinæ invicem loqui perhibentur. Id enim ſolùm accipi debet de locutione in ordine ad effectus creatos, qui indiviſo & communi totius Trinitatis decreto fiunt, & manifeſtantur, & præterea ad ſummum de locutione ad intra communiter vſurpata pro ſola intellectione, qua ſe invicem cognoſcunt perſonæ divinæ. Vt autem ex ijs locis probetur ſufficienter realis diſtinctio illarum, ſufficit hoc poſterius loquutionis genus: nam nequeunt plures ſe invicem intelligere, niſi revera plures ſint. Et ſanè abſtrahendo ab eo, an illa loquutio ſit propriè dicta, necne, ipſe ſtylus Scripturæ ſatis denotat, plures eſſe perſonas, quæ ibidem loqui perhibentur.

57 AD Poſteriorem inſtantiam ex num. 54. finè, reſpondeo, conceſſo antecedente, negando conſequentiam. Nam *dicere*, præter realem reſpectum, quem primariò importat ad Verbum productum, involvit explicitè reſpectum ad res Verbo dictas: cæterum *loqui*, præter reſpectum realem ad Verbum productum, claudit explicitè reſpectum manifeſtantis ad eum, cui manifeſtatio fit. Quare Pater æternus producens Verbum, non ſolùm dicit ſeipſum, & totam Trinitatem, verùm etiam omnes creaturas poſſibiles. Et tamen non propterea ad creaturas poſſibiles loquitur, vtpotè quibus nihil manifeſtat, cùm non exiſtant, nec exituræ ſint pleræque illarum. Poteſt itaque quoddammodo dicere ſeipſum & totam Trinitatem, quin propterea aut loquatur propriè ſibi ipſi, aut toti Trinitati. Poteſtque hæc doctrina exinde confirmari, quoniam perinde ſe habent *dicere & loqui* divinum ad intra, ac ad extra. Atqui *dicere* divinum ad extra, vltra productionem rerum, terminatur ad illas externo Verbo dictas, iuxta illud Pſalmi 148. *Ipſe dixit & facta ſunt.* Cæterum *loqui* divinum ad extra, præter productionem externi Verbi importat manifeſtationem factã ijs, ad quos dirigitur loquutio. Ideoque Apoſt.

ad Hebræos 1. ait: *Multifariam, multiſque modis olim Deus loquens Patribus, &c.* Pater igitur diſcrimen traditum, quòd *dicere* præter reſpectum primarium ad Verbum productũ, importet habitudinem quoddammodo ad res dictas; loqui verò ad perſonas, quibus aliquid manifeſtatur, ſeu quibus cõmunicatur notitia aliqua. Cùm igitur in divinis ſolus Pater propriè Filio ſe manifeſtet, ſive notitiam ſui communiiet ex vi generationis intellectualis, ſolus ille propriè loquitur ad Filium, non autem ad ſeipſum, nec ad Spiritum ſanctum. Poteſt autem dicere ſeipſum quoddammodo, & Spiritum ſanctum: quoniam *dicere* ex ſecundaria cõſideratione importat reſpectum cognoſcentis ad cognitum, ac proinde poteſt eſſe in Patre cognoſcente ad quælibet obiecta cognita, quatenus in Verbo à ſe producto, veluti in imagine naturali, cognoſcit ſeipſum & alia omnia.

58 VERVM Vt hoc ipſum penitiùs capiatur, præoccupenturque plures obiectiones & difficultates circa modũ loquendi, oportet hæc tria diſtinguere in divinis: Intelligere, Dicere, & Loqui, *Intelligere*, vt obſervat D. Tho importat dumtaxat reſpectũ intelligentis ad rem intellectã, qui in divinis ſolùm eſt reſpectus rationis ob identitatẽ realem inter intelligentem, intellectum, intellectionem, & rem intellectam; competitque proinde omnibus & ſingulis perſonis divinis in ordine ad quælibet obiecta intelligibilia. Præterea omnibus ſimul, conuenit intelligere quidquid intelligibile eſt, ac primariò quidem divinam eſſentiam. *Dicere* autem propriè acceptum, & *loqui*, idem omnino ſunt quoad rationem primariam, quæ conſiſtit in exprimendo & producendo Verbũ mentale, veluti imaginẽ rei intellectę. Sola itaque differentia eſt inter *dicere* & *loqui* quoad reſpectum ſecundarium: quoniam *dicere* extenditur ad omnia ea, quæ repræſentantur per Verbũ productum; *loqui* verò ad ea dũtaxat, quæ ſunt capacia audiendi ipſum Verbum. Hinc eſt vt Pater exprimendo Verbum divinum, dicat ſe, & totam Trinitatem, immo & omnes creaturas, ſaltem poſsibiles; quoniã omnia illa habent rationem obiecti cogniti & repræſentati per Verbum: non tamen loquatur creaturis poſsibilibus, quæ pro eo ſtatu ſunt incapaces audiendi Verbum ipſum. Nec etiã propriè loquitur ſibi ipſi, aut Spiritui ſancto, quia nec ſibi communicat notitiam aliquam, nec Spiritui ſancto ex vi productionis: ſed ſolùm largè & minùs propriè loquitur ſibi & Spiritui ſancto, quatenus in Verbo à ſe producto videt ſeipſum, tanquam in imagine, quæ etiam intelligibiliter repræſentat ex vi originis ſuæ reliquas perſonas.

59 DICES Adhuc. Nemo vocaliter dicit aliquid Verbo ab alio, ſed à ſe tantùm vocaliter prolato. Ergo nemo mentaliter dicit verbo mentali ab alio, ſed à ſe dumtaxat prolato mentaliter. Si autem ſolus Filius in divinis eſſet Verbum, ſolus Pater ſeipſum Verbo diceret: quia ſolus Pater tale Verbum mentaliter profert. Cùm ergo etiam Spiritus ſanctus ſe ipſum Verbo dicat, Verbum propriè in divinis non eſt ſolus Filius. Eſt itaque aliquid omnibus perſonis commune.

60 RESP. Concedendo totum enthymema de dicente propriè & ſimpliciter tali, qualis eſt ſolus Pater in divinis, quoniam ſolus profert, ſeu exprimit Verbum per veram ipſius productionem. Vnde Spiritus ſanctus non dicit propriè ſeipſum eodem Verbo, ſed latè & communiter, ratione notitiæ ſeu repręſentationis abſolutæ, quæ eſt communis per identitatem ipſi Verbo & Spiritui ſancto. In quo eſt apertũ diſcrimen à Verbo creato, quod propter limitationem ſuam ſolùm conſtituit dicens ipſum ſuppoſitum à quo oritur. Verbum autem divinum ratione illimitationis ſuæ ſecundùm eſſe abſolutum intelligibile, quod eſt commune tribus perſonis, omnes illas conſtituit dicentes, id eſt, intelligentes communiter; propriè verò ſolùm Patrem, quoniam oritur ab illo ſolo. Quare D. Thom. 1. p. q. 34. art. 1. ad 3. ait: *Sic ergo Vni ſoli perſonæ conuenit dici, eo modo, quo dicitur Verbum. Eo vero modo, quo dicitur res intellecta in Verbo, cuilibet perſonæ conuenit dici.* Eadem verò ratio eſt de dictione paſsiva, & activa, vt patet.

61 SECVNDO Objicitur. Verbum abſtrahendo à creatis & divinis nihil aliud eſt, quàm actus intelligendi, ſive notitia. Actus autem intelligendi, ſeu notitia, non eſt aliquid perſonale, ſed eſſentiale omnibus divinis perſonis. Quippe omnes & ſingulæ intelligunt, & notitiam perfectiſsimam rerum omnium habent. Ergo Verbum in divinis non eſt aliquid perſonale, ſeu eſſentiale. Maior, in qua pollet eſſe diſsidium, ſupponitur à Durando probata in 1. diſt. 27. quæſt. 2 & à nobis cum Anſelmo ſuprà n. 11. quatenus ibidem diximus ex mente S. Doct. probabilius eſſe Verbũ in nobis non diſtingui ab intellectione. Vnde & videtur conſequens, vt nec in divinis ſit alia ratio formalis Verbi, quã intellectionis. Quæ enim in creatis non differunt, multò minùs in divinis, vbi longè maior vnitas & ſimplicitas eſt, differre debent. Si igitur in nobis Verbum eſt ipſa intellectio, multò magis in divinis.

62 VRGETVR I. Verbum creatum & finitum nihil aliud eſt, quã intellectio creata & finita, quã mens humana aut angelica exprimit intelligibiliter in actu ſecundo obiectũ repræſentatum per ſpeciem impreſſam in actu pri-

primo. Ergo ſimiliter Verbum increatum & infinitum nihil eſt aliud, quàm intellectio increata & infinita, qua mens divina exprimit intelligibiliter in actu ſecundo obiectum divinum repræſentatum per ſpeciem impreſſam in actu primo. Ergo ſicuti propterea intellectio increata & infinita eſt aliquid eſſentiale & commune omnibus perſonis, propriè loquendo, ita etiam Verbum increatum & infinitum.

63 VRGETVR II. Verbum creatum non conſiſtit in relatione producti, ſed in vitali expreſsione, ſive repręſentatione obiecti: ac proinde ipſum exiſtimari debet de Verbo increato. Expreſsio autem vitalis ſeu repræſentatio obiecti increati, eſt ipſa intellectio divina abſoluta & communis tribus perſonis. Verbum ergo increatum eſt ipſa intellectio abſoluta & communis tribus perſonis.

64 HVIC Argumento haud difficulter occurrere poſſunt qui docent, Verbum mentale in nobis eſſe diſtinctum reipſa ab intellectione, veluti terminum, *in quo* mens ſpeculatur obiectum. Poſſunt enim facilè dicere, Verbum propriè acceptum in divinis non eſſe intellectionem ipſam, ſed terminum aliquem per eam productum à ſolo Patre, licèt in re, & propter infinitatem ipſa relatio producti identificet ſibi intellectionem eſſentialem & communem tribus perſonis; cùm tamen verbum in creatis ratione limitationis ſuę differat reipſa ab intellectione, per quam producitur. Quā ſententiam, vt iam antè monui, latè tradidi in Curſu Philoſophico diſp. 90. de Anima Verùm cùm Anſelmus diſertè dicere videatur locis n. 11. indicatis, Verbum in nobis non eſſe quidquam aliud ab ipſa cognitione, ſeu intellectione, oportet aliter occurrere argumento.

65 QVARE Reſpondeo, Verbum abſtrahendo à divinis & creatis eſſe ipſum actū intelligendi, ſive notitiam non vtcumque acceptam, ſed ſimul cum relatione producti ad principium intelligens, ſive dicens, aut loquens. Sic enim ſumitur apud ſacras litteras, Concilia, & Patres, ac nominatim iuxta Anſelmum: vt vidimus latè ſect. 2. Actus autem intelligendi, ſeu notitia, prout includens relationem producti ad intelligens, ſive dicens, non eſt aliquid eſſentiale & commune, ſed peculiare & proprium Filij in ordine ad Patrem. Porrò Verbum in nobis non ſolùm habet eſſe notitiam mentis, ſed etiam imaginem obiecti expreſſam & productam à dicente ſeu loquente: ac proinde importat neceſſariò relationem effectus ad cauſam, tum tranſcendentalem, tum prædicamentalem, quæ in frequentiore opinione eſt ſupperaddita reipſa effectui. Quare etiam in divinis Verbum propriè dictum, non ſolùm importat actum intelligendi, ſeu notitiam, ſed relationem producti ad dicentem, quæ nullatenus eſt ſuperaddita Verbo, ſed potiùs ipſius Verbi conſtitutiva in ratione perſonæ, vt conſtabit ex progreſſu Operis. Quare nō eſt minor vnitas, vel ſimplicitas in Verbo increato, ſed potiùs maior, quàm in creato, cui relatio ad principium intelligens ſuperaddita eſt. Inſuper in creatis intellectio ipſa vt intellectio, eſt qualitas, quæ proinde cōſtituit aliud prædicamentum à relatione prædicamentali in principium dicens. Intellectio autem divina non ſpectat ad prædicamentū qualitatis, ſed eſt ipſa eſſentia Dei, quæ affecta relatione producti per intellectum conſtituit propriè Verbum.

66 AD I. Inſtantiam patet ex dictis. Verbum enim increatum & infinitum eſt ipſa intellectio increata, quatenus affecta relatione propria imaginis per intellectum productæ: ſicuti Verbum mentale creatum in nobis eſt intellectio ſeu notitia, quatenus vitaliter expreſſa à dicente ſeu loquente, ad quod proinde relationem importat, ſicuti effectus ad cauſam.

67 AD II. Verbum creatum conſiſtit in vitali expreſsione, ſeu repræſentatione obiecti per modum imaginis, quæ eſſentialiter claudit relationem tranſcendentalem ad principium intelligens, tanquam effectus ad cauſam propriam & per ſe requiſitam. Quare etiā Verbum increatum, cùm ſit expreſsio vitalis ſeu repræſentatio per modum imaginis, debet claudere in ſuo conceptu aliquam relationem, tanquam terminus in ordine ad principium intelligens, ſeu dicens. Aliunde verò eſt diſcrimen quòd intellectio noſtra eſt entitas ſuperaddita reipſa principio intelligendi, veluti qualitas ab ipſo producta: ſecus verò in Deo, propter illimitationem actus puri. Plures alias differentias Verbi increati à creato repete ex dictis Diſp. præced. Nonnullas breviter ac dilucidè pro more ſuo præſtrinxit RR. & graviſſimus Magiſter Lumbier Tract. 3. de Trinit. num. 264. quem vtinam videre licuiſſet ante diem hanc 22. Octobris anni 1680. quo primùm ad me pervenit; vt ex eius doctrina, & multiplici obſervatione locupletarem præcedentes Diputationes, quæ ſunt iam prælo editæ; ſicut & quædam aliæ à ſeptuageſima ſecunda ad octogeſsimam. Quod præter communem ordinem fecimus, vt huius Tomi editio citiùs perficeretur.

(*_*)

CAPVT XXXI. Aliàs 30.

Quod ipſum Verbum non ſit ſimilitudo factorum, ſed veritas eſſentiæ; facta verò ſint aliqua veritatis imitatio. Et quæ naturæ ſint præſtantiores, quàm aliæ.

68 SED Ecce videtur mihi ſuboriri nec facilis, nec vllatenus ſub ambiguitate relinquenda quæſtio. Etenim omnia huiuſmodi verba, quibus res quaſlibet mente dicimus, id eſt, cogitamus, ſimilitudines & imagines ſunt rerũ, quarum verba ſunt; & omnis ſimilitudo & imago, tantò magis vel minùs eſt vera, quãtò magis vel minùs imitatur rem, cuius eſt ſimilitudo. Quid igitur tenendũ eſt de Verbo, quo dicuntur, & per quod facta ſunt omnia? Erit, aut non erit ſimilitudo eorum, quę per ipſum facta ſunt? Si enim ipſum eſt vera mutabilium ſimilitudo; non eſt conſubſtantiale ſummæ incommutabilitati: quod falſum eſt. Si autem non eſt omnino vera, ſed qualiſcumque ſimilitudo mutabiliũ eſt; non eſt Verbum ſummæ veritatis omnino verũ: quod abſurdum eſt. At ſi nullam mutabiliũ habet ſimilitudinẽ: quomodo ad illius exemplũ facta ſunt?

69 VERVM Forſitã nihil huiuſmodi remanebit ambiguitatis, ſi quemadmodum in vivo homine veritas hominis eſſe dicitur; in picto verò ſimimilitudo, ſive imago illius veritatis: ſic exiſtẽdi veritas intelligatur in Verbo, cuius eſſentia ſic ſummè, eſt, vt quodammodo illa ſola ſit: in his verò, quæ in eius comparatione quoddammodo non ſunt, & tamen per illud & ſecundùm illud facta ſunt aliquid; aliqua ratio illius ſummę eſſentiæ perpendatur.

70 SIC Quippè Verbũ ſummæ veritatis, quod & ipſum eſt ſumma veritas, nullum augmentum vel detrimentum ſentiet, ſecũdùm hoc quòd magis vel minùs creaturis ſit ſimile: ſed potiùs neceſſe erit omne quod creatum eſt, tantò magis eſſe, & tantò eſſe præſtantiùs, quantò ſimilius eſt illi, quod ſummè eſt, & ſummè magnum eſt.

71 HINC Etenim fortaſsè, imò non fortaſsè, ſed pro certo, hinc omnis intellectus iudicat naturas quodlibet modo viventes præſtare non viventibus, ſentiẽtes non ſentiẽtibus, rationales irrationabilibus. Quoniam enim ſumma natura ſuo quodam modo ſingulari, non ſolùm eſt, ſed & vivit, & ſentit, & rationalis eſt; liquet quoniam inter omnia, quæ ſunt, id quod aliquo modo vivit, magis eſt illi ſimile, quã id, quod nullatenus vivit: & quod modo quolibet, vel corporeo ſenſu cognoſcit aliquid, magis eſt, quàm quod nihil omnino ſentit: & quod rationale eſt, magis, quàm quod rationis capax non eſt. Quoniam verò ſimili ratione quædam naturę magis minuſvè ſunt, quàm aliæ, perſpicuum eſt.

QVEM-

72 QVEMADMODVM Enim natura illud præſtantius eſt, quod per naturalem eſſentiam propinquius eſt præſtantiſsimo: ita vtique illa natura magis eſt, cuius eſſentia ſimilior eſt ſummæ eſſentiæ.

73 QVOD Sic quoque animadverti facilè poſſe exiſtimo. Nempe ſi cuilibet ſubſtantiæ, quæ & vivit, & ſenſibilis, & rationalis eſt, cogitatione auferatur quòd rationalis eſt; deinde quòd ſenſibilis, & poſtea quòd vitalis; poſtremò ipſum nudum eſſe quod remanet; quis non intelligat, quòd illa ſubſtantia, quæ ſic paulatim deſtruitur, ad minus & ad minus eſſe, & ad vltimum ad non eſſe, gradatim perducitur? Quæ autem ſingillatim aſſumpta, quamlibet eſſentiam ad minus & minus eſſe deducunt: eadem ordinatim aſſumpta, illam ad magis & magis eſſe perducunt. Patet igitur quia magis eſt vivens ſubſtãtia, quã non vivens, & ſenſibilis, quã non ſenſibilis, & rationalis quã non rationalis. Nõ eſt itaque dubiũ quòd omnis eſſentia eo ipſo magis eſt, præſtãtiorque eſt, quò ſimilior eſt illi eſſentiæ, quæ ſummè eſt, & ſummè præſtat.

74 SATIS Itaque manifeſtũ eſt, in Verbo per quod facta ſunt omnia non eſſe eorum ſimilitudinem, ſed veram ſimplicemque eſſentiã: in factis verò non eſſe ſimplicem abſolutamque eſſentiam, ſed verè illius eſſentiæ vix aliquã imitationem. Vnde neceſſe eſt non idem Verbum ſecundùm rerum creatarum ſimilitudinem magis vel minus eſſe verum: ſed omnem creaturã eò altiori gradu eſſentiæ dignitatiſque conſiſtere, quò magis illi propinquare videtur.

DISP. LXII. LITTERALIS.

AN VERBVM DIVINVM SIT VERBVM SIVE SIMILITVDO RERVM FACTARVM?

HVIC Diſputationi facem prætulit primus omnium (quod ſciam) Anſelmus in hoc capite: vbi ipſum allegant Scholaſtici infrà ſect. 2. referendi. Exponemus priùs litteram capitis & deinde penitiùs illam conſiderabimus.

SCHOLIA IN CAPVT XXXI. SECTIO PRIMA.

Exponitur & illuſtratur littera capitis: ac propoſitis rationibus dubitandi, ſtatuitur, Verbum diuinum non eſſe ſimilitudinem rerum factarum, ſed potius illas eſſe ſimilitudines Verbi & alias alijs præſtantiores.

2 ANSELMVS In hoc capite inquirit, an Verbum Divinum ſit Verbum creaturarum, ſive illarum ſimilitudo. Et initio proponit rationes dubitandi in viramque partem, quaſi velitando ſolùm, & tentando, ſi fortè poſsit controverſiam dirimere.

3 SED ECCE VIDETVR, &c. Proponit hanc ferè rationẽ dubitandi. Omnia verba interna, quibus mens noſtra cogitat, ſeu dicit quaſcumque res intelligit, ſunt ſimilitudines, ſive imagines rerum, quarum verba ſunt: omnis autem ſimilitudo vel imago, eo magis aut minùs vera eſt, quò magis aut minùs imitatur rem, cuius eſt ſimilitudo. Quid ergo exiſti-

ſtimandũ eſt de Verbo divino, per quod Deus dicit, & fecit omnia? Eſtne, aut non eſt imago, aut ſimilitudo eorum, quæ per ipſum facta ſun? Porrò ne ſit illorum ſimilitudo aut imago, illud imprimis facere videtur, quòd Verbum divinum ſit conſubſtantiale Deo, ac proinde ſummæ incommutabilitati. At quod eſt conſubſtantiale ſummæ incommutabilitati, nequit eſſe ſimilitudo rerum mutabilium, quales ſunt quæcumque dicuntur & fiunt per Verbũ. Ergo Verbum divinum nequit eſſe ſimilitudo rerum, quæ per ipſum dicuntur & fiunt. *Deinde.* Id quod verè & ſummè eſt, nequit vllo pacto eſſe ſimilitudo eorum, quæ verè potiùs non ſunt, quàm ſint. Atqui Verbum divinum, cùm ſit conſubſtantiale Deo, verè & ſummè eſt: quæ autem per ipſum dicta & facta ſunt, potiùs non ſunt, quàm ſint: vt ſuprà cap. 27. multipliciter demonſtratum fuit. Ergo Verbum divinum nequit vllo pacto eſſe ſimilitudo eorum, quæ per ipſum dicta & facta ſunt.

4 EX Oppoſito autem, ſeu pro parte affirmante, videtur vrgere ratio. Omne etim quod fit ad exemplum alterius, habet aliquam ſimilitudinem cum illo. Atqui omnia, quæ per Verbum divinum dicta ſunt & facta, ad illius exemplum facta ſunt. Verbum enim, ſive locutio Dei, eſt exemplar, aut idea rerum creatarum: vt ſuprà ſtabilitum fuit cap. 8. 9. & 10. Ergo omnia quę per Verbum dicta & facta ſunt, habẽt aliquam ſimilitudem cum illo: ac proinde ipſum aliquomodo eſt ſimilitudo factorum.

5 VERVM FORSITAN NIHIL, &c. Propoſitis rationibus dubitandi in vtramque partem, accedit ad dirimendam controverſiam. Quod vt faciat, prẽmittit, quemadmodum in vivo homine dicitur eſſe veritas hominis; in picto verò ſola ſimilitudo aut imago illius veritatis: ita etiam veritatem exiſtendi intelligi in Verbo divino, quoniam ſola illius eſſentia ſic ſummè eſt, vt quodammodo ſola ea ſit: in ijs autem rebus, quæ per illud facta ſunt, quæque illius comparatione potiùs non ſunt, quàm ſint, eſſe aliquid exiſtentiæ, penes quod imitantur ſummam Verbi eſſentiam, ſuntque aliqualis ſimilitudo illius. Nimirum eam doctrinam didicit Anſelmus ex Sacra Scriptura variis locis, præſertim Exodi 3. vbi Deus ipſe Moyſi ait: *EGO SVM QVI SVM.* Et præterea: *Hæc dices filijs Iſrael: QVI EST, miſit me ad vos.* Quæ ita expendit Maximus Doctor Heronymus Epiſtol. 136. *QVI EST, miſit me ad vos: tanquam in eius comparatione qui verè eſt, quia incommutabilis eſt, ea quæ commutabilia facta ſunt, quaſi non ſint.* Propterea quoque Dionyſius cap. 5. de Divinis nominib. ſolum Deum appellat οὐτως ὄν, καὶ ὑπ' ὄντων ἁπάντων ὄντοποιὸν. id eſt, *Verè ens, & omnibus, quæ ſunt, eſſentiam tribuens.* Denique Gregorius Magnus, vt plures alios omittam, lib. 16. Moral cap. 16. & lib. 18. cap. 22. eandem tradit doctrinam, dum ait: *Aliud eſt eſſe, aliud principaliter eſſe: aliud mutabiliter, atque aliud immutabiliter eſſe. Sunt enim hæc omnia: ſed principaliter non ſunt: quia in ſemetipſis minimè ſubſiſtunt: & niſi gubernantis manu teneantur, eſſent nequaquam.*

6 SIC QVIPPE VERBVM, &c. Præmittit deinde aliud diſcrimen Verbi à creaturis. Illud enim nullum augmentum aut detrimentum ſuæ perfectionis ſubit, ſive non evadit maius aut minus ex eo quòd exiſtant creaturæ magis aut minùs ipſi ſimiles: quoniam, vt antè præmiſſum fuit, incommunicabile eſt, ac proinde incapax maioris vel minoris perfectionis. Cæterum in creaturis factis per Verbum è converſo accidit. Tantò enim magis aut minùs perfectæ ſunt, quò magis aut minùs imitantur Verbum ipſum, ſeu illi ſimiles evadunt. Immo & eadem creatura poſtquam exiſtit, capax eſt augmenti aut decrementi per acceſſum maiorem aut defectum imitationis Verbi: quoniam omnis creatura eſt mutabilis, ac proinde poteſt in melius proficere, aut in deterius labi, ſeu phyſicè, ſeu etiam moraliter.

7 HINC ETENIM FORTASSE, &c. Doctrinam nuper traditam confirmat ex communi omnium exiſtimatione. Quippe omnibus perſuaſum eſt, naturas viventes antecellere non viventibus; ſentientes, id eſt, vicumque cognoſcentes, non cognoſcentibus; rationales irrationalibus. Hoc autem inde provenit, quòd quædam naturæ magis quàm aliæ imitantur Deum in ſuo eſſe. Deus enim, ſive ſumma natura, ſuo ſingulari atque ineffabili modo eſt, ſentit, id eſt, cognoſcit, & ratione vtitur: ac proinde quò plures earum perfectionum imitantur naturæ creatæ, eò præſtantiores exiſtunt. Ergo naturæ creatæ maiorem aut minorem perfectionem habent, prout magis vel minùs imitantur, ſive ſimiles exiſtunt naturæ ſummæ, atque adeò ipſi Verbo, quod non eſt aliud ab ipſa natura ſumma. Porrò naturas viventes generatim præſtare non viventibus, vt aſſumit, vel ſupponit Anſelmus ex ſententia communi; docet eleganter Magnus Auguſtinus, & abſque exceptione vlla lib. de duabus animabus cap. 4. vbi muſcam præponit Soli, & lib. de vera Religione cap. 9. vbi cùm cœlorum ac ſiderum perfectionẽ pulchritudinemque celebraſſet,

ſet, ſubdit: *Non qualiſcumque moles, quamquam iſta viſibili luce præfulgeat, ſi vita careat, magni æſtimanda eſt. Quælibet namque viua ſubſtantia cuilibet ſubſtantiæ non viuæ naturæ lege præponitur.* Nimirum, ſupponere videtur S. Doctor communem ac veram ſententiam, quæ docet contra Origenem & alios quoſdam, cœleſtibus corporibus & luminaribus, nullã omnino vitã ineſſe: de quo egimus Diſp 63. de Anima ſect. 4. Neque obſtat quòd iuxta communem hominum æſtimationem quędam inanima, vt gemmæ, aurum, & argentum, præferri ſoleant quibuſdam viventibus, vt reptilibus, immo & ſentientibus. Id enim ſolùm eſt attenta vtilitate privata vniuſcuiuſque, non autem inſpecta naturali perfectione rerum. Quod exponit idem S. Doctor lib. 21. de Civitat. cap. 16. dicens: *Eſt autem alius pro ſuo vſu cuiuſque æſtimationis modus. Quo fit, vt ſenſu carentia quibuſdam ſentientibus præponamus. Quis enim domi ſuæ panem habere, quàm mures; nummos, quàm pulices, malit? Sed quid mirum, cùm plerumque carius comparetur equus, quàm ſervus; gemma, quàm famula?*

8 QVEMADMODVM ENIM, &c. Confirmat iterum eandem doctrinam: Quia in quolibet genere præſtantius habetur quidquid magis propinquat præſtantiſsimo eiuſdem generis. Sic in genere lucis materialis cenſetur excellentior illa, quæ præ omnibus alijs propinquior eſt luci Solis, veluti præſtantiſsimæ in ſuo genere. Sic præterea inter motus ille velocior eſt, qui magis accedit ad motum primi mobilis, omnium velociſsimũ. Cùm ergo ſumma eſſentia ſit aliquid ſummum & infinitum in omni genere perfectionis, vnaquæque creatura eò præſtantior eſt, quò proximior perfectione eidem ſummæ eſſentiæ.

9 HINC Obiter colligitur, quæcumque natura creata aut creabilis aſsignetur, illam infinitè diſtare à natura ſummaque proinde adhuc eſſe poſsibilem aliam & aliam perfectiorem naturam: quoniam aſsignata qualibet, Deus magis ac magis perfectè participabilis eſt, ob infinitum exceſſum ſupra quamvis creaturam determinatam. Vnde vera eſt ſententia ex eo principio docens, repugnare creaturam omnium poſsibilium perfectiſsimam. Quod latè & ex profeſſo docuimus in Phyſica diſp. 24. per totam. Nunc ſolùm accipe verba Sancti Dionyſij Areopagitæ cap. 8. de Divin. nomin. dicentis: *Dicamus Deum infinitã vi ac potentia præditum, non ſolùm quod vim omnem in lucem proferat; ſed etiam quòd omnem quoque vim ipſam multam ſuperet, quodque poſsit etiam infinitè infinitas alias potentias, præter eas quæ ſunt in lucem proferre, neque vnquam potentiæ infinitæ & infinitæ in lucem prolatæ, effectionem potentiam effectricis eius potentiæ, quæ omnem infinitatem ſuperat, obſcurare & obruere poſsint; ex eo quòd ineffectibilis, & ignota, & incogitabilis eſt, cuncta egrediens ipſius virtus.*

10 QVOD SIC QVOQVE, &c. Confirmat denique S. Doctor eundem exceſſum quarundam naturarum ſupra alias: Quoniam omnis natura, quæ per ablationem perfectionum minuitur, eadem per additionem illarum augetur ac ſupereminet. Atqui eiuſmodi ſunt naturæ creatæ. Si enim v.g. cogitatione auferatur naturæ humanæ perfectio vivendi, deinde ſentiendi, ac tandem ratiocinandi, illa certè magis ac magis minuetur ſecundùm perfectionem. Ergo eadem ipſa per additionem perfectionum vivendi, ſentiendi, & ratiocinandi, augetur proculdubio & ſupereminet magis ac magis. Hoc autem habet ex eo quòd penes plures & maiores perfectiones eſt ſimilior ſummæ eſſentiæ, omnes illas ſingulari & infinito modo continenti, à qua illas participat inæqualiter. Ergo quædam naturæ creatæ ſunt alijs præſtantiores penes maiorem acceſſum ad ſummam naturam, cuius imitationes ac deliberationes ſunt, quamvis exiguæ, & pene nullius momenti in eius comparatione.

11 SATIS ITAQVE MANIFESTVM EST, &c. Ex tota doctrina hactenus tradita colligit Anſelmus, in Verbo, per quod facta ſunt omnia, non eſſe illorum ſimilitudinem, ſed veram & ſimplicem eſſentiam: in factis è contra, non eſſe ſimpliccem abſolutamque eſſentiam, ſed veræ illius eſſentiæ aliquam imitationem. Colligit præterea, non eſſe neceſſum vt idem Verbum ſit magis vel minùs verum iuxta rerum creatarum ſimilitudinem: ſed potius vt omnis natura creata eo perfectior ſit, quò magis illud imitatur, eique appropinquat.

SECTIO SECVNDA.

Statuitur directè, & probatur ſententia Sancti Anſelmi, refutatis tum euaſionibus, tum argumentis opinionis contrariæ.

12 DICENDVM Itaque eſt, Verbum divinum non eſſe Verbũ, ſive ſimilitudinem creaturarũ, propriè loquẽdo. Ita Anſelm. hoc loco & cap. ſequenti vbi ait: *Verbum, quo creaturam dicit, nequaquam ſimiliter eſt Verbum creaturæ:*

quia non eſt eius ſimilitudo, ſed principalis eſſentia. Vnde hanc eandem ſententiam, veluti expreſſam Anſelmi, ſequuntur Alenſis 1.par.q. 62 membro 1.ar.4. fine, Bonaventura in 1. d. 27 p.2.ar.1.q 1. Richardus ar.2.q 3 ad 3 Ruiz diſp.62. ſect 3 fine, Petavius lib.6.de Trinit. cap.4 num.10.

13 * RATIO Eruitur ex traditis à S. Doctore impręſenti, & ſub hanc formulam diſſerendi poteſt proponi. Nullum exemplar ſummè perfectum, eſt propriè Verbum, ſive ſimilitudo rei inferioris factæ ad ipſius imitationem. Atqui Verbum divinum eſt ſummè perfectum exemplar, ad cuius imitationem fiunt creaturæ prorſus inferiores. Ergo Verbum divinum non eſt propriè Verbum aut ſimilitudo creaturarum. Minor patet ex demonſtratis in hoc ipſo capite. Nam omnia per Verbum facta ſunt, vt fides docet: & ita ſunt facta, vt tanto perfectiora ſint, quò magis ipſum imitantur, quamvis imperfectè admodum, & manente infinito exceſſu illius. Maior autem probatur: Omne Verbum, omnis ſimilitudo propriè dicta ſeu imago, procedit, ſeu habet eſſe ab eo, cuius ſimilitudo aut imago eſt. Indeque Diſput. præcedenti oſtendimus latè, rationem Verbi propriè in divinis accipi de Filio, quia eſt propriè imago Patris per veram proceſsionem ab ipſo. Atqui nullum exemplar ſummè perfectum procedit, vel habet eſſe à re inferiori, quæ ad eius imitationem fit; quin potiùs res ipſa ab illo procedit, & habet eſſe, vt patet. Ergo nullum exemplar ſummè perfectum eſt propriè Verbum, ſive ſimilitudo rei inferioris factæ ad ipſius imitationem.

14 RESPONDET Mayro, quem allegat & ſequitur Amicus Tomo I diſput.26.n. 49. Verbum importare duplicem reſpectum, alterum realem ad dicentem, & alterum rationis ad dictata: ac proinde licèt Verbum divinum non poſsit dici Verbum creaturarum, quia ab ijs nõ dicitur, nec procedit; poſſe dici ipſarum Verbum ſecundùm conſiderationem poſteriorem, cùm illas verè repræſentet, exprimatque, & relatione rationis ad eas referatur.

15 SED Contrà. Vt enim ex omnium Theologorum ſententia contra Durandũ oſtendimus præcedenti Diſputatione, & multiplici teſtimonio Anſelmi, atque aliorum Patrum confirmavimus, Verbum propriè dictum importat potiſsimùm originem à dicente: quoniam debet eſſe propriè illius ſimilitudo expreſſa, aut imago, de cuius ratione eſt, vt procedat & pariatur à dicente, tanquam illius proles. Indeque idem Anſelmus infrà cap.39. aliàs 38 probat Filium eſſe veriſsimè Verbum Patris, *quia perfectam eius, quaſi proles parentis, tenet ſimilitudinem.* Cùm ergo repugnet Verbo divino, vt originem ducat à creaturis, veluti illarum proles, quamquam aliàs exprimat & repræſentet illas, non eſt propriè Verbum creaturarum.

16 CONTRA II. Ablato conſtitutivo partiali cuiuslibet rei, aut conceptûs obiectivi, præſertim potiſsimo aut præcipuo, non manet propriè res, vel obiectivus conceptus: vt ſi ab homine auferas rationalitatem, non manebit propriè homo. Atqui conſtitutivum partiale ac potiſsimum Verbi propriè dicti eſt, vt ſit ſimilitudo expreſſa & orta ab eo cuius Verbum eſt: quod patet non poſſe convenire Verbo divino reſpectu creaturarum. Ergo Verbum divinum nequit eſſe propriè Verbum creaturarũ. Quare parum intereſt quòd ad illas referatur ſecundùm rationem, eaſque repræſentet, ſi aliũde ipſi deficit conſtitutivum partiale & potiſsimum Verbi propriè dicti. Vide plura huc ſpectantia Diſp præced. n.38. & ſeqq.

17 CONTRA III. Reſpectus ad creaturas clauſus in Verbo, nullo modo ſuffi-cit, vt ſit propriè Verbum creaturarum. Nam, vt optimè obſervat Bonaventura loco indicato, non minùs clauditur reſpectus ad creaturas in proceſsione Spiritûs ſancti, quàm Verbi. Et tamen Spiritus ſanctus non eſt, nec dicitur propriè donum creaturæ. Ergo nec Verbum ex eo capite eſt aut dicitur propriè Verbum creaturarum. Et ratio vtriuſque eſt eadem: quoniam de ratione tum doni, tum Verbi propriè accepti, eſt, vt oriatur ab eo, cuius eſt propriè donum aut Verbum, quod nulli perſonæ divinæ convenire poteſt relatè ad creaturas.

18 CONTRA Denique. Verbum enim propriè dictum non ſolùm importat originem ab eo cuius Verbum eſt, ſed etiam relationem realem ad ipſum, fundatam in ipſa origine. Ideoque Anſelmus infrà cap 38. aliàs 37. inquit: *Verbum namque, hoc ipſum quod Verbum eſt, aut imago, ad alterum dicitur: quia non, niſi alicuius Verbum eſt, aut imago* Atqui Verbum divinum non importat relationem realem ad creaturas, vt ſupponitur in ſolutione præiacta: & præterea patet, quia relatio realis Verbi fundatur in origine, quam Verbum divinum nequit ducere ab aliquo creato. Ergo Verbum divinum non eſt propriè Verbum creaturarum.

19 OPPOSITAM Sententiam tuẽntur Aureolus in 1 diſt.27.p.2.ar.3.fine Mayro q.4. Torres 1.p.q 27.art.1. part.6.q.3 prop.5. Vazquez diſp.143.cap 3.num.12. Suarez lib. 9.de Trinit.cap.9 fine, vbi docet, Verbum divinum poſſe dici Verbum creaturarum terminativ, non participativè: & cap 6. admittit eãdem locutionem abſque vllo limite, ſicuti & Amicus Tomo I di p.26.num 49. Fundamentum potiſsimum, cui innituntur, eſt: quia Ver-

bum

bum duplicem importat reſpectum, alterum realem ad dicentem, alterum rationis ad rem dictam. Atqui licèt Verbum divinum nequeat importare reſpectum realem ad creaturas, poteſt ad eas referri per reſpectum rationis, tanquam ad rem dictam. Ergo licèt non ſub priori ratione, poteſt ſub poſteriore eſſe ac dici propriè Verbum creaturarum.

20 CONFIRMANT Multiplicitèr. PRIMO. Nihil ampliùs, aut difficilius apparet in hac propoſitione, *Deus eſt Verbum creaturarum*, quàm in hac, *Deus eſt ſcientia creaturarum*. Quippe in vtraque importatur ordo ad creaturas, tum expreſſas, tum repræſentatas. Atqui poſterior admittitur ab omnibus in ſenſu proprio. Ergo etiã admitti debet prior. SECVNDO Hæc eſt propria locutio, & à Patribus vſurpata: *Filius eſt Verbum expreſſivum & operativum creaturarum, ratio & ars omnium creabilium.* Ergo pariter hæc debet concedi in ſenſu proprio: *Filius eſt Verbum creaturarum*. nimirum, hæc ſolùm ſignificat implicitè, quod illa explicitè. TERTIO. Spiritus ſanctus propriè dicitur amor, etiam relatè ad creaturas. Ergo Filius dici poteſt Verbum propriè in ordine ad illas.

21 HÆC Tamen levia ſunt. Ad fundamentum enim præcipuum iam conſtat ex n. 15. Verbum propriè non dici, niſi relatè ad id à quo oritur, tanquam à dicente, & exprimente. quod repugnat Verbo divino relatè ad creaturas. AD I Confir. negatur maior. Scientia enim divina ex ſua ratione formali non importat originem à ſciente, nec ab obiecto: ſed ſolam illius habitudinem ad res ſcitas. Vnde Deus per ſuam entitatem eſt propriè ſcientia omnium eorum, quæ cognoſcit. Verbum autem propriè dictum importat ex ſua ratione formali originem ex potentia dicentis, & ex obiecto. Nequit autem Verbum divinum vllo modo ducere ortum ex obiectis creatis. AD II. admiſſo antecedente, negatur conſequentia, & illius probatio. Diſparitas in eo conſiſtit, quòd ratio Verbi ſimpliciter dicti importat originem ex eo, cuius eſt propriè Verbum. quod nequit convenire Deo relatè ad creaturas. Dum autem Verbum accipitur non ſimpliciter, ſed cum illo addito, *expreſſivum & operativum creaturarum*, &c. explicatur ſecundaria illius ratio, penes quã extenditur ad repræſentandas & producendas creaturas. Cumque id verè cõveniat Verbo Dei, quamvis ſecundariò, nihil mirum quòd verè dicatur cum eo additamento Verbum creaturarũ. AD III. admiſſo antecedente, negatur conſequentia: quoniam amor divinus, etiam propriè & ſimpliciter acceptus, non importat originẽ ab eo, cuius eſt amor, ſicuti paulo antè de ſciẽtia divina dictum eſt: ſecus verò ratio Verbi propriè dicti. Neque obſtat quòd Spiritus ſanctus dicatur à Theologis procedere vt amor. Nimirum, in ea locutione amor accipitur pro impulſu, qui eſt terminus reipſa productus per amorem. Quo ſenſu etiam dicimus, Spiritum ſanctum non eſſe propriè amorem creaturarũ, quoniam ab ijs nõ procedit. Si autem amor accipiatur eſſentialiter & ſimpliciter, poteſt Spiritus ſanctus dici amor creaturarum, veluti obiecti ſecundarij, quod Deus ſimpliciter amat.

22 COLLIGE Ex dictis, nec Verbum divinum poſſe dici ſimpliciter & propriè Verbum Spiritus ſancti: quoniam licèt repræſentet illum, non ducit originem ab eo. Verbum autem propriè importat originem ab eo, cuius eſt Verbum: vt ſæpe probatum eſt. Quod luculenter docet Anſelmus infrà cap. 63. alias 61. dicens: *Nullatenus ipſum Verbum videtur poſſe dici Verbum omnium trium, ſed tantùm vnius eorum. Conſtat enim ipſum eſſe imaginem, & Filium eius, cuius eſt Verbum: & patet quia nec imago, nec Filius ſuimet, aut à ſe procedentis Spiritus congrue dici poteſt.*

CAPVT XXXII. Aliàs 30.

Quòd ſummus ſpiritus ſe dicat coæterno Verbo.

23 SED Cùm ita ſit, quomodo illud, quod ſimplex eſt veritas, poteſt eſſe Verbum eorum, quorum non eſt ſimilitudo? Cùm omne Verbum, quo aliqua res ſic mente dicitur, ſimilitudo ſit rei eiuſdem: & ſi non eſt Verbum eorum, quæ facta ſunt per ipſum; quomodo conſtabit, quia ſit Verbum? Nempe, omne Verbum, alicuius rei Verbum eſt.

DENI-

24 DENIQVE Si nunquam creatura eſſet, nullum eius eſſet Verbum. Quid igitur? An concludendum eſt, quia ſi nullomodo eſſet creatura, nequaquam eſſet Verbum illud, quod eſt ſumma & nullius indigens eſſentia? Aut fortaſſe illa ſumma eſſentia, quæ Verbum eſt, eſſentia quidem eſſet æterna; ſed Verbum non eſſet, ſi nihil vnquam per illã fieret? Eius quod nec fuit, nec eſt, nec futurum eſt, nullum Verbum eſſe poteſt. Verùm ſecundùm hanc rationem, ſi nunquam vlla præter ſummum ſpiritum eſſentia, nullo modo eſſet Verbum in illo. Si nullum in illo Verbum eſſet, nihil apud ſe diceret. Si nihil apud ſe diceret, cùm idẽ ſit illi ſic dicere aliquid, quod eſt intelligere; non aliquid intelligeret. Si nihil intelligeret; ergo ſumma ſapientia, quæ non eſt aliud, quàm idem ſpiritus, nihil intelligeret: quod abſurdiſsimum eſt. Quid igitur? Si enim nihil intelligeret, quomodo eſſet ſumma ſapientia? Aut ſi nullo modo eſſet aliquid præter illam, quid illa intelligeret? Sed nunquid ſe ipſam non intelligeret? At quomodo vel cogitari poteſt, quòd ſumma ſapientia ſe aliquando non intelligat, cùm mens rationalis poſsit non ſolùm ſuimet, ſed & illius ſummæ ſapientiæ reminiſci; ſed & illam & ſe intelligere? Si enim mens humana nullam eius, aut ſuam habere memoriam aut intelligentiam poſſet; nequaquam ſe ab irrationabilibus creaturis, & illam ab omni creatura, ſecum ſola tacitè diſputando, ſicut nunc mẽs mea facit, diſcerneret.

25 ERGO Sũmus ille ſpiritus, ſicut eſt æternus; ita æternè ſui memor eſt, & intelligit ſe ad ſimilitudinem mentis rationalis: immò non ad vllius ſimilitudinem, ſed ille, principaliter: & mens rationalis ad eius ſimilitudinem. At ſi æternè ſe intelligit, æternè ſe dicit. Si æternè ſe dicit, æternè eſt Verbum eius apud ipſum. Sive igitur ille cogitetur nulla alia exiſtente eſſentia, ſive alijs exiſtentibus; neceſſe eſt Verbum illius coæternum illi eſſe cum ipſo.

SCHOLIA IN CAPVT XXXII.

SECTIO TERTIA.

Propoſita primùm quadam ratione dubitandi, probatur exiſtentia Verbi ſummè neceſſarij, & Deo coæterni, quamuis nulla creatura eſſet. Difficultates in oppoſitum, ſolutæ.

26 OBIICIT Sibi S. Doctor difficultatem quandam adverſus doctrinam traditam præcedenti capite: & ex eius ſolutione deducit, ſummum ſpiritum, ſive Deum, dicere ſeipſum coæterno Verbo.

27 *SED CVM ITA SIT*, &c. Cùm ex doctrina præcedentis capitis habeamus, Verbum divinum non eſſe Verbum creaturarum, quia non eſt ſimilitudo earum, ſed ipſa veritas eſſentiæ, videtur difficile explicatu, quo ſenſu, aut quomodo, aut cuiuſnam ſit Verbum. Etenim Verbum alicuius Verbum eſt, cùm relativè dicatur, vt idem S. Doctor obſervat cap. 38. aliàs 37. & ſuprà ex ipſo vidimus num. 18. Si ergo non eſt Verbum eorum, quæ facta ſunt per ipſum, oportet aſsignare, cuiuſnam alterius Verbum ſit, aut tollere de medio in divinis Verbum.

28 *DENIQVE SI NVNQVAM*, &c. Augetur difficultas. Si enim nũquam creatura eſſet, nullum eius eſſet Verbum. Hinc autem videtur colligi alterum duorum: vel quòd ſi nulla creatura eſſet, nullum quoque in Deo eſſet Verbum; vel quòd ſumma illa eſſen-

èssentia ; quæ modò est Verbum existentibus creaturis,tunc Verbum in Deo non esset,sed essentia tantùm. Non enim potest esse Verbum eorum,quæ nunquam sunt,fuerunt , aut erunt. Vtrumque autem est absurdissimum.PRIMO: quia Verbum in Deo nihil aliud est,quàm summa,& nullius rei indigens veritas. Ergo independenter ab omnibus creaturis , & à qualibet existentia illarum, adhuc esset in Deo Verbum. SECVNDO. Quia si nullum esset in Deo Verbum,Deus nihil apud se diceret,ac proinde nihil intelligeret. Quippe Deo idem est dicere,ac intelligere. Si autem Deus nihil intelligeret nõ esset summa sapientia. Quæ omnia,quàm absurda sint,non est opus expendere:cùm vel hoc saltem sit evidens,quòd summa sapientia seipsam intelligeret: siquidem vel mens rationalis, quæ adeò exigua est , potest seipsam , & illam summam sapientiam intelligere, eiusque reminiscì. Alioqui non differret à brutis animantibus , nec possemus de illa ipsa disputare , vti nunc facimus. Multò ergo magis illa summa essentia & sapientia,independenter ab omnibus creaturis seipsam intelligere potest.

29 *ERGO SVMMVS ILLE SPIRITVS*,&c. Postquam collegit absurda illata ex eo quòd in divinis non esset Verbum, respondet denique,necessum esse vt Verbum in Deo sit , quemadmodum necessum est vt Deus seipsum dicat & intelligat , multò magis verè & propriè , quàm rationalis animus seipsum: vtpotè qui ad eius imitationem factus est.Cumque necessum præterea sit , vt Deus æternè intelligat seipsum,pariter necessum est , vt æternè se dicat , ac proinde vt Verbum æternum apud se habeat. Quare demum concluditur,vt sive Deus cogitetur existentibus, sive non existentibus creaturis , independenter prorsus ab ijs Verbum coæternum semper apud se habeat. Vnde inconcussa manet doctrina præcedentis capitis : Quia licèt Verbum divinum non sit Verbum creaturarum,est VerbumDei æternum, & ipsi coæternum, sive creaturæ existant, sive non. Hanc ipsam coæternitatem Verbi divini præ creato tradit & probat infrà cap.48. aliàs 46.dicens : *Quoniam namque mens humana non semper se cogitat, sicut sui semper meminit: liquet, cùm se cogitat , quia Verbum eius nascitur de memoria. Vnde apparet quia si semper se cogitaret , semper Verbum eius de memoria nasceretur.Rem etenim cogitare,cuius memoriam habemus , hoc est mente eam dicere ; Verbum verò rei est ipsa cogitatio ad eius similitudinẽ ex memoria formata. Hinc itaque liquidò animaduerti potest de summa sapientia,quæ sic semper se dicit, sicut semper sui memor est : quia de æterna memoria eius coæternum Verbum nascitur.*

30 IDIPSVM Discrimen Verbi divini à creato penes durationem illius æternam, & huius temporaneam, brevissimamque , tradunt alij Patres,præsertim Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 11.dicens: ἐγέννησεν ὁ πατὴρ τὸν λόγον, οὐχ' ὡς ἐν ἀνθρώποις γεννᾷ νοῦς λογον, &c. id est: *Genuit Pater Verbum: non vt in hominibus mens Verbum generat. Etenim mens in nobis subsistens est: Verbum autem loquendo prolatum , & in aera diffusum, perit. Nos autem nouimus Christum genitum Verbum, non prolatiVum ; sed Verbum subsistens viuẽs; non labris prolatum : SED EX PATRE AB ÆTERNO, ET INEFFABILITER, ATQVE IN PROPRIA HYPOSTASI GENITVM.* Eandem æternitatem Verbi divini , prout distincti à creato, colligit Bernardus in Serm. de verbis Abacuc ex illo Psalmi. *Semel loquutus est Deus.* Sic enim exponit:*Semel loquutus est Deus: semel vtique,quia semper. Vna enim,& non interpolata, sed continua & perpetua loquutio est.*

31 COLLIGAMVS Itaque licet ex doctrina huius ac præcedentis capitis, Verbum divinum non esse Verbum , seu imaginem, aut similitudinem creaturarum, sive attendamus ad rationem propriam Verbi divini, sive ad communem & essentialem. Priori enim consideratione Verbum exigit oriri ab eo , cuius Verbũ, imago, aut similitudo expressa est. quod planè repugnat Verbo increato relatè ad creaturas,solumque ipsi convenit in ordine ad Patrem. Posteriori autem sensu est ipsa veritas essentiæ, & causa summa exemplaris, cuius imitationes & exiguæ quædam delibationes sunt essentiæ creaturarum. Causa autem summa exemplaris non est similitudo aut imago factorum, præsertim infinitè ab ea distantium : sed potiùs hæc sunt imperfectæ similitudines,aut potiùs rudes & vmbraticæ illius imitationes. Ergo nulla demum ratione Verbum Dei est Verbum, imago, aut similitudo rerum ab ipso & per ipsum factarum.

32 NEC Tamen inde colligere licet, casu quo creaturæ non existerent, minimè extiturum in Deo Verbum. Quin potiùs sive illæ existant,sive nunquam in lucem proferẽdæ essent , adhuc necessariò existeret in Deo Verbum.Semper enim necessarium est vt Deus intelligat seipsum , veluti summa sapientia ; ac proinde vt seipsum dicat:quoniam dicere interiùs & intelligere,idem est. At vbicumque est intellectio & dictio, ibidem est Verbum. Ergo necessarium est vt semper existat in Deo Verbum. Nimirum doctrina Theologorum in genere est,quam tradit D.Thom. 1.par.q.27 art. 1.dicens: *Quicumque intelligit , ex hoc ipso quòd intelligit , procedit aliquid intra ipsum,*

quod

quod eſt conceptio intellectus, ex vi intellectiva proueniens, & ex eius notitia procedens. Quam quidem conceptionem vox ſignificat: & dicitur verbum cordis, ſignificatum verbo vocis. Cùm ergo Deus neceſſariò & ſemper ſeipſum intelligat & dicat, neceſſariò quoque & ſemper apud ipſum exiſtit Verbum interius.

33 DICES: Si præiacta ratio Anſelmi evincit aliquid, aut demonſtrat, proceſsio Verbi intra Deum, ac ſubinde generatio æterna Verbi demonſtrabitur lumine naturali. nimirum, eodem lumine, quo demonſtratur generatim in omni intelligente & interiùs dicente ſeipſum, exiſtere Verbum cordis mente cõceptum. Conſequens autem abſurdum eſſe patet ex dictis ſuprà Diſp. LI. vbi oſtenſum eſt, tum ex ſacris litteris, tum alijs fundamentis, myſterium Trinitatis, & ipſam Verbi divini generationem eſſe indemonſtrabilem ratione naturali. Ergo ratio præiacta Anſelmi, aut nihil demonſtrat, aut nimiùm probat.

34 SED Enim hæc difficultas nequit ſpeciatim dirigi contra doctrinam Anſelmi, cùm etiam alij Patres, immo & Scholaſtici cum D. Thoma loco nuper allegato, ſuppoſitâ ſemel fide circa myſterium Trinitatis, & generationis Verbi, ſtudeant rationibus vtcumque confirmare, idipſum: *non vt per rationem ad fidem accedant* (inquit Anſelmus lib. 1. Cur Deus homo cap. 1.) *ſed vt eorum, quæ credunt intellectu, delectentur contemplatione: & vt parati ſint, quantùm poſſint, ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti rationem de ea, quæ in nobis eſt, fide.* Itaque nec vult S. Doctor, nec nos poſt ipſum, ratione præiacta demonſtrari generationem Verbi divini & coæterni Deo, quæ ſummùm coniecturis quibuſdam rationum adinventarum, ſuppoſita myſterij fide, ſuaderi poteſt. qualis profectò eſt paulo antè propoſita num. 29. Nulla enim ratio naturalis demonſtrare poteſt, poſsibilem eſſe veram generationem ſeu productionem Verbi conſtantis eâdem numero natura cum principio dicente: cùm id planè ſupergrediatur metas rationis, & principiorum naturalium.

35 POTEST Vlteriùs dici, ſcopum Anſelmi in hoc capite non eſſe probare in divinis Verbum vere productum à dicente, quod ſit ipſi coæternum. id enim nulla ratione naturali, vel argumento ex rebus creatis petito demonſtrari poteſt. Itaque hoc loco ſolùm probat demonſtrativè eſſe in Deo Verbum ipſi coæternum, ſicuti demonſtratur, intellectui divino eſſe notitiam, ſeu intellectionem ſui coæternam. An verò id Verbum ſit verè productum à dicente, ac proinde diſtinctum reipſa in perſona, & indiſtinctum in eſſentia, ſive conſubſtantiale; non inquirit, nec definit hoc loci expreſsè, ſed capite ſequenti, & deinceps, vt apparebit ex progreſſu.

CAPVT XXXIII. Aliàs 31.

Quòd conſubſtantiali vno Verbo dicat ſe, & quod facit.

36 SED Ecce quærenti mihi de Verbo, quo Creator dicit omnia, quæ fecit, obtulit ſe Verbum, quo ſeipſum dicit, qui omnia fecit. An ergo alio Verbo dicit ſeipſum, & alio ea quæ fecit: aut potiùs eodem ipſo Verbo, quo dicit ſeipſum, dicit quæcumque facit? Nam hoc quoque Verbum, quo ſeipſum dicit, neceſſe eſt idipſum eſſe, quod ipſe eſt: ſicut conſtat de Verbo illo, quo dicit ea, quæ facta ſunt à ſe. Cùm enim etiam ſi nihil vnquam aliud eſſet, niſi ſummus ille ſpiritus, ratio tamen cogat Verbum illud, quo ſe dicit, ex neceſsitate eſſe: quid verius, quàm hoc Verbum eius non eſſe aliud, quàm quod ipſe eſt? Ergo ſi & ſeipſum, & ea quæ facit, conſubſtantiali ſibi Verbo dicit: manifeſtum eſt, quia Verbi quo ſe dicit, & Verbi quo creaturam dicit, vna ſubſtantia eſt.

QVO-

37 QVOMODO Ergo ſi vna ſubſtantia eſt, duo verba ſunt? Sed forſitan non cogit identitas ſubſtantiæ, Verbi vnitatem admittere. Nam idem ipſe qui his verbis loquitur, eandem cum illis haber ſubſtantiam,& tamen verbum non eſt.

38 SED Vtique Verbum, quo ſe dicit ſumma ſapientia, convenientiſsimè dici poteſt Verbum eius, ſecundùm ſuperiorem rationem: quia eius perfectam tenet ſimilitudinem. Nam nulla ratione negari poteſt,cùm mens rationalis ſeipſam cogitando intelligit,imaginem ipſius naſci in ſua cogitatione:immò ipſam cogitationem ſui eſſe ſuam imaginem, ad ſuam ſimilitudinem, tanquam ex eius impreſsione formatam. Quamcumque enim rem mens,ſeu per corporis imaginationem, ſeu per rationem cupit veraciter cogitare, eius vtique ſimilitudinem, quantùm valet, in ipſa ſua cogitatione,conatur exprimere:quod quantò veriùs facit, tantò rem ipſam veriùs cogitat: & hoc quidem, cùm cogitat aliquid aliud, quod ipſa non eſt; & maximè cùm aliquod cogitat corpus, clariùs perſpicitur. Cùm enim cogito notum mihi hominem abſentem, formatur acies cogitationis meæ, in talem imaginem eius, qualem illam per viſum oculorum in memoriam attraxi: quæ imago in cogitatione, verbum eſt eiuſdem hominis,quem cogitando dico. Habet igitur mens rationalis, cùm ſe cogitando intelligit, ſecum imaginem ſuam ex ſe natam;id eſt,cogitationem ſui ad ſuam ſimilitudinem, quaſi ſua impreſsione formatam: quam vis ipſa ſe à ſua imagine, non niſi ratione ſola, ſeparare poſsit,quæ imago eius, verbum eius eſt. Hoc itaque modo,quis neget ſummam ſapientiam, cùm ſe dicendo intelligit, gignere conſubſtantialem ſibi ſimilitudinem ſuam, id eſt, Verbum ſuum?

39 QVOD Verbum, licèt de re tam ſingulariter eminenti propriè aliquid ſatis convenienter dici non poſsit; non tamen inconvenienter, ſicut ſimilitudo, ita & imago & figura & character eius dici poteſt. Verbum autem,quo creaturam dicit, nequaquam ſimiliter eſt verbum creaturæ;quia non eſt illius ſimilitudo,ſed principalis eſſentia. Conſequitur igitur, vt ipſam creaturam non dicat verbo creaturæ.

40 CVIVS Ergo verbo eam dicit, ſi non dicit eam verbo eius? Nam quod dicit,verbo dicit;& verbum,alicuius eſt verbum,id eſt,ſimilitudo. Sed ſi nihil aliud dicit,quàm ſe aut creaturam; nihil dicere poteſt,niſi aut ſuo,aut eius Verbo.Si ergo nihil dicit verbo creaturæ; quidquid dicit,Verbo ſuo dicit. VNO IGITVR EODEMQVE VERBO DICIT SEIPSVM, ET QVAECVMQVE FECIT.

SCHO-

SCHOLIA IN CAPVT XXXIII.

SECTIO QVARTA.

Verbum diuinum eſſe conſubſtantiale Patri, atque vnicum, quo dicit ſeipſum & creaturas.

41 POSTQVAM Duobus capitibus præcedentibus oſtenſum eſt, Verbum in Deo exiſtens non eſſe imaginem aut ſimilitudinem creaturarum, pergit modò S. Doctor ad inquirendum, An Deus vno eodemque Verbo dicat ſeipſum, & ea quæ facit (*ipſe enim dixit, & facta ſunt*, vt accinit Regius Vates Pſalmo 148) an potiùs diſtincto Verbo. Ac propoſitis rationibus dubitandi, decernit, vnicum eſſe Verbum, quo Deus dicit ſeipſum, & res à ſe factas; idque conſubſtantiale dicenti.

42 *SED ECCE QVÆRENTI MIHI*, &c. Hactenus directè egerat Anſelmus de Verbo diuino, quatenus Creator per illud fecit omnia, diſquirens an ſit Verbum aut ſimilitudo rerum factarum. Nunc iam agit præterea de Verbo, quatenus Deus ſeipſum dicit per illud: & inquirit, an ſit idem omnino Verbum, an potiùs diſtinctum. Præmittit verò, neceſſum eſſe, vt Verbum quo Creator dicit ſeipſum, ſit idipſum eſſe, quod Creator eſt: ſicuti & Verbum illud, quo dicit res factas, non eſt aliud ab eſſe ipſius Creatoris. Vtrumque verò manifeſtum eſſe vult ex antea traditis. Oſtenſum enim eſt vtroque præcedenti capite, quamvis nulla in Deo eſſet creatura, adhuc neceſſariò & æternè fore in Deo Verbum illud, quo dicit ſeipſum, & Verbum quo dicit creaturas. Atqui omne quod neceſſariò & æternè in Deo exiſtit independenter ab omni creaturarum exiſtentia, eſt idipſum eſſe Creatoris, ipſique coeſſentiale, & conſubſtantiale. Nimirum, omne quod intra Deum exiſtit, eſt Deus: vt demonſtratum à ſe ſupponit Anſelmus ſuprà c. 15. 16. & 17. vbi de actualitate & ſimplicitate ſummæ Dei diſſeruit, & nos cum ipſo Diſp. XXVIII. ac XXIX. Ergo Verbum, quo Creator dicit ſeipſum, & Verbum, quo dicit creaturas, eſt idipſum quod Creator, illique coeſſentiale & conſubſtantiale.

43 *QVOMODO ERGO SI VNA*, &c. Proponit hanc ferè rationem dubitandi. Si Verbum, quo Creator dicit ſeipſum, & Verbum quo dicit res factas, ſunt duo verba; quomodo erunt vna & eadem ſubſtantia Creatoris vt nuper definitum eſt? Nam vbi ſubſtantia eſt vna & eadem, Verbum ab illa indiſtinctum videtur debere eſſe vnicum, non duplex. Huic verò difficultati adhibet reſponſionem ſubobſcuram, propter varietatem lectionum, quæ in editione noviſſima Gerberonis videri poſſunt. Nos ita edidimus: *Sed forſitan non cogit identitas ſubſtantiæ Verbi vnitatem admittere* non verò *amittere*, vt quædam exemplaria habent. Si enim legeretur, *amittere*, non occurreretur rationi dubitandi, in qua continetur, ſi ſubſtantia eſt vna, non poſſe Verbum eſſe duplex: ac proinde tenditur ad vnitatem Verbi admittendam, non autem amittendam. Obiectioni autem propoſitæ occurrit Anſelmus, dicens, ex illa nō ſatis reijci duplex Verbum. Poſſet enim quiſpiam reſpondere, quamvis ſubſtantia Dei ſit vna, illam habere identitatem cum duplici Verbo: ſicuti, quamvis loquens ijs verbis, nimirum, Creator & Genitor ſit vna ſubſtantia cum Verbo, non propterea eſt Verbum, ſed perſona à Verbo diſtincta. Quippe nō minor apparet contradictio in eo quòd ſint duæ perſonæ, quàm in eo quòd ſint duo verba, vnius & eiuſdem numero ſubſtantiæ. Cùm verò poſtea in progreſſu capitis doceat Anſelmus, probeque, in Deo non eſſe duplex, ſed vnicum Verbum, quo dicit ſeipſum, & alia à ſe; quod nunc indicat de duplici Verbo, non profert ex ſuo ſenſu, ſed dubitantis, & præterea alterius, qui poſſet ſic occurrere præiactæ obiectioni.

44 *SED VTIQVE VERBVM*, &c. Præmittit vlteriùs, Verbum, quo ſumma ſapientia dicit ſeipſam, convenienter admodum dici poſſe Verbum eius, iuxta tradita in ſuperioribus: quoniam perfectam intelligentis, ſeu dicentis ſimilitudinem exprimit, in qua conſiſtit ratio propria Verbi. Id verò explicare vtcumque & confirmare pergit exemplo animi rationalis ſeipſum cogitantis, cui imago quædam naſcitur in ipſa cogitatione. immò ipſa cogitatio animi eſt imago mentis ipſius, tanquam ex eius impreſsione formata. Nimirum, verbum mentis iuxta S. Doctorem non differt ab intellectione, ſeu cogitatione ipſa ſecundùm rem: vt ſuprà Diſputat. præcedenti præmiſimus ex ipſius ſenſu hoc ipſo loco. Quod verbum, ſeu conceptio, quamvis verè exiſtat in mente, dum ſeipſam cogitat, clariùs quoddammodo percipitur vbi cogitamus aliquid externum ſenſibileque. Cùm enim cogitamus hominem aut lapidem, quorum neuter ſecundùm ſuum eſſe naturale, aut molem corporis, poteſt ingredi in mentem noſtram; in ipſa cogitatione formamus quandam eius imaginem, quam verbum mentis appellamus, veluti prolem ab ipſa ortam. Ergo etiam ſapientia increata cùm ſeipſam cogitat, debet parere conceptionem quandam, veluti prolem ſuam, & imaginem, quæ perfectè illam repræſentet. Cumque eiuſmodi conceptio debeat eſſe conſubſtantialis intelligenti ac dicenti (vtpote quæ ſemper ac ne-

neceſſariò exiſtit, & exiſteret, quamvis nulla creatura eſſet, vt ſuprà initio capitis probatum eſt) conſequens eſt, vt ſapientia increata neceſſariò pariat Verbum conſubſtantiale.

45 VT Autem hæc ratiocinatio Anſelmi inoffenſo decurrat pede, obſervandum imprimis eſt, nomine ſapientiæ aut mentis increatæ, generantis Verbum conſubſtantiale ſibi, nõ intelligi naturam divinam. Hæc enim non generat vt definitum eſt in Concilio Lateran. ſub Innocentio III. prout habetur in cap. Damnamus de ſumma Trinit. & Fide Cathol. Similiter nec nomine ſapientiæ aut mentis increatæ accipitur hoc loco attributum ſapientiæ vel intellectûs divini, quaſi per ſe, aut in abſtracto. Quippe illud, ſicuti & quælibet alia attributa, ſeu prædicata abſoluta Dei, non differt reipſa à perſonis, vt pariter definitum eſt in Concilio Rhemenſi ſub Eugenio III. contra Gilbertum Porretanum. quod latè oſtendimus Tomo I. Diſp. XXV. Quare ſupereſt, vt hoc loci nomine ſapientiæ increatæ concipientis ſeu parientis Verbum conſubſtantiale ſibi, accipiatur perſona Patris ſapiens, vel intelligens, ſive ſapientia ipſa, prout in perſona ſolius Patris, qui ſolus habet propriè dicere, ſeu generare Verbũ. Quem ſenſum ipſe Anſelmus luculentiſsimè exponit in capitibus ſequentibus: ſed oportuit hoc loco à nobis præmitti, ne fortè alicui doctrina huius capitis aut minùs propria, aut obſcura videretur.

46 *QVOD VERBVM*, &c. Obſervat Anſelmus exceſſum infinitum Verbi increati ſupra creatum, vt proinde nihil à nobis dici poſsit de illo ſatis propriè. Quo ipſo fatetur, ratiocinationem præcedentem non eſſe adæquatam aut demonſtrativam, ſed coniecturam quandam ductam ex ſimilitudine mentis rationalis concipientis ac parientis intra ſe verbum, veluti imaginem ſui. Nam verbum in nobis nõ eſt conſubſtantiale menti, ſed diſtinctum reipſa ab illa, ſive tanquam actus à potentia, ſive tanquam terminus actionis, verè effectus & diſtinctus ab illa, iuxta varias opiniones. Verbum autem divinum mirabili modo, & ſingulariter eminenti, oritur ab intelligente & dicente, non tanquam alterius eſſentiæ aut ſubſtantiæ ab illo, neque veluti aliquid factum: ſed veluti terminus, ſeu imago conſubſtantialis & eiuſdem numero eſſentiæ cum dicente. Quod proculdubiò omnem rationem naturalem ſupergreditur, & in verbo noſtræ mentis ruditer ſolùm adumbrari poteſt. Verùm licèt id ita ſit, monet Anſelmus, Verbum divinum poſſe non inconvenienter appellari ſimilitudinem, imaginem, figuram, & characterem Dei intelligentis ac dicentis Verbum ipſum. Quæ locutio nititur in varijs Scripturæ teſtimonijs, præſertim Hebræorum 1. v. 3. vbi Filius appellatur *ſplẽdor gloriæ, & figura ſubſtantiæ* Dei loquentis in illo: ſimiliterque in plurimis locis Patrum, qui paſſim Verbum divinum appellant ſimilitudinem, characterem, figuram, & imaginem Patris, Imaginem, inquam, ſed eo ſenſu, quem indicat Apoſtolus Philipp. 2. & ex ipſo Auguſtinus lib. contra Sermonem Arianorum cap. 26. vbi hæreticos illos aſſerentes, Filium eſſe imaginem vivam & veram, propriam & condignam totius bonitatis & ſapientiæ & virtutis Patris, ita refellit: *Apoſtolus Paulus non virtutis Dei & ſapientiæ imaginem, ſed eum ipſum eſſe dicit Dei virtutem, & Dei ſapientiam. Eo ipſo igitur quòd imago Patris eſt Filius, virtus eius & ſapientia eſt. Imago autem plena, atque perfecta, id eſt, non ab illo ex nihilo facta, ſed de illo genita, nihil minus habet, quàm ille, cuius imago eſt Patris quippe imago ſumma, id eſt, ita ſimilis, vt in ea diſsimile aliquid non ſit, Filius eſt vnicus.* Subdit verò ſtatim Anſelmus, Verbum non eſſe imaginem creaturarum, quod iam latè in præceden ibus confirmavit: ac proinde colligit Deum non dicere creaturam verbo creaturæ.

47 *CVIVS ERGO VERBO*, &c. Colligit denique S. Doctor, Deum eodem Verbo dicere ſeipſum & creaturas. Collectionem verò ſic ferè probat. Deus intelligens ſeipſum & creaturas (veluti qui ſumma ſapientia eſt) ſeipſum dicit & creaturas: quia intelligere in Patre idem eſt ac dicere. At dicere nequit niſi Verbo aliquo, vt patet. Ergo ſeipſum & creaturas dicit Verbo aliquo. Ergo vel Verbo ſuo, vel creaturarum. At non Verbo creaturarum: cùm ſuprà demonſtratum ſit, Verbum Dei non eſſe creaturarum Verbum. Igitur ſupereſt demum vt Verbo ſuo dicat ſeipſum & creaturas; ac proinde vnico Verbo, non duplici. Quæ doctrina certa eſt ſecundùm fidem, quidquid olim effutierit Arius, quem refellit Athanaſius lib. de Decretis Nicænæ Synodi, & præterea Orat. 5 initio, vbi ait: ὥσπερ γὰρ μία ἐστὶν ἡ ἀρχὴ, ὅτως ἓν ἐστὶ καὶ μόνον, καὶ ὑφεστὼς ὁ ταύτης λόγος, καὶ ἡ σοφία. id eſt, *Sicut vna ſubſtantia eſt principium, ſic vnum eſt eſſe ſubſtantiale, & ſubſiſtens eius Verbum, ac ſapientia.*

CA-

CAPVT XXXIV. Aliás XXXIII.

Quòd ſuo Verbo videri poſsit dicere creaturam.

48 SED Quomodo tam differentes res, ſcilicet, creatrix, & creata eſſentia, dici poſſunt vno Verbo? Præſertim cùm Verbum ipſum ſit dicenti coæternum, creatura autem non ſit illi coæterna?

49 FORSITAN, Quia ipſe eſt ſumma ſapientia & ſumma ratio, in qua ſunt omnia, quæ facta ſunt: quemadmodum opus, quod fit ſecundùm aliquam artem, non ſolùm quando fit, verùm & antequam fiat, & poſtquam diſſolvitur, ſemper eſt in ipſa arte, non aliud, quàm quod eſt ars ipſa.

50 IDCIRCO Cùm ipſe ſummus ſpiritus dicit ſeipſum, dicit omnia, quæ facta ſunt. Nam & antequam fierent, & cùm iam facta ſunt, & cùm corrumpuntur, ſeu aliquo modo variantur, ſemper in ipſo ſunt; non quod ſunt in ſeipſis, ſed quod eſt idem ipſe. Etenim in ſeipſis ſunt eſſentia mutabilis, ſecundùm mutabilem rationem creata: in ipſo verò ſunt ipſa prima eſſentia, & prima exiſtendi veritas; cui prout magis vtcumque illa ſimilia ſint, ita veriùs & præſtantiùs exiſtunt. Hoc itaque modo non irrationabiliter aſſeri poteſt, quia cùm ſeipſum dicit ſummus ille ſpiritus, dicit etiam quidquid factum eſt vno eodemque Verbo.

SECTIO QVINTA.

Creaturas, quamuis mutabiles in ſeipſis, contineri in Deo immutabiliter, veluti indiſtinctas ab eius eſſentia & arte. Ideo Deum eodem Verbo, quo dicit ſeipſum, dicere creaturas.

51 SED QVOMODO, &c. Poſtquam ſtatuit S. Doctor præcedenti capite, Deũ vnico Verbo ſuo dicere ſeipſum, & creaturas, nunc ſibi hãc ferè difficultatem obijcit: Plura inter ſe prorſus diverſa, præſertim quorum vnum eſt æternum, & alterum temporaneum, nequeunt dici vno eodemque Verbo. Atqui creans & creata eſſentia ſunt prorſus diverſæ inter ſe, & altera æterna, temporanea altera. Ergo nequeunt dici vno eodemque Verbo. Quare ſupereſt, vt res creatæ dicantur alio Verbo, quod proinde ſit Verbum proprium creaturarum, & omnino diſtinctũ à Verbo, quo Deus dicit ſeipſum. Et augetur difficultas: Quia Verbum, quo Deus dicit ſeipſum, eſt coæternum dicenti: creaturæ autem non ſunt ipſi coæternæ. Ergo nequeunt creaturæ dici Verbo, quo Deus dicit ſeipſum, ſed alio, eoque temporali.

52 *FORSITAN QVIA IPSE*, &c. Solvit dubium propoſitum, præmittens, Deum eſſe ſummam ſapientiam, & ſummam rationem, in qua facta ſunt omnia, quæcumque facta ſunt: quemadmodum opus factum iuxta regulas artis, ſemper eſt in ipſa arte, non ſolùm quando fit, ſed etiam antequam fiat, & poſtquã in ſeipſo diſſolvitur. Semper enim in idea vel arte facientis permanet: immò eſt ipſa idea, vel ars, ſeu ratio æterna rerum agendarum: non quidem diſsita à mente divina, qualem exiſtimaſſe cenſetur Plato, ſed in ipſa Dei mente exiſtens, veluti procreandarum rerum exemplar, quod Dionyſius cap. 11. de Divin. nominibus, alijque plures Patrum, παράδειγμα appellant. De quo videſis plura à nobis obſervata cum Anſelmo Tomo I. Diſput. XX. per totam, vbi de Ideis divinis ſermo fuit. Ibidem enim cap. 9. rem ipſam, in qua verſamur, declarat exemplo artificis, *Veluti cùm faber facturus aliquod ſuæ artis*

artis opus, prius illud intra ſe dicit mentis cõceptione. Quo eodem exemplo vſus fuerat Auguſtinus opportunè in rem noſtram. Nã Tract. 1. in Ioannem ait: ✻ Faber dicit arcam. Primò in arte habet arcam. Si enim in arte arcam non haberet, non eſſet vnde fabricando illam proferret. Sed arca ſic eſt in arte, vt non arca ipſa ſit, quæ videtur oculis. In arte inviſibiliter eſt: in opere viſibiliter erit.

53 *IDCIRCO CVM IPSE*, &c. Ex præmiſſo nuper explicato colligit Anſelmus, Deum, dum dicit ſeipſum, dicere etiam ea, quæ fecit. Quamvis enim illa in ſeipſis nondum eſſent ab æterno, & quandoque in tempore nondum ſint, aut eſſe deſinant, adhuc ab æterno in æternum ſunt in Deo, non quod ſunt in ſeipſis, ſed quod ipſe Deus eſt. Nimirum, in ſeipſis ſunt eſſentiæ mutabiles, & viciſſitudini obnoxiæ: in Deo autem ſunt prima eſſentia, & prima exiſtendi veritas, ex cuius maiori aut minori imitatione præſtantiores aut minùs bonæ evadunt. Hinc autem ſubducitur formula argumentationis. Deus dum dicit ſeipſum, dicit planè quidquid idem cum ipſo eſt. Atqui res creatæ, quatenus contentæ in arte, ſivè ideâ ſummi Artificis, ſunt vnum & idem cum Deo. Ergo Deus dicens ſeipſum, dicit etiam res creatas, quatenus contentas in arte, ſive idea ſummi Artificis. Quam ipſam doctrinam luculenter tradit Auguſtinus loco nuper indicato, dicens: ✻ Attendite ergo arcam in arte, & arcam in opere. Arca in opere non eſt vita: arca in arte vita eſt: quia vivit animâ artificis, vbi ſunt omnia iſta, antequam proferantur. Sic ergo, fratres chariſsimi, quia ſapientia Dei, per quam facta ſunt omnia, ſecundùm artem continet omnia, antequam fabricet omnia; hinc quæ fiunt per ipſam artem, non continuò vita ſunt; ſed quidquid factum eſt, in ipſo vita eſt. Terram vides: eſt in arte terra. Cœlum vides: eſt in arte cœlum. Solem & Lunam vides: ſunt & iſta in arte. Sed foris corpora ſunt: in arte vita ſunt. ✻ Nimirum, ea ſunt paradigmata mentis divinæ, quæ exponit Dionyſius vbi ſuprà illis verbis: ✻ Exemplaria verò dicimus eſſe rationes, quæ in Deo ſunt, quæ rebus eſſentiam tribuunt, ac ſingulariter antè ſubſiſtunt; quas Theologia προορισμοὺς καλεῖ, καὶ θεῖα θελήματα, id eſt prædeſtinationes vocat, divinaſque voluntates, quæ definiendorum & faciendorum vim habent entium: ſecundùm quas ille ſubſtantia ſuperior omni, entia omnia prædeſtinavit, ac produxit. ✻ Æternitatem verò & incommunicabilitatem idearum eiuſmodi, ab Anſelmo obſervatam, quamvis res faciendæ ſint temporaneæ & mutabiles in ſeipſis, tradiderat antea Auguſtinus lib. Octoginta QQ. q. 46. dicens, poſt plura alia: ✻ Non ſolùm ſunt Ideæ, ſed ipſæ veræ ſunt, quia æternæ ſunt, & eiuſmodi, atque incommutabiles manent: quarum participatione fit, vt ſit, quidquid eſt, quoquomodo eſt. ✻ Denique longè diſsimilem modum exiſtendi creaturarum in Deo, & in ſeipſis, iam ante Anſelmum explanaverat Gregorius Magnus lib. 20. Moral cap. 23. dicens: ✻ In Deo nec præterita, nec futura reperiri queũt: ſed cuncta mutabilia immutabiliter durant: & quæ in ſeipſis ſimul exiſtere non poſſunt, illi ſimul omnia aſsiſtunt, nihilque in illo præterit, quod tranſit: quia in æternitate eius modo quodam incomprehenſibili cuncta volumina ſęculorum tranſeuntia manent, labentia ſtant. ✻

54 ITAQVE Concluditur, Deum dicere creaturas eodem atque vnico Verbo, quo dicit ſeipſum. Nam quo Verbo dicit ſeipſum, dicit quidquid idem ſecum eſt, & quatenus eſt idem ſecum. Atqui creaturæ, quatenus contentæ in eſſentia & arte divina, ſunt vnum & idem cum Deo, vt probatum eſt. Ergo quatenus contentæ in eſſentia & arte divina, dicuntur à Deo, eodem atque vnico Verbo, quo dicit ſeipſum. Vide infrà D. LXXXV. ſ. 2. & ſe.

CAPVT XXXV. Aliàs XXXIV.

Quòd quidquid factum eſt, in eius Verbo & ſcientia ſit vita & veritas.

55 VERVM Cùm conſtet quia Verbum eius conſubſtantiale eſt illi, & perfectè ſimile; neceſſariò conſequitur vt omnia quæ ſunt in illo, eadem & eodem modo ſint in Verbo eius. Quidquid igitur factum eſt, ſive vivat, ſivè non vivat, aut quomodocumque ſit in ſe, in illo eſt vita & veritas.

56 QVONIAM Autem idem eſt ſummo ſpiritui ſcire, quod intelligere, ſive dicere; neceſſe eſt vt eodem modo ſciat omnia quæ ſcit, quo ea dicit aut intelligit. Quemadmodum igitur omnia ſunt in Verbo eius vita & veritas; ita ſunt in ſcientia eius.

SCHOLIA IN CAPVT XXXV.

SECTIO SEXTA.

Creaturas omnes, etiam inanimas, in Deo, atque in ipſius Verbo, & ſcientia, eſſe vitam, veritatemque.

57 CVM Anſelmus capite præcedenti docuiſſet, creaturas contineri in eſſentia & arte Dei, veluti aliquid ab ipſo indiſtinctum, & immutabiliter exiſtens; nũc addit conſequenter, illas pariter eſſe in Verbo Dei, eiuſque ſcientia, veluti vitam & veritatem. Formula autem probationis hæc ferè eſt. Verbum divinum eſt conſubſtantiale & perfectè ſimile Deo: quod iam ſuprà cap. 32. & 33. latè oſtenſum fuit. Ergo in Verbo divino continetur quidquid continetur in ſubſtantia ipſa, ſeu eſſentia Dei. Alioqui Verbum non eſſet vna eademque ſubſtantia cum Deo, nec perfectè ſimile ipſi, contra quàm in antecedenti ſupponitur probatum. Atqui res quælibet factæ continentur in eſſentia ſive ſubſtantia Dei, veluti vita & veritas, ſive in ſeipſis vivant, ſive non vivant. Ergo pariter & eodem modo in Verbo divino continentur. Quod autem in eſſentia Dei contineantur res omnes, etiam inanimæ, veluti vita & veritas, patet ex dictis ſuperiori capite. Non enim continentur in Deo prout exiſtunt in ſe ipſis, aut ſecundùm proprium modum, quo mutabiles ſunt, & infirmæ veritatis: ſed ſecundùm proprium modum Dei, qui eſt vita & veritas per eſſentiam. Ergo creaturæ omnes, etiam inanimæ, prout contentæ in illo, ac proinde in Verbo conſubſtantiali ipſi, ſunt vita & veritas per eſſentiam.

58 HÆC Doctrina Anſelmi, non ſolùm innititur rationi demonſtrativæ, quâ illam probat, ſed etiam continetur in Evangelio Ioannis vbi cap. 1. dicitur de Verbo Dei: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt, in ipſo vita erat, & vita erat lux hominum.* Sic legitur abſque vlla interpunctione in Bibliis correctis iuſſu Sixti V. & editis auctoritate Clementis VIII. quamvis in Græco adhibeatur punctum poſt verba, ὃ γέγονεν, *quod factum eſt.* Itaque ſenſus eſt, quidquid factum eſt, in Verbo Dei eſſe vitam. qualiter hunc locum legunt & interpretantur Tertullianus, Cyrillus, Clemens, & Beda, apud Iacobum Tirinum. Nimirum, vt ipſi exponunt, omnis creatura, priuſquam exiſteret, erat in Verbo divino vitaliter & intellectualiter, ſive in ideis, & rationibus æternis rerum agendarum, viventibus in ipſo Verbo.

59 *QVONIAM AVTEM IDEM EST*, &c. Poſtquam ſtatutum eſt, creaturas omnes factas, eſſe in Verbo Dei, tanquam vitam & veritatem, nunc ſubdit, pariter illas omnes eſſe in ſcientia Dei. Quod probat ferè ſic. Idem eſt ſummo ſpiritui, ſive Deo, ſcire, quod intelligere, ſive dicere. vt in ſuperioribus præmiſſum fuit. Ergo neceſſum eſt, vt quemadmodum Deus intelligit ſive dicit res factas, ita etiam illas ſciat. At quia intelligit ſive dicit res factas, omnes illæ ſunt in Verbo Dei intellecto & dicto, veluti vita & veritas. Ergo pariter ſunt in ſcientia Dei, veluti vita & veritas.

60 OBSERVANDVM Eſt autem, dum Anſelmus ait, idem eſſe ſummo ſpiritui ſcire quod intelligere, ſive dicere, ſermonem eſſe poſſe, vel de *dictione* communiter, ſive eſſentialiter accepta quæ eſt communis tribus perſonis; vel de ſpeciali & notionali, quæ ſoli Patri convenit erga Verbum, quod generat per intellectum. Porrò impræſentiarum S. Doctor vtrovis modo accipi poteſt ſatis opportunè. Verum id eſt diſcriminis inter vtrumque ſenſum, quòd iuxta priorem ſolùm demonſtretur, exiſtentia rerum factarum in Verbo Dei communiter & impropriè dicto, quod eſt eſſentia divina, quatenus per ſeipſam & perfectiſſimo quodam modo continens & repræſentans omnes creaturas: iuxta ſenſum verò poſteriorem probat, in ipſo Verbo Dei, quod eſt expreſſum & productum à Patre intelligente ac dicente ſeipſum, eſſe continerique res factas, in eiuſque ſcientia illas eſſe vitam & veritatem. Cui ſenſui reſpondent verba illa Evangelij Ioannis, *Quod factum eſt, in ipſo vita erat*; iuxta lectionem correctam à Sixto V. prout n. 58. obſervavimus.

CA-

CAPVT XXXVI. Aliàs XXXV.

Quàm incomprehenſibili modo dicat vel ſciat res à ſe factas.

QVA Ex re manifeſtiſsimè comprehendi poteſt, quomodo dicat idem ſpiritus, vel quomodo ſciat ea, quæ facta ſunt, ab humana ſcientia comprehendi non poſſe. Nam nulli dubium, creatas ſubſtantias multò aliter eſſe in ſeipſis, quàm in noſtra ſcientia. In ſeipſis nanque ſunt per ſuam eſſentiam: in noſtra verò ſcientia non ſunt earum eſſentiæ, ſed earum ſimilitudines. Reſtat igitur vt tantò veriùs ſint in ſeipſis, quàm in noſtra ſcientia, quantò veriùs ſunt alicubi per ſuam eſſentiam, quàm per ſuam ſimilitudinem.

62 CVM Ergo & hoc conſtet, quia omnis creata ſubſtantia tantò veriùs eſt in Verbo, id eſt, in intelligentia Creatoris, quàm in ſeipſa, quantò veriùs exiſtit creatrix, quàm creata eſſentia: quomodo comprehendat humana mens, cuiuſmodi ſit illud dicere, & illa ſcientia, quæ ſic longè ſuperior & verior eſt creatis ſubſtantijs; ſi noſtra ſciẽtia tam longè ſuperatur ab illis, quantum earum ſimilitudo diſtat ab earum eſſentia.

SCHOLIA IN CAPVT XXXVI.

SECTIO SEPTIMA.

Res factas veriùs eſſe in ſeipſis, quàm in noſtra mente: veriùs autem in Deo, quàm in ſeipſis. id verò ab intellectu creato comprehendi non poſſe.

63 MIRABILIS *Scientia tua ex me* (aiebat Pſalmiſta) *confortata eſt, & non potero ad eam.* Si ſcientia Dei ex vnius hominis conſideratione aut ſtructura mirabilis eſt: quantò magis ex conſideratione rerum omnium factarum, quas ſublimi modo ac penè ineffabili contineri in Deo, eſſeque in illo, non mutabiles aut temporaneas, ſed conſiſtentes & æternas, præcedentibus capitibus demonſtratum eſt?

64 *QVA EX RE*, &c. Ex ea, nimirum, doctrina manifeſtè deprehenditur, à nullo intellectu creato comprehendi poſſe, quomodo Deus dicat, vel quomodo ſciat res à ſe factas. Quod, intellectum de comprehenſione preſsè dicta, adeò verum eſt, vt nec per vires gratiæ poſsit intellectus creatus aut creabilis comprehendere aliquid intra Deum exiſtens, ob infinitum exceſſum obiecti: ac proinde nec modum, quo creaturæ exiſtunt in Deo, tanquam vita & veritas prorſus indiſtincta ab ipſo. Neque audiendi ſunt aliqui, qui aut cẽſuerunt, aut probabile exiſtimârunt, animæ Chriſti potuiſſe vniri actum increatum comprehenſionis, quo Deus cognoſcit adæquatè & perfectè ſeipſum, vt proinde Chriſtus, quatenus homo, ex gratia, & ſumma liberalitate Dei, ipſam divinitatem comprehendat. Non, inquam, audiendi ſunt; quoniam in nulla natura creata aut creabili eſt capacitas obedientialis vt intelligat per actum mentis divinæ; multò autem minùs vt Deum comprehendat, ob infinitam diſtantiam ab ipſo. De quo fortaſſe latiùs & ex inſtituto in progreſſu Operis. Si autem comprehenſio hoc loco ſumatur pro cognitione clara & intuitiva modi, quo creaturæ exiſtũt in Deo, patet; id à nulla creatura exiſtente aut poſsibili poſſe comprehendi viribus ſolius naturæ, iuxta doctrinam traditam Tomo I. Diſp. X. per totam, vbi de repugnantia creaturæ exigentis ab intrinſeco viſionem Dei ſermo fuit. Vtroque igitur modo accepta comprehenſione, nequit à creatura rationali comprehendi modus, quo Deus intelligit & dicit res à ſe factas: quamvis imperfectè & abſtractivè ſolùm, id à nobis concipi & explicari vtcumque poſsit.

65 VT Autem eiuſmodi exceſſum rerum, quatenus in Deo contentarũ, ſuprà ſeipſas in propria eſſentia conſideratas, exponat S. Doctor, præmittit, veluti rem indubiã, ſubſtantias creatas longè aliter eſſe in ſeipſis, quàm in noſtra ſcientia. Etenim in ſeipſis ſunt per eſſentiam ſuam; in noſtra autem ſcientia, ſive

mente, ſunt per quaſdam ſimilitudines illarum, nimirum per ſpecies intelligibiles, quas miniſterio ſenſuum exteriorum atque interiorum comparamus nobis ipſis, & mirabili vi intellectûs agentis adquirimus, atque in alveario memoriæ reponimus ad res abſentes cognoſcendas, ac ſi præſentes eſſent.

66 NOTA, Anſelmum hoc loco ſatis apertè ſupponere exiſtentiam ſimilitudinum, ſive ſpecierum intelligibilium intra mentem, quam nos ex profeſſo tradidimus in libris de Anima diſp. 89 per totam, contra Durandum, & quoſdam alios, ex communi Philoſophorum ſenſu cum Ariſt. lib. 3. de Anima cap. 8. vbi ſummatim tradit, *animam quoddammodo omnia eſſe*: ac deinde probat exiſtentiam ſpecierum, tam ſenſibilium, quàm intelligibilium, dicēs: Ἀνάγκη δ' ἢ αὐτὰ ἢ τὰ εἴδη εἶναι. αὐτὰ μὲν γὰρ οὐ. ὁ γὰρ λίθος ἐν τῇ ψυχῇ, ἀλλὰ τὸ εἶδος. id eſt: *Neceſſe verò eſt, aut res ipſas, aut formas in anima eſſe. At non ſunt in ea res ipſæ profectò. non enim ipſe lapis in anima, ſed forma lapidis ineſt.* Vbi & diſcrimen ipſum exiſtendi rerum in anima, & in ſeipſis, obſervatum hoc loci ab Anſelmo, tradit. Præmiſerat verò eandem doctrinam lib. 2. cap. 5. 6. & 12. etiam circa ſenſus, dicens: *Hoc autem Vniuerſaliter accipere de omni ſenſu oportet: ſenſum, inquam, id eſſe, quod ſenſibiles ſine materia formas ſuſcipere poteſt; perinde, atque annulli ſignum ſine ferro, vel auro, ſuſcipit cera.* Idque adeò perſpicuum eſt vt clariſſimum Eccleſiæ lumen S. Auguſtinus lib. 11. de Trinit. cap. 2. dicat, exiſtentiam earum ſpecierum *ſolùm tardioribus ingenijs difficilem eſſe.* Vide quam ſibi notam pepererint, teſte Auguſtino, quicumque, aut Veterum, aut Recentiorum, eiuſmodi ſpecies negant. Dum enim exinde ingenioſi videri volunt, hebetes & tardi ab Auguſtino cenſentur.

67 *RESTAT IGITVR*, &c. Ex eo quòd ſubſtantiæ creatæ ſint in mente noſtra per ſui ſimilitudinē, in ſeipſis autem per ſuam eſſentiam, colligit Anſelmus iure ac meritò, illas veriùs eſſe in ſeipſis, quàm in mente noſtra. Veriùs enim eſt res quælibet in ſeipſa, quàm in ſui imagine: ſicuti veriùs eſt Rex in ſeipſo, quàm in figura, aut imagine pennicillo expreſſa.

68 *CVM ERGO ET HOC*, &c. Sicuti nuper probatum eſt, res creatas eſſe veriùs in ſeipſis, quàm in intellectu noſtro, quoniam in ſeipſis exiſtunt per eſſentiam ſuam, in nobis autem ſolùm ſecundùm imaginem quandam illarum: ita etiam patet, eaſdem creaturas longè veriùs exiſtere in Deo, quàm in ſeipſis. Etenim creaturæ, quatenus contentæ in Deo, non differunt ab ipſo, ſed ſunt ipſa divina eſſentia, veritas, & ſcientia, eſſentialiter atque immutabiliter exiſtens: in ſeipſis autē ſolùm ſunt per participationem, ac mutabiliter, vt in ſuperioribus declaratum eſt. At quidquid exiſtit eſſentialiter & immutabiliter, longè veriùs exiſtit, quàm quod per participationem & mutabiliter ſolùm. Ergo creaturæ longè veriùs in Deo, quàm in ſeipſis, exiſtunt. Huc ſpectat quod dammodo illud S. Thomæ, q 3. de Potentia ar. 5. ad 2. *Hoc ipſo quòd quidditati eſſe tribuitur, non ſolum eſſe, ſed & ipſa quidditas creari dicitur: quia antequam habeat eſſe, nihil eſt; niſi forte in intellectu creantis, vbi non creatura, ſed ipſa creatrix eſſentia eſt.*

69 EX Doctrina præiacta colligit S. Doctor, incomprehenſum eſſe modum, quo res in Deo exiſtunt, omnique menti mortalis hominis inacceſſum. Vbi enim modus eſſendi obiecti in ſeipſo infinitè excedit modum eſſendi in intellectu, nequit hic obiectum adæquare & comprehendere, vt patet. Atqui modus eſſendi ſubſtantiarum creatarum in Deo ipſo, eſt obiectum infinitè excedens modum eſſendi illarum in noſtro intellectu. Subſtantiæ enim creatæ in Deo ipſo habent modum eſſendi proprium ipſius Dei, quoniam in illo ſunt vita & veritas per eſſentiam: in intellectu autem noſtro habent modum eſſendi non ſolùm limitatum & per participationem, ſed etiam accidentarium, in quadam ſui imagine, non adæquante veritatem & perfectionem ipſarum. Ergo noſter intellectus nequit adæquare, ſeu comprehēdere modum exiſtendi ſubſtantiarum creatarū in Deo. CONFIRMATVR. Subſtantiæ creatæ veriùs ſunt in ſeipſis, quàm in intellectu noſtro: quia in ſeipſis ſunt ſecundùm propriam entitatem & eſſentiam: in intellectu autem noſtro ſolùm penes quandam ſui ſimilitudinem. Atqui infinitè veriùs ſunt in Deo, quàm in ſeipſis: quoniam in Deo ſunt veritas per eſſentiā, in ſeipſis autem veritas per participationem. Ergo ſubſtantiæ creatæ, prout in Deo, ſunt infinitè veriùs, quàm in noſtro intellectu. Conſequentia hæc patet argumento, quod dicunt à fortiori. Atqui vbi aliquid infinitè veriùs exiſtit in obiecto, quàm in intellectu, hic non adæquat, ſeu non comprehendit ipſum obiectum. Ergo de primo ad vltimum, intellectus noſter nequit adæquare ſeu comprehendere ſubſtantias creatas, quatenus ſunt in Deo.

DIS-

DISPVTATIO LXIV.

AN VERBVM DIVINVM PER SE PROCEDAT EX COGNITIONE OMNIVM EORVM, QVAE SVNT IN DEO FORMALITER?

QVAECVMQVE Deo conveniunt formaliter ac necessariò, sunt, essentia, attributa, & relationes, sive personæ. Cùm autem Verbum divinum, iuxta Anselmum, & alios Patres, ac Theologos Scholasticos, excepto Durando, procedat ex cognitione, quæ sola habet exprimere seu dicere verbum interius generatim & universè loquendo; dubitamus ex cuiusnam obiecti cognitione procedat per se Verbum divinum. Quæ difficultas plures disputationes complectitur in progressu tractandas. Nunc autem solùm disquirimus circa ea omnia, quæ formaliter sunt in Deo, an Verbum per se ex omnium illorum cognitione procedat: in sequentibus verò disputationibus sermo erit de ijs, quæ in Deo solùm eminenter continentur, quales sunt creaturæ possibiles, futuræ, & existentes. Vli quidquid fuerit definitum de divino Verbo in ordine ad cognitionem, ex qua procedit, intelligendum pariter erit de Spiritu sancto in ordine ad amorem. nam reverà eadem circa utrumque difficultas est. De qua Theologi cum Magistro in 1. dist. 27. & 32.

SECTIO PRIMA.

Relatis Theologorum sententijs, eligitur quæ docet, Verbum divinum per se procedere ex cognitione, non solùm essentiæ & attributorũ, sed & personarum. Ostenditur, hanc esse doctrinam SS. Augustini & Anselmi: ex quibus ratio multiplex eruitur, & solutiones Aduersariorum refutantur.

2 CIRCA Quam controversiam variè sunt Theologorum sententiæ. Prima docet, Verbum per se procedere ex notitia solius essentiæ & attributorũ. Ita Scotus in 1. d. 10. fine, & dist. 32. & in 2. dist. 1. q. 1. & Quodl. 14. quamvis aliter & aliter eius mentem interpretentur discipuli. Antiquiores enim omnes illum in hoc sensu interpretati sunt, vt docuerit, Verbum non procedere per se ex cognitione personarũ, sed solius essentiæ. Ita Bassolis, Tartaretus, & Viguerius: quos ex Recentioribus sequuti sunt Rada p. 1. contr. 11. concl. 4. Phil. Faber in 2. d. 1. q. 2. Brancasius tom. 2. de Deo Trino lib. 3. disput. 2. q. 7. & Ponrius in Cursu Theologico disp. 10. q. 2. Alij autem ex eadem Schola infrà allegandi Subtilem Doctorem longè aliter interpretantur, & oppositam sententiam sequuntur, num. 5. referendam.

3 SECVNDA Opinio docet, Verbum per se procedere ex cognitione essentiæ, attributorum, & personarum, tum Patris, tum suiipsius: non autẽ ex cognitione Spiritus sancti, veluti obiecti per se moventis & determinantis intellectum Patris ad cognitionẽ Verbi; sed solùm concomitanter, quamvis necessariò, & eâdem necessitate, qua cognitio Patris indivisim ac simul est cognitio essentiæ, omniumq; personarum in ea subsistentium; non verò ea necessitate, quæ exigitur per se in principio ad productionem termini. Ita Vazquez 1. p disp. 142. cap. 4. Turrianus disput. 18. dub 2. Alarcon tract. 5. de Trinitat. disput. 8. cap. 8. num. 2.

4 TERTIO Alij supresso nomine allegati à Zumel 1. p. q. 34. ar. 3. q. 1 post concl. 4. volunt, Verbum procedere ex cognitione sui, ac Spiritus sancti, non quidem intuitiva sive visionis, sed abstractiva vel solius simplicis intelligentiæ. Huic dicendi modo videtur favere Caietanus 1. par. quæst. 34. ar. 3. §. Circa prædicta.

5 QVARTA Et communis sententia docet, Verbum per se procedere ex notitia intuitiva omnium, quæ sunt formaliter in Deo: ac proinde non solius essentiæ & attri-

butorum, ſed etiam omnium perſonarum ac relationum Ita S. Thomas in 1. diſt. 27. q 2. ar. 2. & de Veritate q. 4. ar. 5. & Quodlibeto 4. quæſt. 9. ar. 1. ad 1. & 1. par. quæſt. 34. ar 3. vbi illum ſequuntur ibidem Bañez, Zumel, Nazarius, Albelda, Ioannes à S. Thoma, Carmelitæ Salmanticenſes, Gonet, Illuſtriſs. Godoy, Ferre, & reliqui Thomiſtæ. quibus recenter ſubſcribit doctiſsimus M. Lumbier tract. 3. quæſt. 10. art. 2. ſimiliter omnes ferè Auctores Societatis, præſertim Molina 1. part. q. 34. fine, Valentia ibidem ar. 3. puncto 2. Suarez lib. 9 de Trinit. cap. 7. Granados tract 9. diſput. 5. Arrubal diſput. 124. cap. 3. Mæratius diſp. 50. ſect. 1. Zuniga diſput 9. dub. 4 & 5. Amicus Tomo I. diſput. 26. ſect. 3. Faſſolus 1. part. quæſt. 34. art. 3. dub. 7. Arriaga diſput 52 ſect 4. ſub ſect 3. & plurimi alij eiuſdem Scholæ. Subſcribunt ex Scotiſtis Vulpes di p. 66. de Trinitate ar. 6. Herrera diſp 15 q 3. Scherius diſp. 6. queſt. 11. Sghēma de Deo Vno & Trino tit. 16. quæſt. 6. & tit. 18. quæſt. vlt. Smiſing. 3 de Deo Trino q. 5. & noviſsimè Maſtrius Tom. I. diſp. 7. quæſt. 2. num. 59 qui ibidem latè contendit, Doctorem Subtilem nullibi hanc ſententiam negaſſe, ſed ſolùm, Verbum procedere per ſe ex cognitione creaturarum. quod alterius controverſiæ eſt.

6 HANC Vltimam ſententiam exiſtimo veram, & cohærentem doctrinæ S. Anſelmi ex multiplici capite. PRIMO: quoniam ſuprà cap. 34. docet neceſſum eſſe, vt perſona producens Verbum in diuinis dicat quæcumque ſcit & intelligit. Atqui ſcit & intelligit omnia quæ ſunt formaliter in Deo, vt patet. Alioqui non haberet cognitionem perfectiſsimam & comprehenſiuam deitatis Ergo neceſſum eſt vt perſona producens Verbum in diuinis dicat omnia quæ ſunt in Deo formaliter; proindeque vt dictio Verbi ſit expreſsio omnium formalium prædicatorum Dei, ab ipſo cognitorum. Nequit autem productio Verbi eſſe dictio ſeu expreſsio omnium prædicatorum formalium Dei ab ipſo cognitorum, niſi ſit per ſe cognitio illorum omnium aut per ſe illam ſupponat, vt patet. Ergo Verbum per ſe procedit ex cognitione omnium prædicatorum formalium Dei, aut per ſe illam ſupponit. SECVNDO: Quoniam infrà cap. 39 aliàs 38. ait, *Verbum ſummi ſpiritus ſic eſſe ex ipſo ſolo, vt perfectam eius, quaſi proles parentis, teneat ſimilitudinem.* Ergo neceſſum eſt vt quidquid Verbum per ſe repræſentat, totum id ſupponatur per ſe cognitum in eſſentia & intellectu parentis. Alioqui plus repræſentaret Verbum, quàm ſit in ſuo parente: ac proinde non eſſet perfecta & adæquata ſimilitudo illius. Atqui Verbum per ſe repræſentat omnia formalia prædicata Dei, vt patet. Ergo ex vi proceſsionis ſupponit omnia prædicata formalia Dei cognita in eſſentia & intellectu parentis. TERTIO: Quia eodem capite & ſequentibus docet ac probat, Verbum diuinum ex propria & peculiari ratione procedere ex memoria fœcunda, veluti perfectam imaginem Patris, ac proinde ipſi per omnia ſimilem. Ergo neceſſum eſt, vt quidquid per ſe repræſentat Verbum, ſupponatur exiſtens in memoria fœcunda Patris. Atqui Verbum per ſe repræſentat omnia prædicata Dei formalia, tam abſoluta, quàm relativa. Ergo per ſe, ſiue ex vi proceſsionis ſupponit omnia formalia prædicata Dei, tam abſoluta, quàm relativa, exiſtentia in memoria fœcunda Patris, ac proinde iā ab eo cognita.

7 EANDEM Anſelmi doctrinam rationemque tradiderat antè Auguſtinus lib. 15. de Trinit. cap. 14. dicens: *Pater genuit Verbum ſibi æquale per omnia. Non enim ſeipſum integrè perfectèque dixiſſet, ſi aliquid minùs aut amplius eſſet in eius Verbo, quàm in ipſo. Et ideo Verbum hoc verè veritas eſt, quoniam quidquid eſt in ea ſcientia, de qua genitum eſt, & in ipſo eſt. Quod autem in ea non eſt, nec in ipſo eſt.* Cùm igitur in Verbo ſint intelligibiliter omnia prædicata formalia Dei; oportet vt etiam ſint in ea ſcientia, vel cognitione quâ gignitur Verbum. Alioqui eſſet aliquid amplius in Verbo, quàm in ſcientia illa: ideoque Pater non integrè ac perfectè ſe dixiſſet. Quæ ſunt abſurda ab Auguſtino illata. Ac paulò pòſt ſubiungit: *Nouit itaque omnia Deus Pater in ſeipſo, nouit in Filio: ſed in ſeipſo, tanquam ſeipſum: in Filio tanquam Verbum ſuū, quod eſt de ijs nominibus, quæ ſunt in ſeipſo.* Ergo pro priori originis Verbi iam Pater noſcit omnia in ſeipſo tanquam ſeipſum: ac proinde Verbum procedit ex cognitione omnium quæ ſunt formaliter in ipſo Deo. Denique lib. 11. Confeſ. cap. 7. fine ait: *Verbo tuo, Deus, tibi coæterno ſimul & ſempiterno, dicis omnia quæ dicis.* Cùm ergo Pater dicat omnia formalia prædicata diuina, ſcuti & omnia illa intelligit ea vtique Verbo ſuo & ſibi coæterno dicit: ac proinde Verbum ex vi proceſsionis ſuæ exprimit omnia formalia Dei prædicata. Ergo per ſe procedit ex dictione, ſeu cognitione omnium formalium Dei prædicatorum.

8 DENIQVE Ratione idipſum ſuadetur, ex eiſdem SS. Auguſtini & Anſelmi teſtimonijs erutā. Verbum enim per ſe procedit ex cognitione comprehenſiua deitatis. Ergo ex cognitione intuitiua perſonarum. Antecedens videtur omnino certum. Verbum enim procedit ſummè perfectū per ſe loquendo,

atque

atque adeò ex cognitione ſummè perfecta. Hæc autem eſt ſola cognitio comprehenſiva deitatis. Ergo per ſe procedit ex cognitione comprehenſiva deitatis. Conſequentia autem probatur: Quia cognitio comprehenſiva deitatis nequit non eſſe cognitio intuitiva omnium eorum, quæ ſunt vnum & idem reipſa cum eâdem numero deitate. Atqui perſonæ ſunt vnum & idem reipſa cum deitate, vt fide ſanctum eſt, primùm in Concilio Remenſi ſub Eugenio III. contra Gilbertum Porretanum; deinde in Lateranenſi ſub Innocentio III. contra errorem Abbatis Ioachimi, ac tandem in Florentino ſub Eugenio IV. vt vidimus latè Tomo I. Diſp.XXV. Etenim adhuc permiſſa diſtinctione formali ex naturâ rei inter deitatem & relationes, à pleriſque Adverſariorum tradita, nunquam ij negant, aut negare poſſunt identitatem realem ſimpliciter eſſentiæ divinæ cum relationibus. Ergo cognitio comprehenſiva deitatis, ex qua per ſe procedit Verbum, nequit non eſſe cognitio intuitiva perſonarum.

9 DICES: Iuxta Scotiſtas num. 2. relatos cognitio comprehenſiva eſſentiæ non concurrit ad Verbi generationem veluti principium *quo* producendi, nec tanquâ actus productivus. Aiunt enim, Verbum produci per actum dicendi, qui notionalis eſt; non autem intelligendi, qui eſt eſſentialis. Ergo nunquam contra eos Auctores probari poteſt, Verbum per ſe procedere ex cognitione intuitiva perſonarum. Hæc enim pariter eſt actus eſſentialis, non autem notionalis.

10 SED Contrà. Adhuc enim permiſſa nunc ea opinione, certum apud omnes debet eſſe, productionem Verbi per ſe ſupponere pro aliquo priori rationis cognitionem perfectiſsimam & proinde comprehenſivam eſſentiæ divinæ, ſaltem eo ſenſu, quo prædicata Dei eſſentialia ſupponuntur pro aliquo priori ad notionalia, & ad modum conditionis præviæ ad expreſsionem perfectiſsimam Verbi. Ergo Verbum in aliquo vero ſenſu per ſe procedit ex cognitione intuitiva & præſuppoſita perſonarum. Patet conſequentia: Quia cognitio comprehenſiva eſſentiæ nequit non eſſe intuitiva omnium eorum quæ ſunt vnum & idem reipſa cum eſſentia, eſto metaphyſicè non conſtituant illam, vel formaliter ex natura rei ab ea diſtinguantur. Quorum vtrumque tamen falſum eſſe ſatis oſtendimus allegata Diſput. XXV. & XXVI.

11 VRGETVR I. Ratio eadem. Iuxta Auguſtinum, Anſelmum, & alios Patres, quorum teſtimonia partim ſuprà indicavimus, partim videre licet apud Ruiz vbi ſuprà, Verbum per ſe procedit vt perfectiſsima imago Patris. Nequit autem per ſe procedere vt imago Patris perfectiſsima, niſi ex vi proceſsionis repræſentet ea omnia, quæ ſunt in intellectu paterno, ſeu memoria fœcunda. Alioqui nō adæquaret perfectè ſuum prototypum. Cùm igitur in intellectu paterno, ſeu memoria fœcunda, ſint per modum obiecti intelligibilis omnia formalia prædicata Dei, tum abſoluta, tum relativa; Verbum ex vi proceſsionis ac per ſe debet repræſentare omnia prædicata formalia, tum abſoluta, tum relativa Dei. Vnde & conſequens eſt, vt procedat ex cognitione, vel ſaltem per ſe ſupponat in Patre cognitionem omnium prædicatorum Dei formalium.

12 VRGETVR II. Nequit Pater pro priori originis ad Verbum comprehendere ſeipſum, niſi etiam comprehendat ſuam fœcunditatem, tam intellectus, quàm voluntatis; vtpotè ſibi reipſa identificatam, in quocumque illa conſtituatur. Nequit præterea comprehendere eiuſmodi fœcunditatem, niſi cognoſcat terminos per illam producibiles, immo & reipſa productos in eâdem duratione æterna. nam comprehenſio principij & actionis productivę, debet eſſe cognitio termini producti in eadē omnino duratione. Cùm igitur termini producti in eadē duratione æterna per fœcūditatē Patris, ſint Filius & Spiritus ſanctus, Pater pro priori originis ad Verbum comprehendens fœcunditatem ipſam, debet omnino cognoſcere Filium & Spiritum ſanctum.

13 DICVNT I. Scotiſtæ veteres, Patrem pro illo priori originis ſolùm comprehendere intenſivè ſuam eſſentiam, non autem extenſivè: ac proinde non eſſe opus vt in illo priori cognoſcat, niſi prædicata quidditativa eſſentiæ & attributorum per adæquationem cognitionis cum eo obiecto; quamvis non attingat alia prædicata, quæ ſolùm identicè ſpectant ad divinitatem, nec terminos, in ordine ad quos exprimitur fœcunditas naturæ divinæ. Hoc enim ſolùm exigitur ad comprehenſionē extenſivam divinitatis; non verò ad intenſivā, quę ſola intelligitur pro illo priori originis.

14 SED Contrà. Vt enim optimè obſervat Maſtrius ex eadem Schola ſuprà laudatus, inepta eſt diviſio comprehenſionis in intenſivam purè, & præterea extenſivam. Nimirum omnis vera comprehenſio prout diſtincta à mera intuitione, debet cognoſcere totum obiectum & totaliter: ac proinde deber diſtinctē attingere in eo non ſolùm prædicata quidditativa, ſed præterea quidquid realem identitatem habet cum ipſo obiecto, vel vicūque illud afficit. Quæ eſt doctrina expreſſa S Auguſt. Tom. II. Epiſt 112. c. 9. initio aientis: *Aliud eſt videre: aliud eſt totum videndo comprehendere: quando quidē id videtur, quod præſens vtcūque ſentitur: totū autem videndo comprehenditur,*

quod ita videtur, vt nihil eius lateat videntẽ, aut cuius fines circumſpici poſſunt. Similiter lib. 12 de Civit. cap. 18. circa medium inquit: *Quicquid ſcientia comprehenditur, ſcientis comprehenſione finitur.* Vt ergo cognitio eſſentiæ pro priori originis ad Verbum ſit verè comprehenſiva, debet diſtinctè attingere, non ſolum prædicata quidditativa eſſentiæ, ſed præterea quidquid cum ea veram identitatem vtcumque habet, vel illam intimè afficit, aut terminat. Atqui tres perſonalitates divinæ veram identitatem (qualitercumque hæc à Catholicis exponatur) habent cum eſſentia, atque intimè illam afficiunt & terminant. Ergo cognitio eſſentiæ divinæ pro priori originis ad Verbum, vt ſit verè comprehenſiva illius, debet attingere diſtinctè non ſolùm prædicata quidditativa eſſentiæ, ſed præterea tres perſonalitates. VLTERIVS. Iuxta Magnum Auguſtinum illud ſolùm comprehenditur quod ita videtur, vt nihil eius lateat videntem. Ergo vt pro illo priori comprehendatur eſſentia divina, nihil eius latere debet videntem. Atqui perſonalitates divinæ, dato quod nullatenus conſtituant quidditativè eſſentiam, ſunt aliquid eius, vt patet. Ergo vt pro illo priori comprehendatur eſſentia, perſonalitates divinæ in eo priori latere non debent. DENIQVE. Fœcunditas divinæ eſſentiæ, ſive ad intellectum, ſive ad voluntatem ſpectet, nequit comprehendi in aliquo ſigno, niſi in eodem circumſpiciantur eius fines vel termini à cognoſcente id enim, iuxta Auguſtinum, exigit generatim vera comprehenſio, vt nihil rei comprehenſæ lateat, eiuſque fines, ſive termini circumſpici poſſint à comprehendente. Atqui perſona Filij, & perſona Spiritus ſancti, ſunt fines, ſive termini fœcunditatis eſſentiæ divinæ ad intellectum & voluntatem ſpectantis. Ergo ſi pro illo ſigno aut priori originis comprehẽditur fœcunditas, ſimul etiam cognoſci debent perſona Filij & perſona Spiritus ſancti. Igitur de primo ad vltimum, Verbum per ſe procedens ex cognitione comprehenſiva eſſentiæ, etiam procedit per ſe ex cognitione intuitiva ſui ipſius, & Spiritus ſancti.

15 DICES II. Cum alijs, ex præiacto fundamento ſummùm colligi, Verbum procedere per ſe ex cognitione abſtractiva ſui ac Spiritus ſancti: quoniam vt cognitio fœcunditatis divinæ ſit comprehenſiva illius, non exigitur vt intueatur terminos eius, ſed ſat eſt ſi abſtractivè illos cognoſcat. Sic iuxta multorũ opinionem Chriſtus per ſcientiam inditam ſupernaturalem comprehendit viſionem beatificam, & vnionem hypoſtaticam, quin per eandem ſcientiam cognoverit intuitivè terminos vtriuſque immediatos; nimirum, eſſentiam divinam, & perſonalitatem Verbi; ſed abſtractivè tantùm.

16 SED Contrà I. Repugnat enim in intellectu divino quælibet perſonarum cognitio abſtractiva. Hæc enim aut eſt cognitio obiecti per alienam ſpeciem, aut cognitio rei abſentis. Atqui in divino intellectu, adhuc pro priori ad originem Verbi, nequit eſſe cognitio perſonarum per ſpeciem alienam, nec tanquam rei abſentis. Ergo pro illo priori nequit vllatenus eſſe in divino intellectu cognitio perſonarum abſtractiva. Maior propoſitio complectitur varietatem opinionum circa rationem propriam & formalem cognitionis abſtractivæ. Minor quoad priorem partem eſt manifeſta: Quia cognitio perſonarum pro priori originis ad generationem Verbi non habetur per aliquã ſpeciem intelligibilem creatam, quæ ſola eſt ſpecies aliena & extranea obiecto increato; ſed per ipſam eſſentiam divinam, quæ eſt ſpecies intelligibilis propria ad cognitionem ſui, & perſonarum. Quoad poſteriorem verò partem ſuadetur: Quia cognitio obiecti tam in re, quàm intelligibiliter præſentis pro quolibet inſtanti, nequit comparari ad illud tanquam ad rem abſentem. Alioqui in eodem inſtanti compararetur ad illud, tanquam ſimul in re atque intelligibiliter præſens & abſens: quæ duo ſunt planè repugnantia & contradictoria. Atqui cognitioni illi, ex qua procedit Verbum, tam in re, quàm intelligibiliter, ſunt præſentes perſonæ divinę pro quolibet inſtanti: vtpote æternæ, & coæternæ eidem cognitioni. Ergo cognitio illa, ex qua procedit Verbum, non comparatur ad perſonas divinas, tanquam ad rem abſentem. Igitur de primo ad vltimum pro priori ad Verbum non eſt cognitio abſtractiva perſonarum.

17 CONTRA II. Si enim cognitio, ex qua per ſe procedit Verbum, ſolùm eſſet notitia abſtractiva perſonarum, non autem cõprehenſiva, nec intuitiva earundem; Verbum per ſe nõ procederet ex cognitione ſummè perfecta, ſed potiùs aliquomodo imperfecta, qualis abſque dubio eſt cognitio purè abſtractiva cuiuslibet obiecti, ſeu termini reipſa exiſtentis. Rurſus, cùm certum ſit cognitionem, ex qua procedit Verbum, in re, & pro omni inſtanti veræ durationis, eſſe comprehenſionem perfectam omnium prædicatorum formalium Dei, ac proinde trium perſonarum; nullus eſt locus, vt pro priori originis Verbi ſit cognitio perſonarum abſtractiva, & pro poſteriori intuitiva & comprehenſiva. Sic enim cognitio increata & eſſentialis tribus perſonis ſubiret murationem intrinſecam in eodem *nunc* æternitatis ab abſtractiva in intuitivam eiuſdem obiecti neceſſarij, perficeretúrque noviter & intrinſecè quoad eſſentialia ex origine paſſiva perſonarum. Cognitio enim tranſiens ab abſtractiva

in

in intuitivam eiuſdem omnino obiecti, nullam ſubeuntis mutationem in ſeipſo (quale eſt omne prædicatum neceſſarium Dei, ſive abſolutum, ſive relativum) nequit non ſubire mutationem intrinſecam, atque induere novam perfectionem intenſivam. Hæc autem omnia repugnant planè cognitioni, per quam procedit Verbum. Ergo illa non eſt pro priori originis abſtractiva perſonarum cognitio, & pro poſteriori intuitiua aut comprehenſiva. Longè verò alia ratio eſt in ſcientia divina creaturarum, quæ pro diverſis ſignis eiuſdem omnino durationis æternæ intelligitur tranſire de cognitione ſimplicis intelligentiæ in viſionem: quoniam eiuſmodi varietas non eſt in perfectione ipſa ſcientiæ, quæ eadem quoad intrinſeca manet; ſed in obiecto iam ſubeinte mutationem ex vi decreti divini transferentis illud à purè poſsibili in futurum, ſive exiſtens, ſaltem in menſura æternitatis, prout diximus Tomo I. Diſp.XLIV.

18 CONTRA III. Quamvis enim fortaſſe poſsit dari cognitio comprehenſiva viſionis beatificæ, & vnionis hypoſtaticæ, quin ſit cognitio intuitiva obiecti vel termini vtriuſque; non tamen cognitio comprehenſiva potentiæ vel actionis generativæ aut ſpirativæ, quin ſit intuitiva cognitio termini geniti aut ſpirati. Diſparitas eſt: tum quia prior illa cognitio non eſt comprehenſio ſummè perfecta, qualis abſdubio debet eſſe poſterior, vtpotè ſola hæc Deo digna: tum præterea, quia nec viſio beatifica, nec vnio hypoſtatica comparatur ad ſuum obiectum, vel terminum tanquam principium aut actio productiva illius, ſed tãquam pura ſpeculatio, at nexus extremorum. Actio autem ſpeculativa, & nexus extremorũ, non debet continere in ſe virtualiter aut eminenter perfectionem termini: ac proinde nec debet neceſſariò illum manifeſtare prout eſt in ſeipſo, ſed ſummùm perducere in cognitionẽ abſtractivam illius. Cæterum potentia atque actio generandi & ſpirandi, ac natura ipſa divina prout fœcunda, continent virtualiter, & per modum principij productivi, terminum genitum & ſpiratum: ac proinde nequeunt cõprehenſivè cognoſci quin manifeſtent vtrumque terminum, prout eſt in ſeipſo. Ergo nequeunt comprehenſivè cognoſci, quin vterque terminus intuitivè cognoſcatur. DEINDE. Inſtantia eadem viſionis beatificæ, & vnionis hypoſtaticæ, regeritur in Adverſarios. Si enim vtraque illarum in aliquo vero ſenſu haberet realem identitam cum termino, non poſſet cognoſci comprehenſivè, illo non viſo, & cõprehenſo. Nequit enim vnica entitas ſimul penes varia prædicata realiter indiſtincta comprehendi, & non comprehendi, vt oſtenſum fuit num. 14. Atqui natura divina, prout fœcunda relationum, ſive prout radix Trinitatis, habet reipſa & ſimpliciter identitatem cum eiſdem relationibus & perſonis, vt fide ſanctum eſt. Ergo nequit comprehendi, prout fœcunda relationum, & quatenus radix Trinitatis perſonarum, non cognitis intuitivè, immò & comprehenſivè, eiſdem relationibus & perſonis. Cùm igitur pro priori originis Verbi ſupponatur in Deo cognitio comprehenſiva naturæ, prout fœcundæ in ordine ad relationes & perſonas indiſtinctas realiter ab ipſa, ſupponi etiam debet cognitio intuitiva, immo & comprehenſiva earundem relationum & perſonarum.

19 HÆC Sunt quæ videntur ſatis confirmare noſtram ſententiam. Mitto plura alia, quibus Godoy loco ſuprà indicato ſingillatim probat Verbum divinum per ſe procedere ex cognitione, tum Patris, tum ſuipſius, tum pœterea Spiritus ſancti: quæ omnia apud ipſum videri poſſunt.

SECTIO SECVNDA.

Explanatio vlterior veræ ſententiæ: & præcipuum Aduerſariorum argumentum, obſervatis pluribus, ſoluitur, atque in eoſdem regeritur. Inſtantiæ difficiles in oppoſitum expediuntur.

20 VT Autem præcipua difficultas, qua impetimur ab Adverſarijs facilè evaneſcat, & nullam vim habere oſtendatur; id maximè notare oportet, dum dicimus, Verbum per ſe procedere ex cognitione intuitiva & comprehenſiva trium perſonarum, non eſſe ſenſum quòd procedat ex ſeipſo & Spiritu ſancto, cognitis vt exiſtentibus, per ſe originativè, ſed tantùm terminativè. Ratio prioris partis eſt: Quia Verbum per ſe ſolùm procedit originativè à principio ipſi originem dante. Hoc autem nõ eſt ipſum Verbum cognitum vt exiſtens in ſeipſo; quoniam nulla res poteſt eſſe principium productivum ſui: neque Spiritus ſanctus, quoniam hic eſt origine poſterior Verbo: ſed ſolus Pater, iuxta illud Symboli S. Athanaſij: *Filius à Patre ſolo eſt.* Ergo Verbum non procedit originativè ex ſeipſo, nec ex Spiritu ſancto, cognitis vt exiſtentibus in ſeipſis.

21 QVOD Non ſolùm intelligi debet de origine in genere aut quaſi genere principij activi phyſici, cui reſpondet in creatis cauſa efficiens; ſed etiam in genere principij activi intentionalis, ſive obiecti moventis: quia ſicuti fide ſanctum eſt, Filium à Patre ſo-

lo eſſe, ita & certum omnino cenſeri debet, Verbum in nullo vero ſenſu, etiam intentionali, dicere originem à ſeipſo, vel à Spiritu ſancto, tanquam à principio productivo. Et præterea id ipſum ratione confirmatur: Quia Verbum divinum ſolùm poteſt tripliciter conſiderari, quoad præſentem controverſiam. Primò quoad eſſentiam communem ſibi & alijs perſonis. Secundò quoad actum intelligendi, qui à Theologis appellatur Verbum communiter & impropriè dictum. Tertiò quoad perſonalitatem propriam, ſive filiationem. Porrò ex ijs tribus patet, Verbum quoad primam rationem nullatenus procedere ex ſeipſo: quoniam non accipit eſſentiam à ſe, ſed à ſolo Patre. Nec etiam quoad ſecundum: quia actus eſſentialis & communis intelligendi in divinis eſt omnino infectus; ſolumque communicatur Filio à Patre. Denique nec quoad hypoſtaſim propriam, ſive filiationem, ducit originem vllatenus ex ſeipſo, ſed à ſolo Patre, vt principio activo phyſico; & ex ſola eſſentia, vt obiecto movente, & intelligibiliter influente ſimul cum intellectu paterno iuxta illud Auguſtini: *Ex obiecto & potentia paritur notitia.* Itaque nunquam ipſe Filius, vel Spiritus ſanctus, vt exiſtentes in ſeipſis, concurrunt originativè ad productionem Verbi, adhuc intentionaliter: quia nunquam habent rationem obiecti moventis intellectum paternum: cùm id ſit proprium eſſentiæ divinæ, in qua ſola pro priori rationis ad perſonas, ſalvatur ſumma veritas, & intelligibilitas, quæ per ſe ſufficit ad movendum intellectum infinitum vt exprimat infinitum Verbum.

22 IAM Verò quòd Verbum per ſe terminativè procedat ex ſeipſo, & Spiritu ſancto, cognitis vt exiſtentibus in ſe, patet ex doctrina præcedentis ſectionis. Oſtenſum enim eſt ibidem Verbum per ſe procedere ex cognitione ſui ipſius, & Spiritus ſancti, non abſtractiva, ſed intuitiva, omnino comprehenſiva. At cognitio intuitiva, vt talis, eſt notitia rei exiſtentis, vt exiſtentis in ſeipſa. Ergo Verbum per ſe oritur ex cognitione ſui, & Spiritus ſancti, prout exiſtentium in ſeipſis. Ergo per ſe oritur quoddam modo ex ſeipſo, vt obiecto eiuſmodi cognitionis. Atqui non vt obiecto motivo, ſeu originem dante, aut activè intelligibiliter influente, vt nuper oſtenſum eſt. Ergo ex ſeipſo, vt obiecto per ſe ſolùm terminativo. Cùm verò obiectum purè terminativum, quamvis per ſe exactum ad cognitionem, non moveat potentiam, nec habeat vim activam intentionalem, ſive in actum, ſive in terminum productum, ſed illa propria ſit obiecti moventis; conſequens eſt, vt abſolutè & ſimpliciter loquendo, Verbum nullatenus dicatur originem ducere ex ſeipſo, nec ex Spiritu ſancto, quamvis per ſe procedat ex cognitione vtriuſque. His autem ſtatuetis, veniamus ad expendendum præcipuum Adverſariorum argumentum.

23 OPPONVNT Præcipuè. Vt Verbum per ſe procedat ex intuitiva cognitione ſui, adhuc terminativè, neceſſum eſt vt Pater in illo priori originis, quo generat Verbum, videat illud exiſtens in ſe. Atqui id eſt impoſſibile. Ergo &c. Maior patet: quia cognitio intuitiva eſt viſio obiecti, vt exiſtentis in ſeipſo. Minor ſuadetur: Quia nequit videre exiſtens in ſe id, quod nondum eſt productum, exiſtentia enim rei productæ ſupponit pro aliquo priori productionem ſui, ſicut omnis effectus cauſalitatem, qua producitur. Atqui in illo priori originis, quo Pater generat, Verbum nondum eſt productum, ſed in alio poſteriori. Ergo in illo priori Pater nequit videre Verbum exiſtens in ſe. Hæc ferè eſt argumentatio plurium ex Scotiſtis, qua paſſim vtuntur ad ſuam ſententiam probandam à priſcis temporibus, illamque Subtili Doctori adſcribunt.

24 SED Enim imprimis Subtilis Doctor nec illorum opinionē docuit, vt oſtendunt politiores eius diſcipuli num. 5. allegati; neque vſus fuit hoc argumento circa præſentem controverſiam, ſed circa aliam longè diverſam, in qua quæritur, An obiectum primariū & eſſentiale beatitudinis formalis ſit Deus vt vnus tantùm, an etiam vt trinus. De quo infra Diſp. LXIX. ex profeſſo. Quin potiùs nec ita loqui potuit, niſi ſibi contradiceret. Nam in 1. diſt. 1. quæſt. 2 art. 2. palam docet, Patrem in primo ſigno originis cognoſcere ſeipſum perfectiſsimè & comprehenſivè, etiam ſub ratione propria Patris. Cùm verò relativa ſint ſimul cognitione, neceſſum eſt vt in eodem ſigno originis cognoſcat Filium perfectiſsimè & comprehenſivè. Denique ijdem Actores nullū Scoti locum oſtendunt, vbi ille dixerit, Patrem pro priori originis non videre eſſentiam vt in tribus perſonis; ſed ſolùm in perſonis, tanquam in obiecto per ſe & eſſentialiter exacto ad ſuam formalem beitudinem. Quod alterius, vt dixi, controverſiæ eſt.

25 DEINDE Reſpondeo, conceſſa maiore, negando minorem. Ad probationem nego minorem, quæ abſdubiò confundit prioritatem originis cum prioritate durationis, cū tamens toto cœlo differant. Itaque Verbum verè exiſtit ſecundùm durationem intra idem NVNC æternitatis, & in eodem inſtāti *in quo* adhuc ſecundùm rationem: cùm in divinis nihil ſit prius aut poſterius, & tres perſonæ ſint coæternæ. Non autem exiſtit Verbum in illo ſigno prioritate originis, quia non exiſtit à ſe,

quæ

quæ eſt prioritas originis; ſed ab alio, quod eſt eſſe origine poſterius, quamvis ſimul duratione. Sic etiam in creatis vbi effectus ſimul eſt cum ſua cauſa, hæc eſt prior naturâ, non autem duratione. Porrò quòd Pater ſit ſimul duratione æterna cum Filio (eademque ratio eſt de Spiritu ſancto) ſufficit, vt in illo priori originis intueatur Filium, vt exiſtentem in ſeipſo. Nõ enim inde ſequitur quòd videatur ante ſui productionem, ſed potiùs vt ſemper exiſtat productus in eodem ſigno durationis æternæ cum Patre producente. quoniam licèt ſit poſterior origine, hoc eſt, non à ſe, ſed ab alio exiſtens; eſt tamẽ ſemper ſimul cum Patre in eodẽ ſigno durationis æternæ. Itaque abſdubio fallacia committitur in argumento, dum ex eo quòd Verbum ſit poſterius origine, infertur debere eſſe poſterius duratione, ſive reali, ſive rationis; ac proinde non poſſe cognoſci à Patre, vt in ſe exiſtens, pro illo priori originis. Sicut enim cohęret, adhuc in creatis, quòd eſſentia ſit prior natura & cauſalitate ſuis proprietatibus, ſimul autem duratione: ita in divinis facilè percipitur quòd Pater ſit origine prior Verbo ſeu Filio, & tamen omnino ſimul duratione cum ipſo, vt proinde in quolibet ſigno originis illum, veluti in ſe exiſtentem, intueatur.

26 RVRSVS Alia fallacia in eodem argumento eſt, quòd conceptui obiectivo Patris ac Verbi tribuatur imperfectio, ſolùm ſe habens ex parte noſtri intellectus concipientis. Etenim ex eo quòd nos ob imperfectionem cõcipiendi priùs cogitemus Patrem vt intelligentem ſeipſum, quàm duas reliquas perſonas, conrenditur in argumento, etiam Patrem pro illo priori originis, in quo ſeipſum intelligit, non poſſe intueri perſonas reliquas. Quæ collectio pariter ferè præpoſtera eſt, ac ſi ex eo quòd nos in hoc ſtatu non poſsimus cogitare Deum, niſi ad modum corporis, nec principium productivum, niſi prius naturâ illo, cuius principium eſt, velimus inferre, nec Deum poſſe intelligere ſeipſum niſi ad modum corporis, nec Patrem eſſe principium productivum Filij, niſi prior natura ſit. Itaque longè aliter & infinitè digniùs de Deo cogitare debemus, quàm de nobis: ac propterea certum debet eſſe, quamvis Pater ſit prior origine Filio, ac Spiritu ſancto, & hi origine poſteriores, quatenus verè accipiũt eſſe ab illo; adhuc Patrem nullatenus eſſe priorem duratione inſtantis *in quo*, nec ſecundum rationem, aut cognitionem: atque adeò in eodem ſigno, quo Pater eſt prior origine, intelligi ab ipſo Filium & Spiritum ſanctum exiſtentes in ſeipſis.

27 QVOD Ipſum ratione confirmare licet, ac regerere argumentum in Aduerſarios. Nec enim ij negare poſſunt, Patrem, quamvis priorem origine, nunc de facto in aliquo ſigno intueri reliquas perſonas prout exiſtentes in ſeipſis. Fide enim ſanctum eſt, tres perſonas divinas ſe invicem perfectè cognoſcere, & videre, vt exiſtentes: ac proinde aliquod debere eſſe ſignum, in quo Pater Filium & Spiritum ſanctum exiſtentes intueatur. Ergo ſemper & pro omni ſigno illos videt, prout in ſeipſis exiſtentes. Non enim cognitio Patris mutata vnquam fuit ex vno ſigno in aliud, ſed ſemper eadem omnino perſiſtit circa obiectum ſummè neceſſarium, & prorſus immutabile: nec Filius & Spiritus ſanctus ſunt magis exiſtentes in vno, quàm in alio ſigno, cùm ſint Patri cœterni, ac proinde ſimul omnino duratione, quamvis poſteriores origine. Ergo ſi non obſtãte poſterioritate originis, quam perpetuò retinent, nunc Pater illos intuetur in aliquo ſigno, veluti exiſtentes in ſeipſis; pariter ea nõ obſtante, ſemper illos intuitus fuit exiſtentes in ſeipſis pro omni ſigno originis. Et ratio omnium eſt, quam ſupra indicavimus: quòd ſcilicet, prioritas originis ſit longè alia à prioritate durationis, ac ſubinde cognitionis; ſicuti alia eſt prioritas naturæ, ſive cauſalitas & temporis. Vnde facilè cohęret quòd Pater origine prior Filio & Spiritu ſancto, non ſit prior duratione aut cognitione: ac proinde in nullo ſigno poſsit intelligere perfectè & comprehenſivè, vel naturam ſuam infinitè fœcundam, vel ſeipſum exiſtentem, niſi ſimul intelligat perfectè ac comprehenſivè Filium, & Spiritum ſanctum, quatenus exiſtentes in ſeipſis.

28 DICES: Quidquid verè eſt prius alio, non dependet ab illo, ac proinde intelligi poteſt, eo non intellecto. Atqui Pater æternus eſt verè prior origine Verbo, ſeu Filio: quoniam verè eſt principium productivum illius, in quo ſita eſt vera prioritas originis. Ergo Pater æternus intelligi poteſt, non intellecto Verbo, ſive Filio. Igitur ſufficiens locus eſt, vt in illo ſigno priori originis cogitemus, Patrem intelligere ſeipſum dumtaxat, nondum verò Filium, qui ſubſequitur pro poſteriori originis.

29 RESP. Quidquid verè eſt prius alio, non dependere ab illo ea ratione, qua prius eſt: poſſe tamen quoddammodo dependere in alia ratione, ſub qua non eſt prius, ſed vel poſterius, vel ſimul. Porrò Pater ſolùm origine priòr eſt Filio: ſimul autem duratione & cognitione, non ſolùm quatenus correlativus Filij, ſed quatenus comprehenſor divinitatis. Quare licèt à nobis, ob imperfectum concipiendi modum, ac planè præciſivum, poſsit cogitari Pater in illo priori originis, quin cogitemus Verbum veluti exiſtens in ſeipſo; nullus

lus eſt locus, aut fundamentum vt cogitemus, Patrem pro illo ſigno originis non intelligere Verbum, prout exiſtens in ſeipſo. Nimirum, ex parte illius obiecti ſummè perfecti ſolùm eſt fundamentum vt cogitemus, Patrem pro priori originis intelligere comprehenſivè ſuam eſſentiam, eiuſque ſummâ fœcunditatem; ac proinde terminos coæternos & indiſtinctos realiter ab ipſa, quibus non intellectis diſtinctè, prout exiſtentibus in ſeipſis, nec illa comprehenſivè intelligi poteſt. Quare ſi fortaſſe cogitamus, Patrem pro illo ſigno priori originis nondum intelligere Filium, aut Spiritum ſanctum, id nullum fundamentum habet ex parte obiecti, ſed ſolùm nititur in imperfecto modo concipiendi noſtro. Vnde demum colligitur Verbum divinum per ſe loquendo, & attenta dignitate obiecti increati, ac fundamento intrinſeco, procedere ex cognitione perfecta ſui ipſius, ac Spiritus ſancti; non autem ex cognitione eſſentiæ aut Patris ſolius.

30 INSTAT Rada. Verbum & Spiritus ſanctus nequeunt ſubſiſtentes ſupponi ante ipſius Verbi productionem, vt patet. Ergo nequeunt intuitivè intelligi ante ſignum productionis paſsivæ Verbi, veluti ſubſiſtentes in ſeipſis. Sic enim præintelligerentur veluti ſubſiſtentes in ſeipſis pro illo ſigno, in quo nondum habent ſuas proprias ſubſiſtentias per productionem acceptas. Quod eſt planè impoſsibile & chimæricum.

31 RESP. Conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Optimè enim cohæret quòd Filius & Spiritus ſanctus pro primo ſigno originis nondum ſubſiſtant in proprijs perſonalitatibus, & tamen Pater pro eodem ſigno illos videat ſubſiſtentes in ſeipſis. Ratio diſparitatis eſt, quia Verbum & Spiritus ſanctus quoad perſonalitatem propriam vniuſcuiuſque in ſeipſis ſunt poſteriores origine, quatenus accipiunt eſſe, Filius à Patre in ſecundo ſigno originis, & Spiritus ſanctus ab vtroque in tertio ſigno. Quare nequeunt in primo ſigno originis habere eſſe: quoniam aliqui non haberent eſſe acceptum ab alio, ſed à ſeipſis, ſicut Pater. Cæterum notitia intuitiva illorum prout in Patre, & quatenus ad ipſum ſpectat, non eſt in ſecundo, aut tertio originis ſigno, ſed in primo: Non enim Pater accipit notitiam intuitivam Filij aut Spiritus ſancti ab ipſis, ſed à ſeipſo habet. quod eſt formaliſsimè habere illo in primâ originis ſigno. Et quemadmodum ſolùm Patrem exiſtere in primo originis ſigno, non eſt exiſtere in aliquo inſtanti, in quo nondum exiſtant Filius & Spiritus ſanctus, ſed tantùm eſt habere eſſe à ſe, reliquas autem duas perſonas ab illo: ita etiam Patrem in primo illo originis ſigno cognoſcere intuitivè Verbum ac Spiritum ſanctum, non eſt exiſtere cognitionem intuitivam vtriuſque in aliquo inſtanti antequam ambo ſubſiſtant in ſeipſis: ſed ſolùm eſt, Patrem à ſeipſo habere cognitionem intuitivam amborum, & nullatenus ab ipſis acceptam. Vnde locus eſt, vt Filius & Spiritus ſanctus nondum ſubſiſtant in ſeipſis pro primo illo ſigno originis, & tamen Pater in illo ſigno illos intueatur.

32 VRGEBIS. Ex terminis cognitio intuitiva ſupponit obiectum exiſtens. Non enim ideo exiſtit, quia videtur, ſed potiùs ideo videtur exiſtens en ſeipſo, quia exiſtit. Atqui in primo originis ſigno Filius & Spiritus ſanctus non exiſtunt, ſed in ſecundo & tertio ſigno. Ergo in primo originis ſigno non datur cognitio vtriuſque intuitiva. Quare ſummùm dari poteſt in eo ſigno cognitio abſtractiva amborum, quatenus virtualiter continentur in eſſentia: ac proinde Verbum in ſecundo ſigno non producitur per ſe ex cognitione ſui ipſius intuitiva, ſed abſtractiva tantùm. Nec effugies difficultatem huius obiectionis ſi dicas, cognitionem intuitivam ſupponere exiſtentiam ſui obiecti motivi, non autem ſolùm per ſe terminativi, qualiter ſe habent perſonæ Verbi & Spiritus ſancti relatè ad intuitionem divinam. In oppoſitum enim eſt, quòd cognitio intuitiva ex ſua ratione formali, & prout differt à cognitione abſtractiva, ſupponit exiſtens in ſeipſo totum illud obiectum, cuius intuitio eſt, quamvis non ſit obiectum eius motivum, ſed terminativum dumtaxat. Idque patet in ſcientia libera viſionis, quæ, quatenus ſcientia libera viſionis eſt, ſupponit creaturas exiſtentes, licèt ſint obiectum eius purè terminativum, immo & ſecundariũ Propterea quæ Tomo I. Diſp. XLIV. ſect. 4. ſtatuimus cum Anſelmo, omnia futura abſoluta reipſa exiſtere ſecundùm ſuum eſſe phyſicum in menſura æternitatis, vt Deus ab æterno habeat ſcientiã propriè dictã viſionis illorum, quæ neceſſariò debet terminari ad obiectum, quatenus in ſeipſo exiſtens. Ergo dato quòd perſonæ ſolùm ſint obiectum per ſe terminativum, & non motivum ſcientiæ viſionis, ſeu cognitionis intuitivæ neceſſariæ prout in Patre, debent ſupponi ante illam exiſtentes in ſeipſis. Hoc autem eſt impoſsibile. nam cognitio intuitiva Patris exiſtit in primo ſigno originis: Filius autem in ſecundo, & Spiritus ſanctus in tertio ſigno. Non ergo cognitio intuitiva Patris in primo ſigno originis terminatur ad Filium & Spiritum ſanctum, prout intuitiva eſt, ſed ſummùm quatenus abſtractiva.

33 HANC Obiectionem admodum vrgentem addidi, ne quidquã difficultatis diſsimulare videar, etiam vbi non habeo ſolutionem

nem comperiam ; vt alij doctiores videant qualiter ab ea ſe expediant, quorum veſtigia ſequi mallem, quàm præcedere. Adhuc tamen reſpondendum videtur, diſtinguendo duplicem cognitionem intuitivam, alteram terminatam ad obiectum reipſa diſtinctum ab illa, alteram ad indiſtinctum reipſa. Prioris generis eſt omnis cognitio intuitiva creata : quoniam obiectum eius directum (vt nihil dicam de cognitione reflectente ſupra ſeipſam) tam motivum, quàm terminativum, ſemper eſt aliquid ab ea diſtinctum in re ; ideoque poteſt ſupponi exiſtens priùs tempore aut natura, quàm illa exiſtat. Duorum enim reipſa diſtinctorum non repugnat alterum præcedere tempore aut natura, per ſe loquendo, & niſi aliunde obſter. Quin & cognitio intuitiva increata creaturarum, ſive ſcientia libera viſionis, vt talis, cùm reipſa diſtinguatur à creaturis futuris, poteſt ſupponere illas exiſtentes in menſura æternitatis pro priori rationis adipſam, vt in obiectione comenditur. Exiſtentia enim illarum eſt prorſus diverſa ab exiſtentia ſcientiæ liberæ viſionis : ideoque locus eſt vt pro priori rationis ad illam habeat eſſe ex vi decreti abſoluti, & æternitatis vaſtiſsimo ſinu ſuo ambientis ac præoccupantis omnia futura, prout eo loco diximus. Poſterioris generis eſt cognitio intuitiva increata in ordine ad intra. Sive enim comparetur ad eſſentiam, ſive ad attributa, ſive ad perſonas, non differt reipſa ab ijs, ſed eſt vna entitas cum ipſis ſimpliciter loquendo iuxta fidem: ſicuti omnia abſoluta in divinis ſunt idem reipſa cum relativis, & cum quolibet eorum: vt latè oſtenſum fuit Tomo I. Diſp. XXV. Quare cùm cognitio paterna, ex qua procedit Verbum, ſit perfectio abſoluta, prout intuitiva & comprehenſiva eſt, non differt reipſa à perſonis Verbi & Spiritus ſancti : atque adeò non debet ſupponere illas exiſtentes in ſeipſis pro priori ad ipſam, quia nulla res ſupponitur exiſtens pro priori ad ſeipſam. Itaque in eodem ſigno cognitionis paternæ, quatenus eſt intuitiva & comprehenſiva Dei, intelliguntur tres perſonæ indiſtinctæ ab eſſentia, & diſtinctæ in ſeipſis, vt exiſtentes : non tamen vt exiſtentes pro priori originis, quia hoc modo ſolus Pater exiſtit, quoniam non eſt ab alio ; ſed pro poſteriori originis, quatenus intelliguntur accipientes eſſe ab illo. Vt enim ſuprà obſervavimus num. 25. cohæret prioritas & poſterioritas originis cum ſimultate durationis & intelligentiæ : propterea quòd Verbum & Spiritus ſanctus habeant eſſe poſteriùs origine non impedit vt à Patre cognoſcantur in eodem ſigno durationis intelligentiæque, quo videt atque intuetur ſeipſum.

34 VNDE Ad formulam obiectionis diſtinguo maiorem. Cognitio intuitiva ex terminis ſupponit obiectum exiſtens, ſi obiectum ſit reipſa diſtinctum à cognitione, concedo ; ſi indiſtinctum, vt in divinis, nego ; & conceſſa minore, nego conſequentiam. Arguitur enim à poſterioritate originis ad poſterioritatem, ſeu durationis, ſeu intelligentiæ, quæ in divinis nullum habet locum. Idque præſertim evincitur in cognitione paterna, ex qua per ſe procedit Verbum. Cùm enim adhuc in illo priori originis ſit comprehenſiva divinitatis, debet explicitè terminari ad totam, & totaliter, ac proinde ad ea omnia, cum quibus illa realem identitatem habet. quales profectò ſunt perſonæ Verbi, & Spiritus ſancti, quamvis relatè ad Patrem poſteriores origine.

SECTIO TERTIA.

Argumenta quædam alicuius momenti pro contraria opinione, Vrgentur diuerſimodè, & extricantur. Extenſio doctrinæ præiactæ ad proceſſionem Spiritus ſancti.

35 OPPONVNT II. Adverſarij : Verbum divinum per ſe ſolùm procedit ex cognitione obiecti primarij intellectus paterni. Atqui non perſonæ, ſed eſſentia divina, eſt obiectum primarium intellectus paterni. Ergo Verbum nõ procedit per ſe ex cognitione perſonarum, ſed eſſentiæ ſolius. Maior propoſitio ſuaderur: quia quidquid non habet rationem obiecti primarij intellectus divini, ſolùm ſecundariò & comitanter ſe habet ad perfectiſsimam cognitionem, ex qua ſola per ſe procedit Verbum: ideoque ab illa excluduntur creaturæ, præſertim exiſtentes. Minor autem probatur : quia ſola eſſentia divina movet intellectum divinum ad cognitionem ſui : perſonæ autem non, niſi ratione eiuſdem eſſentiæ.

36 RESP. Imprimis, hoc argumento nimiùm probari, ſi quidquam evincitur. nimirum, Verbum per ſe non procedere ex cognitione attributorũ : nam ſi ſola eſſentia, prout condiſtincta à perſonis, eſt obiectum primariũ cognitionis paternæ, ex qua procedit Verbum ; cur non etiam ſola illa, prout condiſtincta à attributis ? Neque enim attributa ex propria ratione habent vim movendi, ſicuti nec perſonæ. Deinde daro quòd hæ eſſent obiectum ſecundarium, adhuc illarum cognitio poſſet per ſe exigi ad productionem Verbi, propter neceſſariam connexionem cum eſſentia. Ideoque Diſp ſequenti oſtendemus, Verbum per ſe procedere ex cognitione creaturarum poſsibilium. Denique independenter à doctrina ibidem tra-

den-

denda dicimus, ſive perſonæ diuinæ ſpectent ad obiectum primarium, ſive ad ſecundarium (de quo infrà ex profeſſo Diſp. LXVI.) adhuc cognitionem intuitiuam illarũ per ſe exigi ad productionem Verbi diuini. Cùm enim ſit perfectè ſimile Patri intelligenti ac dicenti, debet per ſe exprimere per modũ termini, quidquid in mente paterna ſupponitur intelligibiliter exiſtens. Hoc autem non eſt ſola eſſentia, ſed quidquid habet neceſſariò identitatem cum illa, qualem profectò habent attributa & relationes. Ergo debet ſupponere per ſe cognitionem, immo & comprehenſionem omnium eorum.

37 OPPONVNT III. Prædicata communia ſive eſſentialia in diuinis ſunt priora proprijs & perſonalibus ſubſiſtendi conſequentiâ, vt docet D. Thom. 1. p. quæſt. 33 art. 3. ad 1. Atqui cognitio intuitiua, immò & comprehenſiua Dei, eſt prædicatum commune, & eſſentiale. Ergo eſt prior ſubſiſtendi conſequentia, quàm ratio propria Filij & Spiritus ſancti. Ergo poſſumus cum fundamento concipere in Deo Patre cognitionem intuitiuam & comprehẽſiuam diuinitatis, pro priori rationis ad vtramque perſonam: ac proinde Verbum non procedit perſe ex cognitione ſui & Spiritus ſancti, ſed ſolùm comitanter, aut conſequenter: ſiquidem per ſe ſolùm exigit oriri ex cognitione paterna, prout intuitiua, & comprehenſiua: quâ ratione antecedit vtramque Filij & Spiritus ſancti perſonam.

38 RESP. Imprimis argumentum regeri in Adverſarios. Si enim prædicata communia & eſſentialia, inter quæ computatur cognitio intuitiua & comprehenſiua Dei, ac proinde trium perſonarum, ſunt priora notionalibus ordine rationis; ergo pro priori ad generationem paſsivã Verbi (quæ planè eſt prædicatum notionale) ſupponitur cognitio intuitiua & comprehenſiua perſonarum: ac proinde Verbum per ſe procedit ex illa. Deinde admiſſo integro ſyllogiſmo, negatur conſequens poſterius, in quo infertur, Verbum non procedere per ſe ex cognitione intuitiua & comprehenſiua perſonarum, ſed ſolùm comitanter, aut quaſi per accidens. Nam licèt eiuſmodi cognitio ſit prior perſonis ſubſiſtendi conſequentia (quæ eſt prioritas ſolùm logicalis, & in ordine ad noſtrum imperfectum concipiendi modum) tamen eſſentialiter & per ſe terminatur ad omnia quæ formaliter ſunt in Deo, cùm id ſit de ratione cognitionis comprehenſiuæ Dei. Vnde licèt nos ex imperfecto concipiendi modo poſsimus concipere illam veluti priorem quoddammodo perſonis, Verbum per ſe exigens oriri ex cognitione perfectiſsima & comprehenſiua Dei, etiam per ſe exigit oriri ex cognitione diſtincta & comprehenſiua perſonarum.

39 DICES: Iuxta opinionem, quę agnoſcit in Deo ſubſiſtentiam abſolutam & communem, pro priori ad perſonas cum fundamento ex parte obiecti concipitur individuũ Deitatis, ſive hic Deus ſingulariter ſubſiſtens. Ergo pro priori ad eaſdem perſonas cum fundamento ex parte obiecti intelligitur cognitio comprehenſiua Deitatis, vtpotè prædicatum eſſentiale Deo. Ergo quamvis Verbum per ſe procedat ex cognitione comprehenſiua Deitatis, non ideo per ſe oritur ex cognitione explicita perſonarum, ſed ſolius eſſentiæ & eorum prædicatorum, quæ ordine rationis præcedunt perſonas.

40 RESP. Quamvis admittatur aut ſupponatur ea opinio, quam tuebimur ex profeſſo infrà Diſp. LXXVII. per totam, nihil id ad hanc controverſiam referre: quoniam hoc loci non agimus de cognitione, quæ conuenit individuo Deitatis abſtractè conſiderato, quod neque generat, neque gignitur; ſed nominatim de cognitione paterna, ſeu propria Patris. Hæc autem per ſe & explicitè debet eſſe comprehenſiua non ſolius eſſentiæ, ſed etiam Patris ipſius; ac proinde Filij, cùm ambo invicem referantur, & relativa ſint ſimul cognitione. Rurſus eo ipſo quòd prout in Patre ſit cognitio comprehẽſiua eſſentiæ, etiam prout in illo debet eſſe per ſe comprehenſiua omnium eorum prædicatorum, quæ ſunt reipſa ac ſimpliciter vnum & idem cum eadem eſſentia: quia comprehenſio attingit obiectum totum & totaliter, præſertim vbi obiectum eſt ſummè ſimplex vt contingit in diuinis. Ergo Verbum per ſe procedens ex cognitione comprehenſiua Patris & ſuipſius, pariter ac per ſe procedit ex cognitione comprehenſiua Spiritus ſancti, qui ſanè eſt vnum & idem reipſa ac ſimpliciter cum eſſentia amborum.

41 VERVM Adhuc quamvis loquamur de cognitione, quæ in ea opinione conuenit individuo Deitatis pro priori rationis ad perſonas, illa eſſentialiter eſt comprehenſio eſſentiæ, ac proinde trium perſonarum, quę ſunt vnum & idem reipſa cum ea. Quamvis enim fortè poſsimus eam cognitionem ex imperfecto modo concipiendi apprehendere vt terminatã ad prædicata Dei abſoluta ſub ratione cõmuni cognitionis, quin apprehendamus illam, prout terminatam ad prædicata relativa in vi comprehenſionis; adhuc illa, ſicuti ex ſua ratione eſſentiali eſt comprehenſio Dei, ita etiam trium perſonarum. Vnde quamvis Verbum per ſe ſolùm exigeret oriri à cognitione illa, quatenus eſſentialiter convenit individuo Deitatis, adhuc per ſe oriretur ex comprehenſione perſo-

narum

harum. Neque enim intellectus noster, quamvis præscindat vel abstrahat prædicata Dei, potest vllo modo ab ijs auferre id, quod pertinet ad ipsorum conceptum essentialem, formalemque: multò autem minùs ijs affingere aliquid repugnans. quale profectò esset, quòd relatè ad cognitionem illam divinam tres personæ non essent præsentes, sed vel possibiles, vel futuræ in signo sequenti, prout videtur supponi aut indicari in obiectione præiacta.

42 OPPONVNT IV. Saltem ex cognitione Spiritus sancti nequit per se procedere Verbum. Ergo neque ex cognitione omnium, quæ sunt in Deo formaliter. Assumptio probatur multipliciter. *Primò*: Quia id quod est prius nequit dependere per se à posteriori. Atqui processio Verbi est prior origine processione Spiritus sancti. Ergo processio Verbi nequit pendere à processione Spiritus sancti. Vnde & consequens est, vt nec Verbum per se procedat ex illius cognitione: sic enim quoddammodo processio Verbi penderet ab illo. *Secundò*. Si per impossibile Spiritus sanctus non existeret, adhuc Verbum per locum ab intrinseco procederet à Patre: siquidem Verbum origine est priùs Spiritu sancto. Ergo non procedit per se ex Spiritus sancti cognitione. *Tertiò* Spiritus sanctus pro signo suæ productionis passivæ invenit Verbum iam productum. Ergo improductio Spiritus sancti non argueret defectum Verbi: ac proinde nec huius productio & existentia per se aliquid confert in Verbi existentiam aut productionem.

43 RESP. Negando antecedens. AD I. Probationem distinguo maiorem: Id quod origine est prius alio, nequit dependere à posteriori, dependentia originis, concedo: alio genere dependentiæ, aut quasi dependentiæ, nego: & concessa minore, pariter distinguo consequens: Nequit processio Verbi dependere à processione Spiritus sancti, dependentia originis, concedo: dependentia, aut quasi dependentia obiectiva, nego consequentiam, similiterque secundum consequens: quia licèt Verbum non oriatur à Spiritu sancto, sed potiùs è contrà; procedit tamen per se ex cognitione perfectissima, & comprehensiva diuinitatis quatenus fœcundæ per intellectum & voluntatem; ac proinde quatenus distinctè terminata ad vtramque personam ipsius Verbi & Spiritus sancti, tanquam obiecti; non quidem motivi (alioqui procederet Verbum ex seipso, & Spiritu sancto, sicuti ex obiecto motivo & potentia paritur notitia) sed terminativi solùm, per se & essentialiter exacti ad cognitionem comprehensivam essentiæ. AD II. Nego antecedens: quoniam Verbum de facto existens per se procedit vt manifestativum virtutis spirativæ, & termini spirati: quod non haberet in ea hypothesi impossibili. Vnde nec esset Verbum idem quod nunc, sed aliud longè diversum. AD III. Concedo antecedens, & nego consequentiam: quia licèt productio & existentia Spiritus sancti non conferat aliquid per modum principij in productionem & existentiam Verbi, confert aliquid per modum obiecti, necessariò ac per se terminantis perfectissimam cognitionem, seu comprehensionem, ex qua per se procedit Verbum.

44 INSTABIS. Sicuti Verbum de facto est expressivum seu manifestativum Spiritus sancti, ita etiam creaturarum existentium: cùm vtrumque id habeat ex propria ratione. Atqui dato, quòd nulla creatura esset vnquam extitura, nec exprimeretur à Verbo, illud esset idem tunc, & tam perfectum, ac modò est. Ergo pariter licèt per impossibile non existeret Spiritus sanctus, nec exprimeretur à Verbo, hoc esset idem, & æquè perfectum ac modò.

45 RESP. Verbum esse manifestativum quidem Spiritus sancti, & creaturarum existentium: verùm longè aliter. nam Spiritum sanctum manifestat absolutè & necessariò: creaturas autem existentes non, nisi supposito decreto libero de illarum productione, quod potuit non esse in Deo prolibito. Vnde nolente Deo aliquid extra se producere, Verbum maneret cũ omni prædicato necessario, ac proinde idem, ac modò est: secus verò non existente Spiritu sancto, quia tunc deficeret Verbo prædicatum necessarium manifestandi virtutem spirativam, & terminum ad intra spiratum. Rursus est alia ratio discriminis: quoniam quidquid capax est comprehensionis seu manifestationis in creaturis existentibus, exprimitur à Verbo & manifestatur necessariò per expressionem creaturarum possibilium. Quamvis enim creaturæ existentes addant mutationem aliquam sibi intrinsecam penes physicum esse supra possibilitat, quam antea habebant, Verbum divinum idem prorsus est, sive repræsentet illas vt purè possibiles, sive etiam vt existentes. Nihil enim expressibile est in creaturis existentibus, quod non sit expressum in possibilibus, sub ratione possibilitatis, quamvis non sub ratione existentiæ exercitæ, cuius positio aut exclusio nihil confert ad perfectionem intimam Verbi. Itaque adhuc quamvis Deus noluisset omnino producere aliquid extra se, ipsum Verbum divinum exprimeret quidquid veritatis & perfectionis est modò in creaturis existentibus, non vt existens, sed vt possibile. Cæterum data hypothesi impossibili, in qua Spiritus sanctus non existeret, nullo modo esset possibilis ipse. nam in æternis & necessarijs prædicatis Dei, sive essentialibus, idem omni-

omnino eſt eſſe poſſe, atque eſſe: vt communè effatum Philoſophorum ac Theologorum profert. Quare ſi Verbum non exprimeret Spiritum ſanctum vt exiſtentem, nullatenus illum exprimeret vt poſsibilem: ac proinde Verbum ipſum ſubiret intrinſecam mutationem, ſeu defectum prædicati illius neceſſarij, quo nunc exprimit Spiritum ſanctum exiſtentem.

46 OPPONVNT V. Vazquez. Si Verbum per ſe procederet ex cognitione Spiritus ſancti, eſſet imago illius æquè ac Patris. Etenim ad rationem imaginis duo ſolùm exiguntur: alterum, vt repræſentet illud obiectum, cuius imago eſt: alterum, vt ab eo procedat. Porrò Verbum verè repræſentat Spiritum ſanctum; ſicuti & omnia quæ formaliter ſunt in Deo. Aliunde verò ab ipſo procedet, ſi ſemel oritur per ſe ex illius cognitione Ergo Verbum procedet verè ac ſimpliciter vt imago Spiritus ſancti. Quod abſurdum eſſe patet. Si autem velimus regerere hoc argumentum in ipſum Vazquez, quoniam in eius opinione Verbum procedit per ſe ex cognitione eſſentiæ, ac ſui ipſius, nec tamen inde colligitur, Verbum procedere tanquam ſuipſius imaginem; Reſpondet idem Auctor, diſparem eſſe rationem. nam Verbum nullo modo diſtinguitur à ſeipſo, ac proinde nequit eſſe imago ſui. Cùm verò diſtinguatur reipſa à Spiritu ſancto, nihil deeſt vt ſit eius imago, ſi per ſe oritur ex cognitione illius.

47 RESP. Negando ſequelam. nam ad rationem imaginis non ſufficit repræſentare aliquod obiectum, & per ſe procedere ex ipſius cognitione, niſi præterea id quod eſt imago, verè naſcatur ſeu oriatur ſecundùm ſuum eſſe reale ab illo, cuius imago eſt. Quare licèt Verbum repræſentet ſeipſum, ſive manifeſtet, ac præterea Spiritum ſanctum, & procedat per ſe ex cognitione ſui ac Spiritus ſancti, non propterea eſt imago, niſi ſolius Patris, quoniam à ſolo illo procedit naſcendo, tanquam à principio productivo ſecundùm eſſe reale. Quæ doctrina eſt luculenter tradita ab Anſelmo infra cap. 63. alias 60. vbi inquit poſt medium capitis: *Conſtat enim, ipſum eſſe imaginem & Filium eius, cuius eſt Verbum: & patet, quod nec imago, nec filius ſuimet, aut à ſe procedentis Spiritus, congruè dici poteſt. Nam nec ex ſeipſo, nec ex procedente à ſe naſcitur; nec ſeipſum, aut procedentem à ſe, exiſtendo imitatur. Seipſum quippe non imitatur, nec à ſe trahit exiſtendi ſimilitudinem: quia imitatio & ſimilitudo non eſt in vno ſolo, ſed in pluribus: illum verò non imitatur, nec ad eius ſimilitudinem exiſtit, quia iſte non habet ab illo eſſe, ſed ab iſto. Reſtat igitur hoc ſolum Verbum illius ſolius eſſe, de quo naſcendo habet eſſe, & ad cuius omnimodam ſimilitudinem exiſtit.* Hactenus ille: cuius verbis nihil clarius eſſe poteſt ad obiectionem Vazquij refellendam. Itaque Verbum, licèt oriatur ex cognitione totius Trinitatis, non propterea eſt Verbum, ſive imago ſui ipſius, nec Spiritus ſancti: quoniam non oritur à ſeipſo, nec à Spiritu ſancto, ſed à ſolo Patre naſcitur: ideoque eius ſolius Verbum, ſive imago eſt. Quare quamvis vltrò permitteremus Vazquio, Verbum intentionaliter procedere ex ſeipſo, aut Spiritu ſancto, quatenus procedit ex cognitione ſui, & Spiritus ſancti; non ideo eſſet imago vel Verbum, ſive ſui ipſius, ſive Spiritus ſancti.

48 CÆTERVM Nunquam abſolutè concedendum eſt, Verbum procedere, adhuc intentionaliter, ex ſeipſo, aut Spiritu ſancto: quia licèt procedat ex cognitione amborum, non tamen veluti obiecti moventis (quod eſt ſola eſſentia) ſed ſolùm terminantis, quamvis per ſe & eſſentialiter exacti, vt notitia, ſive cognitio ex qua procedit, ſit perfectiſsima & comprehenſiva. Obiectum autem concurrens activè intentionaliter ſimul cum potentia ad pariendum, non eſt quodlibet, ſed motivum dumtaxat, quod proinde ratione ſui attingitur, & movet intellectum ad actum cognitionis. Vnde & Diſp. ſequenti oſtendemus, quamvis Verbum per ſe procedat ex cognitione creaturarum poſsibilium, non ideo procedere ab ijs, adhuc intentionaliter: quoniam non ſunt obiectum motivum illius cognitionis, ſed purè terminativum, immo & ſecundarium; in quo ſuperantur à relationibus divinis quæ propter ſummam neceſsitatem exiſtendi, & realem cũ eſſentia divina identitatem, non cenſentur ſpectare ad obiectum ſecundarium cognitionis increatæ, immo nec viſionis beatificæ, ſed ad primarium; non quidem movens, ſed terminans, & intimè afficiens ipſum obiectum motivum.

49 COLLIGE Ex dictis, Spiritum ſanctum pariter per ſe procedere ex amore, ac Verbum ex cognitione omnium eorum, quæ formaliter & neceſſariò ſunt in Deo. Propterea enim id de Verbo hactenus hucuſque traditum & probatum fuit, quoniam propter ſummam perfectionem ſuam exigit, vt cognitio ex qua procedit, ſit ſummè perfecta, & proinde comprehenſiva divinæ eſſentiæ, atque adeò omnium eorum, quę cum ea neceſſariam & realem identitatem habent. Atqui etiam Spiritus ſanctus ob ſummam perfectionem ſuam exigit, vt amor, ex quo procedit, ſit ſummè perfectus, & proinde comprehenſivus divinæ eſſentiæ, atque adeò omnium eoaum, quæ cum ea neceſſariam & realem identitatem habent

bent. Ergo pariter Spiritus ſanctus per ſe procedit ex amore eorum omnium. Neque vlla ferè difficultas alicuius momenti occurrere poſſe videtur circa proceſsionem Spiritus ſancti in hac parte, quæ in ſimili obiecta non fuerit ſupra circa proceſsionem Verbi, & parem aut eandem cum illa ſolutionem non habeat: vt conſideranti palam erit.

DISPVTATIO LXV.

AN VERBVM DIVINVM PER SE PROCEDAT EX COGNITIONE CREATVRARVM POSSIBILIVM.

PRAECEDENTI Diſputatione lis fuit cum pleriſque diſcipulis Subtilis Doctoris, præſertim antiquioribus: nunc verò cum ijs omnibus diſceptatio erit. Habet verò locum controuerſia hæc directè apud Anſelmum impræſenti cap. 31. & 36. vt ex progreſſu apparebit: illamque tractant Scholaſtici cum Magiſtro, ſicuti & præcedentem, in 1. diſt. 27. præcipuè, aliſque locis.

SECTIO PRIMA.

Relatis ſententijs Theologorum, eligitur affirmans, & ſuadetur veluti conformis Anſelmo, atque Auguſtino, præcluſis euaſionibus Aduerſariorum.

2 PRIMA Sententia negat, Verbum per ſe procedere ex cognitione creaturarum poſsibilium. Ita Scotus in 1. diſt. 27. quæſt. 3. fine, quem ſequuntur omnes diſcipuli allegati Diſp. præcedenti num. 2. & 5. ac præterea Vazquez 1. part. diſp. 143. cap. 3. & ſeqq. contendens, hanc eſſe opinionem Anſelmi ſuprà cap. 31. aliàs 29. aſſerentis, Verbum divinum non eſſe Verbum creaturarum; ac præterea dicentis de æterno Patre: *Siue ergo ille cogitetur nullo alio exiſtente, ſine alijs exiſtentibus, neceſſe eſt Verbum illi coæternum eſſe.* Vaſquio adhærent Turrianus diſp. 18. dub. 3. Alarcon tract. 5. diſp. 8. cap. 9. Albertinus Coroll. 14. Ad aliquid dub. 1. concl. 4. & ex parte Arrubal diſp. 125. cap. 5. & 6.

3 SECVNDA Extremè oppoſita affirmat cum D. Thoma in 1. quæſt. 34. art. 1. ad 3. dum ait: *Pater intelligendo, ſe & Filium, & Spiritum ſanctum, & omnia alia, quæ in eius ſcientia cõtinentur, concipit Verbum: VT SIC TOTA TRINITAS VERBO DICATVR, ET ETIAM OMNIS CREATVRA.* Vnde illum veluti expreſſum pro hac parte, ſequuntur omnes Thomiſtæ allegati Diſp. præc. n. 5. ex quibus Godoy diſp. 90. ſ. 3. contendit adverſus Vazquez, Anſelmum nullibi oppoſitum huius ſententiæ tradidiſſe. Subſcribunt frequẽter AA. Societatis, præſertim Molina, & Faſſolus 1. p. q. 34. a. 3. Suarez lib. 9. de Trinit. c. 6. Ruiz diſp. 63. ſect. 1. Gran. diſp. 6. Zuñiga diſp. 9. dub. 6. Amicus Tomo I. diſp. 25. ſect. 4. & noviſsimè M. Lumbier Carmelitanus tract. 3. q. 10. a. 4. quibus omnibus libenter ſubſcribo.

4 ET Certè, quidquid Vazquez velit in oppoſitũ, Anſelmus non minùs, quàm D. Thoz huic ſententiæ patrocinium fert. Propterea enim Ang. D. communiter cenſetur hanc opinionem docuiſſe, quia in verbis nuper exſcriptis ait, Patrem intelligendo ſe, & Filiũ, & Spiritũ ſanctũ & omnia quæ in eius ſcientia continentur, cõcipere Verbũ: vt ſic tota Trinitas Verbo dicatur, & etiã omnis creatura. Atqui pariter Anſelmus ait, Patrẽ, cùm ſe dicit, dicere etiã omnia quæ in ipſius arte ſive ſcientia continẽtur, ſcilicet, omnẽ creaturã vno eodemque Verbo. Ergo pariter Anſelmus eandẽ ſcientiã docuiſſe putãdus eſt. Aſſumptio probatur ex verbis S. Doct. ſuprà c. 34. aliàs 33. cui epigrapha eſt: *Quòd ſuo Verbo poſsit videri dicere creaturã.* Nam poſtquã in ipſo capite præmiſsit, omnes creaturas, etiã antequã fiant, contineri in ſumma ſapientia & ratione Dei, ſicuti opus quod fit ab artifice, continentur priùs in ipſa arte, ſubdit: *Idcirco cùm ſummus ſpiritus dicit ſeipſum, dicit omnia quæ facta ſunt. Nam & antequam fierent, & cùm iam facta ſunt, & cum corrumpuntur, ſeu aliquomodo variantur, ſemper in ipſo ſunt: non quod ſunt in ſeipſis, ſed quod eſt idem ipſe. Etenim in ſeipſis ſunt eſſentia mutabilis, ſecundùm mutabilẽ rationem creatã:*

tà: in ſeipſo verò ſunt ipſa prima eſſentia, & prima exiſtendi veritas: cui prout magis illa ſimilia ſunt, ita veriùs & præſtantiùs exiſtunt. Hoc itaque modo non irrationabiliter aſſeri poteſt, quia cùm ſeipſum dicit ſummus ille ſpiritus, dicit etiam quidquid factum eſt, vno eodemque Verbo. Itaque Verbum divinum, iuxta Anſelmum, per ſe procedit ex dictione omnium, quæ continentur in ſapientia & arte divina. Atqui in ſapientia & arte divina continentur omnes creaturæ poſsibiles, ſive exiſtant in ſeipſis, ſive non: vt idem Sanct. Doctor ait. Ergo Verbum per ſe procedit ex dictione omnium creaturarum poſsibilium, ac per conſequens ex illarum cognitione. Nam, vt ipſe præmiſerat cap. 32. aliàs 30. quidquid intellectus divinus dicit, vtique cognoſcit, ſeu intelligit, quemadmodum & in intellectu noſtro videre eſt. Si ergo Pater dicendo omnes creaturas poſsibiles, dicit & exprimit Verbum ſuum; vtique cognoſcendo illas dicit ipſum atque exprimit.

5 DICES: Anſelmus non ait, Patrem Verbo ſuo dicere creaturas omnes vtcumque, ſed quatenus in divina ſcientia & arte continentur; qua ratione ſunt ipſa ſcientia & ars divina, vt idem ſubdit. Hinc autem ſolùm colligitur, Verbum per ſe procedere ex cognitione ſcientiæ & artis divinæ, quatenus eminenter continent creaturas; non autem ex cognitione creaturarum poſsibilium in ſeipſis. quod ſecundum oporteret probare ad ſtabiliendam noſtram ſententiam ex ipſius mente.

6 SED Contrà. Nequit enim Verbum divinum per ſe procedere ex cognitione ſcientiæ & artis divinæ quatenus continentium in ſe creaturas poſsibiles, niſi cognitio ipſa ſit comprehenſiva eiuſdem ſcientiæ & artis: ſiquidem cognitio, ex qua procedit per ſe Verbum, debet eſſe ſummè perfecta, & tanto myſterio digna. Vt autem cognitio ipſa ſit comprehenſiva ſcientiæ & artis divinæ, prout continentium creaturas poſsibiles, neceſſariò extendi debet ad eaſdem creaturas poſsibiles cognoſcendas in ſeipſis; vtpotè omnino connexas cum eadem ſcientia & arte Dei per modum obiecti aut termini. Cognitio enim perfectè comprehenſiva cauſæ vel principij, prout continentis aliquem effectum omnino connexum, neceſſariò extendi debet ad comprehendendum illum. De quo videantur plura à nobis obſervata Diſp. præced. numero 14. & ſeqq. quæ non vacat nunc inculcare. Si ergo Verbum per ſe procedit iuxta Anſelmum ex cognitione comprehenſiva ſcientiæ & artis divinæ, quatenus continentium creaturas poſsibiles; etiam per ſe procedit ex cognitione earundem creaturarum poſsibilium in ſeipſis. Solùm itaque diſcrimen eſt, quòd ex ſcientiæ & artis cognitione procedit per ſe Verbum, tanquam ex notitia alicuius ſpectantis ad obiectum primarium illius cognitionis; ex notitia verò creaturarum poſsibilium in ſeipſis, veluti ſpectantium ad obiectum purè ſecundarium cognitionis, quamvis neceſſariò cum illa connexum.

7 NEQVE Obſtat doctrina Anſelmi, cui Vazquez innititur. Imprimis enim dum S. Doctor ait, Verbum divinum non eſſe Verbum creaturarum, non negat, illud per ſe ex earum cognitione procedere: ſed ſenſus eſt, non eſſe Verbum creaturarum propriè loquendo: quoniam Verbum propriè dictum importat originem ab eo, cuius eſt Verbum. quod procul eſt à Verbo divino, ipſique repugnat in ordine ad creaturas, quarum cauſa eſt, effectus verò nullatenus eſſe poteſt. Quod latè explicuimus in ea verba Anſelmi Diſp. LXII. ſect. 3. Itaque quamvis Verbum divinum non ſit propriè Verbum, ſive imago creaturarum poſsibilium; eſt tamen Verbum impropriè dictum ipſarum, quatenus vi ſuæ proceſsionis verè illas manifeſtat & exprimit, quemadmodum ſunt in memoria fœcunda Patris.

8 QVÆ Solutio & doctrina illuſtrari poteſt ex D. Thom. quæſt. 9. de Veritate art. 4. vbi in argumento ſeptimo obijcitur, Filium nullatenus eſſe Verbum creaturarum, quoniam Verbum debet procedere ab eo, cuius Verbum eſt, Filius autem à creaturis nullo modo procedit: non ergo eſt Verbum creaturarum. Reſpondet verò Angelicus Doct. eidem argumento ſic: *Ad ſeptimum dicendum quòd Verbum eſt alicuius multipliciter: vno modo vt dicentis, & ſic procedit ab eo, cuius eſt Verbum: alio modò, vt manifeſtati per Verbum, & ſic non oportet quòd procedat ab eo, cuius eſt Verbum, niſi quando ſcientia, ex qua procedit, eſt cauſata à rebus: quod in Deo non accidit. Et ideo ratio non ſequitur.* Itaque Filius Dei, licèt non ſit propriè Verbum creaturarum, quia ab eis non dicitur, nec ſcientia divina eſt cauſata ab ipſis creaturis poſsibilibus; eſt tamen largo quodam modo Verbum illarum, quatenus vi ſuæ proceſsionis habet, vt illas manifeſtet. quæ eſt ratio Verbi impropriè & communiter vſurpata, vt loco nuper indicato latiùs explanavimus.

9 SIMILITER Non obſtant verba illa Anſelmi à Vaſquio obiecta: *Sive ergo ille cogitetur, nullo alio exiſtente, ſive alijs exiſtentibus, neceſſe eſt Verbum illi coæternum eſſe.* Et conſonat alia ex eodem S. Doctore cap. 33 aliàs 31. quibus fidit Maſtrius, dum ille ait: *Etiamſi nihil vnquam aliud eſſet, niſi ſum-*

ſummus ille ſpiritus ; ratio tamen cogit, Verbum illud, quo ſe dicit, ex neceſſitate eſſe. Inde enim ſolùm colligitur, Verbum divinum nullatenus pendere ab exiſtentia creaturarum, aut non exiſtentia : quoniam omnes creaturæ exiſtunt aut non exiſtunt pro ſolo libito Dei : Verbum autem eſt ſummè neceſſarium & coæternum Deo. Cùm hoc autem cohæret, vt Verbum ſit per ſe connexum cùm cognitione creaturarum poſsibilium, & ſubinde cum poſsibilitate illarum : quoniam hæc prorſus neceſſaria eſt. Sic etiam iuxta frequentem Theologorum ſententiam contra ipſum Vazquez, omnipotentia divina eſt neceſſariò connexa cum creaturis poſsibilibus, veluti cum termino ſuæ activitatis. An verò ex prædictis verbis Anſelmi colligatur, Verbum divinum per ſe non procedere ex cognitione creaturarum exiſtentium, Diſp. ſequenti apparebit. Itaque ex mente Anſelmi videtur indubium, Verbum procedere ex cognitione creaturarum poſsibilium, non ſolùm quatenus continentur in ſapientia, & arte divina, ſuntque ipſa ſapientia & ars ; ſed etiam prout ſunt poſsibilia in ſeipſis per modum termini neceſſariò connexi cum eiſdem ſapientia & arte.

10 EX Auguſtino verò videtur eam ipſam doctrinam mutuaſſe Anſelmus. nam ille lib. 15. de Trinitate cap. 13. & 14. ait: *Verbum diuinum eſt de omnibus, quæ ſunt in ſcientia Patris.* Vbi particula *de*, iuxta phraſim Auguſtini importat per ſe originem à Patre ſecundùm ſcientiam omnium eorum, quæ ſunt in mente Patris. Et ſanè non alio ſtylo idem Auguſtinus, alijque Theologi cum ipſo, aiunt Verbum eſſe de ſubſtantia Patris, quàm ille aſſerat Verbum eſſe de omnibus, quæ ſunt in ſcientia Patris. Quare ſicuti per prius eorum exprimitur origo per ſe Verbi ex Patris ſubſtantia, ita per poſterius denotatur origo per ſe ex ſcientia rerum omnium, quæ in Patre eſt. Quare inferiùs ſubdit : *Sciunt inuicem Pater & Filius : ſed ille gignendo, hic naſcendo.* Ergo Verbum ex vi nativitatis, ac proinde per ſe accipit ea, quæ exprimuntur in Patre gignente. Pater autem gignens exprimit ſcientiam rerum omnium, vtpotè ſummè perfectam & comprehenſivam. Ergo & Verbum vi ſuæ nativitatis, ac proinde per ſe, accipit ſcientiam rerum omnium : atque adeò per ſe ex illa procedit. Addit præterea rationem doctrinæ ſuæ Auguſtinus ibidem : *Nam ſi aliquid minus eſſet in Verbo, quam in ſcientia, non eſſet Verbum adæquatum.* Ergo oportet, vt quemadmodum ſcientia Patris, ex intrinſeca perfectione ſua, & ratione propria comprehenſionis Dei extenditur neceſſariò ad omnes creaturas poſsibiles cum ipſo connexas : ita etiam Verbum vi proceſsionis ſuæ illam ſupponat, vt pariter illas omnes per ſe repræſentet, ſiſque proinde Verbum Patri per omnia adæquatum.

11 NEC Refert ſi dicas cum Arrubale vbi ſuprà, Auguſtinum loqui de Verbo non ſecundùm intrinſecam perfectionem Verbi, ſed penes extrinſecam terminationem ad creaturas poſsibiles, quâ eſt repræſentativum illarum. Sic enim verè ex earum cognitione procedit. Non inquam, refert. Imprimis enim, eſſe repræſentativum creaturarum poſsibilium, non eſt aliqua denominatio extrinſeca aut contingens in Verbo divino, ſed intrinſeca & eſſentialis, ſicuti eſſe ideam & virtutem operatricem illarum. Deinde, quia ratio, quâ Arrubal poſt Vaſquium ducitur, vt neget Verbum quoad eſſe intrinſecum procedere per ſe ex cognitione creaturarum poſsibilium, ea eſt, quòd alioqui Verbum procederet ab ipſis creaturis, veluti imago illarum. Si autem hoc abſurdum exinde ſequitur, pariter in Adverſarios colligere licet, Verbum ipſum, quatenus repræſentativum creaturarum poſsibilium, ex ijs procedere veluti imaginem : ſiquidem fatentur, Verbum, quatenus repræſentativum poſsibilium creaturarum, per ſe procedere ex cognitione illarum. Verumvis autem eſſe abſurdum, nemo non videt. Sicuti ergo ipſi negant, id abſurdum colligi ex ſua ipſorum opinione, pariter fateri tenentur, quamvis Verbum quoad intrinſeca procedat per ſe ex cognitione creaturarum poſsibilium, non ſequi quòd procedat veluti imago illarum. Nimirum, quia ad rationem imaginis non ſufficit concurſus obiectivus, præſertim obiecti ſecundarij (quales ſunt creaturæ poſsibiles relatè ad cognitionem divinam) ſed exigitur omnino ratio principij productivi ſecundùm eſſe naturale. quod repugnat creaturis poſsibilibus relatè ad Verbum. Vide Diſp. præced. num. 47. & 48.

SECTIO SECVNDA.

Ratio potiſsima noſtræ ſententiæ, multipliciter confirmata aduerſus ſolutiones, quibus Recentiores illam eludere conantur.

12 RATIO Aſſerti præcipua, vis differt ab ea, quâ Diſp. præcedenti à numero 8 oſtenſum fuit, Verbum diuinum per ſe procedere ex cognitione omnium eorum, quæ ſunt formaliter in Deo, quoniam procedit ex cognitione perfectiſsima, atque adeò comprehenſiva Dei ; quæ nequit non attingere diſtinctè

& clarè quidquid veram identitatem cum Deo habet, quale eſt omne prædicatum formaliter exiſtens in Deo, ſive abſolutum, ſive relativum ſit. Hac, inquam, ratione tunc vſi ſumus, & nobiſcum multi ex Adverſarijs in hac ipſa quæſtione, ac præcipuè Maſtrius Tomo 1. diſp. 7. quæſt. 2. art. 1. num. 65. Indidem verò pariter ferè colligitur, Verbum divinum per ſe procedere ex cognitione creaturarum poſsibilium. Procedit enim per ſe ex cognitione perfectiſsima ac proinde comprehenſiva eſſentiæ, attributorumque, & per conſequens omnipotentiæ, neceſſariò connexæ cum creaturis poſsibilibus. Atqui cognitio comprehenſiva omnipotentiæ neceſſariò connexæ cum creaturis poſsibilibus, eſt cognitio diſtincta & clara earundem. Nequit enim virtus productiva quorumlibet effectuum comprehendi, niſi in illa & per illam cognoſcantur ij omnes, quotcumque cum ea neceſſariam connexionem habent. Ergo Verbum per ſe procedens ex cognitione comprehenſiva omnipotentiæ, etiam procedit per ſe ex cognitione diſtincta & clara omnium creaturarum poſsibilium.

13 RESPONDET Scotus in 1. diſt. 39. littera X. & diſt. 43. littera C. ac plures eius diſcipuli, præſertim Maſtrius vbi ſuprà num. 132. omnipotentiam, quatenus eſt divinum attributum, & realis atque intrinſeca Dei perfectio, importare aliquid abſolutum, & liberum ab omni reſpectu reali Dei ad creaturas: ac proinde illam poſſe comprehendi à Deo, quin per eundem actum cognoſcantur creaturæ poſsibiles, veluti correlativum ipſius. & addit cum ijs Vazquez 1. part. diſp. 104. perfectionem abſolutam omnipotentiæ, & quodlibet aliud prædicatum Deo intrinſecum, eſſe aliquid ſummè neceſſarium: & per conſequens nullo modo pendere ab eo, quod non eſt ſummè neceſſarium; ac proinde nec à creaturis poſsibilibus, quarum neceſsitas non eſt ſumma; vtpotè non prima, ſed ſecunda, & participata à Deo.

14 SED Contrà I. Quamvis omnipotentia non referatur ſecundùm rem ad creaturas poſsibiles, ſitque reipſa perfectio Dei abſoluta, connectitur tamen neceſſariò cùm ijs tanquam virtus productiva. Ergo comprehenſio omnipotentiæ, ex qua per ſe procedit Verbum, neceſſariò ac per ſe eſt cognitio diſtincta & clara omnium poſsibilium creaturarum. Conſequentia patet: quia comprehenſio virtutis productivæ, vt talis, nequit non eſſe cognitio & clara omnium effectuum neceſſariò cum ipſa connexorum. Debet enim eſſe comprehenſio cauſæ prout continentis virtualiter aut eminenter omnes effectus neceſſariò cum ea connexos, etiam ſub ea ratione peculiari, quâ ij inter ſe differunt: ac proinde debet eſſe cognitio clara & diſtincta eorundem effectuum, etiam ſub rationibus ipſorum peculiaribus. Antecedens verò ſuadetur multiplicitèr. *Primò*: Quia licèt omnipotentia non referatur ſecundùm rem ad creaturas poſsibiles, ſecundùm ſuam perfectionem eſſentialem & intrinſecam, eſt virtus in actu primo proximo continens illas, ac potens producere. Atqui omnis virtus in actu primo proximo continens aliquem effectum, & potens illum producere, neceſſariò connectitur cum poſsibilitate intrinſeca eiuſdem effectus. Alioqui poſſet ſimul proximè produci, & non poſſet: primum, ratione potentiæ proximæ ad illum producendum: ſecundum verò, ob defectum poſsibilitatis intrinſecæ in eodem effectu vt producatur, quæ duo repugnant invicem. Ergo omnipotentia neceſſariò connectitur cum creaturis poſsibilibus. *Secundò*. Quamvis omnipotentia non referatur ſecundùm rem ad creaturas poſsibiles, ſecundùm propriam & intrinſecam perfectionem addit aliquid diſtinctum ab eſſentia Dei, vel ex natura rei, vt vult Scotus; vel virtualiter ſolùm, vt alij veriùs cenſent. At id quod addit, nihil aliud eſſe poteſt, quam connexio cum creaturis poſsibilibus, in ratione virtutis proximè productricis. Ergo omnipotentia cum ijs connectitur neceſſariò, tanquam virtus proximè productiva. *Tertiò*. Deus enim in ſua omnipotentia cognoſcit creaturas poſsibiles, tanquam verè poſsibiles, & nullatenus indifferentes vt ſint poſsibiles vel impoſsibiles. Cognoſcit enim neceſſariò ſuam omnipotentiam, quatenus verè & proximè potentem illas producere. quod nequit eſſe aut intelligi ſine vera poſsibilitate illarum. Non poſſet autem Deus in ſua omnipotentia cognoſcere creaturas poſsibiles, tanquam verè poſsibiles, ſine connexione neceſſaria ipſius cum vera poſsibilitate illarum: ſicuti nequit in omnipotentia ſola videre effectus futuros, ob defectum connexionis neceſſariæ cum ijs: in decreto autem abſoluto illos infallibiliter cognoſcit, ratione connexionis ipſius cum rerum futuritione: vt oſtenſum fuit Tomo I. Diſp. XLV. Ergo omnipotentia connectitur neceſſariò cum creaturis poſsibilibus, tanquam virtus illarum productiva.

15 NEQVE Obſtat quod idem Maſtrius cum Vazquez & pluribus alijs, paſsim inculcat, omnipotentiam eſſe perfectionem prorſus indepẽdentem à creaturis poſsibilibus, vtpotè ſummè neceſſariam; ac proinde nõ poſſe habere intrinſecam connexionem cum ijs. In oppoſitum enim eſt quòd optimè cohærere poſsit neceſſaria connexio vnius cum

alio

alio abſque vlla prorſus dependentia ab illo. Id enim conſtat multiplici, & manifeſta inſtantia. *Prima* eſt in decreto abſoluto & efficaci Dei circa futuritionem rei, quod cum ea neceſſariò connectitur, abſque vlla ſui dependentia ab illa: vtpotè cuius futuritioni præſupponitur veluti cauſa efficax & infallibilis. Neque enim audiendi ſunt quotquot aiunt decretum liberum Dei compleri vllo modo per effectum ipſum: quos propterea reiecimus Tomo I. Diſp. XXXVI. per totam: in quo nobis ipſe Maſtrius cum alijs Scotiſtis eo loco ſuffragatur. Ergo poteſt ſimiliter omnipotentia neceſſariò connecti cum creaturis poſsibilibus, abſque vlla dependentia ab ijs, per ſolam earum dependentiam ab ipſa. In quo exemplo obiter patet, aliquid infinitè ſublimius alio, poſſe neceſſariò cum eo connecti. nam decretum liberum & efficax Dei eſt infinitè ſublimius qualibet creatura futura: & tamen neceſſariò connectitur cum eius futuritione. *Secunda* eſt in principijs neceſſariò connexis cum concluſionibus exinde ſcientificè deductis, quin ab his dependeant, ſed potiùs è contrà concluſiones à principijs. Vbi & conſiderare oportet, neceſsitatem principiorum eſſe maiorem, quàm concluſionum, & tamen cum ea omnino connecti. Quare licèt neceſsitas omnipotentiæ ſit maior, quàm creaturarum poſsibilium, poterit cum hac habere omnino connexionem. *Tertia* eſt in natura qualibet, neceſſariò connexa cum ſuis proprietatibus, citra vllam dependentiam ab ijs. Denique connexionem duorum aut plurium eſſe poſſe abſque dependentia vlla ex terminis, patet, tum generatim in relativis, invicem connexis abſque vlla dependentia; tum ſpeciatim in divinis, vbi perſonę ſunt invicem connexæ, quin vna ab alia dependeat. Ergo de primo ad vltimum, quamvis omnipotentia connectatur neceſſariò cum creaturis poſsibilibus, non ſequitur vlla ab ijs dependentia.

16 VRGETVR Et explanatur ampliùs. Semel evicto, vt nuper pluribus inſtantijs evicimus, poſſe cauſam eſſe neceſſariò connexam cum effectu, citra vllam dependentiam ab illo; colligitur planè, quantò cauſa nobilior & excellentior eſt, eò independentiùs eſſe poſſe cum ſuis effectibus omnino connexam. Nam ſi vel inferiores cauſæ, quamvis alioqui connexæ cum effectibus, excludunt à ſe nævum dependentiæ ab ijs; quantò magis cauſa infinitè perfecta? Atqui omnipotentia divina eſt cauſa nobilior & excellentior relatè ad creaturas poſsibiles, quàm omnis cauſa creata relatè ad effectus ſuos; vt patet. Ergo omnipotentia multò potiùs libera eſſe poteſt à nævo dependentiæ, quamvis cum creaturis poſsibilibus connectatur. Immo permiſſo gratis, nullam cauſam creatam eſſe poſſe connexam cum ſuo effectu ſine aliquo genere dependentiæ ab illo, id negandum eſſet de omnipotentia, ratione ſummæ dignitatis ſuæ, quamvis neceſſariò cum poſsibilibus connectatur: vt patet in exemplo nuper adducto decreti liberi & abſoluti divini de exiſtentia futura mundi, quod neceſſariò cum ea connectitur per modum cauſæ, abſque vlla ſui dependentia ab illa.

17 CONFIRMATVR Ratio præcipua, cui ſuprà innitebamur. Ex terminis, vt aiunt, nequit vlla cauſa comprehendi, niſi cognoſcatur totaliter, ac proinde ſecundùm ea omnia quæ illa continet, tam formaliter, quàm eminenter. Nam ſi ſola cognitio prædicatorum formalium cauſæ abſque eminentialibus ſufficeret ad comprehenſionem illius, de facto omnes Beati comprehenderent Deum, quoniã omnia prædicata formalia illius vident. Similiter & Angeli inferiores comprehenderent ſuperiores, cùm omnia illorum prædicata formalia videant. Quorum tamen prius contradicit fidei; poſterius autem veriori Theologorum ſententiæ. Immo generatim omnis viſio quidditativa obiecti eſſet illius comprehenſio: quod apud omnes abſurdum eſt. Ergo vt paterna cognitio omnipotentiæ, ex qua per ſe procedit Verbum, ſit comprehenſio illius, non ſolùm debet attingere omnia prædicata illius formalia diſtinctè & clarè, ſed etiam omnia eminentialia ſecundùm proprias rationes illorum. Ergo per ſe debet attingere omnipotentiam v.g. quatenus eminenter continet hominem poſsibilem, leonem poſsibilem, & reliquas omnes ſpecies poſsibilium creaturarum ſecundùm proprias illarum differentias. Hoc autem eſſe non poteſt, niſi ipſæ differentiæ poſsibiles inſeipſis & diſtinctè attingantur: ſicuti defacto Beati dum explicitè vident omnipotentiam ſecundùm expreſsionem prædicatorum eminentialium, quibus illa diſtinctè continet differentias varias creaturarum poſsibilium, neceſſariò etiã attingunt eaſdem poſsibilium differentias in ſeipſis.

18 CONFIRMATVR II. Quiſquis ſola principia cognoſcit, ſed concluſiones in ijs virtualiter ac neceſſariò contentas neſcit; planè dicendus eſt non comprehendere principia. Vnde quamvis omnes homines ratione prædiți cenſeantur nõſſe prima principia per habitum illum, quem Ariſtoteles ſæpe

νῶ, id eſt, intellectum, appellat lib. 6. Ethic. non propterea exiſtimandum ea comprehendere, quoniam non cognoſcunt illa totaliter, ſive ſecundùm omnes connexiones aut illationes neceſſarias concluſionum in ijs contentarum virtualiter. Vt ergo cognitio paterna omnipotentiæ, ex qua per ſe procedit Verbum, ſit illius comprehenſio, debet diſtinctè attingere omnia illius prædicata virtualia, ſive omnes & ſingulas illationes quarumlibet creaturarum poſsibilium: ac proinde Verbum per ſe ex illarum cognitione procedit.

19 DICES Ex doctrina Adverſariorum, diſparem eſſe rationem cauſæ creatæ, & omnipotentiæ. Illa enim abſolutè & neceſſariò connectitur cum omnibus effectibus virtualiter in ea contentis, ad quos proinde refertur ſecundùm rem. Omnipotentia autem eſt perfectio Dei abſoluta ab omni ordine reali ad creaturas poſsibiles: nec eſt virtus illarum productiva neceſſariò abſolutè, ſed ſolùm ex ſuppoſitione quòd poſsibiles ſint, ſive non repugnent. Quare non connectitur per ſe & abſolutè cum ijs, ſed ſolùm conditionatè; qua conditione deficiente, ſeu poſsibilibus ad impoſsibilia redactis, illa maneret invariata quod intrinſeca, & eadem numero ac modò eſt. Vnde poteſt abſolutè comprehendi per cognitionem paternam abſque eo, ſeu independenter ab eo, vt creaturæ poſsibiles cognoſcantur.

20 SED Contrà inſurgo multipliciter. *Primò*: Quia eſſe omnipotentem eſt perfectio intrinſeca Deo adæquatè, ſicuti eſſe intellectivum, & volitivum, & æternum. Ergo quemadmodũ reliquæ perfectiones enumeratæ conveniunt Deo abſolutè, & independenter ab omni hypotheſi aut conditione externa, ita etiam eſſe omnipotentem. Atqui eſſe omnipotentem eſt eſſe productivum omnium creaturarum poſsibilium, ſeu habere virtutem proximam ad omnes illas producendas, vt patet. Ergo omnipotentia rationem principij aut virtutis productivæ creaturarum poſsibilium habet abſolutè, & independenter ab omni conditione externa. Ergo non poteſt comprehenſivè cognoſci, quin illæ omnes cognoſcantur: proindeque nulla eſt diſparitas quoad hoc inter illam, & cauſas creatas, in quibus varij effectus poſsibiles continentur virtualiter. *Secundò*: Quia dato quòd exigatur in termino vel effectu conditio poſsibilitatis, certè illa non eſt contingens, ſed neceſſaria, & purificata independenter ab omni libero decreto Dei. Ergo continentia creaturarum poſsibilium in omnipotentia divina, non eſt conditionata aut contingens, ſed abſoluta & neceſſaria. Alioqui liceret etiam dicere, continentiam Verbi in potentia generativa Patris non eſſe abſolutam & neceſſariam, ſed conditionatam; quia nequit Pater continere & generare proximè Verbum, niſi poſita conditione quòd illud ſit capax eiuſmodi continentiæ & generationis paſsivæ. Cùm ergo hoc abſurdum ſit, etiam abſurdum cenſeri debet quòd continentia proxima creaturarum poſsibilium in omnipotentia ſit conditionata. *Tertiò* Virtus proximè productiva alicuius effectus non minùs exigit illius poſsibilitatem, quàm actualis productio eius exiſtentiam, vt patet. Atqui propterea chimærica eſt actualis productio termini conditionata, ex hypotheſi quòd ille exiſtat. Ergo & chimærica eſt virtus proximè productiva conditionata effectus, ex hypotheſi quòd ille ſit poſsibilis. Quare cùm omnipotentia ſit vera virtus Dei proximè productiva creaturarum omnium poſsibilium, non eſt virtus conditionata, ſed abſoluta omninò. Vnde & conſequens vt redactis creaturis poſsibilibus in eſt, impoſsibiles, non maneret eadem virtus abſoluta omnipotentiæ quæ modò eſt, ſed ſummùm alia conditionata & chimærica.

21 *Confirmatur*. Etiam in Patre poſſumus cogitare fœcunditatem ad alterum Filium generandum, ex hypotheſi, ſeu conditione non repugnantiæ ex parte termini. nam ſi non repugnaret alter Filius in divinis, verè generaretur à Patre, cuius fœcunditas infinita eſt. Attamen quia ex parte termini repugnat alter Filius, repugnantiâ abſolutâ & neceſſariâ, nequit in Patre cogitari potentia generativa illius, niſi chimærica. Ergo dato quòd creaturæ poſsibiles redderentur impoſsibiles per repugnantiam abſolutam & neceſſariam, non eſſet in Deo omnipotentia ad illas producendas, niſi chimærica. Patet conſequentia: quia non minùs potentia productiva exigit poſsibilitatem termini producibilis, quàm generativa capacitatem termini generabilis. Si ergo vbi nulla eſt capacitas in termino generabili, potentia ad illum generandum eſt chimærica; etiam vbi nulla eſſet poſsibilitas creaturarum, potentia in Deo ad producendas illas eſſet chimærica. Non ergo in Deo eſſet tunc eadem virtus omnipotentiæ, quæ modò eſt.

22 PRÆTEREA. Chimæricum eſſet decretum efficax Dei de exiſtentia mundi v. g. ſub conditione quòd mundus ſit exiturus; & multò magis ſi tale aſſeratur vt adhuc nunquam exiſtente mundo maneat, vel manſurum eſſet idem decretum. Ergo & chimæri-

mærica est in Deo virtus proximè productiva possibilium sub conditione quòd illa fiat possibia; & multò magis si asseratur talis, vt repugnantibus possibilibus eadem permaneret. Ratio autem vtriusque est eadem: quia sicuti decretum efficax Dei est ratio à priori omnis absolutę futuritionis, ideoque cum ea necessariò connectitur independenter ab hypothesi illius: ita etiam omnipotentia est ratio à priori possibilitatis proximæ omnium creaturarum, ac proinde cum ea necessariò connectitur independenter à qualibet hypothesi, conditioneve. Vnde quemadmodum ratione connexionis prioris chimæricum esset decretum efficax Dei, nec idem ac antea, data hypothesi futuritionis nunquam sequutæ: ita etiam ratione similis connexionis, chimærica esset omnipotentia, nec eadem ac modò est, si aliqua possibilis creatura redderetur impossibilis.

23 VLTERIVS. Si connexio absoluta cum creaturis possibilibus dedecet omnipotentiam, etiam conditionata illam dedecet. Propterea enim Adversarij primum suadere conantur, quonam posita connexione absoluta omnipotentiæ cum creaturis possibilibus, illa penderet absolutè in suo esse ab his; vtpotè non futura eadem, si creaturæ non essent possibiles. At si id rectè colligunt, pariter colligi debet ex connexione conditionata. Omnipotentia enim in suo esse continet virtualiter omnes creaturas possibiles, quam continentiam non haberet, si conditio possibilitatis deficeret ex parte creaturarum. Ergo omnipotentia in suo esse dependet à conditione possibilitatis creaturarum. Omnis autem dependentia Dei quoad suum esse à creaturis, sive tanquam à causa, sive tanquam à conditione, æquè indecens ipsi est. Si ergo connexio absoluta omnipotentiæ est indecens Deo, pariter quoque conditionata. *Rursus.* Quemadmodum posita connexione absoluta cũ creaturis possibilibus, iuxta nostram sententiam, omnipotentia non esset futura eadem, sed diversa, si illæ redderentur impossibiles: ita etiam posita connexione conditionata, iuxta Adversarios dici debet, omnipotentiam non futuram eandem deficiente conditione possibilitatis illarum. Tũc enim omnipotentia non contineret in suo esse intrinseco virtualiter & proximè creaturas possibiles; ac proinde non esset eadem ac modò est, sed alia quoad esse intrinsecum. Atqui ex eo quod iuxta nostram sententiam omnipotentia futura esset alia, colligunt Adversarij dependentiam absolutam omnipotentiæ à creaturis absolutè possibilibus. Ergo pariter, quia iuxta illorum opinionem omnipotentia deberet esse alia deficiente conditione possibilitatis, colligere licet dependentiam illius conditionatam à possibilitate creaturarum. Omnis autem dependentia omnipotentiæ quoad suum esse intrinsecum, à creaturis, sive tanquam à causa, sive tanquam à conditione, videtur æquè repugnans & indecens Deo. Ergo ex eodem capite, quo Adversarij negant connexionem absolutam omnipotentiæ cum creaturis possibilibus, negare debent conditionatam. Quòd si verò hæc sine vlla vera dependentia aut indecentia Dei explicari potest, cur non & illa? Certè nullam colligi dependentiam omnipotentiæ à creaturis possibilibus ex connexione absoluta cum ijs, probant instantiæ suprà adductæ num. 15. & 16.

24 ET Certè instantiæ illæ palam ostendentes connexionem necessariam quarundam causarum cum suis effectibus citra dependentiam vltimam, vel absolutam, vel conditionatam ab ijs, multò vrgentiùs evincunt in omnipotentia connexionem esse posse cum creaturis possibilibus absque vlla dependentia ab ipsis, sive absoluta, sive conditionata. Omnipotentia enim est causa summa, ac proinde infinitè perfectior quibuslibet alijs causis. Si ergo aliæ causæ possunt habere connexionem absolutam cum suis effectibus, atque inferre illos à priori, nulla conditione expectata, & sine vllo dependentiæ genere; multò magis omnipotentia potest habere connexionem absolutam cum creaturis possibilibus, inferréque illas, nulla conditione expectata & citra vllum dependentiæ genus. Sic, & ob eandem rationem, decretum Dei efficax connectitur absolutè cum futuritione rei, quam infert à priori, independenter prorsus ab ea, & à qualibet conditione.

SECTIO TERTIA.

Rationes aliæ pro eadem veriore sententia iuxta mentem SS. Augustini, & Anselmi. Euasiones Aduersariorum præclusæ.

25 SECVNDA Ratio indicatur ab Augustino verbis illis suprà num. 10. exscriptis: *Si aliquid minùs esset in Verbo, quàm in scientia* (nimirum, Patris, ex qua procedit) *non esset Verbum adæquatum*, Vnde probatio altera eruĩ potest sub hanc differendi formulã Quemadmodum de ratione Verbi generatim est procedere vt manifestativum dicentis, sic etiam de ratione Verbi perfectissimi & increati est procedere perfectè manifestativum Patris dicentis.

Alioqui non eſſet Verbum adæquatum dicenti. Ergo ſicuti Pater in ratione dicentis increati exprimit infinitatem in dicendo omne ens neceſſariò exiſtens & poſsibile (neque enim aliter exprimeret infinitatem in dicendo, niſi ea omnia diceret; ſicut nec in intelligendo, niſi omnia illa intelligeret) ita etiam Verbum procedere debet vt manifeſtativum omnis entis neceſſarij & poſsibilis. Alioqui enim non procederet vt infinitè manifeſtativum & adæquarum dicenti. Ergo debet procedere per ſe ex cognitione poſsibilium. Probatur hæc vltima conſequentia. Non enim poteſt Verbum per ſe procedere vt manifeſtativum omnium poſsibilium, niſi ex vi notitiæ, quam titulo ſuæ proceſsionis accipit à dicente. Ergo per ſe procedit ex notitia ſeu cognitione omnium poſsibilium.

26 VRGETVR Et explanatur ampliùs hoc. Vt Verbum per ſe procedat adæquarum Patri æterno dicenti, debet vi originis ſuę repræſentare ea omnia, quæ Pater neceſſariò intelligit dicitque. Atque Pater neceſſariò intelligit dicitque omnes creaturas poſsibiles. Intelligit enim & dicit neceſſariò omnia illa obiecta, in quibus eſt veritas neceſſaria: qualia profectò ſunt omnia poſsibilia. Ergo vt Verbum per ſe procedat adæquatum Patri æterno dicenti, debet vi originis ſuæ repræſentare omnes creaturas poſsibiles. Atqui omne Verper ſe procedit ex cognitione eorum, quæ vi originis ſuæ repræſentat. Ergo Verbum divinum per ſe procedit ex cognitione omnium creaturarum poſsibilium.

27 PRÆTEREA. Vt Verbum per ſe procedat adæquatum Patri æterno dicenti, debet vi originis ſuæ manifeſtare ea omnia quę repræſentantur neceſſariò ab eſſentia divina, vt forma intelligibili infinitè fœcundante intellectum paternum. Atqui omnes creaturæ poſsibiles repræſentantur neceſſariò ab eſſentia divina, vt forma intelligibili infinitè fœcundante intellectum paternum. Nec enim eſſentia divina illas liberè repræſentat, aut fœcundat mentem paternam finito modo. Ergo vt Verbum divinum per ſe procedat adæquatum Patri æterno dicenti, debet vi originis ſuæ manifeſtare omnes creaturas poſsibiles. Cùm verò nequeat ex vi proceſsionis manifeſtare obiecta illa, ex quorum cognitione per ſe non oritur; conſequens eſt, vt Verbum per ſe ex creaturarum poſsibilium cognitione procedat.

28 RVRSVS Hoc ipſum vrgetur adhuc iuxta doctrinam ipſorum Scotiſtarum, qui palam fatentur, prædicata Dei eſſentialia & abſoluta eſſe priora notionalibus conſequēdi ſubſiſtentiâ, ordineque rationis. Atqui ſcientia ſimplicis intelligentiæ terminata per ſe ad poſsibilia, eſt prædicatum Dei eſſentiale, ſive abſolutum; vtpotè neceſſarium & commune tribus perſonis: proceſsio autem Verbi eſt prædicatum notionale. Ergo ſcientia ſimplicis intelligentiæ terminata per ſe ad poſsibilia, eſt prior proceſsione Verbi ſecundùm ſubſiſtendi conſequentiam, ordinemque rationis. Ergo ſicuti Verbum per ſe procedit ex ſcientia omniū prædicatorum abſolutorum Dei, ſic etiam ex ſcientia poſsibilium creaturarum. Patet conſequentia: quia propterea procedit ex ſcientia prædicatorum abſolutorum Dei (immo & relationum, ſeu perſonarum, iuxta Maſtrium, & plures alios ex Adverſarijs) quia ſcientia illorum eſt prædicatum Dei abſolutum, & neceſſarium, ac proinde ratione prius proceſsione ipſa Verbi, quæ eſt notionale prædicatum. Atqui etiam ſcientia ſimplicis intelligentiæ creaturarum poſsibilium eſt prædicatum abſolutū & neceſſarium Dei, ac proinde ratione prius prædicato notionali proceſsionis Verbi. Ergo Verbum per ſe procedit ex ſcientia ſimplicis intelligentiæ creaturarum poſsibilium.

29 VRGEO Adhuc Scotiſtæ non aiunt, Verbum per ſe procedere ex cognitione aut eſſentiæ, aut etiam attributorum, ſeu relationum, quaſi ipſa cognitio ſit principium *quo* Verbi: ſed ſolùm quatenus in ratione prędicati abſoluti & neceſſarij præcedit ordine rationis dictionem paternam, quæ eſt origo activa Verbi, & prædicatum purè notionale iuxta illos. Atqui etiam ſcientia creaturarum poſsibilium in ratione prædicati abſoluti & neceſſarij præcedit ordine rationis eandem dictionem paternam, ſeu originem activam Verbi, veluti purè notionalem. Ergo pariter fateri tenentur, Verbum per ſe procedere ex ſcientia creaturarum poſsibilium.

30 DICES Ex doctrina Adverſariorum, ſcientiam Dei poſſe conſiderari vt terminatam ad ſola prædicata Deo intrinſeca, & ſic præſupponi ad dictionem, proceſsionemque Verbi: Si autem conſideretur vt terminata ad poſsibilia, non ſupponi in Patre intelligente, aut dicente: quoniam extenſio ad creaturas poſsibiles eſt ſecundaria in ſcientia Dei, & poſsibilia ipſa ſunt aliquid poſterius omni intrinſeco prædicato Dei, tum abſoluto, tum relativo ſeu perſonali. Itaque Verbum non procedere per ſe ex cognitione creaturarum poſsibilium, ſed dumtaxat eorum prædicatorum, quæ ſunt Deo intrinſeca.

31 SED Contrà I. Quamvis poſsibilia ſint Deo extrinſeca, & obiectum ipſius ſecundarium, cognitio tamen comprehenſiva & infinita omnis veritatis neceſſariæ (qualis abſ-

dubio

dubiò eſt veritas poſsibilium) eſt adæquatè intrinſeca, neceſſaria, & abſoluta in Deo, non minùs quam omnipotentia, æternitas, & immenſitas, &c. Atqui iuxta Adverſarios omne prædicatum adæquatè intrinſecum, neceſſarium, & abſolutum in Deo, eſt priùs ordine rationis, & per ſe ſuppoſitum ante omne prædicatum relativum ſeu perſonale qualis eſt proceſsio Verbi. Ergo quamvis poſsibilia ſint Deo extrinſeca, & obiectum illius ſecundarium, cognitio tamen comprehenſiva & infinita veritatis neceſſariæ illorum, eſt prior ordine rationis, & per ſe ſuppoſita ante omne prædicatum relativum, ſeu notionale; atque adeò ante proceſsionem Verbi.

31 CONTRA II. Iuxta eoſdem Auctores, quidquid intelligitur in individuo deitatis, ſive in Deo ſubſiſtente ſingulariter ſubſiſtentiâ communicabili, quàm ijdem in Deo agnoſcunt, eſt ratione prius perſonis, & per conſequens proceſsione Verbi. At licèt creaturæ poſsibiles ſint extrinſecæ Deo, ſcientia illarum intelligitur convenire individuo deitatis, ſive Deo ſubſiſtenti ſingulariter, ſubſiſtentiâ illa cõmunicabili. Ergo licèt creaturæ poſsibiles ſint extrinſecæ Deo, ſciẽtia illarum eſt ratione prior perſonis, & per conſequens proceſsione Verbi. Probatur minor, in qua ſola poſſet eſſe diſsidium: Tum quia individuo deitatis ſingulariter communicabiliter ſubſiſtenti intelligitur convenire omnis perfectio ſimpliciter ſimplex: talis autem eſt ſcientia poſsibilium: Tum etiam, quia intelligitur illi convenire quidquid neceſsariò competit Deo vt vni, & competeret quãvis per impoſsibile cogitetur ſine trinitate perſonarum: qualem eſſe ſcientiam creaturarum poſsibilium, nemo ambigere poteſt. Ergo ſcientia illarum intelligitur convenire individuo deitatis, ſive Deo ſingulariter ſubſiſtenti & communicabiliter.

32 CONTRA III. Etiam ijdem Scotiſtæ communiter aiunt, prædicata relativa ſpectare dumtaxat ad obiectum ſecundarium ſcientiæ beatitudiniſque increatæ. Et tamen præcipui illorum cum Maſtrio docent, ſcientiam prædicatorum relativorum ſeu perſonalium Dei eſſe illis priorẽ ordine rationis, & ex ea procedere per ſe Verbum: vt vidimus Diſp. præced. ſpeciatim num. 5. vbi illorum loca allegavimus. Ergo pariter quamvis creaturæ poſsibiles ſpectent dumtaxat ad obiectum ſecundarium ſcientiæ increatæ, poteſt hæc eſſe prior relationibus ordine rationis, vt proinde ex illa per ſe procedat Verbum. Vnde ex hoc ipſa doctrina eruitur,

33 TERTIA Ratio. Verbum divinum per ſe procedit ex cognitione omnipotentiæ, quatenus eſt medium in quo poſsibilia ipſa continentur, & cognoſcuntur. Ergo per ſe procedit ex cognitione eorundem poſsibilium. Conſequentia patet: quia cognitio, & maximè cognitio ſummè perfecta ac cõprehenſiva (qualis eſt divina) medij alicuius, vt medij, in quo & ex quo cognoſcitur quilibet effectus, eſt cognitio eiuſdem effectus. Antecedens autem ſuadetur: Quia Verbum divinum per ſe procedit ex cognitione omnis prædicati Deo neceſſarij, præſertim abſoluti, adhuc iuxta Adverſarios. Atqui omnipotentiam eſſe medium, in quo poſsibilia continentur, & ex quo cognoſcuntur, eſt aliquod prædicatum Dei neceſſarium & abſolutum. Non enim convenit Deo contingenter, aut dependenter ab vllo libero decreto: nec eſt peculiare alicui perſonæ, ſed commune tribus, quodque adhuc per locum ab intrinſeco intelligitur convenire Deo, quamvis per impoſsibile non eſſet trinus in perſonis. Ergo Verbum divinum per ſe procedit ex cognitione omnipotentiæ, quatenus eſt medium in quo poſsibilia continentur, & ex quo cognoſcuntur.

34 EADEM Ratio proponi poteſt in eſſentia divina, tam prout habet rationem ideæ, ſeu exẽplaris omnium poſsibilium, quàm ſpeciei intelligibilis repræſentativæ illorum. Quamvis enim exercitium actuale ſub ratione ideæ & formæ intelligibilis in ordine ad creaturas futuras aut exiſtentes ſit Deo liberum & contingens, ratio tamen ideæ imitabilis & repræſentatio in ordine ad poſsibilia, eſt prædicatũ eſſentiæ divinæ neceſſarium, ſicut & circa proprium intellectum, & aliquid prorſus abſolutum, veluti commune tribus perſonis, & ipſi individuo Deitatis ſingulariter exiſtenti pro priori rationis ad perſonas, iuxta ſenſum Adverſariorum. Ergo Verbum divinum per ſe procedens ex cognitione omnis prædicati Deo neceſſarij & abſoluti, pariter procedit ex cognitione eſſentiæ divinæ, quatenus habet rationem ideæ & formæ intelligibilis repræſentantis Deo omnia poſsibilia. Cognitio autem eſſentiæ divinæ ſub ijs formalibus rationibus ideæ & formæ intelligibilis, eſt per ſeipſam cognitio poſsibilium ipſorum. Non enim poteſt cognoſci, præſertim comprehenſivè, idea, & forma intelligibiliter repræſentans ſub ratione talis, niſi cognoſcatur ideatum & repræſentatum obiectum. Ergo Verbum per ſe procedit ex cognitione omnium poſsibilium.

35 NEQVE Adverſarij ſe expediunt à ratione præcipua nuper propoſita in omnipotentia, dum aiunt, totam rationem primariam illius eſſe in ordine ad perſonas, quas producit ad intrà: ſecundariam verò quòd ſit medium cognoſcendi poſsibilia, ideoque cognitionem illius vt talis non debere ſupponi per ſe ad proceſsionem Verbi. Hanc enim evaſionem præ-

clu-

cludit multipliciter Godoy diſp 90. § 2. à Lectore conſulendus. Verùm præterea illa refelli poteſt. PRIMO, quia omnipotentia ſecundùm ſuam rationem formalem primariam, qua diſtinguitur quoddammodo ab eſſentia & reliquis attributis divinis, competit Deo vt vni, præſcindendo aut abſtrahendo à Trinitate perſonarum. Demonſtratur enim ratione naturali à Theologis & Philoſophis cum Anſelmo ſuprà cap 15. & in Proslogio cap. 7. qualiter nihil direct. ad Trinitatem ſpectans demonſtrari poteſt, vt oſtenſum eſt Diſp. LI. Ergo primaria ratio omnipotentiæ non eſt in ordine ad producendas perſonas divinas. SECVNDO. Omnipotentia ex ſua ratione primaria eſt perfectio ſimpliciter ſimplex: ac proinde melior ipſa quàm non ipſa, & quàm omne ipſi oppoſitum, juxta doctrinam communem Theologorum cum Anſelmo ſuprà cap. 14. Si autem ex ſua ratione primaria haberet producere perſonas ad intrà, non eſſet perfectio ſimpliciter ſimplex, ſeu melior ipſa, quàm non ipſa, & quàm omne ipſi oppoſitum; ſed ad ſummum perfectio relativa, ſive in certo genere. In divinis enim non eſt meliùs producere, quàm non producere, aut produci, quod eſt oppoſitum activæ productioni. Alioqui melior eſſet Pater, quàm Filius; & vterque, quàm Spiritus ſanctus. Quare quemadmodum nulla relatio nullumque prædicatum proprium alicuius perſonæ eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, ſed ad ſummum in certo genere: ita nec omnipotentia eſſet perfectio ſimpliciter, ſi ratio eius primaria eſſet in ordine ad producendas perſonas. Immo nec Spiritus ſanctus eſſet ſimpliciter omnipotens, defectu muneris primarij omnipotentiæ quod quàm abſurdum ſit, non eſt opus expendere. Ergo omnipotentia ſecundùm rationem primariam non exprimitur in ordine ad productionem perſonarum intra Deum. Superest igitur vt primaria eius habitudo, quatenus diſtinguitur quoddammodo ab eſſentia & reliquis attributis, ſit in ordine ad creaturas poſsibiles: ac proinde Verbum per ſe procedens ex cognitione omnipotentiæ ſecundùm rationem primariam ipſius, etiam procedit per ſe ex cognitione poſsibilium.

36 VERVM Sinamus gratis, eſſe aliquid ſecundarium in omnipotentia quòd ſit medium in quo & ex quo cognoſci poſsint creaturæ poſsibiles. Certe eiuſmodi prædicatū eſt in Deo abſolutum, & neceſſarium, vt ſuprà demonſtratum eſt; ac proinde prius ratione, ſive ſubſiſtendi conſequentiâ, relationibus divinis, juxta doctrinam ab ipſis etiam Adverſarijs ſtatutam. Ergo ſufficienti modo præcedit, vt Verbum oriatur per ſe ex illius cognitione, ſicuti ex cognitione aliorum omnium prædicatorum, quæ pariter in Deo abſoluta & neceſſaria ſunt. Cùm verò ſub ea formali ratione medij nequeat cognoſci, præſertim comprehenſivè, non cognitis creaturis poſsibilibus, vt oſtenſum ſuprà eſt; colligitur demum, Verbum per ſe oriri ex illarum cognitione.

37 DENIQVE Idipſum æquè aut luculentiùs apparet in attributis quibuſdam, v. g. iuſtitiæ ac miſericordiæ, ex quorum cognitione per ſe procedit Verbum. Atqui primaria eorum ratio exprimitur in ordine ad creaturas poſsibiles. Solæ enim illæ capaces ſunt accipiendi à Deo præmium aut ſupplicium, ſublevationemve miſeriæ, vt patet. Neque enim Deus capax eſt vt circa ſe ſolum eas functiones iuſtitiæ aut miſericordiæ exerceat. Ergo Verbum per ſe procedens ex cognitione comprehenſiva iuſtitiæ ac miſericordiæ ſecundum primariam illarum rationem, etiam oritur per ſe ex cognitione creaturarum poſsibilium, circa quas illæ exprimuntur; immo quibus non intellectis, vt capacibus iuris vel miſeriæ neque illæ intelligi poſſunt, quatenus à reliquis attributis quoddammodo differunt.

SECTIO QVARTA.

Primum & præcipuum Aduerſariorum argumentum, difficilibus inſtantijs confirmatum, regeritur in ipſorum opinionem, & relictis aliorum ſolutionibus, enervatur.

38 OPPONVNT I. Adverſarij cum Scoto Quodl. 14. art. 2. & in 1. diſt. 30. quæſt. 2. *S. Ad ſecundam quæſtionem*, argumentum difficile, deſumptum, vt ipſi aiunt, ex Anſelmo ſuprà cap 33. aliàs 31. verbis illis: *Etiamſi nihil aliud vnquam eſſet, niſi ſummus ille ſpiritus, ratio tamen cogit, Verbum illud, quo ſe dicit, ex neceſsitate eſſe.* Vnde ſic arguunt. Id quod eſt ſummè neceſſarium, nullatenus dependet ab eo, quod ſummè neceſſarium non eſt. Atqui Verbum divinum eſt ſummè neceſſarium: creaturæ autem poſsibiles, eſto neceſſariæ ſint, non tamen ſummè neceſſariæ. Ergo Verbum divinum nullatenus dependet à creaturis poſsibilibus. Ergo nec procedit per ſe in quarto modo ex cognitione illarum, niſi ſummùm per accidens aut concomitanter. Patet hæc conſequentia: quia ſolùm procedit per ſe in quarto modo ex cognitione illius obiecti, à quo dependet, ſeu dependere intelligitur. Maior autem primi ſyllogiſmi probatur: Quia id quòd eſt ſummè neceſſariū, eſt longè magis atque infinitè neceſſarium, quàm quod ſummè neceſſarium non eſt. At quod infinitè magis eſt neceſſariū alio, nequit

ab

ab eo dependere, vt patet. Minor ſimiliter conſtat: quia Verbum divinum eſt ens à ſe: creaturæ autem poſsibiles ſunt entia ab alio. Ergo Verbum divinum eſt ſummè neceſſarium; creaturæ autem poſsibiles, ſiquam neceſsitatem habent, certè non ſummam.

39 HVIC Argumento frequenter, & bene, occurritur, aſſerédo imprimis, Anſelmum eo loci non inſtituiſſe ſermonem de creaturis poſsibilibus, ſed de exiſtentibus dumtaxat, quæ contingentes ſunt: ac proinde quamvis nõ exiſteret, Verbum ipſum divinum permaneret idẽ, ac modò eſt, veluti ens increatum, & proinde ſummè neceſſarium in exiſtendo. De quo videnda ſunt quæ diximus ſect. 1. à num. 4. circa mentem S. Doctoris. Iam verò ad argumentum ipſum conceditur integer ſyllogiſmus: ſed negatur conſequentia poſterior. Quamvis enim Verbum per ſe in quarto modo procedat ex cognitione creaturarum poſsibilium, non ideo ab ijs dependet: ſicuti, adhuc iuxta pleroſque Adverſariorum, quávis per ſe procedat ex cognitione ſuiipſius, & Spiritus ſancti, & iuxta omnes ex cognitione eſſentiæ divinæ, non ideo dependet vllo modo à ſeipſo, vel à Spiritu ſancto, vel ab eſſentia: quoniam omnis dependentia eſt quædam imperfectio procul à Deo relegãda, veluti propria entis finiti, & habentis ſuum eſſe ab aliqua cauſa: quod totum repugnat Verbo divino. Vide plures inſtantias ſuprà num. 15.

40 DICES, Argumentum præiactum non inniti vocibus, ſed rebus. Non enim vſurpat nomen dependentiæ, niſi pro connexione illa duorum, quæ deficiente altero arguit defectum alterius. Vnde difficultas inſtauratur ſic. Id quod eſt ſummè & infinitè neceſſarium in ſuo eſſe, nequit ita connecti cum eo quod ſummè neceſſarium non eſt, vt hoc deficiente, aut reddito impoſsibili, deficiat illud. Alioqui eſſet par neceſsitas vtriuſque contra hypothẽſim. Atqui Verbum divinum eſt ſummè & infinitè neceſſarium, vtpote increatum & à ſe: creaturæ autem poſsibiles non ſunt ſummè neceſſariæ, vtpotè entia ab alio, & finita. Ergo Verbum divinum nequit ita connecti cum creaturis poſſibilibus, vt redactis ijs ad impoſsibilia, deficeret. Ergo non procedit per ſe in quarto modo ex cognitione creaturarum poſsibilium, ſed ſummùm comitanter & per accidens. Nimirum, quod procedit per ſe ex cognitione alicuius obiecti in quarto modo, ita debet cum eo obiecti connecti, vt eo deficiente, aut reddito impoſsibili, prorſus deficeret.

41 SED Enim obiectio hæc regeritur eâdem vi in Adverſarios, præſertim Vazquez & Arrubalem, qui fatentur, Verbum divinum, quatenus eſt repræſentativum creaturarũ, per ſe procedere ex illarum cognitione. Atqui in Verbo divino eſſe repræſentativum creaturarum eſt prædicatum ſummè neceſſarium, vtpotè increatum, & præcedens omne decretum liberum. Ergo poteſt Verbum ſecundùm aliquod prædicatum ſummè neceſſarium procedere per ſe ex cognitione creaturarum poſsibilium. Videant ergo ijdem Auctores qualiter id, quod ſummè neceſſarium eſt, connectatur cum creaturis non ſummè nec infinitè neceſſarijs. Sed nec Martius, nec alij ex Scotiſtis id negare poſſunt. Permiſſo enim ijs, continentiam creaturarum poſsibilium eſſe prædicatum ſecundarium omnipotentiæ, negare nequeunt, illã eſſe prædicatum ſummè neceſſarium Deo, vtpotè indiſtinctum realiter ab ipſo, & independens ab omni decreto libero. Atqui continentia creaturarum poſsibilium connectitur neceſſariò cum ipſis creaturis poſsibilibus; idque vſque adeò, vt ſine illarum poſsibilitate nec eſſe, nec intelligi poſsit. Quis enim dicat, intelligatve, cauſam aliquam continere in ſe effectum omnino impoſsibilem? Quis prudens cogitet, in Patre æterno eſſe continentiam & ſubinde potentiam ad producendum ſecundum Filium prorſus repugnantem? Ergo nec Adverſarij negare poſſunt, aliquod prædicatum Dei ſummè neceſſarium connecti omnino cũ creaturis poſsibilibus. Denique. Decretum efficax Dei de exiſtentia formicæ, ex hypotheſi deliberationis divinæ exiſtit in Deo, veluti ſummè neceſſarium; vtpotè increatum, & indiſtinctum reipſa à ſubſtantia Dei, ac prorſus invariabile: vt latè dictũ fuit Tom. I. D. XXXVIII. Et tamen connectitur omnino cum exiſtentia formicæ, quamvis non ſummè neceſſariâ vpote quâ nunquam exiturâ, deficeret ipſum decretum, ſeu fruſtraneum redderetur. Poteſt igitur aliquod prædicatum ſummè neceſſarium in Deo connecti omnino cum aliquo non ſummè neceſſario, vt propterea deficiente hoc, ſeu reddito impoſsibili, illud quoque deficeret. Et ratio omnium eſt: quia continentia eminentialis alicuius effectus, quamvis non ſummè neceſſarij in ſeipſo, poteſt ſpectare ad perfectionem intrinſecam cauſæ aut principij ſummè neceſſarij. Continentia autem eminentialis cuiuslibet effectûs ita connectitur cum eius poſsibilitate, vt hac deficiente, illa prorſus deficeret. Poteſt igitur cauſa aut principium ſummè neceſſarium ita connecti quoad ſuam perfectionem intrinſecam cum poſsibilitate ſuorum effectuum, vt his repugnantibus, ſeu redditis impoſsibilibus, ipſa quoque deficeret. Vnde negatur maior præcipua obiectionis.

42 INSTANT Adverſarij multipliciter contra ſolutionẽ hanc. PRIMO: Quia poſsibilitas creaturarum: non eſt æquè neceſſa-

ria,

ria, ac omnipotentia, vel Verbum divinum: cùm huius neceſsitas ſit ſumma, & increata, ac prorſus independens ab omni cauſa: illarum verò non ſumma, ſed creata, & dependens ab aliqua cauſa. Ergo adhuc ſublata poſsibilitate creaturarum, permaneret intrinſecè invariata omnipotentia & Verbum ipſum. Sicuti enim ens quodlibet neceſſarium debet eſſe talis conſiſtentiæ, vt permaneat ſublato quolibet contingente: ita ens ſummè neceſſarium debet adeò immutabile & firmũ in exiſtendo eſſe, vt ſublato quolibet alio non ſummè neceſſario, adhuc perſiſteret. Magis enim diſtat, ac proinde magis liberum eſt ens ſummè neceſſariũ à connexione cum eo, quod non eſt ſummè neceſſarium, quàm generatim ens neceſſarium a contingente, & ab omni connexione cum illo: quoniam prior diſtantia eſt infinita & poſterior finita. Si ergo nullum ens ſimpliciter neceſſarium connectitur omnino cum contingente; multò minùs id, quod ſummè & infinitè neceſſarium eſt, connectetur cum eo, quod finitè & non ſummè neceſſarium exiſtit.

43 INSTANT II. Deus bonorum noſtrorum non eget, ſed ſolus ſibi ſufficiens eſt: vt ſacræ litteræ clamant, & vel ipſi Gentiles agnoverunt, apud quos celebris eſt illa αὐτάρκεια Dei, ſeu plenitudo ſufficientiæ ſibiipſi. Ergo eandem plenitudinem haberet, adhuc data hypotheſi, in qua creaturæ poſsibiles redderentur impoſsibiles. Alioqui egeret poſsibilitate illarum. Et certè ridiculum appareat, quòd repugnante lapide, aut ſimia, deſineret eſſe Deus, aut non haberet tantam perfectionis plenitudinẽ, quantam modò habet. Ergo Deus, & omnipotentia ipſius, quoad intrinſecam perfectionem non connectitur neceſſariò cum creaturis poſsibilibus: ac proinde nec Verbum neceſſariò cum iis connectitur. Vnde & conſequens eſt, vt non procedat per ſe in quarto modo ex cognitione illarum: quoniam eo modo ſolùm procedit ex cognitione obiecti neceſſariò connexi cum Verbo.

44 INSTANT III. Deus non dicitur omnipotens eo quòd poſsit producere hunc vel illam creaturam: ſed quia poteſt producere omnia illa, quæ nullam contradictionem involvunt. Ergo data hypotheſi quòd aliqua ex creaturis quæ nunc ſunt poſsibiles, involveret contradictionem; adhuc poſſet producere reliquas, quæ abſque vlla contradictione exiſtere poſſent: atque adeò permaneret omnipotens quoad omnem perfectionem intrinſecam, ſicut modò eſt. Ergo & Verbum divinum in ea hypotheſi eſſet intrinſecè idem: ac proinde non procedit per ſe ex cognitione illarum creaturarum poſsibilium, quibus repugnantibus permaneret; ſed ſummùm ex cognitione poſsibilium vaga, & ex hypotheſi non repugnantiæ illorum.

45 INSTANT IV. Nulla creatura poſsibilis eſt prior naturâ, aut ſubſiſtendi conſequentiâ Verbo divino. Alioqui non hoc, ſed illa, eſſet primum ens. quod impium dictu & creditu eſt. Si autem Verbum divinum per ſe procederet ex cognitione creaturarum poſsibilium, veluti neceſſariò connexarum cum omnipotentia; illæ eſſent Verbo divino priores naturâ, aut ſubſiſtendi conſequentiâ, inſtar ipſius omnipotentiæ. Supponerentur enim per modum obiecti aut termini neceſſariò cum ea connexi, pro priori ad Verbi productionem. Ergo Verbum non procedit per ſe ex cognitione creaturarum poſsibilium, veluti neceſſariò connexarum cum omnipotentia.

46 HIS Et alijs ſimilibus obiectionibus nos impetunt Adverſarij præſertim verò Maſtrius vbi ſuprà, qui varias earum, atque inter ſe diſsidentes Auctorum noſtræ ſententiæ ſolutiones refert, & latiſsimè impugnat. Nos verò omiſsis aliorum reſponſionibus, & impugnationibus, ſatisfacere conabimur, præmonendo Lectorem, omnes ferè difficultates hactenùs propoſitas, & quaſdam alias ijs affines, pati inſtantias ineluctabiles ſuprà num. 4. propoſitas, vt conſideranti palam erit. Quod breviter adnotâſſe ſufficiat, ne id tertiò quoque verbo repetere cogamur. Veniamus itaque ad ſingulas ordine ſuo ſolvendas.

47 AD I. Concedo antecedens: ſed nego conſequentiam. Ad probationem reddo diſparitatem: quia nullum ens abſolutè neceſſarium connectitur aut connecti poteſt cum contingente: quoniam ratio formalis prædicati contingentis eſt, vt poſsit adeſſe aut abeſſe ſine ſubiecti corruptione. Poteſt autem id quod eſt magis neceſſarium connecti cum minùs neceſſario: vt patet in principijs relatè ad concluſiones ex ijs deductas per demonſtrationem, ac proinde neceſſariò connexas, quamvis illarum neceſsitas minor ſit, vtpotè orta ex neceſsitate principiorum. Generatimque neceſsitas cauſæ eſt maior, quam effectûs cum ea connexi. Vnde licèt neceſsitas omnipotentiæ, ac Verbi divini, ſit ſummè & infinitè maior, quàm poſsibilium creaturarum, poteſt connecti cum illarum neceſsitate: non propter vllam dependentiam ab ijs, ſed ex vi intrinſecæ perfectionis, quæ exigit continentiam proximam omnis perfectionis poſsibilis ad extra, ac proinde coexigit poſsibilitatem ex parte termini, ſive effectus. Neque enim in Deo eſſe aut intelligi poteſt continentia intrinſeca & proxima chimæræ, aut aliorum impoſsibilium, ſed eorum dumtaxat quæ verè poſsibilia ſunt, ac proinde verè ab eius omnipotentia fieri poſſunt. Ergo neceſsi-

tas

tas continentiæ illius proximæ & intrinſecæ in eâdem omnipotentia, connectitur omnino cum neceſsitate poſsibilium creaturarum.

48 AD II. Conceſſo antecedente, negatur conſequentia. Neque enim propterea Deus eget creaturis poſsibilibus, ſed potiùs è contra: cùm non comparetur ad illas, nec cum ijs connectatur, veluti cauſis aut principijs, à quibus aliquid accipiat: ſed veluti cum effectibus, quibus dare poteſt eſſe ex ſumma perfectione & fœcunditate ſuæ naturæ. Nec ridiculum eſt dicere, repugnante lapide aut ſimia, Deum perfectionem intimam amiſiurum, aut non futurum qualis & quantus modò eſt: quin potiùs id omnino concedi debet. Nam à poſteriore, ſive à ſigno, inferretur exinde non eſſe in Deo continentiam illam eminentialem lapidis aut ſimiæ, quæ ſanè eſt Deo intima & neceſſaria: vtpote præveniens omne decretum liberum, & perfectio ſimpliciter ſimplex. Vnde nec Verbum divinum foret idem ac modò eſt, nec ſummè perfectum, ſicuti nec verè omnipotens.

49 DICES: Si Deus extra ſe ageret ex neceſsitate naturæ, vt cenſuiſſe putatur Ariſtoteles, connecteretur neceſſariò cum exiſtentia creaturarum, non tanquam effectus cum cauſa (neque enim quiſquam colligit id abſurdum ex opinione illa) ſed veluti cauſa cum effectu, cui daret eſſe ex fœcunditate ſuæ naturæ. Et tamen ea connexio cum exiſtentia creaturarum argueret planè, Deum non eſſe ſummè perfectum. Ergo quamvis connexio Dei cum creaturis poſsibilibus non ſit effectûs cum cauſa, ſed potiùs cauſæ cum effectu, cui dat eſſe ex fœcunditate ſuæ naturæ, arguitur pariter, Deum non fore ſummè perfectum.

50 RESP. Conceſſa vtrâque præmiſſa, negando conſequentiam, & reddendo diſparitatem: quia in hypotheſi illius opinionis Deus non haberet plenam & abſolutam libertatem, dominiumque ſupra creaturas, cùm non poſſet illas condere aut deſtruere pro libito. Libertas autem & dominium eiuſmodi, eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, ſaltem conſiderata in actu primo, ſive quoad poteſtatem creandi, aut non creandi, vt patet. Ergo in ea opinione deeſſet Deo aliqua perfectio ſimpliciter ſimplex: ideoque non eſſet ſummè perfectus. Cæterum quamvis Deus, ſive omnipotentia, & Verbum ipſum connectatur neceſſariò cũ creaturis poſsibilibus, veluti cauſa cum effectu, adhuc manet integra libertas & dominium Deo ad quamlibet ex ijs in re condendam aut non condendam, conſervandam aut deſtruendam pro libito; immò & ad nihil omnino extra ſe producendum. Vnde nullo ex capite imminuitur ſumma perfectio Dei, adhuc qua parte eſt agens ſummè liberum.

51 AD III. Deus dicitur omnipotens, ac verè eſt, quia ſimpliciter poteſt facere quidquid abſolutè nullam implicat contradictionem. Quamvis autem data hypotheſi repugnantiæ alicuius creaturæ non repugnantis abſolutè, adhuc fingatur poſſe producere omnes reliquas; non eſſet tamen omnipotens ſicut modò verè eſt. Non enim haberet intrinſecam cõtinentiam virtualem illius creaturæ, quæ nunc eſt abſolutè poſsibilis, & in ea hypotheſi impoſsibilis redderetur: quia impoſsibilium non eſt continentia aliqua intrinſeca apud Deum, ſicut nec chimærarũ. Vnde omnipotentia divina ſubiret intrinſecam mutationem de continente virtualiter ad non continentem virtualiter creaturam illam ex poſsibili redditam impoſsibilem. Et quidem obiectio, ſi quidquam probat, evincit ſanè, Deum adhuc fore omnipotentem verè & ſimpliciter data hypotheſi quòd omnes creaturæ, præter certas quaſdam, v.g. quatuor aut ſex, redderentur impoſsibiles; quoniam adhuc nunc poſſet quidquid in ea hypotheſi non implicaret contradictionem. Conſequens autem abſurdum eſſe, patet.

52 DICES: De facto aliqua Deo ſunt poſsibilia nunc, quæ poſtea non erunt ipſi abſolutè & ſimpliciter poſsibilia. Et tamen Deus non deſinet propterea eſſe omnipotens æquè ac antea. Ergo quamvis creatura aliqua nunc poſſibilis, redderetur ſimpliciter & abſolutè poſſibilis, Deus æquè omnipotens ac antea permaneret. Maior probatur. De facto dies craſtinus eſt Deo poſsibilis, ſicuti & plures motus, atque accidentia eſſentialiter alligata durationi craſtinæ: v. g. cogitationes experimentales diei craſtinæ decurrentis. Atqui tranſacta die craſtina, & quibuslibet eſſentialiter alligatis ipſi, iam ea omnia non ſunt abſolutè & ſimpliciter Deo poſsibilia. Ergo de facto aliqua ſunt Deo poſsibilia, quæ poſtea non erunt ipſi poſsibilia abſolutè & ſimpliciter. RVRSVS. Nunc de facto eſt ſimpliciter poſsibile Deo vt dies craſtina, ſeu motus craſtinus Solis, non ſit præteritus; quoniam abſolutè poteſt impedire vt ſit. Et tamen tranſacto die craſtino non poterit abſolutè & ſimpliciter facere, ne fuerit præteritus. Aliquid ergo nunc eſt Deo abſolutè poſsibile quod poſtea erit ſimpliciter impoſsibile.

53 RESP. Negando maiorem. Ad probationem priorem conceſſa maiore, nego minorem: quia dies craſtinus, ſive nondum exiſtat, ſive iam tranſierit, & cætera ipſi eſſentialiter alligata, nunquam deſinunt eſſe ſimpliciter & abſolutè poſsibilia Deo, cùm in ſuis prædicatis eſſentialibus nullam repugnantiam includant. Aliud verò eſt quòd nequeant iterum à Deo produci, ſi eſſentialiter alligata ſunt durationi craſtinæ dumtaxat. Hoc enim vltro con-

ce-

cedimus. Verùm id ſemper & ex æternitate fuit impoſsibile Deo, qui nequit variare rerum eſſentias. Vnde nunquam id quod eſt poſsibile, redditur ſimpliciter & abſolutè impoſsibile Deo: ſed permanet ſub impoſsibilitate reproductionis ſuæ, quàm eſſentialiter habet. Ad poſteriorem probationem conceſſa maiore, nego minorem quoad τὸ *ſimpliciter & abſolutè*: quia licèt verè Deus nequeat facere vt motus Solis craſtinus, ſi ſemel extiterit, non ſit præteritus, ea impoſsibilitas non eſt talis abſolutè & ſimpliciter: ſed ſolùm ex ſuppoſitione libera Deo, qui pro arbitrio ſuo poteſt nunc inducere aut non inducere motum Solis cras. Suppoſito autem quòd ſemel induxerit illum liberè, iam nequit eſſe ſibi contrarius, nec facere vt ille nõ præterierit. Quod ipſo naturæ lumine verum agnovit Agatho laudatus ab Ariſtotele lib. 6. Ethicorum cap. 2. verſibus illis:

Μόνᾳ γὰρ αὐτὸ καὶ θεὸς σʃερίσκεται,
Ἀγέννητα ποιεῖ ἅσσ' ἂν ἡ πεπραγμένα.

Quæ ſic vertere licet, numeris eorundem verſuum ſenariorum adſervatis:

Res nanque ſola hæc ſubiacet nunquam Deo,
Quæ facta ſunt, infecta poſſe reddere.

Verùm impræſenti non loquimur de ijs, quæ Deus nequit facere ex aliqua ſuppoſitione ſibi libera: ſed de ijs, quæ, cùm ſint abſolutè poſsibilia, redderentur impoſsibilia citra vlla hypotheſim liberam Deo. Tunc enim ſolùm omnipotentia ipſius ſubiret mutationem aliquam intrinſecam, vt dictum eſt.

54 VRGEBIS. Si mutatio poſsibilium in impoſsibilia citra liberam voluntatem Dei argueret in ipſo mutationem, etiam arguet illam, quamvis impoſsibilia reddantur ex libera ipſius voluntate. Ideo enim ex primo ſequeretur mutatio, quia Deus deſineret continere intrinſecè id, quod antea intrinſecè in virtute ſua continebat. At etiamſi impoſsibilia reddantur ex libera Dei voluntate, Deus deſinet intrinſecè continere id, quod antea intrinſecè continebat. Ergo etiamſi ex ſuppoſitione Deo libera reddatur aliquid impoſsibile, pariter colligere licebit in ipſo mutationem.

55 RESP. Nunquam ea, quæ abſolutè ſunt poſsibilia Deo, reddi impoſsibilia ſimpliciter, vt ſuprà num. 53. dictum eſt: quia poſsibilitas abſoluta attenditur ex non repugnantia terminorum ad exiſtendum, abſtrahendo à circunſtantijs accidentalibus, quæ eſſentialiter invariata manet, etiamſi res aliqua ſit præterita, nec poſsit iterum à Deo produci. Tunc enim Deus non deſinit intrinſecè continere rem præteritam, penes illius prædicata poſitiva, quæ aliquando habuit de præſenti, cùm adhuc perſiſtat eminentialis eius continentia in eſſentia & omnipotentia, & exemplaris in idea mentis divinæ, ſicuti ab æterno fuit, & in decreto libero, quod æternum & invariabile eſt, vt latè diximus Tomo I. Diſp. XXXVIII. Quoad prædicatum verò illud negativum, quod importat præteritio, & eſt mera denominatio extrinſeca iam non exiſtendi, poſtquam res ſemel extitit; pariter continetur in decreto æterno & libero Dei, quo voluit rem illam iam nõ exiſtere, poſtquam extitit ſemel. Vnde nulla mutatio intrinſeca colligitur ex eo quòd Deus nequeat facere, vt quod ſemel præteritum fuit, non fuerit præteritum. Si autem aliquid ſine vllo libero Dei decreto, ex poſsibili redderetur abſolutè impoſsibile, deſineret Deus intrinſecè continere id, quod antea intrinſecè continebat in virtute ſua, ac proinde ſubiret neceſſariò mutationem, nec retineret eandem omnipotentiam, quã modò habet: quemadmodum nec eandem prouidẽtiam haberet, ſed aliam & longè minùs perfectam, ſi independenter ab eius libera voluntate aliquid tranſiret de non futuro ad abſolutè futurum, aut de non præterito in præteritum. quæ eſt optima inſtantia ad regerendam obiectionem in Adverſarios.

56 AD IV. Inſtantiam ex num. 45. conceſſa maiore, nego minorem Quamvis enim Verbum per ſe procedat ex cognitione poſsibilium, veluti neceſſariò connexorum cum omnipotentia, non ideo ſunt priora Verbo, nec naturâ, nec ſubſiſtendi conſequentiâ. Non primum: quia prioritas naturæ eſt prioritas cauſalitatis, quam nullatenus exercent poſsibilia erga Verbum, immò nec ipſe Pater, à quo procedit. Nimirum, in divinis nihil eſt prius naturâ alio. Si autem nomine prioris naturâ accipiatur id, quod eſt prius origine (vti accipi videtur à Maſtrio) poſsibilia non habent eiuſmodi prioritatem relatè ad Verbum, cùm non ſint principium phyſicè productivum illius. Denique nec priora ſunt ſubſiſtendi conſequentiâ. Hac enim ratione ſolùm priora ſunt prædicata vniverſalia peculiaribus, in quibus continentur per identitatem aut contractionem quandam: vt in divinis eſſentialia relatè ad perſonalia, & in creatis genera relatè ad ſpecies. Valet enim collectio: *Non eſt omnipotens: Ergo nec Pater.* Similiterque: *Non eſt animal: Ergo nec homo.* Patet verò, poſsibilia non eſſe prædicatum aliquod vniverſale clauſum in Verbo per identitatem aut cõtractionem peculiarem: cùm ab eo prorſus differant, veluti creaturæ à Creatore.

57 VRGEBIS I. Quamvis poſsibilia non ſint priora Verbo, ſicuti prædicata eſſentialia perſonalibus, & animal leone, defectu identitatis cum Verbo; ſunt tamen priora illo obiectivè iuxta noſtram ſententiam: cùm proceſsio

Verbi

Verbi ſuppoñat cognitionem poſsibilium pro priori aliquo rationis. Ergo poſsibilia ipſa cõcurrunt ad productionem Verbi per modum rationis obiectivæ à priori: ideoque Verbum divinum, vt tale, eſt quoddammodo poſterius creaturis poſsibilibus. quod planè repugnat primo enti & increato relatè ad ens ſecundum & creatum.

58 VRGEBIS II. Sicuti negatio eſt cauſa negationis, ita affirmatio eſt cauſa affirmationis. Atqui negatio poſsibilitatis intrinſecæ in chimæra eſt ratio à priori, vt in Deo nõ ſit potentia ad illam producendam, & vt Verbum non procedat per ſe ex cognitione illius. Ergo è contrà affirmatio poſsibilitatis intrinſecæ in creaturis eſt ratio à priori, vt in Deo ſit potentia ad illas producendas, & vt Verbum per ſe procedat ex illarum cognitione. Indignum autem videtur vt poſsibilitas creaturarum intrinſeca ſit ratio à priori exiſtentiæ Verbi. Ergo & indignum eſt Verbo, vt per ſe procedat ex cognitione intrinſecę poſsibilitatis creaturarum.

59 VRGEBIS III. Quælibet res dependet ab eo, quod neceſſariò ac per ſe ſupponit ad exiſtentiam ſui, veluti rationem à priori. At ſi Verbum procedit per ſe ex cognitione creaturarum poſsibilium, neceſſariò ac per ſe illas ſupponit ad exiſtentiam ſui, veluti rationẽ à priori. Supponit enim veluti rationem à priori cognitionem illarum, ac proinde eaſdem creaturas, tanquam obiectum per ſe connexum cum ipſa cognitione. Ergo ſi Verbum per ſe procedit ex cognitione creaturarum poſsibilium, dependebit vtique ab ijs. quod planè indignum eſt Verbo.

60 HÆC Tamen omnia haud difficulter ſolvi poſſunt. AD I. Sicuti non eſt inconveniens, adhuc in opinione plurium ex Adverſarijs, & ipſius Maſtrij, quòd Verbum, quamvis prius origine Spiritu ſancto, procedat per ſe ex illius cognitione, atque adeò ſit poſterius illo obiectivè, ſolà poſterioritate rationis: ita nec abſurdum eſt vt Verbum ipſum, quamvis primum ens & increatum ſimpliciter, ſupponat per ſe cognitionem poſsibilium, ſitque ſubinde poſterius ijs in eſſe obiectivo, poſterioritate ſolius rationis. Debet enim pro priori aliquo rationis, ſeu ſigni *a quo*, ſupponere in Patre cognitionem comprehenſivam omnipotentiæ, atque adeò omnium eius virtualitatum, quæ nequeunt cognoſci diſtinctè non cognito termino vniuſcuiuſque illarum. Quod tam procul eſt ab inferendo indignitatem aliquam in Verbo divino, vt potiùs cedat in maiorem perfectionem originis ipſius, dum non ex qualicumque Dei cognitione, ſed ſumma & perfectè comprehenſiva, dignoſcitur procedere.

61 AD II. Nego minorem. Impoſſibilitas enim chimæræ, licèt colligatur à nobis ex repugnantia intrinſeca terminorum, aliunde & à priori colligitur ex eo quòd omnipotentia divina, vi ſummè perfectionis ſuæ ſolùm contineat id, quod eſt capax alicuius perfectionis, ſive exiſtentiæ; non autem illud, quod eſt prorſus eius incapax. Neque ea incapacitas eſt defectus aliquis privativus in omnipotentia, ſed negativus, ex ſumma ipſius perfectione ortus: ſicuti incapacitas potentiæ generativæ aut ſpirativæ ad producendum alterum Filium, vel Spiritum ſanctum. Neque audiendi ſunt qui aiunt, in Deo eſſe potentiam ad producendum eiuſmodi chimæras: quaſi ſolùm ex parte illarum ſit impoſsibilitas. Quis enim credat Deum poſſe facere impoſsibilia? aut, quod perinde eſt, Deum quidem poſſe illa facere, ſed illa fieri nõ poſſe? Immo eiuſmodi potentia in Deo ad quælibet importantia contradictionem terminorũ, aut indecentiam, eſſet potiùs impotentia: vt optimè exponit Anſelmus in Proslogio cap. 7. cui epigrapha: *Quomodo ſit omnipotẽs Deus, cum multa non poſsit*. Deinde verò initio capitis ait: *Sed & omnipotens quomodo es, ſi omnia non potes? Aut ſi non potes corrumpi, nec mẽtiri, nec facere verum eſſe falſum, vt, quod factum eſt, non eſſe factum, & plura ſimiliter; quomodo potes omnia? An hæc poſſe, non eſt potentia, ſed impotentia? Nam qui hoc poteſt, quod ſibi non expedit, & quod non debet, poteſt: quantò magis poteſt, tantò magis aduerſitas & peruerſitas poſſunt in illum, & ipſe minùs contra illas. Qui ergo ſic poteſt; non potentia, ſed impotentia*, &c.

62 AD III. Nego maiorem. Aliquin Verbum dependeret à Patre, & à cognitione eſſentiæ, quam iuxta omnes neceſſariò & à priori ſupponit, vt ſubſiſtat. Patet verò, omne dependentiæ genus indignum eſſe Verbo. Sed nec Verbum ipſum ſupponit eodem modo cognitionem poſsibilium, ac poſsibilia ipſa. Cognitionem enim comprehenſivam eſſentiæ, & omnipotentiæ, ac ſubinde poſsibilium, ſupponit veluti originem activam ſui, aut ſaltem veluti radicem activæ originis; ac proinde illam ſpectat, veluti principium *quo* ſuæ paſsivæ proceſsionis. Poſsibilia autem ſolùm reſpicit, veluti obiectum ſecundarium & purè terminativum eiuſdem cognitionis, quod proinde nullum influxum exercet in ipſum Verbum. Quare illa propriè loquendo non ſunt ratio à priori exiſtentiæ & originis Verbi: ſed ſolum terminus ſecundarius neceſſariò connexus cum cognitione, ex qua per ſe procedit Verbum.

SECTIO

SECTIO QVINTA.

Cætera argumenta obijciuntur, & extricantur. Vbi, an Spiritus ſanctus per ſe procedat ex amore creaturarum poſsibilium: Nonnihil de cognitione non entium, malorum, & impoſsibilium.

63 OPPONIT II. Brancaſius lib. 3. de Deo Trino diſput. 1. q. 6. ar. 3 varia abſurda, quæ contendit ex noſtra ſententia deducere, præſertim verò, Verbum fore creaturam, & peccatoré, aliaque id genus, Deo prorſus indigna. Aſſumptionem probat ferè ſic: Cognitio & verbum ſumit naturam ab obiecto, ex quo paritur, iuxta illud effatum Ariſtotelis in libris de Anima, receptum ab Auguſtino, & reliquis ferè Theologis Philoſophiſque: *Ex obiecto & potentia paritur notitia.* Atqui iuxta noſtram ſententiam Verbum procedit ex cognitione creaturarum poſsibilium, & ſubinde peccatoris poſsibilis, veluti obiecti eiuſdem cognitionis. Ergo Verbum deſumit naturam à creaturis poſsibilibus, & per conſequens à peccatore poſsibili. Igitur Verbum induit naturam creaturæ, & peccatoris; quin & bruti, ſpinarum, lapidis, vermium, & aliorum quorumlibet poſſibilium, quantumvis fœda ſint. Hæc & plura alia colligere tendat prædictus Auctor: & quaſi ea omnia manifeſtè inferantur ex noſtra doctrina, ſubiungit: *Ecce in quantos ſcopulos ruunt huius ſententiæ Auctores*, &c.

64 CONFIRMAT Argumentum idem multipliciter. PRIMO: Quia ſi Verbum per ſe procedit ex cognitione creaturarum poſſibilium, erit effectus illarum, & non cauſa: ſicuti omne aliud verbum procedens ex cognitione cuiuslibet obiecti, eſt effectus ipſius obiecti, non autem cauſa. Conſequens autem cõtradicit teſtimonio Ioannis 1. vbi de Verbo dicitur: *Omnia per ipſum facta ſunt.* Similiter & repugnat Auguſtino dicenti: *Verbum eſt ars Patris.* Ergo Verbum non procedit per ſe ex cognitione creaturarum poſsibilium. SECVNDO: Quia creatura poſsibilis gloriari poſſet, ſe eſſe quoddammodo principium Verbi, & non effectum, pro illo priori, in quo præſupponitur Verbo, vt obiectum cognitum. Quod abſurdum etiam indicavit Rada contr. 11. art. 2. concl. 3. TERTIO: Quia Verbum eſſet imago creaturarum: ſicuti omne verbum mentale generatim eſt imago illius obiecti, ex cuius cognitione procedit per ſe. Quod inconveniens vrget ex profeſſo Vazquez vbi ſupra. Conſequens autem abſurdum eſſe patet: cùm potiùs creaturæ ſint imagines vel ſimilitudines Verbi increati. Ergo, &c.

65 RESP. Negando omnia ea abſurda ſequi ex noſtra ſententia, mirumque eſſe, quemquam Theologorum inferre conatum pleraque illorum, quæ ne in ſpeciem quidem magis colliguntur ex opinione noſtra, quàm ex communi omnium, & ipſorum Adverſariorum ſenſu. Omnes enim agnoſcimus in Deo cognitionem creaturarum poſsibilium, proindeque & peccatoris poſsibilis, & bruti, & ſpinarum, & vermium, & omnis generis reptilium, quibus abundat Brancaſij argumentũ. Si ergo cognitio deſumit naturam ab obiecto, induitque illam; profectò cognitio ipſa increata induet naturam omnium earum poſsibilium creaturarum adeò vilium. Deinde, cùm cognitio quælibet creata accipiat ſpeciem ab obiecto, ſitque proinde effectus ipſius, & nõ cauſa; ſcientia divina creaturarum poſsibilium non erit cauſa rerum ipſarum, ſed potiùs effectus. Vnde & illæ gloriari poterunt, quaſi dederint exiſtentiã divinæ ſcientiæ, & ab ea nihil acceperint. Patet itaque, id argumentum eſſe populare, & inane prorſus. Ratio autem imprimis & generatim eſt: quia nec cognitio nec verbum induit naturam obiecti cogniti & repræſentati quoad eſſe phyſicum, ſed ſolùm intelligibiliter illam exprimit, aut repræſentat. Alioqui cognitio, qua Brancaſius intuebatur fortè Papam aut Cæſarẽ, ſtatim, & ſine ſuffragijs Cardinalium, aut VII. Electorum, eſſet Papa aut Cæſar, non ſolùm intelligibiliter, ſed phyſicè & abſolutè loquendo. Quod autem cognitio divina, & Verbum, ſint intelligibiliter omnia illa, quæ attingunt & repræſentant, nullum eſt abſurdum: ſicuti neque abſurdum eſt quòd eſſentia divina ſit idea & ſpecies intelligibilis creaturarum omnium, etiam infimarum; nam & illæ aliquam perfectionem habent, dignam contineri in Deo, & repræſentari ab illius eſſentia, cognitione, ac Verbo.

66 AD Confirmationem patet facilè, omnes illas collectiones abſurdorum enerves eſſe. AD I. Quamvis Verbum per ſe procedat ex cognitione poſsibilium, non ideo eſt effectus illius, cùm in divinis nullum prædicatum ſit cauſa alterius. Solùm admitti poteſt, Verbum comparari ad cognitionem eſſentiæ, & attributorum, & poſsibiliũ, veluti ad principium *quo* proceſsionis eiuſdem Verbi; ſimiliterque ad eſſentiam divinam, veluti ad principium radicale *quo*, & tanquam ad obiectũ primarium motivum ipſius cognitionis. Cæterum neutro ex ijs modis comparatur ad poſsibilia: cùm nec habeant rationem principij relatè ad Verbum, nec obiecti primarij & motivi ad cognitionem illam, ſed ſecundarij & terminativi tantùm. AD II. patet ex eâdem doctrina, creaturas poſsibiles non habere vnde glorientur quaſi aliquid conferant Verbo, & non potiùs acci-

piant;

plant. Neque enim sunt principium influens in existentiam Verbi, nec obiectum primarium, aut movens ad cognitionem, ex qua illud per se procedit. Alioqui & illæ, & peccata possibilia gloriari possent, quasi aliquid conferant scientiæ necessariæ Dei, quæ nequit esse summa & infinita, nisi terminetur ad possibiles creaturas, & peccata possibilia. AD III. constat ex dictis Disput. præcedenti num. 47. & 48. iuxta expressam doctrinam Anselmi, eam illationem Vasquij esse præposteram: quoniam ad rationem imaginis omnino exigitur, vt verè oriatur ab eo, cuius est imago. Patet verò, id repugnare Verbo in ordine ad creaturas possibiles, sive considerato secundùm esse physicum, sive penes esse intelligibile: cùm creaturæ possibiles in ordine ad illud non habeant rationem principij physicè producentis, nec obiecti moventis.

67 OPPONIT III. Scherius disp. 6. quæst. 1. concl. 4. Creaturæ non modò nullum esse reale habent pro priori rationis ad processionem Verbi & Spiritus sancti, verùm neque cognitum, sive obiectivum. Ergo Verbum non procedit per se ex cognitione illarum, nec illam supponit pro priori rationis. Consequentia patet: Quia si cognitio creaturarum possibilium præsupponeretur Verbo pro priori rationis, eodem modo præsupponeretur obiectum cognitum per illam. Antecedens autem probat: Quoniam illud esse cognitum, seu obiectivum creaturarum possibilium, quod est proprium illarum, quatenus distinctum ab esse suæ causæ, sive essentiæ aut intellectus divini, non est esse à se, sed ab alio. Alioqui esset aliquid in creatum, & proinde indistinctum à Deo, contra hypothesim, & omnem veritatem. Ergo est aliquod esse productum à tribus personis, tanquam ab vnico & indiviso principio, sicuti omnia opera Dei ad extra. At nulla res præsupponitur pro aliquo priori, adhuc secundũ rationẽ, ad existentiam sui principij. Ergo nec creaturæ possibiles præsupponũtur pro aliquo priori rationis secũdùm illud esse cognitum ad existentiam Verbi, quod est vnum è tribus personis.

68 RESP. Si in argumento supponatur, creaturas possibiles ab æterno habere aliquod esse reale actuale distinctum ab esse diuino, adhuc obiectivũ, aut diminutum (qualiter supponi videtur ab arguente) id falsum omnino esse, quidquid in oppositum contendãt multi ex discipulis Doctoris Subtilis, quos impugnavimus in Metaphysica disput. 3. sect. 3. Vnde nec pro priori rationis ad productionem Verbi, nec pro posteriori rationis, ex æterno concedenda est in ijs aliqua formalitas intrinseca realis, distincta ab esse Dei: sed dumtaxat extrinseca denominatio penes esse obiectivum, seu cognitum ab intellectu diuino, & producibile ab omnipotentia. Quod quidem esse cognitum, sive obiectivum, ex parte ipsorum possibilium intrinsecè solùm importat non repugnantiam prædicatorum essentialium ad existendum, distinguiturque à rebus ipsis postea existentibus, tanquam ens in potentia logica ab ente in actu. Porrò licèt ad productionem cuiuslibet entis concurrant indivisim tres personæ divinæ, prout in argumento assumitur; non tamen est opus vt ad omnẽ extrinsecam denominationem, & pro omni signo concurrant, neque id vlla ratione probatur ab arguente. Vnde locus est, vt pro priori rationis ad productionem & existentiam Verbi, atque in illo signo *à quo*, creaturæ possibiles intelligantur subire denominationem extrinsecam cognitarum ab intellectu divino, tum prout in Deo singulariter subsistente & communicabiliter, iuxta modum dicendi Scoti, & quorundam aliorum; tum etiã prout in persona Patris constituta pro priori originis ad Verbum. Vtravis enim consideratione intellectus divinus attenditur, veluti comprehendens essentiam ideas, & omnipotentiam divinam, ac subinde attingẽs creaturas possibiles, necessariò cum ijs connexas. Quare ad formulam argumenti nego antecedens. Ad probationem concesso antecedente nego consequentiam: quia illud esse obiectivum creaturarum possibilium dumtaxat est denominatio passiva & extrinseca resultans ex actu cognitionis divinæ, quæ nihil intimum ponit in obiecto: ac proinde non est aliquid productũ à tribus personis, vel ab aliqua illarũ. Quamvis autẽ in instanti *in quo* æternitatis denominatio illa proveniat à tribus personis (omnes enim illæ ab æterno cognoscunt in re creaturas possibiles) tamẽ pro priori *à quo* ad generationẽ Verbi passivã, solus intellectus Dei subsistentis, tã cõmunicabiliter & absolutè, quã incommunicabiliter in prima persona, præstat denominationẽ illam cognitarum creaturis possibilibus: atque adeò Verbum pro alio posteriori procedit per se ex cognitione illarum.

69 INSTANT Aduersarij Dictio seu productio Verbi est prior cognitione creaturarum possibiliũ. Ergo illæ non antecedunt generationẽ Verbi, adhuc secundùm esse cognitũ, sive obiectivũ. Assumptio probatur: Quia principium infinitũ movens ad duos terminos, finitũ, & infinitũ, priùs movet ad infinitũ, quã ad finitum, cùm ille sit proximior & connaturalior. Atquĩ divina essentia, vt fœcundans intellectũ Patris, est principiũ infinitum movens ad dictionem Verbi, quod est terminus infinitus, & ad notitiam creaturarum, quas constat esse terminum finitum. Ergo dictio, seu productio Verbi est prior cognitione creaturarum possibilium.

70 RESP. Negando antecedens. Ad probationem diſtinguo maiorem. Si moveat ad vtrumque terminum ſeorſim, ac ratione vniuſcuiuſque, omitto. Si moveat ad terminum finitum ratione infiniti, & ex vi ipſius, nego maiorem. Divina autem eſſentia, vt fœcundans intellectum Patris, ita habet vim obiecti moventis, vt ſola moveat ratione ſui, & reliqua omnia ratione ipſius, quoniam aliter comprehendi nō poteſt. Ac ſanè quemadmodum, etiam iuxta Adverſarios, licèt eſſentia ſola moveat, non tamen priùs cognoſcitur, quàm attributa, ſimul & indiviſim ijs coniuncta per modum vnius obiecti: ita etiam licèt ſola moveat, non tamen priùs cognoſcitur, quàm creaturæ poſſibiles, ſed ſimul, quatenus illæ cum ipſa integrant vnicum & adæquatum obiectum comprehenſionis, coaleſcens ex primario & ſecundario, ob mutuam vtriuſque connexionem. Quæ inſtantia nequit non eſſe legitima in Adverſarios, præcipuè in Maſtrium allegatum Diſput. præcedenti num. 5. qui fruſtrà Diſput. 7. quæſt. 2. ar. 5. per totum, contendit Patrem æternum priùs naturâ cognoſcere omnia prædicati ſibi identificata neceſſariò, quàm creaturas poſſibiles: cùm nequeat eſſe aut intelligi pro ſigno aliquo in Deo cognitio comprehenſiva eorum prædicatorum, quin attingat diſtinctè omnia, quæ in ijs eminenter aut virtualiter continentur. quales profectò ſunt poſſibiles creaturæ.

71 VRGEBIS. Dato quòd eſſentia, vel omnipotentia, connectatur neceſſariò cum poſſibilibus in communi, non tamen cum poſſibilibus in particulari. Ergo poterit mouere ſeorſim omnino à poſſibilibus in particulari, & perfectè comprehendi, pro priori ad dictionem Verbi. Probatur antecedens. Si enim omnipotentia neceſſariò connecteretur cū poſſibilibus in particulari, ſicut in communi, non poſſet à Beatis videri, non viſis ijs in particulari, ſicut in communi: ac proinde à quolibet Beatorum comprehenderetur illa, iuxta doctrinam Sanct. Thomæ. Ergo omnipotentia non connectitur neceſſariò cum poſſibilibus in particulari.

72 RESP. Negando antecedens. Ad probationem nego ſimiliter antecedens; quia ad cognitionem purè quidditativam & intuitivam omnipotentiæ, qualis ſolùm eſt in Beatis, exigitur & ſufficit cognitio termini formalis ipſius, qui conſiſtit in poſſibilibus communiter ſeu generatim acceptis: ſicuti ad cognoſcendam quidditativè potentiam videndi nō eſt opus cognoſcere in ſingulari omnes colores ſed ſufficit in communi. Licèt autem poſſibilia in particulari ſint neceſſariò connexa cum omnipotentia, non connectuntur vt terminus formalis ipſius, ſed materialis; & purè ſecundarius. Vnde non debent attingi clarè & diſtinctè per cognitionem purè quidditativam & intuitivam, qualis eſt Beatorum, ſed ſolùm per comprehenſivam, qualis eſt divina, ex quâ per ſe procedit Verbum.

73 OPPONVNT IV. Alij. Si veritas creaturarum poſſibilium connectitur neceſſariò cum veritate eſſentiæ & omnipotentiæ divinæ, etiam illarum bonitas neceſſariò connectitur cum bonitate creata: cùm par ſit vtriuſque ratio. At nihilominus Spiritus ſanctus per ſe procedens ex amore comprehenſivo divinæ bonitatis, non ideò per ſe procedit ex amore bonitatis poſſibilium, vt frequenter docent Thomiſtæ, & alij plurimi, negantes Deo amorem neceſſarium erga creaturas poſſibiles. Ergo & Verbum procedens per ſe ex cognitione comprehenſiva veritatis eſſentiæ & omnipotentiæ divinæ, non ideo per ſe procedit ex cognitione veritatis poſſibilium creaturarum.

74 RESPONDET Godoy 1. part. diſput. 90. num. 53. diſparem eſſe vtriuſque rationem. nimirum, ita connecti veritatem poſſibilium cum veritate divina, vt ſit intelligibilis in ſeipſa, ac proinde cognoſci debeat neceſſariò à comprehendente divinam veritatem: cæterum creaturas poſſibiles non eſſe amabiles in ſtatu poſſibilitatis, conſideratas in ſeipſis, ſed ſolùm quatenus in divina eſſentia continentur: ideoque huius amorem, quamvis comprehenſivum, non debere extendi ad amandum illas. Addit inſtantiam hanc: Deus non poteſt cognoſcere pœnitentiam peccato non cognito; & tamen poteſt illam amare, quin amet peccatum. Ergo pariter non poteſt cognoſcere omnipotentiam, quin noverit poſſibilia; poteſt tamen illam amare quin propterea vllo poſſibilium amore tangatur.

75 SED Enim diſparitas nulla eſt ex multiplici capite: vt apparebit Diſput. ſequenti per totam, præſertim ſectione tertia à num. 38. & tota ſectione quarta, vbi ſolutionem hanc latè impugnabimus. Quapropter ex dicendis ibidem reſpondeo ad argumentum, conceſſa maiore, negando minorem. Par enim ratio eſt, vt Spiritus ſanctus procedens vi originis ſuæ ex amore comprehenſivo divinæ bonitatis, procedat per ſe ex amore bonitatis poſſibilis creaturarum, omnino cum ea connexæ. Quod, quia ibidem operoſiùs confirmandum eſt, ſufficiat hoc loco indicâſſe.

76 INQVIRES: An Verbum per ſe procedat ex cognitione non entium, ſive malorum poſſibilium, & denique impoſſibilium. RESP. Affirmantem ſententiam videri veriorē, quàm negantem: quia omnipotentia Dei, & ſcien-

scientia simplicis intelligentiæ, habent necessariam connexionem cum non entibus & malis, quatenus possibilia sunt, sicuti & cum impossibilibus. Sicuti enim essentia & omnipotentia Dei est ratio à priori, vt possibilia sint possibilia, ita etiam vt impossibilia non sint possibilia: vt vidimus suprà num. 61. Similiter, sicut scientia simplicis intelligentiæ non esset summa in Deo si non extenderetur ad cognoscendum omnia possibilia bona, ita etiam si non extenderetur ad cognoscendum omnia possibilia mala, & quælibet impossibilia. Ergo Verbum per se procedens ex cognitione comprehensiva omnipotentiæ, & ipsius scientiæ divinæ, etiam per se procedit ex cognitione malorum possibilium, & quorumlibet impossibilium. Nimirum cognitio perfectè comprehensiva cuiuslibet perfectionis divinæ debet per se attingere quidquid cum ea est necessariò connexum, sive positivum sit illud, sive negativum. Cùm verò aliunde non sit in Deo cognitio directa non-entium, & impossibilium, sed indirecta tantùm, & per bonum oppositum; consequens est, vt Verbum per se non procedat ex cognitione malorum & impossibilium directâ, sed indirectâ tantùm.

77 OBIICIES Anselmum suprà c. 32. aliàs 30. vbi ait: *Eius enim, quod nec fuit, nec est, nec futurum est, nullum Verbum esse potest.* Atqui impossibilia nec fuerunt, nec sunt, nec futura sunt. Ergo nullum Verbum illorum esse potest: ac proinde Verbum non procedit per se ex cognitione impossibilium. Et c. 33. aliàs 31 circa finem inquit. *Nihil aliud dicit* (Deus) *quàm seipsum, aut creaturam.* Atqui non entia, mala, & impossibilia, non sunt creaturæ, sed potiùs negationes aut repugnantiæ creaturarum. Ergo non dicuntur à Deo, & per consequens non exprimuntur in Verbo. Vnde & consequens est, vt Verbum non procedat per se ex eorum cognitione.

78 RESP. Ex D. Tho q. 4. de Verit. ar. 7 sensum Anselmi ijs locis esse, Verbum divinum non esse dispositivum & operativum non entium. Etenim voce *dicere* ijs locis vsurpavit strictè pro eo, quod est imperando mandare aliquid executioni: qualiter Psal. 148. legitur: *Ipse dixit, & facta sunt.* Eo autem modo Deus neutiquam dicit, nisi entia. Alio autem & communi modo accipitur Verbum, quatenus manifestat & exprimit obiectum cognitum. Et hoc sensu nihil absurdi est, nec ab Anselmo negatur, Deum dicere Verbo suo etiam non entia, mala, & impossibilia quælibet, indirectè saltem, quo solùm sensu illa cognosci possunt.

79 VT Autem homonymia vitetur, observanda est distinctio non entium. Quædam enim sunt talia essentialiter, vt chimæræ, & quælibet impossibilia Deo ab intrinseca ratione: quædam solùm accidentaliter, vt creaturæ merè possibiles quatenus ex libero Dei decreto possunt existere, cùm tamen absolutè possent ab illo decerni & existere. Porrò dum dicimus, Verbum procedere per se ex cognitione non-entium, quamvis indirectè solùm, ea vsurpantur secundùm priorem sensum: quoniam sub ea consideratione sunt aliquid necessarium, ac proinde necessariò connexum cum omnipotentia & scientia Dei. Posteriori autem sensu carent eiusmodi connexione: ideoque cognitio illorum non præexigitur ad productionem Verbi iuxta sententiam quæ negat, Verbum per se procedere ex cognitione obiectorum contingentium. Circa quod latè disseremus infrà Disput. LXVII. per totam.

DISPVTATIO LXVII. INCIDENS.

AN IN DEO SIT ALIQVIS AMOR, ERGA CREATVRAS POSSIBILES, EX QVO PROCEDAT SPIRITVS SANCTVS?

HANC Controversiam excitant Veteres Scholastici in 1. dist. 45. vbi illam tractant Bonaventura & Bassolis alijque plures infra allegandi: & in 3. dist. 32. vbi Scotus eam exagitat quæst. vnica §. Hic sunt tria:

tria: ſimiliterque Gabriel, & Ricardus. Vix autem diſputari poteſt, an Deus amet poſsibiles creaturas, quin id examinetur de quolibet amoris genere, ſeu libero, ſeu neceſſario, præſertim iuxta illos, qui affirmantem ſententiam tuentur. Porrò cùm Diſputatione præcedenti conſiterit ex mente Anſelmi, Verbum per ſe procedere ex cognitione creaturarum poſsibilium, quia cognitio illa eſt comprehenſiva omnipotentiæ, videtur eadem ratio probare, Spiritum ſanctum per ſe procedere ex poſsibilium amore, quia hic pariter debet eſſe omnipotentiæ comprehenſivus. Aliunde verò, & ex oppoſito, plura occurrunt contra amorem creaturarum poſsibilium, veluti nullum locum in Deo habentem. Itaque controverſiam hanc oportet accuratè examinare.

SECTIO PRIMA:

Relatis Theologorum ſententijs, eligitur quæ docet, creaturas poſsibiles amari à Deo ſimplici complacentia: & probatur, tum auctoritate, tum ratione, præcluſis euaſionibus Adverſariorum.

2 PRIMA Sententia negat creaturas poſsibiles vllatenus amari à Deo Ita Aleſis par.1.q.34. memb.4.Bonaventura loco allegato art. 1. q.2. Albertus Magnus, & Gabriel apud Hemelman tom.1.tit.7.diſput.1. Negant etiam plerumque Thomiſtæ, quos referunt & ſequuntur Carmelitæ Salmanticenſes tom.1.tract.4.diſp.5.Ioannes à S.Thom.q.19. diſp.4.ar.6. Godoy diſp.51. & Gonet tract.4. diſp.2. Ferre tract.9.in 1.p.q.4.Negant præterea ex PP. Societatis Raynaudus in Theologia Natur.diſt.8.q.2.ar.2.& Suarez diſp.30. Metaph.ſect.16. n.42. ac lib.3. de Attributis cap. num.6.10.Ex alijs Paſqualigus deDeo diſp.30. ſect 2.

3 SECVNDA Affirmat cum Scoto vbi ſuprà. Verùm adhuc illius Auctores diſſentiunt inter ſe. Quidam enim aiunt, Deum amare creaturas poſsibiles affectu ſimplicis complacentiæ, neceſſario quoad ſpeciem & exercitiũ. Quod tradunt Carthuſianus in 1.diſt.45.q.1. circa finem, Ricardus ibidem art.1.q.4. & 5. Aureolus in 1.diſt.40.ar 1.prop.1.& 2.ac diſt. 46.ar.2.prop.2.& 3. Idque videtur docere Caietanus 1.p.q.34.ar.3.Vazquez 1.p.diſp.79.c. 2.& d.152.cap.1 Arrubal diſp 53.cap.3.Ruiz diſp 6.de Volunt.cap.2.Tannerus diſp 2.q.10. dub.4.Alarcon tract.3.diſp.3.Faſſolus q.19.ar. 3.dub.3.Herice diſp.18.cap 1.Ripalda de Ente ſupernat.diſp.41.ſect 9 Arriaga 1.p.diſ 24. ſect.6.ſub ſect 2. Martinon diſput.13. de Deo ſect.2. Ribadeneira diſp.13. de Voluntate c.1. Quiros tom.1. diſp.66.Becanus par.1.tract.1. cap.11.quæſt.3. Turrianus Opuſc.5.diſput.1. dub.4. Antonius Perez 1 par.d.5.cap.1.Lezana tract.4 diſp.4.ſect.6.& Serra Dominicanus 1 part.quæſt.20.art.2. vbi oſtendit, hanc eſſe mentem D. Thom. & Caietani. Ex Scotiſtis Vulpes tom.2.part.1.diſput.43.art.3.Smiſing. tract.3 diſput.3.quæſt.3. Rada tomo 1. contr. 11. concluſ. 2. Maſtrius tomo 1. diſput. 4. quæſt.1.

4 ALII Verò volunt, Dei amorem erga creaturas poſsibiles debere eſſe liberum, ſaltem quoad exercitium. Pro hoc dicendi modo Maſtrius vbi nuper allegat Bañez 1.part.quæſt. 34.art.3. ac præterea Zumel, Molinam, & Valentiam. Quibus addè Gonçalez diſp.52.ſect.2.num.12.& 14. Machin diſp.40.ſect.2. Franciſcum de Lugo diſput.35. cap. 1. Alderete 1. diſp.10. ſect.4 & ſeqq. Izquierdo tom.2.diſp.33.q.5.vt omittam plurimos alios Recentiores.

5 DICENDVM I. Deum ſimplici complacentia amare creaturas poſsibiles. Ita Auctores allegati pro ſecunda ſententia: quam exiſtimo cohærentem doctrinæ S. Anſelmi traditæ Diſput. præcedenti circa proceſsionem Verbi & Spiritûs ſancti ex cognitione & amore creaturarum poſsibilium; atque expreſſam S. Auguſtini lib.11. de Civitat.cap.21.vbi tradit complacentiam rerum producendarum fuiſſe cauſam voluntati divinæ, vt decerneret productionem mundi. Ergo pro priori ad liberam & efficacem volitionem creandi mundum, iã hic divinæ voluntati placebat, atque adeò ſimplici cõplacentia amabatur. Verba Auguſtini ſunt: Quid eſt aliud intelligendum in eo, per quod omnia dicit, Vidit Deus quia bonum eſt, niſi operis approbatio ſecundùm artem facti, quæ ſcientia Dei eſt? Deus autem vſque adeò non cùm factum eſt tunc diſcit bonum, vt nihil eorum fieret, ſi ei fuiſſet incognitum. Dum ergo videt quia bonum eſt, quod niſi videret, ante-

antequam fieret, non vtique fieret; docet, bonum eſſe, non diſcit. ✻ Vbi planè tradit, notitiam bonitatis mundi præceſsiſſe in ſapientia Dei, qui non aliter mundum conderet, vel efficaciter decerneret, quàm præviſa illius bonitate. Subiungit verò ſtatim S. Doctor circa complacentiam Dei in productione mundi: ✻ Et Plato quidem plus auſus eſt dicere; elatum eſſe, ſcilicet, Deum gaudio, mundi vniverſitate perfecta. Vbi & ipſe non vſque adeò deſipiebat, vt putaret Deum ſui operis novitate factum beatiorem: ſed ſic oſtendere voluit, ARTIFICI SVO PLACVISSE IAM FACTVM, QVOD PLACVERAT IN ARTE FACIENDVM. ✻ Itaque iuxta Auguſtinum mundi complacentia aliqua præceſsit in voluntate divina antequam illius exiſtentiam efficaciter decerneret, atque in lucem proferret.

6 DEINDE Circa finem capitis apertè tradit, bonitatem mundi prævisam fuiſſe rationem propter quam Deus illius creationem decreverit. Ait enim loquens de luce condita initio mundi: ✻ Si ergo quærimus quis fecerit, Deus eſt. Si per quid fecerit, dixit, FIAT, & facta eſt. Si quare fecerit, quia bona eſt. Nec author eſt excellentior Deo, nec ars efficacior Dei verbo: nec cauſa melior, quàm vt bonum crearetur à bono Deo. ✻ Si igitur Deus condidit, ſeu decrevit productionem lucis quia bona eſt, eius bonitas præceſsit aliquomodo voluntatem producendi lucem ipſam. Omne enim quod eſt ratio propter quam decernitur, ſeu fit aliquid, debet præcedere aliquomodo decretum, ſeu factum ipſum.

7 VNDE Eruitur ratio à priori noſtræ ſententiæ. Quælibet enim bonitas ſecundùm ſe conſiderata poteſt placere voluntati, etiam perfectiſsimæ, qualis eſt divina, vt propterea ſimplici amore feratur circa illam. Atqui creaturis poſsibilibus, quamvis nunquam extituris, convenit ſua peculiaris bonitas. Ergo hæc poteſt placere divinæ voluntati, vt propterea ſimplici amore feratur circa illam. Maior propoſitio eſt certa omnium conſenſu: & ratione conſtat: quia quælibet potentia poteſt ſe exercere, ſeu verſari circa quamlibet rem, quæ participat rationem ſui obiecti communem: propterea quæ viſus, etiam perfectiſsimus, poteſt attingere quodlibet viſibile. Idem ergo exiſtimari debet de quavis voluntate, etiam perfectiſsima, in ordine ad omnem bonitatem, quæ eſt ratio communis obiecti ipſius. Minor autem, quam multipliciter refutare conantur Adverſarij, probanda nobis eſt etiam multiplici via rationeque: vt propterea argumentum præcipuum, quo impetimur, in ipſorum capita regeratur.

8 PRIMO Itaque creaturis poſsibilibus convenire ſuam peculiarem bonitatem, ſuadetur ex S. Dionyſio, quem allegat & ſequitur Sanct. Thomas lib. 3. contra Gentes cap. 20. non longè à fine, dicens: ✻ In quo apparet quòd bonum quoddammodo amplioris eſt ambitus, quàm ens. Propter quod Dionyſius dicit quarto capite de Divinis nominibus, quòd bonum ſe extendit ad exiſtentia & non exiſtentia. ✻ Ergo ex mente vtriuſque S. Doctoris, in poſsibilibus creaturis, quæ nunquam exiſtunt, invenitur ratio boni. Quod ipſum ſupponit 1. part. quæſt. 19. art. 6. ad 2. & traditum fuit paulo antè ab Auguſtino. Deinde 1. part. quæſt. 37 art. 2 ad 3. ait: ✻ Sicut Pater, dicit ſe, & omnem creaturam, Verbo quod genuit, in quantum Verbum genitum ſufficienter repræſentat Patrem, & omnem creaturam: ita diligit ſe, & omnem creaturam, Spiritu ſancto, in quantum Spiritus ſanctus procedit vt amor bonitatis primæ, ſecundùm quam Pater amat ſe, & omnem creaturam. ✻ Atqui Verbum procedit ex cognitione eſſentiæ & creaturarum poſsibilium, non ſolùm quatenus continentur in divina omnipotentia, qua ratione ſunt vnum & idem cum illa; ſed etiam prout ſunt in ſeipſis ab ea diſtinctæ. Ergo & Spiritus ſanctus procedit ex amore eſſentiæ & creaturarum poſsibilium, non ſolùm prout continentur in omnipotentia, ſed etiam prout ſunt in ſeipſis ab ea diſtinctæ. Quin & ex hoc ipſo teſtimonio colligere licet amorem Dei neceſſarium ergà creaturas poſsibiles: vt conſtabit ſectione 3. à num. 38. Denique idem Sanct. Doctor 1. contra Gentes cap. 84. differens de Deo ait: *Vult ea quæ ſunt, vel poſſunt eſſe bona.* Subditque ſolùm impoſsibilium ſecundùm ſe non eſſe voluntatem Dei, quia nec ſunt, nec poſſunt eſſe bona. Quid clarius?

9 SECVNDO, Et à priori, ſuadetur eadem aſſumptio, ratione eruta ex eodem D. Angelico 1. p. q. 6. ar. 3. Vnumquodque dicitur & eſt bonum, quatenus eſt perfectum. At creaturæ poſsibiles, de quibus agimus, ſunt perfectæ quoddammodo. Ergo & quoddammodo bonæ. Maior propoſitio eſt expreſſa Sanct. Doctoris ibidem, & commune Philoſophorum effatum. Minor autem ſuadetur: Quia perfectum etiam definitur totum, cui nihil deeſt. At creaturis poſsibilibus conſideratis ſecundùm perfectionem eſſentialem nihil deeſt. Quamvis enim homo poſsibilis nondum habeat exiſtentiam, immo neque eſſentiam ſub exiſtentia poſitam, neutra earum pertinet ad conceptum quidditativum hominis, qui

ſecundùm ſe conſideratus abſtrahit à ſtatu exiſtentiæ adæquatè conſiderato. Itaque homini poſsibili convenit tota ratio animalis rationalis eſſentialiter conſiderata, & in eo conſiſtens, vt ſi producendus ſit, per ſeipſum debeat eſſe animal rationale. Quin & in opinione multorum ex Adverſarijs, quam latè impugnavi in Metaph. diſput. 3. per totam, creaturæ poſsibiles habent entitatem in actu, actualitate eſſentiæ, ſeu nominaliter ſumptam, vt ipſi loquuntur. Ergo & perfectionem eſſentialem in actu nominaliter ſumptam. Cur ergo non habebunt eodem modo bonitatem? In aliorum verò opinione, quæ id meritò negat, habent perfectionem eſſentialem poſsibilem, & in eo conſiſtentem, vt homo, v. g. ex hypotheſi creationis ſuæ exigat eſſe animal rationale per ſeipſum. Ea verò aliqua perfectio eſſentialiter integra eſt. Ergo & aliqua bonitas eſt.

10 TERTIO, Et conſequenter. Quidquid convenit eſſentialiter rei, debet convenire ipſi in omni ſtatu, ac proinde etiam dum purè poſsibilis eſt. Sed cuilibet creaturæ, homini, v. g. eſſentialiter convenit ratio boni. Ergo etiam in ſtatu poſsibilitatis. Probatur minor. Homini ſecundùm ſe, ſive eſſentialiter conſiderato, convenit vt ſit animal rationale, ac proinde vivens, ſubſtantia, & ens, vt patet. Omne autem ens, quatenus tale, habet rationem boni: cùm bonitas ſit proprietas entis, & bonitas eſſentialis proprietas entis ſecundùm eſſentiam. Ergo & homini convenit eſſentialiter ratio boni. Si autem eiuſmodi bonitas convenit ipſi in actu, ſicuti & entitas, actualitate eſſentiali, etiam in ſtatu poſsibilitatis, vt multi ex Adverſarijs, præſertim Thomiſtis, & inter eos Illuſtriſſimus Godoy vbi ſuprà, volunt; habemus intentum. Si verò non in actu eſſentiali, ſive nominali convenit, ſed in potentia ſolùm, & exigentia, vt ſi producatur, debeat eſſe bonum, & animal rationale per ſeipſum; profectò ea exigentia aliqua bonitas eſt. Omni ergo creaturæ poſsibili aliqualis bonitas eſt.

11 QVARTO. Vbi eſt maior perfectio, ibidem maior bonitas eſt. Atqui in Angelo poſsibili maior eſt perfectio, quàm in homine poſsibili. Ergo & aliqua maior bonitas. Minor, in qua ſola eſt difficultas, ſuadetur: Quia in Angelo & in homine poſsibili ſalvatur conceptus eſſentialis vniuſcuiuſque: nimirum, quòd Angelus ſecundùm quidditatem ſuam, etiam præciſam ab exiſtentia, ſit ſubſtantia completa ſpiritualis; homo autem ſubſtantia compoſita ex corpore & ſpiritu. Patet verò per ſe & generatim, maiorem perfectionem eſſe ſubſtantiæ completæ ſpiritualis, quàm compoſitæ ex anima & corpore. Ergo in Angelo poſsibili maior eſt perfectio, quàm in homine poſsibili, proindeque maior bonitas. Nequit autem in vno maior, in altero minor bonitas eſſe, quin in vtroque aliqua bonitas ſit. Comparativus enim terminus ſupponit poſitivum in vtroque extremo. Aliqua igitur bonitas eſt in Angelo & homine poſsibili.

12 DICES, Bonitatem nulli eſſentiæ creatæ vllatenus convenire, niſi præſuppoſita exiſtentia, vt conditione: atque adeò nullam creaturam purè poſsibilem eſſe bonam, ſed ſolùm capacem ad habendam bonitatem, ſicuti eſt capax ad exiſtentiam habendam.

13 SED Contrà I. Præterquam enim quòd hæc evaſio præcluſa eſt iam non ſemel conſiderationibus præcedentibus, adhuc admiſſa nihil prodeſt Adverſarijs. Angelus enim poſsibilis, ſicuti ob connexionem ſuorum prædicatorum eſſentialium exigit ex hypotheſi creationis ſuæ habere perfectiorem exiſtentiam, quàm homo, ita etiam perfectiorem bonitatem in actu. Atqui exigentia hypothetica perfectioris exiſtentiæ & bonitatis in actu, eſt maior aliqua perfectio & bonitas, ſaltem in potentia. Ergo Angelus poſsibilis comparatus cum homine, etiam poſsibili, habet maiorem aliquam perfectionem & bonitatem, quàm homo, ſaltem in potentia. Quare ratione illius poteſt Deo placere, & quidem præ homine.

14 CONTRA II Quòd enim bonitas in actu nequeat homini convenire, niſi ſuppoſitâ exiſtentiâ, non impedit vt ipſi conveniat bonitas per propoſitionem ſempiternæ veritatis, quæ etiam in ſtatu poſsibilitatis verificari debet. Nam nec riſibilitas poteſt emanare ab homine, niſi præſuppoſitâ exiſtentiâ: cùm hæc, teſte D. Thom. 1. part. quæſt 6. art. 3. ſit prima perfectio, quæ ſupponi debet in ſubſtantia pro priori ad accidentia quælibet. At nihilominus riſibilitas convenit homini per propoſitionem ſempiternæ veritatis, cuius ſenſus ſit conditionalis, vt ſi exiſtat homo, debeat eſſe riſibilis. Ergo pariter licèt bonitas in actu non conveniat homini, niſi ſuppoſitâ exiſtentiâ, locus eſt vt ipſi conveniat per propoſitionem ſempiternæ veritatis, cuius ſenſus ſit pariter conditionalis. Quare ſicuti de homine poſsibili verè dicitur eſſe riſibilem, ex connexione prædicatorum eſſentialium, ita etiam dici poteſt, eſſe bonum. Cur ergo Deus non poterit ſimplici complacentia amare eiuſmodi bonitatem?

15 CONTRA III. Nam neque creaturis futuris convenit in ſeipſis aliqua bonitas in actu, niſi ſuppoſitâ earum exiſtentiâ:

quo-

quoniam prout futuræ ſolùm addunt denominationem extrinſecam deſumptam à decreto libero Dei de earum temporanea productione. Alioqui ſicut ab æterno ſunt futuræ, ita etiam importarent in ſe ipſis aliquam bonitatem in actu, atque adeò & exiſtentiam realem ab æterno, quod adverſatur fidei. Et tamen illa capacitas ſeu ordo ad exiſtentiam futuram ſufficit vt ab æterno amentur à Deo, & quidem amore efficaci. Quo ſenſu in ſacris litteris Ieremiæ 33. dicitur: *Charitate perpetua dilexi te.* Et præterea Roman 9. *Iacob dilexi.* quod ad litteram Patres intelligunt de amore æterno ſecundùm propoſitum prædeſtinationis. Ergo à ſimili quamquam creaturis poſsibilibus non conveniat in ſeipſis bonitas in actu, niſi ſuppoſitâ earum exiſtentiâ, capacitas tamen ad illam habendam ſufficiet vt amentur à Deo, non quidem amore efficaci inſtar creaturarum futurarum, ſed ſimplici quadam complacentia.

16 QVINTO Suadetur aſſumptio eadem. Nam creaturæ poſsibiles non ſolùm ſunt in ſe & ſibi bonæ ſecundum connexionem prædicatorum eſſentialium hactenus explicatâ, ſed etiam relatè ad Deum, & ad alias creaturas exiſtentes. Etenim bonum eſt Deo, vt illæ poſſibiles ſint, ſubiaceantque tum omnipotentiæ, tum libertati ipſius, vt fiant, vel non fiant, prout maluerit. Eſt enim planè Deo bonum, omnipotentia & libertate prædictum eſſe ad illas condendas, quod certè non haberet, nì illæ poſsibiles eſſent. Deinde bonum eſt Deo quòd poſsit laudari & amari ab Angelis & hominibus: ſicuti & quòd ab ijs actu ametur laudeturque, aliquod ipſius bonum certè eſt. At non poſſet ab Angelis & hominibus laudari, niſi vtrique eſſent poſsibiles. Præterea bonum eſt Deo cognoſcere comprehenſivè ſuam omnipotentiam, tanquam virtutem productricem innumerabilium operum perfectiorum & perfectiorum in infinitum. Id verò nequit habere locum, niſi eiuſmodi opera poſsibilia ſint, vt patet. Quare neceſſum eſt vt in ipſis creaturis poſsibilibus ſit aliqua bonitas quaſi vtilitatis aut conducentiæ relatè ad Deum, vtpotè conferentibus vt Deus ea bona, tum intrinſeca, tum extrinſeca habeat. Iam verò quòd relatè ad alias creaturas exiſtentes ſint bonæ, facilè ſuadetur: quia quòd Deus poſsit quaſdam creaturas excellentiſsimas proferre in lucem, quamquam id non præſtet de facto, eſt occaſio Angelis & hominibus ad laudandum & celebrandum illum. quod certè non facerent, ſaltem eâ occaſione, niſi illæ poſsibiles eſſent. Ergo poſsibilitas creaturarum perfectiorum ac perfectiorum in infinitum, eſt bona exiſtentibus creaturis ratione prædictis. Poteſt igitur illa ſimplici complacentia amari à Deo.

17 ALTERA Aſſerti ratio indè eruitur, quòd Deus antequam videat exiſtens id, quod vult, efficaciter determinetur ad id volendum, ductus per ſcientiam, quâ illud concipit dumtaxat velut bonum poſsibile. Pro priori enim rationis ad decretum liberum de productione rei, hæc dumtaxat concipitur à Deo vt poſsibilis, non vt futura, aut exiſtens. Ergo ſicuti in illa prænoſcit ſufficientem bonitatem, vt efficaciter ipſam amet, ſeu in effectum perducat: ita etiam vt ſimplici complacentia in ipſam feratur. Minus enim eſt amare per ſimplicem complacentiam, quę nihil efficit in obiecto cognito, quàm per amorem efficacem, qui illud ponit extra cauſas. Quò ſpectant verba Auguſtini ſuprà num. 5. exſcripta, præſertim verò dum de Deo approbante mundum iam conditum inquit: *Sic oſtendere voluit, artifici ſuo placuiſſe iam factum, quod placuerat in arte faciendum.* Ergo antequam Deus complaceret ſibi in efficientia mundi, iam complacuerat in ipſo cognito vt poſsibili per artem & ſcientiam.

18 CONFIRMATVR Hæc ratio ex antitheſi boni & mali moralis. Nam ex parte obiecti poſsibilis datur ratio diſcriminis, propter quam Deus nequit efficaci decreto producere odium ſui aut hæreſim; poſſit autem efficaciter velle dona ſupernaturalia, & actus ſalutares. Ea verò diſcriminis ratio præcipuè in hoc ſita eſt, quòd in donis & actibus ſupernaturalibus, pro priori ad decretum efficax, concipitur bonitas poſsibilis; in hæreſi autem & odio Dei malitia & deformitas, propter quam Deus eſt antecedenter incapax ad eam decernendam. Ergo in creaturis poſsibilibus prioris generis præ ijs, quæ poſterioris ſunt, eſt bonitas poſsibilis ac ſufficiens vt moveat voluntatem Dei ad illarum exiſtentiam efficaciter decernendam. Ergo multò magis vt moveat ad eas ſimplici affectu ſeu complacentia amandas, quamvis nolit illas efficaciter producere. Sic certè nos ipſi complacentia ſimplici amamus plura, quæ poſſemus quidem efficere, ſed tamen nolumus: quoniam ea eſt perfectio amoris noſtri, vt ferri poſsit tum efficaciter, tum inefficaciter in plura bona, independenter ab eorum exiſtentia. Ergo multò magis idipſum voluntati divinæ competere exiſtimandum eſt.

19 CONFIRMATVR II. Omne quod eſt in actu ſecundo, ſupponit pro priori actum primum proximum. Atqui Deo decernente efficaciter exiſtentiam mundi, amatur hæc efficaciter in actu ſecundo. Ergo pro priori ad tale decretum exiſtentia

mundi erat proximè amabilis in actu primo. At pro priori ad eiuſmodi decretum exiſtentia ipſa mundi ſolùm erat poſsibilis, vt patet. Ergo creatura purè poſsibilis habet quidquid exigitur vt ſit proximè amabilis à Deo. Quidquid autem proximè amabile eſt à Deo, capax eſt vt in eo ipſo ſtatu placeat, & ſimplici complacentia ametur à Deo. Ergo Deus in creaturis purè poſsibilibus poteſt habere complacentiam ſimplicem.

20 VLTIMA Ratio, omiſsis alijs deſumitur ex teſtimonio Apoſtoli 1. Tim 2. aientis: *Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad cognitionem veritatis venire*: ac præterea ex trito illo teſtimonio Ezechielis & Eccleſiæ: *Non vult Dominus mortem peccatoris, ſed vt à vitijs ſuis cõuertatur & viuat*. Vbi apertiſsimè indicatur, Deum velle ſive amare ſalutem & converſionem hominum omnium, quæ tamen in multis eorum manet intra ſtatum poſsibilitatis, cùm nunquam extitura ſit reipſa. Ergo aliquid reipſa manens in ſtatu meræ poſsibilitatis verè amatur à Deo. Neque obſtat quòd ſalus hominum reproborum ſit præterea conditionatè futura, hoc eſt, futura in re, ſi ipſi vellent cooperari ſufficientibus auxilijs. nã adhuc, ſalus quatenus conditionatè futura, non exiſtit in ſeipſa, neque vnquam exiſtet. Et tamen verè amatur à Deo ſimplici affectu quo vult omnes homines ſalvos fieri. Ergo quamvis creaturæ poſsibiles non exiſtant, neque vnquam extituræ ſint, adhuc poſſunt amari à Deo ſimplici affectu.

21 CONFIRMATVR. Non enim modò vult Deus voluntate antecedenti ſalutem eorum hominum, qui recipiunt auxilia ſufficiẽtia, quibus proximè poſsint ſalutem adipiſci, eamque aſſequi, niſi per ipſos ſteterit: ſed etiam vult voluntate antecedenti ſalutem eorum hominum, qui intra vterum matris obierunt, aut recèns nati inter barbaros, vbi nulla eſt copia Baptiſmi, vel auxiliorum proximè ſufficiẽtium relatè ad infantilem ætatem. Ita enim evincitur, tum ex teſtimonio illo Pauli vniversè de hominibus loquente, dum ait: *Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad cognitionem veritatis venire*: tum ex definitione Innocentij X. contra illam Ianſenij propoſitionem: *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe*. Quam Innocentius declarat abſolutè falſam, temerariã, ſcandaloſam: & intellectam eo ſenſu, vt *Chriſtus pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuus ſit*, damnat, veluti impiam, blaſphæmam, contumelioſam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam. Si autem Chriſtus pro omnibus omnino hominibus mortuus eſt; omnium illorum certè ſalutẽ vult voluntate antecedente. Et tamen nõ ſi omnibus prorſus hominibus tribuit ea auxilia ſufficientia, quibus proximè poſsint ſalutem adipiſci: vt patet in infantibus paulo antè memoratis. Ergo independenter ab exiſtentia eorum auxiliorum ſufficientium, Deus vult antecedenti voluntate ſalutem quorundam hominum nunquam extituram, nec poſitam ſub eorum libera poteſtate. Malè igitur Adverſarij negant Deo omnem amorem poſsibilium ob defectum exiſtentiæ, aut liberæ poteſtatis in ijs vt exiſtant.

22 ID Tamen obſervandum eſt iuxta doctrinam inferiùs ſtatuendam ſectione 4. ſalutem hominum poſſe conſiderari vt purè poſsibilem, & vt contentam in beneficijs aut auxilijs divinis, ad illam conferẽtibus, ſeu proximè, ſeu remotè. Priori ſenſu, Deus amat neceſſario illam, ſicuti & cæteras creaturas poſsibiles, vt ibi dicemus. Poſteriori autem ſenſu amat eam liberè quidem abſolutè loquendo, verùm neceſſariò neceſsitate ſimplicis deſiderij, ex ſuppoſitione liberæ collationis eorum auxiliorum, beneficiorumvè. Ratio huius poſterioris partis eſt: quia amor collativus auxilij, ſive beneficij, tum proximi, tum remoti, in ordine ad finem aliquem, eſt ſubinde ac neceſſariò amor, ſaltem ſimplicis deſiderij, relatè ad eundem finem. Quod ſaltem in amore comprehenſivo, qualis eſt divinus, veriſsimum eſt: quoniã debet amare medium illud ſub ea formali ratione, quâ importat habitudinem ad finem intentum, quamvis inefficaciter. Itaque ſalus omnium hominum, quatenus purè poſsibilis, amatur neceſſariò à Deo ſimplici complacentiâ, vt poſtea apparebit generatim de creaturis poſsibilibus: vt futura autem ex vi auxiliorum, & remediorum, quæ à Deo parata ſunt, amatur liberè à Deo abſolutè; neceſſariò tamen, ſimplici ſaltem deſiderio, ex ſuppoſitione liberæ illorum collationis.

SECTIO SECVNDA.

Examinantur præcipuæ rationes quibus alij atque alij Auctores vtuntur, vt probent, Deum non libere, ſed neceſſariò amare creaturas poſsibiles.

23 QVAMVIS Placeat nobis ſententia docens, Deum neceſſariò amare ſimplici complacentia creaturas poſsibiles, oportet expendere rationes, quibus frequenter probari ſolet. nam fortaſsis non ſunt adeò ſolidæ, ac illarum Auctores exiſtimant.

PROBANT I. Vazquez, Arrubal, & alij. Omnis amor liber Dei importat aliquid con-

tin-

tingens,ſive quod potuerit ab æterno non eſſe. Atqui ſimplex complacentia erga creaturas poſsibiles non importat aliquid contingens, ſive quod potuerit ab æterno non eſſe. Ergo ſimplex complacentia erga creaturas poſsibiles non eſt amor Dei liber. Quare ſuper eſt vt ſit amor neceſſarius. Maior propoſitio conſtat ex indifferentia ad vtrumlibet, in qua conſiſtit libertas. Cùm ergo Deus ſit liber, & ſummè liber, poteſt pro libito amare aut non amare quidquid liberè amat: ac proinde potuit ab æterno amor liber in ipſo eſſe aut non eſſe pro libito. Minor autem probatur: Quia ſimplex complacentia erga poſsibilia nequit importare aliquid contingens, ſive quod potuerit non eſſe, neque ex parte Dei ipſius, qui eſt ens ſummè neceſſarium; neque ex parte creaturarum poſsibilium, quæ in eo ſtatu nullam contingentiam important, ſed neceſsitatem meram. Ergo ſimplex illa complacentia ex nullo capite eſt contingens, nec potuit non eſſe ab æterno.

24 SED Enim hæc ratio ſolùm habere poteſt vim aliquam ſuppoſita ſententia eorum, qui terminationes liberas Dei conſtituunt per connotata, aut in recto, aut in obliquo: & proinde omnem illarum contingentiã ponunt in termino vel effectu. Quam opinionè nos latè refutavimus Thomo 1. Diſp. XXXVI. per totam. Cæterum in ſententia veriore, quæ tradit, terminationes liberas eſſe Deo intrinſecas adæquatè, & poſſe conſiſtere abſque vlla varietate aut mutatione ex parte connotatorum, ſolùmque addere terminationi neceſſariæ contingentiam virtualem, ſeu virtualitatem eminenter contingentem (prout ibidem explicuimus Diſp.XXXVII.) nullam vim habet argumentum præiactum. Reſponderi enim facilè poteſt, ſimplicem complacentiam erga creaturas poſsibiles importare terminationem Deo formaliter liberam, & ſolùm virtualiter contingentem, ſeu affectam contingentia virtuali, quam divina voluntas poteſt pro libito habere aut non habere, ponere aut non ponere virtualiter & æquivalenter intra ſe erga quaſlibet creaturas, abſque vlla alia varietate aut mutatione illarum. Itaque quamvis creaturæ poſsibiles neceſſariò ſint poſsibiles, nullam que in eo ſtatu contingentiam aut mutationẽ intrinſecam ſubire poſsint, adhuc locus eſt vt terminent amorem liberum formaliter Deo intrinſecum adæquatè, ſed virtualiter ſolùm & æquivalenter contingentem.

25 PROBANT II. Amicus & alij: Quoniam voluntas Dei nequit eſſe ſuſpenſa circa creaturas poſsibiles: nam eiuſmodi ſuſpenſio affert imperfectionem, ſeu indeterminationem Deo repugnantem: ac proinde debet illas diligere affectu ſimplicis complacentiæ, vel odiſſe ſimplici diſplicentia. At hoc ſecundum eſſe nequit: cum in ijs non appareat ratio mali. Ergo illud plius eſt neceſſarium.

26 VERVM Argumento huic facilè occurrere poſſunt Adverſarij. Imprimis enim dicere poſſunt, maiorem propoſicionem ſummùm eſſe veram de voluntate divina in ordine ad volitionem aut nolitionem: quoniam ad perfectiſsimam Dei providentiam ſpectat vt ab æterno efficiter decernat, quid futurum aut non futurum ſit reipſa, nec maneat ſuſpenſa in alterutrum. Circa poſsibilia autem nullam Deus providentiam exercet: ideoque poteſt ea nec amare, nec odiſſe, ſuſpenſuſque proinde manere pro libito. Deinde dato quòd ſuſpenſio ſeu pura omiſsio libera voluntati divinæ repugnet circa creaturas poſsibiles, quemadmodum circa futuras, adhuc locus eſt vt Deus per actum reflexum voluntatis ſuæ nolit pro libito in ijs complacere. Tunc enim voluntas Dei non maneret ſuſpenſa, nec tamen ſe exerceret per omiſsionem puram. Denique dicere poſſunt creaturas poſsibiles ratione finitæ ſuæ bonitatis, multis defectibus & imperfectionibus ſaltem negativis, admixtæ, poſſe terminare ſimplicem Dei diſplicentiam, quemadmodum creaturæ exiſtentes, ob eaſdem imperfectiones admiſtas, terminare poſſunt, & de facto terminant diſplicentiam Dei efficacem: aut ſaltem eos defectus negativos creaturarum poſsibilium ſufficere, ne placeant neceſſariò, licèt non ſufficiant ad poſitivam diſplicentiam.

27 PROBANT III. Alij cum Suarez lib.3.de Attributis Dei poſitivis cap.6. n.10. Quia in voluntate Dei nequit intelligi actus liber, niſi quatenus per illum vult aliquid, vel facit in obiecto, quod alioqui non eſſet ſine tali actu. At circa creaturas poſsibiles, vt poſsibiles, nihil vult aut facit, quod alioqui non eſſet ſine tali actu: quoniam non ante omnem actum divinæ voluntatis habent illæ vt ſint poſsibiles per non repugnantiam ſibi intrinſecam. Ergo in voluntate Dei nequit intelligi actus liber circa creaturas poſsibiles, vt poſsibiles.

28 AT Poſſunt Adverſarij primò negare maiorem propoſitionem, quaſi illa ſolùm ſit vera de actu libero efficaci Dei, falſa autem de inefficaci, ſive ſolius ſimplicis complacentiæ. Hic enim poteſt nihil facere, aut præſtare obiecto, præter denominationem extrinſecam voliti, aut placentis. Quin & in ſententia noſtra, ac veriore num.24. indicata, quæ docet decreta libera conſtitui per aliquid adæquatè intrinſecum Deo, poſſunt in ipſo eſſe aliqua decreta efficacia, quæ nullam mutationem intrinſecam efficiant in obiecto, ſolumque patiant in eo quamdam denominationem extrinſecam

ſecam. Quòd fusè & multiplici inſtantia probavi Tomo I. Diſp. XXXVI. ſect. 4. per totam. Multò ergo minùs amor ſimplex Dei, quamvis liber ſit, debet parere in obiecto intrinſecam mutationem. Denique dicere poſſunt, creaturas poſsibiles ex ſe ſolùm habere non repugnantiam obiectivam, quæ eſt poſsibilitas remota; ab omnipotentia autem divina conſtitui extrinſecè ac proximè poſsibiles: verùm hanc ipſam poſsibilitatem proximam, vt à Deo efficaciter producantur, conſtitui partialiter per effectum ſimplicis complacentiæ Deo liberum erga illas: quia ſicut nihil volitum, quin prægnitum, ita nihil poteſt proximè & efficaciter amari à Deo, niſi priùs placeat ſimplici affectu bonitatis ipſius. Quare poſſent creaturæ manere ſub remota poſsibilitate, ſeu pura non repugnantia logica, aut etiam ſub poſsibilitate proxima, ſed incompleta, proveniente ijs extrinſecè ab omnipotentia divina, ſi Deus nollet circa eas habere affectum illum ſimplicis complacentiæ, quo completur actus primus proximæ poteſtatis Dei ad illam producendas.

29 ALIVNDE Tamen ex hac ipſa doctrina poſſet aliquid roboris mutuare præfacta ratio. Nam Deo neceſſarium eſt, quidquid conſtituit eius libertatem proximè liberam ad volendum efficaciter creaturas: quoniam eiuſmodi libertas eſt perfectio ſimpliciter ſimplex. Atqui ſimplex complacentia de bonitate poſsibili creaturarum conſtituit Deum proximè liberum ad volendum efficaciter creaturas, ſive (quod idem eſt) ad decernendam earum exiſtentiam: ſicuti & in nobis ſimplex amor finis neceſſariò præcedit, veluti conſtituens actum primum potentiæ ad amandum illum efficaciter: ac propterea eiuſmodi ſimplex complacentia frequenter à Theologis annumeratur inter ea, quæ conſtituũt auxilium divinæ gratiæ, iuxta ſenſum Auguſtini, qui complacentiam ipſam, vbi auxilium eſt efficax, victricem dilectionem vocat. Ergo complacentia de bonitate poſsibili creaturarum eſt in Deo neceſſaria.

30 RESPONDERI Autem poſſet forſam huic inſtantiæ imprimis negando maiorem. Non enim omne quod conſtituit libertatem Dei proximam ad volendum efficaciter creaturas, eſt ipſi neceſſarium. Nam etiam intentio finis requiritur neceſſariò ex parte actus primi in Deo ad potentiam proximam eligendi media: & tamen intentio finis non eſt in Deo neceſſaria. Inſuper cognitio exiſtentiæ meriti pertinet ad potentiam proximam remunerandi ipſum meritum, & tamen Deo neceſſaria non eſt. Ergo non omne quod conſtituit libertatem Dei proximè liberam ad volendum efficaciter creaturas, eſt ipſi neceſſarium. Verùm adhuc permiſſa maiori propoſitione poſſet negari minor. Nam quamvis fortaſſe in nobis ſimplex amor finis conſtituat actum primum potentiæ proximæ ad ipſum efficaciter amandum, id nõ ſemper ita contingit, ſed vt plurimum. Deinde vbi contingit, vt complacentia in nobis præcedens non ſit libera, ſed neceſſaria, id procedit ex imperfectione noſtra, ſeu ex defectu deliberationis, quam ipſa complacentia prævenit: vt omnes Theologi docent, & videre licet apud Vazquez 1. p. diſp. 88. cap. 2. n. 20. & 24. Atqui in Deo nullum habet locum defectus deliberationis, vt patet. Ergo nec complacẽtia neceſſaria conſtituens actum primum potentiæ proximæ ad volendum efficaciter.

31 PROBANT IV. Peccatum poſſibile neceſſariò diſplicet Deo, quia eſſentialiter malum eſt, & in ſummo bono neceſſarium eſt odium mali. Atqui creaturæ poſsibiles ſunt eſſentialiter bonæ. Ergo ſummo bono, ſive Deo placet neceſſariò poſsibilitas creaturarum. Conſequentia videtur optima à pari rationis: nulla enim maior neceſsitas eſſe poteſt in ſummo bono vt diſpliceat ipſi malum, quàm vt placeat bonum: immo diſplicentia in malo fundari debet ſupra complacentiam in bono.

32 CÆTERVM Nec probatio iſta vrget. Poſſunt enim primò Adverſarij negare maiorem propoſitionem, dicereque Deum circa peccatum poſsibile nullum exercere affectũ odij: quia quòd peccatum ſit poſsibile eſt aliquid prorſus neceſſarium, ac proinde nullam diſplicentiam rationabilem Deo ingenerare poteſt. Quippe nullæ voluntati rectæ, & ducem ſequenti ſummam ſapiẽtiam, qualis eſt divina, poteſt diſplicentiam parere id, quod ſimpliciter & antecedenter neceſſarium eſt, ſive in nullius libera poteſtate ſitum. Atqui poſsibilitas peccati eſt neceſſaria ſimpliciter & antecedenter, ſive ſub nullius libera poteſtate ſita. Nemo enim eſt qui poſsit facere, ne peccatum ſit abſolutè poſsibile. Ergo poſsibilitas peccati nullam voluntati divinæ diſplicentiam parere poteſt. Deinde, permiſſa vltro propoſitione maiore, poſſunt negare conſequentiam, & reddere diſparitatem: quia vt peccatum poſsibile neceſſariò diſpliceat Deo, ſufficit eius oppoſitio eſſentialis cum divina bonitate & rectitudine, quæ nequit non odiſſe omne illud, quod ipſi contrariatur. Ad complacentiam verò Dei neceſſariam exigitur omnino bonitas plena & vndequaque perfecta, quam certè non habent creaturæ poſsibiles: vtpotè quæ important eſſentialem compoſitionem, limitationem, & plures alios defectus negativos. Sic etiam licèt Beatis neceſſariò diſpliceat peccatum propter oppoſitionem cum ſummo bono, quod perfectè & neceſſariò diligunt, non tamen placet ne-

neceſſariò quodlibet bonum diſtinctum à Deo, quoniam finitum & limitatum, ſive non plenum & vndequaque perfectum eſt. Ergo permiſſo quòd Deo neceſſariò diſpliceat peccatum poſsibile, non inde colligitur quòd creaturæ, ſeu bona poſsibilia ipſi neceſſariò placeant.

33 PROBANT Alij V. Ad rectitudinem & perfectionem neceſſariam divinæ voluntatis ſpectat, vt ſit ſummè prona, ſive ſummè propenſa ad omne bonum. Hæc autem ſumma propenſio aut conſiſtit in ſimplici cõplacentia de omni bono poſsibili, aut illam ſecum omnino inſeparabiliter affert. Ergo ad rectitudinem & perfectionem neceſſariam divinæ voluntatis ſpectat ſimplex complacentia in omni bono poſsibili. *Præterea.* Perfectior concipitur voluntas divina ſi non ſolùm amet Deo bona intrinſeca, ſed etiam extrinſeca, qualia ſunt poſsibilia. At omne id quod eſt maioris perfectionis in Deo, eſt ipſi neceſſariũ. Ergo voluntati divinæ neceſſaria eſt complacentia in bonis poſsibilibus.

34 NEVTRA Ex his probationibus extorquet quidquam. Non prima. quæ, ſi quidquam conficit; evincit ad rectitudinem divinæ voluntatis ſpectare, vt ſit ſummè prona, ſive propenſa ad exiſtentiam omnis boni, ac proinde vt illam amet quantum poteſt citra libertatem vllam. quod patet eſſe falſum. Deinde dici poteſt, propenſionem voluntatis divinæ ad omne bonum eſſe iuxta conditionẽ ſeu merita cuiuſlibet boni: ſi hoc ſit infinitum, neceſſariam & infinitam in ratione propenſionis; ſi autem finitum & imperfectum, quale eſt bonum creaturarum poſsibilium, liberam & non ſummam formaliter in ratione propenſionis, qualis etiam eſt erga creaturas exiſtentes, quoniam finitæ ſunt. Ad ſecundam probationem reſponderi facilè poteſt retorquendo illam pariter, quaſi aut nihil probet, aut evincat, perfectionem futuram Dei voluntatem ſi efficaciter ipſi amaret bona extrinſeca, quàm ſolùm intrinſeca. Hoc autem eſt planè abſurdum: quoniam licèt inde quaſi ex terminis probaretur maior perfectio extenſiva voluntatis divinæ, aliunde colligeretur minor perfectio intenſiva, ſive defectus libertatis, qui omnino dedecet Deum erga creaturas. Similiter ergo dici poteſt, quamvis ex complacentia neceſſaria in poſsibilibus creaturis, quæ ſunt bona extrinſeca Dei, videatur inferri maior perfectio extenſiva voluntatis eius; aliunde & reverà colligi minorem perfectionem intenſivam, ſive defectum libertatis erga creaturas.

SECTIO TERTIA.

Solidiores rationes amoris neceſſarij Dei erga creaturas poſsibiles, ex Anſelmo potiſsimùm & D. Thoma erutæ. Euaſiones Aduerſariorum præcluſæ.

35 PRIMA Ratio eruitur ex Anſelmo ſuprà cap. 14. demonſtrante omnem perfectionem ſimplicem & puram (quæ ſimpliciter ſimplex in Scholis dici conſuevit) neceſſariò convenire Deo. Atqui amor ſimplex creaturarum poſsibilium eſt perfectio pura & ſimplex. Ergo amor creaturarum poſsibilium neceſſariò prorſus Deo convenit. Maior propoſitio ſupponitur ibidem ab Anſelmo demonſtrata, & à nobis cum ipſo in Scholijs ad illud caput, eſtque certa apud omnes Theologos. Minor autem ſuadetur: Quia iuxta eundem S. Doctorẽ ibidem, perfectio ſimplex & pura eſt illa, quæ nulli alteri perfectioni repugnat. Atqui eiuſmodi eſt amor ſimplex creaturarum poſsibilium. Non enim pugnat imprimis cum ſimplici nolitione, deinde nec cum nolitione efficaci, vt illæ exiſtant: quoniam optimè cohæret, Deum neceſſar. ó velle vt creaturæ ſint poſsibiles, & tamen nolle aut ſimplici aut efficaci affectu vt illæ exiſtant: quoniam exiſtentia cuiuſlibet creaturæ, eiuſque futuritio pendet omnino à libera Dei voluntate. Solùm itaque amor ſimplex creaturarum poſsibilium pugnat cum ſimplici diſplicentia de illarum poſsibilitate. Hæc autem non eſt perfectio ſed chimæra: cùm nullum bonum poſsibile, vt tale, Deo diſplicere poſsit. Ergo amor ſimplex poſsibilium creaturarum eſt perfectio pura & ſimplex, proindeque neceſſaria in Deo.

36 RESPONDENT Adverſarij, ſimplicem amorem creaturarum poſsibilium, ſi neceſſarius ſit, pugnare cum alia maiori perfectione, nimirum, libertatis divinæ, quæ non erit pleniſsima, vti eſſe debet, ſi voluntas Dei neceſſariò feratur ad amandum aliquid extra ſe. Addunt deinde, in creaturis poſsibilibus eſſe plures defectus, & imperfectiones, ratione quarum poſsit Deus pro libito habere circa illas ſimplicem diſplicentiam.

37 SED Contrà. Quod enim poſsit Deus pro libito habere ſimplicem diſplicentiam creaturarum poſsibilium, vt poſsibilium, non pertinet ad perfectionem libertatis divinæ, ſed alterius libertatis chimæricæ, vt dicebamus. Ergo neceſſarius amor creaturarum poſsibilium non pugnat cum alia maiori perfectione. Probatur antecedens multiplicitèr. *Primò*; Quia nequit Deus ſimplici diſplicẽtia

ria nolle vt creaturæ poſsibiles ſint poſsibiles. Id enim eſſet velle aliquid omnino repugnás & chimæricum. Ergo poteſtas libera ad talem diſplicentiam, non eſt perfectio diuina, ſed chimæra perfectionis. *Secundò*: Quia adhuc integrum eſt Deo velle aut nolle efficacitèr, vt creaturæ poſsibiles exiſtant in re. Hoc autem ſtatuto ſalvatur tota perfectio libertatis diuinę. *Tertiò*: Quia, quamvis creaturæ poſsibiles ſint aliquid extra Deum, ac proinde imperfectum & limitatum, non pertinet ad perfectionem libertatis diuinæ poſſe facere vt illæ non ſint neceſſariò poſsibiles. Ergo nec poſſe facere, vt non ſint neceſſariò amabiles. *Quartò*: Quoniã perfectio intellectus diuini nõ minuitur ex eo quòd neceſſariò extendi debeat ad cognoſcendum creaturas poſsibiles, quamvis imperfectas, & finitas. Ergo nec minuitur perfectio diuinæ voluntatis, ex eo quòd extendatur neceſſariò ad illas amandas.

38 SECVNDO Id ſuadetur ex teſtimonio S. Thom. 1 p. quæſt. 47. art. 2. ad 3. iam ſuprà obſervato, quod nunc iterum exſcribere oportet. Ait enim S. Doctor: *Sicut Pater dicit ſe & omnem creaturam Verbo quod gignit, in quantum Verbum genitum repræſentat Patrem, & omnem creaturam: ita diligit ſe & omnem creaturam Spiritu ſancto, in quantum Spiritus ſanctus procedit vt amor bonitatis primæ, ſecundùm quam Pater amat ſe & omnem creaturam.* Atqui Verbum procedit ex cognitione neceſſaria non ſolùm eſſentiæ, ſed omnium creaturarum poſsibilium, etiam prout ab ea diſtinctarum. Ergo & Spiritus ſanctus procedit pariter ex amore neceſſario, non ſolùm eſſentiæ, ſed & omnium creaturarum poſsibilium, etiam prout diſtinctarum ab illa: ac proinde ſicuti ad generationem Verbi ſupponitur in Deo cognitio omnium poſsibilium neceſſaria, ſic pariter neceſſarius eorum amor ad Spiritus ſancti proceſsionem. Quare Caietanus 1. p. quæſt. 34. art. 3. § *Ad imaginationes*, quem allegat & ſequitur Serra 1. p. quæſt 20. art 2 expreſsè docet, ſicut Verbum procedit ex cognitione creaturarum poſsibilium, ita Spiritum ſanctum procedere ex amore poſsibilium creaturarum. Patet verò, amorem, ex quo Spiritus ſanctus procedit, nõ liberum ſed neceſſarium eſſe.

39 RESPONDENT Adverſarij creaturas poſsibiles accipi poſſe dupliciter: primò, vt contentas in omnipotentia, quo ſenſu ab ea non diſtinguuntur, ideoque à Deo amantur neceſſariò: Secundò penes proprias entitates diſtinctas ab illa; & hoc ſenſu non amari. Porrò S. Doctorem quantum ad hoc non æquiparaſſe proceſsionem Spiritus ſancti cum generatione Verbi, vt ſicut hæc eſt ex cognitione neceſſaria creaturarum poſsibilium, ita & illa ſit ex neceſſario illarum amore. Itaque comparationem ſolùm in hoc ſitam eſſe, quòd ſicut Pater dicit ſe & omnem creaturam Verbo ſufficienter repræſentante creaturam omnem, ita ſe & omnem creaturam diligat Spiritu ſancto ſufficienter impellente in amorem omnium creaturarum: nam S. Doctor inde probat Verbum repræſentare omnem creaturam, quia procedit per intellectionem eſſentiæ diuinæ, ſecũdùm quam Deus creaturas intelligit. Cùm ergo Spiritus ſanctus procedat vt amor bonitatis primæ, ratione cuius Deus creaturas diligit, debet etiam importare habitudinem ad creaturas, veluti nexus, quo Pater & Filius eas diligunt. Ita Illuſtriſs. Godoy ferè ad Verbum 1. p. diſp. 51. num. 28.

40 SED Contrà I. Hæc enim expoſitio videtur voluntaria, cùm S. Thomas omnino æquiparet proceſsionem Spiritus ſancti generationi Verbi, vt quemadmodum hæc eſt ex cognitione neceſſaria creaturarum poſsibiliũ, ita illa ex amore neceſſario earundem. Quare eodem loco ſubiungit immediatè: *Et ſic etiam patet quòd reſpectus importatur ad creaturam & in Verbo, & in amore procedente, quaſi ſecundariò: in quantum, ſcilicet, bonitas & veritas diuina eſt principium intelligendi & amandi omnem creaturam.* Et ratio vtriuſque genuina eſt omnino eadem. Ideo enim iuxta S. Thom. & iuxta veritatem ipſam, Verbum procedit ex cognitione creaturarum poſsibiliũ, etiam prout in ſeipſis, quia procedit ex cognitione perfectiſsima & comprehenſiva divinæ eſſentiæ neceſſariò connexæ cum creaturis poſsibilibus prout in ſeipſis: nequit autem potentia aliqua perfectiſsimè & comprehenſivè cognoſci, non cognito etiam termino nexum neceſſarium cum ea habent. Atqui etiam Spiritus ſanctus procedit ex amore perfectiſsimo & comprehenſivo divinę eſſentiæ neceſſariò connexæ cum poſsibilibus creaturis Ergo etiam Spiritus ſanctus procedit ex amore neceſſario creaturarum poſsibilium, etiam prout in ſeipſis. Non enim minùs comprehenſivus amor, quàm notitia comprehenſiva alicuius potentiæ, debet neceſſariò extendi ad illius terminum cũ ea connexum. Igitur ex mente D. Thom. & iuxta veritatem ipſam, ſicuti in Deo eſt notitia neceſſaria poſsibilium creaturarum, ita & neceſſarius amor.

41 CONTRA II. Vt enim Pater diligat creaturas poſsibiles Verbo, & ad illas in ſe importet habitudinem, neceſſariò præexigitur proceſsio Verbi ex cognitione illarum, etiam in ſeipſis: vt S. Doctor tradit. Ergo vt Pater & Filius diligant creaturas Spiritu ſancto, importentque ad eas in ſe habitudinem neceſſariò

ſariò præexigitur, quòd Spiritus ſanctus ex illarum amore, etiam prout in ſeipſis, procedat.

42 CONTRA Denique. D. Thomas ait, Patrem & Filium diligere omnes creaturas Spiritu ſancto, ſicut dicit omnes creaturas Verbo, ex vi proceſsionis. Ait enim: *Diligit ſe & omnem creaturam Spiritus ſancto, in quantum Spiritus ſanctus procedit, &c.* Vbi particula *in quantum* denotat ſenſum formalem ex vi proceſsionis. Atqui Pater neceſſariò dicit omnes creaturas poſsibiles Verbo quod gignit. Ergo etiam Pater & Filius neceſſariò diligunt omnes creaturas poſsibiles Spiritu ſancto, qui ab ijs procedit. Dicere autem, vt adverſarij aiunt, creaturas poſsibiles eſſe intelligibiles, non autem amabiles, ideoque Verbum procedere ex cognitione illarum, non autem Spiritum ſanctum ex amore; eſt reſpondere id ipſum, de quo eſt quæſtio, & vice ſolutionis aſſertionem ſuam reponere, quam D. Thomas eo loco penitus excludit.

SECTIO QVARTA.

Ratio alia bimembris pro eadem neceſsitate diuini amoris erga creaturas poſsibiles, vrgetur multipliciter in Aduerſarios. Effugia plura & inſtantiæ illorum refelluntur.

43 TERTIO Suadenda eſt concluſio ratione bimembri: cuius prior pars aſſumit, Deum neceſſariò diligere creaturas, quia diligit neceſſariò omnipotentiam, & proinde bonum mutuò cum ea connexum: poſterior autem in eo ſita eſt, vt Deus diligendo ſuam omnipotentiam neceſſariò velit bonum ipſis poſsibilibus creaturis. quæ duæ rationes, licèt in eumdem ſcopum colliment, diverſas quoddammodo inſpectiones habent: vt ex progreſſu apparebit.

43 PRIOR itaque pars noſtri & communis argumenti ſub hac formula proponi poteſt. Quodlibet bonum omnino connexũ cum omnipotentia divina, neceſſariò diligitur à Deo. Atqui creaturæ poſsibiles in ſeipſis ſunt bonum aliquod omnino connexum cum omnipotentia divina. Ergo creaturæ poſsibiles neceſſariò diliguntur à Deo. Conſequentia eſt in modo & figura perfecta. Minor conceſſa à pleriſque Adverſariorum. Non enim modò illam admittunt, quotquot aiunt, creaturas poſſibiles amari liberè à Deo, ſed etiam aliqui id negantes, quos ſequitur Godoy iam laudatus vbi ſupra n. 3. & ſeqq. vbi probat, creaturis poſsibilibus convenire aliquam bonitatem, actualem actualitate nominali, ſive eſſentiæ, ſicuti & entitatem, eamque prorſus cum omnipotentia connexam. Deinde bonitas ipſa creaturarum poſsibilium, ſicuti & amor Dei, abſtrahendo ab eo, vt liber ſit, vel neceſſarius, iam manet ſtatura ſect. 1. per totam, nec oportet ampliùs immorari in ea ſuadenda. Et ſanè cùm bonum, ſicuti & verum, ſit proprietas entis in ſumma illa abſtractione conſiderati, qua tenus tranſcendens eſt, neceſſum omnino videtur, vt qua ratione quidpiam eſt ens, ſit etiam bonum, ſicut & verum. Si ens ſit poſsibile, etiam erit bonum poſsibile: ſi ens exiſtens, aut futurum, etiam erit bonum exiſtens aut futurum. Illius autem bonitatis poſsibilis connexio cum omnipotentia, patet: quoniam ante omne liberum Dei decretum omnipotentia eſt virtus productiva omnium poſsibilium, & ipſa poſsibilia important non repugnantiam, tum intrinſecam ſuorum prædicatorum, tum extrinſecam, vt ab omnipotentia poſsint produci, denominenturque producibilia. Ergo creaturæ poſsibiles in ſeipſis ſunt bonum aliquod omnino connexum cum omnipotentia. Quæ eſt ipſa aſſumptio ſyllogiſmi præiacti.

44 MAIOR Autem propoſitio, in qua eſt præcipua difficultas, ſuadetur duplicitèr. *Primò*: Quia quodlibet bonum omnino connexum cum potentia aliqua, neceſſariò diligitur ab illo, qui neceſſariò & comprehenſivè amat eiuſmodi potentiam. Nimirum in hoc differt amor comprehenſivus cuiuſlibet obiecti ab amore non comprehenſivo, quòd ille amet totum obiectum & totaliter: ac proinde non ſolùm in ſeipſo, ſed etiam penes omne bonum prorſus cum eo connexum. Atqui omnipotentia amatur à Deo amore neceſſario & comprehenſivo, vt patet. Ergo omne bonum prorſus cum ea connexum, neceſſariò amatur à Deo. *Secundò* ſuadetur eadem maior à pari ſcientiæ divinæ, in qua vrget eadem ratio. Omne verum prorſus connexum cum veritate divina, neceſſariò cognoſcitur à Deo. At hoc ideo eſt, quia Deus neceſſariò & comprehenſivè cognoſcit ſuam veritatem divinam. Cùm ergo Deus pariter neceſſariò & comprehenſivè amet ſuam omnipotentiam, omne bonum prorſus cum ea connexum, neceſſario diligitur à Deo.

45 RESPONDENT Adverſarij, de ratione amoris comprehenſivi ſolùm eſſe vt amet quidquid eſt amabile in obiecto: creaturas autem poſsibiles non eſſe amabiles. Sic etiam Deus comprehenſivè amans pœnitentiam, non ideo amat peccatum cum ea connexum, quoniam amabile non eſt. In ſcientia autem comprehenſiva Dei aiunt neceſſum eſſe vt terminetur ad omnes veritates poſsibiles, quoniam illæ ſunt intelligibiles, ac proinde cog-

cognoſci debent ex vi comprehenſionis, qua Deus ſuam veritatem increatam & omnipotentiam cum ijs connexam intelligit.

46 SED Contrà. Iam enim oſtenſum fuit ſectione prima per totam, creaturas poſsibiles in ſeipſis eſſe bonas amabileſque: idque concedunt vltro plerique Auctores eorum, quibuſcum diſputamus modò: vtpotè ſolùm negantes Deo amorem neceſſarium creaturarum; non autem liberum. Ex Thomiſtis verò quotquot tribuunt creaturis poſsibilibus aliqnam bonitatem, præſertim actualem, quamvis ſola actualitate eſſentiæ, nequeunt ijs negare amabilitatem: quia omne bonum prorſus connexum cum bono alio comprehenſivè amato, debet terminare eundem amorem: ſicut omne verum prorſus connexum cum vero alio comprehenſivè cognito, debet terminare eandē notitiam. Et quemadmodum contradictio eſſet aſſerere creaturas poſsibiles eſſe veras, & negare intelligibiles: ſic etiam contradictionem involvit aſſerere illas bonas, & negare amabiles. Tan neceſſariò enim, ac ſequitur rationem veri intelligibilitas, ſequitur amabilitas rationē boni. Iam quod aditur de pœnitentia, fruſtra eſt: quoniā illa non connectitur cum peccato, tanquam bono, ſed veluti cum malo deſtruendo, quod potiùs odiſſe debet quiſquis pœnitentiam amat, præſertim comprehenſivè. Nos autem in illa maiori propoſitione ſolùm aſſumimus, quodlibet bonum prorſus connexum cum potentia aliqua, neceſſariò amari ab eo, qui comprehenſivè & neceſſariò illam amat. Quæ propoſitio videtur per ſe nota, & nullam, vel apparentem, inſtantiam in oppoſitum habet.

47 CONTRA II. Creaturæ poſsibiles ſunt convenientes omnipotentiæ Dei. Ergo amabiles ab ipſo, ac proinde neceſſariò amatæ ex vi amoris neceſſarij & comprehenſivi eiuſdem omnipotentiæ. Conſequentia patet ab everſione contrariæ ſolutionis. Antecedens autem ſuadetur: quia negatio poſsibilitatis creaturarum eſſe diſconveniens omnipotentiæ, vtpotè cuius deſitio exinde colligitur à poſteriori: vt auctores traditæ ſolutionis fatētur 1.p q.14.art.6. Ergo affirmatio poſsibilitatis creaturarum eſt conveniens omnipotentiæ ſaltem ſecundariò & à poſteriori. Id autem ſufficit vt ſecundariò terminet amorem neceſſariū Dei: ſicuti proprietates cum eſſentia connexæ, eiuſque deſtructionem impedientes ſolùm à poſteriori, ſunt verè ipſi convenientes, & neceſſariò terminant amorem comprehenſivū cuiuſlibet eſſentiæ. Nec par eſt ratio de peccato poſsibili, quo repugnante pariter repugnaret creatura rationalis, ac ſubinde omnipotentia. Nam id ſolùm colligitur remotè & immediatè, & tanquam ex ablatione terminī poſiti extra cauſalitatem divinæ omnipotentiæ, ex vi ſolius arbitrij creati. Ex negatione autem poſsibilitatis cuiuſlibet creaturæ colligitur defectus omnipotentiæ immediatè & proximè, licèt à poſteriori, veluti ex defectu terminī poſiti intrà ſphæram divinæ cauſalitatis.

49 RESPONDET II. Izquierdo tract. 10. de Deo Vno diſp. 33. num. 65 licèt amatâ efficaciter re aliquâ nequeat non amari omne bonum cum ea connexum, ſecus tamen amatâ ſimplici affectu: vt patet in amore ſimplici Dei erga pœnitentiam connexam cum peccato, quin propterea amet peccatum. Porrò amorem Dei erga omnipotentiam, non efficacem, ſed ſimplicem eſſe. Addit præterea, quamvis ille efficax ſupponatur, adhuc non debere extendi neceſſariò ad amandas creaturas poſsibiles: quoniam etiam amor efficax rei tunc ſolùm cogit ad amandum illud, ſine quo res eſſe nequit, quando id aliunde, quàm à voluntate amantis, non videtur futurum. Poſſibilitas autem creaturarum, qua ratione eſt, aliunde eſt, quam à voluntate divina, cù independenter ab ea, & ex intrinſeco conceptu ſint poſsibiles. Ergo dato quòd amor omnipotentiæ ſit efficax, cogit vt extendatur ad amandum creaturas poſsibiles.

50 SED Contrà. Quidquid ſit an amor divinus omnipotentiæ dicendus ſit efficax, vel ſimplex, certè ille neceſſarius eſt & comprehenſivus illius. Omnis autem amor neceſſarius & comprehenſivus alicuius obiecti, debet neceſſariò extendi ad quodlibet bonū prorſus connexum cum tali obiecto: ſicuti omnis actus ſcientiæ comprehenſivus cuiuſlibet obiecti debet neceſſariò extendi ad omne verū prorſus cum illo connexum: vt ſatis ſuprà oſtenſum eſt. *Deinde*, quamvis creaturæ poſſibiles ex ſua intrinſeca ratione habeant non repugnantiam terminorum ad exiſtendum, hæc ipſa eſt neceſſariò connexa cum potentia proxima activa Dei, quam ipſe neceſſariò & comprehenſivè amat. Si enim creaturæ poſsibiles non haberēt illam capacitatem paſsivam, à poſteriori colligitur, Deum non habiturum potentiam proximam ad illas producendas: ſicuti propterea illam non habet ad producendam chimæram. Ergo Deus neceſſariò comprehenſivè amans ſuam potentiam proximē productivam creaturarum poſsibilium, neceſſariò conſequenter extēdi debet ad illas amandas, tanquam bona extrinſeca prorſus connexa cum eadem potentia.

51 DICES: Etiam omnipotentia, quatenus eſt permiſsiva peccati, eiuſdemque punitiva, amatur comprehenſivè & neceſſariò à Deo, quin propterea peccatum, adhuc vt

poſ-

posſibile ametur à Deo. Ergo pariter dicendũ de creaturis posſibilibus. SED Contrà. Omnipotentia enim, vt punitiva, aut permiſsiva peccati, non connectitur cum posſibilitate illius, veluti causa cum effectu, neque tanquam cum bono extrinseco, sed veluti cum malo sibi repugnante, cuius vitationem amat per se loquendo. Cum creaturis autem posſibilibus necessariò, veluti causa cum effectu, & bono extrinseco. Ergo licèt ex amore comprehensivo omnipotentiæ non colligatur amor peccati, sed summùm amor simplex permiſsionis aut punitionis posſibilis; colligitur tamen amor necessarius posſibilium creaturarum.

52 POSTERIOR Pars rationis suprà initio huius sectionis indicatæ, minùs frequens est, & consistit in regerendo contra Adversarios potiſsimum argumentum, quo ipſi in nos vtuntur. Amare est velle bonum alicui. Atqui Deus necessariò vult bonum creaturis posſibilibus. Ergo & illas necessariò amat. Maior propositio est ipsa amoris notio, etiam apud Adversarios. Minorem, in qua sola esse potest difficultas, probo: Deus enim necessariò amat suam omnipotentiam. Hæc autem est bona creaturis posſibilibus: siquidem ijs bon est esse posſibiles, quod habent extrinsecè ab ipsa omnipotentia. Ergo Deus necessariò vult bonum creaturis posſibilibus.

53 CONFIRMATVR. Amor liber potentiæ proximæ, sive efficientis ad salutem & conversionem peccatoris, est subinde amor eiusdem salutis & conversionis: quoniã hæc denominatur intrinsecè posſibilis ab ea potentia proxima & sufficiente; ideoque Deus dicitur, & verè dicitur in sacris literis amare, seu velle salutem omnium hominum, etiam nõ futuram in re, sed merè posſibilem in quibusdam eorum, quoniam amat potentiam proximam & sufficientiam, quam ijs tribuit, vt salventur & convertantur: vt vidimus suprà à num. 20. Ergo amor necessarius omnipotentiæ divinæ tribuentis creaturis posſibilibus proximam posſibilitatem, seu denominantis eas proximè posſibiles, pariter est necessarius illatum amor. Nulla quippe verosimilis ratio discriminis esse potest, vt amor liber potentiæ proximæ ad salutares actus sit liber illorum amor, & amor necessarius potentiæ proximæ ad creaturas posſibiles producendas non sit necessarius amor earundem creaturarum posſibilium.

54 DICES I. Rationem discriminis in eo fitam esse, quoniam Deus largitur potentiam proximam ad salutem peccatoris, veluti medium ordinatum ad eandem salutem obtinendam: & quisquis amat medium vt vtile ad finem, convincitur amare ipsum finem. Cæterum omnipotentiam non amat Deus tanquam medium vt creaturæ sint posſibiles, sed potiùs vt finem, & propter se, prout digna est amari. Quare ex amore necessario omnipotentiæ colligitur necessarius amor creaturarum posſibilium.

55 SED Contra I. Licèt enim omnipotentia non sit medium ordinatum ad posſibilitatem creaturarum; verè est ipſis bona, cùm ab ea habeant vt sint posſibiles, quod ipſis sanè bonum est. Atqui Deus amat omnipotentiam suam, quatenus creaturæ habent ab ea, vt sint posſibiles. Id enim est prædicatum non liberum, sed necessarium omnipotentiæ, vt constituat extrinsecè & denominet creaturas posſibiles: atque adeò non liberè, sed necessariò amatum à Deo. Ergo Deus necessariò amat omnipotentiam suam, quatenus est bona creaturis posſibilibus. Amare autem est velle alicui bonum, quatenus ipſi bonum est. Ergo Deus verè & necessariò amat creaturas posſibiles. Quare ex discrimine assignato in solutione, tantùm colligere licet, omnipotentiam non amari vt medium ad posſibilitatem creaturarum, sicut auxilium sufficiens amatur vt medium ad salutem peccatoris. Colligitur tamen necessariò amari creaturas vt obiectum terminativum & secundarium, quatenus omnipotentia primariò amatur, & necessariò etiam quatenus ijs bona est.

56 CONTRA II. Amor necessarius, quo Deus amat suam omnipotentiam, est comprehensivus: atque adeò amat secundùm omne prædicatum ipſi necessarium. Atqui omnipotentiam esse bonam creaturis posſibilibus, seu illas constituere aut denominare proximè posſibiles, est prædicatum ipſius necessarium; vtpotè præcedens omne decretum liberum. Ergo amor Dei necessarius est amor omnipotentiæ, quatenus est bona creaturis posſibilibus, sive quatenus cõstituit & denominat illas proximè posſibiles. Cùm igitur amare sit velle alicui bonum, quatenus ipſius bonũ est; Deus necessariò amat creaturas posſibiles: sicuti amando liberè auxilium sufficiens, quatenus constituens proximè posſibilem salutem peccatoris, etiam liberè amat ipſam salutem.

57 CONTRA III. Amor liber medij existentis, quatenus boni ad finem posſibilem, est amor finis posſibilis propter se. Ideoque liber amor auxilij sufficientis reipsa collati ex fine salutis merè posſibilis, est amor ipſius salutis propter se. Ergo pariter necessarius amor finis existentis, qualis est omnipotentia relatè ad creaturas posſibiles, est necessarius amor illarum, vt obiecti terminativi. Nimirũ vt iam diximus, amare simpliciter est velle bonum quatenus bonum medio, aut obiecto

purè

purè terminativo, eſt amare illud tanquam medium & obiectum terminativum: ſcilicet, non propter ſe, ſed propter finem.

58 CONTRA IV. Nam neque ſalutem peccatorum, ſive purè poſsibilem, ſive exiſtentem, amat Deus propter ſeipſum, ſi propriè loquamur. Deus enim nullum finem extra ſe habet. Quare ſolùm amat illam tanquam obiectum terminativum, quatenus amat auxilia ſufficientia, quæ conſtituunt illam proximè poſsibilem. Ergo quamvis Deus non amet creaturas poſsibiles propter ſeipſas; dum tamē neceſſariò amat omnipotentiam, quatenus conſtituit illas proximè poſsibiles, verè illas amat tanquam obiectum terminativum.

59 DICES II. Quamvis Deus amet medium aliquod conferens ad plures fines, non ideo omnes illos amat: quinimo poteſt intendere in vnum, relicto alio. Similiter homo amans ieiunium conducens ad ſalutem animæ, vel ad inanem gloriam, non ideo vtrumque eum finem amat, ſed poteſt amare ex priori fine relicto poſteriore. Ergo à ſimili quamvis Deus neceſſariò amet omnipotentiam per ſe conducentē vt creaturæ ſint poſsibiles, nō ideo debet amare eas omnes, ſed poteſt amare quaſdam ex ijs, & reſpuere alias.

60 SED Contrà I. Quidquid enim ſit, an amans medium indifferens ad plures fines, debeat amare omnes illos, id certum eſt, amorem medij, quatenus conducentis ad finem aliquem, eſſe amorem ipſius finis. Vnde in caſu propoſito amans eleemoſynam vt conducentem ad ſalutem animæ, hanc proculdubiò amat. Atqui Deus amat neceſſariò omnipotentiam ſuam, vt conducentem ad poſsibilitatem omniū & ſingulorum poſsibilium. Amat enim illam neceſſariò comprehenſivè, ſeu penes omnia prædicata ipſi intrinſeca & neceſſaria, quorum vnum eſt conducere vt omnes & ſingulæ creaturæ ſint poſsibiles. Hoc enim non habet omnipotentia ex aliquo decreto libero, ſed ex natura ſua & conditione propria. Ergo Deus amans neceſſariò omnipotentiam ſuam, pariter neceſſariò amat omnes & ſingulas poſsibiles creaturas.

61 CONTRA II. Quia auxilium ſufficiens ex natura ſua vnicè ac proximè conducit ad ſalutem peccatoris, colligunt Theologi, Deum amantem auxilium, amare ſalutem peccatoris in ſeipſa, quamvis nunquam ſit extitura. Atqui omnipotentia ſub expreſſa & formali ratione, ſibique prorſus neceſſaria, vnicè confert ad poſsibilitatem creaturarum. Etenim Deus non eſt omnipotens in ordine ad ſeipſum, cùm nihil intra ſe poſsit efficere: nec reſpectus neceſſarius, quem exprimit omnipotentia ipſius, eſt in ordine ad exiſtentiam creatam futuram, aut actualem, ſed dumtaxat poſsibilem. Ergo Deus neceſſariò amans ſuam omnipotentiam ſub expreſſa & formali ac neceſſaria ratione ipſius, amat etiam neceſſariò exiſtentiam poſsibilem creaturarum.

62 DICES III. Dum Deus in ſacris litteris dicitur amare ſalutem peccatoris, cui præbet auxilia ſufficientia, ſalus ipſa amatur quidem; non tamen vt purè poſsibilis, ſed vt conditionatè futura, & contenta in debito proximo peccatoris. Non enim amatur à Deo tunc ſalus peccatoris exiſtentis in rerum natura ea ſolùm ratione, qua ſalus alterius peccatoris manentis intra ſtatum poſsibilitatis; neque dumtaxat eo ſenſu quo intelligitur iuxta ſententiam noſtram amari ſalus aliorum Angelorum rebellium, qui manſerunt intra ſtatum poſsibilitatis. Alioqui non maiorem gratiam referre deberemus Deo pro amore ſalutis hominum reproborum de facto exiſtentiū, quàm purè poſsibilium. Ergo ſalus hominum impiorum de facto exiſtentium, iuxta ſenſum ſacrarū litterarū, non amatur à Deo vt purè poſsibiles, ſed veluti futura ſub conditione ſi homo velit, & quatenus infert debitum in ipſo ad illam quærendam.

63 SED Contrà I. Quamvis enim ſalus peccatoris exiſtentis, prout diſtincta à ſalute peccatoris poſsibilis, liberè ametur à Deo, prout conditionatè futura, & tanquam contenta in debito proximo operandi; id non prohibet vt etiam ametur vt poſsibilis homini. Deus enim non modò confert auxilium ſufficiens, vt ſalus ſit conditionatè futura, vel in debito peccatoris, ſed etiam vt ſit ipſi poſsibilis: quoniam certè impoſsibilis eſſet peccatori, negato auxilio ſufficiente. Sic certè Deus conferens ſufficientia auxilia ad actus ſupererogationis, nunquam in re ponendos, cenſetur velle illos veluti poſsibiles, quin ibi interveniat debitum operandi. alioqui non eſſent actus ſupererogationis, ſed præcepti. Ergo Deus neceſſariò amans omnipotentiam ſuam, qua omnes creaturæ conſtituuntur proximè poſsibiles, etiam illas neceſſariò amat. *Deinde.* Licèt ſalus peccatoris liberè ſimpliciter ametur à Deo conferente auxilium purè ſufficiens; ex ſuppoſitione tamen collationis auxilij liberę in eum finem, ſalus poſsibilis vel conditionata amatur neceſſariò à Deo: quia amor liberr conferens potentiam proximam ad aliquem actum, vt talem, neceſſariò & conſequenter eſt amor eiuſdem actus: præſertim vbi amor eſt comprehenſivus potentiæ proximæ, qualis eſt divinus. Ergo ſimiliter neceſſarius amor omnipotentiæ, à qua creaturæ conſtituuntur proximè poſsibiles, eſt neceſſarius ipſarum amor. Vide ſuprà num. 32.

CON-

64 CONTRA II. Quamvis enim ſalus peccatoris prediti auxilio ſufficiẽte dum taxat, ſit conditionatè futura, & contineatur in debito proximo, præ ſalute peccatoris poſsibilis, adhuc nulla eſt diſparitas vtriuſque iuxta principia Adverſariorum. Propterea enim aiunt ſalutẽ peccatoris purè poſsibilis (ſicuti & omnem creaturam purè poſsibilem) non amari à Deo, quia nullã habet, nec habebit exiſtentiam, ad quam habet ferri voluntas amans, prout differt ab intellectu. Atqui hæc ratio, ſi alicuius ponderis eſt, æquè vim habet circa ſalutem cõditionatã peccatoris exiſtentis ſub debito: nam nec illa exiſtentiã vllam habet, vel habebit vnquam. Ergo vel Deus non amat ſalutem peccatoris exiſtentis (quod adverſatur ſacris litteris) vel amat ſalutem peccatoris poſsibilis. Quòd ſi recurras ad potentiam proximam quæ de facto exiſtit in peccatore exiſtenti præ poſsibili ad ſalutem quærendam; nos quoque recurrimus ad omnipotentiam divinam, quæ eſt potentia proxima conſtituens creaturas poſsibiles in ratione talium. Ergo ſi Deus amans auxilium ſufficiens ad ſalutem non futuram peccatoris exiſtentis, amat ſubinde ſalutem ipſam: etiam amans neceſſariò ſuam omnipotentiam, neceſſariò amat creaturas poſsibiles.

65 DICES IV. Omnipotentia nullam de facto bonitatem communicat creaturis purè poſsibilibus, quamvis poſſet. Ergo nec ijs bona eſt, ſed eſſe poſſet. Deus igitur neceſſariò amans ſuam omnipotentiam, non ideo vult ijs aliquod actuale bonum, ſed aliquid quod poſſet ijs eſſe bonum. Igitur nec de facto amat illas, ſed ſolùm conſtituitur potens amare per liberam communicationem exiſtentiæ, nunquam in re ponendam.

66 SED Contrà I. Hinc enim fieret, vt Deus non conferens ſalutem in actu peccatori impœnitenti, ſed ſolùm auxilium ſufficiẽs quo ſalvari poſsit, nequeat dici velle ſalutem illius, ſed ſolùm poſſe illam velle: cuius contrarium in ſacris litteris traditur. *Nunquid voluntatis meæ eſt mors* impij (ait Dominus Ezech 18) *& non vt convertatur, à vijs ſuis & viuat?* Ac præterea Apoſtolus: *Deus vult omnes homines ſaluos fieri, &c.* Non dixit, *poteſt velle*, ſed *VVLT*. Ergo pariter quamvis Deus non communicet creaturis actu bonum exiſtentiæ, ſed ſolùm poſsibilitatem proximã, vt ſint, cenſetur ijs velle bonum, & non modò poſſe illud velle.

67 CONTRA II. Licèt omnipotentia non ſit puris poſsibilibus bona efficienter, eſt tamen bona formaliter extrinſecè: quoniam eſt forma extrinſeca à qua proximè denominantur & conſtituuntur poſsibiles: quod certè ipſis bonum eſt, ſicuti eſſet malum, quòd redderentur impoſsibiles. Ergo Deus amans neceſſariò omnipotentiam ſuam, vult neceſſariò aliquod bonum creaturis poſsibilibus.

68 CONTRA III. Bonum in actu extrinſecum, potens communicare proximè bonum intrinſecum creaturæ, quamvis de facto non communicet, cenſetur quoddammodo bonum ipſius creaturæ. Sic certè bonum eſt ſingulorum hominum, etiam eorum qui in vtero matris obierunt, & infidelium ad quos nulla Evangelij prædicatio pervenit, habere Chriſtum Redemptorem actualem, potentem proximè iuſtificare, & redimere à peccatis, quamvis actu illos nec iuſtificet nec redimat. Ergo quamvis omnipotentia nullum de facto bonum cõmunicare dicatur creaturis poſsibilib⁹, quòd tamen illud proximè ijs communicare poſsit, aliquod ipſarum bonum cenſeri debet. Deus ergo neceſſariò amans omnipotẽtiam ſuam, quatenus proximè potentem communicare ijs bonum de facto quamvis non communicans reipſa, cenſetur neceſſariò velle aliquod ipſarum bonũ. Sic etiam nos dum volumus Deo bona extrinſeca honoris & obſequij, cenſemur verè amare Deum: quia amare eſt velle bonũ alicui vel intrinſecũ, vel extrinſecũ. Ergo Deus volens creaturis poſsibilibus bonũ omnipotentiæ ſuę, quamvis ijs extrinſecum, cenſetur eas amare.

69 DICES V. Rationem à nobis propoſitam, ſi quidquam evincit, probare pariter, Deum amare peccata poſsibilia: ſiquidem amat omnipotentiã, quæ eſt bona ijs, quatenus poteſt ea permittere, à qua poſsibili permiſsione pendent, vt ſint proximè poſsibilia. Similiterq; illa connectuntur vt permiſsibilia cũ omnipotentia, ſicuti creaturæ vt poſsibiles.

70 SED Contrà. Potiùs enim colligitur oppoſitũ. Omnipotentia enim non eſt bona peccato poſsibili, ſicut creaturis poſsibilibus; quia ex ſe non eſt productiva peccati, ſicut creaturarum, ſed potiùs impeditiva, ac per ſe propẽdens ad vitandũ peccatũ, quãvis cum poteſtate ad permittendũ illud. Quare ex amore neceſſario & comprehenſivo omnipotentię potiùs infertur odium ſimplex peccati poſsibilis. Non enim conectitur cum omnipotẽtia vt terminus factibilis, ſed tanquam purè permiſsibilis contra primariam Dei propenſionẽ, quæ tendit ad vitandum peccatũ. Sic certè Deus amans libertatem proximam, à qua denominantur poſsibiles honeſtas & deformitas rectæ aut iniquæ actionis, dicitur amare honeſtatẽ & odiſſe deformitatem: quoniam ipſa libertas proxima eſt debitum vitãdi deformitatem peccati: qui autẽ directè amat tale debitũ, eo ipſo peccatũ odio habet. Ad ſummũ itaque cõcedere poſſumus in Deo ſimplicẽ complacentiã permiſsionis poſsibilis peccatorũ: quæ ſicut liberè amatur à Deo

dum a Deo permittit peccata, ita poteſt neceſſariò amari vt poſsibilis per complacentiam ſimplicem. Vide infrà num. 90. & 91.

SECTIO QVINTA.

Obijciuntur & ſoluuntur argumenta negantium omnino Deum amare ſimplici complacentia creaturas poſsibiles.

71 OPPONVNT I. Varia teſtimonia D. Thom. ac præcipuè ex 1.p.q.19 a.6 ad 2. vbi inquit: *Deus ſcit omne verum. non tamen vult omne bonum, niſi in quantùm vult ſe, in quo virtualiter omne bonum exiſtit.* Vbi palam videtur aſſerere, creaturas poſsibiles eſſe bonas, & aliunde negare ijs amorem divinum. Deinde idem S. Doct. vbicumque differit de amore Dei erga creaturas, docet, illum eſſe liberum: quia bonitas Dei poteſt ſinè ijs ſubſiſtere. Id patet ex eâdem q. 19. allegata a. 4 & 1. contra Gent. à cap. 80. vſque ad 83. vbi docet, Deum extra ſe nihil velle neceſsitate abſolura. Ita præter alios Thomiſtas Illuſt. Godoy à num 19.

72 RESP. Mirum eſſe quòd ij Auctores tam firmiter per ſe allegent S. Doct. cuius nullum teſtimonium afferunt, quod è re ipſorum ſit: præſertim cùm pro ſententia noſtra exſcripſerimus ſuprà n. 8. & 38 illuſtria loca. Et in primis verba illa ex 1. p. q. 19. a. 6. ad 2. prorſus præter rem ſunt: quoniam ibidem D. Thom. differit, *Vtrum voluntas Dei ſemper impleatur*: & reſpondet ini tio corporis: *Reſpondeo dicendum, quòd neceſſe eſt voluntatem Dei ſemper impleri.* Vbi planè liquitur de voluntate Dei libera, quam ibidem diſtinguit in antecedentem, & conſequentem: ac de priore illarum ait, Deum per illam non dici ſimpliciter velle aliquid, ſed per hanc dumtaxat, ſicuti & in iudice creato videre licet: ac tandem cõcludit corpus articuli dicens: *Et ſic patet quòd quidquid Deus ſimpliciter vult, fit: licèt illud, quod antecedẽter vult, non fiat.* Itaque D. Tho. nec verbum ibi habet de quæſt. hac circa poſsibilia, quã præ manibus habemus: & ſummatim ſolùm tradit, ea quæ Deus vult ſola voluntate antecedenti, quæ eſt voluntas ſecundùm quid, veluti, vt omnes homines ſalvi fiant; non ſemper, nec in omnibus impleri: ſecus verò voluntatem conſequentem, quia hæc amplectitur obiectum, *cõſideratis omnibus particularibus circunſtantijs.* Quare concludit, Deum ſolùm ſecundùm quid velle ea, quæ voluntate dumtaxat antecedenti velle dicitur, vt ſalutẽ reproborum. Vnde in verbis ſolutionis ad ſecundũ quæ nobis obijciuntur, eodẽ ſenſu ait, Deũ non velle omne bonũ: ſcilicet voluntate ſimpliciter tali, qualis eſt conſequens; cùm quædam bona velit voluntate antecedenti, quæ non eſt ſimpliciter voluntas. Nos autẽ circa poſsibilia nõ adſtruimus in Deo voluntatẽ ſimpliciter talem, id eſt, conſequentẽ, ſed ſolam ſimplicẽ complacentiã, quæ eſt voluntas ſecundũ quid, & adhuc minor qua voluntas antecedẽs ſalutis hominũ, alioquì reproborum: quoniã hæc ſaltem præſtat media ſufficiẽtia, vt proximè & abſolutè poſsint ſalvari. Simplex autem cõplacentia erga pura poſſibilia, nihil operatur: ſed ſolũ eſt quidam affectus, quo Deus quaſi delectatur in bono poſsibilitatis eorũ: ſicuti gaudiũ Dei de exiſtẽtia creaturarum, nihil in ijs operatur, ſed ſolùm eſt delectatio propriè dicta de bono exiſtentię illarũ. In alijs verò locis, quę indicantur ex eode S. D. ſolùm ſermo eſt de amore efficaci, aut ſimpliciter dicto, aut in ordine ad creaturas exiſtentes: quoniam nullã connexionem neceſſariam haber Deus cum exiſtentia illarum. Atqui iuxta ipſum 1.p.q.14.art.6. divina omnipotentia neceſſariò connectitur cum poſsibilibus creaturis. Ergo Deus amans comprehenſivè ſuam omnipotentiam, neceſſariò amat creaturas poſsibiles, aliquo amore, nimirum ſimplici, & prorſus inefficaci.

73 OPPONVNT II. Creaturæ poſſibiles in ſeipſis conſideratæ, nullã habent bonitatem in actu, neque increatam, nec creatam. Non primam. Alioqui non eſſent creaturæ: cuius contrariũ ſupponitur. Non ſecundam: alioqui, cùm illæ ab æterno ſint poſsibiles, aliquid creatũ extitiſſet actu bonũ ab æterno, quod repugnat Catholicę fidei. Si autẽ in ſtatu poſsibilitatis nullã habẽt bonitatem in actu: ergo non ſunt actu amabiles, ac proinde nec amantur de facto. Ex negatione enim capacitatis paſsivæ optimè colligitur negatio actus.

74 IMPRIMIS Mirum eſt pleroſque ex Thomiſtis hoc argumento vti: cùm ipſi fateantur, creaturis poſsibilibus convenire actu actualitate eſſentię prędicata quidditativa entis veri, &c. Ergo eodẽ modo cõvenit actu ijs ratio boni, quæ pariter tranſcẽdens, & eſſentialis eſt: ac proinde nihil deeſt vt actu amentur à Deo ab æterno, quatenus ab æterno dicuntur cognoſci actu creaturæ poſsibiles, iuxta ſenſum omniũ Theologorũ. Vnde eadem obiectio fieri poſſet. nam veritas poſsibiliũ non eſt actualis, nec increata, nec creata, &c. Denique inſtantia eſt in converſione impij, non exiſtente in re, ac proinde non habente bonitatem, ſicut nec entitatem, in actu: quæ tamen, iuxta ſacras litteras verè & actu amatur à Deo vt vidimus à num. 20.

75 RESP. Itaque creaturas poſsibiles, licèt non habeãt in actu bonitatẽ intrinſecã, ſicut nec entitatem, adhuc actualitate eſſentiæ, vel nominaliter acceptam (vt latè ſtatuimus in Metaphyſica diſp. 3. per totam) habere tamen

actu

actu bonitatem extrinſecam omnipotentiæ, à qua denominantur & conſtituuntur proximè poſsibiles, quod certè ijs bonum eſt. Præterea habent bonitatem terminativam amoris, non quidem actualem actu exiſtentiæ aut eſſentiæ phyſico, aut entitativo, ſed logico, obiectivo, aut intentionali; idque eodem ſenſu, quo habẽt veritatem. Quare ſicuti eiuſmodi veritates in actu à Deo cognoſcuntur à Deo, ita etiã in actu amantur. Sic etiam creaturæ futuræ in omniũ ſententia amantur, & quidem efficaciter, à Deo: nec tamen pro ſtatu futuritionis habent bonitatem phyſicam in actu, ſed ſolum obiectivam futuritionis, deſumptam à decreto divino, vt forma pro tunc extrinſecè ſolùm eas futuras denominante.

76 INSTAT Gonetus. Obiectum voluntatis eſt quidditas, vt exiſtens exercitè, vel ſaltem prout involvens ordinem ad exiſtentiam. Atqui creaturæ poſsibilis quidditas, vtcumque aſſeratur aut negetur bona, nec exercitè exiſtit, nec involvit ordinem ad exiſtentiam. Ergo vt cumque aſſeratur aut negetur bona, non eſt obiectum divinæ voluntatis. Maior, in qua ſola eſt difficultas, probatur ex D. Thom. 1.p. quæſt. 82. art. 3. corpore, vbi ait: *Obiectum intellectus eſt ſimplicius, & magis abſolutum, quam obiectum voluntatis.* id eſt, vt interpretatur Caietanus, obiectum intellectus eſt quidditas rei ſub conceptu quidditatis; voluntatis verò obiectum eſt res ipſa prout exiſtens. *Secundò* & ratione ſuadetur eadem maior propoſitio: Quia quò aliqua potentia nobilior eſt, etiam eſt immaterialior & abſtractior, ac proinde habens obiectum abſtractius. Cùm igitur intellectus ſit potentia nobilior voluntate, illius obiectum debet eſſe abſtractius obiecto voluntatis. Hæc autem abſtractio ſolùm in eo ſita eſt, quòd obiectum intellectus abſtrahat ab exiſtentia, à qua non abſtrahit obiectum voluntatis. Ergo obiectum voluntatis eſt quidditas, ſive res, prout exercita. *Tertiò* ſuadetur eadem propoſitio ex diverſo modo tẽdendi vtriuſque potentiæ. Voluntas enim fertur ad res, prout ſunt in ſeipſis: intellectus verò trahit res ad ſe, illaſque intra ſeipſum contemplatur. Ergo licèt intellectus poſsit cognoſcere intra ſe actu res poſsibiles, voluntas verò non poteſt illas amare inter ſe: ac proinde ſolùm poteſt illas amare, quatenus in ſeipſis exiſtentes. *Quartò* denique probat cum eodem Caietano ab experimento frequenti. Experimur enim nos actu intelligere ſanitatem apprehenſam, quamvis nec exiſtat, neque extitura vnquam ſit. Nemo autem amat ſanitatem poſsibilem, quatenus ſolus poſsibilis eſt, nec in ea, vt purè poſsibili, delectatur: ſed omnes illam deſiderant cum ordine ad exiſtentiam, & in ea iam exiſtente delectantur. Ergo obiectũ voluntatis, ſive deſiderantis, ſive complacentis, non eſt quidditas vt poſsibilis, ſed vt exiſtens, aut exprimens ordinem ad exiſtentiam. Vnde adhuc quando intellectus & voluntas attingunt exiſtentiam rei, longè aliter ſe habent. nam intellectus attingit exiſtentiam, ad modum quidditatis: voluntas verò, tanquam exercitè exiſtentem, aut extituram.

77 RESP. Voluntatem poſſe conſiderari, vel abſolutè, vel ſecundùm actus determinatos gaudij, deſiderij, aut ſimplicis cõplacentiæ. Obiectum voluntatis abſolutè loquendo eſt bonum, ſicut & intellectus verum. Deinde obiectum voluntatis gaudentis eſt bonum exiſtens & poſſeſſum: deſiderantis aut ſperantis, bonum futurum in re, aut in exiſtimatione: cõplacentis verò ſimplici complacentia, vel amore ſtricto, bonũ ſecundùm ſe, ſive quatenus abſtrahens ab exiſtentia, aut non exiſtentia. Iuxta doctrinam negatur maior propoſitio vniverſe intellecta de volũtate, prout accipitur ab arguẽte, quaſi voluntas non poſsit amare aliquid, niſi prout exiſtens, vel per ordinem ad exiſtentiam.

78 AD I. Probationem ex D. Tho. fateor, obiectum intellectus eſſe ſimplicius & abſtractius obiecto voluntatis, vt S. Doct. ait: Hoc autem non conſiſtit in eo quòd voluntas, prout diſtincta ab intellectu, nequeat amare obiectum, niſi prout exiſtens, quidquid dicat Caietanus. Nam etiam actus viſionis intellectualis terminatur neceſſariò ad obiectum exiſtens, ſuppoſita huius exiſtentia pro priori ad illum. Non enim res ideo exiſtit, quia videtur: ſed potiùs ideo videtur, quia exiſtit.

79 ITAQVE Quòd intellectus dicatur ſimplicior & abſtractior voluntate, ſitum eſt in duobus. Primum eſt, quòd ſolus intellectus poſsit abſtrahere quidditatem ſui obiecti ab illius exiſtentia. Voluntas verò non abſtrahit obiectum ſive bonũ ab exiſtentia, ſed ſupponit illud abſtractum ab intellectu. Nimirum ſolus hic habet vim abſtrahendi, ſeu præſcindendi vnum ab alio Secundum conſiſtit in eo, quòd perfectiſsima operatio intellectus, quæ eſt comprehenſio, abſtrahit ab exiſtentia obiecti. Non ſolùm enim comprehendi poteſt obiectum exiſtens, ſed etiam poſsibile: & ſpeciatim loquendo de Deo intellectus eius non minùs comprehendit creaturas poſsibiles, quã exiſtẽtes Perfectiſsima autẽ operatio volũtatis, quę eſt amor ſimpliciter & gaudiũ, non abſtrahit ab exiſtentia obiecti: ſed illã deſiderat amico, aut inde ea iam habita lætatur: quamquam ſimplex cõplacentia, quæ eſt actus ſecundarius, aut minùs principalis in volũtate, poſsit tẽdere in obiectũ abſtractũ ab exiſtentia. Denominatio autẽ & perfectio primaria poſteriarum ſolũ

cenſetur per ordinem ad actum præcipuum. Et ſanè Deus magis ſimpliciter amat exiſtentia, quàm poſsibilia, licèt æqualiter vtraque cognoſcat. Ratio eſt, quia magnitudo cognitionis æſtimatur ex menſura, quâ intellectus trahit obiectum ad ſe. Deus autem æqualiter trahit ad ſe poſsibiles veritates, ac exiſtentes, cùm vtraſque pariter comprehendat. Magnitudo autem amoris æſtimatur ex magnitudine boni, quod amans communicat amato. Deus autem maius bonum communicat in re & cum effectu, creaturis exiſtentibus, quàm purè poſsibilibus, vt patet: quoniam ſolis prioribus communicat eſſe reale intrinſecum, poſsibilibus verò denominationem extrinſecam, qua conſtituuntur proximè poſsibiles. Ergo licèt cognitio vtrarũque æqualis ſit, inæqualis eſt amor. Itaque voluntas non poteſt vim ſuam perfectè explicare circa poſsibilia, ſicut circa exiſtentia: ſecus verò intellectus: atque adò hic abſtractior eſt ex parte obiecti, quàm voluntas; quamvis ambo conveniant aliunde in eo quòd per aliquem actum poſsit verſari circa obiectum abſtrahens omnino ab exiſtentia. Et ſanè ſi obiectio aliquid probat, cõvincit omnem operationem intellectus abſtrahere ab exiſtentia obiecti. quod tamen eſſe falſum patet in actu viſionis, qui eſſentialiter ſupponit obiecti exiſtentiam, vſque adeò, vt repugnet divinitus viſio intellectualis obiecti non exiſtẽtis in re: vti probavimus diſp. 85. de anima ſect. 7.

80 EX Dictis obvia eſt ſolutio ad reliquas probationes eiuſdem aſſumpti. AD II. Patet iam quo ſenſu obiectum intellectus ſit abſtractius obiecto voluntaris: nimirum, circa præcipuum actum. Alioqui, & comparando minùs præcipuum actum voluntatis, id eſt complacentiam ſimplicem, cum actu viſionis intellectualis; ille abſtractior eſt: & ſuprà num. 8. audivimus ex Dionyſio ac D. Thom. bonum quoddammodo eſſe abſtractius, quàm ens, quoniam præ illo ſe extendit ad exiſtentia & non exiſtentia. Ergo etiam amor boni ſub ea communi ratione eſt abſtractior, quàm intellectualis viſio cuiuſlibet entis. AD III. Voluntas actu gaudij ſolùm fertur ad res exiſtentes: actu deſiderij ad res futuras: actu ſimplicis complacentiæ etiam ad res poſsibiles in ſeipſis quidem, ſed apprehenſas ab intellectu, apprehenſione ſe habente vt conditione. AD IV. Licèt gaudium & deſiderium ſolùm ferantur ad rem exiſtentem, vel ſub ordine ad exiſtentiam; ſimplex complacentia abſtrahit per ſe loquendo ab ijs omnibus: & hanc ſolùm adſtruimus in divina voluntate circa creaturas poſsibiles.

81 OPPONVNT III. Omne quod terminat amorem voluntatis, aut eſt finis, aut ordinatur ad finem amoris. Atqui creaturæ poſsibiles neque ſunt finis amoris divini, nec ad illius finem ordinantur. Non enim exiſtunt in aliqua temporis differentia: ac proinde ad nihil deſervire poſſunt, neque tanquam finis, neque in ratione medij. Ergo creaturæ poſsibiles non terminant amorẽ voluntatis divinæ.

82 IMPRIMIS Hoc argumento pareret probaretur, nec ſalutem reproborum amari à Deo: quia in nulla temporis differentia exiſtit, ac proinde inepta videtur vt habeat rationem finis, aut medij. Deinde dico, bonitatem creaturarum poſsibilium, quamvis nunquam exiſtentem, poſſe amari ſimplici complacentia à Deo & à nobis: à Deo quidem, veluti terminum neceſſariò connexum cum omnipotentia, & veluti medium deſerviens quoddammodo vt comprehendat illam; ac præterea veluti medium poteſt deſervire ad manifeſtandam divinarum perfectionum magnitudinem, & ad obtinendos plures fines, quos Deus poteſt liberè velle. Certumque præterea eſt, nos habere ampliſsimam materiam laudis divinæ ex conſideratione tot poſsibilium creaturarum perfectiorum & perfectiorum in infinitum: ac proinde ipſas creaturas poſsibiles nobis poſſe deſervire vt media ad exaltationem divini nominis. Iam verò in ordine ad nos poſsibilia ipſa abſque incommodo vllo poſſunt habere rationem finis, non quidem in ordine ad omnem actum, ſed ad ſimplicem complacentiam dumtaxat, quæ abſtrahit ab exiſtentia aut non exiſtentia finis. Si autem nos poſsibilia bona amare poſſumus, quamvis ſupponantur nunquam exitura; cur divina voluntas non poterit ea amare complacẽtia ſimplici?

89 DICES: Hinc ſequitur, Deum etiam poſſe amare ſimplici affectu carentias ſive purum & merum non eſſe rerum: quoniam etiam illæ poſſunt eſſe nobis occaſio divinæ laudis: ſive dum Deus quædam bona nobis non confert, quę nocitura eſſent, ſeu vitio noſtro convertenda in lapſum & ruinam: ſive etiam dum deſerviunt ad oſtenſionem dominij divini, cuius arbitrio ſubeſt quælibet extra ſe facere aut non facere. Conſequens autem abſurdum eſt: quoniam privationes puræ & negationes, quæ à Scholaſticis frequenter dicuntur carentiæ, nullam bonitatem habent, nec habere vnquam poſſunt, ſicuti neque entitatem. Ergo nec amabilitatem vllam.

90 RESP. Certum eſſe quòd de facto in Deo ſit voluntas efficax carentiæ earum rerum, quæ nunquam exiſtunt: ideòque nullum eſſe abſurdum in eo quòd illas, quatenus poſsibiles, ſimplici voluntate velit. Ceterũ quemadmodum de facto non vult efficaciter directè carentias rerum, ſed inditectè, ſive propeer aliquod poſitivum bonum, cui deſerviunt carentiæ

tiæ ipſę: ita etiam nec illas in ſtatu poſsibilitatis amat directè ſimplici complacentia, ſed indirectè ſolùm & quatenus deſervire poſſunt alicui bono poſitivo: veluti ad oſtenſionem dominij, in ſignum independentiæ Dei à rebus creatis, vel ad exercitium iuſtitiæ, aut miſericordiæ, alteriuſve attributi divini. Hac enim conſideratione habet extrinſecam bonitatem, quamvis non extrinſecam, nec actu, nec potentia. Creaturæ autem poſsibiles directè amantur, quoniam directè & ſeipſis bonæ ſunt propter intrinſecam capacitatem ad exiſtendū.

91 HINC Obiter colliges, nec poſsibilitatem permiſsionis peccati à Deo amari directè, cùm in ea nulla ſit, nec eſſe poſsit intrinſecè ratio boni. Cōſiſtit enim in negatione auxilij efficacis, quæ nullius bonitatis, ſicut nec entitatis intimæ capax eſt. Quapropter ſi Deus amat ſimplici cōplacentia poſsibilitatē permiſsionis peccati, ſolū amat illā indirectè & propter aliquod bonum poſitivum, quod ex illa, vel eius occaſione ſequi poteſt. Sic etiam de facto vbi Deus permittit peccatum, amat ſive vult efficaciter permiſsionē ipſam, non directè, cùm illa nihil intimæ bonitatis habeat, ſed indirectè ſolùm, & ex aliquo fine bono, in quem illa cōferre poteſt. Hac enim poſteriori cōſideratione, ſive extrinſecè bona eſt, ac proindeamabilis.

92 OPPONVNT IV. Salutem circa illa poſsibilia, ad quorum exiſtentiā procurandā Deus nulla adhibet media, videtur nullus eſſe amor vel volitio Dei. Non efficax, vt patet: nec præterea ineffic.ax. Hæc enim eſt cōplacentia ſimplex, ſive conditionata, quæ tendit ad exiſtentiam rei, ſi fieri poſſet, vel ſi ſeparabilis eſſet à malitia, vel obtineri abſque difficultate, aut nocumento, vel ad liberū arbitrium hominis cenſeri. Sub qualibet autem ex iis cōſiderationibus prędicta volitio, ſeu cōplacentia, tendit in rei exiſtentiam, quo ſenſu Deus dicitur velle ſalutem omnium hominum, nimirum, conditionatè, ſi ipſi velint bene vti auxilijs à Deo conceſsis. Ergo circa purè poſsibilia, in quorum exiſtentiam Deus nulla media adhibet, nullus eſt amor divinus, nec efficax, nec ineffic.ax per modum complacentiæ.

93 CONFIRMATVR. Simplex complacentia nihil aliud eſt, quàm velle & gaudere, quòd res aliqua nobis placens, prædita ſit aliqua bonitate aut pulchritudine, in quo planè involvitur ordo ad illius exiſtentiam. Vnde ſi fortè aliquando delectat nos res aliqua, & non gaudemus quòd exiſtat in rerum natura, iam nō res ipſa, ſed cogitatio illius rei, eſt quæ nos delectat. Ergo pariter ſi Deus non gaudet quòd aliqua res exiſtat, (vt verè non gaudet de exiſtentia poſsibilium nunquam futura) iam non res ipſa, ſed ſolùm cogitatio vel idea, quā Deus apud ſe habet, eſt quæ ipſum delectat.

94 RESP. Negando antecedens quoad poſteriorem partem. Etenim adhuc circa poſsibilia, in quorum exiſtentiam Deus nullum adhibet medium, eſſe poteſt amor, tum ſimplicis complacentiæ abſolutæ, tum conditionatæ. Eſt imprimis amor complacentiæ abſolutæ, quatenus abſolutè placet ipſi quòd creaturæ ſint poſsibiles, ſeu produci poſsint ab omnipotentia ſua, à qua conſtituuntur extrinſecè, & proximè in ratione poſsibilium: vt latè oſtenſum fuit ſectione præcedenti à num. 52. Vnde Deus per eam complacētiam vult ipſis bonum. Deinde eſt amor Dei conditionatus erga creaturas poſsibiles, quo vult ex hypotheſi exiſtentiæ illarum, vt vnaquæque ſit in actu id quod eſt in potentia, exigitque iuxta connexionem ſuorum prædicatorum, nimirum, vt homo exiſtens, ſit animal rationale, & Angelus ſubſtantia intelligens completa. Eſt autem amor eiuſmodi conditionatus ex parte obiecti, verū ſubiectivè abſolutus in Deo, & indiſtinctus à ſimplici complacentia nuper explicata, quāvis aliter quoddammodo à nobis exprimatur. Amor autem conditionatus Dei erga ſalutem omnium hominū exiſtentiū, eſt ipſa voluntas antecedens collativa auxiliorū ſufficientiū, aliorūque mediorum, quæ ſpectat exiſtentiam ſalutis conditionatè futurā permodum cuiuſdam deſiderij: & hanc fatemur non eſſe in Deo circa creaturas purè poſsibiles. præſertim, cùm has Deus neceſſariò amet in noſtra ſententia; ſalutem verò hominum omnium exiſtentium, prorſus liberè.

95 AD Confirmationem dicimus, complacentiā ſimplicem differre à gaudio propriè dicto, quòd hoc ſit dilectio de bono aut pulchritudine rei exiſtētis. Reſpōdet enim cognitioni intuitivæ, ſeu viſioni, quæ ſolū terminatur ad rem exiſtentem. Simplex autem complacentia, quā in Deo adſtruimus, circa creaturas poſsibiles, abſtrahit ab earū exiſtentia: ſicuti cognitio abſtractiva mentis, cui illa reſpondet, abſtrahit ab exiſtētia obiecti. Neque enim Deus poſsibilia in ſeipſis conſiderata cognoſcit per ſcientiam viſionis, ſed ſimplicis intelligentiæ, quæ abſtrahit ab exiſtentia obiecti. Vt autem delectet nos res aliqua per complacentiam ſimplicem, non exigitur ordo ad exiſtentiam præſentē aut futuram illius. Id patet in delectatione moroſa circa rem turpem, in qua non ſola cognitio delectat hominē (alioqui non peccaret, iuxta generalem doctrinā Theolog cum D. Tho. 1.2.q.74) ſed etiā res ipſa turpis placet, quamvis nec exiſtat, nec exitura ſit: immo quamvis homo ipſe habeat firmum propoſitum non exequendi rem illā. Vt ergo Deus ſimplici complacentia velit poſsibilia in ſeipſis, ſive in

eorum poſsibilitate delectetur, non exigitur exiſtentia eorum actualis, nec futura: immò & & cohærere poteſt cum proposito æterno nunquam ea producendi, aut perducendi in ſtatum exiſtentiæ.

96 OPPONVNT V. Deus ſummum odium habet circa poſsibilia nunquam extitura. Vult enim efficaciter ijs ſummum malum, quod conſiſtit in non eſſe: nec tantùm vult Deus, ea nunquam eſſe, verùm nec adhibet medium vllum, ſive virtutem creatam, vi cuius ea poſsint exiſtere. Atqui cum ſummo odio rei non cohæret ſimplex amor complacentiæ in ipſa, nec generatim vllus amor. Ergo Deus nullo amore, ne quidem ſimplicis complacentiæ, amat poſsibilia nunquã extitura CONFIRM. 1. Etenim Sapientiæ 11. dicitur: *Diligis omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti.* Ergo Deus ea, quæ nunquam facit, ſive quæ nunquam exiſtunt, non diligit, ſed potiùs odio habet. CONFIRM. II. Nam Pſalmo 112. & 113. dicitur de Deo: *Omnia quæcunque voluit, fecit.* Ergo cùm poſsibilia pura nunquam fecerit, nunquam ea voluit: nam profectò ſi voluiſſet, feciſſet.

97 RESP. Negando antecedens. Summum enim odium Dei dumtaxat eſt circa peccatum, in quo ita diſplicet, vt nullo modo poſsit illud amare, aut facere. Deinde maius odium eſt velle vt aliquid non ſit poſsibile: qualiter dæmones & damnati volunt ſimplici diſplicentia ne Deo ſint poſsibilia plura, quæ verè ipſi poſsibilia ſunt. Quare nunquam dicendus eſt Deus ſummum odium habere erga creaturas poſsibiles non extituras, cùm adhuc liberè poſsit eas condere, nec diſplicere valeat in earum poſsibilitate. Denique neque propriè Deus dicitur odio habere illas, cùm nihil ſit in eis, quod ipſi diſpliceat propriè loquendo: ſed dumtaxat negativè & improprie dicitur eas odiſſe, quatenus pro libitu non vult ijs efficaciter bonum exiſtentiæ. Solùm itaque Deus propriè odium exercet circa peccatum, & circa peccatorem, vt talem; quatenus in ijs poſsitivè diſplicet. *AD I. Confirm.* negatur conſequentia: quoniam argumentum ab auctoritate negativa, nihil probat. Itaque quamvis Deus nihil eorum, quæ fecit, odio habeat, poteſt amare poſsibilia, quæ non fecit. AD II. Senſus genuinus Pſalmi eſt, omnia quæcumque Deus voluit, nimirum, facere, ea fecit. Suppletur enim ibidem infinitivus ex communi modo loquendi apud ſacras & profanas litteras; vt quando dicitur: Petrus dedit mihi, quæ voluit. Sub intelligitur enim, quæ dare voluit. Deinde verbum *velle*, niſi aliunde limitetur, ſignificat volitionẽ efficacẽ.

SECTIO SEXTA:

Argumenta contra amorem Dei neceſſarium erga creaturas poſsibiles obiecta & ſoluta.

98 OBIICIES I. Nulla potentia fertur neceſſariò in obiectum materiale & ſecundarium: ideóque viſus licèt neceſſariò percipiat coloratum, non tamen corpus, ſive ſubſtantiam colore affectã. Atqui poſsibilia ſunt obiectum voluntatis divinæ dumtaxat materiale & ſecundarium. Ergo voluntas divina non fertur neceſſariò in poſsibilia.

99 HÆC Obiectio, ſicuti & pleræque ſequentium, patitur inſtantiam manifeſtã in divino intellectu, cuius obiectũ materiale & ſecundarium dumtaxat ſunt creaturę poſsibiles: & tamen illas attingit neceſſariò. Deinde inſtãtia eſt in ipſa voluntate divina iuxta ſententiam quæ docet relationes ſolùm eſſe obiectũ illius ſecundarium aut materiale, cùm tamen neceſſariò amentur. Quare reſpondeo maiorem propoſitionem ſummũ eſſe veram de illo obiecto ſecundario, quod eſt per accidens ſolùm & denominativè obiectũ potentiæ, vt contingit in pariete aut alio ſubiecto colorato relatè ad viſum; falſam autem de illo obiecto materiali & ſecũdario, quòd verè & in ſe eſt terminativum habitudinis potentiæ. Hoc enim neceſſariò attingitur ab illa, quamvis non propter ſe, ſed propter obiectum primarium, & ratione illius: vt patet ex inſtantijs nuper indicatis in intellectu & voluntate divina, atque in alijs obiectis terminativis, quamvis ſecundarijs.

100 INSTABIS: Quidquid ſit de alijs potentijs, voluntas divina eſt omnino independens à ſuo obiecto materiali, & ſecundario, conſiſtente in creaturis: ſimiliterque divina omnipotentia ab ijs prorſus independens eſt. Ergo voluntas divina, ſicuti & omnipotentia, non habent illam connexionem neceſſariam cum creaturis poſsibilibus, atque adeò neque cum amore illarum.

101 AT Quis non videat pariter intellectum divinum eſſe omnino independentẽ à creaturis poſsibilibus, & tamen cum ijs neceſſariò connecti, veluti cum obiecto ſecũdario & terminativo? Itaque ſicuti veritas divina comprehenſivè cognita à Deo, neceſſariò ducit ipſum in cognitionẽ veritatum poſsibilium creaturarum, quamvis illa ab ijs non dependeat, ſed potiùs è contrà: ita etiam bonitas omnipotentiæ comprehenſivè amata à Deo neceſſariò ducit ipſius voluntatẽ in amorem bonitatis creaturarum poſsibilium, quamvis illa ab his non dependeat, ſed potiùs è converſo. Sic etiam decretum efficax Dei de exiſtentia mun-

di

di connectitur neceſſariò cum illa; nec tamen ab ea pendet, ſed potiùs hæc ab illo. Sic præterea prima principia ſunt neceſſariò connexa cum concluſionibus, quæ ex ijs demonſtrari poſſunt: nec tamen propterea ab eiſdem concluſionibus dependent, ſed potiùs è contra. Sic denique, etiam in opinione negantium connexionem abſolutam omnipotentiæ cum poſsibilibus, admittitur eius connexio neceſſaria cum ijs ex ſuppoſitione quod non repugnent. Et tamen omnipotentia non dependet à creaturis poſsibilibus, adhuc ſuppoſita earum non repugnantia intrinſeca. Ergo pariter quamvis abſolutè cum ijs connectatur, non colligitur vlla eius dependentia abeiſdē. Ratio omniū eſt: quia connexio neceſſaria vnius cum alio ſolùm arguit dependentiam in eo extremo, quod recipit ab altero aliquid, veluti effectus à cauſa. Omnipotentia autem, ſicuti & ſcientia ſimplicis intelligentiæ, non connectitur neceſſariò cum bonitatibus aut veritatibus purè poſsibilibus, veluti effectus cum cauſa, ſed potiùs veluti cauſa ſumma formalis extrinſeca, à qua conſtituuntur proximè intelligibiles, & poſsibiles. Quare nulla colligitur dependentia vtriuſque earū à creaturis, ſed potiùs è converſo.

102 VRGEBIS. Si Deus neceſſariò amaret creaturas poſsibiles, quatenus connexas cum omnipotentia, æquè illas amaret, ac omnipotentiam ipſam, quia tanta eſſet neceſsitas in amore divino vt terminato ad creaturas poſsibiles, ac vt reſpiciente omnipotentiam. Conſequens autem eſt planè falſum: tum quia creaturæ poſsibiles non habent æqualem neceſsitatem in ratione poſsibilium aut amabilium, ac omnipotentia in eſſe exiſtentiæ & amabilitatis: tum præterea, quia creaturæ poſsibiles ſunt finitæ, ac proinde imperfectæ; omnipotentia autem infinita & ſummè perfecta. Ergo nequeunt terminare amorem æquè neceſſarium.

103 RESP. Negando ſequelam: quia creaturæ poſsibiles non habent ſummam & primam neceſsitatem, ſed ſecundam & dependentem; omnipotentia autem primam & ſummam. Quare Deus infinitè magis amat omnipotentiam, quàm creaturas poſsibiles. Nimirum, has ſolùm amat ſimplici complacentia, & iuxta finitam capacitatem, quam habent, terminandi amorem: omnipotentiam autem amore efficaci ac ſummo, & iuxta infinitam capacitatem ipſius: illas propter omnipotentiam; hanc propter ſe: illas, vt medium, aut terminum ſecundarium; hanc vt finem & primarium terminum amoris. Quamvis verò creaturæ poſsibiles ſint limitatæ & imperfectæ negativè, quatenus non habent plenitudinem, ſeu infinitatem perfectionis, ſunt capaces neceſſarij amoris, propter connexionē neceſſariam cum omnipotentia, quam Deus neceſſariò comprehenſivè amat, & proinde veluti bonam ipſis creaturis poſsibilibus; ac præterea has, vt bonū omnino cum eadē omnipotētia connexū.

104 OBIICIES II. Statuto in Deo amore neceſſario erga creaturas poſsibiles, nullus erit locus Deo vt efficaciter nolit earū exiſtentiā. Conſequens autem planè abſurdum eſt, & contrarium fidei, qua docemur, Deum prorſus liberè omnia creaſſe. Ergo & abſoluta eſt doctrina, ex qua illud colligitur. Sequela probatur multipliciter. *Primò*, & generatim: Quia nulla voluntas neceſſariò amans obiectum aliquod eſt indifferens ad volendum aut nolendum idem obiectum: vt ex terminis patet, & inductione facta in omni voluntate neceſſariò amāte. *Secundò* ex Auguſtino lib. 13. de Trin. cap. 3. & in Enchirid. c. 86 dicente: *Beati eſſe volumus: & miſeri eſſe non ſolùm nolumus, ſed neque velle poſſumus.* Nimirum, quoniam neceſſariò amamus ſimplici complacentia felicitatem, ſeu beatitudinem in communi, ideo non poſſumus nolle illius exiſtentiam. Si ergo Deus ſimplici complacentia neceſſariò amat creaturas poſsibiles, non poterit nolle exiſtentiam alicuius illarū. *Tertiò* à pari peccati poſſibilis, quod Deus neceſſariò odit ſimplici diſplicentia, ideoque non poteſt liberè & efficaciter velle exiſtentiam illius. Si ergo Deus ſimplici complacentia neceſſariò amat creaturas poſsibiles, non poterit liberè & efficaciter nolle exiſtentiam illarum.

105 RESP. Negando antecedens: quoniam amor Dei neceſſarius, quem in Deo agnoſcimus, eſt ſolius ſimplicis complacentiæ, qui optimè cohæret cum nolitione libera, & efficaci exiſtentiæ illarum: quoniam ſimplici cōplacentiæ ſolùm ophonitur diſplicentia ſimplex eiuſdem omnino obiecti: ſicuti & amori efficaci ſolùm opponitur odium eiuſdem obiecti efficax. Et certè Auctores ipſi qui ita arguunt tenentur id fateri, dum admittunt in Deo ſimplicem complacentiam liberam erga creaturas poſsibiles cohærentem cum nolitione efficaci exiſtentiæ illarum. Apparetque paſsim in volūtate noſtra ſimplex complacentia libera circa plura obiecta, quorum exiſtentiam nolumus efficaciter. Non magis autem opponitur, immo multò meliùs cohæret ſimplex complacentia neceſſaria in obiecto cum nolitione efficaci libera ipſius, quā ſimplex cōplacentia libera; quoniā amor & odiū, complacentia & diſplicentia intra idē genus, nimirū intra genus liberi, maiorē oppoſitionē præſeferunt, quàm ſi alterum ex ijs ſit liberum, & neceſſarium alterum. Si ergo iuxta Adverſarios cum libera Dei complacentia ex erga creaturas poſsibiles cohæret

nolitio ſeu diſplicentia illarum efficax libera-que ; cur non cum ſimplici complacentia ne-ceſſaria?

106 IAM Verò reſpondeamus ad ſingulas probationes illius antecedentis. AD I. concedo, nullam voluntatem neceſſariò amantem aliquod obiectum poſſe illud odiſſe odio ſeu nolitione oppoſita eidem amori: nego autē, ſi ſermo ſit de odio aut nolitione non oppoſita amori præcedenti. Porrò amor, quem in Deo adſtruimus erga creaturas poſsibiles, eſt ſolius ſimplicis complacentiæ: qui, ſive neceſſarius ſit, ſive liber, non oponitur nolitioni ſive diſplicentiæ efficaci. Et ratio à priori deſumitur ex eo quòd ij actus ſimplicis complacentiæ & efficacis diſplicentiæ verſentur circa obiectum ſolùm materialiter idem, diverſum autem penes rationem formalem. Nimirum, complacē-tia ſimplex divina terminatur ad poſsibilia, & exprimentia neceſsitatem quandam in ſua poſ-ſibilitate, quatenus poſsibilia, ſeu connexa cū omnipotentia. Diſplicentia autem, ſeu noli-tio efficax terminatur ad eadē poſsibilia, prout exercitè tranſeunt ad ſtatum futuritionis aut non futuritionis: qua ratione non habent cum omnipotentia connexionem neceſſariam, nec important neceſsitatem vllam futuritionis po-tiùs quàm non futuritionis: ideoque poſſunt efficaciter amari à Deo, aut reſpui, quamvis antea ſimplici affectu placerent.

107 AD II. Non poſſumus quidem efficaciter nolle felicitatem noſtram in communi, vt Auguſtinus eo loco perſpicuè & ve-riſsimè docet. Verùm id non ideo eſt, quia ſimplici complacentia neceſſariò illam amemus, vt in obiectione aſſumitur: ſed quia bonum in communi abſtrahens à vero & appa-rente eſt obiectum adæquatum voluntatis no-ſtræ: ideoque nihil poſſumus appetere, neque efficaciter, neque inefficaciter, niſi ſub ratio-ne boni in communi, in qua ſita eſt felicitas noſtra abſtrahens à vera & apparenti, prout eo loco vſurpatur ab Auguſtino & alijs Philoſo-phis ac Theologis cum Ariſtotele lib. 1. Ethic. cap. 1. De quo videri poſſunt quæ nos ibidem diximus, tum in Commentarijs, tum in Opere de Virtutibus & Vitijs diſp. 1. quæſt. 3 per totam. Sicuti autem cum hac ipſa doctrina cohæret quòd voluntas velit efficaciter malum, ſive etiam non ens, quamvis ſemper ſub ratio-ne boni: ita etiam dato quòd voluntas divina reſpiceret bonum in communi, veluti obiectum adæquatum, poſſet velle efficaciter non ens, ſive negationem exiſtentiæ creaturarum poſsi-bilium, quamvis ſub ratione boni. Cæterum obiectum adæquatum voluntatis divinæ, ſaltē primarium, eſt ſola bonitas increata, neceſ-ſariò connexa cum poſsibilitate creaturarum, & liberè cum illarum exiſtentia. Vnde ſolùm infertur, Deum non poſſe habere diſplicentiam efficacem aut inefficacem poſsibilitatis creatu-rarum, quod vltro concedimus. Neque enim Deus vllo affectu poteſt velle vt creaturæ ſemel poſsibiles, non ſint poſsibiles. Poteſt tamen ex fine ſui proprij boni infiniti, efficaciter velle vt creaturæ poſsibiles nunquam exiſtant: quia exiſtentia aut non exiſtentia illarum ſolùm ſpectat ad obiectum ſecundarium contingens divinæ voluntatis.

108 AD III. Ratio cur Deus nequeat effi-caciter velle exiſtentiam peccati, non in eo ſita eſt quòd illud neceſſariò oderit ſimplici diſplicentia. Nam ſive hæc in Deo ſuppo-natur, ſive negetur, adhuc Deus nequit effica-citer amare exiſtentiam peccati. Itaque id ori-tur, tum ex ſumma honeſtate Dei, tum ex tur-pitudine intrinſeca peccati, ratione quarum Deus eſt incapax antecedenter amare illud, ſive affectu ſimplici, ſive efficaci. Similiter ergo, ſive amor ſimplex creaturæ poſsibilis ſuppona-tur in Deo neceſſarius, ſive negetur, adhuc lo-cus eſt vt ſequatur libera volitio, aut nolitio efficax exiſtentiæ eiuſdem creaturæ: quoniam hæc poteſtas indifferens ad decernendum alte-rutrum ex ijs pertinet ad ſummam perfectio-nem divinæ libertatis. Et ſanè quòd amor ſim-plex complacentiæ in creaturis poſsibilibus cohæreat cum libera & efficaci nolitione illa-rum, conſtat ratione à priori: quia vbi obie-cta ſunt inter ſe diverſa, & incōnexa, poteſt vo-luntas alterum velle, & nolle alterum, vt patet. Atqui poſsibilitas creaturarum eſt obiectum diverſum ab earum exiſtentia, & inter eas nul-la eſt connexio, vt patet, quoniam altera alteri contingenter advenit. Ergo poteſt voluntas divina velle ſimplici ac neceſſaria complacen-tia poſsibilitatem creaturarum, & tamen nolle efficaciter exiſtentiam illarum. Deinde idip-ſum patet exemplo vel in rebus humanis ad-hibito. Mercator enim ſimplici affectu com-placentiæ, ſive neceſſario, ſive libero, amans merces ſuas, adhuc poteſt & ſolet efficaciter nolle exiſtentiam illarum, dum ad actus metu procellæ, è navi proijcit eas in mare. de quo videri poſſunt quæ diximus in Commentarijs ad librum tertium Ethico. cap. 1. à num 5. Ne-que id tantùm habet locum in voluntario mi-ſto, quod ibidem exponit Ariſtotel. ſed etiam in puro voluntario, quod ex amore virtutis aut delectationis ortum ducit. Sive enim quiſ-piam liberè ſive neceſſariò amet ſimplici af-fectu opes ſuas, adhuc poteſt & ſolet vltro eas impendere efficaciter intuitu honeſtatis, aut prodigere turpitudinis cauſa. Quidni itaque Deus nequeat efficaciter nolle exiſtentiā crea-turarum poſsibilium, quamvis affectu ſimpli-

cis

cis complacentiæ, ſive neceſſario, ſive libero, in eas feratur?

109 OBIICIES III. Quòd creaturæ poſsibiles connectantur neceſſariò cum omnipotentia, non probat in Deo amorem neceſſarium illarum. Alioqui cùm carentiæ earum ſint pariter poſsibiles, & non minùs connexæ cum eâdem omnipotentia, pariter Deus neceſſariò amaret illas in ſtatu poſsibilitatis, ſicuti eas liberè amat in ſtatu exiſtentiæ. Conſequens autem falſum eſt. Si enim Deus ſimplici complacentia amaret neceſſariò, tum creaturas poſsibiles, tum poſsibiles earum carentias, amaret ſimul duo, immo innumera contradictoria: quemadmodum ſi vellet ſimul efficaciter rem, & carentiam eiuſdem rei. Ne ergo hoc abſurdum ſequatur, dicendum eſt, ex ratione illa connexionis non inferri in Deo amorem neceſſarium creaturarum poſsibilium. Ita ferè arguit Alderete vbi ſuprà.

110 RESP. Sicuti non eſt inconveniens, ſed ab omnibus ſtatuendum veluti certum, Deum neceſſariò cognoſcere, tum omnes creaturas poſsibiles, tum poſsibiles ipſarum carentias: ita neque abſurdum eſſe quòd ſimplici complacentiâ neceſſariò vtraſque amet. Neque inde infertur vlla cõtradictio, vel in intellectu, vel in voluntate: cùm poſsibilitas rei non opponatur poſsibili carentiæ ipſius. Simul enim verificatur de qualibet re poſsibili, quòd poſsit eſſe, & quòd poſsit non eſſe: quatenus poteſt habere exiſtentiam, aut non habere. Ergo ſicuti poſsibilis eſt exiſtentia illius, ita & non exiſtentia. Sicuti ergo exiſtentia poſsibilis ipſius cognoſcitur & amatur neceſſariò à Deo, ita & non exiſtentia vt poſsibilis. Et hoc quidem dixerim permiſſo quòd carentiæ poſsibiles rerum amentur neceſſariò à Deo: quod non omnes Auctores noſtræ ſententiæ admittunt, quoniam in ijs, vt purè poſsibilibus, non apparet bonitas aliqua. Verùm adhuc id cõcedi poteſt, quoniam carentiæ poſsibiles rerum, ſicut & exiſtentes, poſſunt habere aliquam bonitatem extrinſecã, & deſervire pluribus bonis à Deo eligibilibus, ſaltem ad oſtenſionem domini: atque adeò poſſunt terminare amorem divinum, non directè, ſed indirectè ſolùm: vt ſuprà num. 91. dicebamus. Diverſa autem ratio eſt de exiſtentia exercita & ipſius carentia pariter in exercitio poſita: quarũ vna omnino excludit aliam; ac proinde voluntas efficax vnius impedit voluntatem alterius efficacem, ſicuti & vnius affirmatio alterius affirmationem pro eodem tempore, etiam ab intellectu divino.

111 RATIO Autem à priori cur poſsit ſimul cognoſci, & fortè etiam amari ſimplici affectu, tam exiſtentia poſsibilis, quàm nõ exiſtentia, ſeu carentia poſsibilis ipſius, ſita in eo eſt, quia vna non affirmat in ſtatu poſsibilitatis, quod negat altera, ſed aliud diverſum. Nimirum poſsibilis carentia rei non eſt carentia poſsibilitatis eius (talis enim carentia eſt chimærica & impoſsibilis) ſed ſolùm eſt poſsibilis carentia exiſtentiæ, quæ contingenter ſolùm convenit creaturæ poſsibili, ideoque adeſſe aut abeſſe poteſt invariata eius poſsibilitate. Similiter exiſtentia poſsibilis non excludit poſsibilitatem non exiſtentiæ exercitæ: quia hæc eſt prædicatum contingens, ad quod, & ad ipſius oppoſitum, indifferens eſt omnis creatura poſsibilis, ac proinde & exiſtentia ipſa quatenus poſsibilis, & quaſi in actu ſignato. Quare ſicuti de qualibet exiſtentia poſsibili cognoſcit neceſſariò ac ſimul divinus intellectus poſſe in exercitio exiſtere, & poſſe non exiſtere, quoniam pariter indifferens eſt ad vtrumlibet: ita nihil abſurdi eſt ſi dicatur voluntatem divinam ſimul & neceſſariò amare ſimplici complacentia, tum poſsibilitatem vt exiſtentia in exercitio ſit, tum poſsibilitatem vt in exercitio nunquam ſit. Circa quod recolenda ſunt quæ ſuprà diximus num. 90. & 91.

112 OBIICIES IV. Deus nõ amat neceſſariò prædicata eſſentialia creaturæ. Ergo nec creaturam poſsibilem. Hæc enim ſolùm poſſet neceſſariò amari ratione prædicatorum eſſentialium. Antecedens probatur: Nam antequam exiſtat creatura, non dantur abſolutè prædicata illius eſſentialia, ſed conditionatè ſolũ conſiderari debent: ita v. g. vt ſub conditione exiſtentiæ hominis, ille ſit animal rationale. Atqui Deus non habet affectum aliquem, quo velit ſub conditione exiſtentiæ hominis, quòd ille ſit animal rationale. Id enim perinde eſſet ac velle vt exiſtat homo, ſi homo exiſtat. Quod in voluntate, præſertim divina, locum non habet, quamvis intellectus in eâdem re poſsit abſtrahere rationem vnam formalem ab alia, aut aliter & aliter apprehendere definitionem & definitum. Quare aliquis ſtultè gauderet de cõſequutione finis, ſub conditione conſequendi illum. Deus ergo, in quo nullus affectus ſtultus habet locum, nequit amare neceſſariò vt homo ſit animal rationale ſub conditione exiſtentiæ ipſius; ac proinde nec amat eius prædicata eſſentialia.

113 RESP. Argumentum hoc, quo vtitur Alderete, pariter in ipſum regeri poſſe, quaſi excludens à Deo etiam liberum amorem creaturæ poſsibilis: quoniã & ille fatuus eſſet, ſi fatuus eſt amor neceſſarius. Si enim hic ſolùm conditionatè reſpicit prædicata eſſentialia creaturæ poſsibilis (in quo dicitur eſſe fatuitas) etiam ille. Deinde dico, Deum amare neceſſariò prædicata eſſentialia creaturæ poſsibilis, quoniam neceſſariò amans omnipotentiam

ſuam

ſuam, vt productivam eorum, vult illis bonum aliquod. Amare enim eſt velle alicui bonum. Præterea, licèt prædicata eſſentialia creaturæ poſsibilis non ſint phyſicè & entitativè bona in actu, ſunt tamen bona obiectivè & intelligibiliter, ſicut & vera: ac proinde ſicut ratione eius veritatis terminant actum cognitionis divinæ, ita ratione ſimilis bonitatis actum divinæ ſimplicis complacentiæ. Et certè ſicuti fatua cogitatio non eſt indicio, quo cenſemus, hominem debere eſſe animal rationale ex hypotheſi exiſtentiæ ſuæ; ita nec fatua complacentia in eo eſt. Nimirum hæc ducitur cognitione prævia intellectus apprehendentis hominem vt ſubiectum, & definitionē, vt prædicatum quoddam diverſum à ſubiecto ex modo ſignificandi. In complacentia autem de conſequutione finis ſub conditione conſequendi illum, non eſt diverſitas vlla ex modo ſignificandi, ſed ſenſus omnino identicus: ideoque affectus eiuſmodi fatuus eſſet.

114 OBIICIES V. Amor neceſſarius creaturarum poſsibilium non videtur importare perfectionem, ſaltem Deo dignam. Omne autem quod neceſſariò exiſtit in Deo, importare debet perfectionem Deo dignam. Ergo amor creaturarum poſsibilium non exiſtit in Deo. Maior propoſitio, in qua eſt diſsidium, ſuadetur diverſimodè. PRIMO: Quia ſine eiuſmodi amore Deus eſſet omnino perfectus ad intrà cognoſcens & amans ſuam eſſentiam, proprietateſque, tum abſolutas, tum relativas. SECVNDO: quia talis amor deficeret relatè ad creaturas poſsibiles: vtpotè quæ ſuam poſsibilitatem habent independenter ab illo, per divinam omnipotentiam, vt continentem; ſcientiam, vt potentem dirigere; & voluntatem, vt potentem liberè eas decernere. Amor autem deſpicabilis & inutilis non importat perfectionem dignam Deo. TERTIO: Quia Deum eſſe neceſſariò propenſum ad ſe communicandum creaturis non eſt perfectio digna Deo, ſed potiùs pugnans cum eius ſupremo dominio. Ergo ſimiliter dicendum de amore neceſſario ad creaturas poſsibiles. Ille enim dumtaxat eſſet quædam neceſſaria propenſio ad ſe communicandum.

115 RESP. Negando maiorem. Amor enim neceſſarius creaturarum poſsibilium eſt quædam ſequela connexa cum amore neceſſario omnipotentiæ, ſicuti cognitio neceſſaria poſsibilium creaturarum eſt etiã ſequela ſcientiæ neceſſariæ, qua Deus ſuam omnipotentiam comprehendit: atque adeò quemadmodum hæc, ita & illa importat perfectionem, ſeu potiùs extenſionem neceſſariæ perfectionis Deo dignam. AD I. Negatur antecedens: quia ſicut Deus ſine cognitione neceſſaria poſsibilium creaturarum non haberet perfectionem notitiæ comprehenſivæ erga omnipotentiam, ſic nec comprehenſivi amoris, ſi illas non amaret neceſſariò. AD II. Sicuti deſpicabilis non eſt extenſio ſcientiæ neceſſariæ Dei ad poſsibilia, quamvis pro priori ad illam ſupponantur habere ſuam veritatem obiectivam; ita nec deſpicabilis eſt extenſio amoris neceſſarij ad creaturas poſsibiles, licèt pro priori ad illam ſupponantur habere ſuam poſsibilitatem bonitatemque obiectivam. Itaque permiſſo gratis quòd ſimplex complacentia in creaturis poſsibilibus nullam ijs vtilitatem afferret, non ideo in ordine ad illas deſpicienda eſſet. Alioqui complacentia Dei libera, quem Adverſarij tuentur, eſſet deſpicienda, cùm nihil pariat: immo & gaudium Dei de perfectione liberè iam communicata creaturis, eſſet deſpiciendum, cùm nihil vtilitatis addat. AD III. Quidquid ſit de antecedente, nego conſequentiam, & illius probationem. Amor enim neceſſarius poſsibilium, quem in Deo adſtruimus, non eſt propenſio naturalis ipſius ad ſe communicandum per productionem illorum; ſed ſolùm eſt amor, vel elicitus, vel innatus omnipotentiæ, quatenus bonæ ipſis poſsibilibus, præſcindens omnino ab eorum exiſtentia & nõ exiſtentia. Solùm itaque dici poteſt propenſio innata Dei potiùs in poſsibilitatem, quàm impoſsibilitatem creaturarum.

116 INSTABIS. Nullus amor in Deo dignè cogitari poteſt neceſſarius erga obiectum aliquod, niſi vel ob infinitam huius dignitatem, vel ob alligationem, aut connexionem cum alio termino amoris neceſſarij: vt patet inductione facta in omni neceſſario amore. At qui creaturis poſsibilibus non eſt infinita dignitas, vt patet. Nec connexio cum omnipotentia infert neceſſarium illarum amorem. Nos enim agnoſcentes connexionem illam, amamus omnipotentiam ſine vllo amore poſsibilium; idemque eſt adhuc in ipſis Beatis, qui ex amore neceſſario omnipotentiæ non amittunt libertatē ad amandas poſsibiles creaturas. CONFIRM. Quia Deum velle ſe eſſe productivum leonis, v. g. non eſt velle ſimplici complacentiâ ipſum leonem. Alioqui dum amat aut vult ſe eſſe cognoſcitivum & productivum operationis, quæ eſt mala moraliter, iſtã amaret neceſſariò. Ergo quamvis Deus ſeipſum amat, quatenus productivum creaturarum poſsibilium, non ideò in illis neceſſariò complacet.

117 RESP. Conceſſa maiore, negando minorem quoad ſecundam partem, quia connexio poſsibilium cum omnipotentia infert neceſſarium amorem illarum, ſi amor omnipotentiæ eſt comprehenſivus; non autem ſi comprehenſivus non ſit, qualis eſt noſter, & Beatorum. Id patet in ſcientia Dei, quæ, quia com-

comprehenſiva eſt omnipotentiæ, neceſſariò extenditur ad omnia & ſingula poſsibilia; cùm tamen ſcientia noſtra, & Beatorum, non neceſſariò ad illa cognoſcenda extendatur, quoniam non eſt comprehenſiva omnipotentiæ, nec infinita. AD CONFIR. nego antecedens. Amor enim omnipotentiæ, quatenus habentis vim ad producendum leonem, eſt ſimplex complacentia in ipſo leone. Amor autem eiuſdem omnipotentiæ prout habentis vim producendi entitatem operationis malæ, nullatenus eſt ſimplex complacentia in ipſo peccato poſsibili, ſed potiùs diſplicentia ſimplex in ipſo: cùm omnipotentia non comparetur ad peccatum vt virtus productiva, ſed potiùs veluti habens vim & propenſionem ad illud impediendum.

DISPVTATIO LXVII.

AN VERBVM PER SE PROCEDAT EX COGNITIONE CREATVRARVM FVTVRARVM, SIVE EXISTENTIVM?

QVAMVIS Anſelmus impræſenti occaſionem dederit excitandæ huic controverſiæ, vt poſtea num. 5. apparebit, illa à Veteribus Theologis, ſive Scholaſticis, tractata non inveniatur, ſed à Recentioribus dumtaxat. Porrò quemadmodum Diſput. LXIV. & LXV. ſtatutum fuit, Verbum divinum per ſe procedere ex cognitione trium perſonarum, & deinde creaturarum poſsibilium: ita nunc quærimus, an per ſe oriatur ex cognitione futurorum. Eadem verò ratio apparet in Spiritu ſancto circa amorem creaturarum exiſtentium, & futurarum.

SECTIO PRIMA.

Relatis Theologorum ſententijs, decernitur & probatur ratione ex D. Anſelmo eruta, Verbum diuinum propriè & abſolutè loquendo non procedere per ſe ex cognitione creaturarũ exiſtentium, vel qualitercumque futurarum. Euaſiones Aduerſariorum præcluſæ.

2 IN Hac re tres circumferuntur Theologorum ſententiæ. Prima abſolutè affirmat, Verbum divinum per ſe procedere ex cognitione creaturarum futurarum. Ita Valentia 1 par. diſp. 2. q. 7 punct. 2 Zuñiga diſp. 9. dub. 7. & alij docentes, Verbum procedere ex ſcientia libera, ſeu viſionis creaturarum futurarum & exiſtentium, ac Spiritum ſanctum ex amore earundem. Aiuntque, eſſe valde receptam opinionem inter Recentiores. Porrò Ruiz, qui allegari ſolet pro eadem opinione, loquitur ſub diſtinctione. Etenim diſp. 63 ſect. 4. num. 1. inquit, ex ſuppoſitione quòd in aliqua differentia temporis producendæ fuerant creaturæ, Verbum divinum per ſe exigere vt procederet ex cognitione intuitiva illarum, & quarumlibet veritatum contingentium in eâdem hypotheſi. Cæterum poſtea num. 11. docet, propriè & abſolutè loquendo, Verbum non procedere per ſe ex cognitione intuitiva creaturarum: quoniam hæc propoſitio continet ſenſum formalem & abſolutum ab omni ſuppoſitione, quâ præcisâ per intellectum, ſicuti comparatione divinæ comprehenſionis per accidens ſe habet quòd muſca velit, aut non velit; ita etiam per accidens ſe habet ad productionem Verbi, quòd procedat per cognitionem intuitivam muſcæ volantis, aut non procedat per illam. Hæc ad litteram habet laudatus Auctor ijs locis, quæ nonnihil differunt à modo loquendi reliquorum ex allegatis, & potiùs videntur cum ſententia tertio loco referenda convenire.

3 SECVNDA Abſolutè negat, Verbum per ſe procedere ex cognitione futurorum, aut exiſtentium. Ita, præter omnes Scotiſtas, allegatos Diſp. LXIV. num. 5 omnes ferè Thomiſtæ, & Scriptores Societatis, quos legere licuit: vt propterea allegare ſingulos videatur ſuper-

pervicaneum, quibus noviter adhæret M. Lumbier tract. 3. q. 10. ar. 6.

4 TERTIA Denique diſtinguit in Verbo rationem prorſus intrinſecam & neceſſariam à ratione contingenti, ſeu terminatione liberâ, quâ repræſentat futura, atque exiſtentia, aut non exiſtentia in aliqua differentia temporis. Priori ſenſu negat Verbum per ſe procedere ex cognitione futurorum, tam abſolutorum, quàm conditionalium, poſteriori autem affirmat. Ita Arriaga diſp. 52. ſect. 4. ſub ſect. 3. & Godoy Tomo I. in 1 par. diſp. 91. cuius ſententia vix diſtingui poteſt quoad rem ipſam ab opinione Ruizij paulo antè memorata.

5 DICO Primò. Verbum divinum abſolutè & propriè loquendo non procedit per ſe ex cognitione exiſtentium, aut futurorum, nec abſolutorum, nec conditionalium. Aſſertio hæc videtur expreſſa Anſelmi impræſenti, cap. 31. aliàs 29. dum ait: *Siue ergo ille* (nimirum, Pater, ſive Deus) *cogitetur nullo alio exiſtente ſiue alijs exiſtentibus, neceſſum eſt, Verbum illi coæternum eſſe.* Et capite ſequenti: *Si nihil vnquam aliud eſſet, niſi ſumus ille ſpiritus, ratio tamen cogit, Verbum illud, quo ſe dicit, ex neceſsitate eſſe.* Vnde eruitur ratio à priori noſtræ ſententiæ, quam poſſumus ſub hanc formulam diſſerendi proponere. Nulla res ſummè neceſſaria, abſolutè & propriè loquendo, procedit per ſe ex cognitione alicuius obiecti contingentis. Atque Verbum divinum eſt res ſummè neceſſaria: omnes autem creaturæ exiſtentes, & qualitercumque futuræ, ſunt obiecta contingentia. Ergo Verbum divinum abſolutè & propriè loquendo non procedit per ſe ex cognitione creaturarum exiſtentium, aut qualitercumque futurarum. Conſequentia eſt legitima in figura & modo perfecto. Minor quoad vtramque partem facilè ſuadetur. Quoad priorem quidem: nam Verbum divinum abſolutè & propriè loquendo eſt perſona increata, verus Deus, omnino immutabilis, & ſummam neceſsitatẽ exiſtendi habens quoad omnia prædicata, quibus abſolutè & propriè conſtituitur. Quod latè oſtenſum fuit cum Anſelmo Tom. I. Di p. XXXIII & ſeqq. Quoad poſteriorem verò partem conſtat: Quia omnes creaturæ exiſtentes, ſive qualitercumque futuræ, ita ſe habent, vt potuerint abſolutè loquendo non exiſtere, nec futuræ eſſe, pro libito Dei, aut etiam voluntatis creatæ. Quod adhuc verum eſt in futuris conditionatis nunquam extituris in re, defectu conditionis nunquam ponendæ. Sive enim illam futuritionem habeant vt decreti liberi actu exiſtentis, vt Thomiſtæ frequenter volunt, ſive pro priori aliquo ad decretum actu exiſtens, vt alij malunt, obiecta eiuſmodi ſunt libera & contingentia abſolutè & ſimpliciter loquendo, proindeque illorum ſcientia potuit non convenire Deo formaliter. Patet igitur minor illa propoſitio, in quâ aſſumebatur, Verbum divinum eſſe rem ſummè neceſſariam; omnes autem creaturas exiſtentes, & qualitercumque futuras, eſſe obiecta contingentia.

6 IAM Maior illa præcipua ſuaderur multipliciter. PRIMO: Omne quod procedit per ſe ex cognitione cuiuslibet obiecti, debet habere connexionem neceſſariam cum illo, atque ipſum per ſe ſupponere, vt proinde illo deficiente, aut non exiſtente, nullatenus procederet, nec exiſteret. Id enim, iuxta omnes, eſt procedere per ſe ex aliquo, vel ex cognitione alicuius obiecti. Atqui nulla res ſummè neceſſaria, abſolutè & propriè loquendo, habet connexionem neceſſariam cum aliquo obiecto contingenti. Alioqui hoc non eſſet contingẽs, vt ſupponitur, ſed neceſſarium: quale profectò eſt quidquid habet connexionem cum obiecto neceſſario. Ergo nulla res ſummè neceſſaria, abſolutè & propriè loquendo, procedit per ſe ex cognitione alicuius obiecti contingentis. SECVNDO ſuadetur eadem maior propoſitio. Nulla res ſummè neceſſaria procedit per ſe ex cognitione non neceſſaria, ſive quæ potuerit formaliter non eſſe. Nam vbi effectus vel terminus actionis eſt ſummè neceſſarius, omnino ac ſummè neceſſaria debet eſſe actio per ſe requiſita ad producendum illum. Atqui cognitio quorumlibet obiectorum contingentium non eſt neceſſaria, ſive quæ nequiverit formaliter non eſſe. Repugnat enim cognitio ſine obiecto, ac proinde cognitio obiecti contingentis, quod poteſt non eſſe, quin ipſa poſſit non eſſe. Ergo nulla res ſummè neceſſaria procedit per ſe ex cognitione obiecti contingentis. TERTIO. Omnis res ſummè neceſſaria, aut nullum habet principium ſui, aut ſi illud habet per ſe, debet eſſe principium ſummè neceſſarium. Atqui cognitio obiecti contingentis nequit eſſe principium ſummè neceſſarium, vtpote quę variari poteſt, variato obiecto contingenti. Ergo nulla res ſummè neceſſaria procedit tanquã ex principio per ſe ex cognitione obiecti contingentis. Eadem verò ratio eſt, ne Spiritus ſanctus procedat per ſe ex amore earundem creaturarum contingentium, vt pater.

7 RESPONDET I. Zuñiga, cognitionem obiectorum contingentium non eſſe in Deo contingentem: quia licèt Deus poſſit carere alterutra ſcientiâ, aut mundi futuri, v. g. aut non futuri; nullatenus tamen carere potuit vtràque ſimul. Itaque locum eſſe, vt Verbum per ſe procefſerit ex cognitione eius obiecti contingentis, veluti diſiunctim accepta, ſive quatenus abſtrahit à cognitione exiſtentiæ futuræ mũdi, aut oppoſitæ negationis. Addit præterea,

Ver-

Verbum, quamvis ſit ens ſummè neceſſarium, eſſe liberum ſecundùm quid, ſive penes reſpectum illum, quem importat ad creaturas contingentes.

8 SED Contrà I. Hæc enim doctrina affinis eſt opinioni cuidam aliquorum Recentiorum arbitrantium, liberas Dei terminationes conſiſtere in disiuncto ex volitione & nolitione oppoſita, quarum alterutra non poterit in Deo non eſſe, ſed vnaquæque ſeorſum, licèt ambæ eandem omnino perfectionem importent. Eam verò opinionem, inter alias, retenſuimus Tomo I. Diſp. XXXV. num 6. & impugnavimus latè ibidem num. 41. & ſeqq. vnde huc plura advocari poſſent. Præſertim verò id conſideratione dignum eſt, disiunctum illud ex volitione & nolitione mundi, non eſſe formaliter Deo liberum, ſed neceſſarium: quoniam Deus ſuppoſitione antecedenti ſummę perfectionis ſuæ eſt determinatus ad decernendum alterutrum è duobus contradictorijs, ſimiliterque ad ſciendum alterutrum: ſicuti & ex parte obiecti alterutrum disiunctivè eſt neceſſarium. Ergo ſi Verbũ procedit ſolùm ex ſcientia illius disiuncti, non procedit per ſe ex cognitione obiecti alicuius contingentis, ſed potiùs neceſſarij, contra quàm opinio adverſa docet DEINDE. Ergo ſaltem Verbum per ſe non procedit ex cognitione mundi determinatè futuri: quia, vt probat ratio à nobis expenſa, nequit Verbum ſummè neceſſarium in exiſtendo procedere per ſe ex cognitione contingenti. At cognitio mundi determinatè futuri eſt contingens; vtpotè cùm potuerit in Deo non eſſe, quãvis disiunctum illud non potuerit non eſſe. Ergo Verbum per ſe non proceſſit ex cognitione mundi determinatè futuri.

9 CONTRA II. Quamvis enim neceſſum ſit disiunctim, aut mundum eſſe futurum, aut non futurum, adhuc pro priori ad futuritionem aut nõ futuritionem determinatam, intelligi debet Verbum per ſe procedens ex cognitione paterna. Ergo cognitio, ex qua per ſe procedit Verbum, non eſt cognitio futuritionis aut non futuritionis determinatæ. Conſequentia patet: quia cognitio futuri aut non futuri determinati ſupponitur pro aliquo priori rationis ad cognitionem ipſam per modum obiecti. Vt enim ſæpe docet Anſelmus in Opuſculo de Concordia, non ideo res futura eſt, quia cognoſcitur futura, ſed potiùs ideo futura cognoſcitur, quia futura eſt. Antecedens autem patet exhibitis denuo in medium verbis illis S. Doctoris iam ſuprà num. 5. exſcriptis: *Siue ergo ille* (Patet) *cogitetur nullo alio exiſtente, ſiue alijs exiſtentibus, neceſſum eſt, Verbum illi coæternum eſſe.* Ergo pro priori, & indepẽdenter à cogitatione mundi futuri aut non futuri, ſive exiſtentis aut non exiſtentis, intelligi debet Verbum tanquam neceſſariò procedens exiſtenſque: atque adeò per ſe non procedit ex cognitione mundi determinatè futuri, aut non futuri.

10 CONTRA III. In Deo non eſt decretum aliquod disiunctum aut vagum, vt vel exiſtat mundus vel non exiſtat, ſed ſolùm determinatum, vt vel exiſtat vel non exiſtat. Non enim exiſtit in Deo decretum aliquod, niſi liberum: nec liberum decretum eſſe poteſt, niſi circa obiectum contingens. Cumque non ſit contingens disiunctum vt mundus exiſtat vel non exiſtat, nequit eſſe in Deo decretum circa eiuſmodi disiunctum, ſed dumtaxat circa alterum ex ijs duobus extremis determinatè. Ergo cùm ſcientia viſionis ſupponat pro aliquo priori decretum, nequit in Deo eſſe viſio alterius eorum extremorum determinati præ altero, niſi præſupponat eiuſmodi liberum decretum. Atqui Verbum divinum, cùm abſolutè & propriè ſit ens ſummè neceſſarium, procedit & exiſtit pro priori ad omne decretum liberum. Ergo etiam pro priori ad cognitionem, ſeu viſionem alterius eorum extremorum determinati præ altero. Non ergo per ſe procedit ex cognitione alicuius creaturæ exiſtentis aut futuræ, potiùs quàm non exiſtentis aut non futuræ.

11 CONTRA IV. Divina proceſſio Verbi (ſicut & Spiritus ſancti) cum ſit ſummè neceſſaria, debet eſſe in ſingulari & ab intrinſeco determinata ad certum quædam & invariabilem modum. Ergo non eſt indifferens vt oriatur ex cognitionibus, quarum vtraque ſit contingens, & altera alteri contraria. Atqui vtraque cognitio, id eſt, aut mundi futuri, aut non futuri determinatè, eſt contingens, & altera alteri contraria, vt patet. Ergo proceſſio Verbi non ducit per ſe ortum ex cognitione mundi futuri, aut non futuri determinatè. Quòd ſi verò dicas, procedere ex cognitione indeterminata, mundi aut futuri aut non futuri, iam deſeris opinionem contrariam, vt ſuprà indicavi: ſolumque aſſeris, Verbum per ſe procedere ex cognitione poſsibilium, & impoſsibilium: quod nos ex profeſſo docuimus Diſput. LXV. Nam cognoſcere disiunctim aut mundum eſſe futurum, aut non eſſe futurum, ſolùm eſt cognoſcere poſsibilitatem vt exiſtat, vel non exiſtat; & ſimul impoſsibilitatem vt coniungantur ea duo extrema futuritionis & non futuritionis, exiſtentiæ & non exiſtentiæ. Ergo Verbum procedens ex cognitione disiuncta mundi futuri aut non futuri, ſolùm procedit ex cognitione poſsibilium & impoſsibilium.

12 RESPONDENT II. Alij poſt Ruizium vbi ſuprà num. 1. quamvis Verbum ſit ſummè neceſſarium, poſſe per ſe procedere ex

ex ſcientia futurorum ex ſuppoſitione, quòd futura ſint. Licèt enim poſſent non eſſe futura, ex hypotheſi tamen futuritionis ſuæ, neceſſum eſt vt à Deo cognoſcantur, proindeque vt à Verbo exprimantur & repræſententur. Itaque pariter ex ſuppoſitione quòd res ſint futuræ, locum eſſe vt Verbum per ſe procedat ex cognitione illarum.

13 SED Contrà I. Quamvis cognitio futurorum ſit neceſſaria Deo ex ſuppoſitione futuritionis ipſorum, abſolutè tamen & ſimpliciter eſt libera & contingens, inſtar obiecti ipſius, quod potuit abſolutè non eſſe futurum. Ergo Verbum abſolutè & propriè habens rationem entis ſummè neceſſarij, non oritur per ſe & abſolutè ex cognitione illorum. Repugnat enim enti ſummè neceſſario per ſe oriri ex aliquo libero & contingenti, ſicuti & cum eo cõnecti omnino, vt ſuprà dicebamus. VLTERIVS. Abſurdum eſt dicere, Verbum habens ſummam neceſsitatem in ſuo eſſe, & ſummam repugnantiam ad ſnum non eſſe, connecti omnino cùm ſcientia illa, quæ libera eſt, & abſolutè potuit non eſſe. Atqui ſcientia futurorum eſt Deo libera, & abſolutè potuit in ipſo non eſſe. Ergo Verbum non connectitur omnino cum ſcientia futurorum. Connecteretur autẽ prorſus ſi ex illa per ſe procederet, vt patet. Non ergo Verbum, abſolutè & propriè loquendo, procedit per ſe ex ſcientia futurorum.

14 CONTRA II. Repugnat aliquid non connexum abſolutè & ab intrinſeco cùm alio, procedere per ſe ab illo ex ſuppoſitione, niſi vi ſuppoſitionis ipſius accipiat aliquam entitatem vel perfectionem ſibi intrinſecam. Alioqui enim nullo vero ſenſu explicari poteſt proceſsio per ſe ex tali principio. Atqui Verbum divinum non eſt connexum abſolutè & ab intrinſeco cum ſcientia libera obiectorum contingentium, nec ex ſuppoſitione illorum accipit ab ea aliquam entitatem, vel perfectionem ſibi intrinſecam. Alioqui, ſicuti ſcientia libera contingentium, quotquot de facto exiſtunt in aliqua differentia temporis, potuit non eſſe in Deo, ſic etiam potuiſſet non eſſe in Verbo aliqua entitas, aut perfectio intrinſeca. quod planè eſt contra perfectionem & immutabilitatem ſummam Dei, vt vidimus latè Tomo I. Diſp. XXXIII. & XXXV. Ergo Verbum divinum non procedit per ſe ex ſcientia libera obiectorum contingentium, adhuc ex ſuppoſitione quòd futura vel extitura ſint.

15 CONTRA III. Verbum divinum abſolutè & propriè ſumptum eſt prius decreto libero, ac proinde prius ſcientiâ viſionis liberâ, quæ prorſus innititur eidem decreto. Ergo nequit per ſe oriri ex eiuſmodi ſcientia, perfectate orta ex ſuppoſitione quòd talis ſcientia ſit in Deo. Conſequentia patet: quia quod eſt abſolutè & propriè prius alio, nequit per ſe oriri ex illo, perfectate orta ex ſuppoſitione ipſius. nam etiam ſuppoſitio ipſa eſt poſterior omnino. Antecedens autem ſuadetur multipliciter. PRIMO, & generatim: quia generatim, ſive abſtrahendo à divinis & creatis, prædicata neceſſaria ſunt priora liberis. Atqui Verbum divinum abſolutè & propriè eſt aliquid ſimpliciter & ſummè neceſſarium: ſcientia autem viſionis, & decretum, cui ipſa innititur, eſt aliquid ſimpliciter liberum. Ergo Verbum divinũ abſolutè & propriè eſt prius ſcientiâ viſionis & decreto libero, cui illa innititur. SECVNDO: Quia id quo aliquid conſtituitur in ſe, ſive ad intra, eſt prius eo, quo conſtituitur in ordine ad aliud & ad extra, præſertim contingenter. Atqui Verbum divinum abſolutè & propriè ſumptum conſtituit Deum in ſe, & ad intrà: decretum autem & ſcientia viſionis illi innixa conſtituunt Deum in ordine ad aliud, ſive ad extra, & quidem contingenter. TERTIO denique. Ideo enim iuxta communem regulam Theologorum, ab Adverſarijs ipſis admiſſam, eſſentialia in Deo ſunt priora notionalibus ſecundùm rationem, ſive ſubſiſtendi conſequentiam (idemque eſt de genere relatè ad ſpecies) quia ab eſſentialibus ad notionalia non valet conſequentia affirmans, ſecus autem è converſo. At hoc idem accidit in Verbo divino propriè & abſolutè ſumpto, relatè ad decretum liberum, & ſcientiam viſionis illi ſubnixam. Non enim valet: *Exiſtit Verbum diuinum: Ergo & decretum futuritionis, & ſcientia viſionis ipſorum.* Nimirum, poſſet Deus non decernere, nec videre aliquid futurum. E contrà autem valet collectio iuxta fidem Catholicam Trinitatis: *Exiſtit in Deo decretum & ſcientia libera viſionis: Ergo etiã exiſtit Verbum.* Nimirum, in Deo nullum decretum exiſtit quod non procedat à tribus perſonis exiſtẽtibus ac proinde à Verbo. Ergo Verbum divinũ abſolutè & propriè ſumptum eſt prius ratione, ſive ſubſiſtendi conſequentiâ, decreto libero, & ſcientiâ viſionis.

16 CONFIRMATVR Ratio præcipua ab initio propoſita. Verbum enim divinum abſolutè & propriè ſumptum, ſolum importat prædicata illa intrinſeca & neceſſaria, quibus intimè conſtituitur in ratione ſecundæ perſonæ, quatenus diſtinctæ à reliquis duabus. Atqui ſub ea ratione non oritur per ſe ex cognitione libera futurorum. Ergo, &c. Probatur minor. Sub ea ratione nequit oriri per ſe, niſi ex illo, quo deficiente, Verbum ipſum non eſſet perſona diſtincta à reliquis duabus. Id enim eſt oriri, non comitanter ſolùm, ſive per accidens, ſed per ſe. Atqui etiam deficiente, ſeu non exiſtente

ſtente in Deo cognitione libera futurorum (vt verè potuit non exiſtere in illo, ſi noluiſſet decernere exiſtentiam rerum) Verbum adhuc eſſet perſona diſtincta à reliquis duabus. Vt enim iterum reſumam verba Anſelmi: *Siue ille* (Pater) *cogitetur, nullo alio exiſtente, ſiue alijs exiſtentibus, neceſſum eſt, verbum illi coæternum eſſe.* Ergo Verbum ſub ea ratione non oritur per ſe ex cognitione libera futurorum. Quod ampliùs conſtabit ex dicendis ſect. 3.

SECTIO SECVNDA.

Obiectiones directè aduerſantes doctrinæ præiactæ, proponuntur, & enodantur.

17 OPPONVNT I. Adverſarij. Ideo Verbum per ſe procedit ex cognitione poſsibilium, quia oritur ex comprehenſione divinæ eſſentiæ & omnipotentiæ, quæ nequeunt comprehendi, non cognitis poſsibilibus. Atqui ſuppoſito decreto cõprehendi pariter nequeunt, non cognitis creaturis futuris. Ergo Verbum, ſuppoſito decreto, procedit per ſe ex ſcientia futurorum. Maior ſupponitur ex dictis ſuprà Diſp. LXV. per totam. Minor autem ſuadetur dupliciter. PRIMO: Quia ideo nequeunt eſſentia & omnipotentia Dei comprehendi, non cognitis poſsibilibus, quoniam cum ijs habent neceſſariam connexionem. Atqui etiam decretum divinum de futuritione rerum habet pariter connexionem neceſſariam cum creaturis futuris. Ergo ſuppoſito decreto, eſſentia & omnipotentia nequeunt comprehendi, non cognitis creaturis futuris. SECVNDO. Eſſentia & omnipotentia divina comprehendi nequeunt, niſi cognitione illas totaliter adæquante, ac proinde attingente quidquid vi illarum eſt cognoſcibile. Atqui ſuppoſito decreto, creaturæ futuræ vi illarum ſunt cognoſcibiles. Ergo ſuppoſito decreto, eſſentia & omnipotentia nequeunt comprehendi, non cognitis creaturis futuris.

18 RESP. Omiſsis aliorum ſolutionibus, conceſſa vtrâque præmiſſa, negando conſequentiam: quia Verbum divinum ſolùm procedit per ſe ex cognitione comprehenſiva Dei ſecundùm prædicata abſolutè neceſſaria; cùm ſola illa intelligantur pro priori ad proceſsionem & exiſtentiam Verbi: non autem ex cognitione comprehenſiva Dei ſecundùm prædicata libera aut contingentia, qualia profectò ſunt decreta quælibet, ac ſcientia viſionis ijs innixa, quoniam ea omnia ſupponunt pro aliquo priori rationis Deum vnum ac trinum integrè conſtitutum, independenter ab omni libera determinatione. Vnde parum intereſt, aut præterrem eſt quòd eſſentia & omnipotentia divina ſuppoſito decreto comprehendi nequeant non cognitis creaturis futuris. Quamvis enim id ſit verum, adhuc ea ſuppoſitio decreti accidentaria eſt proceſsioni Verbi iam ſuppoſitæ pro priori aliquo ex vi cõprehenſionis prædicatorum Dei neceſſariorum. Quæ doctrina inſtantiam habet manifeſtam in operationibus Dei ad extra exercitis in tempore, quibus non cognitis ex hypotheſi exiſtentiæ ſuæ nequit omnipotentia comprehendi: & tamen nec ipſi Adverſarij volunt, Verbum per ſe procedere ex cognitione operationum ad extra in tempore exercitarum. Quod probat ratio manifeſta: quia omnes operationes ad extra ſupponunt pro aliquo priori exiſtentiam trium perſonarum, à quibus indiviſim proceduntur: ac proinde exiſtentiam Verbi. Ergo non ſupponuntur per ſe vllo modo ante Verbi proceſsionem & exiſtentiam. Alioqui Verbum intelligeret operans, priuſquam exiſtens. quod planè repugnat.

19 DICES: Etiam cognitio creaturarum poſsibilium in omnipotentia, & ipſius Verbi, eſt communis tribus perſonis, & intelligitur ab ijs procedere, tanquam à ſuppoſitis intelligentibus, ac comprehendentibus Deum. Et tamen cognitio eorum omnium ſupponitur pro aliquo priori rationis ad proceſsionem atque exiſtentiam Verbi, vtpotè per ſe procedentis ex illa: vt docuimus ex profeſſo Diſp. LXIV. & LXV. Ergo quamvis operationes ad extra ſint communes tribus perſonis, & intelligantur ab ijs procedere, tanquam à ſuppoſitis, locus eſt vt cognitio earum ſupponatur pro aliquo priori rationis ad proceſsionem & exiſtentiam Verbi.

20 RESP. Imprimis iuxta ſententiam quæ tribuit Deo ſubſiſtentiam abſolutam & ſingularem, quamvis communicabilem, pro priori rationis ad perſonas, cognitionem comprehenſivam divinæ omnipotentiæ poſsibiliũque, non intelligi procedere ab eiſdem perſonis pro illo ſigno, vtpote nondum exiſtentibus; ſed ſolùm ab individuo Dei atis ſingulariter ſubſiſtente, etiam pro priori rationis ad perſonam Patris. Vnde non ſequitur quòd Verbum intelligatur priùs cognoſcens, ſeu prius cognitione ipſa, ex qua per ſe procedit. Cùm verò omnes operationes ad extra ſupponant Deum vnum & trinum conſtitutum ad intra, veluti principium ipſarum, nequit earum cognitio intuitiva (qualis eſt ſcientia viſionis) per ſe ſupponi ad proceſsionem aut conſtitutionem alicuius perſonæ. nam alioqui hæc intelligeretur operans, immo liberè operans, priuſquam exiſtens. quod planè repugnat.

21 VERVM Prætermiſſa nunc ea opinione, de qua in progreſſu, reſpondeo, cognitionem comprehenſivam omnium prædica-

ſorum neceſſariorum intra Deum exiſtentium, ac proinde trium perſonarum, & ipſius Verbi, quamvis ſit communis tribus perſonis, non intelligi pro omni ſigno ab ijs procedere, tãquam à ſuppoſitis intelligentibus, ſed tantùm pro eo ſigno in quo intelligitur completum totũ Trinitatis myſterium per proceſsiones activas & paſsivas. Itaque locus eſt, vt pro ſigno *à quo*, ſive pro priori originis, quo Pater producit Verbum, nondum intelligatur perſona Verbi tanquam cognoſcens per modum ſuppoſiti, ſed ſolùm tanquam obiectum cognitum à generante & comprehendente eſſentiam, ac proinde quidquid cum illa habet neceſſariam identitatem qualis eſt perſona Verbi; aut connexionem neceſſariam, quales ſunt creaturæ poſsibiles. Quare perſona Verbi ſumpta per modum obiecti antecedit quoddammodo ſeipſam in ratione ſuppoſiti, propter illam identitatem neceſſariam & connexionem cum eſſentia. Cùm verò decretum liberum, & ſcientia viſionis creaturarum illi innixa, non habeant vllam neceſſariam identitatem connexionemve, abſolutè loquendo, cum eſſentia aut omnipotentia divina, nec cum perſona Verbi; conſequens eſt, vt in omni conſideratione ſupponant Verbum ipſum perſonaliter & integrè conſtitutum: atque adeò vt nequeant illius proceſsionem antecedere pro aliquo priori rationis.

22 OPONES II. Verbum abſolutè & propri dictum, per ſe procedit ex eo, quo negato, non exiſteret, vel ſubiret intrinſecam mutationem. Id enim eſt per ſe ex aliquo procedere. Atqui negatâ ſcientiâ futurorum, ex ſuppoſitione decreti, Verbum non exiſteret, aut ſubiret intrinſecam mutationem. Non enim eſſet ſcientia eius infinita ſimpliciter ſi ſuppoſito decreto rerum futurarum, non attingeret illas. Ergo Verbum, abſolutè & propriè dictum, procedit per ſe ex ſcientia futurorum.

23 RESP. Verbum abſolutè & propriè dictum procedere per ſe ex ſolo illo, quo abſolutè negato, & nulla ſuppoſitione contingenti facta, non exiſteret, vel ſubiret mutationem aliquam: non verò ex hypotheſi contingenti. Sic etiam ex ſuppoſitione operationis Dei ad extra in tempore exercitæ, ſi Verbum nõ concurreret ad illam cum alijs perſonis, conviceretur non exiſtere, aut ſubire mutationem virtutis operatricis cæterum quia ſuppoſitio eiuſmodi eſt abſolutè contingens, Verbum non procedit per ſe ex illa, nec eius cognitionem per ſe ſupponit. Idem ergo quoad rem præſentem dicendum de ſcientia futurorum, cuius defectus non argueret defectum aut mutationem Verbi abſolutè, ſed ſolùm ex ſuppoſitione contingenti decreti.

24 INSTABIS. Verbum per ſe abſolutè procedit ex cognitione illius, quâ abſolutè ablatâ non exiſteret, aut mutaretur. Ergo pariter per ſe ex ſuppoſitione procedit ex cognitione futurorum, quâ ablata ex ſuppoſitione, non exiſteret, aut mutaretur.

25 RESP. Re ac nomine proceſsionis Verbi per ſe, intelligi ſolam illam quâ Verbum accipit ſuum eſſe perſonale & intrinſecum, ac ſummè neceſſarium: illam verò deberé eſſe ſummè & abſolutè neceſſariam, non autem ex hypotheſi contingenti tantùm. Vnde conceſſo antecedenti, nego conſequentiam: quia proceſsioni ac ſummæ neceſsitati Verbi divini non opponitur connexio cum quolibet prædicato Dei neceſſario abſolutè: obſtat verò connexio cum quolibet prædicato contingenti abſolutè, quamvis neceſſario ex ſuppoſitione, qualis eſt ſcientia futurorum.

26 VRGET Maſtrius ad hominem, ſuppoſitâ ſententiâ aſſerente, Verbum divinum per ſe procedere ex ſcientia poſsibilium, quod ipſe negat, & nos ſuprà ſtatuimus Diſp. LXV. Non minùs diſtat ſummè neceſſarium ab eo, quod ſummè neceſſarium non eſt, quàm à cõtingente: cùm illa prior diſtantia infinita ſit, & hæc poſterior nequeat eſſe maior, quàm infinita. Atqui Verbum, quamvis ſummè neceſſarium, procedit per ſe ex cognitione poſsibilium, quæ non ſunt ſummè neceſſaria, ſed infra ſummum. Ergo & procedere poteſt per ſe ex cognitione contingentium. Nimirum, vbi non obſtat infinita diſtantia ſummè neceſſarij ab ijs, quæ non ſummè neceſſaria ſunt, nec obſtare debet diſtantia illius à contingentibus, quæ pluſquam infinita eſſe non poteſt.

27 RESP. Diſtinguendo maiorem: Non minùs diſtat ſummè neceſſarium ab eo quod ſummè neceſſarium non eſt, quàm à contingente; diſtantiâ ſecundùm eſſe, concedo: ſecundùm connexionem, nego maiorem: & ſub eâdem minoris diſtinctione, nego conſequentiam. Vt enim oſtenſum fuit Diſp. LXV. num. 15. & 45. ac pluribus inſtantijs confirmatum, nulla contradictio eſt in eo, vt magis neceſſarium omnino connectatur cum eo, quod minùs neceſſarium eſt, veluti ratio huius à priori. Quod patet in decreto Dei libero & efficaci relatè ad futurum, in principijs relatè ad concluſiones, & in qualibet natura relatè ad ſuas proprietates. Quare cognitio omnipotentiæ, ex quâ Verbum per ſe procedit, & omnipotentia ipſa, licèt ſummam neceſsitatem exiſtendi habeant, poſſunt omnino connecti cum poſsibilitate creaturarum, quamvis inferiorem neceſsitatis gradum attingente, veluti ratio à priori illius. Deus enim per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & per omnipotentiam ſuam, conſtituitur proximè potens facere quaslibet creaturas

turas: atque adeò creaturæ ipſæ conſtituuntur proximè poſsibiles per ſcientiam & omnipotentiam Dei, veluti per rationem à priori neceſſariò illas inferentem. Quin etiam ipſa non-repugnantia creaturarum, quæ dici ſole poſsibilitas illarum intrinſeca & remota, neceſſariò infertur ex eſſentia atque ideis divinis, & omnipotentiâ, veluti ex ratione à priori. Quod enim aliqui aiunt, repugnantiam producendi impoſsibilia quælibet non oriri ex defectu virtutis in Deo, ſed ex contradictione quæ eſt in termino, iam reiectum fuit loco nuper indicato num.61.ex doctrina D.Anſelmi, oſtenſumque, nullam in Deo eſſe potentiam ad chimæras & quælibet impoſsibilia producenda: neque inde ſequi defectum aliquem privativum in potentia Dei, quæ prorſus intermina eſt, ſed negativum; qualis profectò eſt in potentia generativa Patris æterni, ne poſsit generare alterum Filium, & in Deo ne poſsit mentiri, aut peccare. quibus exemplis vtitur Anſelmus loco ibidem allegato ex Proslogio cap.7. Futura autem contingentia, vt contingentia, ſeu exiſtentia pro libito Dei, repugnat omnino quòd connectantur cum aliquo ente neceſſario, ac præſertim ſummè neceſſario, quale eſt Verbum divinum, & quælibet perfectiones intra Deum exiſtentes. Contingens enim ex ſua ratione formali habet prædicata oppoſita neceſſario: ac proinde hoc nequit per ſe procedere ex illius cognitione, quæ adhuc in Deo, exprimere debet terminationẽ liberã & contingentem, ſeu quæ potuerit nõ eſſe, iuxta ſenſum explicatũ Tom I. Diſp.XXXVII.

SECTIO TERTIA.

Quid ſit exiſtimandum de Verbo diuino ſub exercitio actuali repræſentandi creaturas futuras & exiſtentes? Statuitur doctrina S. Anſelmi, pariterque Auguſtini, & D. Thomæ.

28 DICO Secundò: Verbum divinum, quatenus in exercitio repræſentans creaturas futuras & exiſtentes, procedit per ſe ex illarum cognitione. Ita Auctores tertiæ ſententiæ: iuxta quam diſtinguere oportet in Verbo divino perfectionem & entitatem neceſſariam, quâ propriè & abſolutè eſt ac dicitur Verbum; & terminationem liberam, ſeu contingentem, quâ repræſentat creaturas futuras & exiſtentes. Priori conſideratione ſolùm procedit per ſe ex cognitione eorum, quæ ſunt formaliter intra Deum, aut cum ijs neceſſariò connectuntur, vt ſectione prima oſtenſum eſt. Poſteriori autem dicimus nunc, illud per ſe procedere ex cognitione libera creaturarum futurarum atque exiſtentium.

29 HANC Aſſertionem exiſtimo cohærentem Anſelmo ſuprà cap.33.fine, aliàs 31. vbi de Deo Patre ait: *Vno igitur, eodemque Verbo, dicit ſeipſum, & quæcumque fecit.* Vbi ſermo non eſt de creaturis purè poſsibilibus, ſed de futuris, ſive exiſtentibus, quæ ſolæ factæ ſunt. Eo autem ſuppoſito, probatur Aſſertum; Verbũ quatenus in exercitio repræſentans creaturas exiſtentes, procedit per ſe ex illa cognitione, quam per ſe ſupponit in Patre. Atqui ſupponit in Patre cognitionem eorum quæ facta ſunt, ſive creaturarum exiſtentium. Ergo Verbum, quatenus repræſentans in exercitio creaturas exiſtentes, procedit per ſe ex illarum cognitione. Minor, in quâ ſolâ eſt difficultas, probatur. Verbum enim, quatenus in exercitio repræſentans creaturas exiſtentes, per ſe ſupponit in Patre dictionem illarum. Pater enim *Vno eodemque Verbo dicit ſeipſum, & quæcumque fecit.* Atqui dictio creaturarum exiſtentium aut eſt ipſa earum cognitio, aut ſaltem illam ſupponit pro aliquo priori circa idem obiectum, vt Adverſarij docent. Intellectus enim, præſertim divinus, non dicit, niſi quod intelligit. Ergo Verbum, quatenus in exercitio repræſentans creaturas exiſtentes, ſupponit per ſe in Patre cognitionem illarum. Nimirum, quantum ad hoc eadem ratio eſt in cognitione poſsibilium, ac creaturarum exiſtentium. Eatenus enim plerique Theologi, etiam ex Adverſarijs (ſi excipiamus diſcipulos Scoti) aiunt, Verbum abſolutè & propriè ſumptum, ſive quoad intrinſeca & neceſſaria, procedere per ſe ex cognitione creaturarum poſsibilium, quatenus per ſe procedit ex dictione poſsibilium, quæ aut eſt illarum cognitio, aut eam per ſe ſupponit. Si ergo quatenus in exercitio repreſentat creaturas exiſtentes, procedit ex dictione illarum, pariter procedit ex earum cognitione.

30 DEINDE Idipſum tradit S.Doct. ſuprà c.34.aliàs 33.dum inquit: *Cùm ipſe ſummus ſpiritus dicit ſeipsũ, dicit omnia quæ facta ſũt. Nã & antequã fierent, & cũ iã facta ſunt, & cũ corrũpuntur, ſeu aliquomodo variãtur, sẽper in ipſo ſunt, nõ quod sũt in ſeipſis, ſed quod eſt idẽ ipſe. Etenim in ſeipſis ſunt eſſentia mutabilis, ſecundũ mutabilẽ rationẽ creata: in ipſo verò sũt ipſa prima eſsẽtia, & prima exiſtẽdi veritas; cuĩ prout magis illa vtcũq; ſimilia ſunt, ita veriùs & præſtãtiùs exiſtũt. Hoc itaq;, modo nõ irrationabiliter aſſeri poteſt, quia cũ ſeipsũ dicit sũmus ille ſpiritus, DICIT ETIAM QVIDQVID FACTVM EST, VNO EODEMQVE VERBO.* Itaq; iuxta Anſelmũ, Pater dicit ſeipſum & creaturas exiſtentes eâdẽ dictione, eodemq; Verbo: ac proinde ſicut Verbũ per ſe ſupponit dictionẽ in Patre terminatã ad ſeipsũ, ita etiã ad creaturas exiſtentes. Cũq; dictio illa priori ſenſu ſit neceſſaria, & poſteriori libera, oportet vt Verbum quoad prædicata neceſſaria ſupponat

per ſe in Patre dictionem obiecti neceſſarij (vt ſtatuimus, Aſſertione prima) quoad prædicata verò contingentia repræſentandi in exercitio creaturas exiſtentes ſupponat per ſe dictionem cõtingentem eiuſdem obiecti liberi, atque adeò illius liberam cognitionem.

31 PRÆLVXIT Anſelmo in hac doctrina, ſicut & in alijs pleriſque, Magnus Auguſtinus, idque varijs locis. Præcipuè verò Trac. 21 in Ioannem cap. 5. ait: *Pater diligit Filium, & omnia demonſtrat ei, quæ ipſe facit. DICENDO ENIM FILIO QVOD FACTVRVS ERAT PATER PER FILIVM, IPSVM FILIVM GENVIT, PER QVEM FACERET OMNIA.* Itaque iuxta Auguſtinum, ipſa dictio, quâ Pater Filium genuit, eſt dictio eorum, quæ facturus erat Pater per Filiũ; id eſt creaturarum futurarũ, ſeu aliquando exiſtentium. Cumque dictio illa creaturarum futurarum non ſit in ſenſu formali, quâ genuit Filium, ſeu Verbum, quoad prædicata ſibi intrinſeca & neceſſaria, vt demonſtratum fuit ſectione prima; ſupereſt vt eâdem genuerit Filium ſeu Verbum quoad prædicata ipſius contingentia, id eſt, quoad exercitium actuale repræſentandi creaturas futuras.

32 SIMILITER Lib. 15. de Trinit. cap. 4. idipſum tradidiſſe videtur, his verbis: ✻ Proinde tanquam ſeipſum dicens, Pater genuit Verbum ſibi æquale per omnia. Non enim ſeipſum integrè perfectéque dixiſſet, ſi aliquid minùs aut ampliùs eſſet in eius Verbo, quàm in ipſo. Ibi ſummè illud agnoſcitur, EST, EST; NON, NON: & ideo Verbum hoc verè veritas eſt: quia quidquid in ea ſcientia, de qua genitum eſt, & in ipſo eſt: quod autem in ea non eſt, nec in ipſo eſt. ✻ Iuxta quæ verba oportet, vt quidquid in Verbo eſt, fuerit in ſcientia, ex qua eſt genitus. Atqui in Verbo eſt cognitio & repræſentatio libera futurorum. Ergo etiam in ſcientia, ex qua eſt genitus, oportet vt fuerit eorundem futurorum cognitio: atque adeò Verbum, quatenus liberè futura repræſentans, procedit per ſe ex libera illorum cognitione. Subdit verò Auguſtinus paucis interiectis: ✻ Novit itaque Deus Pater in ſeipſo, novit in Filio: ſed in ſeipſo, tanquam ſeipſum: in Filio, tanquam Verbum ſuum, QVOD EST DE IIS OMNIBVS, QVÆ SVNT IN IPSO. Omnia ſimiliter novit & Filius: in ſe ſcilicet, tanquam ea quæ ſunt nata de his, quæ Pater novit in ſeipſo: in Patre autem, tanquam ea, de quibus nata ſunt, quæ ipſe Filius novit in ſeipſo. ✻ Itaque iuxta Auguſtinum, Verbum eſt de ijs omnibus, quæ ſunt in ipſo Patre, id eſt, de cognitione eorum omnium, quæ ſunt in ſcientia Patris. Atqui in ſcientia Patris ſunt etiam creaturæ futuræ. Ergo Verbum eſt de ſcientia, ſeu cognitione creaturarum futurarum: atque adeò ex illa procedit. Etenim præpoſitio illa *de*, tum ex communi vſu, tum ex ſtylo Auguſtini, denotat influxum principij: qualiter iuxta ſenſum Eccleſiæ, obſervatum ab Anſelmo in Opuſculo de Proceſſione Spiritus ſancti, in particula illa Symboli Conſtantinopolitani, *Deum de Deo, lumen de lumine*, &c. præpoſitio *de* ſignificat proceſſionem vnius ab alio, tanquam ex principio.

33 VLTERIVS. De ratione Verbi eſt, non ſolùm vt repræſentet, ſed etiam vt exprimatur à dicente: quod ſatis ſuprà explanatum fuit ex doctrina Anſelmi ſuprà Diſput. LXII. atque adeò ſub omni ratione, quâ Verbum eſt propriè in divinis, debet eſſe expreſſum à Patre dicente. Cùm ergo Verbum divinum ſit repræſentativum futurorum, debet eſſe expreſſum ſub ea ratione formali à Patre dicente futura, ac proinde ea cognoſcente, vel per ipſam dictionem, vel pro aliquo priori rationis ad illam. Cùm itaque Auguſtinus docet, Patrem omnia cognoſcere in Filio, tanquam in Verbo ſuo, ac proinde etiam futura; conſequens eſt vt in Filio, tanquam in Verbo ſuo, omnia, etiam futura exprimat. Ergo & conſequens eſt, vt Verbum ipſum, quatenus liberè futura repræſentans, procedat per ſe ex paterna & libera cognitione atque expreſsione futurorum. DENIQVE. Iuxta Auguſtinum, omnia quæ Filius cognoſcit in ſeipſo, cognoſcit planè tanquam nota de ijs, quæ Pater novit in ſeipſo. Cùm ergo Filius cognoſcat in ſeipſo, etiam futura, oportet vt ea noſcat veluti nota ex ijs, quæ Pater in ſeipſo agnoſcit tanquam futura. Ergo cognitio futurorum ex mente Auguſtini præcedit pro aliquo ſigno priori in Patre relatè ad Filium; ac proinde hic, quatenus futura cognoſcens, ſupponit in Patre pro aliquo ſigno priori cognitionem futurorum, & per conſequens ex illa procedit.

34 QVOD Autem ſpectat ad Div. Thomam, meritò Godoy ipſum pro eâdem doctrina allegat, quatenus 1. part. quæſt. 34. art. 1. ad 3. ait: *Pater intelligendo ſe, & Filium, & Spiritum ſanctum, ET OMNIA ALIA, QVÆ IN EIVS SCIENTIA CONTINENTVR, concipit Verbum: vt ſic tota Trinitas Verbo dicatur, ET ETIAM OMNIS CREATVRA.* Ex quo teſtimonio frequenter Theologi inferunt, iuxta mentem S. Doctoris, Verbum per ſe procedere ex cognitione totius Trinitatis, & creaturarum poſsibilium. Atqui eadem quoddammodo eſt ratio futurorum; cùm & hæc contineantur in ſcientia Patris, & ſub termino illo communi *omnis creatura* cõprehendantur, non minùs quàm poſsibilia. Ergo Verbũ, ſicuti per ſe procedit ex cognitione poſsibiliũ, ita & quoddãmodo futurorũ.

Ne-

Neque obſtat aliud ipſius S. Doctoris teſtimonium ex quæſt. 4 de Veritate art 5. fine corporis, vbi ait : *Quia Pater principaliter dicit ſe generando Verbum ſuum, & ex conſequenti dicit creaturas; ideo principaliter, & quaſi per ſe, Verbum refertur ad Patrem: ſed ex conſequenti, & quaſi per accidens refertur ad creaturam. Accidit enim Verbo, vt per ipſum creatura dicatur.* Non, iuquam, obſtat, quidquid in oppoſitum velit Amicus vbi ſuprà num. 174. Imprimis enim ſi per creaturas intelligantur eo loco omnes, ac proinde etiam poſsibiles, ipſe Auctor cum pleriſque Adverſarijs tenetur exponere, quomodo D. Thomas ijs verbis non reijciat ipſorum ſententiam, pariter ac noſtrã, quæ tradit, Verbum per ſe procedere ex cognitione creaturarum poſsibilium. Cùm ergo etiam ipſi velint, eam doctrinam eſſe traditam à D. Thoma, conſequenter aſſerere debent, in teſtimonio nuper obiecto non eſſe ſermonẽ de creaturis poſsibilibus, ſed de exiſtentibus, ita vt accidat Verbo exercitium actuale dicendi illas, ſeu repræſentandi, veluti futuras aut exiſtentes. Ex quo ſolùm probatur, Verbum quoad prædicata ſibi neceſſaria nullatenus procedere ex cognitione creaturarum futurarum, ſive exiſtentium : quod ſuprà ſtatuimus ſectione prima. Cùm hoc autem cohæret quòd conſideratum ſub munere, ſive exercitio repræſentandi creaturas futuras vel exiſtentes (quod veluti per accidens, aut contingenter convenit ipſi Verbo) procedat per ſe ex illarum cognitione. Ad illud enim exercitium contingens manifeſtandi creaturas futuras per modum Verbi, non ex accidenti, aut comitanter ſolùm, ſed per ſe ſe habet ac ſupponitur pro aliquo priori cognitio illarum in Patre generante, ſeu dicente Verbum ipſum.

SECTIO QVARTA.

Eadem proceſsio per ſe Verbi diuini quoad exercitium actuale repræſentandi futura ex illorum cognitione, ſuadetur variis rationibus. Euaſiones Aduerſariorum multipliciter præcluſæ.

35 RATIO Prima eiuſdem ſententiæ in eo ſita eſt, quòd Verbum, quatenus in exercitio repræſentans futura, debeat per ſe procedere ex aliqua cognitione Patris. At non ex cognitione poſsibilium. Ergo ex cognitione eorundem futurorum. Conſequentia patet à ſufficienti enumeratione. Minor eſt certa: quia nullus terminus contingens procedit per ſe ex cognitione neceſſaria. Hæc enim ſolùm apta, eſt parere terminum neceſſarium. Atqui Verbum divinum, quatenus in exercitio repræſentans futura, eſt terminus contingens; cognitio autem poſsibilium neceſſaria eſt. Ergo Verbum, quatenus in exercitio repræſentans futura, non procedit per ſe ex cognitione poſsibilium. Maior autem præcipua, in quâ eſt diffidiũ, ſuadetur dupliciter. PRIMO: Quia Verbum, quatenus tale, eſt terminus dictionis intellectualis, ac proinde cognitionis. Alioqui, vt arguit ſuprà Anſelmus cap. 32. fine, Deus dicens, ſeu loquens, non intelligeret quod dicit & loquitur. Atqui Verbum divinum, quatenus in exercitio repræſentans futura, exprimit rationem Verbi : vtpote ſoli Verbo conuenientem. Ergo quatenus in exercitio repræſentans futura, procedit per ſe ex aliqua cognitione. SECVNDO. Verbum non habet à ſe ipſo, ſed à Patre, exercitium illud repræſentandi futura : iuxta illud Ioannis 17. *Omnia mea, tua ſunt.* Ac præterea: *Mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſsit me.* At quidquid habet à Patre, accipit ex aliqua Patris dictione ac cognitione. Ergo Verbum quoad exercitium repræſentandi futura debet per ſe procedere ex aliqua Patris cognitione.

36 RESPONDENT I. Adverſarij huic ſecundæ probationi, Verbo conuenire exercitium repræſentandi futura, veluti acceptum à Patre ; non tamen per ſe ex vi proceſsionis, ſed comitanter ſolùm : atque adeò nullo ſenſu Verbum per ſe procedere ex futurorum cognitione libera, ſed ſolùm ex neceſſaria prædicatorum in Deo exiſtentium formaliter, & poſsibilium cum ijs connexorum, quippe futura ſolùm, ſpectare ad obiectum ſecundarium, & per accidens.

37 SED Contrà. Non enim contendimus, Verbum abſolutè & propriè ſumptũ, id eſt, quoad prædicata ſibi omnino neceſſaria, procedere vllo modo per ſe ex cognitione libera futurorum : ſed quoad prædicatum illud liberum ſeu contingens repræſentandi futura. Ideò enim quoad exercitium neceſſarium repræſentandi poſsibilia procedit per ſe ex paterna & neceſſaria illorum cognitione, quia non habet illud à ſe, ſed à Patre dicente, ac proinde intelligente quod loquitur. Atqui nec exercitium liberum repræſentandi obiecta contingentia habet à ſe, ſed à Patre dicente, ac proinde intelligente quod loquitur. Ergo quoad exercitium liberum repræſentandi obiecta contingentia procedit per ſe ex libera illorũ cognitione. *Deinde.* Quamvis poſsibilia nõ comparentur ad cognitionem paternam veluti obiectum primarium, ſed ſecundariũ, illa per ſe ſupponitur ante proceſsionem Verbi abſolutè & propriè ſumptĩ, quoniam ſub hac ratione habet repræſentare poſsibilia non à ſe, ſed per communicationẽ à

Patre loquente. Atqui nec habet à ſe exercitium repræſentandi futura, ſed per communicationē à Patre loquente. Ergo licèt futura non comparentur ad cognitionem paternam veluti obiectum primarium, ſed ſecundarium, illa per ſe ſupponitur ante proceſsionem Verbi ſub munere & exercitio repræſentandi futura. Ratio omnium à priori eſt, quoniam verbum mentis per ſe loquendo, & ex propria ratione formali, abſtrahendo à divinis & creatis, eſt terminus loquutionis intellectualis, ſeu expreſsio & repræſentatio eorum obiectorum, quæ principium intelligens cognoſcit & loquitur. Quare per ſe exigit & ſupponit in loquente cognitionem omnium eorum obiectorum, quæ verbo ipſo exprimuntur: abſolutè & ſimpliciter quidem, ſi ex ſuis prædicatis neceſſarijs habeat repræſentare ea obiecta: cum addito autem, ſi non ex prædicatis neceſſarijs, ſed contingenter habeat ea obiecta repræſentare. quo poſteriori ſenſu Verbum divinū repræſentat futura. Quare ſupereſt vt ſub hac ratione formali dumtaxat conſideratum, & non ſecundùm prædicata neceſſaria, per ſe exigat & ſupponat in Patre loquente cognitionem pariter contingentem, ſeu liberam futurorum.

38 RESPONDENT II. Suarez, Maſtrius, & alij frequenter, liberam repræſentationem futurorum communicari Filio in radice ſolùm, quatenus ipſi communicatur per ſe ſcientia neceſſaria, quæ, ſuppoſito decreto à tribus perſonis concepto, extenditur ad cognoſcēda futura. Itaque extenſionē ipſam cognitionis ad futura non ſupponi vllo modo, ſeu non præcedere in cognitione, ex qua per ſe procedit Verbum, ſed potiùs ſubſequi poſt conſummatam illius proceſsionem: vt proinde Verbum iam intrinſecè & plenè conſtitutum, ſimul atque in eodem ſigno rationis cum Patre, decernat rerum futuritionem, & illas pariter cognoſcat.

39 SED Contrà. Filius enim Dei, non ſolùm prout repræſentat poſsibilia, ſed etiam futura, exercet munus Verbi, veluti ſibi proprium præ alijs divinis perſonis. Atqui de ratione Verbi ſub omni munere proprio Verbi eſt, vt procedat in ſenſu formali à loquente & cognoſcēte obiectum expreſſum ipſo Verbo: vt in ſuperioribus latè oſtenſum eſt. Ergo Verbum non ſolùm prout repræſentat poſsibilia, ſed etiā futura, procedit in ſenſu formali à loquente & cognoſcēte eadem futura, ac proinde per ſe procedit ex illorum cognitione in ſenſu formali, & non ſolùm radicali. *Vlteriùs.* Verbū per ſe procedit ex cognitione poſsibilium, nō ſolùm radicali, ſed etiā formali, in ſentētia Suarij, & aliorum: ſimiliterque ex cognitione attributorū non ſolùm radicali, ſed etiā formali, iuxta Maſtriū, & alios ex diſcipulis Scoti. At hoc ideo eſt, quia Verbum ex proprio munere habet repræſētare in ſenſu formali tum creaturas poſsibiles, tum attributa, & non ſolùm radicem illorum. Cùm igitur pariter ex proprio munere habeat repræſentare creaturas futuras, & non ſolùm radicem illarum, conſequēs eſt, vt per ſe procedat ex cognitione futurorum formali. Cumque hoc non cōpetat Verbo ſecundùm prædicata neceſſaria, vt oſtenſum fuit ſect. 1. ſupereſt vt ipſi competat penes prædicatum contingens aut liberum repræſentandi futura.

40 RATIO Secunda. Verbum quoad prædicata ſibi neceſſaria conſideratum eatenus per ſe procedere dicitur ex cognitione omnis obiecti neceſſarij, quatenus hac per impoſsibile ablata, aut non ſuppoſitâ, in Patre, non maneret idē Verbum, ac modò eſt. Atqui pariter ablatâ, aut non ſuppoſitâ in Patre cognitione libera futurorum, nō maneret idem Verbum quoad repræſentationem futurorum, ac modò eſt. Ergo Verbum quoad repræſentationē futurorum per ſe procedit ex cognitione libera futurorū prout in Patre. Conſequentia patet ab identitate rationis. Maior conſtat, tū ex prima notione proceſsionis per ſe ex aliquo principio, tum ex cōmuni Theologorum ſenſu. Minor autem facilè ſuadetur: Quia Verbum modò exiſtens repræſentat futura. Ablata autem, aut non ſuppoſita in Patre cognitione libera futurorum, Verbum non repræſentaret futura. Cùm enim Verbum modò exiſtens ſit adæquatum Patri, vt loquitur Auguſtinus, nequit repræſentare plus aut minùs, quàm quod à Patre generante & illud exprimente cognoſcitur. Ergo ablata aut non ſuppoſita in Patre cognitione libera futurorum, non maneret idem Verbum quoad repræſentationem futurorum, ac modò eſt.

41 DICES: Sicut liberum aut contingēs eſt Deo decretum circa futura, ita & Verbo illa repræſentare. At quia liberum eſt Deo decernere futura, maneret idem Deus, qui modò eſt, licèt futura non decerneret. Ergo quia liberum eſt Verbo repræſentare futura, maneret idem Verbum, quamvis futura non repræſentaret. Ergo & maneret idem Verbum quamvis non eſſet in Deo Patre cognitio libera futurorum, atque adeò per ſe ex illa non procedit.

42 SED Contrà. Hæc enim obiectio aut ſolutio dumtaxat probat, Verbum abſolutè & quoad prædicata neceſſaria idem manſurum, quamvis nullā in Patre ſupponeret cognitionem liberam aut decretum futurorum, quod vltro concedimus. Cæterum adhuc verè colligitur, Verbum quoad repræſentationem futurorum non exiturum idem, ſi non ſupponeret in Patre pro aliquo priori cognitionem liberā futurorum ipſorum; quia Verbum modò exi-

existens nequit repræsentare obiectum aliquod contingens, sicut nec necessarium, nisi suppositа per se in Patre cognitione eiusdem obiecti. nam alioqui non erit Verbum Patri adæquatũ, quale modò est. *Vlterius.* Quamvis Deo sit liberum aut contingens decernere aut non decernere aliquid futurum, v.g. existentiam mundi, ex hypothesi tamen liberæ determinationis, si Deus non haberet scientiam liberam de existẽtia mundi, non esset eius scientia infinita simpliciter, ac modò est, quia non se extenderet ad omne scibile. Ergo pariter quamvis Verbo absolutè sit liberum aut contingens repræsentare aut non repræsentare futura, ex hypothesi tamen determinationis liberæ illorum, si non se extenderet ad illa repræsentanda, non esset Verbum infinitè simpliciter repræsentativum, ac modò est, quia non se extenderet ad omne repræsentabile. Ergo Verbum modò repræsentans futura, quatenus tale, supponit per se decretum de existentia futurorum, ac proinde cognitionem liberam eorundem, ex qua procedat quatenus futura repræsentans.

43 TERTIA Ratio eruitur ex Anselmo verbis illis iam suprà exscriptis: *Vno igitur, eodemque Verbo, Pater dicit seipsum, & quæcumque fecit.* Vnde sub hanc formulam differere possumus. Pater, quatenus cognoscit & dicit liberè creaturas, producit aliquod Verbum: ac proinde illud Verbum quod in ipso est vnicum. At quatenus cognoscens & dicens liberè creaturas non producit Verbum quoad prædicata necessaria. Ergo producit illud quoad prædicatum liberum repræsentandi creaturas. Minor cum consequentia patet. Maior probatur dupliciter. PRIMO & generatim ex ipsa notione cognitionis & dictionis, quæ est productio Verbi. Vt enim Anselmus sæpe in superioribus observat, quoties mens intelligit aliquid, loquitur intra se, & concipit Verbum. Ideoque Sanct. Thom. 1. part. quæst. 27. art. 1. ait: *Quicumque intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio intellectus, ex vi intellectionis proueniens.* Ergo Pater, quatenus cognoscit & dicit liberè creaturas, producit intra se aliquod Verbum. SECVNDO. Eatenus Pater cognoscens necessariò creaturas possibiles producit aliquod Verbum, quatenus cognoscit & loquitur per intellectum fœcundatum specie creaturarum possibilium. At etiã quatenus cognoscens liberè creaturas futuras, cognoscit & loquitur per intellectum fœcundatum specie intelligibili ipsarum. Essentia enim divina non solùm est forma intelligibilis repræsentans possibilia, sed etiam futura; nec solùm fœcundat intellectum Patris sub priori ratione, sed etiam sub posteriore. Ergo Pater quatenus cognoscit & dicit liberè creaturas futuras, producit aliquod Verbum.

44 RESPONDENT Adversarij processionem Verbi divini esse prorsus necessariã; atque adeò posse supponere cognitionem possibilium, & per se ex illa oriri; non autem ex cognitione futurorum, quæ prorsus libera est.

45 SED Contrà. Quamvis processio Verbi absolutè & simpliciter dicta sit prorsus necessaria, sub aliqua formalitate aut expressione potest esse libera. Ergo sub ea ratione formali aut expressione potest supponere in Patre cognitionem liberam. Consequentia patet ab eversione solutionis contrariæ. Antecedens patet à pari scientiæ simpliciter dictæ, quæ in Deo est necessaria, vtpote proprietas, seu attributum necessariò connexum cum natura Dei: & tamen inde non impeditur, vt sub aliqua formalitate aut expressione sit libera. Idem appareat in amore increato, qui simpliciter & absolutè est necessarius, nec tamen inde impeditur vt sub aliqua expressione aut terminatione sit liber. Ergo pariter licèt processio Verbi divini absolutè & simpliciter sit necessaria, potest esse libera sub aliqua expressione aut terminatione, nimirum, quatenus exprimit originem Verbi repræsentantis creaturas futuras ex secundario & contingenti munere. Sub hac enim expressione aut terminatione, quemadmodum in Verbo invenitur aliquod munus liberum aut contingens, ita & in eius processione idipsum inveniri potest.

46 DICES, Esse manifestum discrimen inter scientiam Dei (idemque est de amore) & processionem. Scientia enim divina sub aliqua sui expressione terminatur ad obiectum extrinsecum Deo, & nullatenus connexum cum ipso, atque adeò ex ea parte potest esse libera. Processio autem Verbi divini est tota ad intra, nec vllo modo terminatur ad aliquid Deo extrinsecum, seu non connexum cum ipso. Quare locus est vt scientia sub aliqua expressione aut terminatione sit Deo contingens vel libera; non autem processio, quæ ex omni capite apparet necessaria.

47 SED Contrà. Imprimis enim quòd scientia creaturarum in Deo terminetur ad obiectum extrinsecum, nihil confert vt sit libera sub ea terminatione, si aliunde cum ijs habet connexionem, qualem certè habet cum creaturis possibilibus. Quare disparitas scientiæ à processione solùm desumi potest penes connexionem aut defectum connexionis. At inde nulla desumi potest, quæ ad rẽ sit. Ex eo enim quòd futuritio & existentia creaturarũ non sit necessaria, sed contingens, colligitur planè, terminationem scientiæ Dei ad illas esse liberã &

contingentem. Ergo ex eodem capite colligere licet, Verbum, quatenus in exercitio repræſentans creaturas futuras & exiſtentes, importare terminationem ad illas liberam & contingentem. Ergo pari ſer inferre poſſumus, proceſsionem, quatenus terminatam ad Verbum ſub ea ratione formali, liberam & contingentem eſſe.

Nimirum, in ijs omnibus prædicatis divinis denominatio non attenditur ſecundùm primariam rationem, quæ prorſus neceſſaria eſt, ſed penes ſecundariam, & ſeparabilem, quæ in ſenſu formali exprimit aliquid Deo contingens aut liberum.

48 RESPONDEBIS II. Diſparem eſſe rationem cognitionis poſsibiliũ relatè ad cognitionem futurorum: quoniam prior illa nõ ſupponit Verbum productũ, atque adeò poteſt per ſe concurrere ad illius productionem; ſecus verò poſterior. Hæc enim ſupponit pro aliquo priori rationis decretum liberum, cui innititur, ac proinde tres perſonas ſubſiſtentes, quæ indiviſim decernunt quodlibet opus ad extra. Quare nequit ſcientia libera futurorum vllo modo per ſe conferre ad proceſsionem Verbi, vtpote iam ſuppoſitam pro aliquo priori.

49 SED Contrà. Ex ſolutione enim hac ſolùm colligitur, Verbum quoad prædicata neceſſaria ſupponi pro priori aliquo ad ſcientiam liberam futurorum; nõ autem quoad exercitium contingens repræſentãdi eadem futura. Ergo ſolùm colligitur, Verbũ quoad omnia ſibi neceſſaria non procedere per ſe ex cognitione libera futurorum; ſecus verò quoad prædictum exercitium liberum. Conſequentia patet à pari cognitionis poſsibilium. Ideo enim Verbum per ſe ex illa procedit quoad prædicata neceſſaria, ũxta pleroſque Adverſariorum, quia ſupponit per ſe illam pro aliquo priori. Ergo ſi idẽ Verbum quoad exercitium contingens repræſentãdi futura ſupponit per ſe ſcientiam illorum liberam, etiam per ſe ex illa procedit quoad eiuſmodi exercitiũ. Antecedens verò ſuadetur: Quia Verbum quoad exercitium contingens repræſentandi futura ſupponit pro priori cognitionem aliquam, ex qua per ſe procedat penes eam formalem expreſsionem & propriã Verbi. Etenim Verbum ſub omni expreſsione ſibi propria debet ſupponere per ſe cognitionem aliquã, per quam exprimatur & procedat. Atqui quoad exercitium contingens repræſentandi futura non ſupponit pro priori cognitionem neceſſariam dumtaxat, quia hæc ſolùm nata eſt exprimere Verbum quoad prædicata neceſſaria. Ergo ſupponit pro aliquo priori cognitionem liberam, qualis eſt futurorum. Vnde & conſequens eſt, vt penes idem exercitium repræſentandi futura, Verbum ſupponat pro aliquo priori rationis decretum liberum, prout in Patre, cui ea ſcientia innititur.

50 VRGETVR Ampliùs. In Verbo divino poſſumus diſtinguere triplex munus inadæquatum: primum, quo repræſentat eſſentiam & omnia prædicata Deo neceſſaria atque intrinſeca: ſecundum, quo repræſentat neceſſariò creaturas poſsibiles, veluti obiectum ſecundarium, & connexum cùm primario: tertium, quo contingenter in exercitio repræſentat futura, vtpote quæ abſolutè potuiſſent pro libito Dei non eſſe futura. Porrò iuxta primam conſiderationẽ Verbũ ſolùm procedit per ſe ex cognitione Dei quoad prædicata neceſſaria & intrinſeca, illamque ſolam ſupponit pro priori ſecundùm rationem. Iuxta ſecundam verò conſiderationẽ ſupponit per ſe cognitionem creaturarum poſsibilium, quoniam eſt Verbum repræſentativũ ipſarum. Ergo iuxta tertiam debet ſupponere per ſe cognitionem futurorum, cùm pariter illorum ſit repræſentativum. Ergo ſicuti Verbum, vt repræſentans poſsibilia, procedit per ſe ex cognitione illorum, ita etiam prout repræſentans futura, ex illorum cognitione per ſe procedit.

51 DICES, Sufficere cognitionem prædicatorum omnium Dei, & creaturarum poſsibilium cum ijs connexarum, vt Verbum integrè ex illa procedat: quoniam omnis veritas poſsibilis & neceſſaria continetur in ſe ſive comprehendit omnem veritatem futuram, vtpotè quæ iam antea poſsibilis erat: ac proinde non eſſe locum, vt Verbum ſub aliqua expreſsione procedat per ſe ex cognitione libera futurorum.

52 SED Enim ſolutio hæc refellitur multipliciter. PRIMO: Quia Verbũ quoad exercitiũ contingens repræſentandi futura procedit à Patre, prout cognoſcente illa & loquente: cùm id ſit de ratione Verbi, ſub omni expreſsione Verbi propria. Atqui Pater per ſcientiam prædicatorum divinorum, & creaturarum poſsibilium, quatenus talem, nec cognoſcit, nec loquitur futura, vt patet. Ergo Verbum quoad exercitium contingens repræſentandi futura nõ procedit à Patre per ſcientiam prædicatorum divinorum, aut creaturarum poſsibilium, quatenus talem. SECVNDO. Verbum quatenus repræſentans Spiritum ſanctum non procedit per ſe ex ſola cognitione Patris, ac ſuiipſius neque quatenus repræſentat attributa formaliter procedit per ſe ex ſola cognitione eſſentiæ: neque quatenus repreſentat poſsibilia procedit ex ſola cognitione attributorum, etiã iuxta Adverſarios: ſed opus eſt vt per ſe procedat ex cognitione formali omnium eorum obiectorũ, quæ in ſenſu formali repræsẽtat. Atqui Verbũ quoad exercitium cõtingens repræſentat in ſenſu formali creaturas futuras. Ergo quoad exercitium contingens non procedit per ſe ex ſola cognitione poſsibiliũ, ſed ex formali cognitione eorundem futurorum.

NEC

53 NEC Prodeſt quidquam Adverſarijs quod aiunt, nullam eſſe novam veritatem in creaturis futuris ſupra poſsibiles: in quo maximè nititur Amicus vbi ſuprà. In oppoſitum enim eſt quòd veritas futura in ſenſu formali addit aliquid ſupra veritatem poſsibilem. Alia enim eſt ratio formalis conſtituens futurum, vt futurum; alia verò conſtituens poſsibile, vt purè poſsibile: nam prior illa ſupponit omnino decretum liberum, quod non ſupponit poſterior, inſuperque addit ordinem ad exiſtentiam in re habendam, quem non importat creatura poſsibilis. Eaque propter omnes Theologi in Deo diſtinguunt ratione ſcientiam poſsibilium, ſive ſimplicis intelligentiæ à ſcientia libera futurorum, ſive viſionis; & pariter obiecta vtriuſque. Ergo & in Verbo divino diſtinguere oportet ſecundùm rationem exercitium neceſſarium, quo repræſentat veritates poſsibiles; & liberum ſeu contingens, quo repræſentat futuras, ſive exiſtentes. Ergo & locus eſt, vt quoad exercitium contingens repræſentandi creaturas futuras per ſe procedat ex libera illarum cognitione, ſicuti quoad exercitium neceſſarium repræſentandi creaturas poſsibiles procedit per ſe ex neceſſaria cognitione illarũ.

SECTIO QVINTA.

Tria priora argumenta opinionis contrariæ, vrgentibus inſtantijs confirmata, ſolvuntur.

54 OPPONVNT I. Adverſarij. Verbum divinum adæquatè & ſimpliciter conſideratum eſt ſummè neceſſarium. Ergo ſolùm procedit ex cognitione ſummè neceſſaria. Nequit enim eſſe maior neceſſitas exiſtendi in termino, quàm in principio, ex quo per ſe procedit. Atqui ſcientia futurorum & exiſtentium non eſt Deo ſummè neceſſaria, ſed potiùs contingens & libera, cùm potuerit non eſſe in Deo, quoad terminationem ſaltem ad futura & exiſtentia. Ergo Verbum ſub nulla conſideratione procedit per ſe ex cognitione futurorum, aut exiſtentium.

55 RESPONDEO, Quemadmodum licèt ſcientia divina ſit attributum neceſſarium in Deo ſimpliciter & abſolutè loquendo, adhuc locus eſt vt libera dicatur & ſit, non prout terminatur ad prædicata Dei neceſſaria, ſed ad libera aut contingentia: ita etiam locum eſſe vt Verbum divinum abſolutè & ſimpliciter neceſſarium in ſuo eſſe, ſit liberum & contingens quoddammodo, non quatenus repræſentat obiectum neceſſarium, ſed quoad exercitium repræſentandi obiecta contingentia. Si enim nulla creatura eſſet futura, non repræſentaretur à Verbo quatenus futura, ſicuti neque à Deo ſciretur ſub ratione futuritionis. Vnde ſolùm colligitur, Verbum propriè & abſolutè conſideratum non procedere per ſe ex cognitione libera futurorum; ſecus verò quoad exercitium liberũ & quoddammodo contingens repræſentandi eadem futura.

56 INSTAT Maſtrius tom. 1. diſ. 7. q. 2. n. 109. PRIMO. quoniam hæc doctrina eſt nova, & ipſo novitatis titulo reijcienda: nam ſi in Verbo diſtinguendæ eſſent duæ illæ partiales rationes aut formalitates Verbi, vna neceſſaria, altera contingens, ſicut in ſcientia Dei; vtrique ambæ conſtituerent adæquatè perſonam Verbi. Hoc autem eſt impoſsibile: quoniã duæ rationes adeò oppoſitæ, ac neceſſaria & contingens, nequeunt conſtituere vnicam perſonam Verbi, quæ eſt abſolutè & ſimpliciter neceſſaria. SECVNDO: quoniam iuxta ſolutionẽ datam, oportebit diſtinguere in Deo duplex Verbum ſecundùm rationem; alterum neceſſarium, alterum liberum ſeu cõtingens; ſicut diſtinguitur à Theologis in Deo duplex ſcientia per rationem, altera neceſſaria, altera contingens. Hoc autem inauditum eſt in Theologia. TERTIO: quia vel iſta formalitas Verbi divini, prout eſt expreſsivum futurorum, ponit aliquã perfectionem realem Verbo intrinſecã, & cum reali ordine ad futura; vel ſolam terminationẽ eius ad creaturas actuales, cum reſpectu rationis, vt dici ſolet de ſcientia libera viſionis. Non primum; quia Verbum nullam perfectionem intrinſecam poteſt adquirere eo quòd futura exprimat, vel amittere ſi non exprimat; nec realem relationẽ importat ad creaturas. Ergo ſecundum: ac proinde cùm Verbum ſupponatur integrè conſtitutũ independenter ab omni terminatione actuali, & reſpectu rationis ad creaturas futuras, omnis illarum expreſsio ſupponit Verbum pleniſsimè cõſtitutum. Ergo ſub nulla ratione procedit per ſe ex cognitione illarum. QVARTO: Quoniã aliud eſt dicere, Verbum vi ſuæ proceſsionis eſſe expreſsivum futurorum, aliud verò procedere vt actu exprimens futura. Primum enim ex his ſolùm denotat in Verbo aptitudinem quandam in actu primo acceptam vi proceſsionis ad futura exprimenda, ſicuti & ad quælibet intelligibilia, independenter ab omni actuali expreſsione futurorum. quod totum Verbo cõvenit vi ſuæ proceſsionis. Secundum verò ſignificat in Verbo actualem futurorum repræſentationem, quæ accidentariè cõvenit perſonæ Verbi, ſupponitque illud adæquatè ac pleniſsimè productum.

57 HÆC Tamen parum vrgent. Atque imprimis inane eſt quod opponitur, doctrinam hanc novam eſſe. Quidquid enim ſit de modo loquendi, in quo forſan aliqui excedunt poſt Arriagã vbi ſuprà ſubſect. 4. à n. 34. ſententia noſtra vetus eſt, tanquã nõ obſcurè tra-

dita ab Auguſtino, Anſelmo, & D. Tho. vt vidimus ſect. 1 Omneſque fateri tenentur, in Verbo divino non eſſe neceſſarium, ſed liberum aut contingens quoddammodo exercitium repræſentandi futura; vtpotè quæ pro libito Dei & contingenter futura ſunt. Inde tamen non ſatis colligitur, per onam Verbi conſtitui adæquatè ex duplici ratione partiali, quarum altera ſit neceſſaria, altera contingens ſeu libera. Etenim hæc poſterior nullatenus dicenda eſt conſtituere ipſam perſonam Verbi: cùm abſolutè & propriè loquendo in divinis perſona, eiuſque conſtitutio, ſit aliquid ſimpliciter neceſſarium, & nulli contingentiæ obnoxium. Itaque dum dicimus, Verbum quoad exercitium actuale repræſentandi futura procedere per ſe ex cognitione libera illorum, non loquimur de Verbo, quatenus eſt perſona, ſive quatenus ſubſtantialiter conſtituitur in ratione perſonæ. Sic enim oſtenſum fuit ſect. 1 & 2. Verbum non procedere ex cognitione aliqua futurorum, vel exiſtentium. Quare ſolùm dicimus, Verbum quoad exercitium ſeu terminationem liberam repræſentandi futura, quæ pro aliquo priori rationis ſupponit eius perſonam integrè & ſubſtantialiter conſtitutam, procedere per ſe ex cognitione libera futurorum. AD II. Arriaga vbi ſuprà immeritò admittit duplex Verbum partiale: ideoque non ſine cauſa carpitur à Maſtrio, veluti indecens modum loquendi inauditũ Theologis: addo ego, & contrarium Anſelmo aienti impræſentiarum: *Vno igitur eodemque Verbo dicit ſeipſum* (Pater) *& quæcumque fecit.* Quare nego ex noſtra doctrina colligi in divinis duplex Verbum partiale. Neque id ſatis probatur ex diſtinctione ſcientiæ divinæ in neceſſariam & liberam, vt proinde diſtinguere debeamus Verbum in neceſſarium & liberum. Scientia enim ſuam diſtinctionem habet ex habitudine reali aut rationis ad varietatem ſcitorum, quæ profectò apparet ſatis conſpicuè in futuris & poſſibilibus; vt propterea in Deo ſecundùm rationem noſtrã quoddammodo duplex illorum ſcientia diſtinguatur. Verbum autem divinum ſimpliciter & propriè dictum ſignificat perſonam divinam ſubſtantialiter conſtitutam intra Deum, quæ omnino vna eſt, tam re, quàm ratione. Vnde nunquã concedendum eſt in Deo duplex Verbum partiale, ſed vnum: quamvis in eo admittamus duplicem rationem partialem, alteram neceſſariam, à quâ ſola denominatur & eſt ſimpliciter Verbum divinum: alteram quoddammodo liberam ſeu contingentem, quæ ſolùm eſt terminatio quæda, ſeu exercitium actuale repræſentandi futura. Vide infrà num. ſeq. AD III. Conceſſa poſteriori parte diſcommatis, nego vltimam conſequentiam: quia Verbum quoad exercitium actuale repræſentãdi futura, non ſupponit pro conſtitutione ſubſtantiali perſonæ, ſed pro terminatione libera ad ipſa futura: quæ quidem eſt adæquatè intrinſeca Verbo, verùm virtualiter & æquivalenter contingens, iuxta ea quæ de terminationibus liberis voluntatis divinæ docuimus latè Tomo 1. Diſp. XXXVII. per totam. AD IV. Verbum vt manifeſtativum in actu primo omnium obiectorum cognoſcibilium, ſolùm exprimit prædicatum ſibi neceſſarium, quod accipit à Patre vi ſolius cognitionis neceſſariæ. Cæterum prout in exercitio repræſentans futura, exprimit prædicatum liberũ ſeu contingens, quod etiam à Patre accipit; ac proinde non ex vi cognitionis dictionisve neceſſariæ, ſed liberæ.

58 DICES: Actioni productivæ virtualiter diſtinctæ reſpondere debet terminus productus virtualiter diſtinctus. Atqui cognitio ſeu dictio paterna eſt actio productiva, Verbum verò eſt terminus per illam productus. Ergo ſi cognitio ſeu dictio paterna eſt virtualiter diſtincta penes neceſſariam & liberam, etiam Verbum divinum per illam productum debet eſſe virtualiter diſtinctum penes neceſſarium & liberum; atque adeò duplex Verbum partiale, vt Arriaga loquitur. RESP. Negando poſteriorem partem conſequentis: quia licèt inter Verbi repræſentationem neceſſariam & liberam ſit diſtinctio virtualis, qualiter inter actuum divinorum terminationem neceſſariam & liberam, iuxta ea, quæ diximus Diſp. XXXVII. iam allegata, præſertim à num. 23. adhuc tamen negãdum eſt in Deo duplex Verbum virtualiter diſtinctum: tum ne declinemus à communi modo loquendi Theologorum, qui nullo ſenſu diſtinguunt in Deo duplex Verbum, quamvis diſtinguant ratione duplicem ſcientiam, & amorem: tum præterea quia re ac nomine Verbi divini ſolùm intelligitur ſecunda perſona, quæ tam re, quàm ratione eſt vnica. Terminatio verò illa, qua in exercitio repræſentat creaturas futuras, non eſt aliqua expreſsio conſtitutiva perſonæ divinæ, adhuc partialiter; ſed ſolùm extenſio quædam virtualiter & æquivalenter contingens perſonæ iã integrè conſtitutæ quoad omnia prædicata neceſſaria. Vnde nec addit Verbum partialiter diverſum penes rationem, ſed ſolùm expreſsionem quandam liberam & virtualiter diſtinctam ab expreſsione neceſſaria Verbi præexiſtentis, & iam integrè conſtituti quoad ſubſtantiam ſuam.

59 OPPONVNT II. Productio Verbi adæquatè & totaliter eſt neceſſaria. Ergo Verbum ſub nulla ratione aut expreſsione producitur vi cognitionis aut dictionis liberæ, qualis eſt cognitio & dictio futurorum. Conſequentia patet: quia terminus adæquatè & totaliter neceſſarius nequit vlla ex parte pro-

du-

duci per actionẽ liberã, ſed neceſſariam tantũ. Alioqui poſſet produci aut nõ produci pro libito agentis: atque adeò non eſſet ſimpliciter neceſſaria eius productio contra quàm ſupponitur. Antecedens autem ſuadetur diverſimodè. *Primò*: Quia productio Verbi adæquatè & totaliter terminatur ad eſſe ipſius. Ergo ſicuti eſſe Verbi eſt omnino neceſſarium, ita & productio ipſius eſt adæquatè & totaliter neceſſaria. *Secundò*: Quoniam productio Verbi divini eſt ipſa generatio. Hæc autem adæquatè & totaliter eſt neceſſaria; vipotè quæ ex ſola fœcunditate naturæ divinæ provenit, non verò ex arbitrio aut electione. *Tertiò*: Nam ſi productio Verbi divini ex aliqua parte eſſet non neceſſaria, ſed libera, aliquid ab æterno fuiſſet liberè productum à Deo; nimirum Verbum ipſum ſub ea ratione; quâ dicitur per ſe procedere ex cognitione libera futurorum. Conſequens autem videtur inauditum Theologis, qui nihil agnoſcunt liberè productũ à Deo ex æternitate, ſed in tẽpore tantùm. *Quartò*. Si enim productio Verbi nõ eſſet adæquatè & omnino neceſſaria, ſed aliqua ſui parte libera, potuiſſet Verbum divinum pro libito Patris non produci quantum ad id, quod habuit vi productionis ſuæ. Cumque illud ſit prædicatum intimum Verbo, eiuſque perfectio, potuiſſet Verbum abſolutè non habere aliquod prædicatum intimum, vel perfectionem, quam de facto habet. Conſequens autem abſurdum eſſe patet. Ergo productio Verbi adæquatè & totaliter eſt neceſſaria.

60 RESP. Diſtinguendo antecedens: Productio Verbi eſt adæquatè & totaliter neceſſaria quoad entitatem, ſubſtantiam, & perſonam Verbi, concedo: quoad terminationem ad creaturas futuras aut exiſtentes, nego antecedens & conſequentiam. AD I. Probationem diſtinguo antecedens eodẽ ſenſu. Si enim productio Verbi conſideretur quoad entitatem & ſubſtãtiã ſuam, ſolùm terminatur ad eſſe ſubſtãtiale & perſonale Verbi: ac proinde tam productio, quàm terminus, in eo ſenſu eſt aliquid totaliter & ſummè neceſſarium. Si autem productio Verbi, quæ eſt paterna cognitio, ſeu dictio intellectualis, conſideretur ſolùm quatenus exprimit creaturas futuras ex munere ſecundario & contingenti, non terminatur ad eſſe ſubſtantiale & perſonale Verbi, ſed ad exercitium actuale repræſentandi eaſdem creaturas futuras, quod pariter eſt contingens, ſeu non neceſſariò conveniens Verbo: ideoque debet produci per actionem generativam, non quatenus neceſſaria, ſed prout libera eſt quoddammodo. AD II. Quamvis generatio divina quoad entitatem & totam rationem primariam ſit neceſſaria, & inferat terminum neceſſarium; quoad ſecundarium munus & expreſsionem contingentem habet producere terminum non neceſſarium, ſed contingentem quoddammodo, quale eſt in Verbo exercitium actuale repræſentandi creaturas futuras. Vel aliter eidem probationi occurrere poſſumus diſtinguendo maiorem. Productio Verbi divini quoad entitatem & ſubſtantiam eſt ipſa generatio, concedo: productio Verbi quatenus dictio futurorum, nego maiorem: & conceſſa minore, negatur conſequentia, iuxta ſenſum initio ſolutionis explicatum. Nam licèt eadem actio paterna ſit generatio & dictio Verbi, ſub expreſſo tamen munere ſolius generationis ſolùm importat originem naturalem, in qua nulla eſt libertas. Cæterum ſub expreſſo munere dictionis admittere poteſt libertatem aliquam, cùm non ſolùm exprimat obiectum neceſſarium, ſed etiam cõtingens ſeu liberum. Vnde pariter licèt Verbũ quatenus genitum ſit adæquatè neceſſarium, ſub ratione dicti poteſt exprimere aliquid liberum; nimirum, illam terminationem, quâ in exercitio repræſentat creaturas futuras. AD III. Theologi dum aiunt, nihil ex æternitate fuiſſe liberè productum à Deo, loquuntur dumtaxat de creaturis, quarum nulla extitit niſi ab initio temporis. An verò Pater æternus liberè produxerit Verbum ab æterno penes aliquam ipſius terminationem liberam, ſicuti & an actus liber ſupra neceſſarium addat terminationem aliquam virtualiter & æquivalenter productam à voluntate divina in ipſo *nunc* æternitatis, totum id ſub controverſia Scholaſticorum eſt, quibuſdam affirmantibus, alijs contrà negantibus. AD IV. Non eſt maior difficultas in terminatione Verbi repræſentantis futura, quàm in terminatione divinæ voluntatis ea decernentis. Sicuti autem terminatio libera decreti non addit perfectionem aliquam, vel entitatem, aut formalitatem realem, quæ ſimpliciter poterit in Deo non eſſe, vt latè oſtenſum eſt Diſp. XXXV. per totam, ſed ſolùm exercitium & denominationem virtualiter & æquivalenter contingentem, iuxta ſenſum Diſp. XXXVII. explicatum: ita etiam terminatio Verbi ad creaturas futuras vel exiſtentes non addit in ipſo perfectionem, entitatem, aut formalitatem realem, quę poterit ſimpliciter non eſſe in Verbo: ſed dumtaxat exercitiũ virtualiter & æquivalenter contingens repræſentandi eadem futura. Vnde non ſequitur vllum abſurdum in Verbo, ſi non ſequitur pariter in conſtitutione actuum liberorum Dei iuxta ſententiam illam ſuo loco à nobis ſtatutam, & ab obiectionibus vindicatã. Aut certè ſi Adverſarijs placet alius modus explanandi terminationes liberas actuũ voluntatis divinæ, iuxta eundem explicari poterit terminatio libera Verbi repræſentantis creaturas futuras.

INS-

61 INSTABIS. Productio Verbi, ſive appelletur generatio, ſive dictio, terminatur ad ſubſiſtens: quoniam actiones & paſſiones ſunt ſubſiſtentium. Atqui in Verbo non eſt aliqua formalitas vel terminatio ſubſiſtentis liberè, nec aliqua ſubſiſtentia aut perſonalitas libera. Ergo nec in Verbo eſt aliqua formalitas vel terminatio procedens per liberam productionem, atque adeò nec per cognitionem futurorum liberam.

62 RESP Productionem Verbi, qualitercumque appellatam, ſub munere primario & neceſſario terminari ad ſubſiſtens, ſive ad perſonam Verbi abſolutè & propriè dictam, quo ſenſu importat hypoſtaſim & naturam, tanquam prædicata conſtituentia ſimpliciter & ſubſtantialiter. Cùm hoc tamen cohæret quòd productio eadem Verbi, ſub munere prorſus ſecundario, & virtualiter contingente terminetur ad eâdem perſonam ſubſiſtentem Verbi, non quatenus ſubſiſtentem ſimpliciter, ſed quatenus repreſentantem in exercitio creaturas futuras. quę repræſentatio actualis, vel terminatio, ſubſiſtens quidem eſt in re, verùm non exprimit munus ſubſiſtendi, ſed munus repræſentandi; ſicut decretum liberum, quamvis ſit in re ſubſiſtens, non exprimit in Deo munus ſubſiſtendi, ſed ſolùm liberam terminationem ad creaturas futuras.

63 VRGEBIS. Vi productionis neceſſariæ Verbi producitur non ſolùm concretum ſubſiſtens, ſed etiam ſubſiſtentia neceſſaria. Ergo etiam vi productionis liberæ Verbi non ſolùm produci debet concretum ſubſiſtens repræſentans liberè creaturas, ſed etiam aliqua illius ſubſiſtentia libera. quæ tamen omnino repugnat. Reſpondeo negando conſequentiam, & reddendo diſparitatem: quia per neceſſariam productionem ſupponitur iam producta tota ſubſiſtentia Verbi, quæ ex ſua ratione formali & adæquata eſt aliquid ſummè neceſſarium. Vnde non relinquit locum vt per eandem productionem, quatenus eſt dictio libera, producatur ſubſiſtentia aliqua libera, quæ prorſus repugnat; ſed ſolùm terminatio quædam illius contingens ad creaturas futuras, ſub munere expreſſo actualis repreſentationis.

64 OPPONVNT III. Quamvis Verbum repræſenter liberè futura, non ideo ex illorum cognitione libera procedit. Ergo nulla eſt ratio, quâ probetur, illud per ſe procedere vllatenus ex cognitione futurorum. Probatur antecedens. Eo ſolùm quòd Verbum à Patre accipiat naturam, & repræſentationem poſſibilium vi proceſſionis ſuæ. & aliunde poſito decreto, Verbum iam productum pro aliquo priori, habet pro alio poſteriori liberè repræſentare in exercitio decretum ipſum, & creaturas futuras: ſicuti eo ipſo quòd ſcientia divina ſit infinita, poſito decreto attingit illud liberè & creaturas futuras in ipſo.

65 SED Enim ſi hoc argumento quidquam evincitur, pariter probatur, nec Verbum per ſe procedere ex cognitione poſſibilium omnino, nec attributorum, aut perſonarum, contra quàm docent omnes ferè Adverſarij. Nam eo ipſo quòd Verbum accipiat à Patre naturam, & ipſius repræſentationem pro aliquo priori, iam poſſet pro alio poſteriori repræſentare in exercitio creaturas poſsibiles cum ea connexas, immo & attributa ac perſonas. Quare nec Verbum per ſe ſupponeret cognitionem formalem poſsibilium, attributorum, & perſonarum. Deinde ad argumentum reſpondeo negando antecedens. Ad probationem dico, Verbum vi proceſsionis ſuæ non ſolùm debere accipere à Patre naturam & repræſentationem poſsibilium, ſed etiam futurorum ſub munere proprio Verbi; id eſt, tanquam terminum loquutionis intellectualis: ac proinde vtroque ſenſu debere procedere ex cognitione & dictione obiecti intellecti. Alioqui enim non repræſentaret futura per modum Verbi propriè dicti, ſed impropriè ſolùm, ſive titulo communi alijs perſonis, quæ ratione eſſentiæ ſuæ, vt formæ intelligibilis, repræſentant in exercitio futura, poſito eorum decreto. Vt ergo Verbum ex vi characteriſticæ proprietatis, quâ Verbum eſt, repræſentet propriè futura, neceſſum eſt vt etiam ſub ea ratione formali procedat ex cognitione & dictione futurorum.

66 DICES: Verbum, adhuc iuxta mentem Averſariorum, repræſentaret titulo peculiari creaturas futuras: nimirum, tanquam expreſſum à Patre loquente, quod non eſt commune alijs perſonis. RESP. Verbum, iuxta doctrinã Adverſariorũ, repræſentaturum creaturas futuras titulo peculiari ſummùm in radice quatenus vi dictionis paternæ accepiſſet repræſentationem omnis obiecti neceſſarij; nõ autem in ſenſu formali, quia vt repræſentans in exercitio creaturas futuras, non procederet ex formali illarum cognitione & dictione. Oportet autem vt ſub omni expreſsione propria ac peculiari Verbi procedat ex cognitione & dictione in ſenſu formali. Alioqui liceret dicere, Verbum peculiari titulo ſuæ proceſsionis ſolùm in radice repræſentante creaturas poſsibiles, immò & Trinitatem perſonarum, atque attributa ipſa, non autem in ſenſu formali: ac proinde non procedere ex formali eorum obiectorum cognitione, ſed ex radicali tantùm, quod eſt contra omnes ferè Authores opinionis adverſæ, vt paulò antè monui.

SECTIO SEXTA.

Duo reliqua præcipua argumenta obiecta & ſoluta. Vbi nominatim de Spiritu ſancto, an in aliquo ſenſu procedat ex libero amore futurorum.

67 OPPONVNT IV. Authores opinionis contrariæ. Decretũ, cui innititur ſcientia libera futurorũ, ſupponit pro aliquo priori Verbũ diuinũ adæquatè productũ. Ergo & ipſa ſcientia ſupponit Verbum pro aliquo priori adæquatè productum, ideòque Verbum per ſe ex illa non procedit. Cõſequẽtia patet quoad vtrãque partẽ. Antecedens autem ſuadetur: Quia omnia prædicata libera in diuinis ſupponunt pro aliquo priori exiſtentia aut producta quælibet prædicata neceſſaria: cùm hæc ſint illis priora ſubſiſtendi conſequentiâ. Atqui decretum, cui ſcientia futurorum innititur, eſt liberum; productio autem Verbi eſt adæquatè neceſſaria; vtpotè ſpectans ad conſtitutionem intimam alicuius perſonæ diuinæ. Ergo decretum illud ſupponit pro aliquo priori, Verbum adæquatè productum.

68 RESP. Satis conſtare ex dictis, decretum voluntatis diuinæ, cui innititur ſciẽtia libera futurorũ, ſupponere pro aliquo priori rationis productionem Verbi quoad prædicata neceſſaria, non autem quoad terminationem contingentem repræſentandi in exercitio creaturas exiſtentes & futuras. Hanc enim repreſentationem accipit Verbum à Patre cognoſcente & loquente eaſdem creaturas: ac proinde opus eſt vt talis cognitio & locutio, ſicuti & decretum ipſum pro aliquo priori rationis præcedat in intellectu Patris, vt pro alio poſteriori Verbum accipiat eiuſmodi terminationem & repræſentationem liberam.

69 INTABIS. Decretum liberum nequit ſupponi in Patre pro aliquo priori rationis ad productionem & exiſtentiam Verbi vllo modo, ſed potiùs debet ipſum Verbũ ſupponi adæquatè exiſtens ſub omni conſideratione. Ergo Verbum ſub nulla conſideratione ſupponit ſcientiam viſionis liberam. Probatur antecedens dupliciter. *Primò*: Quia omnia decreta libera ſunt communia toti Trinitati, ſicuti & omnes operationes ad extrà. Ergo quemadmodum nulla operatio ad extrà ſupponitur in Patre pro aliquo priori rationis ad productionem & exiſtentiam Verbi in vllo vero ſenſu; ita etiam nullum liberum decretum. *Secundò*: Quoniam ſi decretum liberum ſupponeretur in Patre pro priori aliquo rationis ad productionem & exiſtentiam Verbi, tale decretum non eſſet liberum Filio & Spiritui ſancto, ſed neceſſarium pro alio poſteriori. Filius enim & Spiritus ſanctus ſupponerent neceſſitate antecedenti & prorſus inevitabili decretum pro priori aliquo conceptum à Patre, quod ipſi impedire aut variare nullatenus poſſent. Omnis autem ſuppoſitio antecedens & inevitabilis inducit neceſſitatem agendi, & inimica eſt libertati. Ergo illud decretum non erit liberum Filio & Spiritui ſancto. *Confirm.* Quia ſaltem non erit æquè liberum vtrique, ac Patri: cùm Pater à nullo alio ſupponatur determinatus; ſecus verò Filius & Spiritus ſanctus, qui eam determinationem in Patre ſupponunt inevitabilem ab ipſis. Conſequens verò abſurdum eſſe patet.

70 RESP. Negando antecedens. AD I Probationem dico, tam decreta libera Dei, quàm operationes ad extra, eſſe actiones divinæ voluntatis formaliter immanentes, vt latè oſtẽſum fuit Tomo I. Diſp. XIX. Quamvis enim ea omnia ſint per identitatem communia tribus perſonis, priùs origine conveniunt Patri, quàm duabus reliquis perſonis, prioritate *à quo* dumtaxat: quoniam quidquid habent Filius & Spiritus ſanctus, prout à Patre habent, ac proinde ſupponi debet in Patre pro priori originis & rationis. Idque videtur planè colligi ex verbis Chriſti Ioan. 5. v. 19 aientis: *Non poteſt Filius à ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem ſic facientem. quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit.* Ergo Filius pro priori originis & rationis ad actionem ſuam, ſive operationem ad extra, videt Patrem iam agentem, ſeu operantem. Eadem vero ratio eſt, vt pro aliquo priori videat Patrem decernentem. cùm pariter non à ſeipſo, ſed à Patre habeat decretum liberum, ac operationem in creaturas, ſicuti & omnia, quæ habet. Vnde Auguſtinus lib 15. de Trinitate cap. 20. Filium Dei appellat *conſilium de conſilio, voluntatem de voluntate*, ſicuti *ſubſtantiam de ſubſtantia, & ſapientiam de ſapientia.* Quæ omnia reſpondent modo loquendi Nicænæ Synodi in Symbolo: vt ſupra obſervavimus Diſp. LV. num. 5. Ergo conſilium, id eſt, decretum, ſeu propoſitum, priùs origine convenit Patri, quàm Filio, ſicuti & voluntas, & ſubſtantia, & ſapientia.

71 AD II. Probationem eſt difficilior ſolutio: quoniam tangit graviſsimam illã controverſiã de efficacia gratiæ & auxiliorum Dei, quę omnes pene Theologos à centum circiter annis diviſit in duplicem opinionem ex diametro contrariam, negantibus Thomiſtis everti libertatem quavis ſuppoſitione antecedenti prorſus connexa cum conſenſu, alijs cõtrà affirmantibus. Nos verò remiſſa deciſione

eius

cius controverſiæ vſque ad commentariũ Opuſculi de Concordia gratiæ & prædeſtinationis cum libero arbitrio, (quod in ipſo fine vitæ ſcripſit Anſelmus) nunc iuxta vtramque illam ſententiam reſponderi poſſe exiſtimamus. Iuxta Thomiſticam quidem, ſeu Dominicanam, neganda eſt aſſumptio: quia non omnis ſuppoſitio antecedens & invitabilis eſt neceſsitas antecedens, ſed illa tantùm, quæ non eſt iuxta modum libertatis, nec illius vſum concernit. Suppoſitio autem decreti, licèt ſit pro aliquo priori rationis *à quo* in Patre, eſt iuxta modum libertatis Filij ac Spiritus ſancti, vtpotè quam ab ipſo accipiunt pro alio poſteriori ſigno; vſq; vſum in ambobus concernit. Quare non eſt neceſsitas antecedens relatè ad vtrumque. Nec inde ſequitur, minùs liberum eſſe vtrique decretum, quàm Patri, vt in Confirmatione aſſumebatur. Nam ſicuti licèt natura divina, attributa, & cognitio poſsibilium, ſupponantur priùs origine & ratione in Patre, non ideo Filius ac Spiritus ſanctus eſt minùs Deus, aut minùs omnipotens, vel ſciens, quàm Pater: ita etiam licèt ambo ſupponant decretum in Patre priùs origine & ratione, non propterea ſunt minùs liberi in decernendo: quoniam ſicut natura & voluntas, ita etiam determinatio libera eſt vna & communis tribus pro toto inſtanti *in quo*, adhuc ſecundùm rationem.

72 IVXTA Contrariam verò in ea parte ſententiam neganda eſt pariter aſſumptio, ſive ſequela: quia quamvis decretum liberum ſupponatur pro priori originis in Patre, non ideo impeditur vt æqualiter ſit decretum liberum in Filio: ſicuti quòd natura & voluntas & omnipotentia ſupponantur priùs origine in Patre, quam in Filio, non probat, aut vllo modò infert, Filium minùs Deum eſſe, aut minùs perfectum in voluntate aut omnipotentia. Nimirum id exigit myſterium ipſum Trinitatis, vt quidquid habet Filius, à Patre acceptum habeat: ac proinde omne decretum Filio liberum priùs origine ſit in Patre, quàm in ipſo, quamvis in vtroque ſit æquè liberum. Nec eſt par ratio de voluntate creata, quæ deſinit eſſe libera per quælibet ſuppoſitionem antecedentem connexam ab intrinſeco cum conſenſu. Creatura enim rationalis nec habet eandem voluntatem, nec eundem actum liberum cum Deo: ſed prorſus diſtinctum, ac proinde exigentem id quod eſt de ratione ſuæ libertatis, prout diſtinctæ ab omni alia: quale imprimis eſt quòd non ſit antecedenter determinata ad agendum, ſed in ſuo arbitrio habens determinationem, aut negationem illius. Cæterum in Filio eadem eſt omnino voluntas, & idem actus liber, ac in Patre, cum ſolo diſcrimine penes prioritatem originis: quoniam ſicut Pater communicat Filio actum voluntatis ſuæ, ita etiam modum, aut quaſi modum pleniſsimæ libertatis. Quare ſicuti propterea non minùs voluntas eſt in Filio, quàm in Patre, ita etiam actus ipſe, ſive decretum, non minùs in Filio, quam in Patre liberum eſt. Nec decretum ipſum prout in Patre ſupponitur pro aliquo priori *in quo*, adhuc ſecundùm rationem, ſed *à quo* tantùm, quæ eſt ſola prioritas originis. Vnde ſicuti hæc non tollit ſummam æqualitatem, immo & identitatem inter Patrem ac Filium quoad naturam & reliquas perfectiones attributorum, ita etiam neque quoad libertatem. Et ſanè iuxta prædeterminantes exercitium liberum Dei inferens ab intrinſeco exercitium voluntatis creatæ, prorſus differt ab illo, veluti cauſa antecedens & inevitabilis ab ipſa: quod videtur obſtare libertati creatæ. Exercitium autem liberum Patris non infert ab intrinſeco exercitium voluntatis Filij, veluti aliquid diſtinctum, ſed veluti omnino idem, tam quoad entitatẽ, quàm quoad terminationem liberam. Vnde non modò non deſtruit, ſed potiùs adſtruit Filij libertatem.

73 VRGEBIS. Filius nequit per ſe ſupponere in Patre decretum liberum & ſcientiam futurorum, niſi Pater pro aliquo priori originis cognoſcat idem decretum & ſcientiam liberam in Filio, & prout à Filio. At nequit Pater pro aliquo priori originis cognoſcere idem decretum & ſcientiam liberam in Filio, & prout à Filio. Ergo Filius nequit per ſe ſupponere in Patre decretum liberum & ſcientiam futurorum. Maior patet: Tum quia Filius nequit per ſe ſupponere in Patre decretum & ſcientiam, niſi tanquam aliquid comprehenſum perfectè ab ipſo Patre. Nequeunt autem perfectè comprehendi, niſi cognoſcantur in Filio, & prout à Filio; vtpotè cùm ab eo quoque dimanare aut concipi intelligantur terminationes liberæ decreti & ſcientiæ: Tum præterea: quoniam Pater non aliter poteſt eas terminationes communicare Filio, quàm illas comprehendendo, ac proinde videndo vt emanantes à tribus ſuppoſitis: Tum denique: quia decretum ſolùm prout conceptum indiviſim à tribus perſonis eſt medium cognoſcendi futura. Minor autem præcipua ſuadetur: Quia Pater pro priori originis quoad prædicata neceſſaria nequit cognoſcere vllo modo propria decreta: indeque deducitur, Verbum quoad prædicata neceſſaria non procedere ex cognitione futurorum. Ergo neque pro priori ad decretum, prout communicatum Filio, poteſt illud cognoſcere prout in Filio, & à Filio.

74 RESP. Negando minorem. Ad probationem, conceſſo antecedente, nego conſequentiam. Diſparitas in eo ſita eſt, quòd pro prio-

priori originis ad prædicata neceſſaria nihil appareat connexum cum decreto libero, vipotè cùm potuerit non eſſe in Deo penes id quod addit ſupra illa: cæterum pro priori originis ad idem decretum prout in Filio datur, in Patre aliquid neceſſariò connexum cum eodem decreto, conſiderato quatenus in Filio, & prout à Filio: cùm repugnet aliquid decerni liberè ab vna perſona divina, quin etiam à reliquis. Vnde ratione eius connexionis poteſt Pater pro illo priori originis cognoſcens decretum prout à ſe conceptum, cognoſcere illud quatenus conceptum à Filio pro alio poſteriori originis. Quod fateri debent à ſimili omnes ferè Adverſarij dum aiunt, Filium per ſe procedere ex cognitione intuitiva ſui ipſius: quoniam Pater videns ſuam eſſentiam & perſonam pro priori originis, ratione connexionis in Filio debet ipſum videre in eodem ſigno, quamvis origine poſteriorem.

75 OPPONVNT V. Spiritus ſanctus non procedit per ſe quoad aliquam terminationem liberam ex amore libero futurorum. Ergo nec Filius ex ſcientia libera eorundem. Conſequentia patet à ſimili, immo eâdem ratione: cùm Spiritus ſanctus habeat à Patre & Filio amorem liberum, ſicuti Filius à Patre ſcientiam liberam illorum habet. Ergo ſicuti ob hanc rationem dicimus, Filium ſub exercitio repræſentandi creaturas procedere per ſe ex ſcientia libera illarum, ita dicere debemus Spiritum ſanctum procedere ex amore libero. Antecedens verò ſuadetur imprimis ex Anſelmo infrà cap. 53. aliàs 51. vbi inquit: *Si nulla vnquam creatura, id eſt, ſi nihil vnquam aliud eſſet, quàm ſummus Spiritus Pater & Filius; nihilominus ſeipſos, & inuicem Pater & Filius diligerent. Conſequitur itaque, hunc Amorem* (id eſt, Spiritum ſanctum) *non eſſe aliud, quàm quod eſt Pater & Filius. quod eſt ſumma eſſentia.* Ergo independenter à futuritione creaturarum, proindeque ab amore ipſarum libero, exiſtit & neceſſariò exiſteret Spiritus S. Deinde ſuadetur ratione: Si enim Spiritus ſanctus penes aliquam liberam terminationem procederet per ſe ex amore libero futurorum, proceſsio illius ſub ea ratione formali eſſet prior, quàm proceſsio Verbi quoad terminationem liberam. Conſequens eſt abſurdum. Ergo &c. Sequela probatur. Ideo enim proceſsio Verbi quoad prædicata neceſſaria eſt origine prior proceſsione neceſſaria Spiritus ſancti, quia intellectio neceſſaria, quâ procedit Verbum, eſt ratione prior amore neceſſario, quo Spiritus ſanctus procedit. Atqui è contrà amor liber, ſeu decretum, eſt aliquid prius ratione, quàm ſcientia libera Dei, vipotè quæ illi innititur, veluti fundamento. Ergo proceſsio Spiritus ſancti ex libero amore erit prior quàm Verbi proceſsio ex ſcientia libera.

76 RESP. Negando antecedens. Sicuti enim ſuprà Diſp. LXV. ſect. 5. dictum fuit, Spiritum ſanctum quoad prædicata neceſſaria procedere per ſe ex amore neceſſario creaturarum poſsibilium: ita etiam dicimus, eundem quoad terminationes liberas per ſe procedere ex amore libero futurorum. Ad probationem priorem ex Anſelmo deductam, reſpondeo, S. Doctorem eo loci agere de Spiritu ſancto quoad ſola prædicata illius neceſſaria, vt patet ex toto contextu illius capitis, ac præcedentium immediatè: non autem quoad terminationem liberam ipſius. Vide infrà Diſp. LXXXVII. num. 24. Ad poſteriorem probationem, ex ratione petitam, nego ſequelam. Ad huius probationem dico, amorem liberum, ex quo procedit Spiritus ſanctus quoad liberam terminationem conſideratus, non eſſe amorem ſolius Patris, ſed etiam Filij ſimul cum ipſo liberè amantis & producentis Spiritum ſanctum quoad eam terminationem. Qamvis autem amor liber, prout in ſolo Patre, ſit prior ſcientiâ liberâ prout in Patre; amor tamen liber, prout in Patre & Filio ſimul, eſt poſterior ſcientiâ liberâ, quatenus in ſolo Patre exiſtente. Vnde non colligitur, Spiritum ſanctum quoad terminationem liberam eſſe priorem Filio, ſed potiùs oppoſitum. Filius enim quoad terminationem liberam oriens per ſe ex ſcientia libera, prout exiſtente in ſolo Patre, eſt ratione prior amore libero quatenus exiſtente in Patre & Filio ſimul. quo ſolùm ſenſu amor liber eſt principium vel requiſitum ad productionem Spiritus ſancti, quoad liberam terminationem. Ergo ſcientia libera, ex qua procedit Verbum quoad liberam terminationem, eſt ratione prior, quàm amor liber, ex quo Spiritus ſanctus quoad liberam terminationem procedit. Vnde quemadmodum neceſſaria Verbi proceſsio eſt origine & ratione prior proceſsione neceſſaria Spiritus ſancti; ita etiam libera proceſsio Verbi prior eſt libera Spiritus ſancti proceſsione.

DIS-

DISPVTATIO LXVIII.

AN POSSIT VIDERI ESSENTIA DIVINA, NON VISIS ATTRIBVTIS, VEL PERSONIS, AVT VNA PERSONA, NON VISA ALIA.

PLVRA Ex iſs, quæ diximus in ſuperioribus, circa proceſsionem Verbi & Spiritus ſancti ex cognitione & amore omnium prædicatorum formaliter in Deo exiſtentium, nequeunt plenè veſtigari, niſi examinato obiecto per ſe inſpecto à viſione beatifica; ſiue increata, ex qua procedit Verbum diuinum; ſiue creata, qua creaturæ rationales Deum intuentur. Ad id verò examinandum facem præfert hæc controuerſia, quamuis locum non habeat directè apud Anſelmum, niſi infrà cap. 74. vbi ſupponit viſionem illam felicem, quæ eſt præmium bonorum operum, poſt hanc vitam, eſſe eius conditionis, vt attingat Deum facie ad faciem. nimirum, prout ſeipſo eſt vnus in eſſentia, & trinus in perſonis. Quod ipſum declarat amplius ipſrà cap. 84. vbi ex profeſſo docet, credendum eſſe in Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum: quoniam ſunt vna eſſentia, & finis, in quem ſolùm intendere debemus. Nimirum, certa & Catholica ſententia eſt, ab omnibus Beatis videri de facto Deum trinum & vnum, ac proinde omnia prædicata eius formalia, qualia ſunt, eſſentia, attributa, & relationes. Neque quidquam amplius in hac re videntur docuiſſe Patres. Verum poſtea Scholaſtici excitarunt difficilem controuerſiam, An diuinitus, ſeu poteſtate abſoluta Dei fieri poſsit, vt videatur eſſentia non viſis attributis aut perſonis, aut vna perſona, non viſa alia. Quæſtionem hanc nos quatuor primis ſectionibus problematicè diſcutiemus, ſoluendo argumenta, quibus innituntur duæ opiniones celebres ac contrariæ. Deinde verò ſectione quinta noſtrum ea de re iudicium proferemus in gratiam eius ſententiæ, quam exiſtimamus probabiliorem.

SECTIO PRIMA.

Refertur frequens Theologorum ſententia negans, eiuſque fundamenta examinantur, ac ſoluuntur in gratiam Scoti, aliorumque aſſerentium, poſſe videri eſſentiam Dei, cæteris non viſis.

2 COMMVNIS Ferè ſententia Theologorum adverſus Scotum, eiuſque diſcipulos, cenſet impoſsibilem omnino viſionem Dei, quæ terminetur ad ſcientiam, & non ad perſonas, vel attributa; ſicuti & quæ attingat aliquid eorum ſine alio. Ita Aureolus in 1. diſt. 1. art. 2. Bachon quæſt. 2. art. 1. Argentina quæſt. 3. art. 2. 3. & 4. Gabriel quæſt. 5 Durandus in 4. diſt. 49. quæſt. 3. num. 5. Scotus quæſt. 3. art. 3 concl. 2. Caietanus 2. 2. quæſt. 2. art. 8. & 3. p. q. 3. art. 3. ac reliqui Thomiſtæ 1. p. q. 12. art. 8. & inter illorum Recentiores Godoy 1. 2. diſp 2. num. 20. & ſeqq. Ferre tom. 1. in 1. 2. quæſt. 1. §. 3. Gonet diſp. 2. Ex alijs Suarez lib. 2. de Attri-

Attributis negativis cap. 23. Molina 1. p. q. 12. art. 8. diſp 4. Vazquez 1.2. diſp. 13. cap. 2. Machin diſp. 19. Lezana tract 3. diſp. 3. q. 2. Amicus tom. 1. diſp 9. ſect. 18. & plures alij: quorum rationes examinare oportet.

3 PROBANT I. Ex illo Chriſti teſtimonio Ioannis 14. *Qui videt me, videt & Patrem: quia ego in Patre, & Pater in me eſt.* Vbi neceſſarium eſſe dicitur, vt qui videt Filium, videat & Patrem, quoniam alter in altero viciſsim eſt: nimirum, propter περιχώρησιν, ſeu circumince ſsionem ortam ex vnitate naturæ in divinis perſonis. Ita enim cauſalis *quia* in verbis Chriſti exponitur à Patribus, præſertim Nazianzeno Orat. 49. illis verbis: *Quia vnitate ſubſtantiæ & maieſtate diuinitatis idem ſunt.* Ergo ſicuti repugnat videri Filium, quin Pater videatur, ita etiam videri eſſentiam quin videatur omnia alia prædicata formalia Dei, tum abſoluta, tum relativa: quia pariter vnum & idem reipſa cum eſſentia ſunt.

4 SED Ex eo teſtimonio non ſatis ſuadetur ſententia negans. Imprimis enim iuxta expoſitionem quorundam interpretum, quos allegat Vazquez 1. p. diſp 48. cap. 3 in illis verbis Chriſti non agitur de viſione Dei propriè dicta, qualis habetur ſolùm in Patria: ſed de alia latiùs vſurpata pro vivida cognitione fidei. Hanc enim ſolam exigebat à Chriſto Philippus eo loco dicens: *Domine, oſtende nobis Patrem.* Neque enim exiſtimandus eſt putaſſe, Deum ab homine mortali clara viſione poſſe cognoſci; aut penitus ignoraſſe illud Dei ad Moyſem: *Non videbit me homo & viuet* Vnde & ipſius deſiderio reſpondet Chriſtus: *Non credis quia ego in Patre, & Pater in me eſt?* Credere autem eſt ſolùm per fidem noſcere, & latiùs pro viſione vſurpatur. Verùm adhuc permiſſo quòd eo loco ſermo ſit de viſione Patriæ, vt alij plures contendunt, ſolùm ſequitur de facto, aut ſpectata connaturali exigentia vnitatis eſſentiæ in tribus perſonis, non videri vnam, quin reliquæ videantur. Inde tamen non ſequitur quòd Deus abſoluta poteſtate vtens ſe exhibeat videndum vt vnum, quin etiam vt trinum, aut Patrem vel Filium non viſo Spiritu ſancto, quamvis aliunde Pater videri nequeat non cognito aliqualiter Filio in divinis, non tam ob identitatem naturæ, quæ ſolùm connaturaliter id exigit, quàm ob mutuam connexionem relativorum, quæ ſunt ſimul cognitione.

5 INSTANT: Suppoſito quòd ibidem ſermo ſit de viſione clara Dei, vt plerique eum locum interpretantur, illa cauſalis *quia* ex vnitate eſſentiæ divinæ in perſonis, non ſolùm probat de facto aut connaturaliter, ſed etiam ex terminis & eſſentialiter, non poſſe videri eſſentiam, quin cætera omnia formalia prædicata Dei, tum abſoluta, tum relativa, videantur: Quoniam omnino repugnat vnam & eandem rem videri ſimul & non videri. Nec videtur ſufficere Scoto, eiuſque ſectatoribus, recurſus ad diſtinctionem formalem ex natura rei inter eſſentiam & reliqua prædicata divina; nam adhuc ij omnes Catholicè fatentur iuxta doctrinam Concilij Remenſis ſub Eugenio III. contra Gilbertum Porretanum, & iuxta Concilium Lateranenſe, prout habetur in cap. Damnamus de Summa Trinitate & Fide Catholica, eſſentiam divinam verè eſſe tres perſonas, ſeu veram & realem identitatem habere cum perſonis. Atqui quod eſt vnum atque idem reipſa cum alio, nequit videri non viſo illo. alioqui reipſa videretur ſimul & non videretur: quæ eſt aperta contradictio. Ergo cauſalis *quia* in verbis illis Chriſti denotat eſſentialem repugnantiam vt videatur eſſentia divina non viſis perſonis.

6 VERVMTAMEN Scotus, eiuſque ſectatores facilè ſe expedient ab hoc nodo, aſſerentes, diſtinctionem formalem ex natura rei inter eſſentiam & perſonas, cum identitate reali cohærentem, ſufficere, vt videri abſolutè poſsit eſſentia, non viſis perſonis: ſicuti illa ſufficit vt eſſentia verè communicetur Filio, nec tamen ipſi communicetur verè paternitas; ſimiliter quevt vnio hypoſtatica verè facta fuerit in perſona Filij, & non in eſſentia. Quin & adhuc in ſententia contraria & communi ànobis latè ſtatuta Tomo I. Diſp. XXV. negante diſtinctionem formalem ex natura rei & ſolùm concedente virtualem, videtur omnino dicendum, hanc ſufficere vt eſſentia videri poſsit non viſis perſonis, ſicut ſufficit vt reipſa communicetur Filio eſſentia, quin etiam paternitas. Immo multò minor apparet repugnantia in eo vt eadem entitas communicetur & non communicetur, quàm in eo vt videatur & non videatur. nam communicatio per divinam generationem eſt aliquid phyſicum, ſeu independens à cognitionibus noſtris, & ad intrà: videri autem eſt in ordine ad aliquid intentionale cognitionum noſtrarum, & ad extra. Si ergo diſtinctio virtualis inter eſſentiam & relationes ſufficit ut illa phyſicè & ad intra communicetur, non communicatâ Filio relatione paternitatis; cur non & illa ſufficiat vt eſſentia videatur non viſis relationibus? Et ſicut in primo ex ijs nulla eſt contradictio aut repugnantia, quoniam communicari & non communicari non conveniunt eſſentiæ & paternitati ſecundùm eandem formalitatem ex natura rei, vt ait Scotus; vel penes eandem virtualitatem, vt cæteri loquuntur: cur erit repug-

pugnantia in ſecundo? Itaque in neutra ex ijs ſententijs colligitur repugnantia aut contradictio, quamvis eſſentiâ viſâ perſonæ non videantur.

7 VRGENT. Nulla diſtinctio formalis ex natura rei, aut virtualis, ſufficit vt eadem entitas producatur, & non producatur verè ac reipſa, exiſtat & non exiſtat, ſit præſens, & non ſit præſens. Alioqui poſſet produci animal, aut exiſtere, aut eſſe præſens, non productâ, aut exiſtente, aut præſente aliqua illius ſpecie, vel individuo, à quibus diſtinguitur ex natura rei iuxta Scotum, aut virtualiter iuxta alios. Ergo nulla pariter diſtinctio ex natura rei, aut virtualis, ſufficit vt eadem entitas divina eſſentiæ & paternitatis videatur & non videatur. Hæc enim pariter, ac illa, ſunt contradictoria.

8 CÆTERVM Imprimis diſtinctionem, aut formalem ex natura rei, aut virtualem, inter eſſentiam & perſonas ſufficere vt eadem entitas producatur & non producatur, conſtat planè in divinis: vbi eſſentia eſt eadem entitas cum filiatione, & tamen filiatio producitur, quin eſſentia producatur. Ergo multò magis eadem diſtinctio ſufficiet vt eſſentia videatur non viſâ relatione. In eo autem vt eadem entitas exiſtat & non exiſtat, ſit præſens & non ſit præſens, eſt aperta contradictio, quamvis aliàs ſupponatur diſtinctio formalis ex natura rei, aut virtualis quoad plura prædicata: quoniam exiſtere, & præſentem eſſe, ſunt quædam exercitia conuenientia cuilibet rei abſolutè in ſeipſa, & ſecundùm ſe totam, ex ſola ſuppoſitione vt ſit in rerum natura. Vnde nec in divinis ſufficit diſtinctio, vel formalis ex natura rei, vel virtualis, vt exiſtente aut præſente per immenſitatem vno prædicatto divino, reliqua non exiſtant, vel ſint præſentia. Cæterum quòd res aliqua videatur, non eſt aliquid conueniens ei abſolutè in ſeipſa, ſed per ordinem ad aliud; nec conſiſtit in præſentia reali ſecundùm ſe totam, ſed in obiectiva, in qua aliquis locus præciſioni eſſe poteſt, vt penes aliam & aliam rationem formalem, aut ſaltem virtualem, poſſit videri & non videri.

9 PROBANT II. Vbi obiectum eſt omnino ſimplex repugnat quòd partim videatur, partim non videatur. Atqui Deus vnus & trinus eſt omnino ſimplex. Ergo repugnat vt partim videatur, partim non videatur. Minor propoſitio eſt certa ſecundùm fidem, vt vidimus Tomo I. Diſp. XXVIII. & XXIX. Maior ſuadetur multipliciter. *Primò*: Quia vbi obiectum eſt omnino ſimplex, non eſt in eo pars & pars. At in eo quod partim videtur, partim non videtur, eſt pars & pars. Ergo vbi obiectum eſt omnino ſimplex, repugnat quòd partim videatur, & partim non videatur. *Secundò*: Repugnat omnino punctum partim videri, & partim non videri, quoniam indiviſibile eſt. Atqui obiectum omnino ſimplex eſt prorſus indiviſibile inſtar puncti. Ergo repugnat pariter vt partim videatur & partim nõ videatur. *Tertiò*. Si Deus eſſet unus dumtaxat in perſona, quemadmodum in eſſentia, repugnaret vt partim videretur & partim non videretur. At hoc ideo eſſet, quia tunc omnino ſimplex eſſet. Cùm ergo Deus vnus in eſſentia & trinus in perſonis ſit etiam omnino ſimplex, nec minùs ſimplex, quam eſſet in ea hypotheſi impoſsibili, repugnat vt partim videatur, & non videatur.

10 HVIC Tamen argumento facilè reſponderi poteſt negando maiorem: quia quemadmodum obiectum omnino ſimplex poteſt reipſa communicari & non communicari, produci & non produci, vniri hypoſtaticè, & non vniri, propter diſtinctionem formalem prædicatorum ex natura rei, aut virtualem; ita & poterit videri & non videri, penes aliam & aliam rationem. AD I. Probationem conceſſa maiore negatur minor. Habere enim partem & partem ſolùm conuenit rei compoſitæ: quia compoſitio eſt partium diſtinctarum vnio: quæ in obiecto prorſus ſimplici repugnat omnino. Videri autem partim & non videri, non eſt idem, aut ſaltem hoc loco non accipitur tanquam idem, ac videri ſecundum vnam partem, & non ſecundùm aliam. Nam *τὸ partim* ſolùm accipitur prout ſignificat idẽ ac non plenè, ſivè non totaliter, ſiue non quoad omnem formalitatem. Cùm verò in obiecto prorſus ſimplici ſint plures formalitates, aut ex natura rei, aut virtualiter ſaltem, poſſet videri penes vnam & non ſecundùm aliam: ac proinde in eodem ſenſu dumtaxat videri partim & non videri. AD II. Si in puncto ſupponantur diverſæ formalitates, aut ex natura rei, aut virtualiter, quamvis indiviſum reipſa ſit, poterit partim videri, & partim non videri, iuxta ſenſum nuper explicatum. AD III. Si Deus eſſet dumtaxat vnus in perſona, quemadmodum in eſſentia, & tamen eius perſonalitas diſtingueretur formaliter ex natura rei ab eſſentia, quemadmodum nunc in opinione Scoti, aut virtualiter in ſententia aliorum; poſſet videri eſſentia non viſâ perſonalitate. Nimirum, eadem tunc ratio eſſet, ac nunc Si atem nulla eiuſmodi diſtinctio, nec formalis, nec virtualis eſſet inter vtramque, neceſſarium omnino eſſet, vt videns vnam, pariter videret aliam. Nimirum, tunc vna clauderetur in conceptu formali alterius: & iuxta ſententiam Scoti, aliorumque ferè omnium, viſio cuiuſlibet rei neceſſariò debet eſſe viſio omnium eorum, quæ in

con-

conceptu formali ipſius clauduntur : ideoque repugnat perſonam divinam videri non viſa eſſentia, & hanc non viſis prædicatis omnibus quidditativis ac tranſcendentibus.

11 DICES : Ergo ſaltem ſuppoſita inclusione eſſentiali eſſentiæ in relationibus, & relationum in eſſentia divina (quam latè tradidimus Tomo I Diſp. XXVI. per totam) nullus eſſe poteſt locus vt eſſentia videatur non viſis perſonis: ſiquidem vel Scotus ipſe, & plerique alij fatentur, nullum prædicatum divinũ videri poſſe quin videantur pariter quęcumque ſunt de conceptu illius quiddativo & eſſentiali.

12 RESP. Adhuc ſuppoſita ea ſententia, quàm modò etiam veriorem cenſemus, reſponderi poſſe, nullam apparere repugnantiam in eo quòd viſa eſſentia non videantur relationes : quoniam incluſio illa relationum & eſſentiæ intra eandem formalitatem obiectivam, quamvis ſit eſſentialis, non eſt talis quoad explicitum, ſed quoad implicitum dumtaxat, & talis conditionis, vt cohæreat cum diſtinctione virtuali intrinſeca, ac ſufficiente, vt eſſentia ſit verè communicabilis, relatio autem incommunicabilis, prout latè ibidem explicuimus Diſp. XXVII. per totam. Nimirum, quamvis nulla ſit ibi diſtinctio actualis ex natura rei, nec formalis Scoti, nec modalis Durandi, immo nec adæquatè præciſiva ex parte obiecti ; adhuc eſt diſtinctio virtualis intrinſeca inter eſſentiam & relationes ob infinitam perfectionem divinæ naturæ cum ſumma & mirabili fœcunditate coniunctam : quæ diſtinctio abſque contradictione vlla ſufficit ad fundandum propoſitiones quaſi contradictorias in re, vt eſſentia communicetur & paternitas non communicetur, filiatio producatur & eſſentia non producatur. Ergo multò magis eadem diſtinctio virtualis intrinſeca ſufficit vt eſſentia videri poſsit verè non viſis perſonis. Viſio enim ab intellectu creato elicita ſolùm extrinſecè & intentionaliter ſe habet ad obiectum viſum : communicatio autem & productio rei intimiùs illam afficit. Ergo ſi in eadem formalitate obiectiva eſt locus vt reipſa communicetur & non communicetur, producatur & non producatur, ratione diſtinctionis virtualis ſeu eminentialis intrinſecæ; multò magis erit locus ex eodem capite vt videatur, & non videatur. Alia autem ratio eſt de prædicatis ijs eſſentialibus, quæ clauduntur in conceptu quidditativo explicito rei, veluti ſuperiora & vniverſalia in inferiori, aut particulari, vel per modum partis conſtituentis. Nulla enim res viſione intellectuali percipi poteſt ijs non viſis ; ideoque nec locus eſt vt intellectualiter videatur eſſentia hominis non viſa ratione animalis, & viventis, & ſubſtantiæ, & entis : quidquid ſit de viſione materiali oculorum, quæ attingit clarè colorem, nec tamen explicitè attingit rationem qualitatis aut entis vniverſalem in ea clauſam, quoniam nullus ſenſus attingere poteſt niſi obiectum particulare, & ſenſibile.

13 CONFIRMATVR Solutio tradita. Non minùs vna & ſimplex eſt omnipotentia divina in ordine ad omnia poſſibilia in particulari, abſque vlla diſtinctione formali ex natura rei, modali, au præciſiva adæquatè ex parte obiecti, quam ſit entitas Dei in ſententia Scoti, & formalitas obiectiva in opinione negantium præciſiones obiectivas inter eſſentiam divinam & relationes. Immo maior quodammodo vnitas & ſimplicitas apparet in omnipotentia ſeorſim : quoniam conſtituit vnicum attributum quaſi in ſpecie atoma, cùm tamen formalitas illa communis Dei quaſi integretur ex eſſentia, attributis, & relationibus diverſis veluti ſpecie aut etiam genere. Et tamen de facto, iuxta ſententiam communem, videtur à Beatis omnipotentia prout eſt productiva quorundam poſsibilium in particulari, & non aliorum. Ergo multò magis videri poterit eſſentia diuina, non viſis attributis aut relationibus.

SECTIO SECVNDA.

Expenditur tertium fundamentum opinionis negantis, deſumptum ex conceptu cognitionis intuitiuæ ; ac pariter enerua-tur.

14 PROBANT III. Viſio divinæ eſſentiæ debet eſſe viſio propriè dicta, ac proinde cognitio intuitiva. Atqui impoſsibilis eſt cognitio intuitiva divinæ eſſentiæ, quæ non ſit etiam cognitio omnium eorum, quæ reipſa ſunt vnum & idem cum illa : qualia profectò ſunt attributa & relationes. Cognitio enim intuitiva, quatenus differt ab abſtractiva, debet eſſe cognitio clara rei exiſtentis, prout exiſtentis ; atque adeò ſecundùm ea omnia quæ identificat ſibi in ſtatu exiſtentiæ. Ergo impoſsibilis eſt viſio divinæ eſſentiæ, quæ non ſit cognitio omniũ eorum, quę ſunt reipſa vnũ & idem cum illa, ac proinde attributorum & relationum. Hæc ratio deſumitur ex D. Thom. 3. p. q. 3. art. 3 corpore, vbi iuxta ſenſum in ipſo argumento indicatum diſtinguit cognitionem Dei intuitivam ab

abſtractiva, aſſeritque priorem illarum neceſſariò debere eſſe notitiâ totius obiecti, prout reipſa exiſtit, & ſecundùm ea omnia, quæ vnum cum ipſo ſunt. Ait enim Sanct. Doctor: *Intellectus dupliciter ſe habet ad diuina. Vno modo, vt cognoſcat Deum ſicuti eſt: & ſic impoſsibile eſt quòd circunſcribatur per intellectum aliquid a Deo, & quòd aliud maneat; quia totum quod eſt in Deo eſt vnum, ſalua diſtinctione perſonarum, quarum tamen vna tollitur ſublata alia, quia diſtinguuntur ſolùm relationibus, quas oportet eſſe ſimul. Alio modo ſe habet intellectus ad diuina, non quidem quaſi cognoſcens Deum vt eſt, ſed per modum ſuum; ſcilicet, multipliciter & diuiſim id quod in Deo eſt vnum. Et per hunc modum poteſt intellectus noſter intelligere bonitatem & ſapientiam diuinam & alia eiuſmodi quæ dicuntur eſſentialia attributa, non intellecta prternitate, vel filiatione, quæ dicuntur perſonalitates. Et ſecundùm hoc abſtracta perſonalitate per intellectũ poſſumus adhuc intelligere naturam aſſumentem.*

15 RATIO Hæc valde plauſibilis & probabilis eſt: non tamen convincens. Primò enim reſponderi poteſt ad mentem Scoti, & ſuppoſita iuxta ipſum diſtinctione formali ex natura rei inter eſſentiã attributa & relationes, viſionem eſſentiæ divinæ fore intuitivam adhuc in ea hypotheſi: quoniam adhuc eſſet viſio immediata & clara rei ſingularis & exiſtẽtis prout exiſtentis in ſeipſa, immo & ſubſiſtẽtis quãvis cõmunicabiliter Nimirũ, iuxta Subt. Doct. quem alij extra ipſius Scholã imitantur, eſſentia divina pro priori ad perſonas habet ſuã exiſtentiam & ſubſiſtentiam abſolutam, communicabilemque: ac proinde ſub ea ratione poteſt terminare cognitionẽ intuitivã ſui independẽter à perſonis, immo & ab attributis, quæ ſupponunt iam exiſtentiam, veluti formalitatem priorem, ſicuti formalitas voluntatis ſupponit formalitatem intellectus. Itaque cognitio illa eſſet notitia clara eſſentiæ divinæ prout eſt in ſe, ſive prout exiſtit reipſa: quoniam eſſentia Dei ſecundùm ſuam rationem formalem nõ ſupponit pro attributis, nec pro perſonis, ſed pro divinitate, quæ verè attingeretur atque immediatè ſecundum ſuam quidditatem & exiſtentiam ſingularem, quamvis nec attributa, nec relationes viderentur. Nec inde colligitur Deum videndum iri aliter ac eſt: nam viſio eiuſmodi non affirmaret eſſentiam Dei exiſtere abſque attributis aut perſonis: ſed ſolùm eſſet iudicium affirmativum quidditatis & exiſtentiæ divinæ, independenter à quolibet alio, ſeu abſtrahendo à reliquis. Nec præterea colligitur viſionẽ illam fore abſtractivam propriè loquendo. Hæc enim non tã conſiſtit in eo vt attingat aliquid in obiecto, non attactis reliquis, quæ cum illo identificantur, quàm in eo vt attingat obiectũ mediante ſpecie, & non immediatè in ſeipſo ſecundum propriã exiſtentiam, iuxta mentẽ Scoti: ideoque quãvis aliquis per actus fidei, aut ſcientiæ adquiſitæ, vel per ſe infuſę, attingat omnia prædicata divina, tum abſoluta, tum relativa, adhuc cognitio eiuſmodi non eſſet intuitiva, ſed abſtractiva: quia non eſſet notitia illorum immediata ſecundùm exiſtentiam propriam ipſorum, veluti rationem movendi, aut conditionẽ propriã ex parte obiecti formalis, prout exigitur ad cognitionem intuitivam: ſed dumtaxat eſſet cognitio omniũ prædicatorum Dei mediante ſpecie, & quaſi in ænigmate, aut per ſpeculum.

16 INSTAT Faſolus & alij. Adhuc ſuppoſita diſtinctione formali iuxta Scotũ inter eſſentiam & relationes, neceſſarium omnino eſt, vt viſio attingat quidquid reipſa cum Deo: quoniam ex vi cognitionis intuitivæ obiectum debet attingi penes omnia illa, quæ realiter ſunt vnum & idem cum ipſo. Debet enim tale apparere intuenti, quale eſt in re, ſeu quale exiſtit. Atqui attributa & relationes ſunt vnum & idem reipſa cum Deo. Ergo neceſſarium omnino eſt, vt quiſquis Deum videt, ſive eſſentiam Dei, pariter videat attributa & relationes.

17 NIHILOMINVS Scoti Sectatores facilè negabunt maiorem propoſitionem; quia licèt viſio, ſeu cognitio intuitiva iuxta conditionem frequentem, aut ſibi connaturalẽ, exigat videre quidquid eſt vnum idemque reipſa cum obiecto viſo, quamvis alias diſtinctum ab eo diſtinctione illa formali ex natura rei; ac propterea viſio Dei de facto & iuxta connaturalem exigentiam extendatur ad videnda attributa & relationes: adhuc eiuſmodi exigentia non eſt viſioni eſſentialis. Quippe illa ex conceptu quidditativo ſolùm exigit terminari immediatè ad rem exiſtentem vt exiſtentem in ſeipſa, quidquid ſit de alijs quæ ſolùm identicè aut materialiter ſunt vnum cum illa. Sic etiã Pater æternus communicat Filio naturam ſuam, qualis revera eſt, & exiſtentem vt exiſtentem: nec tamen ipſi communicat paternitatem, quæ eſt vnum idemque reipſa cum natura divina.

18 INSTANT Alij: Quoniam vera viſio obiecti, ſeu cognitio intuitiva, quatenus differt a præciſiva, ſeu abſtractiva, debet attingere obiectum adæquatè penes omnia, quæ ſunt vnum & idẽ reipſa cum illo. Si enim aliquid vt cumque identificatum cum eo non attingitur, eiuſmodi cognitio eſt inadæquata, proinde præciſiva, aut abſtractiva. Ergo

vera

vera Dei viſio eſſentialiter exigit attingentiam attributorum & relationum : ſiquidem adhuc ſuppoſita diſtinctione formali ex natura rei inter illa & eſſentiam, ſunt vnum & idem cum ea ſecundùm rem.

19 RESPODETVR Tamen, de ratione eſſentiali viſionis, ſeu cognitionis intuitivæ non eſſe vt ſit cognitio obiecti adæquata, ſed dumtaxat quod ſit immediata cognitio obiecti exiſtentis vt exiſtentis, ac proinde ſecundùm omnia illa prædicata, quæ eſſentialiter, ſeu in primo modo dicendi per ſe claduntur in ipſo obiecto, quatenus exiſtente. Porrò in Deo, quatenus exiſtente ſingulariter, & quatenus ſubſiſtente pro priori ad perſonas in ſententia Scoti, ſolùm clauduntur eſſentialiter, & in primo modo dicendi per ſe, prædicata quidditativa entis increati, & tranſcendentia : non verò attributa aut relationes. Quare ſufficit viſioni beatificæ vt ſit adæquata cognitio obiecti vt exiſtentis ſecundùm omnia prædicata eſſentialia; quamvis non ſit adæquata quoad reliqua prædicata addentia formalitatem ex natura rei diſtinctam. Hæc enim non ſpectant ad conceptum quidditativum rei, prout exiſtentis. Vnde ſufficienter differt à cognitione abſtractiva ſeu præciſiva. Hæc enim nullatenus attingit immediatè rem vt exiſtentem in ſeipſa, ſed tantùm in ſpecie, prout ſuprà dicebamus : & præterea talis conditionis eſt vt ex ipſis prædicatis quidditativis poſsit percipere vnum latente alio. Poteſt enim percipere rationem entis aut ſubſtantiæ communem Deo & creaturis, non concipiendo Deum ipſum, cui illa eſſentialis eſt, ſed ſolùm abſtractè eam conſiderando, ſive ſub abſtractione formaliterque cõſiderare rationem communem animalis, nullatenus conſidera o homine aut equo, cui illa eſſentialis eſt : quod tamen repugnat cognitioni intuitivæ, quæ prorſus neceſſariò terminatur ad prædicata omnia eſſentialia rei ſingularis vt exiſtentis.

20 DICES : Siquis cognoſceret immediatè naturam humanam vt exiſtentem, & tamen ignoraret ſuppoſitum, ſeu perſonam in qua illa eſt, talis cognitio nullatenus eſſet adæquata, nec intuitiva, ſed adæquata & præciſiva. Et tamen cognoſceret omnia prædicata eſſentialia illius, quatenus exiſtentis. Ergo pariter ſiquis cognoſceret immediatè naturam divinã vt exiſtentem, & tamen ignoraret perſonas, eius cognitio non eſſet intuitiva.

21 RESP. Cognitionem naturæ humanæ exiſtentis, prout exiſtentis in ſingulari, verè eſſe intuitivam, quamvis ignoretur perſona in qua illa ſubſiſtit : quia verè & immediatè terminatur ad illam in ſingulari quatenus exiſtentẽ, & ſubinde ad omnia eius prædicata quidditativa : præter quod nihil aliud eſſentialiter exigit intuitiva cognitio. Vnde Angeli naturaliter habebant cognitionẽ intuitivã humanitatis Chriſti Domini, licèt naturaliter neſcirent perſonam, in qua ſubſiſtebat illa. Vnde ſumitur inſtantia in opinionem adverſam, vt pariter cognitio intuitiva naturæ divinæ haberi poſsit, quamvis perſonæ, in quibus illa ſubſiſtit, non videantur.

22 ET Hactenus quidem occurſum ivimus tertiæ illi probationi num. 14. propoſitæ, ſolventes illam ſuppoſita diſtinctione formali Scoti inter eſſentiam, attributa & relationes divinas. Verũ cùm eam diſtinctionem latè & ex profeſſo reiecerimus Tomo I. Diſp. XXV. per totam, & in Logica Diſp. 15. placet modò occurrere argumento præfacto iuxta ſententiam ferè communem, quæ nullam diſtinctionem actualem agnoſcit inter eſſentiam, attributa, & relationes divinas, niſi rationis, fundatam in diſtinctione virtuali. Reſponderi itaque poteſt probabiliter, viſionem Dei, vt intuitiva ſit eſſentiæ, non exigere prorſus neceſſariò, ſed ſolùm connaturaliter, vt extendatur ad videnda attributa aut relationes : quia prædicata eiuſmodi diſtinguuntur virtualiter ab eſſentia, præſertim relationes, quæ ſubeunt diſtinctionem virtualem intrinſecam ab eſſentia Dei, vt latè expoſuimus Diſp. XXVII. Et quemadmodum eiuſmodi diſtinctio ſufficit vt eſſentia verè communicetur Filio à Patre, non tamen paternitas : ſic etiam, immo vrgentiori ratione ſufficere putanda eſt, vt eſſentia videatur, & paternitas non videatur. Communicatio enim realis minùs præciſiva eſt, quàm intentionalis attingentia cuiuſlibet obiecti. Deinde eſſentia divina in ratione ſpeciei intelligibilis communicatur menti creatæ quatenus forma repræſentativa quorundam poſsibilium in particulari, & non aliorum : cùm tamen vix in ea ſit diſtinctio virtualis, niſi ſummùm inadæquata in ordine ad repræſentandum quædam poſsibilia præ alijs. Ergo pariter, aut vrgentiori ratione, communicari poteſt menti creatæ ſub eo inadæquato munere quo repræſentat ſeipſam, præ attributis, aut vnum attributum præ alio, aut omnia abſoluta prædicata præ relativis. Denique licèt omnipotentia conſtituat vnicum attributum veluti in ſpecie atoma, adhuc videtur de facto à Beatis cognitione clara & intuitiva, prout eſt productiva quorundam poſsibilium in particulari & non aliorum : quoniam adhuc locus eſt in ea diſtinctioni virtuali inadæquatę penes continentiam aliorum, & aliorum poſsibi-

lium. Ergo multo magis ſufficit diſtinctio virtualis adæquata aut maior inter eſſentiã, attributa, & relationes, vt illa per cognitionem intuitivam attingatur, quamvis cętera non videãtur. Nec prodeſt ſatis diſtinctio prædicatorũ Dei formalium ab eminentialibus, ad quam confugi ſolet. nam continentia quorũlibet poſſibilium in particulari etiam eſt prædicatum formaliter Deo conveniens, cùm ſit perfectio ſimpliciter ſimplex. Ac permiſſo gratis quòd ſolùm eſſet prædicatum eminentiale, adhuc tam verè convenit eſſentiæ divinæ vt eſt in ſe, ac reliqua prædicata formalia. Ergo ex eo quòd cognitio intuitiva terminetur ad rem prout eſt in ſe, non magis infertur neceſsitas cognoſcendi prædicata eminentialia, quàm formalia.

23 IAM Verò vt cognitio illa ſit intuitiva, ſufficit quòd immediatè terminetur ad eſſentiam Dei vt exiſtentem in ſeipſa ſecundùm exiſtentiam ſingularem & abſolutam, quã ſupponimus in divinis; & aliàs connaturaliter exigat terminari ad aliqua prædicata identificata cum obiecto qualiacumque ea ſint. Ex vtroque enim capite ſufficienter differt à cognitione abſtractiva, ſeu præciſiva. Hæc enim imprimis nequit terminari immediatè & clarè ad rẽ prout exiſtentem in ſeipſa, ſed prout in ſpecie tantùm. Deinde nec ex natura ſua exigit terminari ad omnia prædicata reipſa identitatẽ habentia cum obiecto cognito: quin potiùs exigit naturâ ſuâ oppoſitum, cùm ſit eſſentialiter cognitio mediata vnius mediante alio identificato. Eoque ſenſu ſunt cognitiones abſtractivæ aut præciſivæ, quibus cognoſcimus gradus rerum communes ſiene particularibus. Quare negandum eſt, cognitionem immediatam ſolius eſſentię divinæ fore præciſivam propriè loquẽdo, præſertim cùm iuxta noſtram ſententiam Tomo I. Diſp. XXXI. ſtatutam repugnent præciſsiones obiectivæ in divinis. Siquis autem contendat, dicendam fore præciſsivam viſionẽ illam latiùs, & quatenus non eſt adæquata perceptio obiecti divini ſecundùm omnia prædicata ipſi identificata, ſed penes aliqua tantũ; parum oberit id concedere. Sed eo ſenſu, etiam de facto viſio omnipotentiæ expreſsa, vt productricis quorundam poſsibilium, & non aliorum, dicenda erit pariter cognitio præciſiva illius, quamquam alioqui vera & propria intuitio omnipotentiæ. Similiter eodem ſenſu dicetur præciſiva cognitio, quâ Angelus verè & propriè intuetur quoſlibet res naturales, non viſa potentia obedientiali ijs identificatâ quoad omnia ſibi intrinſeca. Verùm ex dictis patet, eiuſmodi cognitionem impropriè ſolùm & latiùs appellari poſſe præciſivam.

SECTIO TERTIA.

Reliqua maioris momenti fundamenta pro eadem ſententia negante examinantur, & nihil demum extorquere inueniuntur.

24 PROBAT IV. Suarez vbi ſuprà frequentiorem ſententiam: Quia ſi poſſet eſſentia Dei videri ſine relationibus, aut id eſſet per eandem viſionem, quâ de facto videntur etiã relationes, Deo ab illa auferente vt extendatur ad videndas relationes; aut per aliam viſionẽ diſtinctam. At neutrum horum eſſe poteſt. Ergo eſſentia nullo modo ſine relationibus videri poteſt. Maior propoſitio amplectitur omnes modos quibus id poteſt cogitari poſsibile. Minor quoad priorem partem ſuadetur: Quia viſio repræſentat obiectum, ſive attingit illud in genere cauſæ formalis per ſuam entitatem: atque adeò dum permanet ipſius entitas, nequit non repræſentare quidquid à principio repræſentabat vel attingebat. Ergo fieri nequit vt manente eadem viſione, quæ de facto attingit eſſentiam & relationes, permaneat cognitio ſolius eſſentiæ, & non etiam relationum. Poſterior autem pars probatur: Quia iuxta cõmunem Theologorum ſententiam omnes viſiones Dei exiſtentes & poſsibiles ſunt eiuſdem ſpeciei. Hoc atem eſſet falſum ſi poſsibilis eſſet viſio Dei attingens ſolam eſſentiam, & alia viſio eſſentiæ & relationum. Ambę enim haberent diverſum obiectum. Ergo nequeunt videri relationes viſione diſtincta à viſione eſſentiæ.

25 HVIC Argumento imprimis reſponderi poteſt iuxta mentem Scoti in 1. diſt. 14. q. 2. a. 2. §. *Quantum eſt ad iſtum articulum*, in fine, eadem fore ſpecie ac numero viſionem, quâ modò Beati intuentur eſſentiam & relationes, ac illam qua poſtea viderent ſolam eſſentiam: quoniam idem actus qui tendit de facto ad duo obiecta, quorum alterum eſt primarium, & ſecundarium alterum, poteſt permanere divinitus in rerum natura manente habitudine ad ſolum obiectum primarium, quamvis altera ad ſecundarium deſit: ſiquidem ſola dependentia ab obiecto primario eſt eſſentialis. Porrò in ſententia eiuſdem Doctoris Subtilis eo loco, & plurium aliorum, ſola eſſentia divina eſt obiectum primarium viſionis: relationes verò, ſicuti & attributa, dumtaxat ad obiectum ſecundarium ſpectant, ita vt ſint purus terminus ſecundarius, nec vllo modo ſpectent ad obiectum primarium *quo*, aut quod. Ergo poſſet divinitus fieri, vt eadem viſio, quæ modò attingit eſſentiam

& re-

& relationes, amittat extenſionem ad relationes, & maneat ſub habitudine ad ſolum obiectum primarium. Sic divinitus fieri poſſet, vt viſio beatifica, quæ nunc de facto extenditur ad videndum Deum & creaturas aliquas in particulari, præſertim futuras, amitteret eiuſmodi extenſionem, quoniam ſpectant ad obiectum ſecundarium. Sic præterea eadem numero viſio beatifica, quæ modò attingit ſuam æternam durationem, poſſet divinitus manere ſine extenſione ad illam videndam, quia ſolùm ſpectat ad obiectum ipſius ſecundarium: vt latè probavimus Tomo I. Diſput. XXI. ſect. 5. per totam: ſive de facto extendatur ad videndam ſuam durationem, & quævis alia obiecta ſecundaria, per aliquem modum reſpectumve intrinſecè ſuperadditum, ſive ſolùm per terminationem novam abſque vlla additione intrinſeca, vt ibidem à numero 81. explicatum eſt, ſoluti obiectionibus in contrarium.

26 PROBABILIVS Autem apparet, ac conformius Scoto vbi ſuprà, viſioni eſſentiæ divinæ addi debere re ipſa aliquem reſpectum, vt extendatur ad videnda quælibet obiecta diſparata, aut ſecundaria, qualia ſunt attributa & relationes in ipſius opinione, & creaturæ in ſententia omnium. Quo ſenſu ipſe in 3 d. 14. q. 2. §. *Sea ſi iſta via*, docet, intellectum animæ Chriſti eadem numero viſione attingere divinam eſſentiam, & creaturas quæ in ea ſunt: & conſequenter intellectum cuiuſlibet Beati per eundem numero actum poſſe videre modò plura, modò pauciora obiecta ſecundaria, per plures aut pauciores reſpectus attingentię ſibi affixos divinitus, & veluti ab extrinſeco. Quæ doctrina, in eius ſententia, pariter procedit circa viſionem relationum, quas æquè conſtituit extra obiectum primarium. Neque obſtat quòd repræſentatio & attingentia conveniat viſioni in genere cauſæ formalis, vt opponebat Suarez, ac proinde per ſuam entitatem. Poteſt enim reſponderi, manifeſtationem obiecti primarij convenire viſioni in genere cauſæ formalis per ſuam entitatem nudè ſumptam; manifeſtationem verò ſecundarij obiecti non, niſi per eandem entitatem prout affectam reſpectu aliquo attingentiæ ſuperaddito, ſaltem vt conditione neceſſaria: quoniam nulla repugnantia eſt vt forma ad præſtandum ſuum effectum ſecundarium egeat conditione aliqua ſibi ſuperaddita, aut ſubiecto. Sic gratia habitualis, iuxta communem ferè ſententiam, vt præſtet effectum ſecundarium filiationis adoptivæ in genere cauſæ formalis, exigit neceſſariò extraneitatem ſuppoſiti diſtincti à ſuppoſito divino: & in ſententia valde communi qualitates ſimplices, vt præſtent in genere cauſæ formalis effectum intenſum, egent modo aliquo ſuæ entitati ſuperaddito.

27 INSTAT Averſa 1.p.q.12.ſect.23. & Pontius in Curſu Theologico diſp.4. n.60. (quamvis alioqui tueantur ſententiã affirmantem) Quoniã nequit actus viſionis ſine totius actus intrinſeca mutatione repræſentare modò plura, modò pauciora obiecta. Repræſentatio enim eiusmodi eſt prædicatũ reale intrinſecum actui, & cum ipſo identificatũ. Sic etiã quilibet gradus intẽſionis vel claritatis cõveniens actui eſt idem reipſa cum illo, & habens idem obiectum formale, ac proinde inſeparabilis omnino ab actu viſionis. Ergo ſi aliqua viſio poteſt attingere ſolam eſſentiam, ille debet eſſe viſio prorſus diſtincta à viſione eſſentiæ & relationum; ac proinde alterius obiecti, & diverſæ ſpeciei ab illa.

28 RESP. Negando antecedens: quia licèt repræſentatio obiecti primarij ſit aliquid prorſus idem reipſa cum actu, ac proinde ab eo inſeparabile; non tamen repræſentatio obiecti ſecundarij, quæ addit reſpectum attingentiæ conveniente ſibi accidentaliter, vt nuper dictũ eſt. Quare à viſione eſſentiæ divinæ de facto exiſtente ſeparari poſſet divinus ille reſpectus attingentiæ ſuperadditus, quo nunc extenditur ad videndas relationes, attributa, & creaturas, veluti ſecundaria obiecta. Idemque dici poteſt de gradu quolibet intenſionis, ſi addat aliquid reipſa ſupra entitatẽ actus. Verius autem videtur, nihil illud addere iuxta ſententiam Scoti, quam indicat Maſtrius t.1 diſp.6.q.8 n.245. quoniã omnes gradus intenſionis in actu ſunt in ordine ad ad idem prorſus obiectum, quod poteſt ſecundùm eandem omnino rationem attingi viſionibus intenſivè inæqualibus: vt patet in viſione ſupremi Angeli terminata ad infimũ, quę eſt intenſivè perfectior cognitione eiuſdem infimi Angeli ad ſeipſum terminata. Extenſio autem viſionis non eſt circa idem omnino obiectum actus, ſed circa aliud obiectum ſecundarium, ideoque ab actu divinitus ſeparari poteſt. Itaque iuxta Scotum loco ſuprà indicato in 1.d.14.q.2. litt. M. idem actus viſionis eſſentiæ divinæ poteſt ſubire additionem aut diminutionem reſpectuum attingentiæ & repræſentationis in ordine ad plura aut pauciora obiecta ſecundaria, manifeſtata per revelationem in eſſentia divina factam, iuxta menſuram liberæ voluntatis Dei, quæ poteſt plura aut pauciora illorum oſtendere pro libito.

29 VRGEBIS. Illa additio nequit eſſe ſolius reſpectus, ſed alterius viſionis diſtinctæ, immo reſpectus ipſe nequit eſſe, niſi viſio: ſiquidem eo poſito videntur attributa, relationes, aut creaturæ; ablato autem, non videntur. *Præterea.* Si eadem viſio eſſentiæ

addito ſolùm reſpectu quodam poteſt eſſe viſio aliorum quorumlibet obiectorum, dici poterit in nobis eſſe poſſe cognitionem primorum principiorum congenitam, quæ ſola variorum reſpectuum additione extendatur ad quælibet alia obiecta cognoſcenda, abſque novo actu.

30 AT Neutra inſtantia obſtat. Non prior: quoniam iuxta ſenſum Scoti Quodlibet. 3. littera M. cognitio cuiuſlibet obiecti importat non ſolùm reſpectum attingentiæ, ſed etiam qualitatem abſolutam, immo hanc principaliter, & illum de connotato ſolùm: quamvis cum hoc diſcrimine, quòd reſpectus ad obiectum primarium ſit indiſtinctus ab entitate actus, proindeque ab ea inſeparabilis; ad ſecundarium verò diſtinctus reipſa, ſeparabiliſque. Cùm ergo in ordine ad obiecta ſecundaria non ſuperaddatur qualitas abſoluta, ſed ſolus reſpectus attingentiæ, veluti conditio ad extenſionem prioris actus; conſequens eſt, vt non addatur nova viſio. Nec poſterior inſtantia vrget: quoniam doctrina Scoti hactenus tradita ſolùm eſt circa actum viſionis Dei, & ſuppoſita frequentiori ſententia, ab alijs negata, quæ docet de facto vnico actu videri à Beatis omnia prædicata divina abſoluta & relativa, ſicuti & creaturas. Si enim ea ſunt obiecta ſolùm ſecundaria, non eſt opus addere novam viſionem, ſed ſolùm reſpectum attingentiæ, qui poſsit impediri abſoluta poteſtate Dei. Connaturaliter tamen & de facto reſpectus ad ea obiecta non variantur in viſione beatifica, neque illa viciſſitudinem ſubit in ordine ad alia & alia obiecta. Quod indicat Auguſtinus lib. 15. de Trinitate cap. 16 vbi loquens de cognitionibus Beatorum, ait: *Non erunt volubiles cogitationes noſtræ, ab alijs in alias euntes: ſed omnem ſcientiam noſtram vno conſpectu videbimus.* In viatoribus autem alia omnia contingunt. Nam pro varietate ferè cuiuſlibet obiecti ſuccedunt novæ cognitiones, diſtinctæ à cognitione primorum principiorum, & terminatæ ad propria obiecta primaria, à quibus ſpeciem diſtinctam ſortiuntur.

31 OPPONIT Suarez lib. 2. de Attributis negativis cap 25. num. 3. contra hanc Scoti doctrinam, poſſe eandem numero viſionem ex intrinſeca perfectione ſua terminari ad eſſentiam, attributa, & relationes; ac per conſequens abſque modo ſupperaddito. Ergo eiuſmodi viſio differret ſpecie eſſentiali à viſione ſolius eſſentiæ divinæ quod ipſe ſupponit eſſe impoſsibile ex ſententia communi ferè Theologorum docentium, repugnare viſiones Dei ſpecie eſſentiali diſtinctas, vt ſuprà num. 24. vidimus ex eodem Auctore. Antecedens probat multiplici inſtantia, iuxta quam plura obiecta, etiam diſtincta adæquatè, ſeu non connexa, poſſunt percipi vnico actu intrinſecè invariato. Prima eſt in vnica viſione oculi corporei indiviſim terminata ad plura individua, v.g. ad plura ova vicina inter ſe, vel ad proximam multitudinem hominum, arietumve. Secunda in Angelo, ſaltem ſuperiore, per vnicam ſpeciem, immo & cognitionem, attingentem naturas atque individua leonis & equi, nullam inter ſe connexionem habentium. Tertia in nobis ipſis, qui vnica cognitione attingimus principia, & concluſiones in ijs clauſas. Quarta in vnico actu cognitionis, quo indiviſim attingimus quælibet co relativa, quoniam ſunt ſimul cognitione.

32 HÆ Tamen inſtantiæ vix difficultatem habent iuxa ſententiam Scoti, qui in 2. diſt. 3. quæſt. 10 docet impoſsibilem eſſe ſpeciem impreſſam creatam, ex ſua intrinſeca perfectione repreſentativam plurium quidditatum diſparatarum, multò autem magis ſpeciem expreſſam aut cognitionem earundem. Quare iuxta mentem ipſius, negatur aſſumptum. Neque obſtat prima inſtantia, nam plura ova vicina, aut plures homines coniuncti, non videntur ſimul vnico actu, ſed pluribus, iuxta multitudinem obiectorum. Nimirum, iuxta Scotum, non repugnant ſimul plures viſiones ſolo numero diſtinctæ in eodem oculo: quoniam non individuantur à ſolo ſubiecto, ſed à ſubiecto relatè ad terminum, qui in caſu argumenti eſt multiplex numero. Si etiam in memoria ſenſitiva reſident ſimul ſpecies impreſſæ obiectorum ad eandem ſpeciem ſpectantium ſolo numero diſtinctæ: & in eodem corpore Chriſti in Euchariſtia recipiuntur ſimul innumeræ præſentiæ ſacramentales, & ſupernaturales, ſolo numero diſtinctæ: quoniam pariter non individuantur à ſubiecto abſolutè ſumpto, ſed per ordinem ad terminum, qui eſt multiplex numero. Ad ſecundam inſtantiam negatur aſſumptum: quia iuxta Scotum nuper allegatum, ne in Angelo quidem, adhuc ſupremo, loco habet ſpecies impreſſa ex intrinſeca ratione habens vim repræſentandi plures quidditates: multò autè minùs cognitio attingens per ſe plura obiecta diſparata. Ad tertiam negatur antecedens: quoniam non eodem actu attingimus principia & concluſiones in ijs clauſas, ſed diverſo. Principia enim cognoſcimus actu ſpectante ad habitum principiorum, quem Ariſtotel. lib. 6 Ethicorum & alibi ſæpe νοῦν vocat, id eſt, intellectum: concluſiones verò actu ſpectante ad habitum ſcientiæ. Alia ratio eſt de ijs, quæ continentur in alio, vt pars eſſentialis in toto, & vniverſale

in

in particulari. Cognoſcuntur enim eodem actu, quo cognoſcitur ipſum totum: vel particulare coſtitutum: vt idem Scotus docet in 1. diſt. 3. quæſt. 2. §. *Quinto dico.* Ad quartam poteſt pariter negari antecedēs. nam iuxta ipsū in 2. d. 43. q. 2. litt. C. vt relativa ſint ſimul cognitione, ſatis eſt quòd neceſſariò cognoſci debeant pluribus actibus inter ſe connexis: præſertim cùm non attingantur ſimplici apprehēſione, ſed iudicio compoſito ex duobus actibus. Verùm quidquid de hoc ſit, eſt diſpar ratio. nam correlativa ex ſua peculiari ratione formali ſunt invicem connexa, quod non competit alijs obiectis adequatè diverſis, aut diſparatis. qualiter in ſententia Scoti ſe habent eſſentia, attributa, & relationes.

33 PROBATVR. Amicus Tomo I. diſp. 9. ſect. 18. Si enim poſſet vna perfectio Dei videri ſine alijs, viſio de facto attingens omnes Dei perfectiones eſſet infinita. quod eſt planè abſurdū. Aſſumptionem probat: Si enim poſſet videri vna perfectio Dei ſine alijs, intenſior eſſet viſio illa Dei, quæ attingeret plures perfectiones Dei, quā quæ pauciores; ac proinde infinitè intenſa, quæ repræſentat de facto infinitas Dei perfectiones. Quòd ſi verò dicas, perfectiones intenſivas Dei repræſentatas de facto per viſionem eſſe finitas; vrget argumentū prædictus Auctor in perfectionibus Dei infinitis intenſivè, quæ omnes de facto videntur à Beatis vt infinitæ ex parte obiecti. Ad videndum enim ſapientiam divinam, v.g. vt duo ex parte obiecti, exigitur infinita viſionis intēſio.

34 CONFIRMATVR I. Si videri poſſet vna perfectio Dei ſine alijs, non quælibet viſio naturâ ſuâ repræſentaret totum Deum. Ergo quæ repræſentat totum Deum de facto, eſſet infinitè perfectior: quoniam habet vim præ illa alia ad repræſentandum Deum ſecundùm alias perfectiones ex parte obiecti infinitas. Cùm ergo conſequens ſit planè falſum, exiſtimandum eſt, viſionem Dei non ex intenſione aliqua, aut augumento perfectionis accidentariæ, ſed ex cōceptu eſſentiali proprio, & ex ſimplicitate ſumma obiecti divini habere, vt totum illud neceſſariò atque indiviſim repræſenter.

35 CONFIRMATVR II. Et ſimul redditur ratio veluti à priori eiuſdem doctrinæ: Quoniam intelligibilitas, ſecundùm quam vnaquæque res movet intellectum ad cognitionem ſui, fundatur immediatè in tota entitate rei. Ergo ſi entitas rei eſt indiviſibilis, vt in Deo, repugnat vt poſsit movere intellectum ad cognitionem, quæ non repræſentet illam ſecundùm totam entitatem & intrinſecam perfectionem ſuam. Hæc & plura alia prædictus Auctor in confirmatione ſuæ & communis ferè ſententiæ.

36 SED Enim ea omnia facilè enervari poſſunt. Ad argumentum præcipuum imprimis negatur antecedens, & illius probatio. Nam iuxta mentem Scoti, quod viſio de facto exiſtens terminetur ad omnes Dei perfectiones, & non ſolùm ad eſſentiam, non competit ipſi ratione intenſionis, ſed extenſionis accidentariæ, ſive reſpectus attingentiæ ſuperadditi, in ordine ad ſecundarium obiectum, qui poteſt divinitus impediri, aut addi ex libera Dei voluntate. Vnde licèt viſio ratione eiuſmodi reſpectus attingat vel vnam, vel plures, vel omnes perfectiones attributorum Dei infinitas ex parte obiecti, (ſecundùm quòd plures vel pauciores reſpectus ſuperadduntur viſioni) non ideo evadit intenſior, multò autem minùs infinitè intenſa, ſed ſolùm maiorem extenſionem habens in ordine ad obiecta ſecundaria. Sic iuxta eundem Doctorem Subtilem in 3. diſt. 14. quæſt. 2. littera M. verſic. *Si primus modus*, ſuppoſita opinione docente, animam Chriſti vnico actu videre omnia, quæ videt Verbum, non ſequitur actum illum eſſe infinitè intenſum aut perfectum: quoniam nec eſt comprehenſivus obiecti primarij (quod eſt eſſentia divina) nec id habet ex vi penetrationis intenſivæ Dei, ſed ex reſpectibus attingentiæ ſuperadditis ad obiecta ſecundaria viſa, quibus demptis maneret idem actus omnino finitus. Idem ergo dici poteſt de viſione nunc terminata ad eſſentiam, veluti primarium obiectum, & ad attributa relationeſque, veluti obiectum ſecundarium. Similiter quod quælibet perfectio divina, ſive eſſentialis, ſive attributalis, ſi ſemel videtur, videatur tota ex parte obiecti, provenit ex eo quòd in perfectione illa obiectiva ſit vnica ratio formalis ſimpliciſsima, quæ proinde indiviſim debet videri: non provenit autem ex intenſione viſionis, quæ etiam in minimo gradu totam illam percipit. Verùm cùm in eſſentia, attributis, & relationibus, ſit alia & alia formalis ratio ex parte obiecti, vel actualis ex natura rei iuxta Scotum, vel virtualis iuxta alios, poteſt viſio attingere vnam ex ijs rationibus ſine alia, vel etiam omnes abſque nova intenſione per ſolam additionem novi reſpectus ættingentiæ.

37 AD I. Confirmationem patet ex dictis. Antecedens enim eſt verum, ſed conſequens falſum: nam quòd vna viſio præ alia extendatur de facto ad videndum plures perfectiones infinitas ex parte obiecti, non competit ipſi ex perfectione omnino intrinſeca, ſive intenſiva, ſed accidentaria & extenſiva, quæ nullam arguit infinitatem.

38 AD II. Si ratio illa aliquid probat, evincit nullam eſſe poſſe cognitionem abſtractiuam, ſeu præciſionem Dei: quoniam ſi intelligibilitas fundatur in tota entitate omnino ſimplici, nullatenus poterit movere ad inadæquatam ſui cognitionem. Evincit præterea, omnem viſionem Dei debere eſſe comprehenſivam: quoniam intelligibilitas adæquata, ſeu comprehenſiva Dei, fundatur in tota entitate Dei totaliter exiſtente, quæ adhuc ſub hac conſideratione eſt ſimpliciſsima. Ergo non poterit movere intellectum creatum ad videndam illam, niſi totam & totaliter, atque adeò comprehenſivè. Vtrumque autem abſurdum eſſe patet. Deinde ad argumentum ipſum directè reſpondetur, concetto antecedente, negando conſequentiam: quia licèt tota entitas divina ſit ſimplex & indiviſibilis identicè, conſtat multiplici ratione formali ex natura rei iuxta Scotũ, aut virtuali, iuxta alios: ac proinde movere poteſt ſecundùm intelligibilitatẽ vnius formalitatis, & non alterius, ad notitiã, tum abſtractivam, tum intuitivam ſecundùm immediatam eius exiſtentiam. Præterea eſt diſcrimen in alijs obiectis creatis, quæ ſolùm neceſſariò movent ad cognitionem ſui, illamque proinde limitare aut partiri nequeunt. Deus autem, vt loquitur Auguſtinus in quadam epiſtola, alio loco à nobis expenſa, *inuiſibilis eſt natura: videtur autem cùm vult, ſicut vult.* Vnde poteſt pro libito ſe exhibere videndum ſecundùm ſolam eſſentiam, aut penes aliquod præterea attributũ præ alijs, aut penes attributa præ relationibus. Sic de facto ſuam omnipotentiam (quamvis conſtet vnica ratione formali) exhibet videndam prout continet explicitè quædam poſsibilia in particulari præ alijs: quoniam, nimirum, adhuc in ipſa omnipotentia eſt diſtinctio virtualis inadæquata & eminentialis ſinuum diverſorum in ordine ad creaturas poſsibiles in particulari, tum ſpecie, tum numero diverſas: ac proinde poteſt iuxta arbitrium Dei repræſentari penes vnam rationem inadæquatam præ alia. Ergo multò magis poterit Deus ſe exhibere videndum pro libito penes vnam rationem formalem adæquatè diverſam ab alia, quamvis reipſa indiſtinctam.

39 PROBANT Denique (omiſsis alijs rationibus minoris notæ) ex conceptu beatitudinis, ſeu viſionis quatenus beatifica eſt, quæ debet attingere omnia prædicata formalia Dei, tum abſoluta, tum relativa. Atqui viſioni competit eſſe beatificam non ex aliquo prædicato accidentali, aut divinitus ſeparabili, ſed ex conceptu eſſentiali: ſicuti amori Dei in Patria iuxta Scotum convenit ex ratione ſua eſſentiali vt ſit beatificus: ideòque iuxta ipſum differt ſpecie ab amore viatorum. Ergo viſioni Dei convenit ex conceptu eſſentiali vt attingat omnia Dei prædicata formalia, tum abſoluta, tum relativa: atque adeò nequit diviniùs fieri vt attingat aliquod ex ijs ſine alio.

40 HÆC Ratio ſpectat ad Diſputationem ſequentem, vbi inquiremus ex profeſſo, An viſio attingens ſolam eſſentiam Dei eſſet verè beatifica. Circa quam Scotus ibidem allegandus tuetur ſententiam affirmantem: iuxta quam modò neganda eſt maior propoſitio argumenti. Iuxta opinionem verò aliorum negantium ibidem, concedenda eſt maior propoſitio argumenti, & neganda minor: quoniam viſio Dei non habet vt ſit beatifica ex ſolo conceptu eſſentiali viſionis naturę divinæ, ſed ex eo quòd ſit viſio omnium prædicatorum formalium Dei, quatenus vnus & trinus eſt. Hæc enim ſola ratione poteſt ſatiare, & expellere omnem anxietatem creaturæ rationalis, quæ adhuc viſa eſſentia deſideraret videre modum quo illa exiſtit, & ſummam ipſius fœcunditatem ad intra. Sed de hoc fuſiùs loco allegato.

41 ITAQVE Expenſis iam præcipuis rationibus, quibus plerique Theologorum ſolent probare repugnantiam, vt videatur eſſentia Dei non viſis attributis, aut relationibus, nullam invenio prorſus vrgentem, ſive quæ valde probabiliter non ſolvatur. Vnde vel ex hoc vno capite probabilis cenſeri debet opinio Scoti mox referenda: ſiquidem probabiliter defendi poteſt veluti poſsibile divinæ omnipotentiæ omne illud, quod non involvit repugnantiam aliquam, ſive in quo nulla contradictio vrgenti argumento probatur. Atqui eiuſmodi eſt quòd viſio Dei terminetur ad ſolam eſſentiam ſine attributis, vel ad hæc ſine perſonis: vt patet ex ſolutione argumentorum hactenus præſtita. Ergo probabilis eſt, vel ex hoc vno capite, poſsibilitas eiuſmodi viſionis. Verùm præterea illa pro ſe habet fundamenta poſitiva, & gravia, quæ expendemus in progreſſu.

SECTIO QVARTA.

Refertur ſententia contraria Scoti affirmantis cum pluribus alijs, quorum fundamenta præcipua examinantur, & in gratiam ſententiæ negantis eneruantur, ac plerumque in ipſorum Auctorum regeruntur.

41 SCOTVS In 1. diſt. 1. quæſt. 2. ar. 2. ex oppoſito affirmat, poſſe divinitus videri eſſentiam Dei ſine attributis aut relationibus. Sequuntur illum eo loco Mayron, Baſſolius, Lichetus, & alij ex domeſticis: vt Rada p. 1. contr. 6. (vbi doctiſsimè id pertractat) Philippus Faber diſp. 2. cap.

cap. 3. Gallus in 3. diſt. 14. quæſt. 1. prælu-dio 4. diſput. 2 ſect. 4. Vulpes diſput. 26. art. 1. Smiſingus tract. 2. diſput. 6. quæſt. 5. Pontius in Curſu Theologico diſput. 4. quæſt. 6. Sghemma tit. 32. quæſt. 5. & Maſtrius tomo 1. diſput. 6. quæſt. 8. Ex alijs idipſum do-cent Ægidius Luſitanus lib. 5 de Beatitudi-ne quæſt. 14. art. 3. Salas diſt. 2. quæſt. 3. tract. 2. diſput. 4. ſect. 2. Granado 1 parte tomo 1. contr. 1. tract. 5. diſput. 7. Aver-ſa quæſt. 12. ſect. 23. Hurtado in Meta-ph. diſput. 6. ſect. 6. & ex parte Arriaga diſp. 9. ſect. 6.

42 VERVM Adhuc eſt diſcrimen inter eos Auctores: quoniam omnes ferè ex diſ-cipulis Scoti (excepto Pontio, quem propterea carpit Maſtrius) vt hanc ſententiam tueantur, ſupponunt omnino diſtinctionem actualem for-malem ex natura rei inter eſſentiam divinam, & reliquas proprietates ipſius, tum abſolutas, tum relativas: quaſi ea diſtinctio ſit prorſus ne-ceſſaria, vt aliquod prædicatum divinum vi-deatur ſine reliquis. Reliqui verò ferè Auctores allegati extra Scholam Doctoris Subtilis, vel abſtrahunt impræſenti à diſtinctione aut indi-ſtinctione formali ex natura rei, vel exiſtimant ſufficere diſtinctionem virtualem, vt vnum prę-dicatum divinum videatur ſine alio. Quare & nos independenter ab ea controverſia, quam fusè diſcuſsimus Tomo I. Diſput. XXV. & XXVII. nunc præcipua huius opinionis funda-menta expendere & ſolvere tentabimus in gra-tiam ſententiæ contrariæ.

43 PROBANT I. Quamvis eſſen-tia divina habeat identitatem realem cum re-lationibus, ita ab ijs diſtinguitur, aut formali-ter ex natura rei, aut ſaltem virtualiter, vt ali-qua prædicata in re conveniant eſſentiæ, quæ non conveniunt relationibus. Ergo pariter ob eandem diſtinctionem, aut formalem, aut vir-tualem, poterit convenire eſſentiæ in re vt vi-deatur, non viſis relationibus. Antecedens vi-detur certum: quoniam eſſentia in re eſt com-municabilis Filio, non autem relationes pater-nitatis, aut ſpirationis paſsivæ: & è contrà eſ-ſentia eſt ingenerabilis, filiatio autem genera-bilis: eſſentia non generat, nec generatur; non ſpirat, nec ſpiratur: Pater autem reipſa generat, & non generatur: Filius revera gignitur, & non gignit: Spiritus ſanctus denique ſpiratur, & non ſpirat. Aliqua ergo prædicata in re, ſive ante omnem conſiderationem intellectûs noſtri, cõ-veniunt eſſentiæ divinæ, quæ non conveniunt relationibus, ſeu perſonis, & è contrà. Neque audiendi ſunt quicumque ex Recentioribus in-dicant, ea prædicata quaſi contradictoria con-venire eſſentiæ & relationibus divinis ſolùm ſuppoſita diſtinctione actuali rationis facta ab intellectu, non autem in ſenſu reali. Hoc enim eſt apertè falſum, & à nobis refutatum mani-feſtis Conciliorum teſtimonijs citatâ Diſput. XXVII. præſertim num 27. & ex ipſa doctrina Fidei Catholicæ. Certum enim omnino eſt in re, & ante omnem conſiderationem intellectûs noſtri, eſſentiam Patris & Filij eſſe vnam, per-ſonam autem non eſſe vnam: eſſentiam non ge-nerare nec gigni, Patrem verò generare & Fi-lium gigni: eſſentiam non procedere, Spiritum verò ſanctum procedere: Patrem totam eſſen-tiam dediſſe Filio, non tamen vt ſit Pater: eſſen-tiam eſſe communem tribus perſonis: ſingulas verò relationes non eſſe communes tribus per-ſonis. Sic, nimirum, loquuntur Concilia abſo-lutè & ſimpliciter: præſertim Toletanum XI. in Profeſsione Fidei: Remenſe ſub Eugenio III. in Actis contra Gilbertum Porretanum: Late-ranenſe ſub Innocentio III. prout refertur in c. *Damnamus* de Summa Trinit. & Fide Cathol. contra libellum Abbatis Ioachimi: ac denique Florentinum ſub Eugenio IV. ſeſſ. 17. 18. & 25. ex communi Patrum Latinorum ſenſu. Illo-rum verba exſcripſimus Tomo I. iam allegato Diſp. XXV. Iam verò conſequentia probatur: Quia longè difficilius apparet vni eidemque entitati convenire in re vt communicetur & non communicetur, producatur & non produ-catur, quàm vt videatur & nõ videatur. Cõmu-nicatio enim & productio ſpectant ad rem ſe-cundùm eſſe phyſicum, in quo longè minor ap-paret locus prædicatis contradictorijs, quàm in eſſe intelligibili, ſive intentionali, ad quod ſpe-ctat, vt res videatur aut non videatur. Si ergo vni eidemque entitati divinæ, quæ eſt eſſentia & relatio, convenire poteſt in re vt communi-cetur & non communicetur, producatur & nõ producatur: multò magis eidem convenire po-terit vt videatur & non videatur. Ergo de pri-mo ad vltimum poterit videri eſſentia divina non viſis perſonis, ſive relationibus, quamvis veram cum ijs identitatem habeat.

44 HVIC Argumento gravi ſanè ac difficili, multipliciter occurrere ſolent Auc-tores primæ ſententiæ, quorum ſolutiones varias refert ac refellit latè Maſtrius vbi ſuprà à num. 218. vſque ad num. 229. Nos verò aliter ſol-vendum exiſtimamus. Atque imprimis ſiquam vim illud habet, probat eſſe poſſe in Deo ali-quod prædicatum, ſeu abſolutum, ſeu relativũ, cui repugnet prorſus videri, quamvis cætera Dei prædicata videantur: ſicut eſt in Deo ali-quod prædicatum cui repugnat communicari aut produci, quamvis alia prædicata communi-centur aut producantur. Conſequens autem ab-ſurdum eſſe patet: cùm omne prædicatum divi-num ſit verum & intelligibile, ac proinde con-tentum intra ſphæram adęquati obiecti intelle-

ctûs creati. Itaque obiectio ſiquam vim habet, non modò probat poſſe videri eſſentiam non viſis perſonis, verùm etiam optimè cohærere vt poſsit videri eſſentia, nec tamen videri poſsint vllo modo perſonæ, quamvis cum eſſentia ſint vnum reipſa. Cùm ergo id ſit planè falſum, cõſequens eſt vt viſio eſſentiæ & perſonarum dimetienda ſit aliter, quàm communicatio & productio, aliaque eiuſmodi prædicata veluti phyſica, quorum aliqua conveniunt eſſentiæ, & repugnant relationibus, aut è contrà.

45 DEINDE Argumentum ipſum regeritur in Adverſarios. Si enim quemadmodum eſt communicabilis eſſentia Filio, eſſet communicabilis paternitas, neceſſum eſſet vt hæc de facto ipſi communicaretur, propter idẽtitatem realem cum eſſentia, quam ipſi communicat Pater. Quoniam ipſa realis identitas extremorum, ſeu prædicatorum, exigit, vt, niſi ſpecialis aliunde repugnantia ſit, vel myſterium ſuperans leges naturalis rationis, quoties communicatur vnum, cõmunicetur pariter & aliud. Atqui non ſolùm eſſentia, ſed etiam relationes divinæ cum ea identificatæ reipſa (idemque eſt de attributis) viſibiles ſunt ab intellectu creato; & huic communicabilis eſt divinitas ſub ratione formæ intelligibilis repræſentantis eſſentiam, relationeſque: nec vlla eſt in eo repugnantia, vt Auctores contrarij fatentur, & admittunt de facto. Ergo neceſſum eſt, vt quẽadmodum divinitas intellectibus Beatorum communicatur ſub ratione formæ intelligibilis repræſentantis eſſentiam divinam, communicetur etiam quatenus repreſentans relationes: ac proinde vt viſâ eſſentiâ, relationes videantur. Neque enim minor eſt identitas inter eſſentiam divinam & relationes in eſſe intenzionali, ſive intelligibili, quàm in eſſe entis; & aliunde eſt capacitas intellectûs creati, vt ſibi communicentur ſimul in eſſe intelligibili; cùm tamen in Filio Dei non ſit capacitas vt ſibi communicetur paternitas in eſſe entis, ſed eſſentia ſola.

46 IAM Verò ad argumentum ipſum directè reſponderi poteſt, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Diſparitas eſt manifeſta: quia quòd quædam prædicata in re conveniant eſſentiæ divinæ, & relationibus nõ conveniant, aut è contrà, oritur indiviſim ex ſumma ſimplicitate, & infinita fœcunditate naturæ divinæ: quæ ex priori titulo exigit ſibi ẽdentificare quidquid intra Deum eſt: & ex poſteriore exigit proceſsionem diſtinctionemque trium perſonarum ſecundùm proprias hypoſtaſes. Vnde conſequenter exigit vt perſona producens alteram communicet ipſi ſuam naturam, non tamen hypoſtaſim ſuam: & pariter, quòd producat alterius perſonam, non tamen eſſentiam: quia nulla res habet vim ad ſuam eſſentiam producendam. Itaque ex ſumma ſimplicitate & infinita fœcunditate Dei ad intra oritur, vt prædictum in ſenſu reali conveniens eſſentiæ, non conveniat paternitati, immo potiùs ipſi repugnet, & è contrà. Prædicatum autem viſibilitatis, ſeu intelligibilitatis manifeſtæ in ordine ad intellectum creatum, non eſt aliquod prædicatum in re conveniens eſſentiæ, & non relationibus, & multò minùs ijs repugnans, aut è contrà. Certum enim fide eſt, Deum vnum & trinum de facto & manifeſtè videri à Beatis, prout eſt in ſe: ac proinde, non modò eſſentiæ, ſed relationibus quoque convenire vt ſint viſibiles ab intellectu creato. Certum quoque ſubinde eſt, eandem ſpeciem intelligibilem, quæ communicatur de facto Beatis quatenus repræſentans eſſentiam Dei, eſſe pariter repræſentativam relationum, & attributorum, ac quatenus talem communicari de facto Beatis. Ergo nullo demum ex capite fieri poteſt, vt communicetur quatenus repræſentans eſſentiam, & non relationes. Sicuti enim ſi Filius eſſet capax paternitatis ſicut eſſentiæ, neceſſariò illa ſibi cõmunicaretur cum eſſentia, propter realem identitatem cum illa: ita etiam cùm intellectus creatus ſit capax vt communicetur ſibi ſpecies intuitiva Dei repræſentans per eandem entitatem eſſentiam & perſonas, neceſſum omnino eſt, vt ſi communicatur ſibi ſpecies intuitivè repræſentans eſſentiam, communicetur ſibi pariter quatenus repræſentans perſonas.

47 DICES: Iuxta mentem Scoti & Sectatorum. Communicatio ad intra eſt neceſſaria, ac proinde vſque ad vltimum potentiæ. Ergo ſi poſſet Filio communicari paternitas, Pater communicans ipſi neceſſariò eſſentiam, naturæ impetu communicaret ipſi paternitatẽ. Communicatio autem Dei ad extra, ſive in ordine ad intellectum creatum eſt libera. Ergo quamvis communicatâ ipſi intelligibiliter eſſentiâ, poſsit communicare intelligibiliter paternitatem, cæteraſque relationes, non tamen neceſſariò, ſed liberè.

48 RESP. Communicationem Dei ad extra liberam quidem eſſe: verùm ex ſuppoſitione illius neceſſarium eſſe Deo quidquid cum ea communicatione habet connexionem eſſentialem. Porrò ſpecies intuitive repræſentans eſſentiam divinam habet connexionem eſſentialem ſecum prout eſt repreſentativa perſonarum: quoniam ea omnia, ſicuti & attributa Dei, repræſentat per eandem rationem formalem. Neque enim altera, aut reipſa, aut virtualiter ſpecies repræſentativa eſt eſſentiæ ac reliquorum formalium Dei prædicatorum in mentibus beatis. Aliunde non minor eſt in ijs capacitas ad percipiendum repræſentationem eſſen-

eſſentiæ,quàm reliquorum prædicatorum.Ergo omnino neceſſarium eſt , vt ſi ſpecies illa intuitivè repræſentat intellectui beato eſſentiam, pariter repræſentet cætera formalia prædicata. Vbi enim forma eſt prorſus indiviſa, & ſubiectum capax, neceſſum omnino eſt connexione eſſentiali , vt ſi forma communicatur prout eſt in ſe , communicetur ſecundùm omnia prædicata. Sic Deo libera quidem fuit communicatio perſonæ Verbi per vnionem hypoſtaticam ad naturam humanam. Ex ſuppoſitione tamen communicationis perſonæ, fuit prorſus neceſſaria eſſentiali connexione communicatio totius eius dignitatis & ſanctitatis ſubſtantialis, cuius erat capax Humanitas aſſumpta:nec Deus factâ hypotheſi potuit effectum illum quaſi formalem impedire, ob identitatem realem eiuſdē formæ, quæ ſimul eſt perſonalitas & ſanctitas, atque aliunde invenit capacitatem in ſubiecto ad vtrumque effectum præſtandum. Sic etiam Deus liber eſt in infundendo aut non infundendo animam rationalem corpori organico, quæ ſimul eſt vegetativa, & ſenſitiva. Ex hypotheſi autem infuſionis in corpus capax, nullatenus impedire valet omnes eos effectus formales,aut quemquam illorum:quoniam omnes illos præſtat indiviſim anima per ſuam entitatem in ordine ad ſubiectum capax.Cum ergo intellectus creatus,iuxta fidem Catholicam, ſit capax videndi Deum vt vnum & trinum,& eadem forma intelligibilis ipſum ſub vtraque ratione repræſentet;impoſſibile omnino eſt, vt vniatur menti creatæ divinitas prout repræſentans intuitivè Deum vnum , & non vt trinum.Quare ſemel ſuppoſita priori repræſentatione liberè à Deo præſtita,poſterior eſt omnino neceſſaria.

49 INSTABIS : Etiam ſpecies intelligibilis divina eſt eadem omnino in ordine ad repræſentandum quælibet poſſibilia in particulari, & quilibet intellectus creatus eſt capax recipiendi illam vt repræſentativam cuiuſlibet multitudinis, ſaltem finitæ, poſſibilium. At nihilominus Deus liber eſt in communicanda forma illa , prout repræſentativa horum vel illorum poſſibilium in particulari , etiam ſuppoſita communicatione ipſius , prout forma repræſentatrix eſt eſſentiæ & relationum. Ergo quamvis ſpecies intelligibilis divina ſit eadem omnino in ordine ad repræſentandum eſſentiam & perſonas, erit Deus liber in communicanda illa , quatenus eſt forma repræſentativa perſonarum, etiam ſuppoſita communicatione ipſius, prout eſt forma repræſentatrix eſſentiæ.

50 HVIC Obiectioni reſponderi poſſet iuxta ſententiam Durandi in 4. diſt.49. q.3. quam etiam ipſe Scotus probabilem reputat , nihil abſurdi eſſe in eo , vt videns Deum videat in eo omnia poſſibilia , idque prorſus neceſſariò ex hypotheſi viſionis Dei. Neque enim inde ſequitur,ipſum à creatura comprehendendum iri:quoniam adhuc videretur finita prorſus claritate , & nullatenus adæquante dignitatem obiecti. Cæterum adhuc in communiore ſententia , quæ id negat , dici poteſt, formam intelligibilem divinam exercere duo munia:alterum repræſentandi Deum quidditativè & intuitivè: alterum repræſentandi ipſum comprehenſivè. Prius ex his muneribus exercet quatenus repræſentat Deum in ſeipſo, nimirū, quoad omnia prædicata formalia,tum abſoluta, tum relativa , quibus entitas divina intimè & eſſentialiter conſtituitur : vt latè oſtendimus Tomo I. tota Diſput.XXVI.Et ſub hac ratione intellectus eſt capax vnionis intelligibilis cum ipſa, ſicuti capax eſt videndi Deum prout eſt in ſe: ac proinde omnino neceſſum eſt,vt ſemel videns Deum , videat omnia ea prædicata. Poſterius munus ſolùm exercet in ordine ad intellectum Dei, qui ſolus eſt capax comprehēdēdi ſeipſum.Porrò vnio intelligibilis cū forma illa, prout repræſentante omnia poſſibilia in particulari , pertinet ad cognitionem omnium effectuum poſſibilium in cauſa , ex vi penetrationis adæquatæ , in quâ conſiſtit comprehenſio:atque adeò nihil mirum quòd forma ipſa nō ſic vniatur intellectui creato, quoniam incapax eſt tanti effectûs formalis. In ordine autem ad videndum plura vel pauciora , communicatur ipſa forma iuxta maiorem aut minorem intenſionem luminis gloriæ, infuſi iuxta voluntatem liberam Dei. Id enim non pertinet ad rationem formalem viſionis Dei , neque quatenus eſt quidditativa,neque prout intuitiva,nequepr out beatifica:quia quamvis hæc aut illa poſſibilia in particulari lateant, adhuc videtur tota quidditas Dei in ſeipſa,& exiſtentia, & ratio ſummi boni,prout eſt in tribus perſonis, cum omni prædicato ſuo formali. quod totum ſufficit ad poſſeſſionem ſolidam vltimi finis , & ſatietatem creaturæ rationalis. Ergo neque repræſentatio poſſibilium in particulari pertinet ad rationem formalem vnionis formæ intelligibilis increatæ , quatenus repræſentantis Deum quidditativè,intuitivè,ac beatificè,ſed id quoddammodo pertinet ad genus comprehenſionis, cuius incapax eſt mens creata. Præſertim,quia ſi neceſſariò vniretur prout eſt quorundam in particulari repræſentativa , etiam vniretur neceſſariò quatenus eſt repræſentatrix omnium & ſingulorum, atque adeò comprehenſivè. Iraque ipſa impoſſibilitas mentis creatæ ad videndum in Deo omnia poſſibilia in particulari , infert incapacitatem illius ad inijciendam neceſſitatem Deo , vt ex hypotheſi beandi creaturam, com-

communicet ipſi formam intelligibilem quatenus repræſentativam quorundam poſsibilium in particulari. Eadem quippe quorundam ratio eſt, ac omnium aliorum in ſingulari. Ex neceſſitate autem Dei ad manifeſtandum perſonas ex hypotheſi manifeſtandi eſſentiam, nulla neapparens quidem repugnantia aut comprehenſio colligitur.

51 PROBANT II. Poteſt vniri immediatè, & de facto vnita fuit perſonalitas Verbi naturæ humanæ Chriſti, quin etiam vniretur immediatè natura divina, quamvis ſit reipſa vnum & idem cum illa. Alioqui tres perſonæ divinæ fuiſſent incarnatæ. Rurſus. Eadem perſonalitas vnita fuit de facto naturæ humanæ ſub munere ſuppoſitandi, quamvis non ſub munere referendi illam ad Patrem. Ergo ſimiliter quamvis eſſentia divina ſit vnum & idem reipſa cum relationibus, poteſt intelligibiliter vniri, ſeu videri, non vnitis aut viſis relationibus.

52 ETIAM Argumento huic diverſimodè reſpondent Auctores num. 2. allegati pro prima ſententia, quorum ſolutiones latè refellit Maſtrius. Omiſsis itaque ijs, imprimis dicimus, obiectionem ipſam, ſiquid probat, evincere quòd perſona aliqua divina poſsit videri non viſa eſſentia, ſicuti vnio hypoſtatica facta fuit in perſona & non in eſſentia divina. Conſequens autem illud abſurdum eſt iuxta Scotum in 2. diſt. 3. quæſt 2. §. *Quinto dico*, & Maſtrium vbi ſuprà num. 246. vbi his verbis concludit: *Abſolutè repugnat perſonam diuinam videri ſine eſſentia, vel relatione.* Ergo argumentum ex vnione hypoſtatica deſumptum ad viſionem ſolius eſſentiæ probandam, eſt contrarium ipſi Scoto & ſequacibus. Deinde, ſiquid extorquet, pariter probat, potuiſſe perſonam Verbi vniri humanitati abſque vlla prorſus ſanctitate, aut dignitate, quamvis identificatâ eidem perſonæ: atque adeò relinquere in ea poteſtatem ad peccandum in ſenſu compoſito vnionis quod Theologi frequenter execrantur, veluti indecens Deo, & prorſus abſurdum, aut etiam ſeveriori notâ afficiunt.

53 IAM Verò directè ad argumentum reſpondeo, vnitâ perſonalitate Verbi naturæ humanæ Chriſti, neceſſariò ipſi vnitam fuiſſe naturam divinam ratione eiuſdem perſonalitatis, in ordine ad omnes illos effectus, quorum erat abſolutè capax humanitas Chriſti: quales ſunt effectus impeccabilitatis, ſanctitatis, & dignitatis: non autem in ordine ad illos, quorum erat incapax. Intellectus autem creatus eſt capax vnionis cum forma intelligibili increata, indiviſim & per vnicam entitatem, aut etiam per vnicam rationem formalem repræſentante eſſentiam & relationes. Vnde ex hypotheſi vnionis cum forma illa ſub priori munere, neceſſarium omnino eſt vt vniatur ſibi ſub munere poſteriori.

54 VRGEBIS. Aliquod prædicatum divinum identificatur reipſa cum perſonalitate Verbi, & aliàs humanitas Chriſti erat capax illius, quin tamen Deus ſubierit neceſsitatem ad communicandum illud ex hypotheſi vnionis hypoſtaticæ. Ergo quamvis intellectus creatus ſit capax vnionis cum forma intelligibili increata, vt repræſentante per vnicam entitatem eſſentiam & relationes, Deus nullam neceſsitatem ſubit, vt ex hypotheſi communicandi formam illam ſub priori munere, communicet illâ ſub poſteriori. Conſequentia videtur optima à pari, & antecedens probatur: Quia forma intelligibiliter repræſentans Deũ eſt aliquod prædicatum reipſa identificatum cum perſonalitate Verbi: ſicuti omnia prædicata abſoluta Dei, quale eſt illud, ſunt vnum & idem reipſa cum relativis: & aliunde humanitas Chriſti erat capax vnionis cum Deo quoad vtrumque prædicatum. At nihilominus Deus fuit liber in concedendo humanitati Chriſti vnionem cum forma intelligibiliter repræſentante Deum ipſum; adhuc ex hypotheſi vnionis hypoſtaticæ. Poteſtate enim abſoluta Dei fieri potuit, vt anima Chriſti careret ſcientiâ beatificâ, quæ ſolùm erat connaturaliter debita ipſi ratione hypoſtaticæ vnionis: ac proinde potuit abſolutè non vniri forma intelligibilis increata humanitati Chriſti ad videndum Deum, etiam ſuppoſita vnione hypoſtatica Verbi. Aliquod ergo prædicatum divinum identificatur reipſa cum perſonalitate Verbi, & aliàs humanitas Chriſti erat capax illius, quin tamen Deus ſubierit neceſsitatem communicandi illud, adhuc ex hypotheſi vnionis hypoſtaticæ.

55 VIDES Difficilem obiectionem: cui vix aliter occuri poteſt, quàm negando antecedens, & ad probationem negando minorem. Quamvis enim Deus omnino liber fuerit in communicanda humanitati Chriſti vnione hypoſtatica cum perſona Verbi, ex hypotheſi tamen eius vnionis neceſſarium conſequenter & omnino fuit, vt pariter vnirentur eidem omnia illa prædicata identificata cum perſona Verbi, quorum humanitas erat capax, vt diximus num. 48. Inde neceſſarium Deo fuit, vt humanitatem illam iam ſibi hypoſtaticè vnitam, ſanctificaret, dignificaretque infinitè moraliter, & conſtitueret prorſus impeccabilem: quoniam ſanctitas, dignitas infinita, & ἀναμαρτησία, ſeu incapacitas peccandi, ſunt prædicata reipſa identificata cum ſubſiſtentia Verbi, ad quæ omnia ſibi communicanda quaſi in genere cauſæ formalis capacitatem habet humanitas Chriſti: atque adeò fieri nullatenus à Deo potuit, vt ſemel com-

communicata humanitati Chriſti perſonalitate Verbi, ea prædicata non communicarentur pariter. Idem ergo dicendum de prædicato illo formæ intelligibilis quidditativè repræſentantis Deum, quod pariter reipſa eſt vnum idemque cum perſonalitate Verbi: vt hac ſemel communicata humanitati Chriſti, neceſſariò communicari debuerit, nec vllatenus potuerit impediri à Deo: quoniam nulla forma vnita ſubiecto abſolutè capaci aliquorum effectuum formalium, aut quaſi formalium ipſius, impediri poteſt vel ab omnibus ijs, vel ab aliquo illorum præſtando: quoniam omnium par ratio eſt, & omnes illos præſtat per exhibitionem immediatam ſuæ entitatis. Quapropter licèt ſcientia beata, ſeu viſio Dei ab aliquibus Theologis dicatur ſolùm connaturaliter debita humanitati Chriſti ex hypotheſi vnionis hypoſtaticæ, veluti ipſius proprietas, meliùs & conſequentiùs alij volunt, viſionem beatificam eſſe connexam eſſentialiter hypoſtaticæ vnioni, veluti ſequelam inevitabilem vi eiuſdem formæ conſtituẽtis perſonam & repræſentantis intuitivè eſſentiam divinam ſubiecto capaci vtriuſque effectûs. Vnde & conſequens eſt, vt ſi lumen gloriæ creatum exigitur eſſentialiter ad videndum Deum, nulla ipſi libertas fuerit ex hypotheſi vnionis hypoſtaticæ ad concedendum humanitati aſſumptæ aut negandum lumen gloriæ, ſicuti & quævis alia requiſita eſſentialiter ad viſionem beatificam: ſicuti ſuppoſito quòd Deus infundat rationalem animam corpori, nulla ipſi libertas eſt ad communicandum eidẽ corpori quidquid eſſentialiter requiritur ad recipiendum omnes formales effectus animæ, quorum eſt abſolutè capax: & ſuppoſita infuſione gratiæ habitualis non eſt Deus liber ad remiſſionem peccati lethalis, neque circa cõmunicationem omnium eorum, quæ eſſentialiter requiruntur, vt gratia præſtet effectum formalem ſanctificationis ſubiecto capaci.

56 MITTO Nunc alia Scoti fundamenta quæ non tam videntur tendere vt probent, eſſentiam videri poſſe ſine attributis aut perſonis, quàm ſolam eſſentiam eſſe obiectum primarium viſionis beatificæ: de quo latè & ex profeſſo Diſputatione ſequenti.

57 PROBANT III. Alij ex Auctoribus num. 41. allegatis. Fieri poteſt vt per veram viſionem attingatur vnum prædicatum ſine alio, quod eſt vnum & idem reipſa cum illo. Ergo pariter fieri poteſt, vt per viſionem veram attingatur eſſentia divina ſine attributis aut perſonis, quamvis reipſa vnum & idem cum ijs ſit. Aſſumptionem probãt multiplici exemplo. Primò enim Angelus vera viſione percipit quælibet entia naturalia ſecundùm ingenitas vires; nec tamen percipit potentiam obedientialem cum ijs identificatam. Si enim hanc videret, agnoſceret naturaliter poſsibilitatem donorum ſupernaturalium, cum qua eſt connexa eadem potentia, veluti cum termino formali. Cumque poſsibilitatem donorum ſuper. naturalium non agnoſcat naturaliter Angelus in frequenti Theologorum ſententia, conſequens eſt, vt nec potentiam obedientialem entium naturalium videat. Secundò, oculus verè videt colorem; nec tamen videt rationem entis, aut qualitatis cum ipſo identificatam. Tertiò, contingit vt videamus animal à longè, veluti ſe movens ex vno loco in aliud, nec tamen diſcernamus ſpeciem, quamvis cum illo reipſa identificatam: quod genus præciſionis non ſolùm eſt in oculo, ſed etiam in viſione interna experimentali, quâ tunc intellectus percipit rationem communem animalis, non percepta ſpecie illius. Poteſt igitur vera viſione percipi aliquod prædicatum ſine alio, quamvis ſit vnum & idem reipſa cum illo.

58 RESP. Imprimis argumento præiacto nimiùm probari, & pluſquam relati Auctores velint: nimirum, connaturaliter fieri poſſe, vt videatur aliquod prædicatum divinum, nec tamen reliqua cum eo identificata videantur. Sic enim contingit in exemplis adductis. Conſequens autem opinione omnium, & ipſorum arguentium, eſt abſurdum. Deinde nego antecedens intellectum de viſione rei immediate in ſeipſa, quidquid ſit de viſione rei mediante ſpecie diſtincta ab obiecto, aut non omnino clarè illud repræſentante, ſed obſcurè. AD I. Inſtantiam, dicimus, ſi illa quidquam probat, pariter probari, poſſe comprehendi eſſentiam divinam non cognito aliquo prædicato reipſa indiſtincto ab illa. Nam Angelus naturaliter comprehendit formicam, nec tamen cognoſcit naturaliter potentiam obedientialem ab ea indiſtinctam. At id conſequens eſſe abſurdiſsimum, nemo non videt. Itaque exemplum illud non vrget: quoniam licèt potentia obedientialis quoad entitatem intrinſecam non differat reipſa à potentia naturali; connotat explicitè aliquid ſupra naturalem ordinem: atque adeò ſubterfugit naturalem cognitionem Angeli: vt ſuſè dictum fuit Tomo I. Diſput. XI. Eſſentia autem divina non connotat relationes aut attributa, veluti aliquid ſuperioris ordinis, ſed eiuſdem cum ipſa, & virtute in ea contentum, atque aliàs reipſa indiſtinctum: eademque omnino ſpecies intelligibilis, quæ immediatè repræſentat eſſentiam, repræſentat etiam immediatè attributa & relationes. Quare videri nequit eſſentia, niſi pariter attributa & relationes videantur. AD II. Oculus dum videt colorem, videt quoque rationem entis & qualitatis, non quidem abſtractam (ſic enim ad ſolam mentem

ſpecta-

ſpectat) ſed contractam & determinatam ad colorem. Sic enim eſt aliquid ſenſibile, & oculis perceptibile nam ens in qualitate eſt qualitas, vt Metaphyſici pronuntiant, in colore color, in nigredine nigredo. Adde exemplum eſſe contra Scotum, qui in 2. diſt 3. q. 2. §. *Quinto dico*, fatetur non poſſe videri rationem peculiarem ſine communi, eſſentialiter clauſa in illa. AD III. Viſio illa animalis à longè non eſt immediata, ſed mediante ſpecie, & hac confuſa ſolùm, quæ animal ipſum prout eſt in ſe non repræſentat. Viſio autem Dei, etiam in opinione Auctorum eorum, eſt immediata, & non mediante ſpecie diſtincta ab ipſo obiecto, ſed identificata cum illo, & clarè repræſentante ipſum prout eſt in ſe. Quare nequit percipere eſſentiam, quin videat reliqua prædicata, quæ ſunt vnum & idem reipſa cum illa.

59 OPPONVNT IV. Deus videri poteſt veluti obiectum, ſub ea ratione, quâ eſt principium per ſe efficiens viſionis, ſeclufo omni alio Atqui eſt principium per ſe efficiens viſionis prout vnus, non autem prout trinus eſt. Ergo Deus videri poteſt prout vnus, quin videatur vt trinus, per modum obiecti. Maior propoſitio patet: Quia Deus in ratione obiecti per ſe viſionis non exigit plura requiſita, quàm in ratione principij efficientis ipſius. Ergo videri poteſt tanquam obiectum ſub ea ratione, quâ eſt principium per ſe efficiens actionis, omni alio excluſo. Minor autem ſuaderur: nam ſi Deus per impoſſibile non eſſet trinus in perſonis ſed vnus dumtaxat, adhuc eſſet principiũ viſionis, ſicut nunc; quemadmodum & in ea hypotheſi eſſet principium efficiens aliarum creaturarum. Ergo eſt principium per ſe efficiens viſionis vt vnus, non autem vt trinus.

60 RESP. Deum poſſe quidem videri, & de facto videri ſolùm ſub ea ratione, quâ eſt principium per ſe efficiens viſionis: id verò non competit Deo vt vni tantùm, ſed etiam vt trino. Quia quemadmodum viſio habet exprimere Deum vt in ſe eſt, debet etiam exprimere perſonas, quibuſcum veram identitatem habet. Immo nequit exprimere intuitivè vnitatem ipſam Dei, niſi quatenus eſt ſumma & admiranda vnitas, quæ nõ impeditur ex identitate cum tribus perſonis. Deinde nec ſumma communicabilitas naturæ illius, exiſtens pro ſigno priori ad perſonas, videri poteſt, niſi videatur natura vt communicabilis tribus. Cumque ipſæ tres perſonæ ſint aliquid reipſa indiſtinctum à natura, nequit denique videri hęc non viſis perſonis. Vnde ad formulam argumenti, conceſſa maiore, negatur minor. Ad probationem dico, in ea hypotheſi plane impoſſibili viſionem fore alterius rationis ab ea, quæ nunc exiſtit: ſicuti & Deus eſſet alterius rationis à Deo nunc exiſtente, & principium diverſum creaturarum. Deus enim ab intrinſeco exigens identitatem cum tribus perſonis, eſt alterius rationis à Deo intimè exigente vnam dumtaxat perſonam, vt patet. Deinde adhuc eſt diſcrimen in ordine ad alias creaturas, vt lapides, v.g. aut plantas, aut beſtias. Hæ enim non exigunt per ſe procedere à Deo vt trino, quoniam ex ſua conditione nullam eius ſimilitudinem exprimunt. Quare ſi exiguntur per ſe tres perſonæ in divinis ad ea effecta producenda, certè non exiguntur *per ſe et rate* effectus, ſed ſolius cauſæ, quæ per ſe exigit complementum perſonale ad operandum. Cæterum relatè ad viſionem Dei per ſe exprimentem non modò eſſentiam, ſed ipſas quoque perſonas, ob rationem paulo antea aſſignatam, exigitur per ſe trinitas perſonarum, non modò *per ſe ritate* cauſæ, ſed effectus.

61 INSTABIS. Viſio Dei poteſt exiſtere, ſaltem præternaturaliter aut divinitus contenta ſuo obiecto primario, & ſeclufis aliis, quæ ſolùm ſpectant ad ſecundarium obiectum. Atqui Deus vt vnus dumtaxat eſt obiectum primarium viſionis, perſonæ autem ſolùm ſpectãt ad ſecundarium obiectum. Nimirum, obiectum primarium viſionis eſt Deus ſolum ſub ratione formali ſummi veri, quæ competit Deo vt vni, non vt trino: cùm perſonæ non addant veritatem aliquam propriam & diſtinctam à veritate eſſentiæ. Ergo viſio Dei poteſt exiſtere, ſaltem præternaturaliter, vel miraculosè, contenta Deo vt vno, quin attingat Deum vt trinum.

62 HÆC Obiectio tangit gravem controverſiam Diſputatione ſequenti excitandam circa obiectum primarium & formale beatitudinis, quod Scotus cum ſectatoribus vult eſſe ſolam eſſentiam divinam; reliqui ferè diſtinguunt, aientes, obiectum formale *quo*, ſive motivum, eſſe quidem ſolam eſſentiam: obiectũ autem formale *quod* integrari ex eſſentia & reliquis prædicatis intrinſecis Deo, tum abſolutis, tum reſpectivis: de quo latè ibidem. Iuxta hunc verò dicendi modum facilè ſolvitur obiectio propoſita negando minorem, & ad probationem dicendo, obiectum formale & primarium *quod* viſionis eſſe ſummũ verum prout eſt in ſe, ita vt veritas eſſentiæ ſola ſit formalis ratio movendi, reliqua autem cum ea identificata ſpectent ad obiectum primarium *quod*, veluti termini intrinſeci, quibus excluſis divinitas nequit in exercitio movere ad ſui viſionem.

SE-

SECTIO QVINTA.

Auctoris iudicium in hac controuersia, & impugnatio sententiæ Scoti, aliorumque, præsertim ex conditione quarumlibet Dei actionum ad extra.

63 VIDIMVS Hactenus & libravimus potiora fundamẽta vtriusque sententiæ: ex quorum solutione apparebit, vnamquamque earum satis probabilem esse, tum ab auctoritate, tum ratione, neque vel vnam aliquam afferri pro alterutra earum, quæ omnino convincat. Adhuc tamen probabiliorem censeo negantem, tum ab auctoritate plurium Theologorum eam docentium: tum præterea ob rationem indicatam num. 39. Visio enim Dei ex cõceptu essentiali habet vt sit beatifica: quoniam ex conceptu suo essentiali est possessio immediata Dei prout est in se. Nequit autem vllo modo esse beatifica, nisi attingat prædicata omnia formalia Dei, tum absoluta, tum relativa: vt apparebit Disputatione sequenti. Quod autem suprà num. 40. respondimus quasi velitando solùm, & tentando si quoquo modo solvi posset argumentum num. 39. propositum, vt visio Dei non sit beatifica ex suo conceptu essentiali, sed solùm quatenus attingit omnia prædicata formalia Dei; impugnari haud difficulter potest, quasi nunquà idonea ratio reddatur. Visio enim Dei ex conceptu essentiali debet esse beatifica: quoniam ex cõceptu essentiali est possessio immediata Dei, prout est in se. Atqui nequit esse beatifica, nisi manifestè attingat omnia prædicata formalia Dei, tum absoluta tum relativa, vt ij Auctores fatentur, & nos Disp. sequenti probabimus. Ergo visio Dei ex conceptu essentiali debet manifestè attingere omnia prædicata formalia, tum absoluta, tum relativa, Dei. Quare consequentiùs loquitur Scotus ibidem allegandus, qui vult visionem solius essentiæ fore beatificam, quàm ij Auctores dum id negant, & aliunde volunt impræsenti, possibilem esse visionem solius essentiæ divinæ.

64 CONFIRMATVR Adversus eosdem Auctores, & simul adversus Scotum. Possibilis est actus intellectûs, qui ex conceptu suo essentiali habeat, vt sit visio omnium prædicatorum formalium Dei, sive sint absoluta, sive relativa. In hoc enim nulla appareret repugnantia, neque hactenus ostensa fuit, vel à Scoto, vel ab alijs. quin potiùs summa simplicitas divina connaturaliter saltem exigit, vt per vnicum actum & simplicem attingatur quoad omnia sua prædicata formalia: ideoque de facto cẽsentur Beati omnia illa per vnicum actum visionis attingere. At si semel ille actus est possibilis, nulla est ratio, cur non sit idem actus visionis, existens de facto: nec facilè assignabitur ab Adversarijs. Ergo visio Dei existens de facto ex conceptu essentiali habet, vt sit visio omnium prædicatorum formalium Dei, sive absoluta sint, sive relativa. Quare vt tueantur, possibilem esse visionẽ solius essentiæ divinæ, debent consequenter dicere, visionem illam fore essentialiter diversam ab ea, quæ nunc existit. Consequens autem repugnat communi ferè sententiæ Theologorum, quæ negat possibiles esse visiones Dei specie diversas, idemque docet de lumine gloriæ, & de gratia habituali: quoniam omnia eiusmodi dona supernaturalia participant aliquod prædicatum divinum, secundùm illum gradum infimum & atomum, quem creatura rationalis per participationem formalem delibare potest: ac proinde nequeunt dividi in varias species.

65 VRGETVR Idipsum. Si est possibilis visio Dei, quæ ex conceptu essentiali terminetur ad solam essentiam, possibilis etiam erit visio ex specie essentiali terminata ad hoc vel illud attributum seorsim ab essentia. nam par vtriusque & omnium illorum ratio est. Vnde iuxta numerum attributorum Dei exprimẽtium perfectiones formales veluti specie aut etiam genere diversas, possibiles erunt plurimæ aut innumeræ visiones prædicatorum Dei specie essentiali diversæ. Consequenter colligere licebit, possibiles esse plurimos aut innumeros habitus luminis gloriæ specie diversos, & inclinantes ad singulas visiones secundùm speciẽ ipsarum propriam: itemque plures species aut etiam genera gratiæ habitualis exigentis diversum ac multiplicem habitum luminis in Patria. Vnde demum sequitur, gratiam habitualem nunc existentem non esse peculiarem aut specialissimam participationem naturæ divinæ, sed genericam tantùm, aut communiter dictã, vtpotè convenientem in gradu aliquo generico cum alijs gratijs habitualibus ordinis supernaturalis absolutè possibilibus. Cõsequens autem repugnat Patribus & Theologis ibidem allegãdis, qui de gratia habituali loquuntur, veluti de peculiari participatione divinæ naturæ in specie atoma, idque cohærenter ad testimonium illud 1. Petri 2. *Per quem maxima nobis promissa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ.* Non ergo possibilis est visio Dei, quæ ex suo conceptu essentiali terminetur ad solam Dei essentiam, sicuti nec aliæ quæ ad hoc vel illud attributum seorsim ab alijs.

66 SECVNDO Impugnatur opinio contraria, supponendo sententiam satis frequentem, & ipsius Scoti, quæ docet, Deum intelli-

telligibiliter activè concurrere ad viſionẽ beatificam: licèt nos oppoſitum indicaverimus Tomo I. Diſp. XI. num. 10 Si enim eſſentia poteſt videri ſine attributis, & perſonis, atque vnum attributum & vna perſona ſine alia, poterit pariter videri vna relatio divina non viſa alia relatione, præſertim diſparatâ: v. g. paternitas ſine ſpiratione paſſiva. Si enim iuxta eam opinionem videri poteſt Pater quin videatur Spiritus ſanctus, pariter videri poterit relatio conſtitutiva Patris non viſa relatione conſtituente Spiritum ſanctum. Hinc autem ſequitur, paternitatem per modum obiecti formalis & motivi influxuram activè in viſionem ſui, prout diſtinctæ à ſpiratione paſſiva: quoniam in ſententia ipſius Scoti, obiectum formale influit activè in viſionem ſimul cum potentia. Ergo poſsibilis eſt actio ſeu efficientia peculiaris vnius perſonæ divinæ in aliquid creatum, prout differt ab alia perſona Conſequens autem eſſe falſum, non ſolùm de facto, verùm etiam inſpecta poteſtate abſoluta Dei, ex cõmuni Theologorum ſententia oſtendimus Tract. de Incarnatione: vbi contra Franciſcum de Abra latè probamus ex Scriptura, Concilijs, Patribus, & multiplici ratione, prorſus repugnare, vt aliqua perſona divina, prout diſtincta ab alia, habeat vel exerceat peculiarem aliquam actionem, vel efficientiam ad extra: quoniam tres perſonæ divinæ nequeunt ad extra agere, nec phyſicè, nec intelligibiliter, niſi per vnicam & indiviſam virtutem activam, pariter iis communem. Vnde & probamus, Filium Dei in opere Incarnationis, licèt ſibi peculiari ac proprio, nullam ſpecialem actionem vel efficientiam habuiſſe præ alijs perſonis divinis, ſed ſolùm ſpecialem terminaſſe vnionem naturæ aſſumptæ, eamque compleviſſe hypoſtaticè. Quæ tota doctrina eſt conſentanea Anſelmo infrà cap. 37. aliàs 36, vbi perſonis divinis adſcribit vnicam & indiviſam actionem circa quodlibet opus ad extra. Vide infra Diſput. LXX. ſect. 5. præſertim à num. 56.

67 CONFIRMATVR. Ideo enim repugnat vnam perſonam divinam præ alia efficere aliquid phyſicè, quoniam trium perſonarũ vnica & indiviſa eſt virtus effectrix phyſica, nimirum eadem omnipotentia. Atqui etiã trium perſonarum vnica & indiviſa eſt virtus effectrix intelligibiliter: nimirum eadem eſſentia Dei per modum ſpeciei intelligibilis, indiviſim repræſentans omnia prædicata divina, & concurrens activè ad viſionem ſimul cum intellectu creato. Ergo pariter repugnat vnam perſonam divinam præ alia efficere aliquid intelligibiliter, ac ſubinde concurrere ad viſionem ſui præ alia perſona.

68 EX Hoc ipſo fundamento generatim iam oſtenditur contra Scotum, repugnantia vt vnum aliquod prædicatum formale Dei, ſive abſolutum, ſive relativum, videatur non viſo alio. Probatum enim modò eſt, nullam perſonam divinam præ alia poſſe habere peculiarem influxum activum, nec phyſicum, nec intelligibilem ad extrà; quia eadẽ eſt virtus activa trium perſonarum, tam phyſica, quàm intelligibilis ad extrà, omnium prædicatorum Dei, ſive ſint abſoluta, ſive relativa: nimirum, eadem omnipotentia, & indiviſa ſpecies intelligibilis. Ergo nullum prædicatum Dei, nec abſolutum, nec relativum, præ alio, poteſt habere peculiarem influxum activum, nec phyſicum, nec intelligibilem: ac per conſequens nec videri poteſt non viſo alio quolibet divino prædicato formali, quodcumque illud ſit.

69 TOTA Hæc doctrina innititur teſtimonio Chriſti Ioannis 5. v. 19. dicentis: *Nõ poteſt Filius à ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem. Quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit.* Quibus verbis ducti Eccleſiæ Patres ſæpe probarũt contra Arianos, vnicam eſſe Patris ac Filij operationem abſque vllo diſcrimine, ac ſubinde vnicam virtutem operatricem, atque eandem prorſus ſubſtantiam, vt aliter ſit homoũſios alteri. Ergo quemadmodum eam ob cauſam Filius nequit exercere ad extra operationem aliquam ſibi peculiarem in genere phyſico, & non communem Patri: ſic neque in genere intelligibili poteſt exercere præ Patre vim operandi in viſionem ſui, ſed ſolùm concurrere ad eam poteſt per efficientiam ſibi communem cum Patre. Eadem autem eſt ratio de Spiritu ſancto; quoniam pariter vtrique conſubſtantialis eſt, & eiuſdem virtutis operatricis: eadem denique omnium perfectionum abſolutarum Dei, quæ per eandem omnino virtutem activam, tum phyſicam, tum intelligibilem, concurrunt in omnem operationem ad extra. Ergo nec perſona vna præ alia, nec vna perfectio abſoluta præ altera, nec tandem vnum formale prædicatum Dei præ alio, vllatenus videri poteſt.

70 DICES. Quamvis vna perſona divina præ alia concurreret activè intelligibiliter in viſionem ſui adhuc tres perſonas ſimul & indiviſim concurſuras in eãdem viſionem vnico & communi concurſu eiuſdem numero omnipotentiæ. Vnde ſemper in ijs perſiſteret vnitas naturæ, virtutis operatricis, & actionis ad extra, quamvis aliunde & intelligibiliter viſio ipſa oriretur ab vna perſona, aut duabus tãtùm, concurrentibus activè per modum obiecti, præ alia perſona divina.

71 SED Evaſio hæc præcluditur multipliciter. PRIMO, quia, vt iam indicatum fuit, ideo nulla actio poteſt in genere phyſico effi-

efficiente procedere à Filio, quin etiam *similiter* à Patre (vt in dicto testimonio habetur) quoniam virtus operatrix physica trium personarũ est omnino eadem, ac subinde omnis eius operatio ad extra debet esse communis tribus, veluti vnico principio efficienti physico: prout in Concilio Lateranensi definitum fuit, & habetur in cap. *Firmiter* de Summa Trinit & Fide Cathol. Atqui etiam virtus operatrix intelligibilis trium personarum est omnino eadem. Nimirum, eadem omnino species intelligibilis increata, habens vim repræsentandi omnia prædicata divina, & subinde concurrendi in visionem omnium eorum. Ergo nulla actio in genere intelligibili efficiente potest procedere à Filio, quin *similiter* à Patre. Eademque ratio est de Spiritu sancto, vt patet. Vnde quemadmodum visio, & quilibet effectus creatus indivisim & prorsus similiter procedit à tribus personis in genere physico, ita etiam procedere debet ab ijs in genere intelligibili, si semel ab vnica aliqua persona procedit.

72 CONTRA II. Si enim ad salvandam identitatem & vniformitatem Patris ac Filij & Spiritus sancti in operando ad extra sufficeret quòd omnis effectus & actio procederet ab ijs indivisim, quamvis vna persona præ alia exerceret peculiarem influxum activum; nulla esset ratio cur de facto Filius non præstitisset illum in opus Incarnationis, præ Patre. Nimirũ, vnde non derogaretur vnitati operationis ad extra, si non derogatur ex speciali influxu activo vnius personæ præ alia in visionem sui. Consequens autem non modò repugnat cõmuni sententiæ Theologorum negantium Verbo peculiarem influxum activum in Incarnationẽ: sed etiam videtur contradicere verbis Christi exscriptis n. 69. Ergo nõ solùm omnis effectus & actio procedit à Patre & Filio (idemque est de Spiritu sancto) indivisim; verùm præterea ita, vt nulla persona exerceat in visionem, aut in quamlibet aliam creaturam, influxum peculiarem activum præ alia persona.

73 CONTRA III. Christus enim in illo testimonio, non solùm ait, non posse Filiũ à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrẽ facientem: verùm etiam, quæcumque operatur Pater, hæc & Filium *similiter* facere. Vbi *το similiter*, vt Patres observant, significat eodẽ prorsus modo, & absq; vllo discrimine, prodire omnes effectus creatos ab ambobus indivisim, tanquã ab vnico principio efficiente. Indeque colligunt contra Arianos Filiũ non operari vt ministrum Patris, quia hoc nõ esset *similiter* operari: vt legere est apud Athanasium in Disputat. contra Arium habita in ipso Conc. Nic. Chrys. Homil 27. in Ioannem, Nysseno Epist. contra Apollinarem col. penult. Basilio lib. 4. contra Eunomium prope initium. Ea verò argumentatio corrueret, si Filius posset, sive in genere physico, sive intelligibiliter operari aliquid, quod non *similiter* operaretur Pater. Nimirũ admissa aliqua dissimilitudine in operando ad extra, Ariani facilè dicerent, Filium operari quidem simul cum Patre, sed tanquam ministrum Patris. Dicerẽt præterea, vim peculiarem activam exigi in persona exercente peculiarem influxũ activum præ alia persona: ac propterea aliquã virtutem activam ad extrà, quæ est in vna persona, non existere in alia. Hinc autem everteretur vnitas summa naturæ & perfectionum divinarum in tribus personis: nam si semel probatur existentia alicuius virtutis operatricis ad extra in vna persona præ alia, demonstratur planè in ijs distinctio penes potentiam activam ad extra, & consequenter penes naturam. quæ omnia directè opponuntur doctrinæ Catholicæ adversus Arium. Ergo nequit in vna persona divina præ alia esse virtus aliqua peculiaris ad agendum aliquid ad extra, nec physicè, nec intelligibiliter: ac proinde nec peculiaris operatio vnius præ alia esse potest in ordine ad sui visionem. nam vbi repugnat omnino peculiaris virtus activa, pariter repugnat peculiaris operatio.

74 MITTO Plura alia huc spectantia, de quibus fusè egi Tract. de Incarnatione, & quorum pleraque forsan discutiemus Tomo IV. Hæc autem in eam gratiam dicta sint, vt appareat repugnantia in sententia Scoti, & aliorum omnium, qui docent posse divinitus fieri, vt videatur vnum prædicatum Dei formale sine alio, aut vna persona sine alia. Quare his fundamentis ductus existimo longè veriorem sententiam negantem.

SECTIO SEXTA.

Objiciuntur & extricantur difficultates quædam aduersus rationem præcipuam, quà probauimus sententiam negantem à num. 66.

75 OPPONES I. Potest vna persona divina præ alia concurrere activè intelligibiliter ad cognitionem abstractivã sui, quamvis omnes actiones ad extrà sint communes tribus personis. Ergo pariter potest vna persona divina præ alia cõcurrere activè intelligibiliter ad cognitionẽ intuitivã sui, quãvis omnes actiones ad extra sint cõmunes indivisim tribus personis. Consequentia videtur optima ab identitate rationis. Antecedens verò patet in ijs, qui habuerunt notitiam fidei abstractivam de Filio, & nullã de Spiritu sancto: ideoque Actorum 19. responderunt Apostolo:

Sed neque ſi Spiritus ſanctus eſt, audiuimus. Ergo tunc perſona Filij præ perſona Spiritus ſancti habuit influxum actiuum intelligibilem per modum obiecti in cognitionem fidei abſtractiuam circa ſolum Filium. Kurſus ſæpe contingit, vt ſecundùm rationem naturalem, vel penes lumen fidei, innoteſcat nobis vnum attributum diuinum, & ignoretur aliud. Tunc verò attributum cognitum præ ignoto concurrit actiuè intelligibiliter, ſiue per modum obiecti ad noſtram cognitionem abſtractiuam. Ergo pariter poterit vnum attributum præ alio concurrere actiuè intelligibiliter ad cognitionem ſui intuitiuam.

76 RESP. Si quidquam probatur hoc argumento, pariter probari, connaturaliter & ſine vllo miraculo fieri poſſe, vt aliqua Dei cognitio intuitiua non terminetur ad tres perſonas, & ad omnia attributa ſimul, ſicuti cognitio abſtractiua naturalis vel fidei connaturaliter & ſine miraculo attingit vnam perſonam præ alia, aut vnum attributum ſine alio. Id verò ne Scotus quidem & ſequaces admittunt: ſed potiùs negant. Deinde conceſſo antecedenti, nego conſequentiam, & reddo diſparitatem: quia in ordine ad cognitionem ſui abſtractiuam poteſt quælibet perſona diuina præ alia, & quodlibet attributum præ alio, habere ad extra peculiarem rationem agendi intelligibiliter: nimirum, peculiarem ſpeciem abſtractiuam in mente hominis viatoris, quæ eſt aliquid creatum, & multiplicat iuxta varietatem quamlibet obiectorum, vel rationum formalium eiuſdem obiecti. Quare ad actum fidei, quo aliquis cognoſcit Filium Dei, & ignorat Spiritum ſanctum, vel aliquod Dei attributum, non concurrit actiuè intelligibiliter, ſiue per modum obiecti, attributum ignotum, aut perſona Spiritus ſancti: ſed ſolùm præſtat actiuam cauſalitatem phyſicam ſibi communem cum alijs diuinis perſonis in ordine ad quoslibet effectus ad extra. Sic etiam perſona Filij præ Patre & Spiritu ſancto actiuè ſpecialim operatur actiones omnes humanitatis aſſumptæ, vt iaiunandi, orandi, &c. quoniam natura humana ſuis potentijs inſtructa eſt peculiaris virtus agendi Verbo diuino carni facto, & minimè communis alijs perſonis. Quare operationes theandricæ, vt tales, ſunt propriè Verbi, & ab alijs duabus perſonis diuinis ſolùm procedunt ea communi ratione, quâ omnes effectus creati oriuntur à Deo vno & trino indiuiſum operante per ſuam omnipotentiam. Cæterum in ordine ad cognitionem intuitiuam ſui, nulla perſona diuina præ alia, & nullum attributum præ alio habet peculiarem rationem agendi intelligibiliter, ſed communem dumtaxat, quæ eſt ſpecies intelligibilis increata indiuiſim repræſentans Deum trinum & vnum vt eſt in ſe. Quare nulla perſona diuina præ alia, & nullum attributum diuinum præ alio, poteſt actiuè intelligibiliter, ſiue per modum obiecti, concurrere ad cognitionem ſui intuitiuam. Sic etiam nec perſona Verbi, pro priori ad humanitatem aſſumptam poteſt in eam præſtare peculiarem influxum actiuum, quoniam pro priori ad illam non habet aliam virtutem actiuam, quàm omnipotentiæ communis ſibi & reliquis perſonis.

77 INSTABIS: Quamvis eadem ſit vis actiua intelligibilis trium perſonarum in viſionem, nimirum, eadem ſpecies intelligibilis increata, poteſt prout in vna perſona exercere vim actiuam in viſionem ſui præ alia perſona. Nam etiam intellectus & voluntas eſt idem omnino & communis tribus perſonis. At nihilominus intellectus prout in ſolo Patre exercet peculiarem actionem gignendi, & in ſolis Patre ac Filio ſpirandi. Ergo pariter eadem ſpecies intelligibilis diuina poterit in vna perſona exercere concurſum intelligibilem in viſionem, & non prout in alia.

78 RESP. Quidquid ſit an intellectus ſit in recto potentia generativa, & voluntas ſpirativa, id certum eſſe, potentiam generativâ in diuinis eſſe propriam ſolius Patris, ſicuti & ſpirativam ſolius Patris ac Filij. Quare nihil mirum ſi actio generandi non conueniat, immo nec conuenire poſſit Filio, ſicuti nec actio ſpirandi Spiritui ſancto: quoniam peculiaris actio debet eſſe propria peculiaris potentiæ, & ſuppoſiti eâ præditi. Cæterum ſpecies intelligibilis diuina, tum in ordine ad viſionem increatam, tum ad viſionem creatam Dei, eſt virtus communis tribus perſonis, ſicuti omnipotentia in ordine ad quoslibet effectus ad extra. Vnde ſicuti ob hanc rationem omnipotentia prout in vna perſona præ alia nequit exercere peculiarem actionem in effectus creatos: ita nec ſpecies intelligibilis diuina poteſt in vna perſona præ alia exercere peculiarem cauſalitatem actiuam circa viſionem ſui.

79 VRGEBIS: Iuxta opinionem multorum è Theologis, idem attributum omnipotentiæ communis ad extra, eſt potentia generãdi & ſpirandi ad intra; ac propterea exercet ad intra peculiarem actionem prout in Patre, quã non exercet prout in Filio, &c. Ergo pariter licèt ſit eadem ſpecies intelligibilis trium perſonarum, poterit prout in vna perſona exercere concurſum peculiarem actiuum, quem non exerceat in alia, circa viſionem ſui.

80 RESP. Quidquid ſit de illa opinione, quam plerique Theologi reijciunt, iuxta illam in omnipotentia eſſe aliquid primarijũ, vt ſit potentia generatiua in Patre, & ſpirativa

in

in Patre & Filio: ſecundarium verò vt ſit potentia effectrix creaturarum communis tribus perſonis. Quare ſicuti fide certum eſt, ſolum Patrem generare, & ſimul cum Filio ſpirare, ita nihil mirum ſi in ijs peculiarem actionem dicatur exercere ſecundùm munus primarium, quâ fungi nequit in perſona ſpiritus ſancti. At verò ſpecies intelligibilis divina ſub nullo munere, nec primario, nec ſecundario, conſtituit potentiam peculiarem alicuius perſonæ, ſed ſolùm commune attributum, inſtar omnipotentiæ effectricis creaturarum omnium. Quare ſicuti ob hanc cauſam nequit omnipotentia exercere peculiarem actionem in vna aliqua perſona circa res creatas, ſic nec ſpecies intelligibilis divina in viſionem vnius perſonæ præ alia.

81 OPPONES II. Probabile eſt perſonalitates Patris & Filij ad intra eſſe in recto potentias ſeu virtutes activas, & quidem peculiari actione generandi ac ſpirandi. Ergo eædem poſſunt ad extra eſſe peculiares virtutes activæ in ordine ad viſionem ſui, actione quadam ſpeciali vniuſcuiuſque illarum. Sic certè ſi perſonalitates haberent vim ſanctificandi ad intra, multò magis illam exercere poſſent ad extra in ordine ad naturam aſſumptam.

82 RESP. Permiſſo antecedenti, negando conſequentiam: quæ planè probat nimium, ac proinde nihil. Liceret namque pariter colligere, perſonalitates divinas poſſe eſſe peculiares virtutes vniuſcuiuſque perſonæ ad extra per actionem phyſicam ſpecialem, ſicuti ad intra. quod patet eſſe falſum. Rurſus, ſaltem de perſona Spiritûs ſancti nullatenus colligitur virtus peculiaris activa ad extra, ſiquidem non habet illam ad intra. Deinde dico, iuxta illam opinionem, potentias peculiares activas ad intra conſtitui in recto per aliquid relativum, ſicuti & actiones ipſarum: ac proinde nec eſſe, nec poſſe eſſe communes tribus perſonis. At verò virtus movendi intellectum creatum ad viſionem in nulla opinione conſtituitur in recto per aliquid relativum aut proprium, ſed per abſolutum & commune tribus perſonis. nimirum per ipſam eſſentiam divinam prout gerit munus ſpeciei intelligibilis. Quare hæc nequit prout in vna perſona præ alia movere ad viſionem: ſicuti ſuo modo de omnipotentia dictum eſt.

DISPVTATIO LXIX.

AN VISIO ESSENTIAE SINE PERSONIS, AVT ATTRIBVTIS, VEL VNIVS PERSONAE SINE ALIA, ESSET BEATIFICA ESSENTIALITER?

QVAMVIS *Diſputatione præcedenti ſect. 5. excluſerimus poſſibilitatem eiuſmodi viſionis, cùm tamen illa probabiliter ſatis à multis Theologis defendatur, excitamus hanc controverſiam, à qua vix differt illa alia circumferri ſolita, An obiectum formale noſtræ eſſentialis beatitudinis ſit Deus vt vnus dumtaxat, an verò etiam vt trinus. Supponimus autem cum Anſelmo impræſenti cap. 74. obiectum fidei, ac finem extremum noſtræ beatitudinis de facto & in re, non eſſe ſolam eſſentiam, ſed etiam perſonas, quæ ſunt vnum & idem cum illa. Itaque dubitamus, an ſola eſſentia, an illa ſimul cum perſonis, conſtituat obiectum formale & eſſentiale viſionis beatificæ. Abſtrahimus quoque ab eo, an viſio Dei præ amore, an è contra amor præ viſione, conſtituat eſſentialiter noſtram beatitudinem formalem. Nam idipſum de amore diſputari poſſet, caſu quo terminaretur ad ſolam eſſentiam, inſtar viſionis, quam eſſentialiter ſupponere debet, vt ſit amor beatificus. Clariùs verò procedit quæſtio loquendo de viſione, prout à Recentioribus frequenter tractatur.*

SECTIO PRIMA.

Refertur & eligitur ſententia negans. Verùm rationes, quibus vtuntur eius Auctores, examinantur, & non ſatis illam confirmare oſtenduntur.

2 FREQVENS Theologorum ſententia negat viſionem eiuſmodi fore beatificam eſſentialiter: quoniam cenſet, non modò eſſentiam divinam, ſed & attributa ac relationes ſpectare ad obiectum primarium & formale atque eſſentiale noſtræ beatitudinis. Ita Caietanus 2.2. quæſt. 2. art. 8. §. *Quoad ſecundum*, Zumel 1. part. q. 12. ar. 7. quæſt. 2. concl. 1. Bañez ibid. dub 2. in 2. argum. Vazquez 1.2. diſput. 13. cap 2. Monteſinos quæſt. 3 ar. 8 diſp 4 quæſt. 5. §. 2. num. 149. Salas quæſt. 3. tract. 2. diſp. 4 ſect. 3. Lorca diſput. 13. membro 1. Godoy 1. 2. diſput. 2. §. 1. Ferre ibid quæſt. 1. §. 3. Gonet diſput. 2. & ex parte Amicus Tom 3 diſp. 2. ſect. 7. alijque plures quibus ſubſcribo. Sed priùs eorũ præcipuas rationes hoc loco expendere oportet.

3 PROBANT I. Iuxta illud Chriſti teſtimonium Ioan. 17. v. 3. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti IESVM CHRISTVM.* Vitæ autem æternæ nomine ac re intelligitur beatitudo eſſentialis, ſeu viſio beatifica. Ergo hæc ex ſua eſſentiali ratione non ſolùm debet eſſe cognitio vnius ſummi Dei, ſed etiam perſonæ Patris, ac Filij. Eademque ratio apparet in Spiritu ſancto. Igitur data poſsibilitate viſionis, quæ attingeret Deum vnum præſcindendo à perſonis, illa non eſſet vita æterna, nec beatifica.

4 VERVM Probatio hæc enervis eſt, & (præter plura alia, quibus labefactari ſolet à diſcipulis Scoti dum aiunt, beatitudinem noſtram formalem non in actu intellectûs, ſed voluntatis, directè & eſſentialiter ſitam eſſe) ſolvitur facilè, etiam iuxta contrariam ſententiam, quæ docet, illam conſiſtere in ſolo actu viſionis Dei. Quamvis enim vita æterna de facto, & ſecundùm ea omnia quæ ipſi cõveniunt in hac providentia, cõſiſtat in viſione clara Dei vnius & trini, ſive eſſentiæ & perſonarum; tamen inde non probatur quòd ſecundùm conceptum eſſentialem beatitudinis, ſeu vitæ æternæ, ea omnia habeat. Certum enim eſt, eandem vitã æternam de facto & connaturaliter includere plures perfectiones accidentarias, quarum nulla eſt de conceptu illius eſſentiali, & ſine quibus illa divinitus exſtiere poſſet in ratione beatitudinis eſſentialis. Ergo quamvis de facto & cõnaturaliter includat notitiam claram perſonarum, non ſatis inde probatur quòd hæc ſpectet ad conceptum eſſentialem beatitudinis, ſeu viſionis, quatenus beatifica eſt.

5 PROBANT II. Quoniã viſio, vt beatifica ſit, debet eſſe cognitio Dei intuitiva, ac proin de cognitio ei, non præſcindens vnũ prædicatũ ab alio, neque attingens vnũ nõ attacto alio, ſed percipiẽs illũ quatenus exiſtit in re, & prout in ſe eſt. Cũ igitur Deus, quatenus exiſtit in re, & prout in ſe eſt, ſit vnus, in eſſentia, & trinus in perſonis; viſio ſolius eſſentiæ ſine perſonis, potiùs eſſet præciſiva, quàm intuitiva; ac proin de non eſſet beatifica.

6 SED Enim ratio hæc nihil concludit, vt latè oſtendimus Diſp præc. ſ. 2 per totã. Scotus enim, & alij facil. reſpondent, viſionẽ illã eſſe intuitivã: quoniam non per ſpeciẽ extraneã aut interiectã, ſed immediatè attingeret eſſentiã divinam, vt exiſtentẽ in ſeipſa, ac ſubſiſtentẽ ſingulari ſubſiſtentia, quãvis cõmunicabili tribus perſonis. in quo differret ſatis à cognitione purè abſtractiva Dei. Plura alia huc ſpectantia vide eo loco.

7 PROBANT III. Viſio enim, vt beatifica ſit, neceſſariò debet terminari ad Deũ ſub ea ratione, quâ ille per ſe loquendo eſt obiectũ fidei theologicæ. At non eſt obiectũ fidei theologicę prout vnus dumtaxat, ſed vt trinus. Ergo viſio, vt beatifica ſit, neceſſariò debet terminari ad Deũ, non modò prout vnum, ſed etiã prout trinum. Maior propoſitio videtur certa: tũ quia viſio Dei in Patria per ſe ſuccedit loco fidei, quę præceſſit in via; atque adeò terminari debet clare ad illud ipſũ obiectũ, quod in via attingebatur obſcurè per fidẽ theologicã: tum etiã, quia debet terminari ad Deũ, ita vt anima beata verè dicat cum Pſalm. *Sicut audiuimus, ſic vidimus.* Minor autẽ ſuadetur: Quia Deus ſolùm eſt obiectum per ſe fidei theologicæ quatenus auctor ſupernaturalis, ſive ſuperans cognitionem naturæ rationalis creatæ & creabilis, ſecundùm proprias vires conſideratæ. At non vt vnus dumtaxat, ſed vt trinus illas ſuperat. nã vt vnus cognoſcitur evidenter abſtractivè ac demonſtratur à Philoſophis, etiãGentilibus, vt patet ex Tom. I. Diſ. XII. Ergo Deus nõ eſt obiectũ per ſe fidei theologicæ vt vnus dumtaxat, ſed vt trinus.

8 CÆTERVM Ratio hæc, in qua fidit M. Ferre, omiſsis alijs, nihil vrget. PRIMO, quia nimiùm probat. Scilicet, obiectum formale ac per ſe fidei non eſſe Deum vt vnum, ſed vt trinum dumtaxat: quoniam ſolùm quatenus trinus ſuperat vim naturalem cognitivam intellectûs creati, qui aliàs vnitatem Dei, & perfectiones abſolutas ipſius, evidenter abſtractivè demonſtrat. Conſequens autem eidem Auctori, & alijs num. 2. allegatis contrarium eſt: cùm ipſi aſſerant obiectum formale motivũ viſionis beatificæ eſſe ſolam eſſentiam Dei, per-

perſonalitates verò dumtaxat eſſe quaſi modos aut terminos intrinſecos, ſine quibus id obiectum nequit movere ad viſionem ſui. SECVNDO diſplicet: quoniam ex illa ſequitur, fidem theologicam non fuiſſe olim in Synagoga, niſi in paucis quibuſdam habentibus notitiam myſterij Trinitatis: quoniam omnes alij ſolùm agnoſcebant Deum vt vnum: qua ratione, vt in argumento aſſumitur, Deus non eſt obiectum per ſe fidei theologicæ. Nequit autem fides theologica exiſtere in homine aliquo, niſi ſpectet obiectum proprium ac per ſe. Conſequens autem patet eſſe falſum & abſurdum. Deinde, nec in Philoſophis Catholicis, qui abſtractivè evidenter demonſtrant lumine rationis naturalis exiſtentiam & perfectiones Dei, erit fides Theologica circa Deum vt vnum. quod eſſe falſum oſtendimus Tomo I. Diſput. VII. ſect. 2. & 3. Ergo fides theologica etiam per ſe terminatur ad Deum vt vnum.

9 ITAQVE Reſponderi facilè poteſt, Deum vt vnum eſſe obiectum per ſe fidei, ac ſcientiæ adquiſitæ, licèt ſub alia & alia ratione formali. nam eſt obiectum per ſe ſcientiæ, quatenus eſt evidenter abſtractivè cognoſcibilis ex effectibus naturali curſu productis: fidei autem theologicæ, quatenus eſt obſcurè revelans ea, quæ ad vnitatem ipſius attinent. Inter hæc verò locum habet quòd ſit aſſequibilis ab intellectu creato per claram viſionem. nam viſio Dei, etiam ad ſolam eſſentiam terminata, proculdubiò eſſet actus ſupernaturalis, & dignus omnino vt crederetur per fidem: ſicuti olim in Synagoga credebantur, immo & nunc in Eccleſia creduntur theologica fide plura ſpectantia ad Deum vt vnum, & independentia à myſterio Trinitatis. Præſertim verò in viſione Dei id apparet. nam quamvis Scotus, & Vazquez, exiſtiment lumine rationis demonſtrari poſſe illius poſsibilitatem, veriùs alij id negant: vt nos fusè oſtendimus Tomo allegato Diſput. IX. & ſaltem omnes in eo conſentire debemus, vt Deus, quatenus aſſequibilis per viſionem, etiam ſolius eſſentiæ, exprimat ex parte obiecti rationem obiecti & finis ſupernaturalis, atque adeò per ſe ſpectantis ad fidem theologicam viatorum. qui etiam ſic videntes Deum dicere poſſent: *Sicut audiuimus, ſic vidimus in ciuitate Dei noſtri.* Vnde demum concluditur, nullam eſſe vim eius probationis.

10 PROBANT IV. Quoniam relationes divinæ ex proprio genere important perfectionem virtualiter aut ex natura rei diſtinctam ab eſſentia, ſicuti & propriam veritatem atque intelligibilitatem relativam, quæ ſanè debet eſſe infinita. Viſio autem, vt beatifica ſit, debet attingere in Deo quidquid per ſe habet rationem bonitatis, ac veritatis infinitæ. Ergo viſio, vt beatifica ſit, neceſſariò debet in Deo attingere, non ſolùm eſſentiam, ſed etiam relationes, ſeu perſonas.

11 RATIO Hæc eſt infirmior adhuc præcedenti, cùm maior propoſitio, cui innititur, ſit ſub lite opinionum. Deinde mirum eſt quòd ex Thomiſtis Godoy vbi ſuprà numer. 29. ſupponat, relationes divinas, prout virtualiter diſtinctas ab eſſentia, importare propriam & peculiarem veritatem: cùm conſtans cæterorum ex Thomiſtis ſententia oppoſitum doceat: vt videre eſt apud Carmelitas Salmanticenſes Tomo de Trinitate tract. 6. diſput. 10. dub. 1. §. 4. vbi allegatis Auguſtino, Boetio, Div. Thoma, & alijs Patribus docent, non eſſe in divinis tres veritates, ſeu tria vera ſubſtantivè. Quod ipſum docere videtur Anſelmus infrà in Proslogio cap. 23. & Dialogo de Veritate cap. 11. Denique Scotus etiam, de attributis Dei, quæ omnium conſenſu important perfectionem ſimplicem, atque infinitam in proprio genere, ait pariter, non ſe habere per ſe ad obiectum primarium viſionis beatificæ, quæ ſolâ Dei eſſentiâ eſſet contenta. Vnde quamvis relationes importent propriam perfectionem, eamque relativam, idem docet de ijs, ac de attributis.

12 PROBANT V. Si Deus per impoſsibile non eſſet trinus in perſonis, ſed vnus tantùm, viſio naturæ illius abſque vnica perſonalitate non eſſet beatifica: quia non attingeret perſonalitatem reipſa identificatam cum natura. At non minùs de facto eadem natura divina eſt identificata cum tribus perſonis. Etenim tres perſonalitates ſicuti de facto non impediunt ſummam Dei ſimplicitatem, ita nec ſummam perſonarum identitatem cum eâdem numero natura. Ergo nunc de facto viſio naturæ divinæ abſque tribus perſonis, non eſſet beatifica.

13 HVIC Tamen probationi facilè reſponderi poteſt iuxta Scotum eiuſque ſectatores, conceſſa maiore, ſed negata illius cauſali. Nam, vt rectè monet Maſtrius infrà allegandus, iuxta ſententiam Subtilis Doctoris, ſingularitas, exiſtentia, & ſubſiſtentia abſoluta, non modò eſt nunc, & eſſet in ea hypotheſi indiſtincta realiter ab eſſentia divina, ſed etiam formaliter: quoniam de conceptu eſſentiali & quidditativo naturæ divinæ eſt ſingularitas, exiſtentia, & ſubſiſtentia abſoluta, quâ conſtituitur hic Deus propriori rationis ad perſonas. Quare viſio eſſentiæ non viſa ſingularitate, exiſtentiâ, & ſubſiſtentiâ divinâ, nõ eſſet beatifica, immo nec viſio eſſentiæ ſecundùm ſuum conceptum quidditativum in ſpecie, ſed quaſi in

genere tantùm. Deinde negatur minor iuxta eundem Scotum: quia nunc de facto eſſentia diuina diſtinguitur formaliter ex natura rei à tribus perſonalitatibus relativis, quæ proinde nullatenus ſpectant ad eius conſtitutionem quaſi in ſpecie. Quare viſio eſſentiæ ſingularis & exiſtentis ac ſubſiſtentis per ſe pro priori ratione ad perſonas, nunc de facto eſſet beatifica: quia attingeret illam immediatè vt exiſtentem ſecundùm totam rationem eſſentialem, licèt non attingeret perſonas, quæ ſolùm identicè ad illam ſpectant. Si autem Deus per impoſſibile non eſſet trinus, perſonalitas ſpectaret ad rationem eius eſſentialem: ideoque natura Dei videri nullatenus poſſet, multò autem minùs beare, niſi videretur perſonalitas.

SECTIO SECVNDA.

Solidiores probationes eiuſdem ſententiæ, præſertim ratione ex Anſelmo eruta, & multipliciter confirmata aduerſus ſolutiones Recentiorum contrà opinantium.

14 VIDIMVS Sectione præcedenti, rationes, quibus probari frequenter ſolet ſententia negans, quam tuemur, non ſatis illam roborare, nec præcludere viam Adverſarijs, vt oppoſitum tueantur. Quare aliter, & fortè vrgentiùs, illam confirmare oportet.

PRIMO Ex definitione Eugenij IV. in Concilio Generali Florentino, in decreto de vnione Græcorum cum Latinis, vbi Pontifex declarat, animas à corpore liberas, & à peccatis plenè purgatas, ſtatim in cœlum recipi, *& intueri clarè Deum trinum & vnum, ſicuti eſt.* Quibus verbis alluſio plana fit ad verba illa ex 1. Ioannis 3. *Videbimus eum, ſicuti eſt.* Vnde ſic diſputare licèt. Pontifex non potuit definire, animas purgatas videre Deum trinum & vnum ſicuti eſt, niſi ductus teſtimonio aliquo Scripturæ, in quo ea veritas aut explicitè, aut ſaltem implicitè traderetur. At id teſtimonium profectò eſt nuper allegatum ex Ioanne, vbi de nobis in Patria dicitur: *Videbimus eum, ſicuti eſt.* Neque enim aliud æquè idoneum in tota Scriptura invenitur. Ergo ex eo quòd animæ iam purgatæ videant Deum ſicuti eſt, colligitur neceſſariò quòd videant Deum trinum & vnum. Idem ergo prorſus eſt iuxta ſacras litteras videre Deum ſicuti eſt, ac videre Deum trinum & vnum. At viſio ſolius eſſentiæ diuinæ non eſſet viſio Dei trini & vnius, vt patet. Ergo non eſſet viſio Dei ſicuti eſt, ac per conſequens nec eſſet beatitudo eſſentialis. Patet hæc poſterior pars conſequentis: quoniam ex conſenſu omnium, beatitudo eſſentialis intellectûs creati eſt viſio Dei ſicuti eſt.

15 CONFIRMATVR. Si enim viſio ſolius eſſentiæ ſeorſim à perſonis (eademque eſt ratio de attributis) eſſet viſio Dei ſicuti eſt, ac proinde beatifica eſſentialiter, ex nullo teſtimonio Scripturæ potuiſſet Eugenius Pontifex colligere, animas plenè purgatas videre ſtatim pluſquam eſſentiam divinam. nam in Scriptura ſolùm aſſeritur, animas beatas videre Deum ſicuti eſt. Cùm ergo definierit Pontifex, animas plenè purgatas videre non ſolùm eſſentiam, ſed Deum trinum & vnum, ex eo quòd in Scriptura dicantur viſuræ Deum ſicuti eſt; planè colligitur, viſionem Dei ſicuti eſt, ac proinde beatitudinem intellectûs eſſentialem, non ad eſſentiam modò, ſed ad perſonas quoque terminari debere. Quo demum evincitur, viſionem ſolius eſſentiæ diuinæ, non fore viſionem Dei prout eſt in ſe, ac proinde nec beatitudinem mentis eſſentialem.

16 VRGETVR Amplius. Si enim ad viſionem Dei vt eſt in ſe non pertinet trinitas perſonarum veluti obiectum primarium, aut tanquam aliquid exactum eſſentialiter ab illo, ſed tanquam obiectum ſecundarium & diſparatum, vt vult Scotus; pari ratione potuiſſet Pontifex definire, animas plenè purgatas videre in Deo creaturas aliquas, quoniam etiam illæ ſpectant ad obiectum ſecundarium & diſparatum viſionis. At definivit, animas plenè purgatas videre trinitatem perſonarum, non verò creaturas in Deo. Ergo cenſuit, trinitatem perſonarum præ creaturis in Deo viſis, ſpectare quoddammodo & eſſentialiter ad obiectum viſionis Dei vt eſt in ſe, atque adeò ad obiectum beatitudinis eſſentiale. Quare permiſſo quòd viſio eſſentiæ diuinæ ex capite cognitionis intuitivæ non exigat terminari ad perſonas directè & expreſsè, vt ſuprà num 6 indicavimus; ex capite tamen viſionis Dei *ſicuti eſt*, prout in ſacris literis exprimitur, & quatenus ab Eugenio Pontifice declaratur, eſſentialiter debet attingere trinitatem perſonarum. Ergo data hypotheſi quòd illas non attingeret, ſed eſſentiam ſolam, non eſſet viſio Dei ſicuti eſt, ac proinde nec beatitudo eſſentialis.

17 SECVNDO Suadetur ratione eruta ex Anſelmo impræſenti cap. 70. alias 68. vbi loquens de præmio beatitudini eſſentialis, quo Deus animas iuſtorum dignatur, inquit: *Quid ergo ſumma bonitas retribuet amanti & deſideranti, niſi ſeipſam: Nam quidquid aliud tribuat, non retribuit: quia nec compenſatur amo-*

amori, nec conſolatur amantem, nec ſatiat deſiderantem. Vnde concludit in fine capitis: *Nihil ergo verius, quàm quòd omnis anima rationalis, ſi, quemadmodum debet, ſtudeat amando deſiderare ſummam beatitudinem, aliquando illam ad fruendum percipiat: vt quod nunc videt quaſi per ſpeculum & in ænigmate, tunc videat facie ad faciem.* Hactenus ille, ex cuius doctrina ſic argumentari poſſumus. De conceptu eſſentiali beatitudinis eſt, vt ſit viſio Dei facie ad faciem, penes ea quæ nunc in ænigmate videt, atque ita vt plenè retribuat amanti & deſideranti, ipſumque ſatiet. Atqui viſio ſolius eſſentiæ id non haberet. Ergo non eſſet beatitudo eſſentialis. Maior non ſolùm traditur ab Anſelmo, ſed etiam habetur in Scriptura Pſalmo 15. v. 15 dum dicitur: *Satiabor vbi apparuerit gloria tua.* Inſuper Ioannis 16. beatitudo ipſa à Chriſto D. dicitur *gaudium plenum*: de cuius ratione eſt vt perfectè appetitum ſatiet.

18 IAM Aſſumptio illa, ſeu minor propoſitio, probatur multipliciter. PRIMO: Quia in ijs, qui in via agnoſcunt Deum quatenus trinum & vnum, quamvis in ænigmate, & illum pariter amant, viſio ſolius eſſentiæ divinæ non eſſet viſio facie ad faciem eorum omnium, quæ nunc in ænigmate vident: nec ijs plenè retribueretur, nec ſatietas eſſet; cùm adhuc visâ eſſentiâ deſiderarent videre perſonas. Ergo in ijs ſaltem viſio eſſentiæ ſolius non haberet ea omnia, quæ exiguntur ad beatitudinem eſſentialem. Quod iure ac meritò fatetur Amicus vbi ſuprà num. 130. SECVNDO: Quia ex communi notione ſeu conceptu, quem omnes efformamus de beatitudine eſſentiali, eſt vt ſatiet appetitum, nec relinquat anxium, præſertim circa id quod pertinet ad ſubſtantiam finis vltimi. qualiter abſdubio pertinent attributa & perſonæ: vt latè oſtenſum eſt cum Anſelmo Tomo I. c. 14. & 15. Neque enim ſunt aliqua ipſius accidentia, ſed ipſa entitas eſſentiæ divinæ in re, quidquid ſit de diſtinctione virtuali, aut formali ex natura rei, quam fusè reiecimus contra Scotum ibidem Diſput. XXV. Ergo viſio ſolius eſſentiæ non haberet prædicatum illud, quod eſt de ratione beatitudinis eſſentialis. Vnde præcluſa manet ſolutio Maſtrij Tomo I. diſput. 6. quæſt. 8. num. 242. reſpondentis, intellectum ſola viſione eſſentiæ ſatiandum iri quoad ſatietatem eſſentialem, licèt non quoad accidentalem. Præcluſa, inquam, manet: quia attributa & relationes, iuxta omnes Catholicos, non ſunt accidentia diuinitatis, ſed conſtituunt vnam ſubſtantiam cum illa: immo pertinent ad conſtitutionem eſſentialem & quidditativam divinæ naturæ, vt oſtendimus ex profeſſo Tomo allegato Diſput. XXVI. per totam. Ergo videns ſolam eſſentiam non haberet ſatietatem eſſentialem, ſeu requiſitam ad beatitudinem eſſentialem.

19 CONFIRMATVR Adverſus Auctorem eundem. Videns ſolam eſſentiam, & abſtractivè cognoſcens perſonas, non videret illam prout eſt ſummum bonum ad intra, ſed ad extra tantùm: atque adeò eſſet anxius donec illam videret ſub ratione ſummi boni ad intra. Atqui eſſe ſummum bonum ad intra eſt prædicatum aliquod quidditativum ipſius. Ergo qui videret ſolam eſſentiam, eſſet anxius circa videndum aliquod prædicatum quidditativum ipſius: ac proinde haberet aliquid contrarium beatitudini quoad ſatietatem eſſentialem. Conſequentia quoad vtramque partem eſt optima, & directè contraria ſolutioni Maſtrij. Maior propoſitio patet: Quia eſſentia divinæ prout eſt ſummum bonum ad intra, eſt communis per identitatem tribus perſonis. Atqui videns ſolam eſſentiam, non videret illam, quatenus eſt communis per identitatem tribus perſonis. Non enim videret perſonas, ſed ſolùm abſtractivè cognoſceret, iuxta hypotheſim huius quæſtionis. Ergo non videret eſſentiam divinam, prout eſt ſummum bonum ad intra. Minor autem primi & præcipui ſyllogiſmi probatur: Quia eſſe ſummum bonum ad intra convenit eſſentiæ divinæ pro priori rationis ad attributa & relationes. Non enim eſt aliquod attributum, inſtar ſapientiæ, aut iuſtitiæ, nec relatio aliqua: ſed prædicatum abſolutum conveniens eſſentiæ divinæ in ſe ipſa, prout antevertit tres perſonas per modum radicis virtualis aut eminentialis. Ergo eſſe ſummum bonum ad intra, eſt prædicatum aliquod quidditativum divinæ eſſentiæ.

20 VRGETVR Idipſum contra Amicum, adhuc in hypotheſi, quâ videns ſolam eſſentiam neſciret prorſus eſſe in Deo attributa, vel perſonas. Quamvis enim tunc poſſet per accidens non eſſe anxius circa viſionem illorum (quippe ignoti nulla cupido) ſicuti & videns ſolam iuſtitiam, vel miſericordiam Dei, & cætera prorſus neſciens, poſſet non eſſe anxius ex accidenti; adhuc tamen non haberet poſitivè ſatietatem illam, quæ eſt de conceptu quidditativo beatitudinis eſſentialis. Ergo nec haberet beatitudinem eſſentialem. Probo aſſumptum. Satietas quæ eſt de conceptu quidditativo beatitudinis eſſentialis, eſt illa quę oritur ex poſſeſſione ſummi boni, quatenus præcipuè ſummum bonũ eſt: atque adeò quatenus eſt ſummum bonũ ad intra, & non ſolùm ad extra. Nam ſi eſſentia divina conſideretur ſub vtraque ratione, potior aut principalior quoddammodo

tenſeri debet prout eſt ſummum bonum ad intra, quàm ad extra: quia per illud conſtituitur ſubſtantialiter intra ſe, per hoc autem quaſi in ordine ad aliud. Atqui videns ſolam eſſentiam, & neſciens omnino trinitatem perſonarum, nõ videret illam quatenus eſt ſummum bonum ad intra, ſcilicet, quatenus communem tribus perſonis per identitatem. Ergo non poſſideret ſummum bonum, quatenus præcipuè ſummum bonum eſt.

21 VRGETVR Ampliùs. Permiſſo gratis quòd nec attributa, nec relationes conſtituant eſſentialiter naturam divinam, ſed ſolùm identicè ſpectent ad illam, immo & formaliter ex natura rei ab ea diſtinguantur; adhuc certum debet eſſe, quòd ad conceptum quidditativum divinæ naturæ ſpectet, vt ſit communicabilis per identitatem tribus hypoſtaſibus, ſicuti & quòd ſit aliquomodo radix illarum, & attributorum. Etenim divinitas non per aliquod prædicatum ſibi ſuperadditum reipſa aut virtualiter habet, vt ſit communicabilis per identitatem realem tribus hypoſtaſibus, & radix attributorum, ſed per ſeipſam, & per propriam rationem formalem; ſicuti in ſententia ſolùm diſtinguente virtualiter potentias ab anima, aut etiã formaliter ex natura rei, vt vult Scotus, anima per ſuum conceptum eſſentialem conſtituitur in ratione radicis earundem potentiarum. Alioqui de illa ratione aut formalitate radicis ſuperaddita vrgeret pariter noſtra probatio, vt natura vel eſſentia per ſuum conceptum quidditativum compararetur ad illam veluti radix, aut ratio à priori. Ergo qui videret eſſentiam divinam, nec tamen videret illam quatenus communicabilem per identitatem tribus perſonis, aut quatenus radicem attributorum; is profectò non videret eſſentiam Dei ſecundùm totum cõceptum quidditativum ſuum, ſed ex parte tantùm, quemadmodum ſi videret in ea ſolam entitatem, non autem bonitatem, aut alia prædicata quidditativa. Non ergo viſio illa eſſet beatitudo eſſentialis: quoniam hæc iuxta ſentẽtiam omnium, & ipſius Scoti, ac ſectatorum eius, debet attingere ſeu poſſidere Deum ſecundùm omnia prædicata quidditativa & eſſentialia.

22 VRGETVT Denique. Beatitudo eſſentialis ex ſua ratione formali & propria debet eſſe poſſeſsio ſummi boni veri, prout diſtincti à ſummo bono ficto & chimærico: ſicuti ipſa eſſentialiter eſt beatitudo vera & diſtincta ab omni alia beatitudine ficta. Ergo beatitudo eſſentialis ex ſua ratione formali & propria debet eſſe poſſeſsio ſummi boni, prout cõmunis aut communicabilis per identitatem tribus hypoſtaſibus: quoniam ſummum bonum verè & de facto exiſtens diſtinguitur à ſummo bono ficto & chimærico ſolùm penes hoc, quòd præ illo ſit commune aut communicabile per identitatem tribus hypoſtaſibus. Nimirum, ſummum bonum incommunicabile ad intra tribus hypoſtaſibus, eſt chimæricum & fictitium, vt fides Catholica docet. Ergo viſio eſſentiæ non attingens illam quatenus communem aut communicabilem tribus hypoſtaſibus per identitatem, non eſſet beatitudo eſſentialis: immo non eſſet beatitudo vera, prout hæc eſſentialiter differt ab omni alia beatitudine prorſus chimærica & ficta. Quod ipſum breviùs adhuc ſub hanc formulam præſtringere licet. Talis eſt beatitudo eſſẽtialis, ſeu poſſeſsio ſummi boni, quale eſt ipſum ſummum bonum; Atqui ſummum bonum non commune per idẽtitatem tribus hypoſtaſibus ex conceptu eſſentiali eſt chimæricum. Ergo beatitudo eſſentialis, ſeu poſſeſsio ſummi boni, non attingens illud quatenus commune per identitatem tribus hypoſtaſibus, eſt chimærica. Ergo de primo ad vltimum viſio eſſentiæ non attingens illam quatenus communem per identitatem tribus hypoſtaſibus, ſolùm eſſet beatitudo chimærica, non autem eſſentialis.

23 DICES, Ratione hac ſolùm evinci, de conceptu beatitudinis eſſentialis eſſe vt attingat ac videat clarè ſummum bonum, quatenus commune aut communicabile per identitatem tribus hypoſtaſibus. Hoc autem haberet viſio terminata ad ſolam eſſentiam directè & intuitivè, ad hypoſtaſes verò ſolùm abſtractivè & indirectè: quoniam ad cognitionem intuitivam cauſæ vel radicis, etiam quatenus talis, non exigitur intuitio vel cognitio directa aut intuitiva termini vel effectûs, ſed ſummùm abſtractiva & indirecta. Si certè natura humana videri poteſt ſecundùm totum ſuum conceptum eſſentialem, ac proinde etiam vt radix ſuarum proprietatum, quin hæ directè aut in ſeipſis videantur, ſed ſolùm abſtractivè & indirectè percipiantur. Sic etiam viſio beatifica vt talis, & quatenus terminata ad Deum trinum & vnum, cognita fuit ab anima Chriſti intuitivè per ſcientiã infuſam ſupernaturalem, quin per hanc videretur terminus illius, ſed ſolùm indirectè & abſtractivè cognoſceretur. nam hac ſolùm ratione Deus cognoſci poteſt per ſcientiam infuſam ſupernaturalem. Quare vt viſio illa eſſet beatifica, ſufficeret quòd intuitivè attingeret eſſentiam, quatenus radicem hypoſtaſeon, ſicuti & attributorum, quamvis non intueretur eaſdẽ hypoſtaſes, vel attributa, ſed ſolùm abſtractivè & indirectè attingeret. Hæc ſolutio videtur omnium veroſimilior, quotquot pro Adverſarijs excogitari poſſunt.

24 SED Contrà I. Quamvis enim poſsit videri humanitas vt radix proprietatum non

non viſis proprietatibus, ſed ſolùm abſtractivè cognitis; & actus terminatus ad obiectum, non viſo obiecto, ſicuti & relatio generatim non viſo termino; id totum exinde procedit quòd humanitas diſtinguatur ſimpliciter & realiter à proprietatibus, & actus ab obiecto, & relatio à termino. Ex eo enim quòd habeant diſtinctam reipſa entitatem, colligitur planè diſtincta eorum cognoſcibilitas, ac proinde capacitas ad terminandum actum viſionis diſtinctum. Atqui iuxta doctrinam Catholicam definitam in Concilio Remenſi ſub Eugenio III. contra Gilbertum Porretanum, & in Florentino ſub Eugenio IV. eſſentia divina non diſtinguitur ſimpliciter & reipſa ab attributis aut hypoſtaſibus, ſed eſt vnum ſimpliciter & idem cum ijs. Quod latè & ex inſtituto ſtabilivimus Tomo I. Diſp. XXV. Ergo eſſentia divina videri non poteſt vt radix attributorum & hypoſtaſeon, quin attributa ipſa & relationes videantur. Nimirum, vbi affirmatio eſt cauſa affirmationis, ibi negatio eſt cauſa negationis, & è contra. Cùm igitur viſio, vt ſit beatifica, eſſentialiter videre debeat naturam divinam, veluti radicem quoddammodo attributorum & hypoſtaſeon; etiam eſſentialiter exigit videre ipſa attributa atque hypoſtaſes, vt beatifica ſit.

25 CONTRA II. Quòd ex vi viſionis eſſentiæ divinæ, vt radicis quoddammodo attributorum & hypoſtaſeon, cognoſcerentur ſolùm abſtractivè attributa & hypoſtaſes ipſæ, nihil confert, ſed potiùs plurimũ obeſt vt cognitio illa eſſet beatifica, aut ſatiativa. Potiùs enim excitaret ardentiſsimum deſiderium ex natura rei ad videndum immediatè attributa & hypoſtaſes, quibus radix illa, ſive eſſentia Dei ſubſtantialiter & per veram identitatem completur. Sic certè nos cognoſcentes ſolùm abſtractivè per fidem eſſentiam divinam, veluti radicem quoddammodo attributorum & hypoſtaſum, non modò anxiè deſideramus videre ipſam eſſentiam, ſed etiam attributa & hypoſtaſes immediatè in ſeipſis: quoniam eadem fide credimus, eſſentiam eſſe vnum & idem ſubſtantialiter ac reipſa cum attributis & hypoſtaſibus. Immo & dato quòd Deus ſpeciali providentia impediret illam anxietatem videndi attributa & hypoſtaſes ſolùm abſtractivè notas in eſſentia viſa, adhuc id eſſet per accidens: nam viſio ſolius eſſentiæ ex natura ſua ſpectata, infert eam anxietatem. Atqui viſio ex natura ſua inferens anxietatem, non eſt eſſentialis beatitudo, vt pater. Ergo viſio ſolius eſſentiæ divinæ, vt radicis attributorum & hypoſtaſeon, non eſſet beatitudo eſſentialis.

26 CONNTRA III. Videns eſſentiam divinam vt radicem attributorum & hypoſtaſum, & non videns attributa ipſa & hypoſtaſes, ſed ſolùm abſtractivè cognoſcens, adhuc non videret id quod eſt ſummè mirabile in Deo ipſo ad intra. Ergo non eſſet beatus eſſentialiter. Aſſumptum probo. Quòd enim eſſentia divina ſit radix quodammodo attributorum & hypoſtaſeon non eſt ſummè mirabile, niſi quatenus per veram identitatem eſt vnum & idem cum omnibus & ſingulis perfectionibus attributorum, & cum tribus hypoſtaſibus reipſa diſtinctis, abſque vlla diſtinctione aut diviſione ipſius eſſentiæ, contra quàm in omnibus eſſentijs creatis cernimus. Id enim ſolùm rapit Beatos omnes in ſummam admirationem gaudiumque. Atqui videns eſſentiam vt radicem attributorum & hypoſtaſum, & non videns attributa ipſa atque hypoſtaſes, ſed ſolùm abſtractivè cognoſcens, non videret quomodo eſſentia per veram identitatem ſit vnum & idem cum omnibus & ſingulis perfectionibus attributorum, & cum tribus hypoſtaſibus reipſa diſtinctis, abſque vlla diſtinctione vel diviſione ipſius eſſentiæ. Id enim totum nequit diſtinctè videri non viſis immediatè extremis omnibus eius identitatis, vt patet. Ergo videns eſſentiam divinam vt radicem attributorum atque hypſtaſeon, & non videns attributa atque hypoſtaſes ipſas, ſed ſolùm abſtractivè cognoſcens, adhuc non videret id, quod in Deo ad intra eſt ſummè mirabile.

27 CONFIRMATVR Et explicatur ampliùs hæc impugnatio. Identitas realis vnius eſſentiæ divinæ cum infinitis perfectionibus in omni genere, & cum tribus hypoſtaſibus reipſa diſtinctis, eſt id quod in Deo ſummè mirabile eſt, ac ſuprà omnem naturam creatam & creabilem. At quiſquis videret ſolam eſſentiam, & cognoſceret ſolùm abſtractivè attributa atque hypoſtaſes, vel etiam neſciret penitus, is profectò non videret identitatem illam realem eſſentiæ cum ijs. Nequit enim videri identitas duorum vel plurium interſe, niſi videantur ea ipſa quæ identitatem habent: quoniam identitas non eſt quidquam aliud ab ipſis extremis quatenus ſunt vnum & idem interſe. Ergo quiſquis videret ſolam eſſentiam, & cognoſceret ſolùm attributa atque hypoſtaſes, vel etiam neſciret penitus, is profectò non videret id, quod in Deo eſt ſummè mirabile, ac ſupra omnem naturam creatam & creabilem. Semper itaque ex natura rei eſſet anxius circa præcipuum myſterium Dei & omnibus alijs mirabilius: ideoque nondum ſatiatus, nec poſsidens ſummum bonum ea ratione, quæ exigitur ad beatitudinem eſſentialem. Nimirum, vt concludam verbis ſuprà ex-

exſcriptis Anſelmi, viſio ad ſolam eſſentiam terminata, nec attingens mirabilem illam identitatem cum tot perfectionibus, & tribus hypoſtaſibus, abſque vllo prorſus exemplo, nec *conſolaretur amantem, nec ſatiaret deſiderantem.*

28 DICES: Qui videret Deum trinum & vnum, prout in ſe eſt, nec tamen amaret (Deo amorem ſui impediente) eſſet anxius ex natura rei ob defectum amoris, ſive attingentiæ Dei ſub ratione formali vltimi finis. Et tamen eſſet eſſentialiter beatus iuxta ſententiam frequentem, quæ docet, beatitudinem eſſentialem eſſe ſitam ſolùm in viſione Dei. Ergo quamvis videns ſolam eſſentiam eſſet anxius ex natura rei ob defectum videndi attributa & hypoſtaſes, adhuc eſſet beatus eſſentialiter.

29 RESP. Iuxta illam ſententiam negando conſequentiam, & reddendo diſparitatem. Videns enim Deum trinum & vnum ſicuti eſt, poſſideret iam Deum finem vltimum ſub omni ea ratione, qua poſſideri poteſt à creatura rationali, quæ in ea opinione nequit poſſidere Deum per actum voluntatis, ſed intellectus dumtaxat: atque adeò eſſet beatus eſſentialiter, ſive amaret præterea, ſive non: quia beatitudo eſſentialis ſolùm conſiſtit in poſſeſsione Dei, ſive ſummi boni & finis vltimi, ea ratione qua à creatura rationali poſſideri poteſt. Videns autem ſolam eſſentiam, & non videns attributa aut perſonas, non poſſideret Deum ea ratione qua poſſideri poteſt à creatura rationali per intellectum, cùm adhuc non videret id quod eſt ſummè mirabile in Deo ipſo ad intra: atque adeò non eſſet beatus eſſentialiter. Quare ſiqua anxietas eſſet in illo priore, eſſet circa aliquid accidentale beatitudini eſſentiali; in hoc verò poſteriore circa id, quod eſt ſubſtantiale ac præcipuum in beatitudine.

30 TERTIO Probatur ratione ex Anſelmo erutis verbis illis num. 17. relatis: *Vt quod nunc videt quaſi per ſpeculum & in ænigmate, tunc videat facie ad faciem.* Quæ ſic expendo. Beatitudo eſſentialis hominis Catholici, prout diſtincti ab Ariano, Iudæo, & Mahumetano, debet eſſe poſſeſsio Dei ſub ea ratione formali, quâ eſt vltimus finis creditus ab homine Catholico, quatenus ab ijs infidelibus diſtincto. Atqui Deus non vt vnus dumtaxat, ſed vt trinus præterea, eſt vltimus finis creditus ab homine Catholico, quatenus ab ijs infidelibus diſtincto. Ergo beatitudo eſſentialis hominis Catholici, prout diſtincti ab Ariano, Iudæo, & Mahumetano, eſt poſſeſsio Dei ſub ea ratione formali qua eſt vnus & trinus. Maior propoſitio patet: Quia beatitudo eſſentialis hominis Catholici, prout diſtincti ab Arriano, Iudæo & Mahumetano, debet eſſe poſſeſsio Dei, non ſub ea ratione qua eſt vltimus finis creditus ab ijs infidelibus, ſed ſub longè aliâ & oppoſitâ. Ergo debet eſſe poſſeſsio Dei ſub ea ratione formali, quâ eſt vltimus finis creditus ab homine Catholico, quatenus ab ijs infidelibus diſtincto. Minor autem ſuadetur: Quia Ariani Iudæi & Mahumetani, credunt Deum vnum omnino & dumtaxat eſſe vltimum finem ipſorum, ad cuius poſſeſsionem ſe tendere profitentur. Catholicus autem, quatenus ab ijs differt, credit Deum vt vnum in eſſentia & trinum in perſonis, eſſe ſuum vltimum finem, in cuius poſſeſsionem contendit. Nec loquor de ijs Iudæis, qui ante adventum Chriſti vera fide credebant in Deum, neſcientes, aut vmbraticè ſolùm & obſcurè admodum percipientes trinitatem perſonarum, Prophetis ſolùm & Patriarchis explicitè notam. nam vel ij ipſi non excludebant poſitivè myſterium Trinitatis, ſed implicitè admittebant in cæteris articulis divinitatis clauſum. At verò ipſi poſt Evangelij prædicationem, ſicut & Ariani, & Mahumetani, apertè negant myſterium Trinitatis, ideoque non habent Catholicam fidē, ſed humanam dumtaxat, qua credunt, Deum vnum prorſus eſſe vltimum finem.

31 CONFIRMATVR. Deus verus Catholicorum, prout diſtinctus à Deo ficto & repugnante Arianorum & aliorum infidelium, exprimit Trinitatem perſonarum. Ergo beatitudo eſſentialis, ſeu poſſeſsio Dei veri Catholicorum, prout diſtincta à beatitudine ſeu poſſeſsione Dei ficti & repugnantis, quam ſperant ij infideles, debet attingere Trinitatem perſonarum. Vbi enim prædicatum aliquod eſt explicitè diſtinctivum ex parte obiecti, debet explicitè attingi ex parte actus, prout diſtincti ab alio actu. Quare quemadmodum Dei cognitio ænigmatica in homine Catholico, prout diſtincta à cognitione fidei humanæ in Ariano aut Iudæo, terminatur ad Deum vt trinum in perſonis: ita etiam eſſentialis beatitudo hominis Catholici, prout diſtincta à beatitudine inani, & ficta eorum infidelium, debet facie ad faciem terminari ad Deum trinum in perſonis. Ergo dato quòd aliqua viſio terminaretur ſolùm ad Deum vt vnum, non eſſet beatitudo eſſentialis.

SECTIO TERTIA.

Refertur contraria ſententia Scoti & aliorum: ac præcipuum eius argumentum, quamuis multipliciter roboratum, regeritur in Aduerſarios & ſoluitur.

32 OPPOSITAM Sententiam affirmantem tuetur Scotus in 1. diſt. 1.

diſt 1. quæſt 2. §. *Quantum ad iſtum articulum*, Lichetus ibidem, Mayron qæſt. 5. in fine, Baſſolius quæſt. 1. art. 3 Rada Tomo I. controv. 6. concl. 4. Maſſrius Tomo I. diſp. 6. quæſt. 8. num. 242. & cæteri Scotiſtæ: quibus ſubſcribunt Molina 1. p. q. 12. art. 8. diſp. 4. concl. 1. Suarez lib. de Attributis negativis c. 23. & 1. 2. diſp. 5. ſect. 3. Amicus Tomo III. diſp 2. ſect. 7 Ex Thomiſtis Medina 1. 2. q. 11. art. 4 poſt quintam concl. ad 1. Verùm id diſcriminis eſt inter prædictos Auctores, quòd Scotiſtæ cum ſuo Magiſtro, exiſtimant abſolutè poſsibilē viſionē eſſentiæ divinę, quę non ſit viſio attributorū, nec relationum: atque illam aiunt fore beatitudinem eſſentialem: reliqui verò allegati, hypothſim illam exiſtimant impoſsibilem: cæterum ea ſuppoſita cenſent, nihil defuturum viſioni ſolius eſſentiæ divinæ, vt eſſet ſolida atque eſſentialis beatitudo. Nos certè, quamvis hypotheſim ipſam reiecerimus diſp. præced. ſect 5. & 6. vbi probabilius iudicabimus impoſsibilem eſſe viſionem ſolius eſſentiæ abſque attributis & perſonis, nunc illā admittimus ſolùm ad inquirendum, an ea viſio eſſet beatitudo eſſentialis: vt in limine diſputationis huius præmiſſum eſt.

33 PROBAT I. Scotus celebri illo & ſubtili argumento. Pater æternus intelligitur eſſentialiter & completè beatus pro priori originis ad perſonas Filij & Spiritus ſancti. Ergo in ſola eſſentia, prout prævenit hypoſtaſes Filij & Spiritus ſancti, habet totum obiectum formale & primarium ſuæ beatitudinis eſſentialis completæ. Ergo creatura rationalis videns ſolam eſſentiam divinam præciſam ab hypoſtaſibus Filij & Spiritus ſancti, eſſet completè & eſſentialiter beata. Hæc ſecunda conſequentia ſequitur planè ex prima: quia beatitudo eſſentialis creata ſolùm eſt quædam delibatio increatę, atque adeò non exigit amplius obiectū quàm illa. Prima verò infertur ex antecedenti: Quia in illo priori originis ad perſonas Filij & Spiritus ſancti nondum intelliguntur eæ perſonę, ſed ſola eſſentia prout in Patre, ſeu in prima perſona. Iam verò præcipuum antecedens ſuadetur multipliciter. PRIMO: Quia Pater ſicut eſt authotheos, id eſt Deus à ſeipſo pro priori originis ad cæteras perſonas; ita etiam eſt beatus à ſeipſo pro priori originis ad illas. Ergo ſicuti pro illo priori eſt eſſentialiter & completè Deus: ita eſſentialiter & completè beatus. SECVNDO. Si Pater pro illo priori originis non eſſet plenè & eſſentialiter beatus, ſed ſolùm pro poſteriori ad perſonalitates Filij & Spiritus ſancti, non eſſet plenè & eſſentialiter beatus à ſeipſo, ſed à Filio & Spiritu ſancto, veluti obiecto ſuæ beatidinis eſſentialis ſaltem partiali; quòd deberet influere activè in beatitudinem formalem Patris; ſicut omne obiectum primarium, etiam partiale, influit activè in actum, quo attingitur. Conſequens autem eſt aperte falſum: cùm certum ſit, Patrem nihil accipere à Filio, aut Spiritu ſancto. Ergo, &c. TERTIO. Omnia prędicata abſoluta Dei, quorum vnum eſt beatitudo completa, & eſſentialis, ſunt priora notionalibus, ſive perſonalibus. Ergo Pater eſt eſſentialiter & completè beatus pro priori originis ad perſonas Filij & Spiritus ſancti.

34 HOC Argumentum, quod multorum forſit ingenia, regeritur planè in ipſum Scotum. Imprimis enim cognitio Filij & Spiritus ſancti, vt talium, exiſtens in perſona Patris, eſſentialiter terminatur ad eaſdem perſonas Filij & Spiritus Sancti, tanquam ad obiectum. Et tamen inde non ſequitur quòd Pater eam cognitionem habeat à Filio & Spiritu ſancto, niſi ſummùm tanquam ab obiecto primario, non quidem movente, ſed terminante, ſeu modificativo primarij; non autem veluti à principio activo. Ergo nec ex eo quòd beatitudo Patris eſſentialiter terminetur ad eaſdem perſonas Filij & Spiritus ſancti, colligere licebit, quòd in ſua beatitudine pendeat ab ijs veluti à principio activo, ſed ſummùm tanquā ab obiecto primario, non quidem movente, ſed terminante, aut modificante primarium. Deinde beatitudo Patris, vt comprehenſiva totius Trinitatis, eſſentialiter terminatur ad tres perſonas: nec tamen ideo Pater illam habet à tribus perſonis, tanquam à principio activo aut movente, ſed terminante & modificante obiectum motivum, quod eſt ſola eſſentia. Ergo idem dicendum de beatitudine Patris, qualiter cumque conſideretur. Denique etiam cognitio Filij, & comprehenſio totius Trinitatis, eſt prædicatum abſolutum & commune omnibus perſonis: nec tamen eſſe aut intelligi poteſt non intellectis perſonis, tanquam obiecto illius. Ergo quamvis beatitudo ſit prædicatum Dei abſolutum, non inde probatur quòd poſſit eſſe aut intelligi non intellectis perſonis.

35 DEINDE Reſpondeo negando antecedens: quia licèt in divinis ſit prioritas originis conſiſtens in eo, vt vna perſona ſit verè principium productivum alterius, non eſt aliqua prioritas durationis, immo nec rationis pro inſtanti *in quo*, ſed ſolùm *à quo*, & virtualiter tantùm. Nimirum id evincitur ex verbis illis Symboli S Athanaſij: *In hac Trinitate nihil eſt prius aut poſterius.* Ideoque omnis prioritas & poſterioritas non ſolùm naturæ, ſed durationis, & inſtantis *in quo*, adhuc ſecundùm rationem, excludi debet, ſalva proceſsione vnius perſonæ ab alia, vt à principio: quia ſicut licèt in creatis omne principium ſit

prius

prius natura illo, cuius principium eſt, non tamen in divinis: ita licèt omne principium creatum ſit priùs ſecundùm inſtans reale aut rationis *in quo*, id in divinis locum non habet. Quare in illo primo *nunc*, vel ſigno rationis *in quo* Deus abſolutè ſumptus, vel etiã perſona Patris, intelligitur, beatus vel habens beatitudinem, intelligi debent Filius & Spiritus ſanctus, veluti ſpectantes ad obiectum beatitudinis eſſentiale.

36 AD I. Probationem, omiſsis aliorum ſolutionibus, nego antecedens. Quædam enim ſunt prædicata abſoluta & communia in Deo, quæ poſſunt intelligi expreſsè non intellectis perſonis, vt deitas, præſertim in ſententia Scoti & noſtra conſtituente eſſentiam Dei in ratione entis à ſe (vt latè diximus Tomo I. Diſp. XXIV.) itemque ratio actus puri, & ſummè ſimplicis, immutabilis, æterni, immenſi, &c. quædã verò, quæ intelligi nequeũt expreſsè, niſi intellectis & connotatis perſonis, quoniam conſiſtunt eſſentialiter in expreſſa terminatione ad illas. Huius generis eſt beatitudo, cognitio, & amor increatus: quoniam ex ſua ratione formali ſunt comprehenſivi obiecti cogniti ac dilecti: & proinde intelligi nequeunt ſecundùm ſuam rationem eſſentialem, niſi quatenus terminantur ad illud totum & totaliter. Quare licèt perſona Patris pro priori originis ad perſonam Filij poſsit fortè à nobis intelligi vt autotheos, ſive Deus à ſeipſo, immo vt actus purus, ſummè ſimplex, immutabilis, æternus, & immenſus, non tamen vt intelligens, aut beatus, vel amans comprehenſivè, & prout decet Deum. Itaque adhuc in illo ſigno ſeu inſtanti *in quo* rationis, quo Pater intelligitur prior origine alijs perſonis, nequit intelligi vt beatus, niſi beatitudine cognitionis & amoris terminata expreſsè ad obiectum totaliter attractum, ac proinde non ſolùm penes prædicata abſoluta, ſed etiam perſonalia Filij, & Spiritus ſancti: quoniam ſine expreſſa terminatione ad omnia prædicata formalia Dei, tum abſoluta, tum relativa, nequit percipi beatitudo comprehenſiva Dei, aut Deo digna, ſive quoad cognitionem, ſive quoad amorem.

37 AD II. Probationem nego maiorem: quoniam vt Pater dicatur plenè & eſſentialiter beatus à ſeipſo, ſufficit quòd habeat pleniſsimam beatitudinem independenter ab omni alio, veluti principio activo, aut communicante ſibi beatitudinem: quamvis illam non habeat prorſus independenter ab alio, vt obiecto terminativo. qua ratione ſe habent Filius & Spiritus ſanctus circa beatitudinem Patris: nam cùm illa ſit comprehenſiva eſſentiæ, debet explicitè terminari ad omnia ea, quæ ſunt vnum & idem cum illa reipſa, atque adeò ad filiationem & ſpirationem paſsivam. Nec verò hæ duæ exercent aliquem influxum quaſi activum in beatitudinem Patris; quoniam dũtaxat ſe habent ad illam tanquam obiectum terminativum, licèt primarium; vel potiùs tanquam modi intimè afficientes obiectum primarium & motivum beatitudinis increatæ, quod eſt ſola divina eſſentia. Influxus autem activus intelligibilis non cuilibet obiecto eſſentiali convenit in ordine ad actum, ſed illi nominatim, quod ratione ſui movet, ſaltem partialiter. Filiatio autem & ſpiratio paſsiva non movent ratione ſui, ne partialiter quidem, ad beatitudinem Patris, ſed ſolùm ratione eſſentiæ, quam intrinſecè modificare intelliguntur. Et ſanè beatitudo ipſa increata, vt comprehenſiva omnipotentiæ, nequit intelligi, niſi expreſsè terminata ad creaturas poſsibiles, veluti ad terminum eſſentialiter connotatum ab ipſa omnipotentia. Non tamen ideo creaturæ poſsibiles habent aliquem influxum activum intelligibilem per modum obiecti in beatitudinem increatam, vt comprehenſivam omnipotentiæ: quoniam non ſunt obiectum motivum, nec movent, niſi ratione eſſentiæ divinæ. Idem ergo de relationibus filiationis, & ſpirationis paſsivæ ſuo modo dicendum eſt, quamvis beatitudo increata eſſentialiter ſpectet illas ex parte obiecti.

38 AD III. Omnia prædicata purè abſoluta & communia Dei ſunt priora quoddammodo notionalibus: non quidem priori tate inſtantis *in quo*, adhuc ſecundùm rationem, ſed *à quo* tantùm, & ſubſiſtendi conſequentiâ, in eo conſiſtente, vt ab abſolutis non valeat collectio ad relativa; ſed è contra. Non enim valet: *Eſt Deus, aut omnipotens: Ergo Pater.* Valet autem vice verſa: quemadmodũ eam ob cauſam animal dici ſolet prius ſubſiſtendi conſequentiâ qualibet ſpecie ſuâ. Ideoque non eſt bona collectio: *Eſt animal: Ergo homo*: optima autem, ſi èconverſo fiat. Quare ſolùm infertur ex obiectione, beatitudinem eſſentialem eſſe priorem ſubſiſtendi conſequentiâ quolibet prædicato relativo: vt proinde non valeat: *Eſt beatitudo eſſentialis: Ergo Filius*: valeat verò è contra: *Eſt Filius* (idemque eſt de duabus reliquis perſonis ſeorſim) *Ergo eſt beatus eſſentialiter, vel eſſentialis ipſa beatitudo.* Verũ præterea ex dictis n. 36. patet, quidquid ſit de alijs prædicatis Dei purè abſolutis, quæ ibidem indicata ſunt & permiſſo quòd illa ſint priora relativis ſecundùm rationem pro inſtanti *in quo*, adhuc diſparem eſſe rationem in beatitudine increata, ſive intellectus, ſive voluntatis: quoniam cùm illa ex propria ratione formali ſit comprehenſiva Dei,

tan-

tanquam obiecti eſſentialiter exprimit habitudinem ad omnia Dei prædicata, tum abſoluta, tum relativa: atque adeò nequit intelligi pro priori originis in Patre, niſi terminata ad perſonas Filij, & Spiritus ſancti, veluti ad modos intrinſecos, ſeu intimè & eſſentialiter afficientes obiectum motivum cognitionis & amoris increati, quod eſt ſola eſſentia.

39 INSTABIS I. Suppoſita in divinis exiſtentia & ſubſiſtentia abſoluta, ex opinione Scoti & aliorum, pro priori ad tres perſonas, debet intelligi hic Deus ſingularis cum omni perfectione abſoluta, ac proinde cum perfecta beatitudine. Atqui pro illo priori nondum intelligitur aliqua perſona. Ergo perfecta beatitudo Dei intelligitur nullatenus intellecta aliqua perſona.

40 RESP. Admiſſa illa ſententia, & antecedente quoad priorem partem permiſſo, negando illud quoad ſecundam: quia beatitudo Dei, ſive ad intellectum ſpectans, ſive ad voluntatem, non eſt prædicatum purè abſolutum, inſtar rationum entis à ſe, actus puri, ſummè ſimplicis, immutabilis, aut æterni, quæ ex ſua ratione formali non exprimunt, nec connotant aliquid relativum: ſed eſt prædicatum miſtum ex abſoluto & relativo nimirum, beatitudo Dei in recto exprimit perfectionem abſolutam; verùm ſub ratione comprehenſionis, quæ explicitè terminatur ad Deum trinum & vnum, ſive ad eſſentiam & relationes: quoniã debet explicitè attingere Deum totum & totaliter: ac proinde non ſolùm ſecundùm rationem movendi, quæ eſt ſola eſſentia, ſed etiam ſecundùm relationes, quæ ſunt vnum & idem reipſa cum ea, & intelliguntur veluti modi intimè afficientes illam. Accedit quod ſuprà à num. 19. expendimus latè, Deum potiùs conferi beatum ex eo quòd videat ſeipſum tanquam ſummè bonum & communicabilem ad intra, quàm ad extra: nec poſſe videre ſeipſum, multò autem minùs comprehendere tanquam ſummè bonum, & communicabilem ad intra, niſi videndo perſonas, quibus intimè & per identitatem communicabilis eſt bonitas eſſentiæ ipſius.

41 DICES: Angelus comprehendens potentiam naturalem formicæ non ideo cognoſcit potentiam obedientialem cum ea identificatam, quoniam hæc exprimitur in ordine ad terminum diſtinctum à termino potentiæ naturalis. Ergo Deus pro illo priori ad perſonas comprehendens ſuam eſſentiam abſolutam poteſt intelligi non cognoſcere pro illo ſigno eandem eſſentiam, quatenus communicabilem in ordine ad relationes, quæ pariter ſunt terminus diſtinctus à terminis perfectionũ abſolutarum & eſſentialium.

42 RESP. Angelum ſpectatum ſecundùm vires naturales non comprehendere ſimpliciter & abſolutè potentiam formicæ, ſed cum addito, & quatenus illa reſtringitur ad terminos purè naturales. Vnde locus eſt, vt illam non cognoſcat naturaliter ſub ratione potentiæ obedientialis: quoniam hoc ſenſu exprimit ordinem ad dona ſupernaturalia, quorum cognitio evidens, tum quidditativa, tum abſtractiva, ſuperat vires & exigentiam totius naturæ rationalis creatæ & creabilis: vt latè tradidimus Tomo I. Diſp.VIII. & IX. Cæterum in quocumque ſigno exiſtat beatitudo Dei ex propria ratione ac perfectione formali debet eſſe Deo digna, ac proinde adæquata & perfectè comprehenſiva ipſius. Egro debet explicitè terminari ad ea omnia quæ ſunt vnum & idem cum Deo. Immo retorqueo inſtantiam. Ideo ab Angelo comprehendente potentiam naturalem formicæ non cognoſcitur potentia obedientialis illius, quia hæc exprimitur in ordine ad terminum ſuperiorem ipſo Angelo. Atqui eſſentia divina non exprimitur in ordine ad relationes tanquam ad aliquid ſuperius ipſa, vel intellectu beato Dei: ſed potiùs tanquam ad aliquid quod eſt eiuſdem ordinis, imo eiuſdem numero entitatis cum ipſa eſſentia & intellectu beato Dei. Ergo Deus pro illo priori comprehendens ſuam eſſentiam, nequit non cognoſcere, immo & comprehendere relationes.

43 INSTABIS II. Pater nequit eſſe obiectivè beatus ab eſſentia, prout eſt in Filio. Ergo ſolùm eſt beatus ab eſſentia pro priori originis ad Filium: atque adeo obiectum adæquatum beatitudinis paternæ nullatenus eſt filiatio. Probatur antecedens. Non enim minùs exigitur obiectum, quàm potentia, ad beatitudinem cognitionis: quoniam ex obiecto & potentia paritur notitia, iuxta effatum commune Auguſtini. Atqui Pater nequit eſſe beatus potentiâ, ſive intellectu, prout in Filio. Alioqui à Filio beatitudinem pariter acciperet. Perinde enim eſt eſſe beatum intellectu prout in Filio, ac eſſentiâ prout in Filio exiſtente, vt pariter colligatur, Patrem accepturum à Filio ſuam beatitudinem.

44 RESP. Mirum eſſe quòd diſcipuli Doctoris Subtilis fidant huic obiectioni; cùm negare nequeant, & per ſe evidens ſit, Deum beari de facto ex cognitione eſſentiæ, prout exiſtentis indiviſim in tribus perſonis; & tamen pateat nullam perſonam beari intellectu, vt exiſtente in alia perſona. Ergo idem dici debet de beatitudine Dei, vel Patris conſideratâ penes id quod habet ex ſua ratione formali & eſſentiali. Deinde ad formulam obiectionis nego antecedens: quoniam eſſentia vt eſt in

Fi-

Filio (idemque eſt de illa prout in Spiritu ſancto) eſt terminus eſſentialiter exactus à beatitudine Patris, ſaltem vt comprehenſivâ. Ad probationem dico, licèt obiectum & & potentia eſſentialiter exigantur ad beatitudinem cognitionis, aliter tamen & aliter: potentiam, ſcilicet, veluti principium; obiectum verò, vt terminum. Quare ſi cognitio beatifica Patris eſſet ab intellectu, vt eſt in Filio, Filius eſſet principium, à quo Pater acciperet beatitudinem ſuam, ac proinde procederet. Cæterum ex eo quòd Pater ſit beatus ab eſſentia prout eſt in Filio per modum obiecti, non ſequitur quòd Filius ſit principium beatitudinis paternæ, ſed ſolùm terminus: & quidem terminus non habens rationem obiecti motivi, quod eſt ſola eſſentia; ſed obiecti terminativi, vel modi intimè afficientis ipſum obiectum motivum, vt ſuprà dictum eſt.

45 INSTABIS III. Pro illo priori originis ſalvatur beatitudo huius Dei in ſingulari exiſtentis, per ordinem ad ſolum obiectum primarium. Atqui obiectum primarium beatitudinis eſſentialis non ſunt relationes, ſed ſola eſſentia. Ergo pro illo priori originis ſalvatur beatitudo eſſentialis huius Dei in ſingulari, vel etiam Patris, per ordinem ad ſolam eſſentiam. Maior patet: quia beatitudo, & quilibet actus ſecundùm prædicata eſſentialia ſalvatur per ordinem ad ſolum obiectum primarium: nam ab illo ſolo pendet eſſentialiter. Minor autem ſuadetur multipliciter. PRIMO: Quia eodem modo ſe habent relationes divinæ ad eſſentiam in ratione obiecti, ac in ratione entis: cùm ſupra hanc fundetur intelligibilitas, & ratio obiecti. Atqui relationes non pertinent ad primariam conſtitutionem eſſentiæ divinæ in ratione entis. Ergo neque in ratione obiecti: ac proinde ſola eſſentia eſt obiectum primarium beatitudinis eſſentialis. SECVNDO. Illud ſolum eſt obiectum primarium beatitudinis eſſentialis, quod ratione ſui terminat illam, eſtque aliis ratio terminandi. Atqui ſola eſſentia ratione ſui terminat beatitudinem eſſentialem Dei vel Patris, eſtque relationibus ratio terminandi, ſicuti & movendi, vt ſuprà dictum eſt. Ergo ſola eſſentia eſt obiectum primarium beatitudinis eſſentialis. TERTIO. Obiectum primarium beatitudinis eſſentialis eſt ſolum illud, quod habet rationem vltimi finis. Atqui ſola eſſentia, prout virtualiter diſtincta à relationibus, habet rationem vltimi finis nimirum, ſub eadem ratione habet vt ſit finis vltimus, ac primum principium. Habet autem vt ſit primum principium per ſe ſolam, prout virtualiter diſtinctam à relationibus. Alioqui ex cognitione creaturarum, ſaltem cõprehenſiva, poſſet naturaliter haberi cognitio evidens abſtractiva Trinitatis, contra quàm Theologi frequenter docent, & ſuprà Diſp. LI. ſtabilitum eſt. Ergo ſola eſſentia, vt virtualiter diſtincta à relationibus, eſt obiectum primarium beatitudinis eſſentialis. QVARTO. Si enim obiectum primarium non eſſet ſola eſſentia, ſed etiam relationes; hæ haberent vim movendi, inſtar ipſius eſſentiæ: atque adeò non ſola illa eſſet obiectum motivum, vt ſuprà faſſi ſumus.

46 RESP. Imprimis poſſe negari maiorem propoſitionem: quoniam adhuc pro illo priori originis non ſalvatur beatitudo eſſentialis Dei in ſingulari exiſtentis, vel etiam Patris, per ordinem ad ſolum obiectum primarium. Nimirum, cùm illa ſit perfectè comprehenſiva Dei, etiam pro illo priori, debet explicitè terminari ad omne id, quod habet neceſſariam connexionem cum obiecto primario, ſive illud intimè compleat, vt attributa & relationes; ſive ſolùm ſit obiectum ſecundarium, vt creaturæ poſsibiles. Vnde ſuprà Diſp. LXV. diximus, Verbum procedere per ſe ex cognitione, & Spiritum ſanctum ex amore neceſſario creaturarum poſsibilium. Quare permiſſo gratis, quòd relationes ſpectarent ad obiectum ſecundarium beatitudinis increatæ, cùm aliunde habeant neceſſariam connexionem, immo & identitatem realem cum obiecto primario, nequit pro illo priori originis ſaluari in Deo cognitio vel beatitudo comprehenſiva primarij obiecti, niſi terminata ad relationes: & quidẽ vrgentiori titulo, quàm ad creaturas poſsibiles, quia hæ ſolùm extrinſecè ſe habent ad Deum, relationes verò intimè ipſum afficiunt.

47 SECVNDO Reſponderi poteſt, permiſſa maiore propoſitione, negando minorem, & aſſerendo obiectum primarium beatitudinis eſſentialis non eſſe ſolam eſſentiam, ſed præterea relationes: verùm aliter quoddammodo & aliter. nam eſſentia eſt obiectum primarium *quo*, ſeu motivum, quodque per ſe & ratione ſui inſpicitur à beatitdeine; relationes verò ſunt veluti modi intimè afficientes idem ipſius obiectum, vt habeat rationem obiecti primarij, *quod*; & non tanquam per ſe & propter ſe inſpectæ, aut poſſeſſæ, ſed ratione eſſentiæ, à qua habent potiſsimam bonitatem & veritatem, præſertim iuxta ſententiam quæ negat relationibus peculiarem bonitatem & veritatem relativam. AD I. Probationem, iuxta ea quæ latè diximus Tomo I. Diſp. XXVI. negatur minor: quia relationes conſtituunt quidditativè implicitè eſſentiam divinam, & vicisſim ab ea conſtituuntur, quamvis non implicitè, nec ſine diſtinctione virtuali intrinſeca, quam ibidem Diſp. XXVII. latè conſtitui-

mus.

mus. Verùm permiſſo quòd relationes non conſtituant metaphyſicè, adhuc implicitè, eſſentiam divinam, ſed ab ea poſsint obiectivè præſcindi, immo & diſtinguantur ex natura rei, vt vult Scotus; adhuc conſtituunt illam eſſentialiter in ratione obiecti comprehenſionis perfectæ, qualis eſt viſio beatifica increata: quoniam comprehenſibilitas non fundatur in entitate aut ratione formali ſola, ſed præterea vt inductâ omnibus proprietatibus ſuis, ac prædicatis, cum quibus illa realem identitatem habet. Quælibet enim res quatenus comprehenſibilis importat adæquatam ſui cognoſcibilitatem, vt nihil prorſus illius lateat, omneſque eius fines circunſpiciantur à cognoſcente. AD II Probationem nego maiorem: quoniam vt relationes ſpectent ad obiectum primarium & eſſentiale viſionis Dei, ſive quatenus comprehenſiva eſt, vt in intellectu divino, ſive quatenus beatifica ſolùm in creato; ſufficit quòd ſint reipſa vnum & idem cum illa, eamque compleant in ratione ſummi boni ad intra, quâvis ratio formalis movendi ſit ſola eſſentia, prout ab ijs diſtincta virtualiter, aut præciſa. AD III Licèt ſola eſſentia, ſive bonitas abſoluta Dei, ſit vltimus finis naturalis, ſicuti & Deus ſolùm vt vnus eſt primum principium naturale; non tamen ſola illa eſt vltimus finis ſupernaturalis, ſed ſimul cum relationibus. Habet enim rationem vltimi finis ſupernaturalis, quatenus eſt ſummum bonum ſuperans vires cognitionis & amoris naturalis; atque adeò quatenus eſt ſummum bonum ad intra, & per identitatem communicabile ſeu commune tribus perſonis diſtinctis. Similiter quatenus primum principium ſupernaturale non ſolùm importat eſſentiam, atque omnipotentiam abſolutam, ſed etiam exprimit Trinitatem perſonarum, veluti principium *quod* operativum. Cùm enim ratio primi efficientis & vltimi finis ſibi invicem adſtipulentur, ſicuti Deus vt trinus eſt vltimus finis ſupernaturalis, ita etiam primum principium ſupernaturalis ordinis: vt poté nihil in illo efficiens, quod vel mediatè vel immediatè non ordinetur in cognitionem & amorem ſupernaturalem Trinitatis. Quare ratio agendi in ſupernaturali ordine eſt omnipotentia, non vt præſcindens, ſed vt exprimens identitatem cum tribus perſonis. AD IV. Negatur ſequela. Si enim relationes non habent propriam veritatem aut bonitatem relativam, nequeunt per ſe movere intellectum aut bonitatem divinam. Si autem illâ habere ſupponantur, adhuc illam ſolùm ſe habent per modum complementi aut termini præcipuæ veritatis ac bonitatis, quæ eſt in ſola eſſentia. Vnde in hac ſola conſiſtit obiectum motivum.

SECTIO QVARTA.

Reliqua argumenta dicendi momenti, diuerſimodè confirmata, obijciuntur & extricantur.

48 INSVRGVNT II. Adverſarij. Si Deus per impoſsibile non eſſet trinus, ſed vnus dumtaxat in perſona, ſicuti in eſſentia, adhuc ſufficeret ad beatificandum viſione ſui. Ergo relationes non ſunt de eſſentia obiecti primarij viſionis Dei, adhuc quatenus eſt beatifica: ac proinde poſſet eſſe beatifica, quamvis non terminaretur ad relationes, ſed ad ſolam eſſentiam. Conſequentia patet quoad ſingulas partes, & antecedens probatur multipliciter. PRIMO: Quia adhuc in ea hypotheſi eſſet ens à ſe, ac proinde illimitatum ſimpliciter in toto genere entis, & boni ſummi. Atqui viſio entis ſimpliciter illimitati & ſummi boni, ex terminis ſufficit ad beatificandum. Ergo in ea hypotheſi impoſsibili viſio Dei ſufficeret ad beatificandum. SECVNDO. Si Deus per impoſsibile non eſſet trinus, ſed vnus dumtaxat in perſona, ſicut in eſſentia, adhuc eſſet primum principium rerum creatarum. Ergo pariter eſſet vltimus finis, ac proinde ſufficiens ad beatificandum viſione ſui. TERTIO: Quoniam, vt frequenter ſupponunt Theologi, ſi negata per impoſsibile proceſsione Spiritus ſancti à Filio adhuc ſubſiſteret vna vtriuſque diſtinctio, planè inferrur proceſsionem non eſſe rationem diſtinguendi vnum ab alio. Si igitur negata per impoſsibile trinitate perſonarum, adhuc ſubſiſteret beatitudo in viſione vnius Dei; viſio perſonarum non confert aliquid per ſe & primariò ad beatitudinem.

49 RESP. Data ea hypotheſi impoſsibili, viſionem Dei fore quidem beatificam, ſed alterius omnino rationis ab ea, quæ nunc exiſtit, aut poſsibilis eſt ſuppoſito Trinitatis myſterio. Nimirum, illo ſuppoſito, beatitudo eſſentialiter conſiſtit in ſummo bono, non ſolùm quatenus eſt ſummum bonum participapibile ad extra, ſed etiam, immo multo magis, quatenus eſt ſummè communicabile ad intra per identitatem realem cum tribus perſonis. quod non haberet in ea hypotheſi impoſsibili. Neque ampliùs extorquet prima antecedentis probatio. Nam tunc Deus, quamvis haberet rationem ſummi boni finitè communicabilis ad extra, non tamen infinitè communicabilis ad intra. quod eſt ſupremum in genere bonitatis. Vnde nec viſio illius eſſet eiuſdem rationis cum ea quæ nunc attingit Deum. AD. II. In eâdem hypotheſi repugnan-

te, dato quòd Deus eſſet primum principium rerum naturalium, ſicuti modò eſt; non tamen rerum ſupernaturalium, ſive per ſe ordinatarum ad Deum vt trinum in perſonis cognoſcendum, amandum, aut poſsidendum, prout reipſa ordinantur omnes effectus ſupernaturales, derectè, vel indirectè ſaltem, vt ſuprà num. 47. dictum eſt. AD III. conceſſo antecedente diſtinguitur conſequens: Viſio perſonarum non confert aliquid per ſe & primariò ad beatitudinem poſsibilem, aut exiſtentem, nego: ad impoſsibilem & alterius rationis, omitto conſequens. Sic qui volunt, proceſsionem eſſe rationem diſtinguendi Spiritum ſanctum à Filio, non tenuunt admittere, negatâ illâ per impoſsibile, diſtinctionem vtriuſque perſonæ impoſsibilem, ſive chimæricam, ſed veram tantùm.

50 DICES: Suppoſito ex probabili ſententia quòd relationes non exprimant perfectionem virtualiter diſtinctam à perfectione abſoluta eſſentiæ, illa viſio Dei eſſet poſſeſsio ſummæ bonitatis, & infinitæ perfectionis obiectivæ in omni genere. Ergo nihil deeſſet ipſi ad beatificandum eſſentialiter, ſicuti modò beatificat per poſſeſsionem eſſentiæ & relationum. DEINDE. Nequit hæc viſio eſſe beatitudo diverſæ rationis eſſentialis ab illa alia in caſu impoſsibili, niſi præ illa attingat in Deo aliquam perfectionem, quam illa non attingeret: nam vbi non eſt diſtinctum perfectivum ex parte obiecti, nequit eſſe perfectio eſſentialiter diſtincta ex parte actus. Atqui ſupponendo relationes non addere perfectionem, hæc viſio exiſtens non attingit præ illa alia diſtinctũ perfectivum ex parte obiecti. Ergo nec eſt diſtincta eſſentialiter ab illa alia in ratione actus beatificantis.

31 RESP. Adhuc ſuppoſita, aut vltro permiſſa ea opinione, viſionem Dei non fore poſſeſsionem eiuſdem bonitatis eſſentialis, ac modò: ſed diverſæ. Nimirum, bonitas Dei exiſtentis de facto, eſſentialiter eſt communicabilis per identitatem tribus perſonis: quoniam eiuſmodi communicabilitas non eſt prædicatum attributale illius, aut relativum formaliter (ſi fortè id officeret inclusioni eſſentiali) ſed aliquid conveniens quidditativè divinitati, ſaltem implicitè, pro priori rationis ad attributa & relationes, vt à n 19. oſtenſum eſt. Quare viſio illa Dei in hypotheſi impoſsibili iam dicta, ſi eſſet beatitudo eſſentialis, certè eſſet alterius longè rationis ab ea, quæ nunc exiſtit, quantùm ad prædicata eſſentialia. Immò & viſio eſſentiæ ſolius, ſuppoſita Trinitate perſonarum, quamvis eſſet poſſeſsio ſummæ bonitatis, & infinitæ perfectionis obiectivæ; non tamen adæquatè, nèque ea ratione, quâ ſufficit ad ſatiandum, per ſe loquendo, etiam quoad ſatietatem eſſentialem beatitudini, vt latè probavimus num. 19. & ſeqq. Quare eiuſmodi viſio non eſſet beatitudo eſſentialis. AD II. quòd procedit in illa hypotheſi impoſsibili, negatur minor. nam imperfectio obiectiva, quam attingeret ex parte obiecti viſio alia in ea hypotheſi, eſſet chimærica. Ergo hæc viſio nunc exiſtens eſt diverſa eſſentialiter ex parte actus beatificantis ab illa alia viſione.

52 INSTABIS. Saltem in caſu quæſtionis, ſuppoſito vt poſsibili, quòd videretur hæc eſſentia nunc exiſtens, non viſis perſonis, eiuſmodi viſio attingeret totam perfectionem Dei, quam attingit viſio de facto cõveniens Beatis. Si enim perfectionem non addunt relationes, vt ſupponitur, qui nunc de facto videt Deum, non attingit in illo aliam, aut maiorem perfectionem quàm qui videret eſſentiam, ac reliqua prædicata abſoluta, non viſis perſonis. At vbi non eſt alia aut maior perfectio ex parte obiecti, nequit eſſe perfectio ſpecie diſtincta ex parte actus. Ergo viſio ſolius eſſentiæ abſque perſonis non eſſet perfectio ſpecie diſtincta à viſione eſſentiæ & perſonarum nunc exiſtente. Cùmque hæc abſdubio ſit eſſentialiter beatifica, idem dicendum eſſet de illa.

53 RESP. Quidquid ſit, an perſonę divinæ importent perfectionem propriam, ac relativam, & permiſſa aut ſuppoſita opinione id negante; adhuc eſſentiam divinam, quatenus eſt communis per identitatem tribus perſonis, exprimere peculiarem perfectionem, quam non haberet, ſi per impoſsibile non eſſet ijs communis. Quòd enim ſit communis per idẽtatem tribus perſonis, eſt quòd ſit ſummè bona & diffuſsiva ſui ad intra, non autem ſolùm ad extra, vt in ea hypotheſi impoſsibili. Eſſe autem ſummè bonam & diffuſivam ſui ad intra, eſt planè quædam peculiaris perfectio huius eſſentiæ divinæ præ alia divinitate impoſsibili. Quare videns de facto Deum trinum & vnum, videt in eſſentia Dei aliquam perfectionem, quam non videret ſi ſolùm attingeret eſſentiam præciſam à perſonis. Deinde, adhuc permiſſo quòd eſſentia, prout communis per identitatẽ tribus perſonis, non exprimat peculiarem eiuſmodi perfectionem ad intra; adhuc exprimit ad extra ſpecialem perfectionem ſatiandi appetitum creaturæ rationalis, & excludendi anxietatem, prout explicuimus à num. 18. Ergo exprimit aliquid, ratione cuius viſio nunc exiſtens præ illa alia ſolius eſſentiæ præcitæ à perſonis, ſit ſatiativa, ac proinde beatifica.

IN-

54 INSVRGVNT III. Videns Deum vt eſt in ſe, & non videns creaturas, eſt beatus eſſentialiter, quia videt aliquid, in quo omnis perfectio ac veritas creaturarum continetur eminenter & radicaliter. Atqui videns eſſentiam Dei, & non videns relationes, videret aliquid, in quo illę eminenter & radicaliter continentur. Nimirum, eſſentia ex propria & formali ratione, exprimit primam ac ſummam Dei perfectionem, vnde omnia alia diuina prædicata emanare intelliguntur. Ergo videns eſſentiam Dei, & non videns relationes, eſſet beatus eſſentialiter.

55 RESP. Conceſſa maiore, negando minorem quoad priorem partem. nam licèt eſſentia Dei, quatenus præciſa à relationibus, intelligatur continere radicaliter relationes (ſicuti & attributa) non tamen eminenter. Continentia enim eminentialis eſt propria cauſæ ſuperioris & æquivocæ in ordine ad effectus. quo ſenſu patet non comparari eſſentiam Dei ad attributa & relationes, ſed dũtaxat per modum radicis virtualis, veram identitatem habentis cum ijs omnibus. Itaque Deus viſus ſine creaturis ſufficientiſsimè beat, & quietat appetitum: quoniam revera eſt bonum ſummum, atque infinitè maius omnibus creaturis, quas proinde eminenter continet in ſua entitate. Eſſentia autem non viſis perſonis nullatenus ſufficeret ad beandum, quia non eſt aliud ab ijs, nec illas infinitè excedit, ſed potius vnam & eandem cum ijs entitatem habet, nec illas continet eminenter, ſed ſolùm infert virtualiter, veluti proprietates relativas, ſibique proportionatas. Quare viſa eſſentia excitaret naturaliter appetitum deſiderij ad videndum illas, ſaltem per ſe loquendo, ſive aliàs cognitæ eſſent abſtractivè, ſive non: ac proinde non ſatiaret, nec beatificaret, donec relationes viderentur.

56 DICES: Ergo eſſentia diuina non habet vim ſatiandi appetitum ſine relationibus, atque adeò accipit illam ab ijs. Hoc autem eſt falſum: ſiquidem illa eſt radix omnium aliorum, quæ ſunt in Deo, & conueniũt quibuſlibet alijs prædicatis diuinis: ac proinde nihil ab ijs accipit, ſed potiùs tribuit quidquid habent.

57 RESP. Negando poſteriorem partem conſequentis: quia nec eſſentia habet vim proximam miſerendi ſine attributo miſericordiæ, nec puniendi ſine iuſtitia; & tamen non propterea accipit aliquid propriè ab ijs. Id enim ſolùm dicitur accipere quidquam ab alio, quod ab eo procedit veluti à principio actiuo reali aut virtuali. Eſſentia autem neutro modo procedit ab attributis aut relationibus, ſed potiùs comparatur ad ea, veluti principium actiuum virtuale illorum. Ergo nihil propriè ab ijs accipit. Si etiã natura creata ignis v.g. non poteſt calefacere ſine calore ab ea derivato, quin propterea colligatur, illum accipere propriè quidquam a calore. Itaque eſſentia Dei, vt conditincta à relationibus, habet quidem vim ſatiandi per modum rationis formalis ex parte obiecti: verùm vt id præſtet in exercitio, opus habet relationibus, veluti modis, quibus intimè quaſi afficitur, & completur in ratione ſummi boni ad intra, quod ſolùm eſt ſufficiens ad beandum.

58 INSVRGVNT IV. Vt quiſpiam ſit eſſentialiter beatus non eſt opus videre diuinam eſſentiam ſub omnibus modis, quibus videri poteſt. *Imprimis* enim neceſſum non eſt, vt videat omnia attributa: immò nec ea omnia vllatenus videre poteſt. Quod probatur. Nam omnia attributa Dei ſolùm videri poſſunt per ordinem ad creaturas, quarum cauſæ exiſtunt, aut poſſunt exiſtere. Atqui nullus præter Deum videre poteſt omnes creaturas ex frequenti ſententia Theologorum: quoniam ſic comprehenderet Deum. Ergo nec videre poteſt diſtinctè omnia attributa. *Secundò*, nec intellectus creatus poteſt videre omnes ideas ſpecierum quarumlibet poſsibilium: quoniam ſic pariter cõprehenderet Deum, quemadmodum ſi omnes creaturas poſsibiles in individuo videret. Hæ etenim non addunt aliquam perfectionem ſuprà proprias ſpecies. *Tertiò*: Quoniam nullus ex Beatis videt, aut videre poteſt omnipotentiam vt productricem ſingularum ſpecierum aut poſſibilium in ſingulari, ob eandem rationem incõprehenſibilitatis diuinæ. Atqui non viſis omnibus attributis, nec ideis, nec omnipotentia vt productrice omnium poſsibilium in ſingulari, viſio de facto exiſtens eſt plenè beatifica quoad eſſentialia. Ergo etiam viſio eſſentiæ abſque modo eſſendi in perſonis eſſet plenè beatifica quoad eſſentialia.

59 RESP. Vt quiſpiam ſit eſſentialiter beatitudine prædituſ, eſſe opus viſione Dei quoad omnia prædicata formalia, tum abſoluta, tum relativa: non autem quoad omnes modos, vel ſinus eminentiales, vt Scholaſtici loquuntur. Hi enim potiùs ſpectant ad intenſionem, quàm ad ſubſtantiam viſionis beatificæ, cui ſufficit contemplari Deum prout eſt in ſeipſo quoad omnia formalia prædicata, quamvis non penetret eminentialem continentiam vniuſcuiuſque prædicati relatè ad omnes effectus poſsibiles, qui poſſunt ab eo vtcumque oriri, aut pendere. Hoc enim accidentarium eſt eſſentiæ beatitudinis, & prouenit à maiori aut minore intenſione luminis.

60 HINC Occurritur ad singulas impugnationes. AD I. dico omnia attributa videri à Beatis: quoniam omnia illa sunt prædicata formalia Dei. Neque obstat quòd omnia illa exprimantur relatè ad creaturas, & hæ omnes videri nequeant à Beatis, vipotè incapacibus comprehendendi Deum. Dato enim quòd omnia attributa Dei expressè connotent creaturas ab ijs pendentes (quod esse falsum patet in vnitate, simplicitate, summa actualitate, infinitate, æternitate, & immensitate Dei) non est necesse vt videns vnumquodque attributum, videat distinctè omnes & singulas creaturas, quæ ab illo pendere possunt: sed satis est si videat terminum eius attributi in communi, & quasi in genere. Nimirum, satis est videnti iustitiam Dei, vt videat possibilia esse merita, aut demerita, quibus condignè tribuat: videnti misericordiam, vt videat possibilem esse miseriam, quam sublevet: videnti Providentiam, possibiles esse creaturas, quas gubernet: videnti omnipotentiam, possibiles esse creaturas, quas producat. Vnde non colligitur, Deum à creatura comprehensum iri: quoniam ad hoc exigebatur cognitio clara omnium attributorum in ordine ad omnes & singulas creaturas possibiles: quod non est necessum ad visionem illorum intuitivam ac beatificam, sed ad summe penetrativam, quæ soli Deo est possibilis.

61 AD II. Instantiam non desunt ex Recentioribus qui negent antecedēs, & ad illius probationem dicant, quamvis Beatus videat distinctè omnes ideas quarumlibet specierum absolutè possibilium, non ideo Deum comprehensum iri: quoniam adhuc non cognosceretur adæquatus terminus idearum, nimirum, individua omnia in singulari, ad quæ porrigitur vnaquæque idea. Vnde & consequenter aiunt, quamvis Beatus videret in omnipotentia distinctè omnes & singulas species possibilium, non ideo sequuturam illius comprehensionem: quoniam adhuc necessaria est cognitio distincta termini adæquati, ac proinde omnium possibilium in singulari. Sic aliquando nobis in publica disputatione responsum fuit, dum præiactam instantiam vrgeremus.

62 SED Enim evasio hæc præclusa fuit, & modò præcluditur multipliciter. PRIMO: Quia individua nullam addunt perfectionem formalem supra speciem, sed solùm materialem aut numericam eius extensionem. Ergo si visio beatifica potest in Deo distinctè attingere omnes & singulas species, poterit pariter sine nova perfectione essentiali attingere omnia & singula individua: atque adeò poterit esse comprehensio Dei. Sic certè si daretur extra Deum aliqua virtus potens producere omnes species possibiles, ob eandem rationem posset producere omnia & singula individua illarum, ac proinde esset omnipotentia. SECVNDO. Quia exinde Divus Thomas, eiusque discipuli, probant, visionem omnium possibilium in Deo fore intensivè infinitam, ac proinde repugnantem, quia ex vi penetrationis, seu intensionis, attingeret in ipso infinitas perfectiones possibiles omnium creaturarum. Atqui visio omnium specierum possibilium in Deo, ex vi penetrationis, seu intensionis, attingeret in ipso infinitas perfectiones possibiles omnium creaturarum. Ergo pariter ea visio esset intensivè infinita, ac proinde repugnans. TERTIO. Si semel visio Dei citra infinitatem aut comprehensionem extendi potest ad penetrandum in ipso omnes & singulas species possibiles, quamvis simpliciter infinitas numero, multò facilius ab speciebus extendi poterit ad penetrandum in Deo omnia possibilia cuiuslibet speciei, quamvis numero infinitas. Nam maior est excessus infinitarum specierum, quàm infinitorum individuorum, ad visionem Dei finitam, & non comprehensivam.

63 QVARE Aliter respondeo iuxta dicta Tomo I. Disput. XIX. Ideam divinam nihil aliud esse, quàm essentiam divinam cognitam vt imitabilem à creaturis: ac proinde sicuti ratio formalis essentiæ Dei est vnica, ita etiam vnicam esse rationem formalem Ideæ in Deo: ac proinde illam videri ab omnibus Beatis, instar aliorum prædicatorum Dei formalium. Cæterum quòd Idea illa multiplicetur in Deo secundùm rationem, per ordinem ad alias, & alias species, quæ illam diversimodè participare possunt, pertinet ad prædicata eminentialia, sive ad sinus virtualiter in Idea clausos, quorum penetratio amplior aut restrictior spectat ad maiorem vel minorem intensionem visionis, prout in simili dictum est numero 60. Quare visio beatifica ex sua ratione essentiali, solùm exigit terminari ad essentiam divinam, prout habet rationem Ideæ in ordine ad creaturas in communi, non autem in specie, aut individuo.

64 AD III. Admissa maiore, & minore quoad duas posteriores partes, negatur prior illarum, quæ procedit de attributis. Omnia enim illa seorsim constituunt in Deo quandam perfectionem formalem, veluti proprietates ipsius: ac proinde omnia videntur à Beatis. Secus se habent ideæ omnes, prout ratione distinctæ inter se: quia solùm spectant ad prædicata eminentialia, seu virtualia, quasi intra eandem speciem: atque adeò solum attinguntur penes maiorem aut minorem intensionem visionis. Idipsum ferè dicimus de

omni

Omnipotentia: quæ ſecundùm ſuam rationem formalem veluti in ſpecie conſiderata, ſolùm connotat omnia poſsibilia in communi, inſtar termini formalis. Quare neceſſum eſt vt videns omnipotentiam, videat quoque in ea poſsibilia in communi, ad quæ producenda vim habet. Quòd autem poſsit ſingillatim procedere has ſpecies, hæc aut illa individua, ſpectat ad prædicata eminentialia, ad vnus, & latebras eiuſdem omnipotentiæ: atque adeò ſolùm pertinet ad viſionem beatificam conſideratam penes maiorem aut minorem intenſionem, ſeu vim penetrandi eandem omnipotentiam. Sed de hoc fuſiùs fortaſſe in progreſſu Operis.

DISPVTATIO LXX.

AN IN DIVINIS SIT PROPRIA RATIO IMAGINIS, EAQVE SOLIVS FILII.

AD CLARISS. ET NOBILISS. D. D. PETRVM GAMARA ET VRQVIZV, Iacobæum Equitem, Supremi Iuſtitiæ Senatus digniſsimum Conſiliarium, olim Veteris Collegij D. Bartholomæo ſacri Togatum, & in Salmant. Academia Inſtitutionum Cæſarearum & Codicis Anteceſſorem, &c.

DIXIMVS Suprà latè cum Anſelmo Diſp. LXII. rationem Verbi propriè in diuinis exiſtere, eamque ſoli Filio conuenire. Nunc pariter ferè idipſum diſquirimus de ratione Imaginis, ſed aliquantò breuiùs: quoniam multa huc ſpectantia ibidem tradita ſunt, & exinde facilè aduocari poſſent. Quæſtionem hanc tractant Scholaſtici cum Magiſtro in 1. diſt. 27. & 28.

SECTIO PRIMA.

Relatis Theologorum ſententijs eligitur affirmans, veluti expreſſa S. Anſelmi, & illuſtratur ex Scriptura & Patribus, iuxta quorum ſenſum explanatur propria ratio Imaginis, tributa Filio Dei.

1 PRIMA Sententia eſt Durandi: qui, quemadmodum in 1. diſt. 27. q. 3. docuit, Verbum in divinis dici ſolùm eſſentialiter, non autem perſonaliter, niſi per appropriationē: ita etiam diſt. 28. ſequenti q. 3. negatâ in Deo verâ & propriâ ratione Imaginis ſolùm illam concedit impropriam & analogā, eamque ait competere pariter Filio, ac Spiritui ſancto, quoniam ambo procedunt in ſimilitudinem & æqualitatem cum procedente. Addit verò, rationem Imaginis ex vi nominis magis appropriari Filio, quàm Spiritui ſancto: quia Filius vi nominis denotat ſimilitudinem cum Patre, à quo procedit per modū naturę: Spiritus ſanctus autē ſolum procedit per modū voluntatis, ad quā ſpectat producere terminū, non tam ſimilem producenti, quàm iuxta propenſionem voluntariam illius, ſeu qualem vult producere.

3 COMMVNIS Tamen & veriſsima aliorum omniū Theologorum, aut ferè omniū ſententia eſt, cum Anſelmo infra allegando, & Magiſtro in 1. diſt. 27. & 28. ac D. Thom. 1. p. q. 35. a. 1. & 2 in divinis verè & propriè exiſtere rationē Imaginis, eamque non communē & eſſentialē, ſed perſonalē, ac ſolius Filij propriam. Illamque, præter Patres allegandos, tradit luculenter Anſelmus infrà c. 38. alias 37. fine, dicens: *Verbum nanque hoc ipſum, quod Verbum eſt, aut Imago, ad alterum eſt, quia non, niſi alicuius, Verbum eſt, aut Imago: & ſic propria ſunt hæc alterius, vt nequaquam alteri coaptentur. Nam ille cuius eſt Verbū, aut Imago, nec Imago, nec Verbum eſt.* Quibus verbis palam docet imprimis rationē Imaginis, ſicut & Verbi, in divinis non eſſe abſolutam & eſſentialem, ſed relativam, ſivè ad alterum: deinde rationem Imaginis & Verbi ita eſſe propriam vnius perſonæ, vt non coapietur alteri. Cum igitur ratio Verbi propriè dicta ſit ſolius Filij, vt ſuprà Diſp. LXII. cum eodem Anſelmo demonſtratum fuit; idem quoque dicendum de ratione Imaginis.

4 VT Autem altiùs rem ipſam veſtigemus, & iuxta mentem Sanct. Patrum, præmittendum eſt, Filium Dei in ſactis litteris

appellari modò *imaginem*, modò *figuram*, modò *characterem*, aut etiam *ſpeciem* Patris. Etenim 2. Corinth. 4 v. 54. appellatur εἰκὼν, id eſt, *imago*; Philipp. 2. v. 6. dicitur μορφὴ, id eſt, *figura*. Ad Hebræos 1. v. 3. appellatur *charactere*. Huc etiam ſpectat quod Ioannis 5. v. 37 dicatur εἶδος, id eſt, ſpecies, vt colligit Cyrillus Alexandrinus lib. 12. Theſauri. Etenim loco illo Evangelij Chriſtus reprehendit Iudæos dicens: Οὔτε φωνὴν αὐτοῦ πώποτε ἀκηκόατε οὔτε εἶδος αὐτοῦ ἑωράκατε. id eſt: *Neque vocem eius vnquã audiſtis, neque ſpeciem eius vidiſtis.* In quæ verba Cyrillus ita loquitur: *Hæc omnia ergo Filius eſt, Vox, & ſpecies, & Verbum Patris. Quod ſi ſpecies eſt, perſpicuum eſt, etiam imaginem eſſe & characterem.* Similiter Hilarius lib. 2. de Trinit. initio tribuit Filio Dei rationem *ſpeciei*, ſicuti & *imaginis*, veluti ipſius propriam, dum ait: *Infinitas in æterno, ſpecies in imagine, Vſus in munere*, &c. Quæ verba refert ex eodem Hilario Auguſtinus lib. 6 de Trinitat. cap. 10. & ita exponit, vt *ſpeciei* nomine in elligat pulchritudinẽ propriam imaginis, in eo ſitam, vt plenè exprimat rem, cuius eſt imago. Conſonat D Thom. 1 part. quæſt. 39. art. 8. vbi imago *pulchra dicitur, ſi perfectè repræſentet rem, quamuis turpem.* Nimirum, pulchritudo imaginis conſiſtit in plena ac perfecta repræſentatione rei, cuius imago eſt.

5 SED Præter vocabula figuræ, characteris, & ſpeciei, ad ipſam rationem Imaginis, circa quam vertitur controverſia, propiùs accedimus. Quippe id nomen non ſolùm aptius eſt ad dirimendas Scholarum controverſias circa Filium Dei, ſed etiam ad debellandas duas hæreſes extremè contrarias Sabellij & Arij. Imago enim importat duo aliqua inter ſe diſtincta, & communionem naturæ in vtroque. Eſt enim neceſſaria conditio imaginis, vt ſimilitudinem habeat cum exemplari, & ab eo producatur, vt illud repræſentet vi productionis ſuæ. Neque enim aliquid poteſt eſſe imago ſui, ſed alterius, cuius ſimilitudinem exprimit, ab ipſo participatam, ſeu acceptam. Vnde Ambroſius lib. de Fide cap. 4. ex eo quòd Filius Dei in ſacris litteris dicatur imago Patris, demonſtrat contra Arium, Filium non eſſe diſſimilem Patri, & contra Sabellium, eſſe alium à Patre. * Imaginem, inquit, Apoſtolus dicit, & Arius dicit eſſe diſſimilem. Cur imago, ſi ſimilitudinem non habet? * Ac præterea: * Vides ergo, quia dum imago dicitur, Patrem ſignificat eſſe, cuius imago ſit Filius? quia nemo poteſt ipſe ſibi ſua imago eſſe. * Similiter eaſdem duas capitales hæreſes, & ſibi invicem repugnantes, ex eádem imaginis notione refellit Nazianzenus Orat. 36. dum ait de Filio Dei: * Imago dicitur, tanquam conſubſtantialis Patri; & quia ex illo eſt, non autem ex hoc Pater. Eſt enim natura hæc imaginis, vt ſit imitatio quædam exemplaris, & eius, cuius imago dicitur. * Denique Chryſoſtomus Homil. 1. in Epiſtol. ad Hebræos, pariter ex eo quòd Verbum ab Apoſtolo appelletur χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, *character ſubſtantiæ eius*, nimirum, Patris, vtramque eandem hæreſim exturbat, dicens: * Character alius eſt à prototypo: alius autem non omnino, ſed eo ſolùm, quod ſubſiſtit. ſiquidem character hoc loco nullam ab eo diſcrepantiam eſſe ſignificat, cuius eſt character, ac per omnia ſimilem eſſe.*

6 ITAQVE Duo ſunt de ratione imaginis: alterum, eſt ſimilitudo expreſſa ad ſuum archetypum, ſive exemplar; alterum, proceſsio ab illo, veluti à principio. Neque enim ſufficit ſimilitudo ſola duorum, vt vnum ſit imago alterius, niſi præterea vnum ab altero procedat & exprimatur. Quod opportunè monet Auguſtinus lib. 83. QQ. q. 4 exemplo adhibito in duobus ovis patribus, quibus *ineſt ſimilitudo: quæcumque enim aſſunt vni, aſſunt & alteri: imago tamen non eſt, quia neutrum de altero expreſſum eſt.* Indeque Anſelmus infrà cap. 39 alias 38. probat, Verbum ex Patre naſci tanquam Filium, quia ſic procedit *ex ipſo ſolo, vt perfectam eius, quaſi proles parentis, teneat ſimilitudinem.* Vbi præter ſimilitudinem inter vtrumque exigit vnius ab altero proceſsionem. Neque enim ſimilitudo perfecta imaginis ad archetypum ſuũ impedit proceſsionem ab eo, ſed potiùs illam exigit, ac proinde differentiam aliquam in cõditione principij proprij, quæ omnino repugnat imagini. Quod maximè in rem noſtram obſervat Damaſcenus lib. 1. de Imaginibus, vbi ſic loquitur: *Imago itaque ſimilitudo eſt ſi exemplar exprimens, vt nonnullam ab eo differentiam habeat. Non enim in omnibus imago aſſimilatur archetypo. Proinde imago viuens, naturalis, & nulla re diſcrepans, inuiſibilis Dei Filius eſt, totum in ſe ferens Patrem, omnimodam cum eo habens identitatem; ac ſolo eo diſcrepans, quod eſt à principio.* Excepta verò differentia eiuſmodi, in alijs omnibus imago debet eſſe ſimilis ſuo archetypo, & eo ſimilior, quo perfectior imago fuerit. Vnde imago ſimpliciter & propriè dicta definitur ab Auguſtino lib. 83. QQ. quæſt. 74. *perfecta ſimilitudo, ad ſuum prototypum repræſentandum expreſſa.*

7 QVOD Ipſum præterea probatur inductione. Nulla enim imago perfecta eſt, quæ non ſit plenè ſimilis ſuo exemplari, & præ-

præterea ab eo ortum ducat. Defectu prioris conditionis vermis productus ab homine non est imago illius: quoniam solùm est similis homini secundũ rationem communẽ animalis, non autũ penes propriam hominis. Defectu eius conditionis vnum ovum non est imago alterius ovi, licèt sibi æqualis, aut similis, quoniam non ducit ortum ab altero ovo. Ratio omniũ est, quoniam perfecta imago in eo consistit, vt suum prototypum imitando perfectè exprimat. Nequit autem illum perfectè exprimere per imitationem, nisi sit illi perfectè similis, & ab eo originem ducat. Ergo de ratione perfectæ imaginis est perfecta similitudo cum suo prototypo, & præterea origo ab illo. Minor, sive assumptio, probatur: quia imaginem perfectè exprimere suum prototypum, est perfectè illũ repræsentare: quod certè fieri non posset, nisi sit illi perfectè similis. Imitari autem non est, vtcumque similem esse, sed præterea oriri à prototypo, seu oriri tanquam aliquid expressum ab ipso. Vnde nulla res dicitur imitari alteram, nisi quodammodo ab ea procedat. Ergo de primo ad vltimum nequit imago perfectè exprimere suum prototypum per imitationem, nisi & illi perfectè similis sit, & ab eo ortum ducat.

8 NEC Obstat si opponas, statuam Cæsaris dici veram illius imaginem, & notitiam lapidis in Angelo esse veram lapidis imaginem, quãvis nec statua à Cæsare, nec à lapide notitia Angeli ortum ducat. Respondetur enim, statuam Cæsaris ortum ducere à Cæsare, tanquam obiecto influente media sui specie & idea existentibus in mente artificis: similiterque lapidem per modum obiecti influere in notitiam Angeli de illo, mediante specie, non quidem ab obiecto ipso missa, sed à Deo indita, vt illud repræsentet. Quare semper evincitur, de ratione perfectæ imaginis esse originem à suo prototypo. Multò autem magis id exigitur in vivida & substantiali imagine, de qua potissimùm controversia procedit, & nominatim de Filio Dei: qui, vt ait Athanasius Orat. 2. *Non est imago Dei extrinsecus picta; sed ipse Deus genitor est eius.* Sive, vt ait Basilius lib. 2. contra Eunomium, *Est imago Dei inuisibilis: imago non inanimata nec manu fabricata, nec artis vel commentationis opus; sed imago viuens: immo verò ipsa vita, non in figuræ similitudine, sed in ipsa substantia identitatem retinens.* Patet enim nullam eiusmodi imaginem perfectam existere, quæ non exprimat plenè totum principium à quo processit.

SECTIO SECVNDA.

Rationem imaginis non esse communem & essentialem in Deo, sed personalem & propriam Filij, etiam prout distincti à Spiritu sancto.

9 VTRAQVE Assertionis pars est communis Theologorum contra Durandum. Prior suadetur facilè ex dictis iuxta doctrinam SS. Patrum. De ratione imaginis est origo ab eo, cuius imago est, sive quod repræsentat ipsa. Aqui nullum prædicatum commune & essentiale in Deo ducit originem ab aliquo. Nimirum omni prædicata communia, & essentialia Dei sunt prorsus improducta. Ergo nulli prædicato Dei communi & essentiali convenit ratio imaginis. Quare siquando in Scriptura Deo tribuitur ratio imaginis secundùm essentialia, vt cùm dicitur, Deum fecisse hominem ad imaginem & similitudinem suam; ibidem imago sumitur pro exemplari, cuius est originem dare, non autem accipere. Vt omittam, frequens esse apud Patres, vt in illo Geneseos loco, alijsque, vbi dicitur homo factus ad imaginem Dei, nomine *imaginis* intelligatur Filius. Eoque sensu ait Ambrosius lib. 1. de Fide cap. 4. & lib. 5. cap. 1. *Nisi per imaginem Dei, ad imaginem Dei esse non potes.* Et Clemens Alexandrinus in Protreptico: ἡ μὲν γὰρ τοῦ θεοῦ εἰκὼν ὁ λόγος αὐτοῦ, καὶ ὁ υἱὸς τοῦ νοῦ γνήσιος ὁ θεῖος λόγος, φωτὸς ἀρχέτυπον φῶς. εἰκὼν δὲ τοῦ λόγου ἄνθρωπος. id est: *Verbum est Dei, & germanus mentis filius Verbum diuinum, luminis archetypum lumen. Imago verò Verbi homo est.* Marius Victorinus similiter lib. 1. contra Arium ait: *Homo non imago Dei, sed secundùm imaginem. Solus enim IESVS imago Dei: homo autem secundùm imaginem; hoc est, imago imaginis.* Denique Origenes Homil. 1. in Genesim: *Quæ est ergo alia imago Dei ad cuius imaginis similitudinem factus est homo, nisi Saluator noster, qui est primogenitus omnis creaturæ?* Itaque iuxta hunc sunsum, ne quidem in ijs Scripturæ locis imago significat, nisi aliquid ab alio originem ducens. quod constat non esse prædicatum aliquod Dei commune & essentiale. Ergo superest, vt nomine imaginis semper accipiatur aliquid peculiare & personale.

10 QVIN Etiam, vt observat D. Tho. 1. p. q. 35 art. 2. ad 3 homo in Scriptura non dicitur imago Dei, sed ad *imaginem*: vt significetur, homini solùm convenire imperfectè

rationem imaginis. Etenim eſſe ad imaginem denotat imperfectionem motus tendentis per modum viæ ad terminum. Quo denique convincitur, etiam in locis indicatis Scripturæ rationem imaginis non accipi ſtrictè, ſed latè, nec de Deo ſecundùm eſſentialia, ſed vel de Filio, vt paulo ante dicebamus, vel de homine ipſo, prout quadrantenus exprimit Deum, veluti archetypum ſuum, præ creaturis irrationalibus, vt iden Angelicus Doctor exponit 1. p. q. 93. art. 2.

11 QVOD Autem ratio imaginis ſolùm competat Filio (quæ eſt poſterior aſſerti pars) ſuadetur ex Scriptura, quæ ſoli Filio tribuit rationem imaginis. Etenim ad Roman. 8. dicitur: *Quos præſciuit & prædeſtinauit conformes fieri imaginis Filij ſui.* Corinth. 4. de Chriſto legitur: *Quæ eſt imago Dei*, Coloſ. 1. *Qui eſt imago Dei inuiſibilis.* Hebræorum 1 *Figura*, ſive caracter, *ſubſtantiæ* Dei, quæ duo nomina, iuxta Patres ſuprà n. 4 & 5. allegatos, alioſque plures, ſignificant idem ferè, ac imago. Neque aliquod Scripturæ teſtimonium profertur à Durando, vel quopiam alio Auctore, in quo ratio imaginis tribuatur alteri ex perſonis divinis, quàm Filio. Vnde quemadmodum ex eo quòd nomen Verbi in Scriptura tribuatur ſoli Filio, colligitur planè Verbum in divinis ſolùm dici perſonaliter, idque de ſolo Filio; ita etiam abſque dubio colligitur, rationem imaginis ſoli Filio tributam in Scriptura, illius propriam eſſe, nec vlli alteri perſonæ divinæ convenire. Vnde in hoc conveniunt Patres, non ſolùm Latini, vt teſtatur de ijs D. Thom. 1. part. quæſt. 35. art. 2. ſed & Græci: præſertim verò Clemens in Epiſt. ad Iacobum Fratrem Domini, Cyrillus lib. 3. in Ioannem cap. 29. & alij, quos omnes ſequitur Anſelmus verbis ſuprà exſcriptis numero 3.

12 SED Oppones plura Patrum Græcorum teſtimonia, in quibus etiam Spiritui ſancto tribuunt rationem imaginis. Imprimis enim apud antiquiſsimum Scriptorem Gregorium Thaumaturgum in Profeſsione illa Fidei, quam accepiſſe creditur à Bear. Virgine, & Ioanne Evangeliſta, Spiritus ſanctus, inter alia, appellatur εἰκὼν τοῦ υἱοῦ. *Imago Filij.* Deinde Athanaſius in Epiſtola ad Serapionem probat, Spiritum ſanctum non eſſe creaturam, quia εἰκὼν τοῦ υἱοῦ λέγεται, καὶ ἔστι τὸ πνεῦμα. *Imago Filij dicitur & eſt Spiritus.* Baſilius quoque lib. 5. adverſus Eunomium ait: *Imago Dei Chriſtus, qui eſt imago Dei inuiſibilis: imago verò Filij Spiritus.* Idque tam certo ſibi perſuaſum habuit Magnus Doctor, vt capite tertio eiuſdem libri hanc epigraphim poſuerit: ὅτι εἰκὼν ἀληθὴς ὁ καὶ πνευματικὴ θεοῦ, καὶ χριστοῦ τὸ πνεῦμα. *Quod imago vera Dei ac Chriſti Spiritus eſt.* Præterea Cyrillus idem docet varijs locis, præcipuè verò lib. 33. Theſauri, dicens: *Quemadmodum igitur quoniam exactiſsima imago Patris eſt Filius, qui ipſum recipit, Patrem etiam habet: ita ſeruata eadem analogiæ ratione, qui imaginem Filij recipit, nempe Spiritum, omnino per ipſum habet Filium, & Patrem, qui eſt in eo.* Damaſcenus ſimiliter lib. 1. Fidei cap. 18. *Imago*, inquit, *Patris eſt Filius, & Filij Spiritus: per quem Chriſtus habitans in homine dat ipſi, vt ad imaginem ſit.* Sunt & alia huius generis teſtimonia, quibus idem videtur probari.

13 RESPONDEO Tamen ex Diuo Thoma Opuſculo 1. contra errores Græcorum cap. 10. imaginem poſſe dupliciter vſurpari. Primò & generatim pro eo quod habet eſſe ab alio, eiuſque ſimilitudinem gerit. Et hoc modo Spiritus ſanctus eſt Imago Filij: quoniam verè procedit ab illo; etiam iuxta ipſos Patres Græcos (vt palam oſtendimus in Commentarijs ad Epiſtolam Anſelmi de Proceſsione Spiritus ſancti) & habet ſimilitudinem naturæ cum illo, immò & identitatem. Porrò ij Patres, vt oſtenderent contra hæreticos Pneumatomachos, ſive impugnatores Spiritus ſancti, ipſum non eſſe creaturam, ſed Deum, vtpotè ſimilem in natura Filio, & ab eo procedentem; illum Filij imaginem dixerunt: cùm tamen Ariani contrà non imaginem, ſed *manifeſtationem* appellarent. Quod planè de ijs teſtatur Auguſtinus lib. contra Sermonem Arianorum cap. 26. vbi de ijs inquit: *Non ſunt tamen auſi dicere imaginem Filij Spiritum Sanctum, ſed manifeſtationem. Propter hoc nec genitum, ſed factum ab illo eſſe dixerunt.* Quare ſcopus illorum Patrum attingitur per hoc ſolùm, quòd Spiritus ſanctus à Filio procedat, & ſit ipſi reipſa ſimilis in natura. Secundò & preſsiùs accipitur imago pro eo, quod ita exiſtit ab alio (inquit Angelicus Doctor) *vt ex ipſa ſuæ originis ratione habeat quòd ſimilitudinem gerat eius à quo exiſtit, in quantum ab altero, vt Filius genitus, vel vt Verbum conceptum: & ſic ſolus Filius dicitur imago.* Itaque ſolus Filius in divinis dicitur propriè, & ſimpliciter imago: quoniam ſolus ille vi originis ſuæ accipit in ſenſu formali plenam atque perfectam ſimilitudinem cum Patre, nec ſolùm identicè illam habet, qualiter Spiritus ſanctus, cui vi ſuæ proceſsionis non communicatur ea ſimilitudo adæquata & plena: vt pleniùs ex progreſſu apparebit.

14 QVÆ Doctrina luculenter confirma-

firmatur à priori notionis Verbi, quam ſolius Filij propriam eſſe, omnes Theologi (excepto Durando) profitentur ex communi ſenſu Patrum ſuprà allegatorum Diſp. LXII. Et tamen aliqui ex Patribus Spiritum ſanctum appellant Verbum, ſive Sermonem Filij. Baſilius enim allegato lib. 5. contra Eunomium ait: *Neque ſine Filio facit Pater: neque Filius ſine Spiritu. Propterea Dei quidem Verbum eſt Filius: VERBVM AVTEM FILII SPIRITVS. Portans enim, inquit, omnia Verbo virtutis ſuæ.* Marius quoque Victorinus lib. 3. adverſus Arium ait: *Chriſtus vox: Paraclitus vox vocis.* Idacius ſimiliter libro adverſus Varimadum: *Verbum Dei Patris Filius: Verbum Dei Spiritus ſanctus.* Et tamen non propterea Spiritus ſanctus dicitur propriè Verbum Filij, ſed impropriè: ſive *effectivè, quatenus ſancti ab eo inſpirati de Filio ſunt locuti*, vt exponit S. Thom. in Opuſculo allegato cap. 12. ſive præterea quatenus Spiritus ſanctus procedit ſubſtantialiter à Filio, & mittitur ab eo temporaliter, vt de illo loquatur, & doceat omnem veritatem. Ergo pariter quamvis Spiritus ſanctus ab aliquibus Patrum dicatur imago Filij, non propterea id propriè, ſed largè accipi debet iuxta ſenſum iam antè explanatum.

SECTIO TERTIA.

Ratio eiuſdem doctrinæ ex Anſelmo & alijs Patribus ernta explanatur, & ab obiectionibus Vindicatur.

15 QVAMVIS Ratio imaginis in Filio, ſicuti & nativitas eius à Patre æterno, nequeat vlla ratione naturali demonſtrari, vt præmiſimus Diſp. LI. ſed ſola fide divina credatur; hac ſuppoſita locus eſt vt rationibus partim philoſophicis, partim theologicis vtamur. Præcipua verò ad probandũ rationẽ propriã imaginis in divinis ſoli Filio cõvenire, poteſt ſub hãc differendi formulam proponi. Ratio propria imaginis ſolùm poteſt competere illi perſonæ divinæ, quæ ex vi originis ſuæ procedit planè & adæquatè ſimilis archetypo ſuo, ſive principio producenti. Atqui ſola perſona Filij, prout diſtincti à Spiritu ſancto, vi originis ſuæ procedit planè & adæquatè ſimilis ſuo archetypo, ſeu principio producenti. Ergo ſola perſona Filij vt diſtincti à Spiritu ſancto, habet propriam rationem imaginis. Conſequentia eſt legitima. Maior ſuadetur facilè ex ipſa ratione imaginis preſſè accepta, quæ duo exigit: alterum, vt procedat ab eo, cuius eſt imago: alterum, vt plenè & adæquatè illud repræſentet, vt ſuprà vidimus ſect. 1. Hoc autem ſine plena & perfecta ſimilitudine cum ſuo archetypo, ſeu principio, præſtare non poteſt. Ideoque aiebat Baſilius Epiſtol. 37. quæ eſt ad Gregorium Nyſſæ Antiſtitem, ſine: *Non enim conſiſtere poterit imaginis ratio, niſi per omnia ad archetypum expreſſa ſuis omnibus numeris ſit, nihilque variet.*

16 IAM Vrrò aſſumptio, ſive minor eius ſyllogiſmi, traditur ab Anſelmo, alijſque Patribus. Nam Anſelmus imprimis infrà cap. 39. aliàs 38. loquens de proceſſione propria Verbi divini, quatenus diſtincta ab omni alia proceſſione, ait *Verbum ſummi ſpiritus* (nimirum, Patris: ſic enim Patrem appellat paſſim in hoc Opuſculo) *ſic eſſe ex ipſo ſolo, vt perfectam eius, quaſi proles parentis, teneat ſimilitudinem.* Deinde in fine capitis, poſtquam adhibuit quædam exempla rerum, quæ ex alijs naſcuntur, nec tamen imagines eorum ſunt defectu, ſimilitudinis adæquatæ ſubdit: *Tantò congruentiùs dici poteſt Verbum ſummi ſpiritus ex illo exiſtere naſcendo, quantò perfectiùs, quaſi proles parentis, trahit eius ſimilitudinem ex illo exiſtendo.* Vbi eam ſimilitudinem adæquatam tribuit Anſelmus Filio Dei, non vt cumque, nec identicè (hoc enim modo etiam illam habet Spiritus ſanctus) ſed vi proceſſionis ſuæ. Huc enim ſpectant verba illa: *Sic eſſe ex ipſo ſolo.* Ac præterea: *Quaſi proles parentis, trahit eius ſimilitudinem ex ipſo exiſtendo.* Quæ omnia planè intelligi debẽt de proceſſione Filij in ſenſu formali. Similiter Ambroſius lib. de Myſter. Dominicæ Incarnat. cap. vlt. ait: *Cur ſolus Filius imago inuiſibilis Dei dicitur, & character ſubſtantiæ eius, niſi quia in eo naturæ eiuſdem vnitas, & maieſtatis expreſsio eſt?* Non ſolùm dixit, *naturæ eiuſdem vnitas*, quoniam hæc etiam competit Spiritui ſancto, qui tamen propriè excluditur ijs verbis à ratione imaginis: ſed etiam, *maieſtatis expreſsio* additur: quoniam ſolum Verbum vi originis ſuæ exprimit, ſeu repræſentat totam maieſtatem & perfectionem ſui archetypi, ſeu principij. Ergo ſola perſona Filij, prout diſtincti à Spiritu ſancto, vi originis ſuæ procedit planè & adæquatè ſimilis archetypo ſuo, ſeu principio producenti.

17 EXPLANATVR Et confirmatur ratione probatio eadem. Si enim ſolus Filius vi proceſſionis ſuæ accipit à Patre ſimilitudinem in natura, quatenus ſolus procedit per intellectum ſummè perfectum, de cuius ratione eſt aſsimilare in eadem prorſus natura; facilè conſtat, ſolum Filium procedere veluti perfectam imaginem Patris,

Dato autem quòd Spiritus ſanctus non ſolùm identicè ſeu in re, vt fides docet, ſed etiam vi proceſsionis ſuæ, procedat ſimilis in natura aut ſubſtantia ſuo principio producenti (quod ſecundum multi ex Theologis negant) non tamen accipit vi proceſsionis adæquatam ſimilitudinem cum illo. Non enim procedit veluti exprimens aut repræſentans ſuum principium in eſſe obiectivo, ſed ſummùm in eſſe naturali. Nam exprimere & repræſentare ſuum principium adæquatè, ſive tam in eſſe naturali, quàm obiectivo, ſolùm convenit illi perſonæ divinę, quæ ex propria conditione originis ſuæ procedit per modum ſpeciei expreſſæ omnium obiectorum intelligibilium, quæ ſunt in memoria fœcunda Patris. Atqui ſola perſona Filij, non autem Spiritus ſancti, ex propria conditione originis ſuæ procedit per modum ſpeciei expreſſæ omnium obiectorum intelligibilium, quæ ſunt in memoria fœcunda Patris: vpotè cùm ſolus Filius procedat per intellectum, tanquam proprium & conſubſtantiale Patris Verbũ. Ergo exprimere & repræſentare ſuum principium adæquatè, ſive tam in eſſe obiectivo, quàm naturali, ſolùm convenit perſonæ Filij, non autem Spiritus ſancti. Itaque Filius vi originis ſuę in ſenſu formali procedit tanquam adæquatè & pleniſsimè exprimens, ſeu repræſentans ſuum principium, atque adeò tanquã perfecta illius imago. *Non enim*, vt reſumam verba Baſilij, *conſiſtere poterit imaginis ratio, niſi per omnia ad archetypum expreſſa ſuis omnibus numeris ſit, nihilque variet.* Ac præterea eodem loco hanc ipſam rationem, quam modò propoſuimus, videtur apertiſsimè reddere, cur Filius propriè imago ſit. Ait enim: *Perinde atque in ſpeculo quodam puro, qui impreſſam illi formam conſiderat, euidentem habet imaginati vultus cognitionem: ita & qui Filium cognouerit, paternæ ſimul hypoſtaſeos characterem per Filij cognitionem in corde ſuo iam ſuſcepit, ita vt hypoſtaſis Filij, inſtar formæ ac facieſi ſit paternæ cognitionis: & contrà Patris hypoſtaſis in forma Filij cognoſcatur.* Itaque perſona Filij inſtar puri ſpeculi, & perfectiſsimæ imaginis, exprimit perſonam Patris, eiuſque cognitionem: quia procedit per modum Verbi perfectiſsimi, cuius proprijſsimum eſt vi originis ſuæ exprimere totum ſuum principium, tam in eſſe obiectivo, quàm naturali. Hæc ratio maius robur accipiet ex dicendis latè infrà Diſp. XCIV. & ſeqq. Nunc autem obiter illam indicaſſe ſufficiat.

18 DICES: Ratio perfectæ imaginis etiam convenit verbo creato, ſeu ſpeciei expreſſæ, ſimiliterque figuræ artificiali repræſentanti ſuum exemplar ad præſcriptum artis penes omnia lineamenta externa. Et tamen nec verbum creatum, nec figura artificialis adæquatè aſsimilatur ſuo prototypo: quoniam nec verbum creatum exprimens ſubſtantiam, eſt ſubſtantia; nec ſtatua Cæſaris eſt reipſa Cæſari. Ergo ad rationem perfectæ imaginis non exigitur adæquata ſimilitudo cum ſuo prototypo: atque adeò permitto quòd Spiritus ſanctus vi proceſsionis ſuæ non habeat adæquatam ſimilitudinem cum principio producente, nullatenus impeditur vt ſit perfecta illius imago.

19 SED Contrà. Vt enim Patres allegati obſervant, & ipſa ratio imaginis præfefert, ſicuti de ratione imaginis eſt origo à prototypo, & ſimilitudo cum illo; ita etiam de ratione imaginis perfectæ eſt origo à prototypo cum perfecta ſimilitudine, ac proinde adæquata & pleniſsima. Vnde nec verbum creatum relatè ad ſuum obiectum, nec figura artificialis relatè ad ſuum exemplar, habet rationem perfectæ imaginis: quoniam primum ex ijs ſolùm repræſentat obiectum per adæquationem cum illo ſecundùm eſſe intelligibile; alterum verò penes lineamenta externa: neutrum autem eſt eiuſdem ſubſtantiæ aut naturæ cum obiecto aut exemplari ſuo. Quare quemadmodum recedunt à perfecta ſimilitudine, ita etiam à ratione perfectæ imaginis. Spiritus ſanctus autem, licèt in re accipiat à ſuo principio ſimilitudinem in eadem numero natura, immo & fortaſſe vi originis ſuæ illam habeat ſecundùm eſſe naturale; non tamen penes eſſe intelligibile: quia ſicuti non procedit per intellectum, ſed per voluntatem, ita etiam nec procedit vt Verbum perfectiſsimum, cuius proprium eſt procedere tanquam pleniſsimè exprimens totum ſuum prototypum, tam in eſſe naturali, quàm intelligibili. Vnde ſolus Filius, qui ſic oritur, procedit tanquam perfectiſsima Patris imago.

20 INSTABIS. Filius in creatis eſt perfecta imago patris, quoniam vi ſuæ originis accipit ab illo ſimilitudinem realem in natura, quamvis non accipiat ſimilitudinem intelligibilem. Neque enim opus eſt in eo ad perfectam rationem imaginis, vt quæcumque ſunt in memoria patris generantis, cogitationeve, ſint pariter in filio vi generationis ſuæ. Quin potiùs filius in creatis dum à patre procedit, nullius rei cognitionem habet. Ergo ſuppoſitâ, aut permiſsâ ſententiâ, quæ docet, Spiritum ſanctum ex vi proceſsionis evadere ſimilem in natura ſuo principio, competet ipſi ratio perfectæ imaginis, quamquam vi originis non accipiat ſimilitudinem intelligibilem. Igitur ratio perfectæ imaginis non eſt propria Filij, ſed communis etiam Spiritui ſancto.

21 SED Contrà. In creatis enim filius non procedit per intellectum, ſed per po-

ten

ſentiam generativam, quæ prorſus materialis eſt, & proinde nullam termino genito ſimilitudinem intelligibilem, ſed naturalem & materialem dumtaxat communicare poteſt. Vnde filius in creatis eſt perfecta imago patris, ea perfectione ſola, quæ congruit naturæ materiali, quamvis ex ſpiritu & corpore conſtitutæ. In divinis autem omnia alia inveniuntur. Filius enim Dei procedit per intellectum perfectiſsimum, qui ex propria ratione debet aſsimilare perfectiſsimè terminum ſuo principio. Quare aut ex vi ſua, & quatenus differt à voluntate divina, habet aſsimilare in eâdem numero natura, ac proinde parere in ſolo Filio perfectam imaginem Patris: aut ſi, iuxta opinionem ſuppoſitam in obiectione, non habet id ex propria ratione, ſed ex communi ſibi ac voluntati divinæ, certè id proprium & peculiare habet, vt producat terminum intelligibiliter ſimilem ſuo obiecto. Solus enim intellectus ex ratione ſpecifica habet exprimere verbum repræſentativũ obiecti: ac proinde intellectus ſummè perfectus, qualis eſt divinus, habet ſolus ex ſua veluti ſpecie ac ratione formali producere terminum perfectè ſimile ſuo obiecto, ſive principio, in eſſe intelligibili. Ergo & ſolus intellectus divinus ex ſua quaſi ſpecie & ratione formali habet producere imaginem perfectam generantis in ſolo Filio.

22 ITAQVE, Vt rem clariùs ediſſeramus, poteſt hoc explanari, vel iuxta ſententiam docentium, intellectum divinum habere ex differentia propria aſsimilare perfectiſsimè, & in eâdem numero natura cum principio intelligente; ideoque ſolum Verbum procedere vt Filium: aut iuxta oppoſitam, quæ docet, aſsimilare terminum principio in eâdem numero natura eſſe aliquid commune intellectui & voluntati divinæ, atque adeò diſcrimen proceſsionis Verbi à proceſsione Spiritûs ſancti, aliunde petendum eſſe. Si loquamur iuxta priorem illam ſententiam, quam Thomiſtæ frequenter tradunt, patet ſoli Filio vi proceſsionis competere propriam rationem imaginis: quia ſolus ille ex vi proceſsionis accipit ſimilitudinem in eâdem numero natura; Spiritus ſanctus autem non habet illam vi proceſsionis, ſed identicè ſolùm, cùm procedat per voluntatem, quæ ex ſe non habet aſsimilare, ſed inclinare ſolùm. Si autem ſupponatur poſterior ſententia plurium aliorum, conſequenter ſupponendum eſt, vim aſsimilandi in eadem numero natura eſſe rationem communem, & quaſi genericam intellectui ac voluntati divinæ. Verùm adhuc eo ſtatuto, intellectus divinus ex propria & quaſi ſpecifica ratione, ſicuti habet exprimere Verbum perfectiſsimum, ita & aſsimilare illud perfectiſsimè ſuo principio & obiecto in eſſe intelligibili. Neque enim id competit vllo modo divinæ voluntati, quæ ſicut in ſenſu formali non habet cognoſcere, ita nec exprimere verbum, nec aſsimilare terminum principio aut obiecto in eſſe intelligibili. Cùm igitur imago ſummè perfecta debeat repræſentare prototypum ſuum pleniſsimè & perfectiſsimè, atque adeò non ſolùm ſecundùm rationem quaſi cõmunem in eſſe naturali, ſed etiam penes peculiarem, ac propriam in eſſe intelligibili; conſequens eſt, vt ſolus Filius, cui ex vi originis ſuæ competit ea repræſentatio adæquata & pleniſsima, procedat veluti perfecta & omnibus numeris abſoluta imago. Sed de hoc infrà vberiùs erit ſermo in cap. 55.

SECTIO QVARTA.

Argumenta in oppoſitum ſoluta. Vbi an Filio conueniat ratio Imaginis vi proprietatis perſonalis, an potiùs vi eſſentiæ communis.

23 OPPONIT I. Durandus. Ratio propria imaginis exigit in ea, vt ſit producta ad imitationem alterius, vt obſervat Auguſtinus lib. 83. QQ. quæſt. 74. Atqui nulla perſona divina, ne quidem Filij, eſt producta ad alterius imitationem. Ergo nulla perſona divina, ne quidem Filij, eſt propriè imago. Minor, in qua ſola eſt diſsidium, probatur: Vbi enim eſt vera identitas, nulla imitatio eſſe poteſt. Hæc enim exigit diſtinctionem ſecundùm id, in quo eſt imitatio. Atqui inter omnes perſonas divinas eſt ſumma identitas ratione naturæ: aliunde verò penes proprietates relativas, quibus differunt, nulla imitatio eſſe poteſt. Ergo nulla perſona divina, ne quidem Filij, eſt producta ad imitationem alterius.

24 RESP. Negando minorem. Ad probationem diſtinguo maiorem. Vbi eſt vera identitas ſola, non poteſt eſſe vera imitatio, concedo: vbi eſt vera identitas, & præterea diſtinctio, nego. Quamvis autem perſonæ divinę habeant ſummam identitatem in natura, cùm aliunde differant proprietatibus relativis, poteſt vna imitari alteram, à qua procedit: non quidem imitatione cadente ſupra proprietatem relativam, ſed ſupra eſſentiam communem, veluti rationem formalem, penes quam perſona producta imitatur perſonam producentem. Sic etiã Filius eſt verè ſimilis Patri, non ſecundùm ſuã hypoſtaſim relativam, ſed penes eſſentiam, quãvis in vtroque ſit vna & eadem: cùm tamen ſimilitudo debeat verſari inter extrema diſtincta. Sicuti ergo perſona Filij diſtincta à perſona Patris eſt ipſi ſimilis penes eandem numero naturam, quam à Patre accipit: ita etiam eadem

Filij

Filij perſona imitatur perſonam Patris diſtinctam; verùm imitatur illam penes eandem numero, quam accipit ab ipſo, naturam.

25 OPPONIT II. Omnis propria imago debet procedere ab exemplari prægnito: cùm ſit expreſſa ad ſuum prototypum repræſentandum. Atqui nulla perſona divina, ne Filij quidem, procedit ab exemplari prægnito. Ergo nulla perſona divina eſt alterius propria imago. Minor probatur. Quidquid procedit ab exemplari prægnito, dependet ab illo in ſuo eſſe: ideoque creaturæ omnes dependent ab ideis divinis, ſive à Deo, vt cauſa exemplari. Eſtque de ratione exemplaris prægniti aliquis exceſſus, & cauſalitas ſuprà imaginem, veluti effectum ab ipſo pendentem. Atqui nulla perſona divina dependet ab alterâ, vel eſt inferior relatè ad illam. Nulla ergo procedit ab exemplari prægnito.

26 RESPONDENT Aliqui diſtinguendo maiorem, & concedendo illam de imagine intellectuali & artificiali; negando autem de naturali, qualis eſt generatim filius relatè ad patrem, à quo procedit velut imago, etiam nihil cogitante aut intelligente aliquod exemplar. Vnde quamvis Filius in divinis non procedat ab exemplari prægnito, adhuc eſt imago naturalis.

27 SED Enim doctrina huius ſolutionis non ſatis occurrit argumento: nam Filius Dei non eſt imago ſolùm naturalis, ſed etiam intellectualis Patris, ac proinde procedere debet ab exemplari prægnito, ſeu potiùs ex illius cognitione. Quo ſenſu negatur minor argumenti. Ad probationem dico, quidquid procedit ex cognitione exemplaris, dependere ab illo, ſi ratio formalis, penes quam eſt exemplar, ſit alia omnino ab eo quod procedit; non autem ſi eadem. Porrò ratio formalis, quâ Pater æternus eſt exemplar & prototypus Filij, eſt natura divina vtrique communis, & eadem numero in ambobus, & cum vtroque eorum veram identitatem habens. Vnde non poteſt Filius dependere, ſicuti nec eſſe inferior Patre, ſecundùm naturam divinam; ſed æqualis, immo idem. Secus verò accidit in creaturis, quarum perfectio & natura eſt alia omnino & inferior divino exemplari, atque ideis in mente Dei exiſtentibus: ideoque nihil mirum quòd ab eo dependeant, ſicuti omnis creata imago à ſuo prototypo, ſive exemplari.

28 OPONES III. Si in divinis eſſet propria ratio imaginis in aliqua perſona, aut conveniret ipſi ratione alicuius prædicati communis, aut peculiaris. Non primum: tum quia imago debet reipſa procedere ab eo, cuius eſt imago, vt ſupra vidimus; nullum autem prædicatum commune in divinis procedit reipſa ab aliquo, ſed eſt prorſus improductum: tum præterea, quia ſic omnibus divinis perſonis competeret ratio propria imaginis. quod eſt planè abſurdum. Nec etiam ſecundùm: quia de ratione imaginis propriæ eſt ſimilitudo, & quidem plena, ad id, cuius imago eſt. Atqui in divinis nulla perſona ſecundùm prædicata peculiaria eſt ſimilis alteri perſonæ, ſed potiùs differt ab alijs duabus. Ergo in divinis nulla perſona ſecundùm prædicata peculiaria eſt imago alterius perſonæ.

29 PROPTER Hanc difficilem obiectionem Theologi diviſi ſunt in alios atque alios dicendi modos. Quidam volunt, Filium eſſe imaginem Patris ratione ſolius eſſentiæ, quamvis connotata proprietate perſonali. Ita Alenſis 1. par. quæſt. 61 memb. 2. art. 1. & 2. cui conſentire videntur Zumel 1. par. q. 35. & Granado 1 p. tract. 9. diſp. 11. ſect. 3. Ducuntur exinde, quòd imago iuxta definitionem Auguſtini importat ſimilitudinem ad ſuum prototypum. Verbum autem non importat ſimilitudinem ad Patrem ratione proprietatis perſonalis, cùm in eâ potiùs differat; ſed ratione eſſentiæ, in qua convenit & vnitatem cum eo habet.

30 VERVM Iuxta hunc dicendi modum tota formalis ratio imaginis in Verbo eſſet abſoluta, quamvis connotans aliquid relativum: ſicuti tota ratio formalis eſſentiæ eſt abſoluta in Deo, licèt connotet relationes. Conſequens autem eſt contrarium Patribus, qui docent rationem imaginis eſſe relativam in Verbo. Auguſtinus enim lib. 7. de Trinitate cap. 1. ait: ✠ Quid autem abſurdius, quàm imaginem ad ſe dici? ✠ Hilarius libro de Synodis ad 1. Anathema Synodi Ancyranæ: ✠ Neque enim, inquit, ipſa ſibi quiſquam imago eſt, ſed eum, cuius imago eſt, neceſſe eſt vt imago demonſtret. Imago itaque eſt rei ad rem coæquandæ imaginata & indiſcreta ſimilitudo. ✠ Denique Anſelmus luculenter infrà cap. 38. aliàs 37. ✠ Verbum namque hoc ipſum, quod eſt imago, ad alterum eſt: quia non, niſi alicuius Verbum eſt aut imago. Deinde idipſum patet: quia, vt ſuprà vidimus ex communi ſenſu Patrum, in ipſa formali ratione Verbi claudituꝛ, vt procedat, ſeu originem ducat à dicente. Atqui eſſentia divina non procedit, ſeu non ducit originem à dicente, neque à quoquam alio. Ergo Verbum divinum in ſua ratione formali claudit aliquid præter eſſentiam. Itaque non ſufficit in Verbo ad rationem propriæ imaginis quòd in obliquo importet proprietatem perſonalem, ſed opus eſt vt in recto illam exprimat, vt vi illius directè producatur à ſuo prototypo, ſive exemplari.

31 ALII Autem volunt totam rationem formalem imaginis eſſe relativam, ideo-

que

que Verbo convenire ratione solius proprietatis personalis. Ita Bonaventura in 1. dist. 31. p. 2. ar. 1. & 2. ad vltimum, & Aureolus dist. 27. p. 2. ar. 3. Niuntur testimonio Augustini 5. de Trinit. cap. 13. vbi docet, eodem modo dici relativè imaginem, ac Filium. Cùm ergo Filius dicatur relativè solùm ratione proprietatis personalis, sic etiam imago.

32 CÆTERVM Hic dicendi modus facilè refellitur. Nam, vt Patres allegati num. 15. 16. & 17. observant, ipsaque notio propria imaginis exigit, similitudo & repræsentatio expressa prototypi pertinet ad rationem formalem imaginis: vtpote, quæ ab Augustino lib. 83. QQ quæst. 74. definitur, *perfecta similitudo ad suum prototypum significãdum expressa*. Atqui similitudo & repræsentatio prototypi convenit Filio vnicè aut potiùs ratione essentiæ, quâ est vnus cum prototypo, quàm ratione proprietatis personalis, quâ differt ab eo, vt patet. Ergo ratio propria imaginis in Verbo importat essentiam directè, & penes suum constitutivum formale.

33 QVARE Melius dici potest cum alijs, quos sequuntur Suarez lib. 9. de Trinitat. cap. 9. Vazquez 1. part. disput 145. cap. vlt. & Amicus tom. 1 disp. 26. sect. 6 num. 211. Verbo convenire in sensu formali conceptum imaginis, tum ratione essentiæ, tum etiam proprietatis personalis. Ratio deducitur ex traditis sect. 1. quoniam imago propriè dicta ex sua ratione formali importat duo: alterum est origo à prototypo, alterum similitudo & expressa repræsentatio illius. Ergo Verbum divinum, quatenus constituitur in ratione imaginis, importat in sensu formali, tum passivam originem à prototypo, tum similitudinem & repræsentationem illius. Atqui passiva origo Verbi à prototypo convenit ipsi ratione proprietatis personalis; similitudo autem & repræsentatio ratione essentiæ, vt cuius est perfectè simile prototypo, seu principio producenti. Ergo Verbum quatenus imago importat in sua ratione formali, tum proprietatem personalem, tum essentiam divinam.

34 NEQVE Obstat locus ille Augustini cui innituntur Bonaventura & Aureolus. nam S. Doctor ibidem non ait, imaginem dici relativè eodem modo, ac Filium. Quippe verba illius sunt: *Relatiuè dicitur Filius: relatiuè dicitur & imago.* Hinc autem solùm colligitur, imaginem in suo conceptu includere relationem producti ad producens, eamque indistinctam ab ipsa relatione Filij ad Patrem. Verùm cum hoc cohæret, eiusmodi relationem aliter importari à Verbo prout est Filius, aliter prout est imago. Etenim quatenus Filius est, principaliùs importat proprietatem personalem filiationis, quâ vltimò constituitur, & minùs principaliter essentiam, in qua convenit cum alijs personis. quatenus imago autem principaliùs importat similitudinem adæquatam ad prototypum suum, prouenientem ab essentia, & minùs principaliter originem ab illo.

35 DICES In gratiam opinionis Bonaventuræ & Aureoli. Imago est apparentia obiectiva rei, ad id ordinata ex conditione suæ originis. Quidquid enim vi suæ originis facit aliud apparere, est illius imago. Atqui Verbum ratione proprietatis personalis facit apparere Patrem, seu est apparentia obiectiva Patris, vi originis suæ, & quatenus distinguitur à Spiritu sancto. Ergo Verbum per proprietatem personalem constituitur formaliter in ratione imaginis. AVGETVR Difficultas: Verbum enim non est imago Patris ratione essentiæ absolutè, cùm penes illam non distinguatur à Patre: sed ratione solius obiectivæ apparentiæ, veluti proprietatis personalis Verbo ipsi conuenientis vi suæ originis & peculiaris modi procedendi. Sic etiam quælibet res posita in esse obiectivo apparenti non est imago rei existentis in seipsa vi alicuius prædicati absoluti, aut communis vtriquè: sed vi solius apparentiæ obiectivæ, quâ distinguitur à re existente in seipsa. Rosa enim in mente existens solùm ratione obiectivæ apparentiæ est imago, & distinguitur à rosa existente in re, nam alioqui est idem cum ipsa. Ergo similiter Verbum relatè ad Patrem.

36 RESP. Distinguendo minorem: Verbum ratione personalis proprietatis solius facit apparere Patrem, nego: ratione illius, & præterea ac principaliùs ratione essentiæ communis concedo minorem: & distinguo consequens iuxta eundem sensum. Itaque Verbo conuenit ratio imaginis vi suæ originis, & prout distinguitur à Spiritu sancto: quoniam ex vi processionis suæ accipit non solùm proprietatem personalem filiationis, sed præterea naturam eandem numero, vt rationem formalem assimilandi plenissimè, & repræsentandi suum prototypum: ex quo duplici conceptu coalescit obiectiva apparentia, quâ facit apparere Patrem. Ad argumentum verò difficultatis negatur antecedens: quia licèt sit necessum vt imago distinguatur reipsa à prototypo, vtpote procedens ab illo, non tamen necessum est vt distinguatur in ea ratione formali, penes quam importat similitudinem, si sit imago perfectissima, qualiter in diuinis; sed tantùm sit imago finita aut imperfecta, qualiter in creatis. Deinde falsò assumitur in probatione, quamlibet rem positam in esse obiectivo apparenti non esse imaginem rei existentis in seipsa vi alicuius prædicati absoluti. Nam, vt patet in exemplo ipso rosæ, prout existentis in mente, prædicatum

ali-

aliquod qualitatis abſolutæ eſt, quo repræſentat roſam exiſtentem in re; quamvis ab ea diſtinctum reipſa, quoniam eſt imago finita & creata, quæ nequit aſsimilari ſuo obiecto aut prototypo in eadem numero perfectione aut ratione formali. Hoc enim ſolùm invenitur in Deo, vbi imago eſt eiuſdem numero naturæ cum ſuo prototypo aut exemplari.

37 ITAQVE Quemadmodum in creatis imago debet quidem eſſe diſtincta ab exemplari, veluti ab ipſo orta, ſed tamen principaliter attenditur ex ratione illa, ſeu forma, penes quam aſsimilatur proto ypo:ita in divinis opus quidem eſt vt imago diſtinguatur â prototypo, veluti ab ipſo procedens, ſed tamen præcipuè attenditur penes formam ſeu naturam divinam, in quâ ſolâ Verbum eſt perfectè ſimile Patri. Qua comparatione, ſeu exemplo vtitur Baſilius Magnus lib. de Spiritu ſancto cap. 18. allegatus à Damaſceno lib. 1. de Imaginibus, maximè è re noſtra, dum ait: *Quod itaque ratione imitationis hîc eſt imago, illic naturaliter eſt Filius. Et quemadmodum in rebus, quæ arte conſtant, in ipſa forma ſita eſt ſimilitudo: ſic in divina & compoſitionis experte natura, in divinitatis communione copulatio conſiſtit.* Idem Damaſcenus Orat. 3 de Imaginibus ait: ἐστὶ μὲν ὁ υἱὸς εἰκὼν τοῦ πατρὸς φύσει, &c. *Eſt quidem Filius imago naiua & nulla re diſcrepans Patris, per omnia ei ſimilis, excepta Ingeniti proprietate, & paternitate.* Vbi planè totam ſimilitudinem, quæ eſt Filio Dei ad Patrem, tribuit ipſi, non ſecundùm proprietatem perſonalem, ſed penes naturam communem. Quare hæc nequit non ingredi ad rationem formalem imaginis, quæ ſanè in ſimilitudine ad prototypum ſita eſt. Similiter Cyrillus Alexandrinus lib. 12. Theſauri ait de Filio: ἀνάγκη φέρειν τὴν ὁμοιότητα κατὰ μόνης τῆς οὐσίας, καὶ τὰ τῆς φύσεως χαρακτῆρας. *Neceſſe eſt ſolius eſſentiæ ſimilitudinem ferre in ſe, & naturæ characteres.* Præterea Hilarius lib 11. de Trinit. Filium Dei appellat, *Viuentis Dei viuam imaginem, & beatæ naturæ pleniſsimam formam, & innaſcibilis ſubſtantiæ vnigenitam natiuitatem. quæ niſi perfectam paternæ beatitudinis habeat formam, & abſolutam naturæ totius referat ſpeciem, non eſt in imaginis veritate* Vbi potiſsimam imaginis rationem ſitam ait in ſimilitudine penes formam divinitatis. Denique Ambroſius idipſum tradit multis locis, præſertim lib. 3. de Fide cap. 7. d cens: *De ſubſtantia autem, Imperator Auguſte, quid loquar vnius Filium cum Patre eſſe ſubſtantiæ; cùm imaginem paternæ ſubſtantiæ Filium legerimus: vt in nullo ſecundùm diuinitatem à Patre inuelligas diſcrepare.* Quibus luculenter docet, imaginem Patris in Filio Dei poſsimùm attendi penes ſimilitudinem, ſive vnitatem ſubſtantiæ, quæ eſt ipſa natura divina.

38 OPPONES IV. Si Filius eſſet propriè imago Patris, maximè quia procedit ex cognitione ipſius. Atqui etiam procedit ex ſui ipſius, & Spiritûs ſancti cognitione, immò & creaturarum poſsibilium; nec tamen ideo aut imago ſui eſt, aut Spiritûs ſancti, aut poſsibilium creaturarum. Ergo nec Patris imago eſt propriè loquendo.

39 RESP. Rationem cur Filius ſit propriè imago Patris, non in eo ſolùm ſitam eſſe, quòd ex illius cognitione procedat. nam, vt optimè aſſumitur in obiectione, non eſt imago ſui, nec Spiritûs ſancti, cùm tamen procedat per ſe ex cognitione amborum. Ratio itaque adæquata cur Patris imago ſit, in eo ſita eſt, quòd procedat ab ipſo, & vi originis ſuæ accipiat ab eo perfectiſsimam in natura ſimilitudinem. Vtrumque enim horum importatur in cõceptu eſſentiali imaginis. Cæterum nec à ſeipſo, nec à Spiritu ſancto, nec à creaturis poſsibilibus oritur, vel accipit ſimilitudinem in natura, quamvis ex eorum omnium notitia procedat per ſe: vt dictum eſt ſæpe in ſuperioribus. Vnde nec ſui, nec cæterorum imago eſt, ſed ſolius Patris.

40 OBSERVANDVM Autem eſt (iuxta ſententiam quæ docet, proceſsionem Verbi, prout diſtinctam à proceſsione Spiritûs ſancti, eſſe communicationem naturæ in ſimilitudinẽ naturalem & intentionalem ſimul) Verbũ eſſe imaginem Patris, non modò quatenus habentis eſſentiam in vi naturæ, & paternitatem in vi hypoſtaſeos, aut originis activæ: ſed etiam quatenus habentis naturam, paternitatem, & reliqua omnia prædicata, in ratione obiecti intelligibilis. Etenim Verbum non modò repræſentat naturaliter Patrem vi eiuſdem numero naturæ, quam per generationem accipit; ſed etiam intelligibiliter per intellectionem, quam accipit etiam ab illo ex vi proceſsionis. Ergo non ſolùm eſt imago Patris prout habentis eſſentiã in vi naturæ, & paternitatem ſub munere hypoſtaſis, vel originis activæ: ſed etiam quatenus habentis ea omnia intelligibiliter. Quapropter Verbum non ratione ſolius naturæ, ſed etiam intellectionis, repræſentat perfectiſsimè Patrem, id eſt, tam in eſſe naturali, quàm intelligibili. Nam ad rationem propriæ & perfectæ imaginis non ſufficit oriri à principio cum ſimilitudine in eſſe naturali. Hanc enim, in ea ſententia, habet Spiritus ſanctus ex vi proceſsionis: nec tamen eſt vera & propria imago Patris. Vt igitur Filius, quatenus diſtinctus à Spiritu ſancto, vi peculiaris originis ſuæ procedat vt imago, debet per illam oriri ſimilis tam intelligi-

telligibiliter, quàm naturaliter: ac proinde ex vi proceſsionis ſuæ debet accipere à Patre non ſolùm eſſentiam, vt natura eſt, & reliqua prædicata communia penes eſſe naturale ipſorum; ſed etiam ſecundùm eſſe obiectivum vel intelligibile. Ex vtraque enim ſimilitudine coaleſcit indiviſum ratio imaginis in Deo nec altera abſque altera ſufficit ad rationem imaginis propriam & perfectiſsimam; id eſt, tam intentionalem, quàm naturalem.

41 INSTABIS, Suppoſita ea opinione, adhuc nequit Verbum eſſe imago intentionalis, ſed naturalis dumtaxat. Imago enim intentionalis, prout diſtincta à naturali, debet procedere ab exemplari præcognito. Spectat enim exemplar, veluti principium intentionaliter movens media cognitione. Atqui Verbum non producitur ab exemplari præcognito. Non enim producitur à Patre, veluti obiecto intentionaliter movente, ſed tanquam à perſona naturaliter operante. Ergo Verbum non eſt imago intentionalis Patris.

42 RESP. Imaginem intentionalem exigere quidem vt procedat ab exemplari præcognito, veluti expreſſa ad ipſum repræſentandum. Non tamen ideo produci debet ab eodem exemplari intentionaliter movente: ſed ſatis eſt ſi ab illo præcognito accipiat formam, qua intentionaliter illud repræſentet, ſimulque paſſivam originem, vtcumque illam habeat, ſive tanquam à ſuppoſito operante ſolùm, ſive præterea tanquam ab obiecto intentionaliter movente. Imago enim intentionalis ex ſua ratione formali ſolùm importat ſimilitudinem intentionalem ab exemplari præcognito procedentem, & expreſſam ad illud repræſentandum; ſive illam accipiat per communicationem, ſive per productionem, ſive tanquam ab obiecto intentionaliter movente, ſive non. Origo autem imaginis ab exemplari exigitur omnino: quoniam inter illam & exemplar debet eſſe ordo realis termini ac principij, vt ſatis ſuprà dictum eſt. Cùm igitur Verbũ divinum vi originis ſuæ accipiat à Patre ſimilitudinem intentionalem ad ipſum exprimendum, ſeu manifeſtandum, quæ eſt intellectio ſibi communicata; conſequens eſt vt ſit imago intentionalis ſui exemplaris, & non ſolùm imago naturalis.

43 VRGEBIS. Ergo Spiritus ſanctus eſt propriè imago naturalis, quamvis non intentionalis: quia iuxta illam opinionem accipit vi proceſsionis naturam, quamvis non accipiat intellectionem. RESP. negando cõſequentiam, iuxta dicta num 22. Quia imago propriè dicta ex ſua ratione formali debet procedere tanquam expreſsiva totius exemplaris. Quamvis autem Spiritus ſanctus in ea opinione procedat ſimilis in naturâ, non tamen veluti expreſsio totius exemplaris. Non enim manifeſtat illud ſecundùm eſſe intentionale, ſed naturale tantùm. Et licèt in rebus materialibus ad rationem imaginis naturalis ſufficiat eiuſmodi ſimilitudo ad manifeſtatio relatè ad exemplar; in re tamen ſummè ſpirituali, qualis eſt perfectio & intellectualitas divina, exigitur præterea ſimilitudo intentionalis ex vi originis: quoniam non addita illa non datur perfecta adæquatio cum exemplari. Vnde vtraque ſimilitudo & expreſſio debet concurrere ad rationem propriæ imaginis in divinis: ideoque nullatenus competit Spiritui ſancto, ſed Filio tantùm. Et hæc quidem iuxta eam opinionem dicta ſint, quam fusè examinabimus in progreſſu.

CAPVT XXXVII. Alias XXXVI.

Quòd quidquid ipſe eſt ad creaturam hoc ſit & Verbum eius: nec tamen ambo ſimul pluraliter.

44 VERVM Cùm manifeſtæ rationes ſuperiores doceant, ſummum ſpiritum per Verbum ſuum feciſſe omnia, nunquid non & ipſum Verbum fecit eadem omnia?

45 QVONIAM Enim illi eſt conſubſtantiale, cuius eſt Verbum, neceſſe eſt, vt ſit ſumma eſſentia. Summa autem eſſentia non eſt, niſi vna, quæ ſola creatrix, & ſolum principium eſt omnium quæ facta ſunt. Ipſa namque ſola fecit, non per aliud, quàm per ſe, omnia ex nihilo.

QVARE

46 QVARE Quæcumque ſummus ſpiritus facit, eadem & Verbum eius facit, & ſimiliter. Quidquid igitur ſummus ſpiritus eſt ad creaturam: hoc & Verbum eius eſt, & ſimiliter.

47 NEC Tamen ambo ſimul pluraliter, quia non ſunt plures creatrices ſummæ eſſentiæ. Sicut igitur ille Creator eſt rerum & principium; ſic & Verbum eius: nec tamen ſunt duo, ſed vnus Creator, & vnum principium.

SECTIO TERTIA.

SCHOLIA IN CAPVT XXXVII.

Exponitur littera capitis: & ſtatuitur doctrina Catholica contra varias hæreſes: oſtenditurque, Verbum omnia feciſſe, veluti conſubſtantiale Patri, & vnum atque idem cum illo principium rerum omnium creatarum. Corollaria quædam.

48 CVM Anſelmus ſuperiori capite indicaſſet, quàm incomprehenſibili modo Deus dicat & ſciat res à ſe factas, nunc quæſtionem excitat, an ſicuti Deus per Verbum fecit omnia (vt traditur initio Evangelij Ioannis) ita & Verbum ipſum omnia faciat.

49 *QVONIAM ENIM ILLI*, &c. Vt hanc controverſiam dirimat, præmittit quod iam ſæpe in præcedentibus tradidit contra Arianos, Verbum eſſe Patri Deo conſubſtantiale, ſive vnius atque eiuſdem numero ſubſtantiæ & eſſentiæ. Quod ipſum luculenter traditur in ſacris litteris, & in Concilio Nicæno explanatum fuit divino illo vocabulo τὸ ὁμοούσιος, quo ea hæreticorum perfidia iugulatur, vt non ſemel monuimus: vt propterea Liberius Papa Epiſt. 11. dixerit, fidem Catholicam fuiſſe *vi & nomine CONSVBSTANTIALIS comprehenſam, tanquam propugnaculum firmum & inexpugnabile, omneſq; impetus & nefarias peſtiferæ opinionis Arij machinas retudiſſe, repreſsiſſeque.* Vide ſuprà Diſp. LV. ſect. 3.

50 PRÆMITTIT Deinde, ſummam eſſentiam vnam eſſe, non plures. Quod eâdem ratione ac fide conſtat, quâ notum eſt, non plures vno deos eſſe. Idque demonſtratum ſupponit ex capite 4. vbi & nos in Scholijs ac Diſp. XIII. veritatem eandem latè explanavimus. Præmittit denique, ſummam illam & vnicam eſſentiam, eamque ſolam eſſe creatricem omnium rerum, quæ facta ſunt; & quæ non per aliud, ſed per ſeipſam, omnia protulerit in lucem ex nihilo. Quod pariter demonſtraverat S. Doctor ſuprà cap. 6. vbi poſt plures rationes propoſitas concludit: *Proculdubiò nihil apertius, quàm quòd illa ſumma eſſentia tantam rerum molem, tam numeroſam multitudinẽ, tam formosè formatam, tam ordinatè variatã, tam conuenienter diuerſam, ſola per ſeipſam produxit ex nihilo.* Vnde & nos in Commentarijs ad eum locum probavimus latè exiſtentiam creationis Diſp. XV. & præterea Diſput. XVI. ac duabus ſequentibus vim creandi eſſe ſolius Dei propriam, nec vlli creaturæ communicari poſſe.

51 *QVARE QVÆCVMQVE*, &c. Ex præmiſsis hactenus, colligit, quæcumque ſummus ſpiritus, ſive Deus facit, eadẽ quoque ab ipſius Verbo fieri; & qualicumque causalitatis genere ſe habet ille erga creaturas, eâdẽ quoque Verbum ad illas comparari. Quæ doctrina æquè Catholica eſt, ac præcedens: vtpotè expreſsè tradita ab ipſo Chriſto Ioannis 5. v. 19. vbi ait: *Non poteſt Filius à ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientẽ. Quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit.* Quibus verbis pariter diſsipatur Ariana hæreſis: quoniam ex ijs apertiſsimè habetur æqualitas Filij Dei cum Patre in operando, ac proinde in virtute activa, & natura. Nam quorum æqualitas indiviſa eſt in operatione, eorum quoque æqualitatem in virtute operatrice & natura eſſe, neceſſum eſt. Vnde Hilarius lib. 9. de Trinit. poſt medium ita alloquitur Arium, & quemlibet alium eius ſequacem: * Exprobra infirmitatem Dei Filio, adime quoque naturæ æqualitatem, ſi non quæcumque facit Pater, eadem & Filius facit ſimiliter: ſi diſcrimen aliquod paternæ virtutis atque operationis admittitur. * Ambroſius quoque lib. 4. de Fide ad Gratianum: Nec enim, ait, ſimiliter quiſquam poteſt facere idem opus, quod alius fecerit, niſi qui & inæqualitatem non habeat operationis, & naturæ eiuſdem habeat vnitatem. *

52 COLLIGIT Deinde, quidquid ſummus ſpiritus, ſive Pater, eſt ad creaturam; hoc etiam Verbum eſſe, ac ſimiliter. Nimirum, quacumque habitudine principij efficientis ſe habet Pater æternus ad creaturas; eâdem quoque

Verbum

Verbum ad illas comparari. Cùm enim ambo ſint eiuſdem naturæ & virtutis operatricis, nulla ratione poteſt Pater præ Filio comparari ad creaturas in ratione principij efficientis, quâ non compararetur ſimiliter Filius ſive Verbum. Eadem verò ratio eſt de notione vltimi finis: nâ ratio finis vltimi connexa eſt cum ratione primi principij efficientis. Vnde ſicuti Pater & Filius ſimiliter omnino ſe habent in vi principij efficientis, ita etiam ſub ratione finis vltimi.

53 *NEC TAMEN AMBO*, &c. Monet, Patrem ac Filium ita indiviſim ac ſimiliter eſſe principium efficiens rerum omnium creatarum, vt non ſint duo principia, nec duo Creatores, ſed vnum principium & vnus Creator. Quæ pariter doctrina eſt Catholica contra hæreſim inſanam eorum, qui induxerunt duo aut plura prima rerum principia, quales fuere Apelleiani, & Manichæi, & Gerdo, ac Marcion, refutati à nobis cum Anſelmo Tomo I. Diſp. XIII. præſertim num. 14. Itaque eâdem fide, quâ conſtat, non plures vno deos eſſe, conſtat pariter, non eſſe duo aut plura factarum rerum principia, ſed vnum; & hanc vnitatem primi principij non impediri trinitate perſonarum divinarum: quæ, licèt hypoſtaſibus differant, ſunt vnicum & primum principium rerum omnium. Vnde in Concilio Lateranenſi, prout habetur in cap. Firmiter de Summa Trinit. & Fide Cathol. Pater, Filius, & Spiritus ſanctus dicuntur *conſubſtantiales, coæquales, commnipotentes & coæterni: vnum vniuerſorum principium: Creator omnium viſibilium & inuiſibilium, ſpiritualium & corporalium*, &c.

54 TOTAM Verò doctrinam huius capitis ſic ferè redordiri poſſumus, & digerere. Summus ſpiritus, ſive Pater, per Verbum fecit omnia, quæcumque facta ſunt. Ergo & Verbum ipſum omnia fecit, quæcumque facta ſunt. Ergo Verbum ipſum eſt non factum. Alioqui ſe ipſum fecillet ſeipſum, quod manifeſtè repugnat. RVRSVS. Eo ipſo quod Verbum fecerit omnia, quæcumque facta ſunt; eius ſubſtantia eſt infecta, ac proinde eadem omnino cum ſubſtantia ſummi ſpiritus, ſive Patris. Subſtantia enim, ſive eſſentia divina, nequit eſſe duplex aut multiplex, ſed vnica, vt ſuo loco demonſtratum fuit. Si autem eſſentia eſt vna in ambobus, pariter potentia & virtus agendi, & actio debet eſſe vna: ac proinde quidquid Pater facit, idipſum Filius ſimiliter facit. Vnde & conſequens eſt, vt non ſint duo Creatores, & duo principia, ſed vnus Creator, & vnum principium: quoniam vnica eſſentia, potentia, & operatio indiviſa, nequit conſtituere plura principia, aut plures Creatores, ſed vnum.

55 HVC ſpectabat exponere cur & quomodo non dicatur in Deo pluraliter ratio primi principij, nec ratio Creatoris, quamvis perſonæ divinæ diſtinguantur. Sed hoc iam ſatis explicuimus & generatim Diſp. LVI. ſect. 3. vbi traditæ ſunt ex ſacris litteris & Patribus regulæ, iuxta quas conſtat quando in divinis, aut quatenus liceat, vel non liceat vti numero plurali. Verùm par eſt reponere illuſtre teſtimonium Cyrilli lib. 7. in Ioannem ad illa Chriſti verba: EGO ET PATER, VNVM SVMVS. Sic enim loquitur S. Doctor: * Vtrumque audi: VNVM, ET SVMVS: & à Charybdi & Scylla liberaberis. Quòd dicit, VNVM, liberat te ab Ario ſeparante Filium à ſubſtantia Patris. Quod dixit, SVMVS, liberat te à Sabellio confundente perſonas Patris & Filij ſine diſcretione. Si VNVM, non ergo diverſum. Si SVMVS, ergo Pater & Filius. * Ita colligit impræſenti. Si Pater & Filius ſunt VNVM in ſubſtantia, ac proinde in potentia, & actione: ergo non duo principia nec duo Creatores, ſed vnus. Si autem SVNT Pater & Filius: ergo perſonæ duæ.

56 EX Doctrina hactenus tradita refellitur obiter opinio Caroli Franciſci de Abra Tract. de Incarn. cap. 3. q. 3. aſſerentis, vnionem hypoſtaticam conſiſtere in ſpeciali influxu activo Verbi divini in naturam, ſive humanitatem aſſumptam. Refellitur, inquam, nam Verbum divinum nequit habere ſpecialem aliquam operationem ad extra, ſed ſolùm communem ſibi cum Patre & Spiritu ſancto: ſiquidem conſtat eâdem omnino naturâ, virtuteque operatrice, & cum ijs conſtituit vnicum principium omnium rerum factarum: vt hactenus ex ſacris litteris & Patribus oſtenſum eſt. Idque nominatim circa myſterium Incarnationis obſervat S. Ildephonſus lib. de Virginitate Mariæ prope initium, dum illam ita alloquitur: *Tota inuiſibiliter Trinitas conceptionem operabitur in te: ſola perſona Filij in corpore tuo naſcitura carnem aſſumet de te.* Itaque indiviſa & communis actio totius Trinitatis operata fuit Incarnationem, quamvis ſolus Filius carnẽ aſſumpſerit. Et certè id extorquent verba illa apud Ioannem cap. 5. ſuprà iam relata: *Non poteſt Filius à ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem. Quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit.* Ergo Verbum divinum erga naturam aſſumptam nequit exercere propriam & peculiarem actionem, ſed dumtaxat communem ſibi cum Patre.

57 COLLIGITVR Præterea (ſuppoſitâ ſententiâ ſatis frequenti, quæ docet obiectum concurrere activè intelligibiliter mediãte ſpecie ad cognitionem, & ſimiliter eſſentiam divi-

divinam in vi ſpeciei intelligibiliter activè cõcurrere ad ſui viſionem) nullatenus fieri poſſe, adhuc poteſtate abſoluta Dei, vt perſona vna divina videatur non visâ aliâ. Sic enim vna perſona ex ijs præ alia exerceret peculiarem actionem. quod repugnat pariter de actione ſeu concurſu activo intelligibili, ac phyſico: quoniam ſicuti potentia phyſicè operatrix, ſeu omnipotentia, eſt vna in tribus perſonis, ita etiam potentia ſeu virtus activa intelligibilis, nimirũ, ratio ſpeciei, eſt vnica & communis tribus. Ergo ſicuti eam ob cauſam nequit vna perſona præ alia exercere peculiarem influxum activum phyſicum, ita nec intelligibilem. Vide plura alia, quæ circa hoc præmiſimus ſuprà Diſput. LXVIII. ſect. 5. num. 66. & ſeqq.

CAPVT XXXVIII. Aliàs XXXVII.

Quòd dici non poſsit, quid duo ſint: quamvis neceſſe ſit eſſe duos.

58 STVDIOSE Itaque attendendum eſt quiddam, quod valde inſolitum aliis rebus, in ſummo ſpiritu & Verbo eius videtur evenire. Nam certum eſt, vnicuique ſingulatim, & vtriſque ſimul ineſſe quidquid ſunt in eſſentia, & quidquid ſunt ad creaturam: vt & ſingulatim perfectum ſit ambobus: & tamen pluralitatem non admittat in duobus. Licèt enim ſingulatim & ille perfectè ſit ſumma veritas, & Creator; & Verbũ eius ſit ſumma veritas, & Creator: non tamen ambo ſimul ſunt duæ veritates, aut duo Creatores.

59 SED Cùm hæc ita ſint; miro tamen modo apertiſsimum eſt, quia nec ille, cuius eſt Verbum, poteſt eſſe Verbum ſuum: nec Verbum poteſt eſſe iſte, cuius eſt Verbum: vt in eo quod ſignificat, vel quid ſint ſubſtantialiter, vel quid ſint ad creaturam, ſemper individuam teneant vnitatem.

60 IN Eo verò, quòd ille non eſt ex iſto, hoc autem eſt ex illo, ineffabilem admittunt pluralitatem, ineffabilem certè. Quamvis enim neceſsitas cogat, vt ſint duo: nullo tamen modo exprimi poteſt, quid duo ſunt. Nam & ſi fortè duo pares, aut aliquid aliud ſimiliter adinvicẽ poſſint dici: in his ipſis tamen relativis, ſi quæratur, quid ſit illud, de quo dicuntur, non poteſt dici pluraliter, quemadmodum dicuntur duæ pares lineæ, aut duo homines ſimiles.

61 QVIPPE Non ſunt duo pares ſpiritus, nec duo pares Creatores, nec duo *aliquid*, quod ſignificet eorum aut eſſentiam, aut habitudinem ad creaturam: ſed nec duo *aliquid*, quod deſignet propriam habitudinem alterius ad alterum: quia nec duo Verba, nec duæ imagines.

62 VERBVM Namque hoc ipſum quod Verbum eſt, aut imago, ad alterum eſt: quia non niſi alicuius Verbum eſt aut imago: & ſic propria ſunt hæc alterius, vt nequaquàm alteri coaptentur. Nam ille, cuius eſt Verbum, aut imago; nec imago, nec Verbum eſt.

CON-

63 CONSTAT Igitur quia exprimi non poteſt quid duo ſint, ſummus ſpiritus, & Verbum eius; quamvis quibuſdam ſingulorum proprietatibus cogantur eſſe duo. Etenim proprium vnius eſt, eſſe ex altero: & proprium alterius eſt, alterum eſſe ex illo.

SCHOLIA IN CAPVT XXXVII.

SECTIO SEXTA.

Illuſtratur doctrina capitis: & oſtenditur, in Patre & Filio non eſſe duas veritates, nec duos Creatores, nec duo aliquid, ſiue in eſſentia, ſiue per habitudinem ad creaturas, nec duos ſpiritus, nec duo Verba, aut imaginem duplicem.

64 SVMMA Capitis huius ſita eſt in admiratione eius myſterij, quod iam antea indicatum fuit in ſummo ſpiritu, ac Verbo eius. Nempe in alijs quibuslibet rebus, iuxta realem illarum diſtinctionem, diſtinguuntur eſſentiæ & perfectiones ipſarum, vt proinde dicantur plures eſſentiæ, plures naturæ, plures veritates. At verò, cùm ex præcedentibus conſtet, tam ſummo ſpiritui, quàm eius Verbo, ſive ſeorſim conſideratis, ſive coniunctim, ineſſe quidquid ſunt in eſſentia, & quidquid ſunt ad creaturam; & vnicuique eorum perfectè, atque ambobus ſimul; adhuc id nõ admittit in duobus pluralitatem. Ita enim vnuſquiſque eorum eſt ſumma veritas, & Creator, vt tamen ambo ſimul non ſint duæ veritates, aut duo Creatores. Hæc eſt ferè ſumma myſterij Trinitatis, vt in diſtinctis perſonis ſimul, ac ſeorſim in vnaquaque, eadem veritas, eſſentia, natura, idemque rerum omnium factarum Creator ſit; contra quàm in cæteris rebus cernitur, vbi pro varietate rerum & perſonarum, multiplicantur veritates, & eſſentiæ, & principia productiva quorumlibet effectuum.

65 ATQVE Imprimis, Patrem & Filium non eſſe duos Creatores rerum factarum, ſed vnum, iam oſtenſum eſt capite præcedenti, & in ipſius Scholijs num. 53. & ſeqq. Iam verò vtrumque ſimul non eſſe duas veritates, ſed vnam, conſtat pariter ex teſtimonijs aliorum Patrum, ac præſertim Auguſtini lib. 8. de Trinitate cap. 1. circa medium, vbi rem ſusè exponit; ac Boetij libro inſcripto, An Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus de diuinitate ſubſtantialiter prædicentur. Vbi circa medium libri ait: *Pater veritas eſt, Filius veritas eſt, Spiritus ſanctus veritas eſt: non tres veritates, ſed vna veritas.* Verùm ante ipſum Boetium id luculenter definierat S. Damaſus Papa in Synodo apud Theodoretum lib. 5. cap. 10. in Anathematiſmis ex interpretatione Tripartitæ, dicens: *Si quis non dixerit, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti vnam deitatem, poteſtatem, diuinitatem, virtutem, vnam gloriam, dominationem, imperium, vnam voluntatem, ET VERITATEM; anathema ſit.* Rationem verò eius doctrinæ aſsignabimus & tuebimur Diſputat. ſequenti ſect. 1. & 2.

66 *SED CVM HAEC ITA SINT*, &c. Augetur admiratio: quoniam cùm Pater & Verbum eius individuam habeant vnitatem, tam in ſubſtantia, quàm in ordine ad efficiendas creaturas; adhuc tamen ita diſtinguuntur, & quoddammodo opponuntur inter ſe, vt nec Pater, cuius eſt Verbum, poſſit eſſe Verbum ſuum: nec iſte, qui eſt Verbum, poſsit eſſe ille, cuius eſt Verbum. Cuius rei nullum in creaturis idoneum exemplum invenire licet, ſed omnia prorſus repugnantia. Vnde obiter refelluntur quicumque ex Theologis non lenire modo, ſed extenuare ſtudent veritatem huius myſterij prorſus inacceſſam, recurrentes ad exempla rerum creatarum, quæ ratione diſtinctionis virtualis ſubire poſsint in eadem entitate reali duo prædicata quaſi contradictoria in re. Quos propterea impugnavimus Tomo I. varijs locis, præſertim Diſput. XXVII. vbi propterea in ſolo Deo aſſeruimus diſtinctionem virtualem intrinſecam, vi cuius poſsit abſque contradictione ſubire ea prædicata.

67 *IN EO VERO QVOD ILLE*, &c. Docet, pluralitatem Verbi, & eius cuius eſt Verbum, in eo ſitam eſſe; quòd Verbum ſit ſeu oriatur ex illo; ille verò non oriatur ex Verbo. Verùm ſimul & iterum appellat *ineffabilem* eam pluralitatem: quoniam licèt neceſſum ſit profiteri, vt Verbum, & ille cuius eſt Verbum, ſint duo; nullatenus tamen exprimi poteſt, quid duo ſint. Nam quamvis fortaſſe dici poſsint duo pares, aut aliquid aliud ſimiliter ad invicem, id eſt, relativè (veluti duo ſuppoſita, aut duo ſubſiſtentes) in his tamen ipſis relativis ſi quæratur quid ſit illud, de quo dicuntur, non poteſt dici pluraliter, quemadmodum dicuntur plures pares lineæ, aut plures homines ſimiles. Nimirum, duæ pares lineæ ex toto diſtinguuntur, & duo homines ſimiles: quoniã in prioribus quantitas, & in poſterioribus humanitas, nõ eſt vna & eadẽ numero, ſed diſtincta & multiplicata;

In Patre autem & Filio, quamvis relativè diſtinguantur, natura & ſubſtantia eſt ſummè vna: ideoque pluraliter accipi non poteſt. Quare Athanaſius lib. de Decretis Nicenæ Synodi monet, τὸ οὐ καταμερίζειν χρὴ εἰς τρεῖς θεότητας τῶν θαυμαστὴν καὶ θείαν μονάδα. id eſt, *non oportere in tres deitates partiri admirabilem & diuinam vnitatẽ.* Et initio Orationis quintæ air, *Patrem, & Filium eſſe duos*; ſed tamen μονάδα τε θεότητος ἀδιαίρετον, *vnitatem diuinitatis indiuiſam.* Ac præterea eodem loco refellens Arianos, qui impugnabant Catholicos, quòd Patrem & Filium duo eſſe profiterentur, quaſi inde colligeretur, duos eſſe deos; ſic idem argumentum in illos regerit: *Si is, qui Patrem, & Filium, cognoſcit, duos aſſerit deos; conſequens eſt vt qui vnum dicit, tollat Filium, & Sabellium imitetur. Nam ſi ille, qui dicit duo, Gentiles ſequitur; igitur qui vnum dicit, Sabellium exprimit. At hoc minimè verum eſt, abſit. Sed quemadmodum qui Patrem & Filium profitetur duos, vnum dicit Deum: ſic qui vnum Deum dicit, duos intelligit: quoniam Pater & Filius diuinitate ſunt vnum; & quod ab ipſo procedens, neque ſectum ab eo, nec diuiſum. ſed inſeparabile ſit à Patre Verbũ.*

68 *QVIPPE NON SVNT DVO PARES SPIRITVS*, &c. Adhibet nominatim ea, quæ in diſtinctis perſonis nullam admittunt ſectionem, pluralitatemvè. Et imprimis air, non eſſe duos ſpiritus: quoniam eo vocabulo ſignificatur eſſentia ſive ſubſtantia ſpiritualis: in Patre autem & Filio eadem omnino ſubſtantia ſpiritualis, ſive eſſentia eſt. Subdit deinde, non eſſe duos pares Creatores: quoniam ſingulus quiſque, & ambo ſimul, ſunt vnum primum principium, & vnus Creator, non plures Creatores, vt in præcedenti capite oſtenſum eſt. Addit, Patrem & Filium *non eſſe duo aliquid, quod ſignificet eorum aut eſſentiam, aut habitudinem ad creaturam.* Ratio autem ne Pater & Filius ſint duo *aliquid*, vt ita loquamur, eſt duplex. Altera quia, vt obſervat S. Th. quæſt. 1. de Veritate art. 1. *aliquid* propriè ſumptum, ſecundùm etymon ſuum, ſignificat idem, ac *aliud quid*, ſeu aliâ quidditate conſtans. Cumque in diuinis non ſint plures quidditates, id eſt, eſſentiæ, ſed vna; non ſunt etiam plura *aliquid*, ſed vnum. Alteram rationem indicat idem S. Doctor q. 2 de Potentia ar. 5. & in cap. Ioannis 16. lect. 4. Quia *aliquid* vſurpatum ſimpliciter, ſignificat realitatem, non qualemcumque, ſed abſolutam. Sumitur enim quatenus differt ab eo, quod eſt *ad aliquid*: ac proinde vt abſolutum contra relativum. Cùm ergo in divinis nullum prædicatum abſolutum admittat pluralitatem, conſequens eſt, vt in divinis perſonis non ſint plura aliquid. Denique poteſt *aliquid* in Deo ſumi quatenus ſignificat habitudinem ad creaturam, vt loquitur Anſelmus. Nimirum, poteſt accipi *aliquid* prout in Deo ſignificat primum principium efficiens, aut creans, vel conſervãs res à ſe factas. Et nec ſub hac ratione admittit in Deo pluralitatem: cùm divinæ perſonæ ſint vnũ principium creaturarum, & vnus Creator: vt iã antè explanatum eſt. An verò *aliquid* vſurpatum per modum tranſcendentis multiplicetur in Deo, conſtabit ex dicendis Diſp. ſeq. ſect. 5.

69 SVBDIT Anſelmus ſtatim, ſummum ſpiritum, eiuſque Verbum, non eſſe *duo aliquid, quod deſignet propriam habitudinem alterius ad alterum: quia nec duo Verba, nec duæ imagines.* Nimirum, nulla aliqua denominatio relativa inter Patrem & Filium admittit pluralitatem homogeneam, ſive eiuſdem generis. Non enim ſunt duo genitores, vel geniti: nõ duo Patres, aut Filij: non duo Verba, aut imagines duæ: ſed quælibet earum denominationũ vnica eſt, & in altero ex duobus tantùm. nam eadem ratio & doctrina Catholica id evincit de duabus perſonis proportionaliter, ac de tribus, dum dicitur in Symbolo Athanaſij: *Vnus ergo Pater, non tres Patres: vnus Filius, non tres Filij: vnus Spiritus ſanctus, non tres Spiritus ſancti.* Quod verò ait S. Doctor, Verbum in divinis non duplex eſſe, ſed vnum, itemque vnicam imaginem; iam ſuprà in capitibus præcedentibus cum ipſo latiùs traditum fuit. Ideoque ille capiti trigeſimo tertio hanc epigraphã poſuit: *Quòd conſubſtantiali vno Verbo dicat ſe, & quod fecit.* Oſtenſumque eſt in hac ipſa Diſput. ſect. 2. & 3. rationem imaginis eſſe propriam ſolius Filij, etiã prout differt à Spiritu S.

70 *VERBVM NAMQVE HOC IPSVM, QVOD VERBVM EST, AD ALTERVM DICITVR*, &c. Concludit, rationẽ Verbi, ſicuti & imaginis, non eſſe abſolutã, ſed relativam, ſive *ad alterum*: quia cùm Verbum, & imago importet originem ab eo, cuius Verbum & imago eſt; ac præterea nulla res poſſit à ſeipſa oriri; conſequens eſt, vt nulla res ſit Verbum aut imago ſui, ſed alterius. Quod iam ſuprà ſect. 1. & 2. ſatis expoſuimus quoad rationem imaginis. Quoad rationem autem Verbi latè diſcuſſum fuit ſuprà Diſp. LXII per totam, nec repetere oportet. Subdit verò nunc S. Doctor, rationem Verbi, & imaginis, ſic eſſe propriam alterius ex duabus perſonis, nimirũ, Filij, vt nequaquam alteri coaptetur. Nam Pater, cuius ille eſt Verbum, nec Verbum nec imago eſt: cùm non oriatur ab altero: quod planè exigitur ad rationem imaginis.

71 *CONSTAT IGITVR*, &c. Ex doctrina totius capitis concludit, non ſatis explicari poſſe quid duo ſint ſummus ſpiritus & Verbum eius, *quãuis quibuſdã ſingularũ*

pro-

singulorum proprietatibus cogantur esse duo. Proprium enim est alteri eorum vt sit ex altero: & alterius proprium est, vt alter sit ex illo. Vbi assignat originem activam & passivam, veluti proprietates, quibus personæ Patris & Filij discernuntur. De quo latè infrà Disp. LXXX. sect. 1. præsertim num. 12. Verùm adhuc statuendis vniuscuiusque proprietatibus, quibus ad invicem discernuntur, non apparet quid duo sint? Non enim (vt resumamus singula) duæ veritates, aut duo Creatores, nec duo spiritus, nec duo *aliquid*, sive in essentia, sive per habitudinem ad creaturas: nec duo Verba, aut imagines. Superest autem vt ex traditis ab Anselmo in hisce duobus capitibus excitemus quasdam Disputationes opportunas.

DISPVTATIO LXXI

AN TRANSCENDENTIA PRÆDICATA ADMITTVNT REIPSA PLVRALITATEM IN DIVINIS PERSONIS.

SVPPONIMVS Ex traditis in superioribus iuxta doctrinam Catholicam, à Conciliis definitam, & sæpe obseruatam ab Anselmo, essentiam siue naturam diuinam esse prorsus vnam atque individuam in tribus personis reipsa distinctis: idemque est de omnibus attributis seu prædicatis omnino absolutis, quæ essentialia dicuntur. Nunc de quibusdam aliis differendum est, quæ non satis constat, an absoluta, an potius relatiua, censeri debeant. Ac primùm quidem tractare oportet de sex transcendentibus prædicatis, quæ sunt, Res, Ens, Verum, Bonum, Aliquid, Vnum: an pluralitatem veram admittant iuxta realem numerum trium personarum. Habet locum hæc controuersia apud Magistrum variis locis: sed præcipuè in 1. dist. 10. §. Sive enim, & dist. 25. §. Sciendum, & tribus sequentibus: ac dist. 27. & 28. vbi tractatur à Gabriele. & dist. 29. ac 33. vbi illam excitant Capreolus & Deza.

SECTIO PRIMA.

Præmissis quibusdam ex doctrina Catholica, à Patribus obseruata statuitur cum Anselmo, & Augustino, in diuinis esse tres res. Varia vsurpatio REI apud Patres.

2 PRÆMITTO I. Quoties res aliqua prorsus vna & simplicissima est, non debere illam significari, nisi vno & singulari vocabulo. Nam vt ait Ammonius in librum Porphyrij de quinque vocibus, *αἱ σημαντικαὶ φωναὶ, ἀπὸ τῶν ὀνομάτων εἰώθασι χωρίζειν τὰ πράγματα ἀπ' ἀλλήλων. Voces omnes aliquid significantes, & nomina ad id instituta sunt, vt res ipsas inuicem secernant.* Nimirum pluralitas numeri in vocibus significat pluralitatem rerum subiectarum. Quare quia nulla est pluralitas vera Deo in prædicatis, quæ vocant absoluta, siue essentialia, sicuti & nulla relativa oppositio; consequens est vt ea non admittant in vocibus aliquam numeri pluralitatem. Hinc illud Symboli S. Athanasij: * Sicut vnamquamque personam Deum ac Dominum confiteri Christiana veritate compellimur: ita tres Deos, aut Dominos dicere Catholica religione prohibemur. * Quia, scilicet, vnica in Deo est *σία*, sive essentia, & virtus dominatrix, à quarum priore Deus, sicuti & à posteriore Dominus dicitur. Vnde & in Anathematismo S. Damasi Papæ suprà laudato circa finem Disp. præcedentis dicitur: * Siquis non dixerit Patris, & Filij, & Spiritus sancti vnam deitatem, potestatem, diuinitatem, virtutem, vnam gloriam, dominationem, imperium, vnam voluntatem, & veritatem; anathema sit. * Eadem verò ratio est de cæteris attributis, vt sapientia, iustitia, misericordia, & alijs pluribus, quæ manifestè sunt essentialia, & absoluta.

3 PRÆMITTO II. Curandum maximè esse de diuinis rebus ita, non solùm sentire quoad vnitatem & pluralitatem, sed

& loquī, vt caveamus errores plurium ex infidelitate, tum Ethnicis, tum Iudæis, tum Hæreticis, qui in alios atque alios, & nonnunquam oppoſitos inſtar Scyllæ ac Charybdis, ſcopulos offenderunt, & miſerè naufragarunt. Itaque non ſolùm vitanda eſt omnis illa pluralitas, ex qua colligitur multitudo Deorum ab Ethnicis conficta, aut diſtinctio perſonarum divinarum in eſſentia, qualem induxit Arius, & veteres ac novi eius ſectatores in ſuperioribus iam à nobis reiecti: ſed etiam fugienda eſt omnis illa vnitas, quæ è medio tollit veram diſtinctionem perſonarum à Sabellio negatam, & à Iudæis: qui Deum vnum ac ſolitarium æquè in perſona, ac in eſſentia, prædicant. Quam in rem aureum eſt illud Cyrilli lib. 7. in Ioannem ad illa verba Chriſti EGO ET PATER, VNVM SVMVS, iam alibi à nobis obſervatum: ✻ Vtrumque audi: VNVM, & SVMVS: & à Charybdi & Scylla liberaberis. Quod dicit VNVM, liberat te ab Ario ſeparante Filium à ſubſtantia Patris. Quod dicit SVMVS, liberat te à Sabellio confundente perſonas Patris & Filij ſine diſcretione. Si VNVM, non ergo diverſum. Si SVMVS, ergo Pater & Filius. ✻ Similiter Gregorius Nyſſenus Orat. 5. Catechetica, eius myſterij inacceſſiam veritatem in eo ſitam eſſe monet, ✻ quòd idem & ſub numerum cadit, & numerationem effugit: quodque & diviſim ſpectatur, & in vnitate comprehenditur: hypoſtaſi diſtinguitur, & ſubiecto non dividitur. Cumque rurſus aliud ſit illud, cuius eſt Verbum, & Spiritus; tamē quod diſtinctum in eis eſt cùm intellexeris naturæ vnitas participationem excludit. adeò vt neque monarchiæ dominatus ſcindatur in diverſas ſectus divinitates: neque cum Iudaico dogmate Catholica doctrina conſentiat: ſed inter duas opiniones mediâ viâ procedat veritas, quæ vtramque ſectam evertit, & ab vtraque quod vtile eſt colligit. Nam Iudaicum dogma deſtruitur tum eo, quòd Verbum admittitur, tum fide in Spiritum ſanctum. Gentilium autem de multiplicibus dijs aboletur error, quòd naturæ vnitas multorum deorū imaginationem auferat. Rurſus autem ex Iudaica opinione naturæ vnitas maneat: ex Gentili ſuperſtitione ſolum diſcrimen hypoſtaſeon: ita vt impio decreto congruum remedium vtrimque adhibeatur. Eſt enim velut quædam medicina, eorum quidem, qui in vno errant, trinitatis numerus: eorum verò, qui in multitudinem ſpargūtur, vnitatis ratio. ✻ Hæc ille, quæ nobis in locutionibus circa pluralitatem ac vnitatem divinorum, maximè obſervare oportet. Veniamus itaque ſingillatim ad prædicata tranſcendentia, & ſervatis ijs regulis videamus, an in divinis pluralitatem veram admittant.

4 DICENDVM I. In divinis eſſe tres res, iuxta numerum perſonarum: vnam verò ſecundùm eſſentiam. Ita Anſelmus lib. de Fide Trinitatis & Incarnatione Verbi, vbi inquit cap. 3. ✻ Nemo Chriſtianus confitetur, Patrem & Filium, ſecundùm hæc duo principia eſſe vnam rem, ſed duas. ✻ nimirum, paternitatem, & filiationem. Vnde poſtea ſubdit: ✻ In duabus rebus intelligendas eſſe duas relationes. ✻ Ac denique in toto ferè contextu eiuſdem capitis teſtatur, ✻ omnes Chriſtianos ſentire, perſonas divinas ſecundùm propria & perſonalia eſſe tres res; ſed ſecundùm eſſentiam eſſe vnam rem abſque ſeparatione aliqua, vel diviſione. ✻ Præiverat Anſelmo Auguſtinus lib. 1. de Doctrina Chriſtiana cap. 5. dicens: ✻ Res, quibus in cœlo fruemur, eſſe Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum. ✻ Idque videtur ſupponi in Concilio Remenſi ſub Calixto II. Papa. Nam in profeſsione Fidei dicitur: ✻ Credimus, ſolum Deum, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, æternum eſſe: nec aliquas omnino res (ſive relationes, ſive proprietates, vel vnitates dicantur) eſſe Deo, quæ ſint ab æterno, quæ nō ſint Deus. ✻ Vbi ſupponitur pluralitas rerum in divinis relationibus, proprietatibus, vel vnitatibus: additurque, nullam earum ab æterno exiſtere, quæ non ſit Deus, ſive eadem res cum Deo. Similiter in Actis Concilij Nicæni lib. 1. circa medium, Alexander Patriarcha Alexandrinus in Epiſt. ad Alexandrum Conſtantinop. ait, Patrem & Filium eſſe *duas res indiuiſas*. Vnde in hac Aſſertione conveniunt Scholaſtici, excepto Gregorio de Arimino in 1. diſtinct. 27. quæſt. vnica art. 2. vbi oppoſitum docet.

5 VERVM Vt id penitiùs intelligatur, obſervandum eſt, *rei* vocabulum apud Latinos, quod apud Græcos eſt χρῆμα, ſive πρᾶγμα, ſæpiùs vſurpari pro eſſentia, ſive vſia. Porrò in Epiſtola Synodica Romani Concilij à Damaſo Papa alijque Epiſcopis miſſa ad Illyricos, *Pater, & Filius vnius dicuntur eſſe diuinitatis, vnius virtutis, vnius rei* Græcè pro *vnius rei* habetur, ἑνὸς χρήματος. Similiter loquitur Gelaſius Cyzicenus in Actis Cōcilij Nicæni p. 2. c. 12 dum ait: *Simul autē exiſtit cū Patre Filioq; Spiritus ſanctus; qui eiuſdē eſt ſubſtantiæ, EIVSDEMQVE REI* (Græcè, καὶ τὸ αὐτὸ χρήματος) *cuius eſt Pater & Filius.* Quibus locis patet *rem* apud Latinos, ſicuti & χρῆμα apud Græcos, ſignificare vſiam, ſive eſſentiam: quæ in tribus perſonis eſt vna prorſus & individua. Eodem ſenſu Auguſtinus loco nuper allegato Trinitatem appellat *vnam quandam ſummam rem* Quo ſtylo vſus fuit Magiſter Sententiarum in 1. diſtinct. 33. & 34. atque ex ipſo Concilium Lateranenſe

ſub

ſub Innocentio III. in decreto Fidei: vbi contra errorem adſcriptum Abbati Ioachimo impugnanti eundem Magiſtrum, declaratur, *vnam quandam REM eſſe Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum.* Ac præterea, *quamlibet trium perſonarum eſſe illam REM*; *videlicet ſubſtantiam, eſſentiam, ſiue naturam diuinam.* Quapropter ſi rei vocabulũ accipiatur pro ſubſtantia, eſſentia, ſeu natura, certum fide eſt, in divinis non eſſe niſi vnam rem, ſicuti certum eſt, in Patre, Filio, ac Spiritu ſancto non eſſe, niſi vnam eſſentiam. Eoque ſenſu loquuntur Concilia & Patres locis nunc indicatis, atque Anſelmus loco paulo antè laudato, dum ait: * Hoc ergo modo nihil prohibet dicere duas perſonas, Patrem, & Filium, eſſe duas res: ſi tamen intelligatur cuiuſmodi ſunt res. Non enim ſic ſunt Pater & Filius duæ res, vt in his duabus rebus intelligatur eorum ſubſtantia, ſed eorum relationes.*

6 SED Tamen ſæpe rei vocabulum accipitur indifferenter à Patribus, ſive pro eſſentia, ſive pro perſonali proprietate: ac priori ſenſu aiunt, in divinis eſſe vnam rem ſummam, nimirum, vnam eſſentiam ſingularem & individuam: poſteriori verò eſſe tres res, iuxta numerum perſonarum. Id patet ex teſtimonijs Auguſtini & Anſelmi exſcriptis num. 4. & 5. vbi eſſentiam divinam appellant *vnam rem*; perſonas autem *tres res.* Similiter Ruſticus Diaconus in Diſputatione contra Acephalos ait: *Res & perſonam ſignificat, & naturam. Et vna igitur res Chriſtus, & duæ: magis verò ipſe quidem res vna eſt, quippe vt vna perſona: in duabus verò naturis agnoſcitur.* Apud Græcos quoque πρᾶγμα, modò pro natura, modò pro perſona vſurpatur: ideoque Theodorus Abucarà Opuſculo ſecundo ait, tam Deum eſſe πρᾶγμα, quàm tres hypoſtaſes eſſe τρία πράγματα, id eſt, *tres res.*

7 RATIO Autem cur *rei* vocabulum ſæpe vſurpetur pro natura, ſæpe etiam pro perſona, indicatur ab Anſelmo libro ſupra allegato & cap. 3. dum ait: * Solemus enim vſu dicere REM, quidquid aliquomodo dicimus eſſe aliquid. Qui autem dicit de Deo Patrem, aut Filium, aliquid de eo dicit: & omnes ſciunt, in Deo Patrem non eſſe Filium, & Filium non eſſe Patrem. * Itaque RES dicitur, quidquid verè eſt, ſive exiſtit in rerum natura; aut quidditatem ſuam habet independenter ab omni fictione intellectûs. Quod plenius exponit Sanct. Tho. in 1. diſt. 25. q. 1. art. 4. & maximè ad noſtrum inſtitutum, dum ait: * Quidditas, ſive forma, à qua ſumitur nomen REI in divinis, conſideratur dupliciter. Aut vt forma abſoluta, vt eſſentia, vel Deitas, & huiuſmodi, quæ non multiplicantur in divinis. Vnde & nomen REI, quod à tali forma ſumitur, pluraliter non prædicatur, ſed ſingulariter: prout dicitur quòd PATER ET FILIVS SVNT VNA RES. Eſt etiam in divinis quædam forma relativa vt paternitas, quæ ſecundùm rationem, non ſolùm in intellectu exiſtentem, ſed etiam ex rà, eſt alia à filiatione. Vnde ſecundùm quòd ab hac relatione ſumitur nomen REI, res pluraliter prædicatur, vt ſint ibi plures tales formæ relativæ. Et ſecundùm hoc dicimus quòd Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, SVNT TRES RES, non tantùm in anima, ſed etiam extra animam, habentes firmitatem in natura.*

8 VNDE Eruitur formula probationis. Res enim abſolutè & ſimpliciter loquendo importat realitatem quãdam ratam & firmam extra animam, vt loquuntur Metaphyſici: hoc eſt, non habentem ſuum eſſe purè obiectivè in intellectu, qualiter contingit entì rationis: ſed independenter ab omni fictione illius. Per hoc enim differt ens reale, quatenus reale, ab ente rationis. Atqui in divinis perſonis dantur tres realitates relativæ, ratæ & firmæ extra animam nimirum, tres hypoſtaſes verè & ante omnem intellectus fictionem conſtituentes totidem perſonas. Ergo in divinis perſonis dantur tres res. Quòd autem illæ ſint vna res ſecundùm eſſentiam, patet ex eodem principio: Quia res vſurpata pro eſſentia eſt ipſa eſſentia ratum & firmum eſſe habens extra animam: atque adeò non multiplicatur, niſi vbi eſſentia eſt multiplex. Atqui in tribus perſonis divinis eſſentia non eſt multiplex, ſed vnica & individua, vt fides docet. Ergo nec in tribus perſonis divinis eſt multiplex res vſurpata pro eſſentia, ſed vnica res & individua. Quapropter idem Angelicus Doctor alijs locis luculentiſsimè docet, in divinis perſonis eſſe tres res ſecundùm hypoſtaſes relativas, vnam verò rem ſecundùm eſſentiam, quæ prorſus abſoluta eſt. Etenim 1. part. quæſt. 39. art. 3. ad 3. ait: * Dicendum quòd hoc nomen res eſt de tranſcendentibus. Vnde ſecundùm quòd pertinet ad relationem pluraliter prædicatur in divinis: ſecũdùm verò quòd pertinet ad ſubſtantiam, ſingulariter prædicatur. Vnde Auguſtinus dicit quòd eadem Trinitas quædam ſumma res eſt.* Similiter lib. 4. contra Gent. cap. 14. inquit: * Sunt igitur plures res ſubſiſtentes, ſi relationes conſiderentur: eſt autem vna res ſubſiſtens, ſi conſideretur eſſentia.*

9 OBSERVANDVM Autem eſt, in teſtimonio nuper allegato ex prima parte, indicari rationem eius doctrinæ deſumptam ex eo quòd res ſit vnum è tranſcendentibus, ac proinde clauſum omnino in intimo conceptu eſſentiæ divinæ, ac relationum perſonalium: quoniam ijs omnibus ac ſingulis ex conceptu

obiectivo, & quaſi vltimâ differentiâ, competit, vt ſint realitas quædam, ſive ratio formalis rata & firma, independenter ab omni fictione mentis. Alioqui ſecundùm illam peculiarem rationem eſſent entia rationis, ac proinde non conſtituerent perſonas reales, ſeu reipſa diſtinctas. Ergo quemadmodum conceptus tranſcendens *rei* non multiplicatur quoad eſſentiam, quia hæc in divinis eſt vna: ita, & è converſo multiplicatur in perſonis, quoniam hæ in divinis ſunt plures. Nimirum, conceptus tranſcendens rei trahitur ad modum eſſendi eorum, in quibus intimè clauditur: ac proinde in abſolutis eſt abſolutus, in relativis relativus: atque adeò quemadmodum conceptus rei tranſcendens eſſentiam abſolutam in divinis eſt vnicus & abſolutus; ita etiam tranſcendens relationes perſonales eſt triplex & relativus.

10 DICES, Hac ratione poſteriore nimiùm probari, ac proinde nihil. Probaretur enim omnem conceptum tranſcendentem multiplicari in divinis perſonis: ac proinde in ijs eſſe triplicem entitatem, & tria *aliquid*: quoniam ens, & aliquid, pariter ac res, tranſcendentia ſunt. Conſequens autem contradicit Anſelmo, & reliquis fere Patribus, ac Theologis. Ergo non ex eo quòd conceptus rei ſit tranſcendens probatur ſatis eius pluralitas in perſonis diuinis.

11 SED Contrà. Imprimis enim valde probabile eſt, etiam ex mente Div. Thom. ea tranſcendentia prædicari pluraliter de Deo: vt infrà à num. 20. apparebit. Deinde, permiſſa gratis opinione contraria, ratio Div. Thom. debet intelligi in eo ſita quòd conceptus rei ſit tranſcendens ita, vt ex ſua ratione formali non importet aliquid abſolutum, vel reſpectivum, ſed indifferens ad vtrumque. Solùm enim importat ex ſua ratione formali realitatem, ſive conceptum obiectivum ratum & firmum independenter ab omni intellectus fictione. quod æquè verificatur de conceptu abſoluto, ac relativo: ac proinde contractum ad vnumquemque eorum, trahitur ad modum eſſendi proprium cuiuſque. Vnde infertur planè, quemadmodum prædicata relativa perſonarum in divinis ſunt tria rata & firma independenter ab omni fictione intellectûs, ita etiam in ijs eſſe tres res, ſive realitates relativas, verè atque in ſeipſis diſtinctas: ſimiliterque quemadmodum in Deo vnica eſt eſſentia, eaque prorſus abſoluta, ita etiam eſſe vnicam rem abſolutam. Diverſa autem fortè ratio eſt in ijs tranſcendentibus, quæ ex ſua ratione formali ſunt abſoluta ſecundùm conceptum expreſſum. Hæc enim non multiplicantur in divinis perſonis, iuxta probabilem multorum opinionem, vt ex progreſſu apparebit.

12 VLTIMO Probatur ex doctrina Catholica tradita in Symbolo Athanaſij illis verbis: *Alia eſt enim perſona Patris, alia Filij, alia Spiritus ſancti. Atqui* non eſt alia ſecundùm rationem. Hoc enim eſſet errare cum Sabellio. Ergo vna perſona divina eſt alia à reliquis ſecundùm rem. Omnis enim alietas, ſicuti & diſtinctio, aut eſt ſecundùm rem, aut ſecundùm rationem: cùm diviſio in ea duo membra ſit adæquata, & involvat oppoſitionem contradictoriam, quæ non patitur medium vllum inter duo extrema. Cùm ergo alietas ſeu diſtinctio vnius perſonæ divinæ ab alia non ſit ſecundùm rationem, nimirum fingentem, debet eſſe ſecundùm rem. Conſtat autem, diſtinctionem, ſeu alietatem ſecundùm rem, eſſe non poſſe vbi non datur vna realitas & alia. Ergo in perſonis divinis eſt alia & alia realitas: cumque perſonæ ſint tres, totidem in ijs res eſſe debent.

SECTIO SECVNDA.

Statuitur triplex vnitas in diuinis perſonis quoad propria & peculiaria vniuſcuiuſque illarum, cum ſumma & ſingulari prorſus vnitate eſſentiæ cohærens.

13 DICENDVM II. In tribus perſonis divinis eſſe vnicam & ſingularem vnitatem abſolutam, tres verò vnitates relativas. Ita colligitur ex Symbolo S. Athanaſij verbis illis: *Ita vt per omnia, ſicut iam ſupradictum eſt, & vnitas in Trinitate, & Trinitas in vnitate veneranda ſit.* Nimirum, ſuprà dictum fuerat: *Alia eſt enim perſona Patris, alia Filij, alia Spiritus ſancti. Sed Patris, & Filij & Spiritus ſancti, vna eſt diuinitas.* Vbi cum vnitate ſingulari & abſoluta divinitatis, ſive eſſentia, quam retinent tres perſonæ, componitur alietas & diſtinctio realis illarum, quæ certè ſine propria ac peculiari vniuſcuiuſque vnitate nequit conſiſtere. Diſtinctio enim ſequitur vnitatem: ac proinde diſtinctio realis trium perſonarum inter ſe ſupponit proprias ſingularum vnitates relativas, quibus invicem diſtingaantur, ſeu vnaquæque non ſit alia. Quod ſupponi videtur in Concilio Rhemenſi verbis allegatis num. 4. ac præterea à Damaſo Papa in Concilio Romano apud Theodoretum in Anathematiſmis dicente: *Si quis autem deitatem diuiſerit, Deum Patrem dicens, & Deum Filium, & Deum Spiritum ſanctum; affirmans Deos dici, & non Deum, propter vnam deitatem, ac poteſtatem, quam eſſe credimus & novimus, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Deum vnum in tribus hypoſtaſibus*, &c. *anathema ſit.*

ſit. Vbi cum vnitate quoad deitatem ſive eſſentiam exponitur trinitas, ſive triplex vnitas hypoſtaſeon. Sic etiam Auguſtinus lib. 1. contra Maximinum, diſtinguens hæc duo vocabula *vnum*, & *vnus*, ait: * Pater & Filius, & Spiritus ſanctus vnum propter individuam, eandemque naturam. Aliud eſt enim, VNVM SVNT; aliud, VNVS EST. Quando dicitur, VNVM SVNT, etſi non dicatur quid vnum, intelligitur vna ſubſtantia. Quando dicitur, VNVS EST, de duabus diverſiſque ſubſtantijs, neceſſe eſt vt quæratur, quid vnus. * Similiter Ruſtinus Diaconus libro cõtra Acephalos ait: * Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, VNVM quidem ſunt, quia vna eorum natura eſt: VNVS autem non ſunt, quia tres perſonæ ſunt. * Sunt & plura alia, quibus eadem vnitas in eſſentia ſingularis, & triplex in perſonis perſpicuè traditur.

14 IDIPSVM Conſtat ex Catholica fide, quæ docet contra Sabellium, in divinis eſſe verè perſonas tres. Hoc enim vocabulum *tres* eſt numerale, & ſignificat triplicem vnitatem, quâ perſonæ divinæ conſtituunt numerum, cohærentem cum vnitate eſſentiæ. Ideo Anſelmus allegatus aiebat, * omnes Chriſtianos ſentire, perſonas divinas ſecundùm propria & perſonalia eſſe tres res: ſed ſecundùm eſſentiam eſſe vnam rem, abſque aliqua ſeparatione, vel diviſione. * Et Gregorius Nazianzenus Orat. 32. eandem ob cauſam ait, * nos ita tres hypoſtaſes profiteri, vt non tres vſias, ſed vnam eandemque conſtituamus. * Ac præterea in carmine tertio Arcanorum ita accinit:

In tribus luminibus vna natura formata eſt.

Neque vnitas numeri expers: quandoquidem tribus ſtat in bonis.

Neque trinitas multiplici honore colenda, quoniam natura non diuiditur.

Vnitas in deitate: ea verò, quorum eſt deitas, tria numerantur.

Expende illud: *NEQVE TRINITAS NVMERI EXPERS: QVANDOQVIDEM TRIBVS STAT IN BONIS.* Quæ reſpondent ad litteram verſui Græco: Οὔτε τριὰς ἀριθμὸς, ἐπεὶ τρισὶν ἵσταται ἐν ἀγαθοῖς. Vbi cùm aſſerat, in Trinitate numerum importari, & numerum trium bonorum, planè agnoſcit triplicem vnitatem, ex qua conſurgat ternarius numerus. Quo eodem ferè modo loquitur Concil. Toletan. XI. in Confeſsione Fidei, dum ait de Trinitate: *Nec recedit à numero, nec capitur numero. In relatione enim perſonarum numerus cernitur.* Baſilius quoque contra Sabellium ex ipſis verbis Chriſti Ioannis 8. verſ. 16. colligit numerum perſonarum in Patre & Filio, ac proinde duplicem vnitatem in perſonis cum vnitate individua eſſentiæ. Etenim, præter plura alia, inquit: *Tametſi enim DVO SVNT NVMERO, natura tamen diuiſi non ſunt: neque qui duas perſonas dicit, alienationem inducit. Vnus eſt Deus, & Pater: vnus eſt Deus, & Filius: & non dij ſunt duo: quoniam identitatem habet Filius ad Patrem. Non enim aliam in Patre diuinitatem intueor, aliam in Filio: neque alteram naturam illam, & alteram hanc. Quocirca vt perſpicua tibi fiat perſonarum proprietas, numera ſeorſim Patrem, & ſeorſim Filium. Vt autem in deorum multitudinem minimè diſſiperis, vnam in ambobus profitere ſubſtantiam. Sic & Sabellius cadit, & Anomœus obteretur.* Hactenus ille, verum numerum agnoſcens in divinis perſonis, atque adeò plures vnitates. Spectat & huc verſus alius laudati Nazianzeni:

Εἷς θεὸς ἐν τριττοῖς ἁμαρύγμασι πόσσον ἐλίσσων.

In triplici radio volvens Deus vnicus orbem.

Sicuti & Prudentius Præfatione prima in Apotheoſim, dum accinit:

Eſt tria ſumma Deus, trinum ſpecimen, vigor vnus.

15 DENIQVE Eandem doctrinam tradit luculenter Damaſcenus (vt alios ex Patribus omittam) varijs locis, præcipuè verò lib. 1. de Fide cap. 11. iuxta interpretationem doctiſsimi Iacobi Billij, dicens: *Indiuiſibilis enim in diuiſis (vt rem vno verbo complectar) eſt diuinitas, ac velut in tribus Solibus inſeparabili nexu inter ſe cohærentibus, vna eademque eſt lucis temperatio atque coniunctio. Quare cùm diuinitatem, primamque illam cauſam, & vnicum principatum, atque vnam eandemque diuinitatis (vt ita dicam) motionem & voluntatem, naturæque ac potentiæ, & facultatis atque dominationis identitatem intuemur, vnum dumtaxat oculis noſtris obuerſatur. At verò cùm ea, in quibus diuinitas eſt, vel, ſi accuratiùs loquendum eſt, quæ diuinitas eſt, atque ea, quæ ex principe cauſa illa, citra tamen omne temporis ſpatium, ac ſeparationem, omneque diſcrimen ſunt, hoc eſt, Filij & Spiritus ſancti perſonas conſideremus, tria ſunt, quæ à nobis adorantur.* Vbi & vnitatem ſingularem perſonarum quoad eſſentiam, & numerum ternarium ex tribus vnitatibus conſtantem quoad perſonas agnoſcit.

16 VERVM Accomodatiùs ad vſum Scholæ rem expoſuit Sanct. Thomas de Potentia quæſt. 9. artic. 4. ad 14. hiſce verbis:

Dicendum quòd vnum in diuinis ſe habet cõmuniter ad eſſentiam & relationem. Dicimus enim quod eſſentia eſt vna, & quòd Pater eſt vnus. Similiter 1.p.q. 30.ar. 3. *Cùm diximus, perſonæ ſunt plures, ſignificantur illæ perſonæ, & indiuiſio circa vnamquamque illarum: quia de ratione multitudinis eſt quòd ex vnitatibus conſtet.* Ac præterea ibidem ſolut. ad 1. ait: *Dicendum quòd vnum cùm ſit de tranſcendentibus, eſt communius quàm ſubſtantia & quàm relatio; & ſimiliter multitudo. Vnde poteſt ſtare in diuinis, & pro ſubſtantia, & pro relatione.* Quod ipſum communiter cum eodem Angelico Doctore tradunt Scholaſtici Veteres Recentioreſque, abſque diſcrimine vllo, quod ſciam. Vide Suarez lib. 3. de Trinit. cap. 7. Vazquez diſp. 129. cap. 2. Ruiz diſp. 27. ſect. 3.

17 RATIO. Erota ex teſtimonijs allegatis, & ipſa Catholica fide myſterij Trinitatis, hæc eſt. Iuxta fidem dantur in diuinis reipſa tres perſonæ, ac proinde numerus ternarius perſonarum. Atqui numerus ternarius eſt collectio trium vnitatum. Ergo in diuinis datur reipſa collectio trium vnitatum quoad perſonas. PRÆTEREA. Vnitas ſolùm importat realitatẽ, prout indiviſam in ſe, & diviſam ab alia. At quælibet ex diuinis perſonis ex ſua peculiari ratione importat realitatem indiviſam in ſe, & diviſam à realitate alterius perſonæ. Ergo quælibet illarum ex ſua peculiari ratione habet propriam & diſtinctam vnitatem. Ex peculiari ratione, inquam. nam ex communi, ſive quoad eſſentiam, tres perſonæ vnitatem ſingularẽ prorſus habent; neque vllam diſtinctionem aut pluralitatem ſubeunt, vt ſæpe dictum eſt. DENIQVE. Vnitas eſt conceptus tranſcendens, non vicumque, ſed indifferenter & communiter ad abſolutum & relativum. nam ſicut entia abſoluta in ſingulari ſunt indiviſa in ſe, & diviſa à quibuslibet alijs: ita etiam relativa. Ergo quemadmodum vnitas in eſſentia divina, eaque prorſus abſolutè, eſt ſingularis: ſic pariter in tribus hypoſtaſibus relativis eſt triplex.

SECTIO TERTIA.

Dari in diuinis perſonis tria entia ſubſtantivè, non quidem ſimpliciter, ſed cum addito, nimirum relativa: idque etiam iuxta mentem D. Thomæ, quidquid alij contra velint.

18 MAIOR Difficultas eſt quoad rationem entis, an multiplicetur in eo iuxta numerum perſonarum. Affirmat Molina 1. par. quæſt. 39. art. 3. Suarez lib. 3. de Trinit. cap. 6. & tomo 1. in 3. par. diſp. 11. ſect. 2. Vazquez 1. par. diſp. 122. cap. 2. fine, Ruiz diſp. 26. de Trinit. ſect. 2. & alij, quibus ſubſcribit Godoy 1. part. diſp. 85. num. 17. & ſeqq. Negant è contrà S. Bonaventura in 1. diſt. 23. art. 2. q. 2. ad vlt. Capreolus diſt. 29. q. vnica, alijque ex Scholaſticis, & frequenter Thomiſtæ, quos allegant & ſequuntur Carmelitæ Salmanticenſes 1. part. tract. 6. diſput. 10. dub. 1.

19 HANC Poſteriorem ſententiam videtur tradidiſſe S. Thomas in 1. diſt. 25. q. 1. ar. 4. dicens: ✠ Nomen entis ſumitur ab eſſe rei. Et ideo cùm vnum & idem ſit eſſe trium perſonarum, ſi ens ſumatur ſubſtantivè, non poteſt pluraliter prædicari de tribus perſonis: quia forma, à qua imponitur, ſcilicet eſſe, non multiplicatur in eis. Si autem ſumatur participialiter & adiectivè, ſic pluraliter prædicari poteſt; quia huiuſmodi recipiunt numerum à ſuppoſitis, & non à forma ſignificata, vt dictum eſt. ✠ Et in ſolutione ad 1. argum. aſſignat diſcrimen inter nomen *entis*, ac nomen *rei*, vt hoc poſterius præ illo multiplicetur, ſeu prædicetur pluraliter, ſubſtantivè acceptum. Ait enim: ✠ Dicendum quòd nomen entis nullo modo ſumitur ab aliqua relatione; ſed ab eſſe, quod eſt abſolutum ſimpliciter in divinis. Et ideo non prædicatur pluraliter ex forma ſua, ſed ex ſuppoſito, prout eſt adiectivum, vel participium. Sed nomen rei imponitur à quidditate vel forma, quæ poteſt eſſe, & abſoluta, & relata: & ideo poteſt pluraliter prædicari. ✠ Eandemque doctrinam tradit in 1 diſt. 8. q. 1. ar 1. & de Verit. q. 1. ar. 1. & 1. contra Gent. cap. 25.

20 PROBABILE Autem eſt, S. Doctorem mutaſſe ſententiam in Summa Theologiæ. Nam 1. part. q. 30 art. 3. ad 1. docet, *vnum* multiplicari ſubſtantivè in perſonis divinis, quoniam eſt tranſcendens. Ait enim: ✠ Dicendum quòd VNVM, cùm ſit de tranſcendentibus, eſt communius quàm ſubſtantia, & quàm relatio; & ſimiliter multitudo. Vnde poteſt ſtare in divinis, & pro ſubſtantia, & pro relatione. ✠ Eadem autem apparet ratio de ente, quoniam pariter eſt tranſcendens. Similiter eâdem 1. p. q. 39. ar. 3. ad 3. probat, hoc nomen *res* pluraliter prædicari in divinis, quia eſt tranſcendens. Ait namque: ✠ Dicendum, quòd hoc nomen RES eſt de tranſcendentibus. Vnde ſecundùm quòd pertinet ad relationem, pluraliter prædicatur in divinis. Secundùm verò quòd pertinet ad ſubſtantiam, ſingulariter prædicatur. ✠ Cùm igitur nomen ENS ſit pariter de tranſcendentibus etiam pluraliter prædicatur in divinis quoad relationes, licèt non quoad eſſentiam ſive ſubſtantiam. Nec S. Doctor in tota Summa Theologiæ, quam omnium conſenſione circa finem vitæ ſuæ ſcripſit, invenitur vn-

quam

quam negasse, nomen ENS prædicari pluraliter substantivè in divinis, nec Thomistæ vllum eiusmodi testimonium proferunt. Quin potiùs cùm locis nuper exscriptis loquēs de Vno, & de Re, docuerit prædicari pluraliter substantivè de personis divinis, quoniam sunt transcendentia; pariter idipsum docuisse putandus est de ente. Quare omnibus hinc inde consideratis existimo, S. Doctorem tractasse priorem sententiam, & posteriorem docuisse in Summa Theologiæ: ex quâ solâ postrema ipsius mens ad liquidum exprimenda est, vbi contraria testimonia eius occurrunt, seu invicem pugnantia.

21 CENSEO Itaque verius & probabilius, in divinis personis dari entia substantivè, non quidem simpliciter tria, sed cum addito, nimirum relativa, & sumpto nomine entis per modum transcendentis. Idque imprimis colligo ex modo loquendi SS. Patrum, qui palam concedunt tria in divinis. S. Martialis antiquissimus Scriptor, & vicinus tempori Apostolorum, in Epist. ad Burdegalenses cap. 10. fine ait: *Hæc in personis tria indiuisa; in diuinitate vnus Deus indiuisus est.* Nazianzenus Orat. 37. longè ante medium inquit: *Vnum esse tria, si proprietatum rationem habeas.* Et circa medium: *Tria quidem ea nomine, quæ totidem numero sunt.* Et Orat. 29. ante medium: *Nec in vnum tria contrahimus, ne in quantum ad hypostases, seu personas.* Atque inferiùs, *tria essentiæ diuiduntur, non naturis, sed proprietatibus personalibus.* In quibus & alijs testimonijs tria neutro genere solùm accipi possunt τὰ ὄντα, id est, *entia*: non autem hypostases, quæ Græcè fœmineo genere proferuntur. Ergo diuinæ personæ, licèt secundum essentiam sint vnum ens, secundùm propria & personalia sunt tria entia. Est autem magni absdubio ponderis in hac re Nazianzenus, qui inter omnes Ecclesiæ Patres per excellentiam Theologus appellatur: ac proinde quoties ea locutione vtitur ijs alijsque plurimis locis, non impropriè, sed propriè & theologicè loquutus fuisse censendus est.

22 ALII Quoque ex Patribus Græcis tria numero genere prædicant de personis divinis: quæ iuxta eandem linguam, non, nisi τὰ ὄντα, id est, entia, intelligi possunt. Etenim in VI. Synodo Generali Actione 11. Sophronius Patriarcha Constantinop. in ipsa Epistola Professionis Fidei col. 3 postquam expressérat nomina Patris, Filij, & Spiritûs sancti, subdit: *Vnum hæc tria, & tria vnum, quorum est Deitas.* Et in VI. Synodo Generali, alias Nicæna II. Actione 3. Thrasius in Professione Fidei, probata ab eodem Concilio, ait: *Secundùm singularitatem personarum tria Diuinitas prædicatur.* Similiter in edicto Imperatoris Iustiniani de Fide non longè à principio sic legitur: *Tria vnum, in quibus Deitas est: aut (vt subtilius dicamus) IPSA TRIA EST DEITAS.* Et paulo pòst: *TRIA VNVS DEVS.* Anastasius Patriarcha Theopolitanus, in Expositione Fidei aliquanto post initium: *Tria dico propter triplicem subsistentiam coessentialis Trinitatis.* Denique Theodoretus lib. 2. περὶ ἀρχῶν, loquens de divinis personis ait: *Tria hæc vnum esse substantia & diuinitate credentes.* Vbi sub numero τριῶν, necessum est intelligi τὰ ὄντα, sive entia, vt iam diximus. Mitto quod in Antiochena Fidei Professione habetur, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum esse *per substantiam tria.* Id enim, licèt difficilius appareat, refertur ac defenditur à S. Hilario lib. de Synodis inter medium & finem: nec opus est modò vt in eo exponendo immoremur.

23 DENIQVE Ex quatuor præcipuis Ecclesiæ Latinæ Doctoribus, tres saltem pluribus locis eâdem locutione vtuntur, quorum aliqua solùm indicare sufficiat. Ambrosius in Symbolum Apostolorum cap. 1. & 2. *Vna est in tribus Deitas: & tria sunt, in quibus vna Deitas.* Augustinus lib. 6. de Trinitat. cap. 4. *Ita sunt illa tria, Deus vnus.* Et cap. 9. appelat *ipsa tria simul, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum.* Et lib. 7. cap. 4. non solùm loquitur eodem modo, sed monet in eo nullum esse Arianismi periculum, dicens: *Vbi nulla est essentiæ diuersitas, oportet vt speciale nomen habeant hæc tria.* Sunt & alia eiusmodi sæpe in Augustino. Gregorius denique idipsum habet lib. 29. Moral cap. 16. & lib. 30. cap. 5. circa medium, dicens, *vnum diuisibiliter tria, & indiuisibiliter tria vnum.* His locutionibus suffragantur Scholastici post Magistrum in 1. dist. 10. cap. *Siue enim*, & dist. 29 cap. *Verum.* Nec valet si dicas, hisce Patrum Latinorum locutionibus per *tria* intelligi *suppositæ*, quæ idem sunt, ac personæ. Contrà enim est, quòd vox *suppositum* accepta pro subsistente, sive pro persona, aut hypostasi, non fuit nota Patribus allegatis, sed pluribus postea sæculis inducta à Theologis Scholasticis, neque vnquam eo sensu apud Veteres vsurpata legitur. Quare superest vt per *tria*, nullo substantivo superaddito, intelligantur *entia*. quæ vox iam olim quibusdam Latinis Patribus in vsu fuit, præsertim à tempore Concilij Nicæni, in cuius Symbolo configuntur anathemate qui dixerunt, Filium ἐξ οὐκ ὄντων, id est, *ex non entibus*, factum fuisse.

24 RATIONIBVS Quoque id ipsum probatur, sed cursim præstrictis. PRIMA eruitur ex D. Tho. verbis suprà exscriptis n. 20.

Ideò

Ideò res & vnum prædicantur pluraliter ſubſtantivè de divinis perſonis, quia ſunt tranſcendentia, de quorum ratione eſt vt imbibantur ſotimè in vltimis quaſi differentijs rerum omnium. ac proinde vt trahantur ad modum peculiarem eſſendi illarum: vt propterea in ſubſtantia ſint ſubſtantia, in qualitate qualitas, in relatione relatio, & denique in tribus relativis proprietatibus, tres res atque vnitates relativæ. Atqui etiam ens eſt tranſcendens. Ergo prædicator pluraliter ſubſtantivè de divinis perſonis: ac proinde ſicut illæ ſunt tres, ita etiam tria entia ſubſtantivè

25 SECVNDA Ratio. Quamvis tres perſonæ divinæ non habeant triplex eſſe exiſtentiæ, ſed vnicum & abſolutum, iuxta frequentem Thomiſtarum ſententiam, nullatenus prohibetur vt ſint ſubſtantivè tria entia, & tres entitates. Prior pars probatur: Quia adhuc habent triplex eſſe ſubſiſtentiæ, ſive perſonalitatis: ſeu, vt loquamur cum Patribus, habent triplicem eſſendi modum, quem πρόσωπον τρόπον, appellat Damaſcenus lib. 1. Fidei cap. 15. Ergo propter eundem triplicem eſſendi modum poſſunt dici tria entia ſubſtantivè. Sicut enim triplex ſubſiſtentia vel perſonalitas eiuſdem numero naturæ ſufficit vt in divinis ſint ſubſtantivè tria ſuppoſita, vel tres perſonæ; cur non ſufficiet triplex eſſendi modus vt dicantur tria entia ſubſtantivè? Poſterior pars ſuadetur ex eorundem Adverſariorum doctrina, à nobis etiam tradita in Phyſica diſp. 10. per totam: iuxta quam eſſentia creata diſtinguitur reipſa ab exiſtentia, & omnes partes compoſiti, v. g. materia & forma, quamvis ſint entitates realiter diſtinctæ, exiſtunt per vnicam & indiviſam exiſtentiam totius. Ecce vbi diſtinctæ numero entitates cohærent cum vnica exiſtentia ambabus communi. Ergo à ſimili quamvis tres perſonæ divinæ ſecundùm proprietates relativas exiſtant per vnicam & communem exiſtentiam, poſſunt eſſe totidem entia, ſeu totidem entitates ſubſtantivè.

26 TERTIA. Proprietates relativæ, quibus conſtituuntur perſonæ, quatenus tales, non ſunt nihil. Alioqui per nihil conſtituerentur perſonæ divinæ ſecundùm propria & peculiaria ipſarum. Ergo ſecundùm eam rationem formalem ſunt entia: quia inter ens & nihil non datur medium. At non entia rationis, vt patet. Alioqui divinæ perſonæ ſolùm diſtinguerentur ſecundùm rationem: qui eſt error Sabellij. Ergo ſecundùm eam rationem peculiarem ſunt vera, ac realia entia: ac proinde tria entia & tres entitates ſubſtantivè. Nec ſufficit dicere cum Carmelitis Salmanticenſibus vbi ſuprà, vnamquamque illarum eſſe ens, prout ens contraponitur nihilo; non autem ſimpliciter, quia non habent ſingulas exiſtentias, ſed vnicam & communem. Non, inquam, valet. Tum, quia quod directè & contradictoriè opponitur non enti, ſive nihilo, eſt ens. Ergo ſi perſonalitates divinæ ex propria ratione opponuntur nihilo, ſeu non enti; ex eadem quoque ſunt totidem entia. Non enim aſſignari poteſt medium inter ea duo contradictoria. Et ſanè omne, quod verè contraponitur nihilo ex ſua ratione formali & propria, ex eâdem quoque eſt verum ens. Tum præterea: Quia nec materia aut forma compoſiti ſubſtantialis, iuxta ipſorum ſententiam, ac noſtram, habent ſingulas exiſtentias, ſed vnicam & communem ambabus. Et tamen quia vnaquæque earum partium, prout diſtincta ab alia, non eſt nihil, ſeu non ens, ſingulæ ſunt vera entia, & ambæ ſunt duæ entitates reales. Ergo quamvis perſonæ divinæ non habeant ſingulas exiſtentias, ſed vnicam & communem tribus, quia tamen quælibet earum, prout diſtincta ab alia, non eſt nihil, ſeu non ens, ſingulæ ſunt vera entia, & tres ſimul totidem entitates reales.

27 QVARTA Denique: Quia non videtur intelligibile, perſonas divinas eſſe tres res ſecundùm propria & perſonalia, vt Anſelmus ſuprà allegatus cum alijs Patribus docet, & ipſi Adverſarij fatentur, quin pariter & ſubſtantivè ſint tria entia realia. Imprimis enim hæc duo, *ens & res*, ſunt prorſus ſynonyma, vel adeò tenuiter differunt, vt nequeat alterum ex ijs verè multiplicari numero, quin etiam alterum. Deinde ens reale, quatenus tale, in ſententia eorundem Adverſariorum, & noſtra, nõ conſtituitur per exiſtentiam, ſed per ordinem ad exiſtendum. Alioqui omne ens reale identificaret reipſa ſuam exiſtentiam: quod ipſi negant. Itaque ens reale, quatenus tale, conſtituitur formaliter per realitatem, quâ ſola differt ab ente rationis. Ergo ſicuti in divinis perſonis ſunt tres realitates, etiam ſunt tres entitates reales, ſeu tria entia realia. Patet hæc conſequentia: Quia quoties multiplicatur forma conſtituens intrinſecè, multiplicatur etiam conſtitutum: ideoque in divinis ſunt tres perſonæ, quoniam perſonalitates, quibus intrinſecè conſtituuntur, ſunt totidem. Si ergo realitates in divinis perſonis ſunt tres, etiam ſunt tria entia realia per eas conſtituta.

(?)

SEC.

SECTIO QVARTA.

Argumenta contrariæ opinionis soluta, & mens Diui Thomæ penitiùs vestigata. Quàm male aliqui Concilium Lateranense & Florentinum pro contraria optnione allegent.

28 OPPONVNT I. Salmanticenses vbi suprà §. 2. num. 8. auctoritatem Concilij Lateranensis cap. 2. quasi ibi dicatur, *Patrem totam suam entitatem dedisse Filio.* Cùmque Pater non dederit Filio relationem paternitatis, signum est quòd nomine entitatis absolutè & simpliciter sumptæ non intelliguntur relationes personales. Et per consequens, ex eo quòd in divinis dentur tres relationes personales, non sequitur dari tria entia absolutè & simpliciter loquendo.

29 RESP. Mirum esse quòd ij Auctores, graves quidem & docti admodum, ita obijciant: cùm ea verba in allegato Concilio non habeantur, nec vox *entitas* ibidem, vel leviter, indicetur. Nimirum eo loco dumtaxat hæc leguntur, quæ ad rem sunt: *Pater enim ab æterno Filium generando, SVAM SVBSTANTIAM EI DEDIT, iuxta quod ipse testatur Ioannis 10. Pater quod dedit mihi, maius est omnibus. Ac dici non potest quòd partem suæ SVBSTANTIÆ illi dederit, & partẽ retinuerit sibi: cùm SVBSTANTIA Patris indiuisibilis sit, vtpotè simplex omnino.* Hactenus ibi, & nec Verbum ampliùs in toto eo Concilio, quod, vel apparenter, in oppositum allegari possit. In exscripto verò testimonio non dicitur, Patrem *totam suam entitatem* dedisse Filio, sed *totam substantiam*: id est, naturam, vel essentiam, vt idem Concilium expressèrat cap. 1. initio ferè, illis verbis: *Tres quidem personæ: SED VNA ESSENTIA, SVBSTANTIA, SEV NATVRA SIMPLEX OMNINO.* Vbi apud Concilium, pro eodem vsurpantur eæ tres voces, quod & passim apud Patres ac Theologos invenitur. Fatemur itaque, Patrem dedisse Filio totam substantiam, essentiam, seu naturam suam, vtpotè vnicã & summè simplicem in tribus personis. Fatemur præterea ad vberiorem argumẽti solutionem, Patrem Filio dedisse totam suam entitatem absolutam, quæ est ipsa essentia indiuisim communis tribus personis. Negamus autem, Patrem Filio dedisse suam entitatem peculiarem ac propriam, id est relativam: sicuti & Aduersarij negant, Patrẽ Filio dedisse suam realitatem & vnitatem propriam ac relativam, solumque id concedunt de realitate & vnitate absoluta. Plura huc spectantia vide infrà num. 51. & seqq.

30 OPPONES II. Saltem locis allegatis suprà num. 19. docuit D. Thom. nomen entis non multiplicari in divinis substantiuè, tantùm: *quia forma à qua imponitur, scilicet esse, non multiplicatur in eis.* Neque vnquam S. Doctor legitur docuisse oppositum. Ergo iuxta mentem ipsius expressam, nomen entis non multiplicatur in personis divinis substantiv., sed solùm adiectivè. RESP. Probabile esse S. Doctorem retractasse eam sententiam, & oppositam docuisse in Summa Theologiæ locis n. 20. exscriptis. Ac certè si in antiqua opinione permaneret, statim ipsi occurreret difficultas orta ex natura transcendentium, vt vel omnia, vel nulla multiplicarentur in divinis personis, Cũ ergo ea difficultas non occurrerit S. Doctori in Summa Theologiæ, sensit planè ibidem. omnia transcendentia, saltem, quæ propriè & perfectè transcendentia sunt, multiplicari substantivè in divinis, dum de quibusdam eorum docuit multiplicari, & probavit eo solũ, quòd transcendentia sint. Vel aliter dicendum, Sanct. Thom. ijs locis non fuisse loquutũ de ente, quatenus est transcendens: sed quatenus significat simpliciter & absolutè existens. quo sensu est vnum in Deo, propter vnitatem existentiæ cõmunis & absolutę. An autem verum & bonum sint propriè & perfectè transcendentia, ac per consequens multiplicentur in divinis personis, apparebit ex vtraque Disputatione sequenti.

31 INSTABIS. Ratio, quâ probavit Sanct. Thom. vbi suprà num. 19. ens non multiplicari in divinis, petitur ex eo, quòd *esse*, nimirum, existentiæ, sit vnicum in divinis personis: ac proinde ens, quod sumitur ab eodem *esse*, debeat censeri vnicum. Hæc autem ratio nunquã retractata fuit à D. Tho. in Summa Theologiæ: quoniã in illa vbique & constanter docet, esse existentiæ in divinis personis non esse multiples iuxta numerum illarum, sed vnum. Ita enim palam tradit 1 p. quæst. 39. art. 3. q. 40. art. 2 ad 2. & 3. par quæst. 17. art. 2 ad 3. Ergo pariter D. Thomas in Summa Theologię docet ens nõ multiplicari substantivè in divinis. Vbi enim apud D. Thom. & quemlibet alium Scriptorem, permanet ratio inferens conclusionem aliquam, etiam permanere debet eadem conclusio. Alioqui nunquam S. Doctor ex illa ratione benè collegisset priorem opinionem. nam, vt communiter circunfertur, consequentia quæ semel est bona, semper est bona.

32 MVLTI Existimant, D. Thom. in locis allegatis ex Summa Theologiæ, alijsque similibus, non loqui de esse existentiæ, sed essentiæ. Ita Suarez lib. 3. de Trinit. cap. 5. & tomo 1. in 3. p. disp. 11. sect. 2. & plures alij.

Sed

Sed enim eo permiſſo aut admiſſo, adhuc vrget obiectio præiacta: quoniam ſi ratio ne multiplicentur entia in divinis deſumitur ex eo, quòd eſſe eſſentiæ ſit vnicum; cùm vbique D. Thomas, immò & Eccleſia Catholica firmiter crediderit, eſſe eſſentiæ in tribus perſonis eſſe vnicum, vbique etiam S. Doct docere debuit, ens non multiplicari in divinis perſonis. Nimirũ, ex eodem antecedenti eadem omnino concluſio debet colligi.

33 IDEO Aliter dices cum Medina 3.p.q.3. art.2. iuxta S. Doctorem idem omnino eſſe exiſtentiam ſubſtantialem, & ſubſiſtentiam: ac proinde quemadmodum in divinis datur triplex ſubſiſtentia relativa, ita etiam dari triplicem relativam exiſtentiam, à qua proinde poſſint denominari tria entia ſubſtantivè. Verumtamen, ſi in divinis datur triplex eſſe exiſtentiæ ſubſtantialis, ſicuti & ſubſiſtentiæ, difficulter perſiſtet ratio illa D. Thom. ex 1. Sententiarum diſt 25. q.1. n.4. probantis non eſſe in divinis tria entia ſubſtantivè quia non eſt niſi vnicum eſſe. Sive enim intelligatur de eſſe exiſtentiæ, ſive ſubſiſtentiæ, videtur in ea aſſumi aliquid falſum, iuxta interpretationem præiactam. Neque propterea diſplicet mihi abſolutè ſententia illa quæ docet vniversè, exiſtentiam ſubſtantialem nullatenus diſtingui reipſa à ſubſiſtentia. Id enim fusè tradidi, atque ex profeſſo in Metaphyſica diſput. 7 per totam. Verùm adhuc eo ſuppoſito, & conceſſo Medinæ, non videtur ſatis occurri difficultati propoſitæ, iuxta doctrinam D. Thomæ, niſi aliquid aliud addatur.

34 QVARE Meliùs ad obiectionem reſponderi poteſt conceſſa maiore, negando minorem. Quamvis enim D. Tho. in Summa Theologiæ ſupponatur ſemper agnoviſſe in divinis perſonis vnicum eſſe exiſtentiæ cõmunis & abſolutæ, adhuc retractavit illationẽ illam, qua colligebat in 1. diſt 25. quæſt 1. a. 4. in divinis non eſſe tria entia, quoniam eſt vnicum eſſe exiſtentiæ. Licèt enim hoc ſecundum docuerit etiam in ſumma Theologiæ, non propterea cenſuit excludi à Deo tria entia ſubſtantivè, ſicuti olim collegerat. Quod duplici ex capite colligi poteſt. Primò: quia S. Doct. non ſolùm in alijs tractatibus, ſive Opuſculis, ſed etiam in ipſa Summa Theologiæ, ſæpe & conſtanter docuit, materiam primam non exiſtere per propriam exiſtentiam, ſed per exiſtentiam formæ, ſeu compoſiti ſubſtantialis, ſibi ac formæ communem: vt patet ex 1.p.q.7.a 2. ad 1. & q 66 a.1. & quæſt. 113. art 1. ad 2. Quibus tamen, alijſque ſimilibus locis, ſupponit, materiam primam eſſe entitatem reipſa diſtinctam à form. ſubſtantiali. Ergo pariter ſupponit duplicem entitatem reipſa diſtinctam poſſe exiſtere per vnicam & indiviſam exiſtentiam. Retractat igitur illationem illam, quâ olim docuerat, plura entia vel plures entitates, non poſſe per vnicam exiſtentiam in rerum natura exiſtere. Secundò: Quoniam, vt ſuprà monui, & probavi num. 8. & 16. expreſsis teſtimonijs S. Doctoris in ipſa Summa Theologiæ, res & vnum multiplicantur ſubſtantivè in divinis perſonis, quoniam tranſcendentia ſunt. quæ ratio pariter militat in ente. Ergo vt eiuſdem illationis pariter D. Thomas in Summa Theologiæ agnovit plura entia ſubſtantivè in divinis: atque adeò deſeruit rationem illam, quâ olim in oppoſitum inclinabat, ex vnitate exiſtentiæ deſumptam.

35 DENIQVE Inſiſtendo exactiùs veſtigijs S. Thomæ, & ſupponendo nunquam ipſum ea in parte antiquam ſententiam, vel rationem retractaſſe, dici poteſt, non negari ab illo in divinis tria entia relativa ſubſtantivè, ſed ſolum tria entia ſimpliciter & ſine addito. Nam ens hoc modo acceptum deſumitur ab exiſtentia, veluti à forma conſtituente, quæ in divinis eſt vna & ſingularis: ac proinde inſtar eiuſdem formæ eſt ſingulare & vnicum. Neque ampliùs extorquent verba S. Doctoris exſcripta & indicata ſuprà num. 19. Si autem ratio entis ſumatur in vi tranſcendentis, id eſt, ſolùm pro entitate; ſic non conſtituitur per exiſtentiam in ſententia ipſius, ſed ſolùm illam connotat. Cùm enim doceat, eſſentiam creatam diſtingui reipſa ab exiſtentia, vt fusè oſtendimus in Phyſica diſp 10. & divinam non conſtituat in ipſo exercitio ſive actualitate exiſtendi, vt conſtat ex dictis Tomo I. Diſp. XXIV. conſequens eſt, vt in ipſius ſententia nulla entitas, nec creata, nec increata, conſtituatur propriè per exiſtentiam, ſed ſemper ab ea diſtinguatur, vel virtualiter, vt in divinis; vel reipſa, vt in creatis. Quare quemadmodum eam ob cauſam plures entitates reipſa diſtinctæ, vt materia & forma, poſſunt habere vnicam exiſtentiam: ita etiam plures entitates relativæ in divinis poſſunt vnicâ exiſtentiâ gaudere. Itaque non acceptâ ratione entis ſimpliciter & abſolutè, ſed cum addito & relativè, ſeu in ratione tranſcendentis, admittit S. Doct. in Deo tria entia, ſicut & tria ſuppoſita. Neque obſtat diſcrimen ex ipſo aſſignatum eodem num. 19. inter nomen *ens*, & nomen *res*: quia, vt patet ex contextu, diſcrimen ſolùm in eo eſt, quòd res multiplicetur adhuc ex parte formæ, quæ ex propria ratione poteſt eſſe abſoluta & relativa. Cæterum ens in divinis dictum ſimpliciter nũquam multiplicatur ex parte formæ, ſive exiſtentiæ, quæ ex ſua ratione dumtaxat eſt abſoluta & vnica.

36 OPPONES III. Anſelmum hoc

ipſo

hoc ipso c. 38. aientem de Patre & Filio: *Quãtus enim necessitas cogat, vt sint duo: nullo tamen modo exprimi potest quid duo sint.* Si autem & Filius essent duo entia substantivè, iam aliquo modo exprimi posset, immo & exprimeretur de facto, quid duo sint: nimirum, duo entia. Non ergo Pater & Filius sunt duo entia substantivè.

37 RESP. Anselmum eo loco solùm docere, nullo modo posse exprimi nomine aliquo incomplexo & Latino, *quid duo sint* Pater & Filius. nam vox *ens*, & *entia*, Græcè τὸ ὄν, & τὰ ὄντα, neque est Latina neque ad Prisciani aut Ciceronis regulas exacta, sed ex penuria vocum Latinorum à Scholasticis introducta, aut vsitata: quamvis & aliqui ex Patribus Latinis statim à tẽpore Arij ea in vsu habuerint semel aut iterum, vt observavimus suprà num. 23. Similiter vox *suppositum*, accepta pro complexo ex natura & subsistentia non fuit in vsu apud Patres: ideoque mirũ non est, si nec Anselmo occurrerit ad explicandum *quid duo sint* Pater & Filius. Verum & inde colligitur, S. Doctorem ijs vocabulis neutro genere conceptis voluisse assignare in Filio duo entia, quamvis ipsi aut non occurrerit ea vox, aut nõ placuerit, veluti suo tempore nullatenus vsitata.

38 OPPONES IV. Ad multiplicationem nominis substantivi exigitur pluralitas, non solùm subiecti, sive suppositi, sed etiam formæ, quæ formaliter significetur per illud: in quo differt à nomine adiectivo, cui multiplicando sufficit pluralitas suppositorum. Hanc enim regulam communiter tradunt Theologi cum D. Thom. 1 p. q. 39. Atqui forma significata formaliter per nomen *ens* est existentia, quę non multiplicatur in divinis, quamvis suppositа sint plura. Ergo nomen ens substativè acceptum non multiplicatur in divinis. Probatur minor: Quia ens sumitur, ab *esse*, tanquam à forma constituente. Ipsum autem *esse* est existentia apud Latinos, sicuti apud Græcos τὸ εἶναι est ὕπαρξις, quæ sonat extantiam, sive existentiam.

39 CONFIRMANT Salmanticenses vbi suprà num. 11. Quamvis enim dicamus, abstractum huius nominis *ens* esse entitatẽ aliquomodo distinctã ab esse; adhuc entitas absolutè & simpliciter dicta non multiplicatur in divinis personis: quia entitas significat ipsum *esse*, aut saltem principium actus essendi. *Et propterea* (addunt) *vt ex Concilio Lateranensi dicebamus, & habetur in Florentino sess. vltimo in litteris sanctæ Vnionis, ideo dicitur, Patrem Filio dedisse totam suam entitatem, quia dedit illi suam essentiam, quæ est principium essendi, immo est ipsum esse. Constat autem, entitatem sic sumptam non multiplicari in diuinis: si quidem in diuinis tantum est vnica existentia, vnicumque essendi principium.*

40 RESP. Ad multiplicationem nominis substantivi exigi & sufficere pluralitatem, tam subiecti, quàm formæ constituentis; quamuis nulla sit pluralitas ex parte formæ illius, quæ non constituit, sed solùm connotatur. Porrò forma constituens intimè ens, sumptum in vi transcendentis, non est existentia, sed entitas ipsa: sicuti forma constituens intimè verum est veritas, & bonum bonitas. Existentia autem relatè ad ens non se habet vt forma intimè constituens, sed solùm tanquam aliquid ab eo connotatum, vel exactum: ac proinde licèt in divinis sit vnica, entia, quæ per illam denominantur, possunt esse plura. Si etiam materia & forma substantialis sunt plura entia substantivè & transcendenter à proprijs entitatibus, veluti à formis intimè constituentibus; quamvis ambę connotent vnam & eandem existentiam, à qua sola denominantur existentes adiectivè. Sic etiam apud Græcos forma intimè constituens τὸ ὄν, id est, ens, non est τὸ εἶναι, id est, *esse*: sed ὄντοτης, sive *entitas*. nam τὸ εἶναι, est forma solum connotata ab ente, quæ in pluribus entibus potest esse vnica.

41 AD Confirmationem patet ex dictis, entitatem relativam, sicuti & realitatem, & vnitatem, multiplicari in divinis personis, quamvis existentia sit vnica: quia hæc non est forma intimè constituens ipsum ens consideratum per modum transcendentis, adhuc iuxta sententiam D. Thomæ: sed est exercitiũ supponens entitatem, & essentiam constitutam pro aliquo priori naturæ, aut rationis saltem. Ad obiectionem ex Concilio Lateranensi, quàm extra rem sit, & qualiter supponat falsum, patet ex dictis num. 29. Iam quod additur ex Florentino, pariter procedit ex non consulto autographo. Non enim eo loci dicitur, *Patrem Filio dedisse totam suam entitatem*, vt ij Authores supponunt: *nec vox entitas* ibidem legitur. Hæc itaque solum habentur, quæ adrem sint, inter medium & finem earundem litterarum Vnionis: *Omnia quæ Patris sunt, ipse Pater vnigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem.* Cùm verò ad ipsum esse proprium Patris spectet entitas relativa, sicut & realitas, & vnitas, etiam iuxta Adversarios; pariter spectat relativa entitas, quę proinde nullatenus communicatur Filio, sed distinguitur ab entitate relativa ipsius.

42 OPPONES IV. Si in divinis essent tria entia substantivè, essent quoque tres increati substantivè, contra illud Symboli S. Athanasij: *Non tres increati, sed vnus increatus.*

tus. Sequela probatur: Quia omne ens aut eſt creatum, aut increatum: cùm diviſio entis penes creatum & increatum, ſit adequata. At ſi in divinis ſunt tria entia ſubſtantivè, non ſunt tria entia creata, vt patet. Ergo erunt tria increata ſubſtantivè.

43 SED Enim id argumentum pariter Adverſarij tenentur ſolvere, dum nobiſcum, immo & cum omnibus ferè Theologis, ac Patribus, profitentur in divinis perſonis tres res. Etenim ſicut ens in communi, ita & res dividitur adequatè penes creatam & increatam: atque adeò cùm tres perſonæ divinæ non ſint tres res creatæ, erunt totidem increatæ. Athanaſius autem in Symbolo nec exprimit ens, nec rem in plurali, ſed ait: *Non tres increati, ſed Vnus increatus.* Non ergo maiorem difficultatem ingerit teſtimonium id noſtræ ſententiæ, quam Adverſariorum, & communi. Iam verò directè ad obiectionem reſpondeo, ex noſtra opinione ſummùm inferri, in divinis eſſe tria entia increata, non quælibet, ſed relativa. Nec id eſt contra relatum teſtimonium, quod ſolùm excludit tres increatos quoad ſubſtantiam, vel eſſentiam, quales inducebantur à Gentilibus polytheiſmo deditis, qui commenti ſunt plures deos æquales, & pariter increatos: vt vidimus Tomo I. Diſp. XIII. vbi cum Anſelmo latè eam inſaniam reiecimus. An verò in divinis perſonis ſint tres res, vel entitates relatio, ac proinde increatæ, non pertinet ad fidem, ſed Theologorum diſputationi relinquitur. Verùm de hoc latius in progreſſu.

SECTIO QVINTA.

An nomen ALIQVID multiplicetur in diuinis perſonis? Dirimitur quæſitum ad mentem SS. Anſelmi & Thomæ, quorum varia loca explanantur & conciliantur.

44 DICENDVM III. Nomen *aliquid*, acceptum dumtaxat relativè, & per modum tranſcendentis, multiplicari etiam in divinis perſonis; quamvis non abſolutè & ſimpliciter dictũ. Ita colligitur ex Anſelmo lib. allegato de incarnatione Verbi cap. 3. non longè à principio, vbi probat, tres perſonas divinas eſſe tres res, quia ſinguliæ ſunt aliquid. *Solemus enim*, inquit, *dicere REM, quidquid aliquomodo dicimus eſſe ALIQVID. Qui autem dicit de Deo Patrem, aut Filium, ALIQVID de eo dicit: & omnes ſciunt, in Deo Patrem non eſſe Filium, & Filium non eſſe Patrem.* Si autem tres perſonæ, prout invicem diſtinctæ ſecundùm proprias relationes, non eſſent triplex *aliquid*, malè inde probaret S. Doctor, illas eſſe tres res. Quin potiùs oppoſitum colligeretur ex eo antecedente. Si enim perſonæ divinæ ſunt tres, quatenus ſunt *aliquid*: ergo ſi non ſunt triplex *aliquid*, nequeunt eſſe triplex res. Præiverat Anſelmo Auguſtinus lib. 7. de Trinitate cap. 4. circa medium, vbi tres perſonas divinas appellat *tria quædam*, quibus ſanè æquippollent *tria aliquid*. Eodem modo loquitur Richardus Victorinus lib. 4. de Trinitate cap. 8. dicens: *Cùm nominantur tres perſonæ, abſque dubio intelliguntur TRES ALIQVI.*

45 DEINDE D. Thomas vbicumque in Summa Theologiæ diſſeruit de tranſcendentibus an multiplicẽtur in divinis perſonis, reſpondet concluſione affirmante: vt patet ex locis eius iam ſuprà exſcriptis, num. 20 de RE, & de VNO. Neque enim alia ratione id probat, quàm quòd tranſcendentia ſint. Hæc autem ratio pariter id evincit de reliquis propriè tranſcendentibus, quale eſt *aliquid*. Ergo vſurpatum per modum tranſcẽdentis, multiplicatur in divinis perſonis. Et ſanè intelligi difficile poteſt quòd *aliquid* inſtar reliquorum tranſcendentium, non ſubeat in divinis eam pluralitatem: tum, quia de ratione tranſcendẽtis vniverſè eſt quòd trahatur ad modum eſſendi inferiorum, quoniam imbibitur in vltimis illorum conceptibus: ac proinde vt multiplicetur iuxta illorum pluralitatem. Tum præterea: quia perſonæ divinæ, ſecundùm propria & perſonalia, quibus invicem diſtinguuntur, non ſunt nihil. Ergo aliquid ſunt ſub ea formali ratione. Etenim inter aliquid & nihil non poteſt aſſignari medium. An verò id ipſum habeat locum in vero & bono, ſicuti & an vtrumque eorum ſit propriè tranſcendens; veſtigabimus Diſputationibus ſequentibus.

46 POSTERIOR Aſſerti pars etiam traditur ab Anſelmo in hoc ipſo capite 38. dum ait: *Patrem & Filium non eſſe duo aliquid, quod ſignificet eorum, aut eſſentiam, aut habitudinem ad creaturarum.* Nimirum, vt obſervat S. Thom. de Veritate quæſt. 1. art. 1. *aliquid* ſimpliciter dictum iuxta communem intelligendi modum ſignificat rem abſolutam: tum quia accipitur contra *ad aliquid*, quod eſt relativum: tum præterea quia dicitur *aliquid*, quaſi *aliud aliquid*, ſive *alia quidditas*. Atqui in tribus divinis perſonis non multiplicatur res aliqua abſoluta; nec Filius eſt *aliud* à Patre, ſed alius, vt ſuo loco ex doctrina Patrum vidimus; nec eſt alia quidditas in vno, ac in alio, ſed eadem quidditas numero, ſive eſſentia, vt fides docet. Ergo in divinis non ſunt duo aut plura *aliquid* ſimpliciter. Itaque vult Anſelmus, in Patre & Filio *non eſſe duo aliquid*

quod

quod ſignificet eorum eſſentiam: quoniam in ambobus eſt vna: *nec habitudinem ad creaturã*: quia, vt hoc ipſo capite docet, Pater & Filius non ſunt duo principia creaturarum, nec duo Creatores, ſed vnus: ac proinde ex neutro horum duorum capitum ſunt *duo aliquid*.

47 DICES: Idem Anſelmus ſtatim ſubiungit: *Sed nec duo aliquid, quod deſignet habitudinem alterius ad alterum.* Ergo adhuc ſecundùm proprias habitudines, ſeu relationes alterius ad alterum, non ſunt duo aliquid, contrà quàm diximus in priore parte aſſertionis noſtræ.

48 RESP. Negando conſequentiam. Vt enim præmiſſimis Diſp. LXX. num. 69. ſenſus eorum verborum non eſt, quòd duæ relationes paternitatis & filiationis non ſint duo *aliquid*, ſumendo hoc nomen per modum tranſcendentis: ſic enim conſtat ex dictis initio huius ſectionis eſſe duo *aliquid* ex mente S. Doct. ſed ſolùm eſt ſenſus, etiam intra lineam relativam non eſſe duplex *aliquid* quaſi homogeneum. Quod ſtatim ipſe declarat dicens: *Quia nec duo Verba, nec duæ imagines.* Similiter nec duo Filij, nec duo geniti, nec duo Patres, nec genitores duo, ſed vnus. Cùm hoc verò coharet quòd intra lineam relativam paternitas & filiatio ſint duo *aliquid*, quaſi heterogeneum, ſive ad aliud genus relationis ſpectans. Quælibet enim relatio diuina conſtituit ſeorſim & adæquatè veluti proprium genus, neque vllam aliam admittit relationem eiuſdem rationis.

49 DICES II. Contra eamdem priorem Aſſerti partem, D. Thomam prorſus negare in divinis plura *aliquid*. Etenim q. 2. de Potentia a. 5. inquit: *Nec tamen ſequitur quòd quamuis paternitatẽ Filius non habeat, quam Pater habet, aliquid habeat Pater, quod non habet Filius. Nam ipſa relatio ſecundùm rationem ſui generis, in quantum eſt relatio, non habet quòd ſit aliquid. Quod ſi verò aliquid ſecundùm rem, habet ex illa parte, qua ineſt; vel vt idem ſecundùm rem, vt in diuinis; vel vt habens cauſam in ſubiecto, ſicut in creaturis. Vnde cùm id quod eſt abſolutum communiter ſit in Patre & Filio; NON DISTINGVVNTVR SECVNDVM ALIQVID, SED SECVNDVM AD ALIQVID TANTVM. Vnde non poteſt dici quòd aliquid habet Pater, quòd non habet Filius: ſed quod aliquid ſecundùm vnum reſpectum conuenit Patri, & ſecundùm alium aliquid Filio.* Ergo S. Thom. negat in divinis plura *aliquid* ſecundùm relationes, ſolùmque concedit plura *ad aliquid*.

50 RESP. Ex dictis num. 45. *aliquid* poſſe conſiderari ſub ratione tranſcendentis, & hoc ſenſu multiplicari in divinis æquè ac reliqua propriè & perfectè tranſcendentia iuxta regulam eiuſdem S. Doctoris 1. p. quæſt. 30. art. 3. ad 1. & quæſt. 39. art. 3. ad 3. quoniam ſub conſideratione tranſcendentis nec importat rationem abſolutam, nec relativam, ſed indifferentem ad vtrumvis: atque adeo multiplicatur iuxta numerum relationum perſonalium, quas tranſcendit, ſicuti & iuxta numerum rerum abſolutarum, in quibus clauditur. Poteſt verò *aliquid* conſiderari præterea quatenus exprimit rationem abſolutam, ſive oppoſitum cõtra *ad aliquid*, quod eſt relativum: & ſub hac acceptione non ſubit pluralitatem in divinis, vbi omnia abſoluta ſunt vnum atque idem numero. Atque hoc ſenſu D. Thom. in teſtimonio nuper obiecto negat, eſſe in divinis plura *aliquid*, & eſſe *aliquid* in Patre quod non ſit in Filio, aut è contra. Poteſt denique vſurpari *aliquid* prout ſignificat *aliud quid*, ſive aliam quidditatem: & pariter hoc ſenſu in divinis non ſunt plura aliquid: quoniam in perſonis divinis nulla eſt alietas, ſeu diuiſio quidditatum. Vnde idem S. Doctor. de Veritate quæſt. 1. a. 1. inquit: *Si autem modus entis accipiatur ſecundo modo, ſcilicet ſecundùm ordinem vnius ad alterum, hoc poteſt eſſe dupliciter. Vno modo ſecundùm diuiſionem vnius ab altero: & hoc exprimit nomen ALIQVID. DICITVR ENIM QVID. Vnde ſicut ens dicitur vnũ, in quantum eſt indiuiſum in ſe: ita dicitur ALIQVID in quantum eſt ab alijs diuiſum &c.* Cumque in divinis perſonæ non ſint diviſæ penes quidditates, ſeu non habeant aliam & aliam quidditatem, ſed vnicam & indiviſam; conſequens eſt, vt in eo ſenſu non ſint plura *aliquid*.

SECTIO SEXTA.

Argumenta quædam Gregorij Arimenſis contra doctrinam in ſuperioribus traditam, obijciuntur, & enodantur.

51 PRÆTER Argumenta illa, quæ obiecimus & ſolvimus decurſu Diſputationis, opponit quædam alia Gregorius de Arimino in 1. diſt. 27. quæſt. vnica art. 2. in rationibus pro tertia concluſione: quibus contendit in tribus perſonis divinis nullatenus eſſe tres res, aut entitates, ſed vnicam & indiviſam, contra quàm à nobis dictum fuit ſect. 1. & 3.

52 PROBAT I. Ex capite Damnamus de Summa Trinit. poſt medium, vbi dicitur: *Pater ſuam ſubſtantiam Filio dedit.* Et poſt pauca: *Dici non poteſt quòd partem ſubſtantiæ ſuæ illi dederit, & partem ipſe ſibi re-*

retinuerit : cùm ſubſtantia Patris indiuiſibilis ſit, vepotè ſimplex omnino. Eadem autem ratio eſt de entitate ac realitate. Nam cum etiá illa in Patre ſit indiviſibilis, neceſſum eſt, vt illam dederit Filio, non ex parte, ſed totam. Ergo ſicuti nulla eſſentia eſt in Patre, quæ non ſit in Filio: ita etiam nulla entitas aut realitas in Patre eſt, quę in Filio pariter non ſit.

52 CONFIRMATVR Ex doctrina Conciliorum & Patrum refellentium Arianos, colligentes ex doctrina Catholica, ſubſtantiam Patris diſſectam iri, quaſi partem illius ſolam Filio dederit. Refellunt verò Patres eam calumniam, & illationem, aſſerentes, Patrem æternum Filio ſuo dediſſe totam ſubſtantiam ſuam per generationem. Ergo pariter totam entitatem & realitatem ſuam dedit Filio. Alioqui entitas & realitas Patris diſſecta fuiſſet.

53 SED Verò Gregorius de Arimino, dum ijs & ſimilibus argumentis exiſtimat ſe cauſam agere ſimpliciſsimæ vnitatis Dei, videtur Sabellianis arma miniſtrare vt impugnēt realem diſtinctionem perſonarum. Nequeunt enim verè ac reipſa diſtingui, niſi per entitates reales verè diſtinctas. Si ergo paternitas & filiatio non ſunt duæ entitates reales verè diſtinctę, nec etiam Pater & Filius erunt perſonæ reipſa diſtinctæ. Quare vt hunc Sabellij ſcopulum fugiamus, neceſſum eſt profiteri, relationes perſonales paternitatis & filiationis diviñæ eſſe entitates & realitates verè diſtinctas.

54 VT Autem argumento reſpondeam, præmitto hæc ſigna diſtributiva, *omnem & totam*, in diuinis non accipi ea proprietate, quâ diſtribuunt in creatis entia realiter diſtincta aut componentia per modum partium aliquod totum: ſed dumtaxat eo ſenſu, vt diſtribuant formalitates ſola ratione diſtinctas. Hoc ſenſu dicimus, *omne attributum*, & *totam ſubſtantiam* Filio communicari à Patre: ac iuxta illum dixit Concilium Florentinum in litteris Vnionis: *Omnia quæ Patris ſunt ipſe Pater Vnigenito Filio gignendo dedit, præter eſſe Patrem.* Ac Dionyſius cap. 2. de Diuinis nomin. non longè à principio ſemel atque iterum repetit *totam diuinitatem.* Hoc ſuppoſito dicimus quamvis Pater Filio dederit totam ſubſtantiam, id eſt, eſſentiam ſuam, non ideò ipſi dediſſe totam entitatem ſuam, prout complectitur abſolutum & relativum. Itaque entitatem ſuam abſolutam Filio totam dedit per generationem: id eſt, dedit ei integram eſſentiam ſuam cum omnibus formalitatibus abſolutis: non verò cum formalitate illa relativa, quæ eſt propria ipſius Patris. Illa enim eſt entitas & realitas relativa virtualiter intrinſecè diſtincta ab omni prædicato Dei abſoluto: ac proinde æquivalenter & ſufficienti modo diſtincta ab eſſentia, vt hæc communicetur Filio, & non illa: iuxta ea quæ latè tradidimus Tom. I. Diſp. XXVII. Itaque accepta entitatis nomine eſſentiâ, & omni prædicato abſoluto, Pater totam illam Filio dedit. Si autem entitas, ſicuti & realitas, tranſcendentaliter accipiatur, non dedit Pater omnem ſuam entitatem Filio. Sicuti enim non dedit illi vt ſit Pater: ſic nec dedit ipſi entitatem & realitatem propriam Patris. Quod ipſum virtute atque implicitè docuit Concilium Florentinum verbis illis, *præter eſſe Patrem.* Neque obſtat quod in obiectione additur, entitatem Patris, æquè atque eſſentiam ſimplicem omnino & indiviſibilem eſſe, ac proinde non poſſe communicari niſi totam. Reſpondetur enim, quamvis entitas Patris ſit ſimplex & indiviſibilis in re ac formaliter, eſſe tamen eminenter ac virtualiter intrinſecè multiplicem, vt proinde poſsit tota communicari ſecundùm rationem abſolutam, & non communicari ſecundùm rationem relativam, quâ eſt vera entitas & realitas. Quæ ratio non militat in eſſentia ſola: quoniam ex ſuo conceptu formali ſolùm importat perfectionem abſolutam, & indiviſim communem tribus perſonis, tam reipſa, quàm virtualiter.

55 AD Confirm. reſpondeo, non eſſe eandem rationem in entitate, ac in eſſentia. Hanc enim neceſſum eſt à Patre totam Filio fuiſſe datam, quoniam in ea nullam oppoſitionem habet cum Filio. Vnde non diſſectam, aut ex parte dedit, ſed totam, quanta in ipſo Patre eſt. Cæterum ſicuti quoad proprietatem relativam diſtinguitur à Filio, & ipſi opponitur: ita etiam quoad entitatem & realitatem eiuſdem proprietatis. Quare hanc non dedit Pater Filio, niſi ſummùm ſecundùm *περιχώρησιν*, ſive circuminſeſsionem, iuxta quam vnaquæque perſona divina eſt in alijs duabus, eaſque perficit: vt ſuo loco dicemus. Neque inde ſequitur entitatem Patris eſſe diſſectam dum cōmunicatur Filio: nam quatenus eſt entitas abſoluta, Pater totam illam dat Filio: quatenus verò eſt propria Patris, & relativa, non datur Filio, niſi ſecundum circuminſeſsionem. Quod non provenit ex diſſectione aliqua, ſeu diviſione entitatis paternæ, ſed ex infinita perfectione & fœcundirate naturæ divinæ, quæ, licèt ſit vna, poteſt habere identitatem realem cum perſonis tribus, & in vna earum eſſe tanquam in principio, in alijs duabus tanquam in termino producto: vt explicuimus Tomo I. Diſp. XXV. & XXVII.

DIS-

DISPVTATIO LXXII.

AN IN TRIBVS PERSONIS DIVINIS SINT TOTIDEM VERITATES.

POSTQVAM *Diſſeruimus de quatuor nominibus tranſcendentibus,* RES, ENS, VNVM, *& ALIQVID, oportet nunc pariter inquirere an* VERVM; *ſeu veritas multiplicetur in diuinis perſonis. Porrò Anſelmus in hoc ipſo cap. 38. loquens de Patre, & Filio, ait:* Licèt enim ſingulatim & ille perfectè ſit ſumma veritas, & Creator; & Verbum eius ſit ſumma veritas, & Creator: non tamen ambo ſimul ſunt duæ veritates, & duo Creatores. *Vbi videtur omnem pluralitatē veritatum in diuinis perſonis negare. De quo diſſerunt Scholaſtici cum Magiſtro variis locis: vt S. Thom. in 1. diſt. 19. quæſt. 5. art. 3. Aureolus part. 3. art. 3. Richardus art. 3. quæſt. 9. ex profeſſo: ſimiliter Bonaventura in 2. diſt. 38. dubio litterali 3.*

SECTIO PRIMA.

Præmiſſa multiplici acceptione veritatis, ac veri, ſtatuitur cum Anſelmo vnica veritas in tribus perſonis quoad eſſentiam, ſiue ſubſtantiam.

1 PRÆMITTO Ex doctrina D. Thomæ 1. p. q. 16. art. 1. duplicem eſſe veritatem. Altera earum eſt primaria, conſiſtens in actu, quo intellectus iudicat rem prout eſt in ſe. De hac loquitur Ariſtoteles 1. Poſter. textu 5. dum ait: *Ab eo quod res eſt, vel non eſt, propoſitio dicitur vera, vel falſa.* Et Auguſtinus lib. de vera Religione cap. 36. inquit: *Veritas eſt, qua oſtenditur id, quod eſt.* Hilarius quoque apud D. Thomam loco allegato: *Verum eſt declaratiuum, aut manifeſtatiuum eſſe.* Iuxta hunc ſenſum veritas eſt vnum & idem cum ſapientia: ac proinde attributum prorſus abſolutum, & conueniens tribus perſonis indiuiſim ratione vnius & eiuſdē eſſentiæ. Significat enim iudicium diuinum maximè conforme rebus quibuslibet à Deo cognitis prout revera in ſe ſunt: ac præterea eſt indiſtinctum ab *eſſe* diuino, quod eſt præcipuum ipſius obiectum: prout idem Angelicus D. obſervat loco nuper laudato art. 5. Itaque veritas primaria iam explanata nullatenus multiplicatur in diuinis perſonis, ſicut nec ſapientia, nec iudicium verum & conſentaneum rebus cognitis.

3 ALTERA Veritas eſt ſecundaria, & derivata ab illa priore, veluti à præcipuo analogato, in res ipſas, comparatas cum intellectu vero, cui conformantur, aut conformes eſſe poſſunt. Et hæc, quod ad Deum attinet, eſt duplex: altera formalis, altera tranſcendens. Prior pro eodem vſurpatur, ac veracitas. Quæ ſignificat rectitudinem ſermonis, ſive orationis cohærentis vero intellectui rerum. Et huiuſmodi veritas eſt pariter attributum abſolutum ac commune tribus perſonis ratione eſſentiæ: quoniam non conſiſtit in aliqua proprietate relativa, ſed in eo vt Deus ob infinitā ſapientiam nequeat falli, & ob infinitum amorem veritatis non poſſit fallere, nec infundere actum iudicij falſum adhuc poteſtate abſoluta: vt dictum fuit Tomo 1. Diſp. XXI. à num. 50. Quòd autem Deus in ijs quæ loquitur, nullatenus poſſit fallere, aut falli, non eſt peculiare alicui ex tribus perſonis divinis, ſed vnum, & commune. Itaque certum eſt hoc ſenſu, tres divinas perſonas non eſſe tres veritates in iudicando, loquendo, aut ſignificando aliquid exterius: ſicuti certum eſt non eſſe tria principia, aut tres Creatores, in efficiendo quolibet opere ad extra: vt obſervat Anſelmus verbis initio allegatis, & in expoſitione litteræ huius capitis pleniùs oſtenſum eſt.

4 VERITAS Tranſcendens, quæ eſt alterum huius ſubdiviſionis extremum, cōvertitur cum ente, non vtcumque, ſed quatenus importat habitudinem quandam ad intellectum. Quo ſenſu Anſelmus Dialogo de Veritate cap. 12. illam deſcribit dicens: *Veritas eſt rectitudo ſola mente perceptibilis.* Conſtat verò ex capitibus 7. 8. & 10. eiuſdē Dialogi,

S.Doctorem ibidem loqui de veritate relatè ad divinam mentem, veritatemque ſummam, vt ſcil. *idcirco veritas ſit in rerum eſſentia, quia hoc ſunt, quod ſunt in ſumma veritate.* Ac ſuprà in hoc ipſo Opuſculo cap.32.& 34. tradit eandem doctrinam, vt in Scholijs ad vtrũque locum obſervavimus. Neque audiendi ſunt qui veritatem tranſcendentẽ rerum collocant in relatione rationis, ſeu denominatione extrinſeca, derivata ab intellectu ad res ipſas: quoniam veritas eſt attributum ſeu proprietas entis realis: ac proinde nequit conſiſtere in relatione rationis, vel in aliquo pure extrinſeco eidẽ enti reali. Neque ex oppoſito placet opinio aliorũ conſtituentium veritatẽ tranſcendẽtem in aliquo adæquatè intrinſeco enti reali, abſque connotatione vlla intellectus: quamvis addant, id intrinſecũ explicari per negationem rei fictæ & oppoſitæ, quam excludit verum. Contrà enim eſt, quod nec eiuſmodi negatio rei fictæ concipi poteſt niſi per ordinem aliquem ad potentiam cognoſcentem, cuius ſolius eſt fingere non entia ad modum entium.

5 ITAQVE Veritas tranſcendens, eſt quidem ipſa entitas intrinſeca rei, quæ denominatur vera per excluſionem entitatis fictæ, cum connotatione ad intellectum, ſeu potentiam cognitivam, cui eadem veritas conformatur. Quam doctrinam ex profeſſo tradidimus in Metaphyſica Diſp.2.ſect.4. ad mentẽ Ariſtotelis lib.2.Metaph.textu 4. aientis: *Eandẽ eſſe diſpoſitionem rerum in eſſe, & in veritate.* Quod planè verificari nequit, niſi veritas rebus intrinſeca ſit, quemadmodũ & ipſum eſſe Præterea eodem lib.cap.6. diſſerit contra eos, qui omnia, quæ vera videntur, vera dicunt: tanquam veritas rebus ipſis ineſſe debeat. Et cap.7. initio ferè ait: *τὸ δὲ τό ὄν εἶναι, καὶ τὸ μὴ εἶναι, ἀληθές. Ens autem eſſe, & non ens non eſſe, verum eſt.* Quibus manifeſtè docet, veritatem tranſcendentem eſſe rebus intimam, ſicuti & ipſum eſſe. Aliunde verò tribus ijs capitibus eandem rationem veri exponit per habitudinem ad intellectum, vt patet ex contextu. Cui conſonat D.Thom. 1 p.q.16. art. iam allegato, vbi affert probatque definitionem veritatis traditam ab Iſaac per hoc, vt ſit *adæquatio rei & intellectus.* Ac præterea quæſt. de verit. art.4.ait: *Quamvis veritas ſecundùm quam omnes res dicuntur veræ* (nimirum, tranſcendentalis) *minus propriè veritas dicitur; tamen ab illa denominatur res vera ſicut à forma inhærente: NIHILQVE ALIVD EST, QVAM ENTITAS INTELLECTVI ADÆQVATA.* Quibus poſtremis verbis doctrina ſuper tradita, & ab Anſelmo locis paulo antè expenſis indicata, luculentiſsimè habetur. His autem præmiſſis,

6 DICENDVM I. Tres perſonas, ſeu tres hypoſtaſes, eſſe vnam veritatem, quatenus ſunt vna eſſentia, ſive vna ſubſtantia, cuius, *eſſe non ſolùm eſt conforme intellectui ſuo, ſed etiam eſt ſuum intelligere:* vt loquitur S. Th. allegata quæſt.16. art.5. probans, veritatem rei Deo maximè convenire. Aſſertionem hanc vt minimum tradit Anſelmus impræſentiarum cap. 38. dum de Patre & Filio docet non eſſe duas veritates ſicut nec duos Creatores: quoniã nimirum, Patri & Filio convenit eſſe veritatem & Creatorem ratione eſſentiæ & omnipotentiæ, quæ eſt vnica in divinis. Similiter in Proſlogio cap.2. ita Patrem æternum alloquitur: *Verbum tuum ſic eſt verum, quomodo tu verax. Et idcirco eſt ipſa veritas, ſicut tu: non alia* Inſuper Dialogo de Veritate cap.7. & 11. probat, *ſummam veritatem eſſe vnicam.* Verùm & eadem doctrina videtur definita à Damaſo Papa in Synodo apud Theodoretum lib. 5. cap.10. in Anathematiſmis contra hæreſes Arij, Apollinaris, & aliorum, per hæc verba: εἴ τις μὴ εἴπῃ τὸ πατρὸς, καὶ τὸ υἱὸ, καὶ τὸ ἁγίου πνεύματος μίαν θεότητα, ἐξουσίαν, δυναστείαν μίαν, δόξαν, κυριότητα μίαν, βασιλείαν μίαν, θέλησιν, καὶ ΑΛΗΘΕΙΑΝ, ἀνάθεμα ἔστω. *Siquis non dixerit, Patris & Filij, & Spiritus ſancti vnam deitatem, poteſtatem, imperium vnum, gloriam, dominationem vnam, regnum vnum, voluntatem, & VERITATEM, anathema ſit.* Scio ea verba paulo aliter à quibuſdam Latinè reddi; ſed id ad rem noſtram parum aut nihil refert; cùm ex ijs conſtet, quemadmodum tres perſonæ ſunt vna Deitas, & poteſtas, ſic eſſe vnam veritatem ſubſtantiæ, ſive eſſentiæ.

7 HVC Etiam ſpectat quòd apud Patres veritas cenſeatur inter attributa abſoluta Dei, ac proinde vna inſtar cæterorum. Auguſtinus præcipuè id docet lib.6. de Trinit.cap. 7. initio dicens: *Eadem magnitudo Dei eſt, quæ ſapientia: eadem bonitas, quæ ſapientia, & magnitudo: ET EADEM VERITAS, quæ illa omnia. Et non eſt ibi aliud beatum eſſe, alium magnum eſſe, aut ſapientem, aut verum, aut bonum eſſe, aut omnino ipſum eſſe.* Eodem ſenſu lib.7.cap.2. in principio ait: *Pater igitur & Filius ſimul, vna eſſentia, & magnitudo, ET VNA VERITAS, & vna ſapientia.* Mitto alia eiuſdem S. Doctoris loca, quæ directè locum habebunt ſectione ventura, ſicuti & nonnulla aliorum Patrum ibidem allegenda.

8 RATIO Autem eruitur ex dictis: Quia veritas tranſcendens eſt ipſa entitas intrinſeca rei, quatenus cognoſcibilis ab intellẽ-

telle&u: vt oſtenſum fuit num. 4. & 5. Atqui tres hypoſtaſes, ſeu perſonæ divinæ, quatenus ſunt vna eſſentia, ſive ſubſtantia, ſunt etiam vna entitas intrinſeca Dei, cognoſcibilis ab intelle&u divino. Sicuti enim intelle&us in Deo agnoſcit vnicam eſſentiam, ſive ſubſtantiam: ita etiam vnam entitatem, pro eadem eſſentia vſurpatam. Ergo tres hypoſtaſes, ſive perſonæ, ſunt vna entitas vſurpata pro ſubſtantia, ſive eſſentia. Neque in hoc videtur eſſe poſſe diſsidium aliquod de re apud Catholicos, ſed ſummùm de voce, ſiquis contendat, nomen entitatis non propriè accipi pro eſſentia aut ſubſtantia apud Latinos, nec nomen τὸ ὀντότητος pro eo quod eſt οὐσία apud Græcos. Sed fruſtra id contendet: cùm eſſentia verè conſtituat apud Latinos ipſum ens, ſicuti apud Græcos ἡ οὐσία, τὸ ὄν.

SECTIO SECVNDA.

Excluditur à perſonis diuinis pluralitas veritatum ſubſtantiua, propriè loquendo, quoad hypoſtaſes relatiuas: idque tum ad mentem SS. Patrum, tum ratione.

9 DICENDVM II. Tres hypoſtaſes, ſeu perſonas, non eſſe propriè tres veritates, ſeu intelligibilitates. Aſſertio hæc palam videtur tradita ab Anſelmo verbis allegatis ex hoc capite 38. initio ipſo diſputationis: vbi perinde negat eſſe in Patre & Filio duas veritates, ac duos Creatores. Atqui nullo proprio ſenſu ſunt in divinis plures Creatores. Ergo nec plures veritates. Spectant etiam huc loca alia eiuſdem S. Doctoris num. 6. exſcripta, quibus palam tradit, Filium eſſe veritatem, & non aliam veritatem à Patre, & in ambobus veritatem eſſe vnicam. Quam eandem ſententiam docent Scholaſtici num. 1. allegati, ac prærerea Thomiſtæ cum Angelico Doctore in 1. diſt. 19. q. 5. art. 3. corp. & ad primum: vbi apertè docet, quemadmodum trium perſonarũ divinarum eſt vnicum eſſe, & vna eſſentia, ita etiam eſſe vnicam veritatem. Subſcribunt Bellarminus Tom. 1. lib. 2. de Chriſto c. 16. Ruiz diſp. 27. ſect. 5. Salmantic. Ioann. à S. Thom. & Godoy 1. p. q. 30. atque Eſparza lib. 1. q. 4. ad 2. contra Suarez lib. 3. de Trinit. c. 3. & 4. Vazquez 1. p. diſp. 122. c. 7. n. 28. Granadũ tract. 5. diſput. 1. ſect. 2. & alios, quibus ſubſcribit Arriaga diſp. 49. ſect. 4. n. 18. Lugus 1 p. lib. 2. diſp. 10. cap. 2. num. 16.

10 ASSERTIO Eadem conſonat definitioni Pontificis Damaſi n. 6. exſcriptæ, vbi dũ anathemate configit negãtes in tribus perſonis vnam veritatẽ, quemadmodum & deitatem & poteſtatem vnam, ita etiam virtute aut implicitè videtur definire, in divinis perſonis nullo ſenſu proprio eſſe plures veritates, ſicut nec deitates, nec poteſtates plures. Huc etiã ſpectant teſtimonia Auguſtini ibidem producta ex libris de Trinitate, vbi palam docet, quemadmodum in divinis perſonis eſt vnica magnitudo, & ſapientia, ita etiam veritatem vnicã. Ac præterea lib. 8. eiuſdem Operis cap. 1. probat vnicum eſſe magnitudinem trium perſonarum, nec maius aliquid eſſe tres perſonas ſimul, quàm ſingulas ſeorſim, quia omnes illæ ſunt vna veritas; nec aliquid verius tres ſimul, quàm vnanquanque earum. Verba exhibeo: *Vbi magnitudo ipſa veritas eſt, quidquid plus habet magnitudinis, neceſſe eſt, vt plus habeat veritatis. Quidquid ergo plus veritatis non habet, non habet plus etiam magnitudinis. Porrò quidquid plus habet veritatis, profectò verius eſt: ſicut maius eſt quod plus habet magnitudinis. Hoc ergo ibi eſt maius, quod verius. Non autẽ verius eſt Pater & Filius ſimul, quam ſingulus Pater, & ſingulus Filius. Non igitur maius aliquid vtrumque ſimul, quàm ſingulum eorum. Et quoniam æquè verè eſt etiam Spiritus ſanctus, nec Pater & Filius ſimul maius aliquid eſt, quàm ipſe, quia nec verius eſt; Pater quoque & Spiritus ſanctus, quoniam veritate non ſuperant Filium (non enim verius ſunt) nec magnitudine ſuperant. Atque ita Filius & Spiritus ſanctus ſimul tam magnũ aliquid ſunt, quàm Pater ſolus, quia tam verè ſunt. Sic & ipſa Trinitas tam magnum eſt, quàm vna quæque ibi perſona. Non enim ibi maior eſt, quæ verior non eſt, vbi eſt ipſa veritas magnitudo: quia in eſſentia veritatis, hoc eſt verum, quod eſſe: hoc eſt eſſe, quod eſt magnum eſſe. HOC EST ERGO MAGNVM ESSE, QVOD VERVM ESSE.* Hucuſque Auguſtinus, quo pollebat ingenio, luculentiſſimè probans, tres perſonas, aut duas ſimul in divinis, non eſſe aliquid maius, quàm ſingulas: quia in divinis magnitudo eſt ipſa veritas. Et quemadmodum tres perſonæ divinæ non ſunt aliquid verius, quàm ſingulæ, ſic non ſunt aliquid maius. At ſi in perſonis divinis eſſet multiplicata veritas, vt Adverſarij contendunt, ratio Auguſtini eſſet nulla, & planè ſupponeret quod probandũ erat. Supponeret enim in trib⁹ perſonis eſſe vnicã veritatẽ, & nullo modo plures. nam ſi plures eſſent veritates, eſſent quoque plures magnitudines: ac proinde tres perſonæ ſimul eſſent aliquid maius, ſicuti & aliquid verius, quàm ſingulæ. Vt ergo ſolida ſit illa Auguſtini doctrina, & argumentatio, debet in ea ſupponi, in tribus perſonis divinis non eſſe propriè loquendo, niſi vnicam veritatem.

11 SIMILITER Boetius libro in-

ſcripto, *An Pater & Filius & Spiritus ſanctus de diuinitate ſubſtantialiter prædicẽtur*, circa medium, eandem doctrinã tradit dicens: *Pater veritas eſt: Filius veritas eſt: Spiritus ſanctus veritas eſt. non tres veritates, ſed vna veritas. Si igitur vna in ijs ſubſtantia, vna veritas, neceſſe eſt veritatem ſubſtantialiter prædicari de bonitate, de incommutabilitate, de iuſtitia, ac de cæteris omnibus, quæ tam de ſingulis, quàm de omnibus ſingulariter prædicantur.* Vbi non ſolùm docet, veritatem in tribus perſonis eſſe vnicam, ſed ſubſtantialiter de ijs prædicari, quoniam veritas in divinis eſt ipſa ſubſtantia Dei, quæ non multiplicatur in perſonis. Bernardus quoque Sermone 80. in Cantica, vbi differit contra Gilbertum Porretanum, *Pater*, inquit, *eſt verus, ideſt, veritas: Filius eſt verus, id eſt, veritas: Spiritus ſanctus eſt verus, ideſt, veritas. Et hi tres vnus verus, ideſt, vna veritas.* Ac præterea id cõfirmat teſtimonio Fulgentij, aientis: *Vna quippe veritas vnius Dei: in ò vna veritas vnus Deus non patitur ſervitium, atque culturam Creatoris creaturæque coniungi.*

12 RATIONE Aſſertum probare conantur Alenſis, Henricus, & Ricardus ferè ſic. Veritas importat eſſentiam, quatenus eſt conformis vero intellectui. Atqui trium perſonarum vnica eſt eſſentia, eaque conformis intellectui vero. Ergo trium perſonarum vnica eſt veritas. Addit Henricus, veritatẽ non fundari ſupra quamlibet realitatem, ſed abſolutam & ſpectantem ad eſſentiã: ac proinde cùm realitas eſſentiæ in divinis ſit vnica, veritatẽ quoque vnam ſolùm eſſe debere.

13 SED Enim ratio hæc infirma eſt, & cui facilè occurri poſsit. Dicent enim Adverſarij, veritatem non ſolùm importare eſſentiam, ſed etiam quamlibet entitatem, realitatemve, quatenus eſt conformis vero intellectui, ſive illa ſit abſoluta, ſive relativa. Cumque in divinis verè ſint tres entitates & realitates relativæ, vt ex ſuperioribus patet, eæque conformes vero intellectui; nihil mirum ſi pariter ſint tres relativæ veritates.

14 ALIVNDE Itaque probari poteſt triplici ratione. Prima deſumitur ex teſtimonio Auguſtini ſuprà allegato. Si enim in divinis eſſent tres veritates relativæ, iuxta numerum perſonarum, tres perſonæ ſimul eſſent aliquid verius, quàm ſingulæ: quemadmodum ſi eſſent magnitudines plures, tres perſonæ ſimul eſſent aliquid maius, quam vnaquæque earum ſeorſim. Atqui tres perſonæ ſimul non ſunt aliquid verius, quã ſingulæ earũ. Alioqui quælibet perſonarũ divinarum nõ eſſet ſumma veritas: quia nihil eſt verius, quàm veritas ſumma. Ergo in divinis non ſunt tres veritates relativæ iuxta numerum perſonarum. Hæc ratio novum robur mutuabit ex dicendis Diſp. ſeq. vbi oſtendemus eodem ferè fundamento, in divinis non eſſe plures bonitates relativas.

15 SECVNDA Eruitur ex D. Th. 1. p. q. 14. art. 1. vbi probat à priori cognoſcibilitatẽ ex immaterialitate, in qua fundatur. Eadẽ autẽ ratio eſt de veritate. Veritas enim eſt entitas ipſa rei, quatenus cognoſcibilis. Ergo pariter veritas à priori probatur ex immaterialitate, in qua quoddamodo nititur. Atqui in tribus perſonis divinis nõ multiplicatur immaterialitas, ſed eſt vna & eadem, adhuc iuxta Adverſarios. Immaterialitas enim eſt in Deo excluſio omnimodæ potentialitatis, eademque proinde cũ ratione actus puri, quæ planè in tribus divinis perſonis eſt vnica. Ergo & veritas propriè loquendo in tribus perſonis divinis non multiplicatur, ſed eſt vnica. VRGETVR I. Quia veritas formalis, ſive in cognoſcendo, ſuprà n. 3. explicata, fundatur in immaterialitate, quæ eſt vnica in tribus perſonis; ideo etiam illa eſt vnica. Neque enim Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, ſunt tres veritates in cognoſcendo, ſed vna veritas ſive vnus verax. Cùm igitur pariter in immaterialitate fundetur veritas tranſcendentalis, ſive in eſſendo; ſicut in Deo nõ ſunt plures immaterialitates, ita nec plures veritates tranſcendentales. VRGETVR II. Veritas in divinis nequit eſſe niſi ſumma: ſicut & immaterialitas nequit in Deo eſſe, niſi ſumma. Atqui in divinis non ſunt tres veritates ſummæ. Nam ſumma veritas excludit cõſortiũ alterius veritatis ſummæ: ſicuti iuxta Anſelmũ ſup. n. 3. ſumma magnitudo excludit aliam ſummã magnitudinẽ: ideoque repugnãt duo ſummè magna, plureſque dij: vt latè cum ipſo S. Doct. oſtendimus Diſp. XII. & XIII. Ergo in divinis nõ ſunt tres veritates. VRGETVR III. Veritas in Deo nequit eſſe, niſi prima. Atqui repugnãt plures veritates primæ, ſicuti & plures primæ cauſæ, & plures fines vltimi. Ergo & repugnant plures veritates in Deo.

16 TERTIA Ratio, eaque directè evertens fundamentũ potiſsimũ opinionis cõtrariæ, deſumptũ ex tranſcendentia veri, in eo nititur, quòd verũ propriè & abſolutè dictũ non ſit perfectè tranſcendens. Non enim convenit rei propter quamlibet formalitatẽ præciſam ab alijs: ſed præterea complectitur totã rei entitatẽ ab intellectu cognoſcibilẽ. Sicuti enim propoſitio copulativa conſtans pluribus propoſitionibus categoricis nõ eſt propriè & ſimpliciter vera, niſi omnes illæ ac ſingulæ ſint veræ: ita rei entitas prout cognoſcibilis & affirmabilis ab intellectu non eſt vera, niſi quatenus complectitur omnes realitates & formalitates ſpectantes ad ſui complementum.

Hinc

Hinc fit, vt veritates nō multiplicentur, niſi vbi tota & adæquata entitas rei multiplicatur ſimpliciter. Atqui licèt in divinis relationibus multiplicetur entitas relativa ac realitas, non tamē multiplicatur entitas ſimpliciter & adæquatè. Non enim multiplicatur entitas abſoluta, & communis eſſentiæ, quā omnes & ſingulæ relationes perſonales includunt per entitatem. Non ergo veritas propriè & ſimpliciter in ijs multiplicatur.

17 VRGETVR Ratio eadē multiplicitèr. PRIMO: Quia veritas Dei, & veritas cuiuslibet divinæ perſonæ ſeorſim acceptæ, adeò illigatæ ſunt inter ſe, vt deficiente vna, deficerent reliquæ. Ergo omnes realitates & formalitates divinæ coaleſcunt in vnicā veritatē. Aſſumptio probatur & explicatur. Imprimis enim cùm omnia prædicata neceſſaria in Deo connectantur invicem ac neceſſariò, Deus nō eſſet verus, Deus, ſi nō eſſet Pater generans, & Filius genitus, & Spiritus ſanctus procedens ex vtroque, ac proinde Trinitas perſonarū. Præterea nec Pater eſſet Pater, niſi æterna generatione produceret Filiū ſibi conſubſtantialē: nec vterque eſſet verus Spirator, niſi ambo producerēt Spiritum ſanctum, eiuſdē omnino naturæ conſortem. Denique nulla propoſitio neceſſaria in divinis eſt, quæ non habeat connexionem, aut mediatā, aut immediatā cum reliquis. Omnes ergo illæ, inſtar vnius propoſitionis copulativę ſe habent, & integrant eandem veritatem.

18 VRGETVR II. Vt enim rectè obſervat Alenſis 1. p. q. 15. memb. 6. ad 2. nihil aliud eſt, Patrem generare, quàm eſſe; Filiū generare, quàm eſſe, Spiritū ſanctum ex vtroque procedere, quàm eſſe. Atqui eſſe Patris, Filij, & Spiritus ſancti, eſt vnicū eſſe; nimirū, eadē eſſentia. Ergò tres illæ propoſitiones Patris generantis, Filij geniti, & Spiritus ſancti ab vtroque procedētis, ſignificāt idē eſſe triū; ac proinde eādē veritatē, veluti ſub vna propoſitione copulatā.

19 VRGETVR Denique. Veritas enim, prout colligitur ex Auguſtino, & ex Anſelmo in Dialogo de Veritate, definitur *adæquatio rei & intellectus*. Quam definitionē Veteres Scholaſtici admittunt, veluti ab vtroq; S. Doct. traditam. Atqui res divina non adæquat intellectum penes vnam formalitatem, aut realitatē, vel abſolutam, vel relativam: ſed ſecundū omnes ſimul. Neque enim conceptus adæquatus mentis de Deo formari poteſt, niſi omnes illius formalitates, tum abſolutæ, tum relativæ, cognoſcantur. Ergo veritas divina nō conſiſtit in vna aliqua formalitate abſoluta, vel relativa, ſed in complexione earum omnium. Quare ſicuti ex omnibus ijs reſultat vnica & indiviſa complexio: ita etiam vnica & individua veritas.

SECTIO TERTIA.

Præcipua Aduerſariorum argumenta obijciuntur, & enodantur. Vbi de mente D. Thomæ.

20 OPPONVNT I. Adverſarij teſtimonium ex Epiſt. 1. Ioannis c. 5. verbis illis: *Vt ſimus in Vero Filio eius. Hic eſt Verus Deus.* Vnde colligunt, veritatem ſecundū eſſe, ſive tranſcendētalē, dupliciter cōvenire Filio Dei: nimirū, quà Filius eſt, & quà Deus eſt. Quare ſicuti ratione deitatis eſt vna & cōmunis veritas cū Patre: ita ratione perſonæ eſt peculiaris veritas diſtincta à Patre, ac proinde ab alia veritate propria Patris. Nā & Pater eſt verus quà Pater, & quà Deus eſt. Eadē verò ratio vrget in Spiritu ſancto, ſi cū vtroque conferatur. Ergo omnes ij, præter veritatē communē & indiviſam eſſentiæ, important peculiares veritates relativas. Huc etia ſpectare videntur locutiones SS. Patrū, apud quos frequēter legitur Patrē verè eſſe Patrē, Filiū verè Filiū, Spiritū ſanctum verè Spiritū ſanctū. Quin & Anſelmus in præſenti c. 40. ex inſtituto docet, ac concludit de Patre & Filio, ſeu Verbo: *Quapropter illius eſt proprium, Veriſimū eſſe Parentem; iſtius Vero, Veriſimam eſſe prolē.* Ac præterea cap. 41. *Proprium eſt illius, Veriſimum eſſe genitorem; iſtius Verò, Veriſimum eſſe genitum.* Vbi τὸ *Veriſimum*, non cadit ſuprà veritatē abſolutam eſſentiæ, de qua apud Anſelmum nō eſt ibi quæſtio: ſed in relativā veritatē, ac propriā Patris & Filij, quatenus invicē diſtinguuntur. Ergo vnicuique eorū competit propria & ſingularis veritas. Deniq; idipſum indicare videtur Damaſus Papa in Profeſſione Fidei verbis ſuprà n. 6. exſcriptis: vbi poſtquam tres perſonas divinas dixerat μίαν ἀλήθειαν, *vnam veritatē*, ſubdit anathema in eum, *qui tres perſonas non dixerit Veras Patris, Filij, & Spiritus ſancti.* Tres perſonæ autē nequeunt eſſe verę numero plurali, niſi veritas in ijs multiplicetur iuxta numerū illatū: ſicut nec tres perſonæ reales eſſe poſſunt, niſi in ijs ſint totidem realitates.

21 RESP. Omnia prædicata neceſſaria Dei, ſive abſoluta, ſive relativa, integrare vnicā veritatem veluti copulativam: vt o tenſum eſt ſuprà n. 16. ac proinde veritatem in ijs non multiplicari propriè loquendo. Neque oppoſitū extorqueunt teſtimonia in oppoſitū allegata. Nam quidquid in ijs legitur de veritate Filij Dei, ac Genitoris, & Geniti, ac Spiritus ſancti ex vtroque procedentis, non denotat veritatē aliquam relativam adęquatè diſtinctam ab alia veritate; ſed quandam peculiarem determinationē illius indiviſæ veritatis, qua tres perſonæ denominantur veræ in eſſentia ac perſonis, contra

Arium & Sabellium, quos Pontifex Damaſus in eo Anathematiſmo damnat, & alij Patres allegati reijciunt. Itaque quælibet peculiaris propoſitio ex ijs circa ſingulas perſonas divinas, eſt veluti quædam pars illius propoſitionis copulativæ, quæ indiviſim affirmaret de Deo integram veritatem quoad prædicata abſoluta, & relativa: ac proinde qualibet ex ijs propoſitionibus in ſingulari nõ explicatur propria aliqua veritas vnius perſonæ adæquatè diſtincta à veritate alterius perſonæ; ſed eadem prorſus veritas ſecundùm aliquam ſui determinationem, & quaſi partẽ. Quo ſenſu in propoſitione copulativa vera dicere poſſumus, ſingulas categoricas ſeorſim importare partẽ illius veritatis indiviſæ, quã ſignificat copulativa propoſitio. Neque exemplũ hoc volumus eſſe adęquatũ: quoniã id myſterium ſine exemplo eſt: ſed ſolùm illud accipimus ſimilitudine quadam.

22 DICES: Hæc veritas, *Pater eſt ingenitus, & generat*, eſt diſtincta realiter ab hac, *Verbum non eſt ingenitum, nec generat*. Nam in priore affirmãtur de Patre prædicata illa, quæ in poſteriore negantur de Filio: atque adeò veritas obiectiva prioris propoſitionis affirmãtis eſt adæquatè diſtincta à veritate obiectiva poſterioris propoſitionis negantis. Ergo in Patre & Filio dantur duæ veritates obiectivæ, quarum altera diſtinguitur adæquatè ab altera.

23 RESP. Priorem illam propoſitionem affirmantem non eſſe adæquatè diſtinctã ex parte obiecti à poſteriore negante: ſicuti nec Pater adæquatè diſtinguitur à Filio, ſed inadæquatè, ſive ratione ſolius proprietatis perſonalis. Imò idipſum quod in priori propoſitione affirmatur, eſt connexum cũ eo, quod negatur in poſteriore. Nam hoc ipſo quòd Pater generet Verbũ, debet Verbũ eſſe genitũ ab ipſo, & nõ generare: ac totũ id ſpectat ad eandẽ veritatẽ obiectivam eſſentiæ divinæ, quatenus ſummè fœcunda eſt. Sic enim debet conſtituere Patrẽ fœcundum ad producendum Filiũ ſibi ſimilẽ in eadem numero natura per intellectũ: & vtrumque in ratione principij fœcundi ad producendum Spiritum ſanctũ per voluntatẽ. Cumque nequeat eſſe alia proceſsio, nec perſona Patris poſsit procedere ab ijs, quorũ principiũ eſt, nec ab aliquo eorũ; conſequens eſt vt ſit ingenitus, ſive prorſus improductus. Vnde quantumvis de divinis perſonis proferãtur verè aliæ atque aliæ propoſitiones, tum affirmãtes, tum negantes, nulla eorũ adæquat veritatẽ obiectivã fœcunditatis divinæ, ſed ſingulæ illã quaſi in fruſta ſecant aut partiũtur. Sic quodammodo videre licet in his duabus propoſitionibus: *Deus punit per iuſtitiam: Deus non punit per miſericordiam*: quarũ prior affirmat de iuſtitia, quod poſterior négat de miſericordia. Et tamen non propterea veritas obiectiva iuſtitiæ eſt adęquatè diſtincta ab obiectiva veritate miſericordiæ, ſed vna & eadem, quamvis diverſimodè expreſſa. Similiter ergo quoddammodo in prioribus illis propoſitionibus tũ affirmante, tũ negãte, nõ importatur ex parte obiecti veritas adęquatè diſtincta, ſed eadẽ diverſimodè affecta aut determinata ſecundũ aliũ & aliũ τὸ ὑπάρξεως τρόπον; ideſt, exiſtendi vel ſubſiſtendi modum, vt loquitur Damaſcenus lib. 1. Fidei cap. 13.

24 OPPONVNT III. Ex communi Patrum & omniũ ferè Scholaſticorũ conſenſu cũ Anſelm. & D. Tho. realitates multiplicãtur in divinis perſonis, imò & vnitates, atque entitates relativę: vt ex profeſſo oſtenſum fuit Diſp. prędeder per totã. Ac ratio ex D. Th. deſumpta ibidẽ, prędipuè n. 8. & 9. in eo nititur quòd res, ſive realitas, ſit vnũ ex tranſcendentibus. Cùm igitur verũ & veritas ſit pariter vnũ ex tranſcendentibus, conſequens eſt, vt etiam multiplicetur in divinis perſonis.

25 RESP. Imprimis iuxta D. Th. nullatenus multiplicari in divinis veritatẽ. Ita enim docet in 1. diſt. 19. q. 5. art. 3. ad 1. ibidẽ ad Anibaldũ q. vnica, art. 2. ad vltimũ, & de Veritate q. 1. art. 5. ad 18. & 19. vbi ait: *Licèt Pater alio ſit Pater, alio Filius ſit Filius, quia tamẽ eſſe vtriuſque idẽ eſt, ſupra quod fundatur veritas, ideò veritas vtriuſque eadem eſt.* Nec locus eſt interpretandi S. Doct. de veritate abſoluta, quaſi hanc ſolã voluerit eſſe vnã in divinis. Nam relato loco ad Anibal. aſsignat diſcrimen inter rẽ, & verũ, vt in Deo ſint plures res, non autẽ veritates plures. Si autẽ hoc ſecundũ intelligeretur ſolùm de veritate abſoluta, nullũ eſſet diſcrimen: quoniã nec in Deo ſunt plures res abſolutæ. Vt igitur idoneũ ſit diſcrimen à S. Doct. aſsignatũ, veritas nullo modo multiplicatur in divinis. Vlteriùs cùm iuxta ipſum 1. p. q. 14. art. 1. veritas, ſicuti & cognoſcibilitas, fũdetur in immaterialitate, quę eſt vna ſolũ in divinis; etiam veritas debet eſſe vnica.

26 DEINDE Dico, rationem cur realitas, ſicuti & vnitas, multiplicetur ſubſtantivè in divinis præ veritate, eſſe duplicẽ. Altera eſt: quoniã vnitas & realitas cuiuſcumque rei, eſt ratio formalis conſtituendi & diſtinguẽdi illã ab alia; non autẽ veritas, quæ ſæpe eſt illigata & eadẽ in duplici entitate ob connexionẽ peculiarẽ vtriuſque per modũ vnius. Cùm igitur perſonę divinę reipſa ſint tres invicẽ diſtinctę, debent conſtare ſingulis vnitatibus & realitatibus relativis, vt rationibus formalibus conſtituendi & diſtinguendi vnã ab alia; non autem ſingulis veritatibus, quoniam ex tribus perſonis invicem connexis reſultat vnica veritas,

per

per adæquationem cum intellectu. Altera eſt, quòd realitas & vnitas ſit conceptus propriè & perfectè tranſcendens: nam ex ſe ſolùm importat rationem formalẽ rei ratam & firmam, diſtinctamque ab omni alia: quæ abſdubio clauditur in vltimis differentijs quorumlibet entium realium, quatenus invicem diſtinctorum. Cæterum veritas non eſt propriè & perfectè tranſcendens. Non enim imbibitur in vltima differentia cuiuslibet rei, vt diſtinctæ ab alia; ſed ſæpe clauditur in pluribus entitatibus indiviſim, ratione connexionis earum, qua adæquantur intellectui per modum vnius. Sic relativa, quamvis entitate differant, ſunt ſimul cognitione, ac proinde conſtituunt vnam quodammodo veritatem. Multò autem magis in divinis, vbi entitas abſoluta eſt eadem numero in omnibus relativis, & eadem prorſus immaterialitas, ſupra quam fundatur veritas, ſeu cognoſcibilitas.

27 INSTABIS I. D. Thomas citata q. 1. de Veritate art. 7. docet, quamvis veritas propriè accepta ſit eſſentialis in divinis, veritatem tamen vſurpatam metaphoricè dici perſonaliter, ſeu eſſe propriam perſonæ. Atqui veritas metaphoricè vſurpata nequit eſſe alia, quàm veritas tranſcendens, quæ contrapoſita veritati formali dicitur metaphorica. Ergo iuxta S. Doctorem veritas tranſcendens dicitur de Deo perſonaliter; atque adeò multiplicatur iuxta numerum perſonarum.

28 RESP. Dupliciter. *Primò*, nomine veritatis metaphoricæ intelligi à Div. Thom. veritatem tranſcendentem, non adæquatam, ſed inadæquatam, per quam veritas abſoluta & communis tribus perſonis divinis, contrahitur & determinatur: ſicuti propoſitio copulativa determinatur & quaſi dividitur quoad indiviſam ſui veritatem per ſingulas propoſitiones categoricas, quibus illa indiviſim conſtat. Vnde ſolùm infertur, multiplicari in divinis determinationes relativas eiuſdem veritatis indiviſæ; non autem veritatem tranſcendentem propriè acceptam, quæ eas omnes complectitur per adæquationem cum intellectu. *Secundò* dicere poſſumus cum Carmelitis Salmanticenſibus, quorum ſolutionem laudat Godoy, D. Thomam eo loci Filium appellaſſe veritatem metaphoricam, ſive ſimilitudinariam: quoniam ſimilitudinem habet cum veritate tranſcendenti creata, quatenus ſicut hæc conſiſtit in conformitate cum intellectu divino, vt principio ſui; ita Verbum vi ſuæ proceſſionis oritur conforme intellectui paterno, vt ſuo principio. Quæ ſolutio confirmari poſſet ex Auguſtino lib. de Vera Religione ſub initio, aiente: *Dari aliquid, quod vnius principij ita ſimile ſit, vt hoc omnino impleat, ac ſit id ipſum: & hoc eſt Veritas, & Verbum in principio.* Vbi in aliquo ſenſu vult veritatem eſſe propriam & peculiarem Verbi. Et poſt pauca: *Hæc autem* (eſt) *ipſa eius ſimilitudo, & ideo Veritas.* Cæterum cùm hæc conformitas, ſeu adæquatio, non innitatur diſtinctæ immaterialitati, nullatenus ſufficit ad diſtinctam cognoſcibilitatem, aut veritatem ſimpliciter loquendo.

29 INSTABIS II. Veritas, ſicuti & cognoſcibilitas, eſt proprietas convertibilis cum entitate, & realitate, atque adeò multiplicatur inſtar illarum. Ergo ſicuti in divinis eſt triplex entitas, & realitas relativa; ita etiam triplex relativa veritas. RESP. Veritatem, ſicuti & cognoſcibilitatem eſſe proprietatem entitatis & realitatis non vtcumque, ſed quatenus immateriales ſunt, ſive quatenus adæquantur cum intellectu. Sic autem vnica eſt immaterialitas & adæquatio cum intellectu in entitatibus & realitatibus relativis; ac per conſequens vnica veritas.

30 INSTABIS III. Data hypotheſi abſolutè repugnante, in qua Spiritus ſanctus non exiſteret, hæc propoſitio eſſet falſa: *Spiritus ſanctus procedit à Patre.* Et tantum adhuc eſſet vera hæc alia per locum ab intrinſeco: *Pater generat.* Ergo veritas generationis eſt diſtincta omnino à veritate proceſſionis Spiritus ſancti: vtpote quarum ſublata vna, permaneret alia. RESP. Negando conſequentiã, & illius probationem: quia in ea hypotheſi prorſus repugnante & chimærica, falſitas prioris propoſitionis non conſiſteret in defectu aut alietate veritatis, quæ eadem abſolutè in divinis eſſet; ſed ſubſtrati, ſeu perſonæ, cui illa applicaretur. Sic data eadem hypotheſi chimærica, in qua Spiritus Sanctus non exiſterer, nullatenus eſſet omnipotens. Nec tamen inde colligitur per locum ab intrinſeco, vel omnipotentiam non per manſuram, vel eſſe aliam in Patre, ac in Spiritu ſancto; ſed ſolùm, non futurum ſubſtratum tertiæ perſonæ, cui illa applicaretur.

31 OBSERVANDVM Eſt autem, veritatem in repræſentando conſiſtere in perfecta adæquatione imaginis, ſeu Verbi, cum intelligente, ſeu dicente: & hanc eſſe propriam Verbi, ſicuti propria ipſius eſt ratio imaginis, iuxta dicta Diſp. 70. per totam. Cæterum non propterea Verbum conſtat veritate aliqua ſubſtantivè diſtincta à veritate Patris, ſed eadem, accepta modo peculiari ex vi operationis intellectus per quam procedit, quatenus diſtinctus à Spiritu ſancto.

(?)

DISPVTATIO XXIII.

AN IN DIVINIS PERSONIS BONITAS, SEV PERFECTIO RELATIVA EXPRIMATVR, & multiplicetur iuxta numerum illarum.

CELEBRIS Eſt controverſia hæc apud Scholaſticos, qui illam excitant ſupra litteram Magiſtri variis locis. Gabriel in 1. diſt. 7. q. 3. art. 3. & diſt. 19. q. 1. notab. 4. dub. 5. Capreolus eadem diſt. 7. q. 1. ad 3. Hervæus in 1. diſt. 2. q. 4. art. 1. Aureolus diſt. 19. q. 2. art. 3. prop. 2. Bachon diſt. 23. q. 1. art. 1. §. 2. & in 3. diſt. 1. q. 1. art. 2. §. 2. Durandus eadem diſt. 1. q. 3. n. 13. §. Sed dices: *alijque diverſis locis: ut Mayro in 1. diſt. 20. q. 1. & Richardus diſt. 24. art. 1. q. 3. ad 1. Similiter illam exagitant Interpretes D. Thom. 1. p. q. 28. art. 2. & q. 42. art. 3. Scotus verò locis infra allegandis, & Quodlibeto 5. Porrò Anſelmus multis locis poſtea indicandis controverſiam ipſam tetigit, quamvis obiter ſolùm, ſicuti & alij ex Patribus: quamvis & ij omnes doctrinam ſufficientem tradiderint, vt illam dirimamus.*

SECTIO PRIMA.

Senſus controverſiæ, Auctorum placita, & præmiſſa quædam: atque illud imprimis, tres perſonas ſimul ſumptas non eſſe aliquid perfectius, quàm ſingulas ſeorſim, iuxta Anſelmum, & alios Patres; nec aliquam alia perfectiorem. Duplex perfectionis genus.

2 SOLET Diſputatio hęc diverſimodè inſcribi. Primò inquirunt aliqui, An relationes divinæ addant eſſentiæ perfectionem ratione diverſam. Alij verò, An relationes divinæ ex propria & peculiari ratione importent perfectiones relativas. Alij denique, An divinis perſonis ſit triplex bonitas, ſeu perfectio relativa. Quamvis verò rem ipſam diverſimodè dirimant Theologi, omnes eiuſmodi inſcriptiones ad eandem ferè controverſiam ſpectant, in alia atque alia membra diviſam. Supponimus autem ex latè conſtitutis Tomo I. Diſp. XXV. relationes non diſtingui ab eſſentia divina ex natura rei, nec diſtinctione modali à Durando tradita, nec formali à Scoto excogitata: ſed eſſe vnum reipſa cum illa abſque omni diſtinctione actuali ex natura rei: ac proinde perfectionem abſolutam eſſentię divinæ habere realem identitatem cum omnibus & ſingulis relationibus. Deinde præmittendũ eſt ex traditis Diſp. XXVII. eſſentiam divinã diſtingui virtualiter intrinſecè à relationibus, ſive perſonalitatibus divinis: quia ratione infinitæ perfectionis ac fœcunditatis ſuæ exigit identitatem cum tribus perſonis; & conſequenter vt plura prædicata in re affirmentur de perſonis, quæ negantur de eſſentia, & è contra. Quod eo loci pleniùs oſtenſum atque explanatum eſt.

3 RVRSVS, Ex dictis Diſp. XXXI. conſtat, eſſentiam divinam diſtingui ratione ab hypoſtaſibus cum fundamento aliquo ex parte obiecti, quod eminenter multiplex eſt, & æquivalet rebus ac perfectionibus reipſa diſtinctis, abſque vlla ſui imperfectione. Cui doctrinæ communi inter Theologos addidimus ibidem aliam noſtro iudicio æquè veram, qua negatur omnis præciſio obiectiva, ſive adęquata in Deo; ſolumque aſſeritur abſtractio formalis penes alium & alium modum concipiendi, ſeu exprimendi eandem obiecti formalitatem ſecundùm diverſa munia, ſive comparent eſſentia cùm attributis, ſive cum hypoſtaſibus. Cùm verò nulla diſtinctio ſecundùm rationem poſsit auferre ab obiecto id, quod reipſa illi convenit, neceſſum eſt, vt relationes divinæ, adhuc prout diſtinctæ ſecundùm rationem ab eſſentia, ſemper retineant identitatem realem cum ſumma ipſius perfectione, ſintque perfectiſsimæ ſecundùm rem. Difficultas autem hoc

loci exagitanda eſt, an ſecundum illam rationem formalem ac peculiarem, qua diſtinguuntur ab eſſentia virtualiter intrinſecè in re, & formaliter ſecundùm rationem, importent aliquam explicitam, & propriam perfectionem, quæ proinde ſit triplex reipſa, iuxta numerum hypoſtaſeon divinarum. Porrò eadem quæſtio habet locum apud diſcipulos Scoti, ſtatuta diſtinctione formali ex natura rei inter eſſentiã & relationes. Adhuc enim locus eſt inquirendi, An relationes divinæ importent peculiarem & relativam perfectionem, ex natura rei diſtinctam ab omni perfectione abſoluta. Circa quod Theologi diverſimodè ſentiunt.

4 PRIMA Sententia docet, relationes ſeu hypoſtaſes divinas, ſecundùm propriã ac peculiarem rationem importare perfectionem relativam virtualiter diſtinctam à perfectione eſſentiæ. Ita Gabriel in 1. diſt. 7. q. 3. art. 3. Hervæus diſt. 2. q. 4. art. 1. Aureolus & Bachon in 1. diſt. 19. locis initio allegatis, Bañez 1. p. q 28 art. 2. dub. 1. Albertinus ex Prædicam. Ad aliquid coroll. 1. Suarez lib. 3. de Trinitat. cap 9. Zuñiga de Trin. diſp 5. dub. 5. membro 2. Amicus diſp. 19 ſect. 8. n. 206. Arriaga diſp. 49 ſect. 2. ſubſect. 3 Averſa q. 28. ſect. 3. Franciſcus Lugus lib. 2. diſput. 10. cap. 2. Zumel 1. p q 28. art. 2. diſp. 3. Vazquez diſp. 122. cap. 6. Ruiz diſp. 30. ſect. 4. num 14. Ioannes à S. Thoma diſp. 13. art. 3. num. 8. Verum & inter illos eſt adhuc diſcrimen quòd Zumel, Vazquez, Ruiz, & Ioannes à S. Thoma nolunt, perfectiones reipſa multiplicari iuxta numerum perſonarum, alij contrà affirmant.

5 SECVNDA Negat, hypoſtaſibus divinis ex propria ac relativa ratione convenire peculiarem perfectionem; multò autem magis abſurdum putat, quòd perfectio in ijs multiplicetur reipſa. Ita Scotus Quodlibeto 5. & in 1. diſt. 2. poſt quæſt. 5. in ordine, §. *Ad primam quæſt dico*, verſiculo, *Hoc etiam arguitur*: & diſt. 26. q. vnica, §. *Ad primum tertiæ viæ*, verſiculo, *Per hoc patet*; & diſt. 19. q. 1. ad ſecundum principale. Durandus quoque in 1. diſt. 13. q. 2. n. 26. & diſt. 19. q. 1. ſed clariùs q. 4. n. 9. & in 2. diſt. 34. q. 1. n. 22. & 23. ac præterea in 3. diſt. 1. q. 3. n. 13. qui in frequenti ipſius editione repl catus eſt pagina 183 Capreolus in 1. diſt. 17. q. 1. Ariminenſis diſt. 19. art. 1. Myro diſt. 20. q. 1. Richardus diſt. 24. art. 1. q. 3. ad 1. Caietanus 1 p. q. 28. art. 2 ibidemque frequentius Thomiſtæ cum Carmelitis Salmant. & Godoy diſp. 78. Molina 1. p. q. 42. art. 6. diſp. 2. Eſparza in Curſu Theologico q. 40.

6 PRÆMITTO I. Perſonas divinas ſimul ſumptas non eſſe aliquid perfectius, quàm ſingulas earum ſeorſim. Ita Anſelmus in Proslogio cap. 23. vbi ita de Spiritu ſancto alloquitur Patrem: *Idem Amor tuus non eſt impar tibi, aut Filio tuo: quia tantum amas te, & illum, & ille te & ſe ipſum, quantus es tu & ille: nec eſt aliud à te & ab illo, quod diſpar non eſt tibi & illi.* Vbi agnoſcit aqualitatem Amoris, ſive Spiritus ſancti ad Patrẽ, & Filium ſimul ſumptos. Ac poſtea ſubdit: *Quod autem eſt ſingulus quiſque, hoc eſt tota Trinitas ſimul, Pater, & Filius & Spiritus ſanctus.* Rationemque ſtatim reddit: *Quoniam ſingulus quiſque non eſt aliud, quam ſummè ſimplex Vnitas, & ſummè Vna ſimplicitas.* Vide infrà num. 64. Sed clariùs tradiderat id Auguſtinus lib. 6. de Trinit. cap. 7. dicens: *Nec quoniam Trinitas eſt, ideo triplex putandus eſt. Alioquin minor erit Pater ſolus, aut Filius ſolus, quàm ſimul Pater, & Filius.* Quod ſanè, veluti abſurdum, colligit ex illa hypotheſi, quam propterea reijcit. Et cap. 8. pariter ait: *Cùm itaque tantus eſt ſolus Pater, vel ſolus Filius, vel ſolus Spiritus ſanctus, nullo modo triplex dicendus eſt.* Idem habet lib. 8. in Proœmio, & lib. 15. cap. 3. dicens: *Ratione reddita intelligentibus clarum eſt, in ſubſtantia Veritatis non ſolum Patrem Filio non eſſe maiorem, ſed nec ambos ſimul aliquod maius eſſe, quàm ſolum Spiritum ſanctum, aut quoslibet duos in eadem Trinitate maius eſſe aliquid, quàm Vnũ, aut omnes ſimul tres maius aliquid eſſe, quàm ſingulos.* Eandem omnino doctrinam tradit Serm. 38. de Tempora circa medium, & Epiſt. 66. ad Maxim. ante medium dicens: *Hæc Trinitas Vnius eſt eiuſdemque naturæ, atque ſubſtantiæ, non minor in ſingulis, quàm in omnibus, nec maior in omnibus, quàm in ſingulis. ſed tanta in ſolo Patre, vel in ſolo Filio, quanta in Patre ſimul, & Filio; & tanta in ſolo Spiritu ſancto, quanta ſimul in Patre & Filio & Spiritu ſancto. Neque enim Pater, vt haberet Filium de ſe ipſo, minuit ſe ipſum: ſed ita genuit de ſe alterum ſe, vt toties maneret in ſe, & eſſet in Filio tantus, quantus & ſolus. Similiter & Spiritus ſanctus integer de integro, nõ præcedit Vnde procedit: ſed tantus cum illo, quantus ex illo; nec minuit eum procedendo, nec auget hærendo.* Itaque doctrinam hanc perpetuò, & cõſtanter tradidit Auguſtinus, veluti exploratam, & omnino certam. Quam propterea amplexantur reliqui Patres Latini, vt Fulgentius lib. 3. ad Monimum cap. 7. Bernardus Epiſt. 190. ad Innocentium col. 2. & alij. Vnde & Concilium Toletanum VI. in Profeſsione Fidei inquit: *Trinitas nec minor in ſingulis, quàm in omnibus, nec maior in omnibus, quàm in ſingu-*

gulis perſonis manet. Similiter Concilium Toletanum XI. in Profeſsione Fidei: *Nec minoratur in ſingulis, nec augetur in tribus: nec amplius, cùm totæ tres perſonæ vnus Deus enuntiantur.* Quare omnes Scholaſtici cum Magiſtro in 1. diſt. 19. & D. Thoma 1. p. q. 42. art. 4. fine, in eadem doctrina conſentiunt, veluti omnino certa, & quæ colligatur planè ex Symbolo S. Athanaſij verbis illis: *In hac Trinitate nihil prius aut poſterius, nihil maius aut minus: ſed totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales.*

7 ET Notandum, eam æqualitatem à SS. Patribus tradi non modò quoad eſſentiam, & magnitudinem abſolutam, quæ tribus divinis perſonis indiviſim communis eſt; ſed etiam quoad omnes omnino proprietates perſonales, relativaſque, inter ſe comparatas. Nam quamvis ratio, cui innituntur Patres, deſumatur ex vnitate eſſentiæ, ſive magnitudinis abſolutæ, quæ indiviſim communis eſt tribus perſonis; inde tamen procedunt ad colligendum æqualitatem inter proprietates relativas, ſive ſingulæ cum ſingulis conferantur, ſive vna cum duabus alijs, aut cum omnibus ſimul. Deinde id ipſum patet: quoniam ijdem Patres ſimpliciter, & abſque vlla exceptione docent, tres ſimul perſonas non eſſe aliquid maius, melius, aut perfectius, quàm vnam earum. Hoc autem planè falſum eſſet, ſi plures proprietates relativæ ex ſua ratione peculiari ac formali eſſent aliquid melius, maius, aut perfectius, quàm vna ſola: ſiquidem perſonæ conſtituuntur eiſdem proprietatibus relativis, ac proinde eiuſmodi inæqualitatem habere deberent ratione illarum, ſicuti ab ijs habent reliquas denominationes relativas, & vt ſint tres perſonæ in vna eſſentia. Dum igitur Concilia, & Patres docent, tres perſonas non eſſe aliquid maius, melius, aut perfectius, quàm ſingulas; non ſolùm id affirmant de perſonis ſecundùm eſſentiam, ſed etiam ſecundùm relativas proprietates.

8 PRÆMITTO II. Æqualitatem perfectionis inter divinas perſonas certam eſſe, non modò ſecundùm naturam, vt fides docet, & habetur vt minimùm ex verbis Symboli paulo antè exſcriptis; ſed etiam ſecundùm relativas proprietates. Quod omnes Theologi Scholaſtici, nullo excepto, docent cum Magiſtro in 1. diſt. 19. Vnde audiendus non eſt Calvinus ad Protheſim XX. Valentini Gentilis, auſus invehere irreligioſam vocem, dum dixit: *Dei nomen Patri propriè adſcribi* κατ' ὑπεροχὴν, ideſt, ſecundum præſtantiam, excellentiam, aut eminentiam. quæ locutio Arianiſmum ſapit, dum inæqualitatem aliquã penes deitatem indicat inter Patrem & reliquas perſonas. Sed & corrigendus eſt Cliſtoveus, alioqui Catholicus & pius, in librum 1. Damaſceni de Fide cap. 11. inter principium & medium Commentarij dicens: *Principalior eſt exiſtendi modus Patris, qui à nullo eſt, quàm cæterorum duorum, qui ab eo ſumunt originem. Principalior item modus ſubſiſtendi Filij, & ratione ordinis perfectior, quàm Spiritus ſancti ab eo prodeuntis. Hæc tamen perſonalis perfectio, & eminentia originis, nullam arguit in ipſis naturis differentiam, aut diſtantiam, nullamque vllius vltra alias in ijs, quæ ad naturam attinent, perfectionem.* Corrigendus, inquam, eſt, dum eminentiam, & exceſſum aliquẽ perfectionis ſeu dignitatis admittit inter perſonas divinas quoad modum ſubſiſtendi in ratione principij, potiuſquam termini producti: cùm verba illa Symboli videantur excludere omnem inæqualitatem perſonarum, etiam quoad proprietates relativas, omnemque excellentiam aut exceſſum perfectionis vnius ſupra alias. Neque obſtant multa teſtimonia Patrum infrà ſect. 6. exſcribenda, interpretantium verba illa Chriſti, *Pater maior me eſt* quaſi intelligi debeant de ipſo Chriſto, quà Filius Dei eſt, & non ſolùm quà homo. Imprimis enim plerique Patrum, quos ibidem allegabimus, numero plurimi, & auctoritate graviſsimi, ſolùm accipiunt ea verba de Chriſto, prout Filius hominis eſt; eaque fuit communis interpretatio Patrum eorum, qui cum Arianis coràm, aut ſcripto diſputarunt, abutentibus eo teſtimonio vt deprimerent Filij dignitatem. Sed & cæteri ex Patribus, quamvis in ſpeciem tribuant aliquid amplius Patri ſecundùm conditionem peculiarem principij relatè ad Filium, & vtrique in ordine ad Spiritum ſanctum; non propterea aliquam maiorem excellentiam, dignitatem, aut perfectionem tribuunt vni perſonæ, quàm alteri: ſed ſolùm conſtituunt inter eas ordinem originis, iuxta quem prior eſt perſona habens rationem principij, quàm termini producti ab illa, quamvis ſit ſumma inter eas dignitatis & perfectionis æqualitas abſque prærogativa vlla. Ideoque aiebat Cyrillus in Epitome Dialogorũ. ἐνὶ δέ γε τῇ ἁγίας τριάδος, τῷ πατρὶ, καὶ τῷ υἱῷ, καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι, οὐχ ὑπεροχῆς τινος ποιεῖται δήλωσιν. *In ſancta Trinitate Patris & Filij & Spiritus ſancti nomina, non ſignificant prærogatiuam aliquam.* Vbi non ſolùm evertit irreligioſam Calvini vocem paulo ante notatam, ſed etiam dictum illud Cliſtovei, & quorundam aliorum è Catholicis. Lege Ruiz diſp. 50. ſect. 2. vbi eruditiſsimè oſtendit ex Patribus, quorum teſtimonia in medium profert, quoties docuerunt Patrem eſſe maiorem Filio, quà Filius eſt, nullam

nullatenus locutos de maioritate dignitatis, ſeu perfectionis, ſive in natura, ſive in perſona: ſed ſolùm in ratione cauſę aut principij, quod debet eſſe origine prius eo, cuius principium eſt, ac proinde quoddammodo maius. Cùm verò aliàs divinæ perſonæ habeant eandem omnino naturam, ſimpliciter infinitam in omni genere perfectionis, nequeunt ſecundùm perſonales proprietates habere aliquam verâ perfectionis inæqualitatem: quia repugnat omnino, tres hypoſtaſes per identitatem includere eandem numero dignitatem & perfectionem ſummam, ac ſimpliciter infinitam, quin omnes & ſingulæ ſint ſummæ perfectionis, & ſimpliciter infinitæ ſecundùm ſuam entitatem; ac proinde nullatenus inæquales.

9 PRÆMITTO III. Bonitatem, ſicuti & perfectionem, eſſe duplicem; aliam moralem, aliam de genere entis. Prior eſt ipſa rectitudo voluntatis circà bonum rationi conſonum, & fugam à malo ipſi contrario: & hæc non multiplicatur in divinis perſonis, ſed eſt eadem in tribus; nimirum, idem actus voluntatis divinæ, conſentaneus ſummæ ſapientiæ, quæ pariter in tribus eſt vna. Huc ſpectat bonitas vſurpata pro æquitate, iuxta quam dicitur bonus vel æquus quiſquis propenſus eſt ad ferendum iudicium ex bono & æquo, potiùs iuxta rationem ac mentem Legislatoris, quàm iuxta litteram legis; non tanquam prædurus interpres, aut ἀκριβοδίκαιος, ideſt, exactè iuſtus, ſed veluti proclivis ad indulgendū. Quæ bonitas, ſeu virtus, in voluntate dicitur Epijkia ab Ariſtotele lib. 5. Ethic. cap. 10. & in intellectu Gnome, iuxta ipſum lib. 6. cap. 11. in quorum locorum Commentarijs, & Diſputationibus, plura eodē ſpectantia obſervavimus. Eiuſmodi autem virtus, tum intellectualis, tum moralis, ſi fortè in Deo locum habet, quatenus eſt ſummè propenſus ad indulgendum, non multiplicatur in divinis perſonis, ſed eadem omnino eſt, ſicuti conſtat de Miſericordia & Clementia, quibuſcum Epijkia & Gnome nō modicam affinitatem habent. Ac fortaſſe illas ſignificat Chriſtus D. in Deo, dum Math. 5. exhortans nos ad dilectionem inimicorum, & beneficentiam, adhuc circa malos, ait: *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* Itaque de perfectione, prout ſignificat virtutem, ſeu intellectualem, ſeu moralem, certum eſt apud omnes, in tribus divinis perſonis vnicam eſſe, & cuiuslibet multiplicationis expertem.

10 POSTERIOR Bonitas, ſeu perfectio de genere entis, multò vniverſalior eſt, quàm præcedens, & vagatur per omnia rerum genera, quotquot verè exiſtunt, ſive rationis capacia ſint, ſive expertia: conſiſtitque in eo, vt res habeat quidquid ſibi conveniens eſt ad integritatem, vt propterea nihil ei deſit, ſive ſimpliciter, ſive in certo genere, ſive quoad eſſentiam, ſive quoad accidentia connaturaliter debita. Hoc ſenſu *perfectum* definitur ab Ariſtotele varijs locis, vt ſit *id, extra quod nihil eorum, quæ ſunt ipſius, accipi poteſt.* Ita enim loquitur lib. 2. de Cœlo cap. 4. textu 23. & pleniùs id exponit lib. 5. Metaph. cap. 16. cui epigrapha, Τέλειον πολλαχῶς λέγεται. ideſt, *Perfectum quot modis dicatur.* Ac ſtatim inchoat caput dicens: *Perfectū dicitur vno quidem modo, extra quod non eſt vllam accipere particulam.* Ac paulo poſt ea perfecta eſſe dicit, quæ *ſecundùm propriæ virtutis ſpeciem in nullo deficiunt.* Et deinceps vniverſè loquens: *Vnumquodque tunc perfectum eſt, cuncta que ſubſtantia tunc perfecta, cùm ſecundum ſpeciem propriæ virtutis nulla deſit particula magnitudinis naturalis.* Similiter lib. 3. Phyſicorum cap. 6. textu 63. & 64. ait: *Cuius nihil eſt extra, ideſt perfectum ac totum. Hoc enim pacto totum conſueVimus definire, totum dicentes id eſſe, cuius nihil prorſus abeſt.* Quæ doctrina videtur manifeſta ex communi notione, quam omnes anticipato naturæ iudicio habemus de qualibet re perfecta: eoque ſenſu Iſidorus lib. 7. Originū cap. 1. ait: *Deus perfectus dicitur, quia nihil ei poteſt adijci.* Itaque vt res quælibet dicatur ſimpliciter bona, ſeu perfecta, debet continere quæcumque ſpectant ad integritatem ipſius: id eſt, non ſolùm ad prædicata eſſentialia, ſed etiam ad potentias, virtutes, operationes, & vltimum actū. Quod diſertè exponit S. Thomas 5. Metaph. textu 21. lect. 18. & 1. p. q. 4. art. 11. ad 1. & q. 5. art. 5. corpore. Præterea bonitas, adhuc intra genus entis, accipi ſolet pro perfectione ſimpliciter dicta, ſeu dignitate, magnitudine, ſive excellentia quadā, conſtituente rem ſimpliciter æſtimabilem, ſeu pretio dignam. Porrò bonitas accepta pro integritate, ſolet appellari tranſcendens pro perfectione verò ſeu dignitate ſimpliciter accepta dicitur bonitas formalis. Et vtroque ſenſu quærimus, An relationibus divinis, prout condiſtinctis ab eſſentia cōveniat bonitas peculiaris: ſed diſſidium præcipuum eſt iuxta priorem ſenſum. Nam iuxta poſteriorem vix diſſenſio eſſe poteſt, vt monet Eſparza vbi ſuprà; cùm nullus Catholicus neget in divinis tres perſonas, quarum quælibet, prout diſtincta à reliquis, eſt integra, & perfecta in ſingulari.

11 NOTAT Caietanus vbi ſuprà, diſtingui debere inter perfectionem relationis & perfectionem relativam. Quippe ambo hæc differre. Nam ad perfectionem relationis ſat eſt quòd illa de facto ſive in re ſit perfecta ratione cui-

cuiuslibet prædicati impliciti, ſeu realem cum ea identitatem habentis. Ad perfectionem verò relativam exigitur, vt perfectio ipſa conveniat relationi in ſenſu formali, ſeu intra proprium genus relativum, quatenus diſtinctum quoddammodo ab omni perfectione abſolute. Sic etiam dici frequenter ſolet, terminationem actus liberi importare perfectionem in Deo; non tamen perfectionem liberam, quæ proinde potuerit non eſſe in Deo, ſed perfectionem neceſſariam volitionis divinæ: de quo plura præmiſimus Tomo I. Diſp. XXXVII. Quæſtionis igitur eſt, an relationes divinæ importent, non qualemcumque perfectionem, ſed relativam. Supponimus enim, in vnaquaque relationum divinarum claudi per identitatem, ſaltem realem, quidquid eſt abſolutæ perfectionis in Deo. Quare diſſidium eſt, an præterea ſingulæ relationes, ſeu hypoſtaſes divinæ importent perfectionem relativam, ſive intra proprium genus; quæ proinde virtualiter, vel alio quodam modo, ſit diſtincta & ſuperaddita perfectioni abſolutæ.

SECTIO SECVNDA.

Excluditur à perſonis diuinis triplex bonitas ſeu perfectio, ſicuti & triplex magnitudo, dignitaſque. Triplex ratio eruta ex Anſelmo, aliiſque Patribus, vrgetur diuerſimodè. Effugia Aduerſariorum præcluduntur.

12 DICENDVM I. In diuinis non eſſe tres bonitates, ſeu perfectiones ſimpliciter loquendo, ſed vnicam & indiviſam, tribus perſonis communem. Ita Authores poſterioris ſententiæ, & ex ijs ipſis, qui priorem ſequuntur, plurimi apud Ruiz diſp. 30. ſect. 3.

PRIMA Ratio ac præcipua deſumitur ex celebri effato Anſelmi infrà in Opuſculo, ſeu Epiſtola de Proceſſione Spiritus ſancti, communiter admiſſo à Theologis cum ipſo aſſerentibus, *in diuinis omnia eſſe vnum, vbi non obuiat relationis oppoſitio*. Cuius axiomatis veritas conſtat planè ex Concilio Toletano XI. in Confeſſione Fidei cap. 1 vbi dicitur de perſonis: *Hoc ſolo numerum inſinuant, quod ad ſe ſunt: & in hoc numero carent, quod in ſe ſunt.* Similiter in Concilio Generali Florentino ſeſſ. 18. §. *Dixit*, ita loquitur Ioannes Theologus, ipſo Concilio tacitè approbante: *Equidem ſola relatio apud omnes Græcos & Latinos Doctores, diuina proceſſione perſonas multiplicat: ita, vt non alia ratione quàm vi relationis, vna perſona ab alia differat.* Conſentiunt frequenter Eccleſiæ Patres, Græci ac Latini, vt videbimus in progreſſu, rem ipſam, & veritatem eius axiomatis, ſtabilientes ex profeſſo, varijs locis. Ea nunc breviter probata, aut ſuppoſita, eruitur ratio Aſſerti, ſub hanc differendi formulam. Solùm multiplicant reipſa in divinis perſonis prædicata illa, penes quæ eſt inter eas oppoſitio relativa. Atqui penes bonitatem, ſeu perfectionem, nulla eſt inter perſonas oppoſitio relativa. Ergo bonitas, ſeu perfectio, non multiplicatur ſimpliciter ac reipſa in divinis perſonis. Maior propoſitio traditur ex profeſſo ab Anſelmo, & alijs Patribus, eiuſque authoritas innititur doctrinæ Conciliorum, vt nuper indicatum eſt. Minor autem ſuadetur: Quia iuxta fidem perſonæ divinæ non opponuntur penes eſſentiam, cùm ea ſit planè communis tribus verè & per identitatem. Vnde quælibet illarum in Concilijs dicitur, PERFECTVS DEVS. Ergo neque opponuntur quoad bonitatem, ſive perfectionem aliquam in toto genere entis. Pater conſequentia: quia eſſentia divina per ſe ipſam, & ex ſuo conceptu formali eſt omnis bonitas & perfectio de genere entis: cùm conſiſtat in ratione entis à ſe, vt vidimus Tomo I. Diſp. XXIV. quæ in ſuo conceptu formali excludit omnem dependentiam, limitationemque: ac proinde plenitudinem bonitatis & perfectionis in omni genere claudit, abſque vllo defectu perfectionis, bonitatiſve intra totum genus entis. Ergo ſicuti perſonæ divinæ nullatenus opponuntur in eſſentia: ita neque in vlla bonitate aut perfectione intra totum genus entis.

13 VRGETVR Ratio eadem. Ideo tres perſonæ nullam ſubeunt pluralitatem perfectionum attributalium vt æternitatis immenſitatis, ſapientiæ, &c. quia quoad illas nullatenus opponuntur: ideo autem non opponuntur in ijs, quia conveniunt in vna numero eſſentia, quæ per ſe ipſam, & abſque omni diſtinctione reali, aut virtuali intrinſeca, eſt æternitas, immenſitas, ſapientia, &c. vti oſtenſum fuit latè Diſp. XXV. & XXVII. Atqui eadem divina eſſentia per ſeipſam, & abſque vlla diſtinctione reali aut virtuali intrinſeca, eſt omnis bonitas, ſeu perfectio de genere entis. Eſt enim ex ſuo conceptu formali ens à ſe: ac proinde eſſentialiter excludit omnem dependentiam à qualibet cauſa, omnemque ſubinde limitationem à qua ſola poſſet provenire quilibet defectus, ſive privativus, ſive negativus perfectionis intra totum genus entis. Ergo tres perſonæ divinæ nullam ſubeunt pluralitatem alicuius bonitatis aut perfectionis intra totum genus entis.

14 DICES. Eſſentiam divinam, quam vis ſit ens à ſe, ac proinde illimitatum ſimpli-

ci-

citer in toto genere entis, adhuc non includere in ſuo formali conceptu entitatem ac realitatem peculiarem relationum, ſed diſtingui ab ea virtualiter intrinſecè, ac locum præſtare vt tres perſonæ ſint tres res, & tria entia relativa. Quod nos ipſi ex profeſſo docuimus Diſput. LXXII. ſect. 1. & 3. Ergo pariter, quamvis eſſentia divina ſit ens à ſe, ac proinde illimitatum ſimpliciter in toto genere entis, poteſt nõ includere in ſuo concepto formali bonitatem ac perfectionem peculiarem relationum, ſed diſtingui ab ea virtualiter intrinſecè. Vndè & locum præſtat, vt perſonæ divinæ ſint tres bonitates, ſeu perfectiones relativæ.

15 SED Contrà Quod enim eſſentia divina diſtinguatur virtualiter intrinſecè à perſonalitatibus, ac proinde ab entitate, & realitate relativa illarum, nullam in ea arguit imperfectionem, vel defectum perfectionis, ſed ſolùm ſummam & perfectiſsimam fœcunditatem, quæ omnino exigit diſtinctionem realem trium perſonarum, ac ſubinde tres res, & tria entia relativa. Quod nullatenus poteſt eſſe verum, niſi inter eſſentiã & hypoſtaſes ſit aliqua diſtinctio virtualis intrinſeca, vi cuius ſubire poſsit entitas divina in re prædicata quaſi cõtradictoria: vt fusè explanatum fuit Diſp. illa XXVII. Quòd autem eadem eſſentia diſtinguatur virtualiter intrinſecè à bonitate aut perfectione aliqua propria perſonarum, arguit in ea defectum aliquem perfectionis, ſaltem negativum: quoniam ſic ex ſuo conceptu formali & ratione abſoluta non eſſet omnis perfectio, niſi ſolùm materialiter, ſive identicè, vt aiunt. Quod repugnat conceptui obiectivo entis à ſe, excludentis omnem dependentiam, limitationemque; ac ſubinde omnem defectũ, ſeu ptivativum, ſeu negativum, cuiuslibet perfectionis.

16 SECVNDA Ratio eruitur ex doctrina Anſelmi, aliorumque Patrum, ſuperiùs num. 6. & ſeqq. qua vniversè pronuntiant, tantam eſſe æqualitatem divinarũ perſonarum, vt nulla ex ijs ſit perfectior alia, nec duæ aut tres ſimul ſint aliquid melius aut maius, quàm ſingulæ ſeorſim acceptæ. Recolantur quæ ibidem latè ſtatuta ſunt, quæque nõ abſurdè colliguntur ex articulo illo celebri in Symbolo S. Athanaſij: *Et in hac Trinitate nihil prius aut poſterius, nihil maius aut minus: ſed totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales.* Vbi vox *totæ* denotat planè æqualitatem perſonarũ ſummam, non ſolùm penes eſſentiam communem, ſed etiam penes prædicata propria perſonarum. Inde verò colligitur bonitatẽ, ſive perfectionem, non multiplicari in tribus. Sic enim neceſſum eſſet, vt quemadmodum peculiares illæ bonitates & perfectiones ſpecie differrent, ita etiam eſſent inæquales: quoniam inæqualitas rerum attenditur maximè ſecundùm diverſam in ſpecie bonitatem perfectionemque. Præterea oporteret, vt duæ aut tres perſonæ ſimul eſſent aliquid perfectius, quàm ſingulæ: quoniam vltra perfectionem eſſentiæ communem, duæ aut tres adderent totidẽ bonitates & perfectiones peculiares, quæ abſdubiò excederent vnam ſolam. Eſſet ergo inæqualitas aliqua in divinis perſonis invicem comparatis, contra quàm Patres Eccleſiæ, & omnis Antiquitas Chriſtiana docuit.

17 DICES I. Nullam fore inæqualitatem perſonarum: quoniam adhuc ſingulis conveniret tota perfectio eſſentiæ, radicaliter, ſeu æquivalenter continens quidquid eſt bonitatis & perfectionis peculiaris in relationibus, ſeu perſonis.

18 SED Contrà I. Oſtenſum eſt iam ratione præcedenti, eſſentiam divinam ex cõceptu abſoluto entis à ſe, continere formaliter ac per ſe ipſam, abſque vlla diſtinctione virtuali intrinſeca, quidquid eſt bonitatis, & perfectionis in toto genere entis. Ergo ſicuti quælibet perſona divina includit, non radicaliter, aut æquivalenter ſolùm, ſed formaliter totam eſſentiam Dei (alioqui ſingulæ perſonæ non eſſent perfectus Deus) ita etiam continet omnem perfectionem de genere entis, non radicaliter aut æquivalenter ſolùm, ſed formaliter.

19 CONTRA II. Si vna aliqua ex perſonis fingatur non habere perfectionem formalem omnipotentiæ, aut æternitatis v. g. ſed eſſentiæ ſolius, cõtinentis radicaliter aut æquivalenter perfectionem omnipotentiæ, æternitatiſve, in reliquis perſonis formaliter exiſtentes; eſſet profectò ijs perfectione inæqualis: quoniã reliquæ vltra perfectionem eſſentiæ communẽ tribus, excederent illam in formali perfectione omnipotentiæ aut æternitatis. Si igitur vna alĩ qua ex perſonis non habet perfectionem formalem ac relativam trium, vel reliquarum, ſed ſolius eſſentiæ radicaliter aut æquivalenter eam continentis; profectò erit perfectione relativa inæqualis tribus, aut duabus reliquis perſonis.

20 CONTRA III. Quamvis eſſentia divina aſſeratur continere radicaliter aut æquivalenter paternitatem, filiationem, & ſpirationem paſsivam, in nullo vero ſenſu Pater eſt Filius, aut Spiritus ſanctus: quoniam ijs opponitur relativè ſecundùm propriam hypoſtaſim, ſeu perſonalitatẽ. Ergo quamvis eſſentiã divina aſſeratur continere radicaliter aut æquivalenter perfectiones proprias ac relativas paternitatis, filiationis, ac ſpirationis paſsivę; in nullo vero ſenſu Pater erit perfectas perfe-

ſectione propria ac relativa filiationis aut ſpirationis, ſed ſolius paternitatis, quoniam pariter opponetur Filio & Spiritui ſancto ſecundùm proprias eorum perfectiones relativas. Vnde & conſequens eſt, vt Pater ſit minùs perfectus relativè, quàm tres, vel duæ reliquæ perſonæ ſimul.

21 CONTRA III. Id præterea evincitur, eſſentiam divinam in re & per identitatem eſſe perfectionem, ac meliorem, quàm vnamquamque ex perſonis ſeorſim: quia vltra perfectionem abſolutam ſibi convenientem, & perfectionem relativam vnius perſonæ, habet in re, & per identitatem, duas alias perfectiones relativas reliquarum perſonarum. Omne autem id quod habet in re & per identitatem plures perfectiones formales diverſas, quàm aliud, eſt in re perfectius illo. Ergò eſſentia divina erit in re perfectior, quàm quælibet ex perſonis ſeorſim. Quod tamen manifeſtè obſtare ſummæ æqualitati reali inter omnia divina prædicata, à Patribus traditæ, & fidei Catholicæ cohærenti, nemo non viderit.

22 DICES II. Ex doctrina aliorum ex Adverſarijs, quamvis ſingulæ perſonæ habeant proprias ac peculiares perfectiones relativas, adhuc ſummam in ijs eſſe æqualitatem ratione τῆς περιχωρήσεως, ſive circuminſeſsionis; vi cuius vnaquæque perſona exigit aliam, & quoddammodo per eam perficitur, tanquam per principium aut terminum. Quæ ſolutio videtur cohærens doctrinæ Anſelmi infrà c. 57. aliàs 59. aientis: *Iocundum eſt intueri in Patre & Filio, & vtriuſque Spiritu, quomodo ſint in ſe invicem tanta æqualitate, vt nullus alium excedat.* Et poſt pauca: *Eſt enim totus Pater in Filio & communi Spiritu, & Filius in Patre & eodem Spiritu; & idem Spiritus in Patre & Filio: quia memoria ſummæ eſſentiæ tota eſt in eius intelligentia, & in amore; & intelligentia in memoria, & in Amore; & Amor in memoria, & intelligentia.* Itaque cùm quælibet perſona divina comparetur ad reliquas tanquam producta aut producens per intelligentiam, ſive memoriam, aut amorem; colligi videtur, vnamquamque ex ijs ſpectare ad perfectionem reliquarum per modum principij aut termini; ideoque nullum eſſe locum inæqualitati illarum, quamvis vnaquæque peculiarem perfectionem relativam habeat.

23 SED Contrà. Quamvis enim ſit vera circuminſeſsio divinarum perſonarum, ratione cuius vnaquæque ex perſonis eſt tota in alia, veluti in principio aut termino; eiuſmodi doctrina non prodeſt ad aſſerendā æqualitatem omnimodam perſonarum, ſi aliunde in ijs multiplicatur bonitas, ſeu perfectio relativa. Melius enim & præſtantius eſt habere per identitatem plures bonitates & perfectiones, quàm vnam ſolam, per ſe loquendo. Atqui non obſtante circuminſeſsione, tam eſſentia divina, quàm tres perſonæ ſimul, iuxta ſententiam Adverſariorum, habent in re & per identitatē, tres bonitates ſive perfectiones relativas: quælibet autem perſona ſeorſim non habet in re, & per identitatem, niſi vnam bonitatem aut perfectionem relativam tantùm. Ergo non obſtanti circuminſeſsione, tam eſſentia divina, quàm tres perſonæ ſimul, iuxta ſententiā Adverſariorum, proculdubio in re erunt aliquid melius & præſtantius, quàm vna ſola. Ratio autem à priori eſt, quia per ſe loquendo, & ex terminis, vt aiunt, melius ac præſtantius eſt in qualibet re habere aliquam perfectionem identificatam reipſa, quàm diſtinctam, quantò melius ac præſtantius eſt habere rationem puri & ſimplicis actus, quàm miſti, ſeu coaleſcentis ex activo & paſsivo. Si igitur in divinis ſunt tres perfectiones relativæ identificatæ reipſa cum eſſentia & cum tribus perſonis, diſtinctæ verò in re à qualibet perſona ſeorſim; melior & præſtantior erit, tum eſſentia, tum triplex perſona, quàm vna ſolùm. Neque hinc colligas, idem fore dicendum in noſtra ſententia, ſi ratio hæc vrget: quoniam iuxta omnes eſſentia divina identificat ſibi in re tres hypoſtaſes, quas tamen non identificat ſibi quælibet perſona ſeorſim. Reſpondemus enim, rationem præiactam ſolùm ac nominatim procedere de perfectionibus, quas habere per identitatem eſt aliquid longè ſublimius, per ſe loquendo, quā aliter quomodocumque habere. In noſtra autē ſententia, cùm non ſint in divinis plures perfectiones ſecundùm rem, ſed ſolùm plures hypoſtaſes; nullatenus colligitur præſtantia aliqua, vel eſſentiæ, vel triplicis perſonæ ſupra vnam, ex identitate reali cum tribus hypoſtaſibus.

PRÆTEREA. Si vna ex perſonis divinis exigeret aliquam perfectionem abſolutam, ſolùm vt principium, aut terminum, non eſſet æqualis alteri perſonæ illam exigenti per idētitatem. Ergo idem dicendum eſt quoad perfectionem relativam. DENIQVE. Habere perfectionem aliquam intrinſecè, & per ſe, melius eſt, quàm illam habere terminativè, aut extrinſecè ſolum. Atqui, non obſtante circuminſeſsione, Deitas, iuxta Adverſarios, habet tres perfectiones intrinſecè & per ſe; ſingulæ autē perſonæ ſolùm habent duas illarum terminativè & extrinſecè. Ergo, non obſtanti circuminſeſsione, deitas erit melior, quàm ſingulæ perſonæ. Hoc autem patet eſſe falſum.

24 TERTIO Suadetur ratione ſumpta ex Anſelmo ſuprà cap. 3. cui epigrapha:

Quod

Quod ſit quædam ſumma natura, per quam eſt quidquid eſt, quæ per ſe eſt, & eſt ſummum omnium, quæ ſunt. Deindeque in progreſſu capitis ait: *Eſt igitur vnum aliquid, quod ſolum & maximè & ſummè omnium eſt. Quod autem maximè & ſummè, id neceſſe eſt eſſe ſummè bonum, & ſummè magnum, & ſummum omnium, quæ ſunt. QVARE EST ALIQVID, QVOD, SIVE ESSENTIA, SIVE NATVRA DICATVR, OPTIMVM ET MAXIMVM EST, ET SVMMVM OMNIVM QVÆ SVNT.* Præmiſſerat verò cap. 2. de eodem natura, ſeu eſſentia divina: *Illud itaque eſt ſummè bonum, quod ſolum eſt per ſe bonum.* Vide commentarium noſtrum in ea loca. Itaque Anſelmus ibidem oſtendit, ſolam eſſentiam, ſive naturam divinam, eſſe per ſe bonam ac magnam, immo per ſe optimam & maximam; reliqua autem omnia, quęcumque bona & magna ſunt, non niſi per illam bona & magna eſſe. Vnde ſubducitur ratio in hunc modum: Tribus hypoſtaſibus divinis non convenit bonitas aut magnitudo ratione ſui, ſive ex vi peculiaris conceptûs relativi; ſed dumtaxat ratione eſſentiæ ſive naturæ divinæ in ijs clauſæ. Ergo in tribus hypoſtaſibus divinis non multiplicatur bonitas, vel magnitudo, proindeque nec perfectio. Antecedens traditur, immo & demonſtratur ab Anſelmo, vtroque eo capite, ac nunc breviter ſuadetur: Quia tribus hypoſtaſibus divinis, & vnicuique earum, non convenit Deitas ratione ſui, ſeu ex vi peculiaris conceptus relativi, vt patet; ſed dumtaxat ratione eſſentiæ, ſive naturæ divinæ. Atqui eſſentia, ſive natura divina ratione ſui eſt ſumma bonitas & magnitudo. Ergo tribus hypoſtaſibus non convenit bonitas, & magnitudo ratione ſui, ſive ex vi peculiaris conceptus relativi; ſed dumtaxat ratione eſſentiæ ſive naturæ divinæ. Idemque patet à ſimili quarumlibet perfectionum abſolutarum, quæ ſolùm conveniunt hypoſtaſibus ratione naturæ divinæ, quæ ſola per ſe eſt omnis abſoluta perfectio. Iam verò conſequentia pręcipua probatur: Quia ſolùm multiplicatur in hypoſtaſibus divinis id, quod cõvenit ijs ratione ipſarum, ſive ex vi propria ac peculiaris conceptûs relativi: non autem id, quod ſolùm ratione eſſentiæ. Et hæc eſt ratio à priori cur in ijs non multiplicetur æternitas, immenſitas, ſapientia, iuſtitia, miſericordia, ac reliquæ perfectiones abſolutæ: quia nimirũ, non conveniunt hypoſtaſibus ratione ſui ipſarum, ſed ſolius eſſentiæ, quæ eſt vnica in tribus. Si igitur magnitudo, & bonitas, ſubindeque perfectio, convenit hypoſtaſibus divinis ſolùm ratione eſſentiæ, nullus eſt locus vt aliqua earum multiplicetur reipſa in divinis perſonis.

25 HVC ſpectant invicta, & ad rem noſtram opportuna teſtimonia S. Auguſtini, quæ ob oculos videatur habuiſſe Anſelmus, dũ præiactam doctrinam traderet. Etenim Magnus Auguſtinus in Quæſtionc. de Trinit. initio inquirit: * Cur tres perſonas, nec tres omnipotentes, nec tres bonos, nec tres magnos dicere fas eſt? Reſpondet verò: Quia Deus, & omnipotens, & magnus, & bonus, ſubſtantialia nomina ſunt, & ad vnum dicuntur; ideo non licet ea plurali nomine dicere, ſed ſingulari. Et omne nomen, quod ſubſtantiam Dei, vel eſſentiam ſignificat, ſemper ſingulari numero proferendum eſt. Pater autem & Filius relativa ſunt nomina: & ideo tres perſonæ rectè dicuntur. * Præterea libr. 5. de Trinitat. cap. 8. aiebat: *Quemadmodum enim Deus eſt Pater, Filius Deus eſt & Spiritus ſanctus Deus eſt; non tamen tres Deos dicimus, ſed vnum Deum: ita magnus Pater, magnus Filius, magnus Spiritus ſanctus; nõ tamen tres magni ſed vnus magnus.* Et circa finem eiuſdem capitis *Sicut non dicimus tres eſſentias, ſic non dicimus tres magnitudines, ſed vnam eſſentiam, & vnam magnitudinem.* Similiter lib 1. de Doctr. Chriſt. cap 5. concedit in divinis tres res, & vnam; negat tamen triplicem perfectionem, & vnicam adſtruit, dicens: *Eadem tribus æternitas, eadem incommutabilitas, eadem maieſtas:* id eſt, dignitas, & perfectio ſumma. Cui eidem doctrinæ ſuffragatur D. Thomas 1. p. q 42. art. 4. ad 2. dicens: *Sicut igitur eadem eſſentia, quæ in Patre eſt paternitas, in Filio eſt filiatio: ita eadem dignitas, quæ in Patre eſt paternitas, in Filio eſt filiatio.* Ac præterea q. 2. de Potentia art. 4. ad 14. inquit: *Sicut paternitas in Patre, & filiatio in Filio, ſunt vna eſſentia: ita & ſunt vna dignitas, & vna bonitas.*

26 QVÆ omnia ſic expendere licet, cohærenter ad rationem ipſam S. Anſelm. In tribus perſonis divinis eſt vnica magnitudo maieſtas, dignitas, & bonitas, ſicuti eſt vnica eſſentia. Ergo etiam eſt vnica perfectio in ijs, non triplex. Antecedens traditur palam ab Auguſtino, & Thoma, ſicuti ab Anſelmo: quoniam nimirum, quidquid eſt magnitudinis, maieſtatis, dignitatis, & bonitatis, in omnibus & ſingulis perſonis divinis, competit ijs ratione vnius & indiviſæ eſſentiæ. Conſequentia autem ſuadetur facilè: Quia in rebus ſublimibus, præſertim divinis, idem omnino eſt perfectio, ac magnitudo, maieſtas, dignitas, & bonitas. Ergo ſicuti quælibet iſtarum eſt in Deo vnica, non triplex: ita etiam vnica, non triplex perfectio eſt.

27 CONFIRMATVR. Ideo in divinis perſonis non multiplicatur immenſitas, æter-

æternitas, omnipotentia, & reliquæ perfectiones abſolutæ, quas Græci Patres τέλεια κατηγορήματα, id eſt, perfecta prædicata, Latini proprietates divinæ naturæ, & Scholaſtici Attributa dicunt, quoniã conveniunt perſonis ratione naturæ divinæ, vel eſſentiæ, quæ eſt vnica & indiviſa. Atqui etiam magnitudo, maieſtas, dignitas, & bonitas, ſubindeque perfectio, cõvenit divinis perſonis ratione ſolius eſſentiæ: vti ex Auguſtino, Anſelmo, ac Thoma, oſtẽſum eſt. Ergo nullatenus multiplicatur in diuinis perſonis magnitudo, maieſtas, dignitas, aut bonitas; & per conſequens nec perfectio.

28 DICES Fortaſſe, ea teſtimonia intelligi debere de magnitudine, maieſtate, dignitate, ac bonitate abſoluta, non autem de relativa: ac proinde locum eſſe, vt hæc poſterior multiplex ſit iuxta numerum perſonarum, quãvis perſiſtat vnica, & indiviſa illa prior.

29 SED Enim hæc evaſio iam præcluſa fuit ſatis argumento præiacto, ſi ſeriò expendatur: ac præterea reijcitur multipliciter. PRIMO: Quia Anſelmus, ſicuti Auguſtinus, & D. Thomas, ſolùm agnoſcunt in divinis perſonis magnitudinem, maieſtatem, dignitatem, bonitatemque vnam, ratione eſſentiæ. Vnde idem Auguſtinus lib. 7. de Trinit. cap. 1. aiebat: *Non alio magnus, alio Deus: ſed eo magnus, quo Deus: quia non aliud illi magnum eſſe, & aliud Deum eſſe.* Et cap. 6 ſequenti: *Hoc illi eſt eſſe, quod magnum, quod bonum eſſe.* Ergo contra illorum mentem eſt aſſerere præterea tres magnitudines, dignitates, ac bonitates relativas, quæ conveniant totidem perſonis ratione ipſarum. SECVNDO: Quia iuxta datam interpretationem liceret adſcribere tribus perſonis totidem omnipotentias, ſapiẽtias, æternitates, immẽſitateſque relativas. Nam quamvis Patres iuxta Symbolum Athanaſij negent in divinis tres omnipotentes, ſapientes, æternos, & immenſos, pariter exponi poſſent de omnipotentia, ſapientia, æternitate, & immenſitate abſoluta, quaſi hæc ſola ſit vna in tribus; relativa verò triplex. Conſequens autem abſurdum eſſe patet. TERTIO: Si enim magnitudo in divinis accipitur non ſolùm abſolutè, ſed relativè, veluti multiplicabilis, nulla fuiſſet ratio, cur Auguſtinus negaret in divinis tres magnos ſubſtantivè: ſicuti quia realitas in divinis accipitur, tum abſolutè, tum relativè, idem Auguſtinus, & Anſelmus, ac reliqui Patres allegati ſuprà Diſp. LXXI. concedunt in perſonis divinis vnam rem, & tres res ſubſtantivè multiplicatas. Cùm igitur negent in divinis tres magnos, quamvis concedant tres res; colligitur planè, magnitudinem in Deo ſolùm dici abſolutè, ac proinde eſſe immultiplicabilem relativè. QVARTO: Denique. Patres ideo in divinis perſonis aſſerunt vnicam magnitudinem, maieſtatem, dignitatem, bonitatemque, vt oſtendant contra Arianos ſummam, & perfectam æqualitatem illarum. Hæc autem non ſatis ſtabiliretur, aſſignata vnicuique perſonæ propria magnitudine, dignitate, ac bonitate relativa. cùm enim eiuſmodi perfectiones in tribus perſonis deberent eſſe ſpecie diverſæ, pariter eſſent inæquales. Statuta verò inæqualitate relativa perfectionis inter perſonas, difficilè probaretur æqualitas abſoluta illarum, ſive quoad eſſentiam, adverſus Arianos. Immo quælibet argumenta Patrum contra illos, facilè ab ijs ipſis regererentur, & enervia redderentur à pari inæqualitatis relativæ ad abſolutam.

SECTIO TERTIA.

Vrgetur quarta ratio ex Symbolo Athanaſij deſumpta, contra plures ſolutiones Aduerſariorum.

30 QVARTO Probatur noſtra ſententia ex verbis Symboli S. Athanaſij, quibus de Chriſto D. dicitur: *Perfectus Deus, perfectus homo, &c.* Similiterque à Conciliis & Patribus quælibet ex divinis perſonis dicitur, PERFECTVS DEVS. Vnde Anſelmus infrà c. 14. aliàs 43. ait: *Eſt autem perfectè ſumma eſſentia Pater, & perfectè ſumma eſſentia Filius. Pariter ergo Pater perfectus per ſe eſt, & pariter perfectus Filius per ſe eſt, ſicut vterque ſapit per ſe.* Hinc autem ſic argumentari licet. Si perſonæ divinæ addunt ſupra eſſentiam, ſive divinitatem, tres perfectiones relativas invicem, ac reipſa diſtinctas, Filius non erit perfectus Deus, contra quàm in Symbolo aſſeritur. Nequit enim eſſe perfectus Deus, niſi à divinitate ſibi communicata ſecundùm omnem ipſius perfectionem. Si autem paternitas, v.g. ex proprijs affert perfectionem relativam, hæc proculdubio perficiet in ſenſu formali divinitatem. Cumque paternitas non communicetur Filio, vt fide ſanctum eſt; nec divinitas perfectè Filio communicabitur, proindeque non erit perfectus Deus.

31 VRGETVR Amplius, & explanatur. Vt quodlibet concretum perfectè ſubeat denominationem à forma provenientem, debet ipſi communicari forma quoad omnem perfectionem formalem. Ergo vt Filius denominetur à divinitate perfectus Deus, debet ipſi communicari divinitas quoad omnem formalem perfectionem. Atqui non communicatur Filio divinitas quoad paternitatem: quippe, cui Pater omnia dedit, præter eſſe Patrem, vt definitum

tum est in Concilijs. Ergo paternitas ex propria ac peculiari ratione non exprimit relativam perfectionem. Alioqui enim Filius non erit perfectus Deus, nec denominabitur perfectè talis: siquidem divinitas non communicabitur ei penes illam perfectionem formalem, quam habet ratione paternitatis.

32 RESPONDENT Adversarij, vt Filius sit perfectus Deus, satis esse, quòd ipsi cõmunicetur cum divinitate omnis perfectio simpliciter simplex, qualem afferunt omnia attributa seu prædicata absoluta Dei; nec oportere vt præterea accipiat perfectiones non simplices simpliciter, quales sunt relativæ, nisi eminenter solùm, quatenus in essentia, vt radice, continentur. Sic enim Filius evadit perfectus Deus, & quo nihil melius aut excellentius cogitari potest: cùm communicetur ipsi in summo & infinito gradu omnis perfectio simpliciter simplex, sive absoluta, idque formaliter; omnis autem perfectio non simplex simpliciter, sed relativa, eminenter.

33 SED Contrà I. Si enim relationes divinæ ex propria & peculiari ratione afferunt perfectionem, hæc profectò erit simpliciter simplex. Quippe eiusmodi perfectio definitur à Theologis cum Anselmo suprà cap. 14. *quæ melior est ipsa, quàm non ipsa, & quàm omne incompossibile cum ipsa.* Atqui perfectiones relativæ in individuo Trinitatis, sive in essentia divina, sunt meliores ipsæ, quàm non ipsæ, & quàm omne cum ijs incompossibile, vt patet. Ergo perfectiones relativæ, si semel asserantur in Deo, sunt simpliciter simplices. Ergo Filius carens paternitate, caret aliqua perfectione simpliciter simplici conveniente reipsa divinitati: atque adeò non erit perfectus Deus. VRGETVR dupliciter hæc ipsa impugnatio. Primò: Quia respectu naturæ divinæ secundùm se consideratæ, sive respectu individui significati hoc nomine DEVS, melior est quælibet ex hypostasibus relativis, quàm eius carẽtia, & quàm hypostasis absoluta, vt patet. Malum enim esset Deo hypostasibus relativis carere, aut habere hypostasim absolutam, quæ planè excluderet mysterium Trinitatis. Ergo si hypostases divinæ ex propria & peculiari ratione exprimunt perfectionem, illa erit melior ipsa, quàm non ipsa, ac proinde simpliciter simplex. *Secundò*: Quia adhuc relatè ad singulas personas, melior est vnicuique illarum propria hypostasis, quàm alterius personæ; non quidem positivè, sed negativè. Patri enim, v.g. non esset melior filiatio, quàm sit paternitas cum illa incompossibilis in eâdem persona: & è contrà. Id autem satis est, vt quælibet illarum, si perfectionem exprimit, sit perfectio simpliciter simplex.

34 CONTRA II. Permisso quòd eiusmodi perfectiones relativæ dicantur perfectiones non simpliciter simplices, sed in certo dumtaxat ac relativo genere, vt Adversarij loquuntur; id certum est, eas debere esse perfectiones absque vlla prorsus imperfectione. Ergo sicuti propterea formaliter conveniunt reipsa deitati, quia est summè & infinitè perfecta; etiam formaliter deberent convenire Filio Dei, quia est Deus summè perfectus. Atqui Filio Dei non convenit vlla perfectio relativa paternitatis, sicut nec spirationis passivæ, vt patet. Ideo ergo est, quia nec paternitas, nec spiratio passiva afferunt peculiarem & relativam perfectionem.

35 CONTRA III. Ideo temperantia & fortitudo, aliæque virtutes morum ijs subiunctæ, conveniunt Deo solùm eminenter, quia ex suo conceptu formali afferunt imperfectionem: è contrà verò sapientia, prudentia, aliæque virtutes circa actiones conveniunt ipsi formaliter, quoniam ex suo conceptu formali important perfectionem, absque vlla imperfectionis labe. Atqui si in divinis sunt tres perfectiones relativæ distinctæ reipsa, sunt certè perfectiones absque vlla labe imperfectionis, vt patet. Ergo debent convenire non eminenter, sed formaliter Deo summè perfecto. Cùm igitur fide sanctum sit, Filium esse summè perfectum, deberent ipsi tres eiusmodi perfectiones convenire formaliter. quod tamen ipsi repugnare, palam est, & ipsi Adversarij fatentur.

36 CONTRA IV. Si perfectiones sapientiæ, prudentiæ, & iustitiæ, solùm convenirent Filio Dei eminenter, quatenus continentur in deitate vt radice, id non esset satis, vt existeret Deus summè perfectus, seu quo nihil perfectius cogitari potest. Quippe quod eiusmodi est, debet habere, non virtualiter & eminenter solùm, sed formaliter, omnem perfectionem puram, sive nulli imperfectioni admistam. Ergo si perfectiones relativæ paternitatis, & spirationis passivæ, solùm conveniunt eminenter Filio Dei, non erit Deus summè perfectus: cùm & illæ deberent esse perfectiones puræ, sive nulli imperfectioni admistæ, ex suo conceptu formali.

37 DICES, Deum quidẽ debere esse perfectum formaliter in omni genere perfectionis nullam imperfectionem admistã habẽtis, atque adeò debere ipsi competere formaliter triplicem perfectionem relativam hypostaseon divinarũ: cæterũ Filium, vt Filium, sive quoad hypostasim peculiarẽ, & sibi propriã, solùm exprimere perfectionẽ infinitã in linea relativa Filij, ideoque

opus non eſſe vt ſub ea ratione præditus ſit formaliter perfectionibus proprijs paternitatis, & ſpirationis paſſivæ; quamvis alioqui, & quà Deus eſt, illas omnes habeat.

38 SED Facilè refellitur evaſio hæc ex præcedenti impugnatione: Quia Filio, vt Filio, debetur deitas, quatenus ſummè perfecta in omni genere formaliter. Alioqui Filius non eſſet formaliter Deus ſummè perfectus, contra hypotheſim, & doctrinam Catholicam. Atqui deitati, prout exiſtenti in Filio, non debetur paternitas formaliter, vt pater. Aliàs Filius eſſet formaliter Pater. Ergo paternitas in proprio & relativo genere non exprimit formaliter perfectionem. Patet conſequentia. Si enim ita eſſet, ſicuti Filio debetur deitas, quatenus ſummè perfecta formaliter in omni genere, vt ſit Deus formaliter & ſummè perfectus ſic etiã ipſi deberetur formaliter perfectio peculiaris & propria paternitatis, ſive deitatis, quatenus affectæ per paternitatem.

39 VLTERIVS. Filius Dei, quatenus Filius, non minorẽ, ſed eandem omnino importat perfectionem formaliter, quàm Deus, quatenus Deus. Alioqui ille non eſſet Deus perfectus. Atqui Filius Dei, quatenus Filius, non importat reipſa, & per entitatem ſuam, perfectionem aliquam determinati generis intra lineam paternitatis. Alioqui eſſet Pater. Ergo Deus, quatenus Deus, non importat reipſa, & per entitatem ſuam, perfectionem aliquam determinati generis intra lineam paternitatis. Vnde & conſequens eſt, vt in divinis non ſint tres perfectiones reipſa diſtinctæ, intra genera, aut quaſi genera paternitatis, filiationis, & paſſivæ ſpirationis. Illæ enim deberent reipſa & per identitatem convenire deitati, ac proinde Deo, quà Deus eſt, & ſubinde Filio, quatenus Filio: vtpote Deo ſummè perfecto.

40 INSTABIS. Suppoſitâ ſententiâ communi Theologorum à nobis ſtatuta Diſp. præcedenti, quæ docet in divinis eſſe tres res, & tria entia relativa, Filius eſt ſummum ens, & ſumma res, quamvis per identitatem non habeat in ſe realitatem, & entitatem relativam Patris. Ergo etiam ſuppoſitâ triplici perfectione relativa, poterit Filius Dei eſſe ſummè perfectus, quamvis per identitatem non habeat in ſe perfectionem relativam Patris. Quippe eadem videtur vtriuſque ratio. Si enim ratio ſummæ rei, & ſummi entis, poteſt eſſe in Filio Dei, quin habeat realitatem & entitatem relativam Patris; cur non poterit eſſe in ipſo ratio ſummè perfecti, quamvis non habeat aliquam Patris perfectionem relativam? Ac ſanè ſicuti Filius non eſt res aut ens minùs ſummum, quàm deitas, quamvis non identificet ſibi tres realitates & entitates, quas deitas identificat: cur etiam non æquabit perfectione deitatem, quamvis non identificet ſibi tres perfectiones relativas, quas deitas claudit per identitatem?

41 RESPONDEO Negando conſequentiam: quia ratio ſummi, quemadmodum & ratio æqualitatis, non fundantur in realitate, aut entitate, ſed in perfectione ſola: quæ, iuxta Auguſtinum lib. 5. de Trinit. cap. 6. & D. Thomam 1. par. quæſt. 42. art. 4. non attenditur in Deo penes relationes, ſed penes abſolutum. Cùm igitur Filius habeat totam perfectionem abſolutam, quæ in Deo eſt, quamvis non omnem realitatem aut entitatem divinam identificet ſibi, ſemper eſt ſumma res, & ſummum ens, & æqualis immo eiuſdem perfectionis cum ipſa deitate. Si autem non identificaret ſibi omnem perfectionem deitati convenientem, nec eſſet ſummum ens, nec ſumma res, nec æqualis deitati, vtpote habenti plures perfectiones divinas, quàm haberet Filius in ea hypotheſi.

SECTIO QVARTA.

Nullam exprimi perfectionem in relationibus diuinis, prout virtualiter diſtinctis ab omni prædicato abſoluto Dei. Solutiones Aduerſariorum reiectæ.

42 RELATIONES Divinæ ſecundùm proprios conceptus relativos, nõ exprimunt peculiarem aliquam perfectionem, virtualiter intrinſecè diſtinctam à perfectione abſoluta. Ita Auctores omnes ſecundæ ſententiæ, quam hactenus amplexi ſumus: & colligitur manifeſtè ex illa, quidquid in oppoſitum contendant Ruiz diſp. 29. ſect. 5. Vazquez diſp. 122. cap. 6. Ioannes à S. Thoma 1. part. quæſt. 28. diſput. 13. art. 3. Quiros tract. 7. diſp. 43. ſect. 3. & alij plures: qui ita reijciunt hanc aſſertionem, vt tamen negent, perfectiones multiplicari reipſa in divinis perſonis.

43 PROBATVR I. Hoc ipſo quòd perſonæ divinæ addant perfectionem virtualiter intrinſecè diſtinctam à perfectione abſoluta Dei, & ſpectantem explicitè ad genus relativũ, debet multiplicari reipſa in divinis perſonis. Conſequens eſt falſum: vt ſatis evicimus vtrâque præcedenti ſectione, & fatentur Auctores nuper allegati. Ergo & falſum eſt illud ex quo id ſequitur. Maior propoſitio, in quâ ſola poteſt eſſe nunc diſſidium ſuadetur multipliciter. PRIMO ex traditis Tomo I. Diſput. XXVII. vbi fusè traditum & probatum fuit, ea ſola & omnia prædicata in divinis diſtingui virtualiter intrinſecè ab eſſentia, quæ multiplicantur reipſa iuxta numerum perſonarum.

Ideo-

Ideoque inter essentiam,& attributa, quæ nullam realem pluralitatem subeunt,non admisimus distinctionem virtualem intrinsecam, sed extrinsecam dumtaxat.Si igitur personæ supra essentiam adderent perfectionem virtualiter intrinsecè distinctam penes proprios conceptus relativos, oporteret planè, vt perfectio multiplicaretur reipsa in divinis personis. SECVNDO: Quia propterea hypostases,realitates, & vnitates multiplicantur reipsa in divinis personis, quoniam virtualiter intrinsecè distinguuntur ab essentia, & omni prædicato absoluto. Distinctio enim virtualis intrinseca est fundamẽtum quoddam,vt eadem entitas subeat in re singularitatem & pluralitatem, aliaque prædicata contradictoria, citra contradictionẽ vllam:vt ibidem latiùs explanatum fuit.Si igitur perfectio relativa singularum hypostaseon divinarum distinguitur virtualiter intrinsecè à perfectione absoluta Dei,debet reipsa multiplicari iuxta numerum personarũ.TERTIO.Hoc ipso quòd hypostases addant perfectionem virtualiter intrinsecè distinctam à perfectione absoluta,ratio perfectionis divinæ quasi in genere est communis per rationem & formalem transcendentiam absoluto & relativo.Ergo sicuti ob hanc causam realitas,& entitas,& vnitas,multiplicatur reipsa in divinis personis, ita etiam perfectio.Nimirum, quælibet ratio communis per transcendentiam propriè dictam, trahitur ad modum essendi rerum earum,quas transcendit,& per consequens multiplicatur iuxta illarum numerum:vt dicebamus Disp LXX.n.45. QVARTO.Quæcũque cõveniunt personis ex vi lineę relativę,quatenus virtualiter intrinsecè distinctę ab omni prędicato absoluto,multiplicãtur reipsa in divinis personis:vt patet in realitate,entitate,vnitate,& hypostasi Ergo,&c.

44 OCCVRRIT I. Vazquez vbi suprà, dicens, perfectionem posse bifariam vsurpari. Primò pro integritate rei,iuxta ea quæ suprà n. 10.obseruavimus ex Arist. & D.Tho. Secundò pro forma alteri conveniente.Porrò neutro sensu perfectionem multiplicari in divinis,quamvis hypostases ex proprio conceptu relativo exprimant perfectionem, virtualiter distinctam à perfectione absoluta.Non primo;quia cùm omnes hypostases relationesque ad vnam Dei integritatem concurrant, nullatenus multiplicatur illarum perfectio.Nõ secundo modo:Quia perfectio consistens in forma alteri conveniente,vt sit realis perfectio, exigit distinctionem realem ab eo,quod perficit.Hypostases autem, vel relationes divinæ,non distinguuntur reipsa, vel à personis,vel ab essentia,quam perficere intelliguntur. Non ergo sunt reales perfectiones aut personarum,aut essentiæ, sed secundùm rationem tantùm. Quare sicuti propterea perfectiones attributorum non multiplicantur reipsa in Deo,ita nec perfectiones hypostaseon aut relationum,nisi summùm secundùm rationem.

45 SED Contrà. Præter impugnationes enim iam propositas n.43.quæ videntur in suo robore permanere,refellitur facilè doctrina solutionis traditæ,quoad vtramque partẽ. Quoad priorem quidem: Nam quamvis integritas absoluta non multiplicetur reipsa in divinis personis, relativa tamen & personalis verè multiplicatur.Quis enim Catholicus neget,Patrẽ verè esse integram personam,& similiter Filiũ,ac Spiritum sanctũ?Quis etiam inficietur,paternitatẽ esse integrã relationẽ,sicuti & filiationẽ, & spirationẽ passivã? Si igitur perfectio vsurpetur pro integritate,sicuti in divinis verè sunt tres personæ,& tres hypostases integræ,ex proprio & relativo cõceptu importantes perfectionẽ,erunt verè tres perfectiones relativæ. Quoad posteriorẽ verò partẽ refellitur solutio. Si enim propterea hypostases nõ sunt reipsa perfectiones Dei,quoniam ab ipso nõ distinguuntur secundũ rem,neque etiam attributa, vt omnipotentiæ,sapientiæ,iustitiæ, misericordiæ, erunt realesDei perfectiones,quoniam ab ipso nõ distinguuntur reipsa,sed ratione tãtùm.Imò nulla demum erit Deo realis perfectio: quoniam quæcũque assignetur,nullatenus ab ipso distinguitur secundùm rem. Consequens est autẽ est manifestè absurdum: cùm omnibus anticipata naturæ notione exploratũ sit, Deum reipsa ac sũmè perfectũ esse,ac proinde perfectione summa ac reali gaudere. Ergo si semel hypostases, vel relationes exprimunt perfectionẽ propriã,& virtualiter distinctam à perfectione absoluta, quãvis ab ea reipsa non differant, erunt perfectiones reales Dei,ac per consequens multiplicatæ iuxta numerum hypostaseon.

46 NEC Proderit Vasquio si fortè dicat, Deum quidem esse reipsa perfectum,id est,integrum; non autem perfectum reipsa, quatenus perfectum est concretum resultans ex perfectione reipsa conveniente, & ex subiecto, cui illa convenit.In oppositum enim est,quia nõ maior exigitur distinctio inter perfectionem & rẽ ab ea perfectam,quam inter integrãs & integratũ, vt patet.Vtrumque enim intelligitur veluti cõcretum resultans ex forma & subiecto. Ergo quemadmodum Deus est reipsa integer, quamvis hypostases integrantes non distinguuntur ab ipso secundùm rem:ita etiã est reipsa perfectus,quamvis perfectiones,sive absolutæ,sive relativæ, non distinguantur realiter ab illo. Deinde, nulla maior exigitur distinctio inter perfectiones & perfectum,quàm inter constituens & constitutum, habens & habitum. Atqui inter constituens reipsa & constitutum non exigitur realis distinctio;idcoque personæ

divinæ vèrè conſtituuntur relationibus ab ijs indiſtinctis reipſa : ſimiliterque Deus dicitur reipſa habens perfectiones attributorum, & relationes, quin ab eo ſecundùm rem diſtinguantur. Vnde & Apoſtolus 1. ad Timoth. 6. de Deo, ait: *Qui ſolus habet immortalitatem*, cùm tamen immortalitas, ſive immutabilitas, ſit attributum reipſa indiſtinctum à Deo. Ergo pariter poteſt eſſe reipſa perfectus à relationibus, quāvis reipſa ab ipſo indiſtinctis.

47 DEINDE Solutio Vaſquij præcipua impugnatur ab abſurdis, quæ ex illa colliguntur. Sequitur I. nullam perſonam divinam in ſingulari eſſe integram in ſe, aut integrum & perfectum Deum, ſi vnica in divinis integritas eſt: ſiquidem nulla ex perſonis in ſingulari habet in ſe integritatem ex vna eſſentia & tribus hypoſtaſibus conſurgentem. Sequitur II. Deum non eſſe trinum in perſonis, & vnum in eſſentia, ſed dumtaxat vnum: nam, iuxta eundem Authorem, ex eſſentia & perſonis, ſeu hypoſtaſibus, conſurgit vnica integritas, quæ ſolùm eſt apta ad conſtituendum vnam & integram rem, non plures. Sequitur III. Filio Dei non communicari per generationem à Patre, integram perfectionem Dei: ſicuti non communicatur ipſi paternitas, nec ſpiratio paſsiva, quæ, iuxta Vazquez, integrant vnicam perfectionem Dei. Quare Filius non evadet Deus ſummè perfectus. quod eſt abſurdum illatum à nobis ſect. 3. per totam. Ac ſanè ſi Vazquez renuit admittere tres perfectiones reipſa diſtinctas in divinis hypoſtaſibus, ne cogatur dicere, Filium Dei non fore ſummè perfectum, dum non haberet perfectiones paternitatis & ſpirationis paſsivæ; tenetur in divinis admittere plures integritates, non vnicam, quoniam alioqui Filius non eſſet Deus integer, nec perſona integra, quoniam non habet in ſe paternitatem aut ſpirationem paſsivam, quæ in eius opinione ſpectant ad vnicam & eandem Dei integritatem.

48 OCCVRRIT II Ioannes à S. Thoma dicens, quamvis relationes divinæ perfectionem exprimant, eam non explicari in ordine ad terminum, ſed ad ſubiectum, & quoniam ſubiectum, ſive fundamentum divinarum relationum non multiplicatur, ſed eſt vnicum; ita nec perfectiones multiplicari.

49 VERVM Solutio hæc refellitur multipliciter. PRIMO: Quia ſi ſemel relationes, prout virtualiter diſtinctæ ab eſſentia, exprimunt perfectionem, debent hanc explicare ſecundùm munus relativum. Atqui munus relativum non ſolùm eſt in ordine ad ſubiectum, ſive fundamentum, ſed etiam, immo principaliùs, in ordine ad terminum. Ergo debent exprimere eiuſmodi perfectionem, non modò in ordine ad ſubiectum, ſivè fundamentum, ſed etiam, & præcipuè in ordine ad terminum. SECVNDO. Vel relationes, penes id quod ratione addunt ſupra eſſentiam, exprimunt perfectionem propriam & relativam; vel illam non exprimunt, ſed ſolùm connotant eandem omnimo perfectionem fundamenti, ſive eſſentiæ. Si hoc ſecundum dicatur; omnis perfectio divina in ſenſu formali eſt vnica & abſoluta, nulla verò relativa. quæ eſt ipſiſsima ſententia noſtra, à quâ prædictus Author ſe recedere profitetur. Si verò aſſeratur illud primum; debet multiplicari perfectio iuxta numerum relationum, quamvis fundamentum ſit vnicum: quoniam potior ratio eſt vt perfectio ſequatur multiplicitatem relationum, à quibus minùs diſtinguitur, quàm vnitatem fundamenti, à quo diſtinguitur magis Et ſanè ſicuti cum vnitate fundamenti, ſive ſubiecti, cohæret multiplicitas relationum, cur non & perfectionum relativarum? TERTIO: Quoniam ratio hypoſtaſis, ſive perſonalitatis in divinis relationibus non exprimitur in ordine ad terminum, ſed ad ſubiectum, ſive eſſentiam, cum qua conſtituit perſonam? Et tamen hypoſtaſes ſive perſonalitates ſunt in divinis tres, licèt ſubiectum, ſive eſſentia ſit vna. Ergo quamvis perfectio relationum non in ordine ad terminum, ſed ad ſubiectum, vel fundamentum, quod eſt vnicum, exprimeretur, deberent eſſe tres perfectiones divinarum relationum.

50 PROBATVR II. Aſſertum præcipuum, inſtaurando breviter, & ſummatim ſolū aliquas ex rationibus propoſitis ſect. 2. & 3. ne in divinis relationibus ſit triplex perfectio diſtincta. *Imprimis* enim relationes divinæ ſecundùm propriam rationem, quatenus virtualiter ab eſſentia diſtinctam, ſolùm exprimunt id, penes quod opponuntur inter ſe. Atqui non opponuntur vllo modo quoad perfectionem aliquam: vt oſtenſum eſt num. 12. & ſeqq. Ergo ſecundùm rationem propriam, quatenus virtualiter ab eſſentia diſtinctā, nullo modo exprimunt aliquam perfectionē. DEINDE. Relationes divinæ ſecundùm illam rationem peculiarem ac propriam, ſunt diſtinctæ numero ac ſpecie inter ſe: ac proinde ſi exprimunt perfectionē, hæc debet eſſe in ijs inæqualis, quemadmodū & in alijs quibuslibet ſpeciebus inter ſe collatis. Atqui oſtenſum eſt iam ſuprà à n. 16. nullam omnino eſſe inter perſonas divinas inæqualitatem. Ergo relationes divinæ ſecundum propriam ac peculiarem rationem nō exprimunt aliquam perfectionem. PRÆTEREA. Omne illud, quo non habito formaliter, Filius eſt Deus ſummè perfectus, non exprimit ratione ſui perfectionem divinam. Atqui non habita paternitate aut ſpiratione paſsiva formaliter, Filius

eſt

eſt Deus ſummè perfectus: vti oſtenſum eſt num. 30. & ſeqq. Ergo paternitas & ſpiratio paſsiva ratione ſui non exprimunt perfectionem.

51 PROBATVR III. Nominatim adverſus Ariagam diſput. 49. ſection. 3. ſub ſection. 4. in reſpon. ad 1. Lugum libr. 2. diſput. 10. cap. 2. in reſpon. ad 3. Averſam quæſt. 28. ſection. 3. exiſtimantes, relationes divinas ex propria ratione non exprimere perfectionem intenſivam. Hinc autem deducitur, neque illas exprimere perfectionem relativam: quoniam hæc deberet eſſe intenſiva. Propterea enim perfectio, quam exprimunt attributa ex propria ratione, eſt intenſiva, relatè ad eſſentiam, quia ſupra perfectionem eſſentiæ addunt aliam diverſi generis, ratione ab ea diſtinctam, quæque in ipſa non exprimebatur. At ſi relationes divinæ exprimunt perfectionem, hæc eſt diverſi generis, & ratione diſtincta ab ea, quæ in eſſentia exprimebatur. Sicuti enim in divinis relativum diſtinguitur ratione ab abſoluto: ita etiam perfectio relativa debet eſſe ratione diſtincta à perfectione abſoluta eſſentiæ. Ergo ſi relationes divinæ exprimunt perfectionem, ea debet eſſe intenſiva. *Dices*, nec attributa quidem ſupra eſſentiam addere perfectionem intenſivam ratione diſtinctam, ſed extenſivam tantùm, quoniam perfectio intenſiva debet augere perfectionem ſubiecti intra ipſius genus, non autem in alio genere, quo poſteriori ſenſu tantùm ſe habent attributa relatè ad eſſentiam. CONTRA I. Ergo quamvis Deus in ſenſu formali non eſſet ſapiens, omnipotens, iuſtus, &c. adhuc non careret aliqua perfectione intenſiva; eſſetque proinde æquè perfectus intenſivè, ac modò eſt: quoniam nulla propterea perfectio intenſiva Dei deeſſet. Hoc autem patet eſſe falſum. CONTRA II. Ergo quemadmodum in ſententia adverſa, quamvis Filius non habeat in ſe ac formaliter perfectionem paternitatis, & ſpirationis paſsivæ, non propterea eſt minùs perfectus intenſivè, quàm Pater & Spiritus ſanctus ſimul: ita etiam quamvis in ſe & formaliter non haberet ſapientiam, & omnipotentiam, quâ gaudet Pater, non propterea eſſet minùs perfectus intenſivè, quàm Pater: quoniam non propterea ipſi deeſſet aliqua perfectio intenſiva. Id verò abſurdum eſſe, non eget probatione. Neque obſtat, quòd perfectiones attributorum, & relationum contineantur virtualiter aut radicaliter in eſſentia, vt ſint perfectiones intenſivæ in proprijs generibus: quoniam adhuc exprimunt peculiarem perfectionem, quæ in ſenſu formali non inerat eſſentiæ, ſed ipſi ſuperadditur, additque ſpecialem quandam pulchritudinem & æſtimabilitatem in ſenſu formali. Sic certè ſive intellectus & voluntas diſtinguatur reipſa ab anima, ſive ratione ſolùm, quamvis in ea virtualiter aut radicaliter contineatur, addit in ſenſu, aut reali, aut formali, intenſivam perfectionem ſupra animam ipſam. Non enim hoc loco vſurpanda eſt perfectio intenſiva, quemadmodum in qualitatibus, quæ ſolùm intelliguntur perficere ſubiectum intenſivè, dum addunt novum gradum, aut radicationem intra eandem ſpeciem, & circa eandem ſubiecti partem. Nimirum, perfectio intenſiva, prout ad præſens attinet, eſt illa, quæ ex ſua ratione formali exprimit bonitatem, dignitatem, decorem, vel æſtimabilitatem quandam, reipſa aut ratione diſtinctam ab omni alia. quod certè competit attributis relatè ad eſſentiam divinam, & relationibus, ſi ſemel intra vniuſque lineam exprimunt perfectionem diſtinctam ratione à perfectionibus abſolutis vt exiſtimant Adverſarij. Ergo ſicuti attributa, ita & relationes, debent addere perfectionem intenſivam, quod ipſi negant.

52 SI Autem quæras rationem à priori Aſſertionis traditæ, fateor nullam aſſignari ſolere, quæ omnino convincat. Duæ tamen non prorſus infirmæ aſsignari ſolent ab AA. noſtræ ſententiæ, quas ſummatim exhibeo. Prior eſt, quòd omnis perfectio formalis ſit relatè ad ſubiectum quod perficit, inſpiciendo illud propter ſe, ſive abſque ordine ad aliud. Relationes autem divinæ ſecundùm propriam & formalem rationem, non inſpiciunt ſubiectum, aut quaſi ſubiectum, propter ſe, ſed in ordine ad terminum. Id enim eſt de conceptu expreſſo relationis, quà relatio eſt. Ergo non ſunt perfectiones in ſenſu formali. Poſterior deſumitur ex formali ratione boni, ac perfecti, quæ dicitur de qualibet re, ſecundùm quod eſt in actu. Vnde D. Thom. 1. par. quæſt. 4. art. 1. circa finem corporis aiebat: *Secundùm hoc enim aliquid dicitur perfectum, ſecundùm quod eſt in actu.* Ac præterea quæſtion. 5. art. 1. *In tantùm eſt autem perfectum vnumquodque, in quantum eſt in actu.* Nimirum, in actu, vel eſſentiæ, vel operationis, vel exiſtentiæ. Atqui relationes divinæ ex peculiari & formaliſsima ratione non exprimunt eſſe in actu, nec eſſentiæ, nec operationis, nec exiſtentiæ; cùm ſolùm exprimant ordinem ad terminum, qui ordo diſtinguitur virtualiter intrinſecè, & formaliter per rationem ab actu eſſentiæ, operationis, & exiſtentiæ divinæ, quam ſupponimus vnicam & abſolutam, ex dicendis Diſp. ſequenti. Ergo relationes divinæ ex peculiari & formaliſsima ratione non exprimunt perfectionem. Plura,

quæ huic rationi obijci poſſunt, & illorum impugnationem, vide apud Godoy diſp. 78. à num. 38.

SECTIO QVINTA.

Argumenta præcipua Aduerſariorum ab auctoritate, pro triplici perfectione diſtincta in hypoſtaſibus diuinis, obijciuntur, & extricantur. Plura loca Conciliorum ac Patrum paulo accuratiùs expendũtur.

53 OPPONVNT I. Adverſarij teſtimonium ex Sexta Synodo Generali Actione 18. vbi dicitur: *Credimus vnam ſubſtantiam in tribus ſubſiſtentijs: vnitatem quidem propter naturalem vnionem: Trinitatem verò propter ſubſiſtentiarum perfectionem.* Et paucis interiectis: *Trinitas ſimplex tribus perfectis.* Non eſſet autem vera Trinitas in Deo propter ſubſiſtentiarum perfectionem, niſi hæc eſſet triplex reipſa. Nam ſi vna tantùm in re, quamvis diverſa per rationem, Trinitas ex ea conſurgens, non eſſet realis, qualem Catholica Eccleſia credit; ſed rationis dumtaxat, qualem Sabellius finxit. Ergo in ſubſiſtentijs, ſive hypoſtaſibus divinis, eſt reipſa triplex perfectio. PRÆTEREA. Si vnica eſſet in re perfectio trium ſubſiſtentiarum, non dicerentur à Concilio *tres perfecti* in Trinitate: quemadmodum in Symbolo S. Athanaſij negantur tres æterni, immenſi, & omnipotentes, quoniam æternitas, immenſitas, & omnipotentia reipsâ in tribus eſt vna.

54 CONFIRMATVR Teſtimonijs aliorum Conciliorum, vbi ſimilia leguntur. Etenim lib. 2. de actis in Concilio Nicæno, ante Conſtitutionem decretorum col. 2. §. *Sancta & magna*, Concilium ipſum definit, *Verbum eſſe perſonam perfectam ex perfecta, & Filium perfectum ſicut Patrem.* Ac longè inferiùs poſt medium libri eiuſdem reſponſione data per Protogenem Sardicenſem, §. *Non difficile*, hæc habentur: *Vna eſt diuinitas ſanctæ Trinitatis, QVÆ IN TRIBVS SVBSISTENTIIS PERFECTIS ET ÆQVALIBVS CONSIDERATVR.* Præterea in Synodo I. Conſtantinopolitana, Epiſtola ad Damaſum Papam, ac præterea in Romana Synodo quam antiquæ editiones exhibebant ante ipſam Conſtantinopolitanam, prope medium, hæc habentur: *Credimus æqualem honorem ac dignitatem & imperium coæternum in tribus perfectiſſimis ſubſiſtentijs, ſeu tribus perfectis perſonis.* Quemadmodum igitur tres ſubſiſtentiæ, ſive perſonæ, ſunt reipſa diſtinctæ: ita etiam ipſarum perfectiones.

55 RESPONDEO Imprimis, ea loca præter rem eſſe: quoniam, vt conſtabit latè in progreſſu, ſpeciatim Diſput. LXXVII. num. 10. 11. & 12. hypoſtaſis Græcè, & ſubſiſtentia Latinè, apud Concilia & Patres non accipiuntur quemadmodum apud Scholaſticos, pro perſonalitate, aut ratione formali ſubſiſtendi: ſed pro perſona, ſive re ſubſiſtente in concreto. Poſſunt autem eſſe in divinis tria perfecta in concreto, ſive adiectivè, per vnicam perfectionem: ſicut plures æterni, & exiſtentes adiectivè & in concreto, per vnicam æternitatem, & exiſtentiam. Verùm hæc modò prætermittamus. Teſtimonium primo loco obiectum non eſt Concilij Sexti Generalis, ſed Conſtantini Imperatoris in Edicto, quod ipſe propoſuit in tertio atrio magnæ Eccleſiæ prope aulam, quæ Bicymbala vocabatur, & extat Græcè ac Latinè apud Binium Tomo V. Conciliorum, Actione 18 eius Synodi, pagina 287. Initio autem ferè columnæ tertiæ hæc habentur, quæ ad rem ſunt: *πιστευομεν μιαν θεοτητα ἐν τρισιν ὑποστασεσι, μονάδα μὲν διὰ τὴν φυσικὴν ἑνότητα, καὶ κυριότητα, Τριάδα δὲ διὰ τὴν τρισυποστατον τελειότητα, καὶ τὸν πλεῖστον τῆς ὑπερφυοῦς ἀγαθότητος.* Id eſt: *Credimus vnam ſubſtantiam in tribus ſubſiſtentijs: vnitatem quidem, propter naturalem vnionem ac dominationem: Trinitatem verò propter trium ſubſiſtentiarum perfectionem, & diuitias ſuperexiſtentis bonitatis.* Deinde circa medium eiuſdem columnæ dicitur *Τριὰς ἁπλῆ ἐκ τριῶν τελείων*. id eſt, *Trinitas ſimplex ex tribus perfectis.* Patet verò, longè minorem auctoritatem eſſe edicto Imperatoris, quamvis Catholici, & pij, ac teſtantis initio Edicti ſuam fidei confeſsionem iuxta Conciliorum decreta, quàm Oecumenici Concilij, cuius dogmata vſq; ad apices obſervari ac ſuſcipi debent. Verùm præterea exinde ſolùm infertur, tres ſubſiſtentias, ſive hypoſtaſes, eſſe perfectas eâdem atque vnica perfectione eſſentiæ, quæ in ijs intimè imbibitur, iuxta dicta Tomo I. Diſput. XXVI. Neque obſtat, quod ibidem Imperator profiteatur Trinitatem *διὰ τὴν τρισυποστατον τελειότητα, propter trium perſonarũ perfectionem.* Inde enim ſolùm colligitur eſſe tres perſonas integras & perfectas, ex quibus proinde Trinitas vera conſurgit, ſicuti & *ex diuitijs ſuperſiſtentis bonitatis* vt ibidem dicitur. An verò perfectiones ſint tres, inſtar ipſarum hypoſtaſeon, nec verbum eo loci habetur. Quin & ſeveriùs id interpretando ad litteram; *τρισυποστατον τελειότητα*, non ſignificat *trium ſubſiſtentiarum perfectionem.* Quippe ad id Græcè exprimendum, opus erat dicere, *τριῶν ὑποστάσεων τελειότητα.*

Ita-

Itaque ad litteram ſolùm reddere licèt, quamvis minùs Latinè, aut barbarè, ob inopiam vocum, *triſubſiſtentialem perfectionem*: ſive *triperſonalem*. Vnde nihil contra nos: cùm non propterea opus ſit multiplicandi perfectionem, ſed perſonas, ſive ſubſiſtentias. nam, vt videbimus latè infrà Diſp. LXXVII. à num. 10. apud Patres Græcos frequenter accipitur hypoſtaſis pro perſona, ſicuti apud Latinos ſubſiſtentia pro eâdem perſona, ſive pro re ſubſiſtente. Dum verò additur, *Trinitas ſimplex ex tribus perfectis*, non probatur exinde pluralitas perfectionum. nam nomen *perfectum* ſumitur ibidem adiectivè, non ſubſtantivè. Sic etiam iuxta D. Thomam, & alios Theologos, in ſenſu adiectivo dicuntur Catholicè tres æterni, immenſi, & omnipotentes. Quin immo & Athanaſius in Symbolo dixit: *Coæterni ſibi ſunt, & coæquales*: cùm tamen ibidem definiat vnam æternitatem in tribus. Sed de hoc aliàs pleniùs. Vide interim Noſtrum doctiſsimum Generbrardum libr. 3. de Trinitate num. 15. & ſeqq.

55 AD Confirm. cui innititur Ruiz diſput. 29 ſect. 2. num. 11. & 12. reſpond. ex eo quòd Filius dicatur naſci perſona perfecta ex perfecto Patre, nullatenus probari diſtinctam eſſe vtriuſque perfectionem. nam etiam iuxta Symbolum Conſtantinopolitanum, quo in Miſſa vtimur, Filius dicitur *Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero*: quin tamen inde colligere liceat diſtinctam eſſe vtriuſque deitatem. Nimirum, ſicut deitas eſt abſoluta & eadem in Patre generante & Filio genito, ita etiam perfectio. Iam quod additur ex eodem lib. 2. in Concilium Nicænum, verba illa non habentur §. *Non difficile*, vt Ruiz ait; ſed §. ſequenti: & in ijs non definit aliquid Nicæna Synodus, ſed occurrunt Philoſopho Gentili arguenti Patres, per Protogenem Epiſcopum Sardicenſem. Verùm recepto integrè eo teſtimonio, ſolùm inde colligere licet tres ſubſiſtentias perfectas in divinis, & æquales. Eo autem ipſo, quo dicuntur æquales, deducitur planè, non eſſe diſtinctas perfectiones, ſed vnam. nam ſi eſſent diſtinctæ, profectò differrent ſpecie eiuſmodi perfectiones, ac proinde æquales non eſſent: vt oſtenſum eſt ſuprà à num. 16. Denique non vrget quod poſtremo loco additur ex I. Synodo Conſtantinopolit. nam verba illa, ἐν τρισὶ τελειοτάταις ὑποστάσεσιν, ἤτοι τρισὶ τελείοις προσώποις, id eſt, *in tribus perfectiſsimis hypoſtaſibus, ſiue in tribus perfectis perſonis*, ſufficienter verificantur poſita in divinis vnica perfectione divinitatis intima in ſubſiſtentijs tribus, & in ſingulis earum clauſa. Præſertim quia ſcopus Patrum eo loci ſolùm eſt excludere errores Sabellij, Eunomij, & Arij prout conſtat ex verbis, quæ immediatè ſubiungunt: * Vt neque quidquam loci detur peſtilteræ Sabellij hæreſi, qua confundentur perſonæ, hoc eſt, proprietates earum tolluntur; neque blaſphemia Eunomianorum, Arianorum, aut Pneumatomachorum (nimirum, eorum, qui Spiritum ſanctum impugnant) quidquam habeat ponderis; quæ quidem eſſentiam, naturam, & divinitatem diſcindit; & Trinitatis, quæ increata, & conſubſtantialis, & æterna eſt, naturam poſteriùs genitam, aut creatam, aut quæ ſit alterius eſſentiæ, inducit. * Hactenus ibi. Patet verò, totam doctrinam Catholicam adverſus eos errores integram & illibatam perſiſtere, dum aſſeruntur tres veræ ac ſubſiſtentes perſonæ in divinis eâdem omnino eſſentiâ, ſive naturâ, & perfectione conſtantes. Et ſicuti quælibet ex perſonis eſt verus Deus, licèt deitas in tribus ſit vnica; ita etiam quælibet perſona eſt ſummè perfecta, licèt vna & eadem omnino in tribus perfectio ſit. Eſt tamen aliunde in hoc ipſo diſcrimen: quoniam tres perſonæ ratione vnius deitatis nequeunt dici tres dij: ratione autem vnius perfectionis, ſicuti & æternitatis, & immenſitatis, poſſunt dici tres perſonæ perfectæ, æternæ, immenſæ; non quidem ſubſtantivè, ſed adiectivè, vt monuimus circa finem numeri præcedentis. Nomen enim DEVS, eſt ſubſtantivum, quod proinde nequit in plurali efferri, niſi multiplicetur forma deitatis: alia verò nomina, perfecti, æterni, immenſi, &c. ſunt adiectiva, quæ in eo ſenſu ſolùm exigunt diverſitatem ſuppoſitorum, ſive perſonarum. Vide aliam ſolutionem infrà num. 59. quæ huc advocari poteſt.

56 OPPONVNT II. Patrum teſtimonia. Etenim Sophronius Patriarcha Hieroſolymit. in Epiſtol. quæ habetur in Sexta Synodo Generali, Actione XI. columna 4. ait: *Subſiſtentijs & proprietatibus intellectualibus perfectis numerari Trinitatem.* Iuſtinus Martyr in Expoſitione Fidei de Trinitate prope medium inquit: *Maluimus vnius deitatis in tribus perfectis ſubſiſtentijs notitiam exponere.* Baſilius Homil. 28. contra Sabellianos ante medium: *Filius ex Patre perfecto ſempiternè perfectus reſplendens.* Et poſt medium: *Quando ſanctam Triada coniungimus, trium perfectorum & incorporalium inſeparabilem coniunctionem intelligè.* Ac lib. 5. contra Eunomium inter medium & finem: *Verbum viuens eſt perſona perfecta, & Spiritus ſimiliter.* Epiphanius Hæreſi LXIX. *Tria perfecta, vna deitas,*

Idemque repetit eo loco, atque inſuper ait: *Duo perfecta, Pater & Filius.* Ac prope finem: *Cum tres ſint perfectæ hypoſtaſes, vna vero deitas Patris & Filij & Spiritus ſancti.* Hæc autem omnia, & plura ſimilia, quæ in Patribus occurrunt, videntur probare triplicem perfectionem in divinis perſonis iuxta numerũ hypoſtaſeon. Alioqui non toties ingeminarent tres perfectas hypoſtaſes, & vnamquamque ex perſonis eſſe perfectam.

57 CONFIRMATVR Authoritate Damaſceni in Epiſt. de Triſagio circa medium aiente: *Soli ſuperſubſtantiali Deo decens eſt, Verbum & Spiritum Patris eſſe hypoſtaſes perfectas* Et libro de Decretis primæ inſtitutionis cap. 1. inquit: *Hypoſtaſes & perſonæ, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. Vnuſquiſque enim eorum eſt perfecta hypoſtaſis, & perfecta perſona.* Nec videtur eſſe locus interpretandi S. Doctorem de perfectione abſoluta & communi omnibus ac ſingulis perſonis, vt exponere conatur Gonet hoc loco. Nam idem Damaſcenus lib. 1. Fidei cap. 11. præcludit hanc evaſionem, dum inquit: *Secundùm cauſam & cauſale & perſonalem perfectionem, id eſt, exiſtentiæ modum, differentiam intelligimus.* Atqui differentiam divinarum perſonarum intelligimus, non penes aliquid abſolutum, ſed relativum; nec penes vnum in tribus ſed penes tria propria ſingulorum. Ergo perſonalis perfectio in divinis non eſt aliquid abſolutum, ſed relativum; nec vnum in tribus ſed triplex & proprium ſingulorum.

58 RESP. Patres in oppoſitum allegatos eò collineare, vt ſtatuant in divinis vnicam eſſentiam ſive naturam contra Arium, & tres perſonas ſubſiſtentes, diſtinctaſque reipſa contra Sabellium, quæ ſint conſubſtantiales, coæternæ & coæquales. Vnde conſtituunt in divinis tres perſonas, hypoſtaſes, ſive ſubſiſtentias perfectas ſub eâdem omnino natura. Id verò totum verificatur, ſi vnica perfectio abſoluta divinæ naturæ imbibatur in omnibus & ſingulis hypoſtaſibus. Immo hoc modo melius explanatur ſumma perſonarum æqualitas, quam iidem Patres pro viribus tuentur. Nam ſi è cõtrà ſingulæ perſonæ conſtarent perfectione relativâ ac ſibi propriâ, eaque diverſæ ſpeciei, aut quaſi ſpeciei, vti opus eſt Adverſarijs concedere; conſequens eſſet, vt inæquales ſecundùm perfectionem exiſterent, & vt duæ aut tres ſimul eſſent aliquid dignius & excellentius, quàm ſingulæ illarum. Quod tamen quàm abſurdum ſit, & contrarium communi ſententiæ Patrum, quamque parum cohærens Symbolo S. Athanaſij, ſatis oſtendimus ſupra, præſertim ſect. 1. 2. & 3.

59 AD Damaſceni teſtimonia reſponderi poteſt, prætermiſſa ſolutione Gonetti, & aliorum, ſuprà indicata, ſummùm colligi, ſingulas perſonas divinas habere ſuam propriã perfectionem, ſumptam pro integritate perſonali; nam quælibet earum eſt perſona integra, & perfectè diſtincta ab alijs duabus: non verò acceptam pro dignitate, magnitudine, aut æſtimabilitate. Hoc enim ſenſu perfectio ac bonitas eadẽ eſt omnino in divinis perſonis. Quod vt minimum docet ipſe Damaſcenus eodem lib. 1. & cap. 11. Nam ante verba in obiectione propoſita, loquens de divinis perſonis, præmiſerat: ἔχει γὰρ τὸ μὲν κοινὸν καὶ ἓν πράγματα θεωρεῖται, &c.* Iſtic enim commune & vnum re conſideratur, propter coæternitatem, & identitatem ſubſtantiæ, & operationis, & voluntatis, & conſilij conſpirationem, & propter poteſtatis, & virtutis, ET BONITATIS IDENTITATEM (nõ dixit, ſimilitudinem, ſed identitatem) & propter vnam motionis exuberantiam. Vna enim eſt ſubſtantia, VNA BONITAS, vna virtus, vna voluntas, &c.* Vide quomodo in tribus perſonis, non ſimilem, ſed VNAM BONITATEM agnoſcat, ac proinde & perfectionem vnam, quẽadmodum & vnam ſubſtantiam, voluntatem, virtutem, operationemque. Quare dato quòd verbis ſupra obiectis admittat perfectionem aliquam ſingularum perſonarum propriam, vt invicem differant; id ſolùm accipi debet de perfectione, ſeu bonitate, ſumpta pro integritate perſonali; non pro magnitudine, dignitate, aut perfectione ſimpliciter dicta, quam vnam dumtaxat agnoſcit in divinis, & de qua potiſſimùm procedit quæſtio. Vide ſuprà num. 10.

SECTIO SEXTA.

Expenditur aliud difficile argumentum ex Patribus, ijs præſertim, qui Patrem maiorem Filio volunt quoad hypoſtaſim, iuxta illa verba Chriſti, PATER MAIOR ME EST: quæ operoſiùs explanantur.

60 OPPONES III Patrum aliorum loca, in quibus videntur adſcribere ſingularem quandam & peculiarem perfectionem, dignitatemve, vni alicui perſonæ divinæ præ alia. Etenim loquentes de Patre, agnoſcunt in illo ſpecialem quandam authoritatem, dignitatem, magnificentiam, gloriam, laudemque, quòd aliarum perſonarum fons & origo ſit. Dionyſius Papa apud Athanaſium in Epiſt. de Decretis Nicænæ Synodi poſt medium, Deum Patrem appellat, *Verticem, & principem, in quem conſummatur Trinitas.* Hilarius lib. 4. & 9. & 11. de Trinit. *paternam*

authoritatẽ & innaſcibilitatis authoritatem, ſæpius ingeminat. Auguſtinus Tract. 59. in Ioannem prope finem : *In eo qui mittitur, mittentis* (nimirum, Patris) *commendatur authoritas.* Et in QQ. Veteris ac Novi Teſtamenti q. 121. ad finem inquit de Patre: *Differt in cauſalitatis gradu, quia omnis potentia à Patre in Filio eſt & in ſubſtantia non eſt minor Filius: authoritate tamen maior eſt Pater, ipſo Domino teſtante : Pater maior me eſt.* Si autẽ authoritate maior eſt Pater: ergo & dignitate, perfectioneque propria ſuæ perſonæ. Nazianzenus Oratione 13. quæ eſt ſecunda de Pace circa medium ait : *Deo quidnam maius, ac præſtabilius erit, quàm Filij Patrem eſſe : quod quidem gloriæ acceſsio eſt, non deceſsio, quemadmodum, & Spiritus productorem eſſe.* Igitur paternitas, & ſpiratio activa, addit aliquid gloriæ, ſeu dignitatis in Patre, ſupra id quod habet ratione naturæ communis tribus perſonis.

61 COFIRMATVR Ex doctrina multorum Patrum, qui verba illa Chriſti Domini Ioannes 14. v. 28. *PATER MAIOR ME EST*, exponunt de Chriſto ipſo, quà Filius Dei eſt, vt Patre quodammodo minor ſit. Ita enim cum locum interpretatur Alexander Præſul Alexandrinus, qui primus contra Ariũ erexit Catholicæ fidei vexillum, indicto ipſi anathemate. Erenim in Epiſtola ad cognominem ſibi Alexandrum Byzantij Epiſcopum, quam exhibet Theodoretus lib. 1. Hiſtor. c. 4. inquit : υἱὸν τε ἐφαμεν τῷ πατρὶ μεμαθήκαμεν, μόνῳ τῷ ἀγεννήτῳ λείπεσθαι αὐτὸν ἐκείνου. id eſt, *Filium Patri ſimilem eſſe didicimus, ſolo ingenito inferiorem illo.* Tanquam Pater maior ſit qua ingenitus eſt; Filius minor, quà genitus. Vnde & paucis interiectis ſubdit, rationem *Ingeniti* eſſe quandam Patris propriam dignitatem, quatenus nullum habet principium ſui. Quare inquit : *Ingenito Patri propriam dignitatem reſeruare oportet, aſſerentes neminem ipſi cauſam exiſtere vt ſit.* Et paulo poſt : *Ingenitum autem Patri, velut ſingularem proprietatem ineſſe, glorioſè prædicantes : cùm & Saluator ipſe dixerit, Pater maior me eſt.* Baſilius quoque lib. 3. contra Eunomium : *Vt enim Filius ordine quidem ſecundus eſt à Patre, quoniam eſt ab illo : & dignitate, quoniam principium, & cauſa, vt ſit ipſe Pater eſt.* Naziancenus Orat. 36. loquens de Patre, & Filio: τὸ μεῖζον μέν ἐστι τῆς αἰτίας, τὸ δὲ ἴσον τῆς φύσεως. id eſt, *Maioris ratio ad cauſam pertinet: æqualis verò, ad naturam.* Quaſi cohæreat, Filium eſſe minorem Patre, vt principio ſui; æqualem verò, quà Deum. Deinde Oratione 40. eandem doctrinam repetit, & explanat ampliùs, dicens: *Quod maior dicitur Pater, non ad naturam referri, ſed ad cauſam. Neque enim quidquam eorum, quæ cauſam habent ſubſtantiam, ſubſtantia maius aut minus eſt.* Quæ verba ita exponit Nicetas ibidem n. 49. aiens : * Quoniam cùm Filius à Patre cauſam habet, hac ratione Pater maior eſt, vtpote cauſa. Nullo autem modo eſſentia vnius, eſſentiâ alterius maior, aut minor eſt.* Præterea Chryſoſtomus Homil. 75. in Ioannem inquit : *Siquis dixerit maiorem eſſe Patrem, quà cauſa eſt Filij, nec in eo contradicemus.* Cyrillus Alexandrinus in Theſaurîs lib. 11.* Cùm igitur ſecundùm ſubſtantiæ rationem æqualis ſit Patri Filius, & per omnia ſimilis, maiorem ipſum dicit, tanquam principio carentem, cùm habeat ipſe principium, eo ipſo dumtaxat, quod ex Patre eſt, tametſi exiſtentiæ ratione cum eo conveniat.* Sunt & nonnulli alij ex Patribus qui eãdem doctrinam tradere videntur : vt propterea ex ipſorum mente, ac nuper nominatim allegatorum, conſtet, Patrem vt Patrem, ſive quà principium eſt principio carens, maiorem Filio exiſtere, & dignitatem quandam ſpecialem habere, non quidem penes eſſentiam, in qua eſt ipſi omnino æqualis, & coæqualis, ſed in perſona. Eadé verò ratio eſt de Patre, & Filio ſimul vt ſint maiores Spiritu ſancto, quatenus illius principium ſunt. Ergo de primo ad vltimum conferendo perſonas divinas, quatenus tales, inter ſe, locus eſt, vt vna aliqua ſit maior reliquis, & quandam præ ijs dignitatem, ſive bonitatem, aut perfectionem habeat.

62 Hoc argumentum ideo latiùs propoſui, quòd ſit vrgentius ab authoritate, quàm alia quælibet, licèt ab Adverſarijs prætermiſſum. Antequam verò directè reſpondeam moneo, longè plures eſſe Patres, qui verba illa Chriſti, *PATER MAIOR ME EST*, non accipiant de ipſo Chriſto, quà Filius Dei eſt, & ſubſiſtens in divina natura; ſed quà homo dumtaxat, ſive Filius hominis. Sic enim abſdubio minor Patre eſt, immo, *& minoratus ab Angelis*, vt inquit Apoſtolus Hebr. 1. Hoc ſenſu locum illum interpretantur ex Latinis Ambroſius lib. 3. de Fide cap. 4. & in ſecũdo Commentariorum ad cap. Lucæ tertium, Auguſtinus paſsim, ſed præcipuè lib. 3. contra Maximinum cap 14. lib. 1. de Trinit. cap. 7. & Tract. 18. in Ioannem. & Epiſt. 174. Hilarius lib. 9. de Trinit. Leo Papa Serm. 3. de Pentecoſte, & in Epiſtola ad Flavianum contra hæreſim Eutychianam: de qua Epiſtola Gelaſius Papa in Concilio 1. Romano ita definit. *Cuius textum quiſpiam ſi vſque ad vnum iota diſputauerit, & non eam in omnibus venerabiliter receperit, anathema ſit.* Idacius Clarus cap. 4. contra Varimadum, Iſidorus lib.

de

de Differentij num. 14. Ioannes Papa Epiſt. 2. ad Valerium, Fulgentius lib. de Fide ad Petrum cap. 16. Fauſtus lib. de ratione Fidei, Alcuinus lib. 3. de Trinit. cap. 7. Rhabanus Maurus lib. 1. de Vniverſo cap. 2. & plures alij, quibus adde, tum Patres pleroſque eorum, qui tempore S. Hilarij interfuere Synodo Pariſienſi editæ à Iacobo Sirmondo Tom. I. Concil. Galliæ pag. 17. tum illos, qui cum Ambroſio convenerunt in Concilio Aquileienſi contra Palladium, ac Secundum, Epiſcopos Arianos. Itaque liceret tot Patrum authoritate præeunte, dicere interpretationem illam de Chriſto quà Filius Dei eſt, minùs probabilem eſſe: ac propterea nullam in Patre dignitatem peculiarem exiſtere, qua ſit quoddam modo maior Filio, adhuc in ratione principij, ſive cauſæ omni principio carentis.

63 VERVM Et præterea multi ê Græcis Patribus hanc communem Latinorum interpretationem ſuffragio ſuo confirmant: vt Gregorius Nyſſæ Antiſtes apud Ioannem Cypariſiotum Decade 9. c. 3. Amphilochius apud Theodoretum Dialogo tertio contra hæreticos & apud Gelaſium lib. de duabus naturis: immò & nonnulli, vel ex ijs ipſis, qui in oppoſitum allegantur in argumento. Ac primùm quidem Baſilius, qui lib. 3. contra Eunomium indicaverat, Patrem Filio maiorem eſſe in ratione cauſæ & principij; poſtea eruditior factus lib. 4. eiuſdem operis, verba illa, *Pater maior me eſt*, non vult ita intelligi, vt ſignificent in Patre præ Filio aliquid magnitudinis, dignitatis, aut virtutis, nequidem in ratione cauſæ aut principij. Additque, ijs Chriſti verbis, potiùs contineri indicium aliquod honoris Filij erga Patrem, quàm vt Filius ſit eo inferior habendus. In quo planè ſuffragatur ſententiæ eorum, qui verba illa non accipiunt de Chriſto, qua Filius Dei eſt, ſed quà homo. Similiter Cyrillus, qui lib. 11. Theſauri id teſtimonium expoſuerat de Filio, quà Filius Dei eſt, eam interpretationem ex profeſſo reijcit lib. 10. in Ioannem, vt intelligi debeat de Chriſto quà homo eſt. Quin & eo loci argumẽto cuiuſdam Ariani in oppoſitum occurrit, & illud in auctorem regerit: vt videre eſt apud eruditiſſimum Petavium, licèt nobis in hac parte contrarium, qui eiuſdem verba Græca exſcribit lib. 2. de Trinit. cap. 2. Deinde idem Cyrillus in calce Dialogi primi docet, *Patris vocabulum non eſſe dignitatis, & excellentiæ nomen* Præmiſſerat verò pag. præcedenti, *communia ambobus eſſe ornamenta gloriæ, & excellentiæ*. Denique in Epitome Dialogorum, quæ habetur Tomo V. inquit: *In ſancta Trinitate Patris & Filij nomina, necnon Spiritus ſancti, nullam prærogatiuam ſignificant: ſed potiùs quid ſit vnuſquiſque demonſtrant*. Denique ea verba de Chriſto vt homine ſolùm accepit Athanaſius in Diſputatione contra Arianos habita in Concilio Niceno, & in alia Diſputatione adverſus Arium coram Probo: vt propterea hæc interpretatio, cùm apud Latinos Patres, tum apud Græcos, videatur longè probabilior præcedenti, quæ verba illa de Chriſto vt Filio Dei accipiebat.

64 VNDE Reſpondeo directè ad argumentum, imprimis Patres illos, qui Patri tribuunt præ Filio aliquid, in quo maior ſit, vel authoritatẽ aliquam habeat, non propterea ipſi adſcribere aliquam peculiarem perfectionem, dignitatem, aut excellentiam ſimplici er dictam, adhuc ſecundùm proprietatem perſonalem. Hæc enim vix, aut ne vix quidẽ cohæret cum ſumma, ac perfecta æqualitate perſonarum divinarum, quã in Symbolo Athanaſij profitemur dicentes: *In hac Trinitate nihil prius aut poſterius, nihil maius aut minus: ſed totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales*. De quo ſuprà ſa is à num. 16. Et Anſelmus infrà c. 44. aliàs 43. oportunè admodum, atque è re noſtra: * Pariter ergo perfectus Pater per ſe eſt, & pariter perfectus Filius per ſe eſt, ſicut vterque ſapit per ſe. Non enim ideirco minùs perfecta eſt eſſentia, vel ſapientia Filius, quia eſt eſſentia de Patris eſſentia, vel ſapientia de ſapientia. Ac præterea c. 59. alias 57. concludit: Tanta igitur Pater, & Filius, & vtriuſque Spiritus, æqualitate ſeſe complectuntur, & ſunt in ſe invicem, vt nullus eorum alium excedere, aut ſine eo eſſe probetur. * Solùm itaque putandi ſunt ij Patres adſcribere Deo peculiarem auctoritatem in ratione principij relatè ad reliquas perſonas, quibus prior eſt, non dignitate, perfectione, aut bonitate aliqua, quæ perſonam Patris æſtimabiliorem reddat cæteris duabus; ſed origine tantum quatenus illarum principium exiſtit. Immo ne hoc quidem ſenſu maiorem Filio Patrem appellari permiſit Concilium Sardicenſe in Epiſtola Synodica, quæ integrè ſcripta habetur apud Theodoretum lib. 2. cap. 8. ſed ſolo nomine Patris, & honore exhibito à Filio. Aiunt enim Patres ibidem congregati: *Nemo negat Patrem Filio maiorem eſſe, non ob aliã hypoſtaſim, nec ob aliam differentiam; ſed quia nomen Patris ipſum maius eſt nomine Filij*. Itaque negant, Patrem eſſe maiorem Filio penes aliquam proprietatem aut differentiã perſonalem: & ſolùm id concedunt penes nomen Patris, quod præſefert aliquid maius, quã nomen Filij.

65 POSSVMVS Etiam addere, Patres illos, qui in ſpeciem tribuunt aliquid dignitatis, aut excellentiæ peculiaris, perſonæ

Pa-

Patris, quatenus principium Filij eſt, non ita locutos ex animi ſententia, nec iuxta illam interpretatos verba prædicta, *Pater maior me eſt.* Quippe, vt conſtat ex Hiſtoria Concilij Nicæni, & multi ex Patribus iam memoratis teſtantur, Ariani mordicus tuebantur, verba illa accipi debere de Chriſto, vt Filio Dei; negante id contrà Athanaſio, vt vidimus num. 63. fine, & pluribus alijs Catholicis. Cùm verò Ariani ipſi pervicaciter contenderent, accipienda eſſe de Chriſto, quatenus Dei Filio, quoniam ſic putabant actum de ſententia Catholica; alij ex Patribus conati ſunt oſtendere, eo gratis admiſſo, aut permiſſo Adverſarijs, nihil inde confici adverſus perfectã æqualitatem, immo identitatem Patris & Filij in eſſentia & natura: ſummumque concedebant præſtantiam aliquam Patris in conditione peculiari & hypoſtatica principij aut cauſæ, quæ omnino perſonalis eſt. Itaque dignitatem illam ſeu rationem maioris in Patre, non videntur abſolutè tradidiſſe, ſed ſolùm permiſſo Adverſarijs, teſtimonium id de Chriſto, quatenus Filio Dei debere accipi: cùm alioqui perfectã æqualitatem in Filio, & Patre profiterentur, teſtatam poſtea in Symbolo Athanaſij. Quod ſi verò quiſquam contendat, aliquos Patrum abſolutè docuiſſe, Patre maiorẽ eſſe Filio quoad conditionem propriam principij, & ingeniti, nec ſibi ſatisfactum putet ſolutionibus datis; illorum authoritati opponimus longè plures ex Patribus allegatos n. 62. & 63. qui id teſtimonium accipiunt de Chriſto dumtaxat quà homo eſt, nullamque perſonalem dignitatem, perfectionem, aut excellentiam ſupra Filium agnoſcunt.

SECTIO SEPTIMA.

Argumenta præcipua ex ratione pro triplici perfectione ſeu bonitate reipſa diſtincta in diuinis perſonis, aut ſaltem ijs conuenien te ſecundùm formalem rationem hypoſtaſeos, ſiue relationis, obijciuntur, & ſoluuntur.

66 OPPONVNT IV. In perſonis divinis reipſa multiplicatur bonitas. Ergo & perfectio. Conſequẽtia eſt optima: quia vnũquodque eſt bonum, quatenus eſt perfectum: ideóque S. Tho. 1. p. q. 3. ar. 3. corp. aiebat: *Vnumquodque eſt bonum, quatenus eſt perfectum: perfectio autem prima rei alicuius eſt, ſecundùm quòd in ſuo eſſe conſtituitur.* Antecedens verò ſuadetur: Quoniam in divinis perſonis multiplicatur realitas, & vnitas, & entitas, vt latè oſtenſum eſt Diſp. LXXI. eò quòd quælibet ex ijs ſit ratio tranſcendens, quæ proinde imbibitur in vltimo conceptu inferiorum, trahiturque ad modum eſſendi ipſorum proprium. Atqui etiam bonitas eſt ratio tranſcendens, vtpote proprietas entis. Ergo pariter multiplicatur in divinis perſonis. *Præterea.* Quælibet ex tribus hypoſtaſibus eſt integra, vt nihil ipſi deſit; atque adeò bona, & perfecta iuxta doctrinam generalem Ariſtotelis traditum ſuprà num. 10. & ibidem ex D. Thoma confirmatum. Ergo ſicuti multiplicatur integritas in tribus perſonis: ita etiam bonitas ac perfectio.

67 HVIC argumento occurrere ſolent AA. noſtræ ſententiæ negando antecedens & ad probationem reddendo diſparitatem inter realitatem, entitatem, & vnitatem ex vna parte, & bonitatem ex altera; quatenus hæc non ſit propriè trãſcendens inſtar illarum, quoniam præ ijs importat actum exiſtentiæ, vel ordinem ad illum. Vnumquodque enim dicitur perfectum, quatenus eſt in actu exiſtentiæ, vel ſaltem prout exprimit ordinem ad illum. In divinis autem perſonis actus exiſtentiæ, ſed ad terminum. Vnde nec in ijs multiplicatur bonitas, quamvis realitas, entitas, & vnitas multiplicentur. Ita plerique ex Thomiſtis, quos imitatur Godoy diſp. 78. n. 38.

68 SED Enim ſolutiò hæc videtur inſufficiens. PRIMO: Quia nunquam redditur idonea ratio, cur bonitas non ſit propriè tranſcendens, ſicut realitas, vnitas, & entitas; ac proinde cur non multiplicetur inſtar earum in divinis perſonis. Nam quod aiunt, bonitatem deſumi ab actu exiſtentiæ, vel ab ordine expreſſo ad illum, nihil prodeſt: quoniam etiã ens deſumitur ab actu exiſtentiæ, vel ab expreſſo ordine ad illum, iuxta eoſdem Thomiſtas, omneſque Philoſophos. Si enim ens ſumatur participiali ter, vt ipſi loquuntur, conſtituitur per actum exiſtentiæ: ſi autem nominaliter, per expreſſam aptitudinem, vel habitudinem ad exiſtendum. De quo plura præmiſimus in Metaphyſica diſp. 1. num. 3. & diſp. 3. Sic certè nihil frequentius apud Thomiſtas, quàm dicere, ens deſumi ab actu eſſendi, ſive exiſtendi. Et tamen ratio entis eſt tranſcendens propriè, multiplicaturque reipſa penes eſſe relativum in divinis perſonis, quamvis exiſtentia in ijs ſupponatur vnica. Ergo pariter, licèt bonitas ſumatur ab actu exiſtentiæ, vel ex ordine explicito ad illam, & hæc in divinis ſupponatur vnica, poteſt bonitas eſſe ratio propriè tranſcendens, & multiplicari in divinis perſonis. SECVNDO. In ſententia D. Thomæ, & diſcipulorum ipſius, quam latè tradidimus in Phyſica diſp. 5. materia, & forma ſubſtantialis vnicâ exiſtentiâ gaudent. Et tamen in his eſt duplex bonitas, ſicuti, & entitas, & realitas: quæ-

quoniam ij omnes ſunt conceptus propriè tranſcendentes. Ergo quamvis exiſtentia in tribus perſonis ſit vnica, bonitas debet in ijs multiplicari, ſicut realitas, & entitas, atque inſtar conceptûs propriè tranſcendentis. TERTIO: Quia dum ipſi Thomiſtæ, & Godoy nominatim diſp. 85. num. 17. docent in divinis eſſe tres entitates, ſeu tria entia relativa, concedere debent in vnoquoque illorum expreſſum ordinem ad exiſtentiam, in quo conſiſtit formaliſsimè entitas. Ergo & concedere debent tres bonitates relativas: ſiquidem aliàs fatentur, nec negare poſſunt, bonitatem conſiſtere in actu exiſtentiæ, vel in expreſſo ordine ad illum: cumque in divinis hypoſtaſibus ſit triplex ordo explicitus ad exiſtentiam (alioqui non eſſent tres entitates) etiam triplex bonitas eſſe debet.

69 QVARE Aliter iuxta dicta n. 10. & num. 59. circa finem, occurrere poſſumus argumento præiacto, diſtinguentes bonitatem, ſimiliterque perfectionem, ſumptam communiter & per modum tranſcendentis, ſive pro qualicumque integritate rei, & bonitatem, ſeu perfectionem propriè acceptam, pro dignitate, magnitudine, aut excellentia per ſe æſtimabili, prout vſurpatur in hac Diſputatione. Ac priori quidem ſenſu poteſt citra abſurdum concedi, aut permitti Adverſarijs triplex bonitas, ſeu perfectio, in divinis perſonis, ſicut triplex entitas, realitas, & vnitas: quoniam quælibet ex perſonis, prout reipſa diſtincta ab alijs duabus, eſt integra perſonaliter, nec aliquid ipſi deeſt ad integritatem ſuam; nec hypoſtaſis vel relatio vnius perſonæ eſt pars hypoſtaſeos vel relationis perſonæ alterius; ſed quælibet ex hypoſtaſibus, ſive relationibus, per ſeipſam integra & completa eſt in ſuo quaſi genere. Quod ſaltem videntur evincere teſtimonia Conciliorum, & Patrum allegata num. 54. & ſeqq. Negamus tamen tres bonitates, ſeu perfectiones propriè dictas, ſeu acceptas pro dignitate, virtute, magnitudine, aut excellentia, quæ rem conſtituat per ſe æſtimabilem. Hæc enim non eſt ratio tranſcendens, cùm non ſequatur ens vtcumque; ſed quatenus per ſe æſtimabile, ſive quatenus exprimens aliquam rationem per ſe dignam pretio, aut honore. Quo ſenſu nullam bonitatem, aut perfectionem eſſe in vna aliqua ex divinis perſonis præ alia, evincunt planè tot teſtimonia Patrum, ac rationes pro nobis allatæ ab initio ferè controverſiæ. Vide infrà num. 84.

70 ET Certè non omne quod eſt integrum eo ſenſu, vt nihil ipſi deſit iuxta doctrinam illam Ariſtotelis num. 10. obſervatam, exprimere perfectionem aliquam ſpecialem, ſeu æſtimabilem in divinis, patet in terminationibus liberorum actuum Dei; quibus profectò nihil deeſt vt terminationes liberæ ſint: & tamen non propterea exprimunt aliquam peculiarem perfectionem, virtualiter aut ratione ſuperadditam actui neceſſario voluntatis divinæ. Alioqui ſicuti Deus eſt liber ad decernendam aut non decernendam creationem mundi, ita etiam liber eſſet ad habendam aut non habendam in ſe aliquam peculiarem perfectionem. Quod patet eſſe falſum, abſurdumque: vt vidimus 1 om. I. Diſp. XXXV. Idemque eſt de actionibus, quibus Deus quælibet effecta extra ſe operatur iuxta ſententiam noſtram Diſp. XIX. ſtatutam de identitate illarum cum ſubſtantia divina. Nam & ijs ſecundùm explicitum conſideratis nihil deeſt. Eademque ratio apparet in terminatione temporanea & hypoſtatica humanitatis Chriſti ex parte Verbi, quæ & in egrà eſt in ſua ratione formali: nec tamen propriè vllam perfectionem exprimit. Alioqui Verbum in ſeipſo perfectius evaſiſſet per aſſumptionem naturæ humanæ.

71 INSTABIS: Admiſſa triplici bonitate aut perfectione tranſcendenti, ſeu communiter dictâ, in divinis perſonis, ſequitur inæqualitas illarum quoad ipſam, non minùs quàm admiſſa triplici perfectione ſpeciali, & propriè dicta: quoniam eæ bonitates, perfectioneſve ſunt diverſæ ſpeciei, ac proinde inæquales. Rurſus ſequitur, vnam ex perſonis divinis non eſſe æquè perfectam ac duas vel tres ſimul; & eſſentiam eſſe perfectiorem qualibet perſonâ ſeorſim: quia præilla identificat ſibi plures perfectiones communiter dictas, ſive de genere entis. Hæc autem ſunt abſurda, quibus impugnavimus ſect. 2. & 3 opinionem adverſam. Ergo hæremus in eodem luto, quo involuere nitebamur opinionem adverſam.

72 RESP. Negando ſequelam quoad omnes partes. Nam æqualitas non attenditur ſecundùm puram & præciſam rationem entis aut boni tranſcendentaliter & communiter dicti; ſed ſecundùm dignitatem, virtutem, & æſtimabilitatem rerum, quæ eſt eadem omnino in tribus perſonis divinis, & in vnaquaque illarum. Vnde quamvis admittamus, ſingulas perſonas habere ſuam peculiarem bonitatem, ſicuti & entitatem, communiter dictam, & per modum tranſcendentis; non ideo inæquales ſunt; vel vna inferior duabus aut tribus; vel eſſentia perfectior qualibet ſingulari perſona. Ac ſanè omnes dicere debemus, & Catholicè fateri, eſſentiam non eſſe maius ens, quàm Patrem v. g. licèt præ Patre identificet ſibi tres hypoſtaſes, ſeu tria entia relativa ac divina. Ergo nec dicere debemus, eandem eſſentiam eſſe perfectiorem Patre, licet præ illo identificet ſibi tres bonitates, ſeu perfectiones relativas ac

divi-

divinas de genere entis, ſive tranſcendenter ſolum vſurpatas: quoniam adhuc eadem perfectio accepta pro dignitate, atque æſtimabilitate, reſidet indiviſim in eſſentia, & in ſingulis perſonis. Quod ſi verò illa multiplicaretur, adhuc intra genus relativum, verè inferret aliquam dignitatis inæqualitatem, tum inter perſonas, tum inter eſſentiã cum ijs comparata.

73 OPPONVNT V. Myſterium Trinitatis exprimit ſummam perfectionem Dei: ac proinde id, quo formaliſsimè conſtituitur, debet exprimere prrfectionem. Conſtituitur autem per tres hypoſtaſes, ſive perſonalitates, idque formaliſsimè. Ergo tres hypoſtaſes, ſive perſonalitates, exprimunt perfectionem. Maior propoſitio videtur conſtare, ſuppoſita fide, ex prima notione eius myſterij: & præterea ſuadetur varijs teſtimonijs D. Thom. Etenim q.9. de Potentia art. 5. ad 23. inquit: *Ad perfectionem diuinitatis pertinet, vt ſint plures modi exiſtendi in diuinis: vt ſcilicet, ſit ibi a quo alius, & ipſe à nullo, & aliquis, qui eſt ab alio. Non enim eſſet omnimoda perfectio in diuinis, niſi eſſet ibi proceſsio Verbi, & Amoris.* Præterea Opuſc. 1. contra errores Græcorum ait, *Patrem ſine Filio non eſſe perfectum; nec Patrem & Filium ſine Spiritu ſancto.* Atque in id confirmandum affert teſtimonium Athanaſij dicentis, *Patrem ſine Filio fore mutum, & vtrumque ſine Spiritu ſancto non fore viuum.* Præterea idem Athanaſius Orat. 2. in medio inquit: *Res conditæ, ſi non ſunt in rerum natura, non diminuunt Conditorem. Proles autem ſi non coæternaliter coexiſtat cum Patre, detrimentum affert perfectudini illius ſubſtantiæ.* Huc ſpectant plura alia Patrum teſtimonia, quæ more ſuo, & plena manu congerit Ruiz diſp.29. ſect.4. per totam, vt probet, divinitatem ipſam, & abſolutam ſubſtantiam Dei fore imperfectam.

74 RESP. Myſterium Trinitatis exprimere perfectionem ſummam; non tamen relativam, ſed abſolutam, & communem per identitatem tribus hypoſtaſibus diſtinctis; in quibus reipſa clauditur, immo & in ipſorum conceptu obiectivo, vt latè oſtenſum fuit Diſp. XXVI. Vnde nõ eſt opus vt relationes ex ſeipſis perfectionem aliquam exprimant: ſed ſufficit vt perfectio abſoluta eſſentiæ ſit verè ijs cõmunicabilis, & communicetur per identitatem. Neque obſtant teſtimonia D. Thom. Athanaſij. & aliorum Patrum afferentium, divinitatem fore imperfectam ſi careret relationibus. Non enim id propterea aiunt, quòd relationes ex ſe vllam perfectionem afferant, vel addant, ratione diſtinctam à perfectione abſoluta eſſentiæ: ſed quoniam ipſa perfectio abſoluta eſſentiæ non ſubſiſteret plena, nec eſſet eadem quæ modò eſt, ſi non eſſet per identitatem communis tribus perſonis. Sic etiam ſuppoſi o decreto libero futuritionis rerum, imperfectio eſſet in Deo non videre futura: & tamen viſio futurorum nullam exprimit in Deo perfectionem virtualiter diſtinctã à perfectione viſionis, ſeu ſcientiæ neceſſariæ, adhuc ex ſuppoſitione decreti. Similiter imperfectionem argueret in Deo quòd aliquid eſſet abſolutè futurum ſine libero ipſius decreto: nec tamen propterea decretum ſecundùm terminationem liberam exprimit perfectionem aliquam peculiarem, aut ratione diſtinctam à perfectione actus neceſſarij. Denique vel ipſi Adverſarij non facilè dicent, ſed fortaſsis negabunt, relationes divinas ſecundùm formaliſsimam rationem *ad*, quâ ſe invicem reſpiciunt, exprimere perfectionem; dato quòd illam exprimant, quatenus exercent munus hypoſtaticum: quoniam, nimirum, munus *ad* totum concipitur in ordine ad purum terminum, & per modum oppoſitionis; non in ordine ad ſubiectũ, vel ſuppoſitum, circa, quod ſolùm exercere poſſunt munus perfectionis. Et tamen ex defectu relationis ſecundùm munus *ad*, argueretur planè imperfectio aliqua, ſeu defectus communitatis, ſive fœcunditatis in divina eſſentia. Ergo pariter, quamvis ex defectu relationum, quatenus exercent munus formæ hypoſtaticæ, arguatur eadem imperfectio aut defectus in eſſentia divina, non propterea relationes divinæ ſub munere hypoſtaſeon exprimunt aliquam perfectionem. Sicnec eſſentia divina eſſet obiectum movens ſufficienter ad viſionem ſui, niſi ſimul cum illa viderentur relationes vt ſuprà Diſp.LXVIII. traditũ eſt. Et tamẽ nõ propterea relationes, quatenus virtualiter aut ſecundùm rationem diſtinctæ ab eſſentia, ſpectant ad obiectum motivum, ſed terminativum tantùm, prout eo loco diximus. Pariter ergo ferè dicendum, quamvis eſſentia non foret perfecta ſufficienter abſque relationibus, has non propterea exprimere perfectionem virtualiter aut ratione diſtinctam ab illa: ſed tamen eſſe terminos, ſeu complementa perſonalia ipſius eſſentiæ, quæ ſine ijs nec eſſet ſummè communicabilis, nec fœcunda ad intra, quod ſanè ſpectat ad ſummam ipſius perfectionem.

75 INSTABIS. Quòd natura divina ſit communis tribus per identitatem, ſive fœcunda, exprimit in illa perfectionem aliquã, vt fatemur. At non abſolutam. Ergo relativam. Probatur minor. Omnis perfectio abſoluta competit vnicuique è tribus perſonis: vt patet in intellectu, voluntate, omnipotentia, &c. Idque ratione conſtat: quia in nullo prædicato aut perfectione abſoluta opponuntur perſonæ, vt & nos ipſi ſuprà à num. 12. probavimus.

Atqui natura divina quatenus communis tribus ſive quatenus fœcunda, non competit vnicuique ex tribus perſonis. Alioqui vnaquæque illarum eſſet ſimul tres perſonæ, & fœcunda exiſteret ad productionem alterius: quorum vtrumque adverſatur Catholicæ fidei. Ergo perfectio eſſentiæ, prout communis tribus per identitatē, ſive fœcunditatem, non eſt abſoluta.

76 RESP. Tam communitatem, quàm fœcunditatem divinæ eſſentię, poſſe conſiderari, vel quoad rectum, vel quoad obliquum. Priori ſenſu exprimit perfectionem abſolutam, ſive ſummam plenitudinem eſſendi, quæ planè per identitatem convenit vnicuique relationi ac perſonæ divinæ. Quælibet enim illarum plenitudine eſſendi gaudet, habetque ſibi communicatam per identitatem eſſentiam divinam, quatenus exigentem eſſe in tribus, & habere fœcunditatem ſummam iuxta modū ſibi competentem. Vnde non ſequitur, vel quòd vnaquæque perſona ſit tres perſonæ ſimul, vel quod quælibet illarum ſit fœcunda: quia in hoc iam involvitur connotatum requiſitum ad fœcunditatem exercendam, quod non eſt commune omnibus perſonis. Poſteriori autem ſenſu, id eſt, ex parte connotatorum, non exprimitur perfectio aliqua, nec abſoluta, nec relativa, virtualiter, aut ratione diſtincta ab illa perfectione abſoluta: ſed ſolùm terminus, vel requiſitum quoddā ad communitatem, vel fœcunditatem exercendam, quo deficiente, illa natura ſummè perfecta non prodiret in exercitium actuale communicationis, vel productionis. Sic certè Deum liberè decernere ac nōſſe quæcumque futura ſunt, exprimit in ipſo aliquam perfectionem vitæ ac dominij; non tamen perfectionem liberam, & virtualiter aut ratione diſtinctam à perfectione neceſſaria Dei ex parte recti; ſed ſolùm perfectionem neceſſariam, quatenus explicatam media terminatione libera, & virtualiter contingenti, prout ſuſe diximus Diſp. XXXVII. Pariter ergo quoddammodo exercitium fœcunditatis, ſive communicationis ad intra, exprimit quidem perfectionem ſummam, non tamen relativam, vel virtualiter aut ratione diſtinctam à perfectione abſoluta naturæ, ſed indiſtinctam ab ea, quatenus explicata in ordine ad terminum, vel connotatum.

77 OPPONVNT VI. D. Thomas 1. p. q. 29. art. 3. probat, perſonam eſſe in divinis, quia importat perfectionem ſummam rationalis naturæ. Idemque tradit pluribus alijs locis, vt obſervavimus in Metaphyſica diſp. 7. num. 10. Ergo ſupponit, rationem perſonæ in divinis ſecundùm formalem conceptum exprimere magnam perfectionem. Alioqui ratio illa S. Doctoris eſſet nullius roboris. Atqui ratio formalis perſonæ in divinis non eſt abſoluta, ſed relativa, iuxta omnes Theologos. Ergo aliqua perfectio in divinis ex ſuo formali conceptu eſt relativa: ac proinde relationes, prout virtualiter, aut ratione diſtinctæ ab omni prædicato abſoluto, exprimunt aliquam perfectionem.

78 RESP. Dum D. Thomas ait, perſonalitatem ſignificare id, quod eſt perfectiſſimum in divina natura, non propterea tribui perfectionem aliquam perſonalitati, quatenus virtualiter, aut per rationem diſtinctæ ab ipſa natura. Nimirum, hoc nomen *perſonalitas*, cui Græcè reſpondet hypoſtaſis, ſignificat explicitè duo; in recto, exercitium ſubſiſtendi, & in obliquo intellectualem naturam, quæ in divinis eſt ſummè perfecta, & completur hypoſtaticè per ipſum exercitium. Quare, vt perſonalitas ſignificet *id, quod eſt perfectiſſimum in tota natura* (ita enim ad verbum loquitur ibidem S. Thom.) ſatis eſt quòd in obliquo ſignificet perfectionē ſummā naturæ intellectualis, quā cōplet per modū termini, ſive exercitij, & in recto complementū, ſive exercitiū ipſum, quo non interveniente, natura ipſa non ſatis explicaret ſummam illam perfectionem. Sic etiam decretum liberum Dei exprimit in obliquo perfectionem ſummam naturæ divinæ intelligentis, & volentis; in recto autem puram terminationem liberam, & virtualiter contingentem illius perfectionis, quæ non ſe explicaret in ordine ad producendum aliquid, niſi additā quoddammodo ea terminatione libera.

79 INSTABIS. Hoc ipſo quòd perſonalitas in recto, & vi ſuæ rationis formalis, ſit complementum aut terminus, ſine quo natura divina eſſet hypoſtaticè incompleta, & ſubinde imperfecta, debet eſſe ipſi conveniens. Ergo perſonalitas in recto, & vi ſuæ rationis formalis, eſt perfectio quædam naturæ divinæ. Omne enim quod ex ſe convenit cuilibet naturæ, proculdubio illam perficit in ſenſu formali: ac proinde ex ſe eſt perfectio.

80 RESP. Conceſſo antecedenti, negando conſequentiam: quia non omne quod eſt conveniens alicui, debet exprimere ex ſuâ ratione formali perfectionem. Sic terminationes liberæ intellectus & voluntatis divinæ, ſunt convenientes Deo, ſicuti & terminatio hypoſtatica naturæ humanæ, quam D. Thom. initio Tertiæ Partis docet ac probat, convenientem eſſe Deo: nec tamen propterea ex ſua ratione formali important in recto perfectionem aliquam; ſed merum exercitium ſummæ perfectionis Dei. Ita quoddammodo perſonalitas divina ex ſua ratione formali, quatenus eſt conveniens Deo, non importat perfectionem aliquam in recto; ſed merum exercitium

citium liberum ſummæ perfectionis Dei. Ita quoddammodo perſonalitas divina ex ſua ratione formali, quamvis ſit conveniens Deo, non importat perfectionem aliquam in recto; ſed merum exercitiū, quamvis neceſſarium (in quo à præcedentibus differt) ſummæ illius perfectionis Dei. Sic etiam relationes ſecundùm explicitum munus referendi ad purum terminum, ſunt Deo convenientes: nec tamen ideo perfectionem in recto exprimunt. Præterea illæ ſub eodem munere relativo ſunt convenientes Deo, vt habenti rationem obiecti motivi ad beandum neceſſariò ſeipſum: & tamen ex ſua ratione formali non habent vim movendi, adhuc partialem; ſed ſolius complementi, ſine quo beatitudo Dei eſſet incompleta aut imperfecta.

81 VRGEBIS. Perſonalitas divina in recto, ſive ex ſua ratione formali, exprimit perfectionem. Ergo non ſolùm in obliquo, & per modum cõplementi. Probatur aſſumptum multipliciter. PRIMO: Quia ſub ea ratione continet eminenter perſonalitatem creatam, quæ abſdubiò perfectionem exprimit: nequit autem perfectio aliqua eminenter contineri in eo, quod ratione ſui non exprimit perfectionem: ſicuti nec entitas aliqua in eo, quod per ſe non exprimit entitatem. SECVNDO: Quia perſonalitas Verbi ſupplet defectum perfectionis illius, quam habitura eſſet Humanitas Chriſti à perſonalitate creata, ſi ibi adeſſet. TERTIO: Quoniam perſonalitas Verbi, iuxta ſententiam ſatis probabilem, ſanctificat eandem Humanitatem Chriſti. Abſurdum verò eſſet dicere, formam per ſe habentem vim ſanctificandi, ac proinde eximiè perficiendi, nullam ex ſe perfectionem habere. QVARTO: Perſonalitas quælibet conveniens Deo trino, non eſt inferioris notæ, ac eſſet perſonalitas conveniens Deo, ſi per impoſsibile non eſſet trinus, ſed dumtaxat vnus. At hæc proculdubiò ex ſe atque in recto perfectionem exprimeret. Ergo & illa. QVINTO: iuxta definitionem Anſelmi ſuprà cap. 14. perfectio ſimpliciter ſimplex dicitur, *quæ ipſa eſt melior, quàm non ipſa.* Atqui relatè ad naturam divinam quælibet ex tribus perſonalitatibus eſt melior ipſa, quàm non ipſa. Quippe melius illi eſt perſonalitas quælibet ex ijs, quàm eius carentia, ſive defectus. Ergo quælibet relatè ad naturam divinam eſt perfectio ſimpliciter ſimplex.

82 RESP. Negando antecedens: quod nullatenus extorquent tot illius probationes. AD I. Quemadmodum iuxta omnes, perſonalitas creata, licet abſoluta, eminenter continetur in perſonalitate divina, quamvis relativa: ita & perfectio illius poteſt contineri in hac, licèt nullam perfectionem exprimente. Ratio vtriuſque eſt, quoniam perſonalitas divina continet quidem tam id quod abſolutum, quam quod perfectum eſt in perſonalitate creata: non tamen continet illud eminenter ratione ſui, ſive penes expreſſum munus relativum ſuppoſitandi aut referendi: ſed dumtaxat ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ, & communis tribus perſonis, quam ſupponimus ex ſententia valde probabili: vel ſaltem ratione naturæ divinæ reipſa clauſæ & implicatæ in qualibet perſonalitate divina. AD II. & III. patet ex eâdem doctrina. Licèt enim perſonalitas relativa ac propria Verbi ſit quæ terminat Humanitatem Chriſti, quæque illam ſanctificat in ea opinione: ratio tamen ſupplendi defectum perfectionis, quam habitura erat perſonalitas creata ſi adeſſet, & ratio ſanctificandi in ea opinione, eſt ſola perfectio abſoluta divinæ naturæ, prout modificata per Verbi ſolius perſonalitatem immediatè communicatam. Sic enim relationes divinæ beatificant per modum obiecti: ratio tamen beatificandi, ſicuti & ratio vltimi finis, provenit ijs ab eſſentia divina, quæ ſola per ſe eſt ſummum bonum, & finis vltimus. AD IV. Vt perſonalitas quælibet nũc de facto conveniens Deo non ſit inferioris notæ, ac eſſet perſonalitas abſoluta in ea hypotheſi repugnante, gratis admiſſa; ſufficit quòd per identitatem realem habeat quidquid perfectionis habet nũc natura divina, & haberet illa perſonalitas abſoluta in dicta hypotheſi. AD V. Definitio illa Anſelmi ſupponit in definito rationem perfectionis, & exprimit ſolùm id, quod peculiare eſt perfectioni ſimpliciter ſimplici, prout differt à miſta, ſive impura. Reſtat verò Adverſarijs probandum, rationem perfectionis, prout abſtrahentis à ſimplici & miſta, competere divinis relationibus: quod certè hactenus probaſſe non inveniuntur. Non ergo eis convenit illa definitio. Poſſet vlterius addi, nullam relationem in ſingulari exprimere perfectionem ſimpliciter ſimplicem determinatæ perſonæ: quia paternitas v.g. non eſt melior perſonæ Patris, quàm eſſet Filiatio ipſi oppoſita: ſicut non eſt melior Pater, quàm Filius. Perfectio autem ſimpliciter ſimplex debet eſſe taliis, vt habenti ſit melior, quàm omne ipſi oppoſitum: vt communiter accipitur doctrina illa Anſelmi. Nec propterea nego, ex opinione Adverſariorum tribuentium relationibus propriam ac peculiarem perfectionẽ, ſequi, hanc fore ſimpliciter ſimplicem, quod tamen plerique illorum negant. Vide quæ diximus num. 33. & ſeqq. Mitto alia argumenta levioris momenti, quorum ſolutiones, aut ex dictis facile erui, aut apud Auctores n. 5. allegatos videri poſſunt præterea quæ dicemus ſectione venturâ.

SEC-

SECTIO OCTAVA.

Illata aliquod ex dictis: in quibus obiter præ-occupantur quædam aliæ Aduerſario-rum obiectiones.

83 COLLIGES I. Hypoſtaſes, ſive relationes divinas, quamvis nõ exprimant bonitatem poſitivè, ſivè perfectionem, vt toties dictum eſt, exprimerè illam ſaltem negativè, quatenus nullum nævum, nullam imperfectionem important. Verùm præterea, quemadmodum ſub formali ratione hypoſtaſum, ſive ſubſiſtentiarum, exprimunt ordinem ad naturam divinam, cum qua conſtituunt perſonas: ita etiam exprimunt habitudinem quandam ad ſummam perfectionem eiuſdem naturæ. Quin & ex communi ratione entis divini ac ſimpliciter illimitati, quæ illas tranſcendit, includunt implicitè eandem ſummam divinæ naturæ perfectionem, quamvis illam in recto non exprimant. Sic terminationes liberorum actuum Dei, & perſonalitatis Verbi ad naturam humanam Chriſti, licèt non exprimant in recto ſummam divinitatis perfectionem, illam in obliquo important, & claudunt implicitè in ſuo conceptu obiectivo, ex conceptu tranſcendenti entis increati.

84 COLLIGES II. Perfectionem ſumptam pro integritate, competere ſingulis perſonis, etiam quatenus inter ſe diſtinctis, iuxta definitionem *perfecti* communiter dicti, traditam ex Ariſt. & D.Thoma, ſuprà num. 10. Nimirum, quælibet perſona ex tribus, etiã prout diſtincta à reliquis duabus, ſicuti integrè & perfectè eſt Pater, aut Filius, aut Spiritus ſanctus: ita etiam eſt perſona integra. Cùm verò ex eodem Angelico Doctore 1.p.q.6.a.3. corpore, habeamus, *Vnumquodque eſſe bonũ, quatenus eſt perfectum*; poteſt in divinis citra abſurdum aliquod admitti triplex bonitas ſumpta pro perfectione integritatis, ſicuti etiam triplex realitas, vnitas, entitas, iuxta dicta à num.69. non tamen triplex bonitas, aut perfectio propriè ac ſimpliciter dicta. Præſertim quia perfectio & bonitas propriè ac ſimpliciter dicta in Deo, eſt ratio ipſa formalis vltimi finis. Ergo quemadmodum Deus trinus in nullo vero ſenſu eſt triplex vltimus finis, ſed vnicus: ita nec triplex bonitas ſive perfectio propriè ac ſimpliciter dicta, ſed vnica.

85 COLLIGES III. Vnamquamque ex divinis, tum perſonis, tum hypoſtaſibus, ſive ſubſiſtentijs, adorandam eſſe cultu latriæ: quamvis ratio formalis, ſive excellentia, propter quam adoratur, non ſit relativa, aut propria vniuſcuiuſque perſonæ; ſed abſoluta & communis atque vnica in tribus. Ratio eſt: quia licèt perſonalitates, ſive ſubſiſtentiæ, nullam in recto perfectionem, vel excellentiam exprimant, neceſſariò illam connotant, vt naper dictum eſt, & implicitè ac per identitatem claudunt quidquid excellentiæ & perfectionis propriè ac ſimpliciter dictæ eſt in Deo. Ergo ratione eiuſdem ſummæ excellentiæ, tum connotatæ, tum per identitatem clauſæ, exigunt ſummum cultum, & honorem, qualis eſt latriæ. Eadem vero ratio poſtrema vrget in relationibus divinis, etiam ſecundùm expreſſum ordinem ad terminum. nam neque ſub ea conſideratione exuere poſſunt rationem entis increati ac ſummè perfecti, quam per identitatem & tranſcendentiam claudunt. Hoc autem ſufficit ad verificandum dictum, & exequendum monitum illud Athanaſij in Symbolo: *Fides autem Catholica hæc eſt, Vt Vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Vnitate Veneremur.* Sicuti enim Sancti in cœlo beantur videntes Deum, non modò vt vnum, ſed vt trinum, quamvis ratio formalis beandi ſit ſola bonitas abſoluta eſſentiæ, quæ vnica eſt: ita etiam veneramur & adoramus Deum, non modò vt vnum, ſed vt trinum, licèt formalis ratio propter quam illum veneramur ſit ſola dignitas, perfectio, & excellentia abſoluta eſſentiæ, quæ prorſus vnica eſt. Vnde corruunt impugnationes Ruizij diſp. 29. ſect. 6. à n. 10. Idem prorſus ferè dicendum de intelligibilitate, & amabilitate trium ac ſingularum perſonarum, præſertim ſtatuto ex dictis ſupra Diſp.LXXII. ſect.2.veritatem eſſe vnicam in tribus perſonis: quam ſententiam tradit ipſe Ruiz diſp.27.ſect. 5. qui propterea ad hominem, vt aiunt, multipliciter impugnari poſſet.

86 COLLIGES IV. Quamvis perſonalitas creata exprimat aliqualem perfectionem, quam in recto non exprimit divina, quoniam illa terminat & complet naturam creatam reſpiciendo illam propter ſe, & abſolutè; divina verò naturam increatam reſpiciendo illam in ordine ad terminum: adhuc tamen id abundè compenſari, quoniam perſonalitas divina præ creata exprimit in obliquo ſummam perfectionem naturæ divinæ, quam intelligitur terminare; & aliunde per identitatem ac tranſcendentiam claudit qqidquid eſt perfectionis in natura divina. Perſonalitas creata deinde eſt modus quidam, ac proinde entitas incompleta: cùm tamen divina ſit verè & per identitatem idipſum quod Deus ac natura divina. Eſtque quoddammodo idoneum exemplum in terminationibus liberis Dei, quæ nullam exprimunt perfectionem liberam, ac diſtinctam à perfectione neceſſaria: cùm tamen terminationes liberè in nobis illam exprimant. Verùm

hoc

hoc ex pluribus alijs capitibus abundè compensatur, vt iam in simili dictum est. Cæterum quemadmodum relationibus divinis non adscribimus perfectionem, aut bonitatem, sive quatenus afficiunt relativè subiectum, aut quasi subiectum, sive quatenus exprimunt ordinem ad terminum: ita similiter, immo & multò strictiori ratione, neganda est bonitas & perfectio relationibus creatis, sive quatenus spectant explicitè terminum, sive quatenus respiciunt subiectum ipsum in ordine ad terminum. Quod faciliùs intelligitur iuxta sententiam, quæ docet relationes creatas esse reipsa indistinctas à coexistentia fundamenti & termini. Sic enim facilè explicatur, quomodo subiectum, sive fundamentum, non perficiatur intimè adventu relationis. Verùm eam opinionem refutavimus in Metaph. disp. 12. & suprà Disp. XXXIV. num. 40. & seqq. Rursus facilè id exponi potest iuxta sententiam satis probabilem quæ & plurimum conformis est Anselmo vt vidimus, eadem Disp. XXXIV. num. 50.) docentium, relationem prædicamentalem consistere adæquatè in entitate fundamenti, non absolutè sumpta, sed cum connotatione termini, quem importat in obliquo. Sic enim dici potest, habitudinem illam prædicamentalem fundamenti non superaddere ipsi aliquid perfectionis, sed puram connotationem termini. Difficiliùs autem explicari potest iuxta opinionem distinguentem reipsa à fundamento relationem, veluti accidens superaditum, ac proinde inhærens ipsi. Verùm cùm aliunde nullum effectum præstet ipsi, nisi vt respiciat terminum, in quo nulla perfectio apparet; consequens est, vt relatio creata in nullo sensu perfectionem afferat fundamento aut subiecto, quãcumque opinionẽ sequamur.

DISPVTIO LXXIV.

AN IN DIVINIS, PRAETER EXISTENTIAM ABSOLVTAM ET COMMVNEM, SINT TRES EXISTENTIAE VIRTVALITER DISTINCTAE AB ESSENTIA, ET REALITER INTER SE.

NON Pendet controuersia hæc à præcedenti. Siue enim asserantur, siue negentur Deo tres perfectiones relatiuæ, adhuc locus est inquirendi, An in eo admittendæ sint tres existentiæ relatiuæ. Qui enim nullum absurdum censent colligi ex triplici relatiua perfectione in Deo, nullum etiam inuenient in triplici existentia asserenda, siue hæc ex sua formali ratione importet perfectionem, siue non. Qui autem vnicam perfectionem in diuinis agnoscunt poterunt cohærenter vnicam existentiam tueri, aut etiam triplicem relatiuam, dummodo nolint hanc exprimere perfectionem. Habet locum Disputatio hæc apud Magistrum varijs locis: sed præcipuè in 1. dist. 25. §. Verùm & hic alia cõsurgit quæstio, D. Thom. 1. p. q. 28. a. 2. fine corporis, & q. 39. a. 3. q. 40. a. 2. ad 2. & 3. p. q. 17. a. 2. ad 3. Scotum in 1. dist. 11. q. 2. ad 1. & Durand. in 3. dist. 1. q. 2. apud Anselm. verò locis in progressu allegandis.

SECTIO PRIMA.

Relatis Theologorum sententijs, statuitur, in Deo esse existentiam absolutam, idque iuxta sacras litteras, Anselmum, & alios Patres, quidquid aliqui ex Recentioribus contrà senserint.

2. PRIMA Sententia est Theologorum quorundam Recentiorum, apud Eximium Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 11. sect. 1. & Ruiz. disp. 25. sect. 1. negantium in Deo existẽtiam absolutã, & communem tribus personis, solumque admittentium tres relativas. Hanc existimationem Godoy disp. 89. initio ortam existimat, quòd ij Authores existentiam cum subsistentia cõfunderent. Cùm enim hanc in divinis negent absolutam; ita & existentiam, quæ absoluta sit. Meliùs tamen, & coherenter ad illam opinionem, asseruissent in

divinis ſubſiſtentiam aliquam abſolutam, nè exiſtentiam negarent, quæ omnino certa eſſe debet: vt apparebit ex progreſſu.

3 SECVNDA Eſt aliorum, qui ita tribuunt Deo exiſtentiam abſolutam & communem tribus perſonis, vt tamen ſingulis adſcribant proprias exiſtentias relativas, virtualiter diſtinctas ab illa priore, & realiter inter ſe. Ita Alenſis 1. part. quæſt. 49. membro 2. Scotus vbi ſuprà, & Quodlibeto 4. art. 3. ad argum. principale, Suarez tom. 1. in 3. part. diſp. 11. ſect. 2. alijſque locis, Zuñiga de Trinitate diſp. 5. dub. 11. Amicus tom. 1. diſp. 19. à num. 172. Arriaga diſp. 49. ſect. 2. Averſa quæſt. 30. ſect. 3. Franciſcus de Lugo lib. 2. diſp. 10. cap 2. num. 14. Herincx diſp. 1. quæſt. 8 num. 61. & plures alij. Eamque ab omni cenſura liberam cenſet Ruiz mox allegandus pro tertia opinione. Fortaſsis quoniam aliqui hunc dicendi modum criminati ſunt. Ex Thomiſtis abſolutè eandem ſententiam tradunt Medinam 3. part. quæſt. 19. art. 2. dub. 3. & Zumel 1. p. quæſt. 28. art. 2.

4 TERTIA Docet, in divinis vnicam eſſe exiſtentiam, eamque abſolutam & cõmunem tribus perſonis. Ita S. Thom locis initio indicatis, ſecuti & Durandus ibidem allegatus, Capreolus in 1. diſt. 26. q. 1. ad 4. Aureoli contra 3. concl. Caietan. 1 p. q 28. art. 2. Verùm ij AA. loquuntur conſequenter ad aliam opinionem ſuam, à cæteris merito reiectã, quâ exiſtimant, divinas relationes ſecundùm eſſe *ad* non eſſentia realia. Abſolutè verò ſententiam hanc tuentur ex Thomiſtis Deza in 1. diſt. 33. quæſt. 1. art. 3. notabili 4. Bañez 1. part. q. 40. art. 4. dub 2. Carmelitani Salmanticenſes diſp. 2. dub. vnico, Albelda diſp. 6. ſect. 1, Ioannes à S. Thoma diſp. 13. art. 3. Serra 1. p. q. 28. art. 2. Godoy 1. p. diſp. 79. Gonet diſp. 3. a. 6 alijque Recentiores eiuſdem Scholæ ſatis frequenter, ac pene omnes in certaminibus publicis. Ex Scriptoribus Societatis ſubſcribunt Vazquez 1 p. diſp. 126. c. 2. & 3. Becanus tract. 2. c. 3. q. 8. Granadus tract. 5. diſp. 1. ſect. 3. Albertinus Coroll. 9 ex Prædic. Ad aliquid, Ruiz diſp. 25 ſect. 2. & 3. & alij.

5 LICENDVM I. Exiſtentiam abſolutam & communem tribus perſonis divinis, nullo modo negari poſſe, aut potuiſſe ab ijs Theologis anonymis primæ opinionis, quam cæteri omnes reijciunt, & erroris notâ inurunt: quamvis nos iuxta decretum SS. D. N. Innocentij XI expeditum anno præcedẽti M. D. LXXIX. abſtineamus ab omni cenſura quarumlibet opinionum nondum ab Eccleſia proſcriptarum, quod & in cæteris ſcriptis noſtris ante decretũ ipſum, ſemper ferè obſervavimus.

6 FVNDAMENTVM Aſſertionis huius præcipuum deſumitur ex ſacris litteris, vbi Deo abſolutè ſumpto, & nulla mentione facta trium perſonarum, tribuitur, veluti maximè proprium, nomen Tetragrammaton, deductum à verbo ſubſtantivo apud Hebræos יהוה, *hajah*, cui apud Græcos reſpondet εἶναι, apud Latinos *eſſe*; eo excepto, quòd apud Hebræos, ſignificat exiſtendi neceſsitatem, ſoli Deo cõvenientem, vt exponit R. Moſes Maiemonides in lib. 1. Moreh Nebochim cap. 61. vbi ſuprà verba illa Dei Exodi 3. *EGO SVM QVI SVM*, inquit: *Hoc nomen deriuatum eſt à verbo ESSE, quod idem eſt, atque exiſtere, nam ſignificat exiſtentiam. Neque eſt in Hebraica lingua diſcrimen vllum ſiue ESSE ſiue EXISTERE dicas.* Id ipſum accidere in cæteris linguis obſervat eruditiſsimus Petavius lib. 4. de Trinit. cap. 12. quoniam nulla inveniatur, quæ non adhibeat verbum ſubſtantivum *eſſe*, ad id quod eſt *exiſtere*, & in Scholis dici conſuevit *exiſtentia*, Græcè ὕπαρξις. Vnde & Deus ipſe eodem cap. 3. Exodi inquit ad Moſem: *Sic dices filijs Iſrael: QVI EST miſit me ad vos.* Id eſt, qui à ſeipſo, & ſolus habet exiſtere, cùm reliqua non, niſi ab ipſo, id habeant. Similiter Iob. 23. dicitur: *Ipſe ſolus eſt*, quoniam, nimirum, ſolus à ſeipſo, ſive independenter ab omni alio, exiſtit. Sic enim verba illa interpretantur communiter SS. Patres, quos varijs locis allegavimus, præſertim Tom. I. Diſp. XLVII. ſect. 4. in Scholijs ad cap. 27. Anſelmi, qui eo loco hanc ipſam doctrinam ex profeſſo tradit, & rationibus probat, ibidem conſulendis. Ergo eſſe, ſive exiſtere, abſolutè convenit Deo, & præciſa conſideratione trium perſonarum.

7 CONFIRMATVR Ex doctrina omnium eorum Patrum, qui verbis illis Exodi, *Ego ſum qui ſum*, ac præterea, *Qui eſt miſit me ad vos*, exprimi aiunt nomen maximè proprium Dei, quo eius eſſentia ſignificatur. Illorum teſtimonia exſcripſimus, & expendimus latè Diſp. XXIV. vbi & probavimus, rationem entis à ſe, ſive habentis, exiſtentiam à ſeipſo, eſſe formaliſsimum conceptum eſſentiæ divinæ. Etenim οὐσία, quæ apud Græcos ſignificat eſſentiam iuxta Philoſophos & Patres, dicitur ἀπὸ τοῦ εἶναι, id eſt, *ab eſſe*, ſive per ordinem ad actum exiſtendi: ac proinde eſſentia, quam Deus habet à ſeipſo, exprimitur in ordine ac actum exiſtendi à ſe. Ergo quemadmodum ratio eſſentiæ divinæ eſt abſoluta & communis tribus perſonis: ita etiam ratio exiſtentiæ, quæ illi convenit, quatenus eſſentia eſt. Sic certè operationes intelligendi & volendi abſolutè conveniunt Deo, & quà vnus eſt in eſſentia, quoniã ſunt actualitates reſpondentes naturæ ipſius intellectuali, & intellectui, ac voluntati, quæ exprimunt in ipſo perfectionem abſolutam.

ILLVS-

8 ILLVSTRATVR Probatio eadem teſtimonijs Patrũ cõmuni eſſentiæ tribuentiũ exercitium τὸ εἶναι, ſive exiſtendi, aut eſſendi, vt in Scholis loquitur. Nemo autem, quem viderim ex ijs, luculentiùs, aut latiùs id tradidiſſe invenitur quàm Anſelmus ſuprà in hoc ipſo Opuſc. c. 3. vbi id ex profeſſo demonſtrat, & poſt medium capitis concludit: * Quare eſt quædam natura, vel ſubſtantia, vel eſſentia, quæ eſt per ſe bona, vel magna, & PER SE EST ID, QVOD EST; & per quam eſt, quidquid verè aut bonum, aut magnum aliquid eſt, & quæ eſt ſummũ magnũ, ſummum bonum, SVMMVM ENS, SIVE EXISTENS; id eſt, ſummum omniũ, quæ ſunt. * Ecce vbi naturę, ſive eſſentiæ divinæ tribuit, vt perſeipſam, ac proinde ex ſua ratione abſoluta & formali, ſit ſummum ens, ſive exiſtens. Deinde c. 5. ſequenti rem exponit idonea ſimilitudine: * Quemadmodum enim ſeſe habent ad invicem lux, & lucere, & lucens: ſic ſunt ad invicẽ eſſentia, eſſe, & ens; hoc eſt, exiſtens, ſive ſubſiſtens. Ergo ſumma eſſentia, & ſummè ens, id eſt, ſummè exiſtens, ſive ſubſiſtens, non diſſimiliter ſibi conveniunt, quàm lux, & lucere, & lucens. * Ergo quemadmodum lucere eſt exercitium lucis, quà lux eſt: ita eſſe, ſive exiſtere, & exiſtere ſummè, eſt actus conveniens eſſentiæ divinæ, quatenus ſumma eſſentia eſt. Nec te moretur, quod pro eodem accipi videatur ab Anſelmo *exiſtens*, ac *ſubſiſtens*, de eſſentia divina intellectum. Accipiendum eſt enim de ſubſiſtentia communi & abſoluta, quæ competit eſſentiæ divinæ per ſeipſam, & in nullo differt ab exiſtentia per ſe: vt latè expoſuimus in Metaph. diſp. 7. per totam, & nominatim in divinis oſtendemus Diſp. LXXVII. ſect. 2.

9 VERVM Longè ante Anſelmum eandem doctrinam tradiderant alij ex SS. Patribus, atque imprimis Magnus ille Dionyſius, non alius certè, vt aliqui ex Recentioribus volunt, ſed Areopagita, vt plurimis retro ſæculis ſibi perſuaſum habuit Eccleſia, hodieque. Is enim lib. de Divinis nomin. cap. 5. loquens de eſſe, ſive de exiſtentia Dei, ait: καὶ ἔστιν αὐτὸ καθ' αὐτὸ τὸ εἶναι πρεσβύτερον τοῦ αὐτοῦ ζῆν εἶναι, &c. id eſt: * Eſtque ipſum PER SE ESSE antiquius (intelligi cognitione prius) quàm ipſiſsimam eſſe vitam, & ipſiſsimam eſſe ſapientiam, & ipſiſsimam eſſe ſimilitudinem divinam, ac cætera, quæ ita entia participant, vt ante omnia iſta ipſum eſſe participent. Et concludit: Igitur meritò principaliùs omnibus alijs Deus, tanquam ENS, ex dono cæteris ſuis omnibus donis antiquiore, celebratur. * Vides qualiter Dionyſius ipſum per ſe eſſe, ſive exiſtere, docet intelligi in Deo ante ipſam per ſe vitam, & per ſe ſapientiam. Quid autem intelligitur in Deo ante vitam, & ſapientiam, eſt planè perfectio abſoluta, immo & prior alijs perfectionibus abſolutis vivendi, & intelligendi. Ergo iuxta Dionyſium competit Deo exiſtentia abſoluta. Similiter Nazianzenus Orat. 36. docet, nomen τὸ ὄν, ſive *Ens*, quantum fas eſt nobis exprimere, eſſe omnium aptiſsimum ad ſignificandam eſſentiam Dei, iuxta oraculum Moſi datum: ac præterea ſubdit: *Nos verò naturam eiuſmodi inquirimus, quæ ipſum ESSE per ſe habeat.* Vbi palam ſupponit, naturam divinam, ſecũdùm ſuam rationem, atque adeò abſolutè habere τὸ εἶναι, quod eſt ipſum eſſe, ſive exiſtere. Præterea Damaſcenus lib. 1. Fidei cap. 12. innixus eidem oraculo, hanc theſim ſtatuit: δοκεῖ μὲν οὖν κυριώτερον πάντων τῶν περὶ Θεοῦ λεγομένων ὀνομάτων εἶναι, τὸ ὤν. *Enim verò videtur principalius omnium, quæ de Deo dicuntur, nominum QVI EST.* Rationem verò reddit ſtatim ferè: *Totum enim in ſeipſo comprehendens, habet ipſum τὸ εἶναι, id eſt, ESSE, veluti QVODDAM PELAGVS ESSENTIÆ infinitum & interminum.* Itaque nomẽ τοῦ ὄντος, id eſt, entis, vult Damaſcenus eſſe maximè proprium Dei, quoniam præ alijs nominibus comprehendit totum *eſſe, ſive exiſtere, VELVTI QVODDAM PELAGVS ESSENTIÆ infinitum & interminum.* Quo planè ſupponit, ipſum τὸ εἶναι, ſive eſſe, aut *exiſtere*, ad eſſentiã Dei ſpectare, ac proinde cenſeri inter prædicata abſoluta.

10 CONSONANT Patres Latini, & authoritate, & numero plurimi, quorum dumtaxat aliquot loca delibabo. Hilarius initio libri primi circa eadem verba Exodi, ait: *Non enim aliud proprium Deo, magis quàm eſſe, intelligitur.* Loquitur autem planè, non de prædicatis proprijs perſonarum divinarum, quæ dicuntur relativa; ſed de prædicatis proprijs Dei, quæ prorſus ſunt abſoluta. Ambroſius in Pſalm. 43. exponens eadem verba Exodi: *Nihil tam propriũ Dei, quàm ſemper eſſe.* Nimirum exiſtere abſque initio & fine: prout Anſelmus ſuprà cap. 17. explanavit æternitatem Dei penes excluſionem initij ac finis. Sed & audiendus eſt Magnus Auguſtinus lib. 5. de Trinitate 2. rem ipſam, in qua verſamur, luculentiùs exponens hiſce verbis: * Eſt tamen Deus ſine dubitatione ſubſtantia; vel ſi meliùs hoc appellatur, ESSENTIA, quã Græci οὐσίαν vocant. Sicut enim ab eo, quod eſt ſapere, dicta eſt ſapientia; & ab eo, quod eſt ſcire, dicta eſt ſcientia: ITA AB EO, QVOD EST ESSE, DICTA EST ESSENTIA. Et quid magis ETST, quàm ille, qui dixit famulo ſuo Moyſi: EGO SVM, QVI SVM: & dices filijs Iſrael: QVI EST, miſit me ad vos. *

Quibus verbis luculenter docet, eſſentiam divinam exprimi penes ipſum eſſe, ſive exiſtere: quemadmodum ſapientia denominatur ab eo quod eſt ſapere, & ſcientia ab eo quod eſt ſcire. Ergo eſſentię intra propriam, & abſolutam rationem conſideratæ reſpondet ipſum eſſe, ſive exiſtere: ac proinde datur in Deo ſubſiſtentia abſoluta. Mitto plura alia Patrum loca, ſicuti & D. Thomæ, iam indicata initio Diſputationis, quæ apertiſsima ſunt. Idem tradit 1.p. quæſt. 3. toto art. 4. & lib. 4. contra Gent. cap. 11.

11 RATIONIBVS Quoque idipſum demonſtrare licet. Omne enim quod in Deo eſt ratio à priori aliarum perfectionum abſolutarũ, quæ dicuntur attributa, debet eſſe prædicatum abſolutum, & conveniens ipſius eſſentiæ pro priori aliquo ad perſonas ſive relationes: vt patet. Atqui eſſe, ſive exiſtere per eſſentiam, eſt eiuſmodi. Ex eo enim quòd Deus ſit ens, ſive exiſtens à ſe, excludit omnem dependentiam, & limitationem: ac proinde à priori exigit perfectiones puras omnium generum, veluti durationis, vbicationis, vivendi, intelligendi, & volendi, &c. Indeque D. Thom. 1. p. à quæſtione 3. vſque ad 10. ferè, & cum ipſo omnes Theologi demonſtrant in Deo alias atque alias perfectiones abſolutas, quòd ſit per ſe, ſive per eſſentiam exiſtens, & ſuum eſſe. Ergo eſſe ſive exiſtere per eſſentiam, eſt prædicatum abſolutum, & conveniens eſſentiæ divinæ pro priori aliquo ad perſonas, ſive relationes.

12 CONFIRMATVR Et explanatur ampliùs. Non enim licet colligere à priori exiſtentiam Dei à ſe ex eo quòd ſit trinus in perſonis, vel quia Pater generat Verbum, aut vterque eſt principium Spiritus ſancti. Quippe hæc omnia ſecundùm rationem ſupponunt exiſtentiam naturæ divinæ, quæ ſit quoddammodo principium proceſsionum divinarum. Ecõtrà verò, ſiqua ratio à priori myſterij Trinitatis & proceſsionum à nobis aſsignari poteſt, ea eſt, quòd eſſentia, ſive natura Dei ſit ens à ſe exiſtens, ac proinde ſummum & infinitum bonum, ſummèque & infinitè communicativum ſui, ſive fœcundum, quod propterea debeat cõmunicari ad intra per intellectum & voluntatem: nam ad extra nulla communicatio eſt ſumma & infinita. Igitur inſtituta cõparatione inter exiſtentiam Dei, & myſterium Trinitatis, illa præcedit ſecundũ rationem: ac proinde cenſetur inter prædicata abſoluta, quæ planè ſunt priora notionalibus, ſive relativis, ordine rationis.

13 SECVNDO. Æternitas eſt perfectio abſoluta Dei, præintellecta myſterio Trinitatis. Ergo & exiſtentia. Antecedens patet: quia æternitas ratione naturali demonſtratur ab omnibus Philoſophis, & Patribus, cum Anſelmo ſuprà c. 17. & ſeqq. pro priori ad omnem intelligentiã myſterij Trinitatis, & independenter ab illo: vt vidimus in commentarijs ad ea loca. Conſequentia autem probatur: quoniam cùm æternitas ſit duratio quædam initio & fine carens, aut eſt ipſa exiſtentia fine initio & fine, aut eſt continuatio quædam eiuſdem exiſtentiæ, vtcumque exponamus rationem formalem durationis comparatæ cum exiſtentia, iuxta varias Philoſophorum ſententias à nobis latè examinatas in Phyſica diſp. 29. per totam. Ergo quemadmodum æternitas eſt perfectio abſoluta Dei, & præintellecta Trinitati perſonarum, ita & exiſtentia.

14 TERTIO. Nihil propriè ſpectans ad myſterium Trinitatis, ſive ad Deum, quatenus dumtaxat eſt trinus in perſonis, poteſt evidenter cognoſci, aut probari lumine naturæ. Atqui Deum exiſtere, poteſt evidenter cognoſci aut probari lumine naturæ. Ergo Deum exiſtere, non eſt aliquid propriè ſpectans ad myſterium Trinitatis, ſive ad Deum, quatenus dumtaxat eſt trinus in perſonis: ac proinde in ipſo eſt exiſtentia abſoluta, quatenus vnus eſt. Conſequentia eſt manifeſta quoad vtramque partem. Maior propoſitio ſupponitur demonſtrata ex profeſſo ſuprà Diſp. LI. Minor verò conſtat ex dictis Tomo I. huius Operis Diſp. V. & XII. vbi cum Anſelmo latè probavimus exiſtentiam Dei ratione naturali. Immo & multi, quorum ſententiam examinavimus Diſp. VI. volunt, nec ſine fundamento aliquo in doctrina Anſelmi infrà in Proſlogio cap. 2. & 3. exiſtentiam Dei eſſe per ſe notam inſito naturæ lumine.

15 VLTIMO, Omiſsis aliis. Omne id, de quo evidenter conſtat eſſe perfectionem ſimpliciter ſimplicem, convenit abſolutè Deo. Atqui exiſtere eſt eiuſmodi. Ergo abſolutè convenit Deo. Maior patet luculenta cõſideratione Anſelmi in locis nuper indicatis ex Proſlogio: quia lumine naturali inſitum eſt omnium animis, Deum eſſe id, quo nihil melius, perfectius, aut excellentius eſſe aut cogitari poteſt. Ergo eodem lumine innoteſcit, aut ſaltem colligitur, debere ipſi convenire omne id, de quo evidenter conſtat, eſſe perfectionem ſimpliciter ſimplicem. Minor autem patet ex definitione perfectionis ſimpliciter ſimplicis, ab eodem S. Doctore tradita ſupra c. 14. & à reliquis Theologis communiter admiſſa, vt ſit, *quæ eſt melior ipſa, quàm non ipſa, & quàm omne ipſi oppoſitum.* Patet verò, melius eſſe exiſtere, quàm non exiſtere, & quàm omne oppoſitum exiſtentiæ. Ergo evidenter conſtat lumine naturæ, exiſtentiam eſſe perfectio-

tionem ſimpliciter ſimplicem. Mitto plura alia, quibus id ipſum facilè extorqueri poſſet.

SECTIO SECVNDA.

Excluditur à Deo quælibet exiſtentia relatiua, virtualiter diſtincta ab abſoluta, & multiplicata reipſa in tribus perſonis. Aſſertio probatur, veluti expreſſa Anſelmi, & aliorum Patrum quorum teſtimonia accuratè expenduntur.

16 DICO II. Præter exiſtentiam abſolutam & communem non eſt in Deo alia relativa virtualiter ab ea diſtincta, & multiplicata reipſa in tribus perſonis. Ita Authores ſecundæ ſententiæ, quam veram exiſtimo, atque expreſſam & communem apud Patres.

ET Imprimis Anſelmus illam abſdubiò ſupponere videtur ſæpiſsimè in hoc ipſo Opuſculo. Nam quoties agit ab initio de eſſe Dei, quem ſæpe demonſtrat exiſtentem, loquitur de exiſtentia ipſa, veluti de perfectione ſimpliciter ſimplici, & conveniente ipſi ſecundùm eſſentiam, quam propterea rationibus apodicticis, ſeu demonſtrativis, probat. Quomodo nuper monuimus, probari non poſſe quæ ſpectant ad Deum relativè, ſive quatenus trinus eſt, ſed abſolutè ſolùm, & quatenus eſt vnus in eſſentia. Sed proferamus vlteriùs in ſpecie clariora ipſius teſtimonia. Præcipuum illorum habetur infrà cap. 60. Idque probat multipliciter, ſed præcipuè in fine capitis, dicens: *Quoniam vtrique non aliud eſt habere eſſentiam, quàm eſſentiam eſſe; ſicut habet alter alterius eſſentiam, ita eſt alter alterius eſſentia; id eſt, IDEM ESSE EST ALTERI, QVOD ALTERI.* Vbi in Patre & Filio nullum aliud eſſe, ſive nullam aliam exiſtentiam agnoſcit, quàm eſſentiam: indeque probat, alterum eſſe alterius eſſentiam, quoniam idem eſt eſſe vnius, ac alterius. Nullo igitur modo eſſe, ſive exiſtentia vnius, differ reipſa ab exiſtentia alterius. Si enim reipſa different vtriuſque exiſtentiæ, perperam inde probaretur, vtrumque eſſe eandem omnino eſſentiam. Præterea idem Anſelmus eodem cap. circa medium vnicam agnoſcit ſubſiſtentiam in Patre & Filio, ac proinde negat in ijs plures ſubſiſtentias relativas, qualiter Auguſtinus, Hieronymus, Hilarius, Nyſſenus, & alij Patres, illas negaſſe inveniuntur: vt videbimus Diſp. LXXVIII. Hoc autem eo dumtaxat ſenſu videtur intelligendum, vt pro eodem vſurpaverint ſubſiſtere, ac exiſtere per ſe; cùm alioquì Catholicè fateantur tres hypoſtaſes, ſeu perſonas in divinis. Verba Anſelmi de Patre ſunt: * Ita gignendo dat Filio eſſentiam habere, & ſapientiam, & vitam in ſemetipſo, vt non per extraneam, ſed per ſuam eſſentiam, ſapientiam, & vitam, ſubſiſtat, ſapiat, & vivat. Alioqui non erit idem eſſe Patris, & Filij, nec eri par Patri Filius. Quod quàm falſum ſit, liquidiſsimè ſuperius perviſum eſt.* Vbi pro eodem accipit *ſubſiſtere*, ac eſſe; & vnicum ſubſiſtere, ſicut & eſſe, agnoſcit in Patre, & Filio, quemadmodum, & vnicam ſapientiam, & vitam. Ergo negat planè ijs duplex eſſe, ſive duplicem relativam exiſtentiam, ſicuti & duplicem relativam ſapientiam & vitam. Vide alium inſignem locum infrà ſect. 3. initio, & ſuprà num. 8.

17 EAM Doctrinam, ſicuti & pleraque alia didicit Anſelmus ex Magno Auguſtino, qui lib. 7. de Trinitate cap. 4. propè finè, tradit ac probat, *non eſſe aliud in Deo eſſe, aliud ſubſiſtere.* Et cap. 5. ſequenti fine concludit: *Hoc eſt Deo eſſe, quod ſubſiſtere.* Et cap. 6. ex profeſſo aſſumit probandum, in divinis non eſſe triplex eſſe: quoniam eſſe in Deo non eſt relativum, ſed abſolutum; quæ verò abſoluta ſunt non multiplicantur in divinis. Ergo non datur in divinis triplex eſſe, ſive triplex exiſtentia relativa, iuxta Auguſtinum. Huc ſpectat illud Boetij lib. de duabus naturis inter principium, ac medium aientis: *Dicimus vnam eſſe vſiam, vel vſioſim, ID EST, ESSENTIAM, VEL SVBSISTENTIAM DEITATIS: ſed tres hypoſtaſes, id eſt, ſubſiſtentias.* Vbi nomine vſioſeos nullatenus accipit perſonalitates, ſeu hypoſtaſes, quas Catholicè fatetur tres: ſed ſubſtantiam, ſive exiſtentiam, quam docet eſſe in divinis vnicam.

18 SED Vt penitiùs intelligatur doctrina eadem Auguſtini, & Anſelmi, confirmeturque ſolidiùs ſententia noſtra, veluti explorata apud Patres, obſervandum eſt, Arianos eò amentiæ prolapſos, vt negarent Filium Dei ex omni æternitate fuiſſe, ſive extitiſſe. Aiebant enim fuiſſe aliquando tempus, vel aliquid tempori ſimile, cùm nondùm exiſteret Filius, veluti qui de non extantibus, ſive de nihilo factus fuiſſet. Hanc illorum inſaniam teſtantur ſimul, & anathematis mucrone configunt PP. in Synodo Nicæna ſtatim poſt editum Symbolum, hanc illi laciniam addentes: *Eos autem, qui dicunt, Erat quando non erat* (id eſt, fuit aliquod ſpatium durationis, in quo nondum exiſteret Filius) *& priuſquam naſceretur non erat, & quia ex nullis extantibus factus eſt &c. hos anathematizat Catholica & Apoſtolica Eccleſia.* Vbi planè vocibus ijs *erat*, vel *fuit*, nihil aliud ſignificatur, quâ exiſtentia, quâ res quælibet habet eſſe ſive in

lucem proferitur à ſuis cauſis principijſve. Diſceptatio enim illa Catholicorũ cum Arianis, quæ attingitur in verbis præiactis, ſolùm erat, An Filius ex æternitate extitiſſet; non verò, An prædicata eſſentialia illius eſſent æterna, ſive æternę veritatis; quod Philoſophi in vtrãque partem diſcutere ſolent, vel de ipſis creaturarum eſſentijs, & nos cum ijs latè examinavimus in Metaphyſica diſp. 3. per totam. Porrò Filiũ extitiſſe ab æterno probabant Patres ex verbis illis Ioannis: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Vbi vox *erat*, iuxta Patres ſignificat æterniratem exiſtendi: & ter adhibetur, veluti eandem trium exiſtentiam ab æterno exprimens. Ac præterea: *Erat lux vera.* Inde enim colligebant, exiſtentiam Filij eſſe æternam, ſicut & Patris, qui duo cum Spiritu ſancto ſunt vna exiſtentia, vna lux, vnus Deus. Verba exhibeo Nazianzeni Orat. 37. ἦν τὸ φῶς τὸ ἀληθινόν, &c. * Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, Pater. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, Filius. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, alius Paraclitus. ERAT, ERAT, ET ERAT: SED VNVM ERAT. Lux, & lux, & lux: ſed lux vna, Deus vnus. * Igitur ex mente Patrum Nicænorum & Nazianzeni illam explanantis, non habet locum in divinis triplex ERAT, ſed vnicum; ac proinde non triplex exiſtentia relativa, ſed vnica & abſoluta, ſicuti vna deitas, vna lux abſoluta.

19 IDIPSVM Evincitur redigendo in memoriam nunc aliam controverſiam, inter ipſos Catholicos, & Eccleſiæ Patres, olim magna partiũ contentione agitatã: quam & noſter Anſelmus indigitavit ſuprà in Prologo huius Opuſculi, & nos fuſiùs expoſuimus in Scholijs ad eũ locum Diſp. 1 ſect. 5. Quidã enim ex Catholicis aſſerebant, quidã negabant in divinis tres hypoſtaſes. Porrò hi poſteriores, hypoſtaſim prorſus idẽ ſignificare volebat, ac hyparxim, id eſt, exiſtentiam. Sic Athan. & Hieronym. inter alios: quoniã hypoſtaſis ſæpe accipitur pro illo, quod revera, & non in ſpeciẽ dumtaxat, extat, quemadmodum de veris ac ſolidis coloribus dici ſolet, habere hypoſtaſim: de apparentibus verò dumtaxat, & viſui illudentibus, carere hypoſtaſi. Quo loquendi modo ac ſenſu, ſignificabant ij Patres, hypoſtaſim, ſicuti & hyparxim, ſive exiſtentiam, non differre ab vſia, quæ abſdubio eſſentiam ſignificat. Qui autem in divinis tres hypoſtaſes aſſerebant, mox vt perſpectum habuere ſenſum eorum, quos nũc indicavimus, cum ijs in concordiam rediere, & pariter in Deo vnicam hypoſtaſim, ſicuti etiam vnicam hyparxim, aut exiſtentiam, in divinis eſſe dixerunt. Omnes itaque conveniebant in re, quamvis vocibus diſſiderent: quoniam accipiendo hypoſtaſim pro hyparxi, ſeu exiſtentia, nemo erat qui illam non crederet vnicam in divinis, & abſolutã, inſtar τῆ θεότητος, ſive eſſentiæ. Ergo ex communi eorum Patrum ſenſu, exiſtentia in divinis eſt vnica & abſoluta, non triplex. Hoc etiam modo loquitur Damaſcenus in Dialectica cap. 25. docens, hypoſtaſim quandoque ſignificare *ſimpliciter exiſtentiam: ſecundùm quod ſignificatum idem eſt ſubſtantia & hypoſtaſis. Vnde & quidam Sanctorum Patrum dicebant naturas hypoſtaſes.* Præmiſſerat verò cap. 10. eiuſdem libri, vbi agit de hypoſtaſi, & enypoſtato, & anypoſtato, S.D. *Hypoſtaſeos nomen duo ſignificat. Simpliciter enim dictum, ſimpliciter ſignificat ſubſtantiam: ſecundùm ſeipſam autem, hypoſtaſis indiuiduum ſignificat, & determinatam perſonam.* Atquĩ hypoſtaſim ex mente eorum Patrum ſignificare ſubſtantiam, eatenus eſt verum, quatenus iuxta illos accipitur hypoſtaſis pro hyparxi, ſive exiſtentia, aut ſubſtantia ſimpliciter dicta, quam in Deo Catholicè fatebantur vnicam. Ergo ex mente eorum Patrum, ſicut & aliorum, qui poſtea cum ijs in reipſa convenerunt, exiſtentia in Deo eſt vnica. Lege Petavium lib. 4. de Trinitate cap. 12. ac Ruiz diſp. 25. ſect. 3. & 4. vbi plures Patres pro eadem doctrina allegant.

20 DICES: Damaſcenus ipſe videtur triplicem exiſtentiam in divinis agnoſcere. nam lib. 1. Fidei cap. 11. τὸ τέλειον τῆ ὑποστάσεως, id eſt, *perfectionem perſonalem*, in qua perſonas differre docet, ſtatim appellat, τῆ ὑπάρξεως τρόπον, id eſt, *exiſtentiæ modum.* Verba autem integra Latinè reddita, hæc ſunt: *Vnum agnoſcimus Deum, in ſolis quidem proprietatibus paternitatis, filietatis, & proceſſionis ſecundùm cauſam, & cauſale, & perſonalem perfectionem, id eſt, exiſtentiæ modum, differentiam intelligimus.* Id autem, penes quod perſonæ invicem differunt, multiplicatur in ijs ſecundùm rem. Ergo iuxta Damaſcenum in tribus perſonis divinis multiplicatur ſecundùm rem exiſtentiæ modus.

21 RESP. Damaſcenum eo loco non aſſerere, perſonarum differentiam eſſe ſecundùm exiſtentiam, *ſed ſecundùm exiſtentiæ modum.* Nimirum, quamvis hyparxis, ſive exiſtentia ſit vnica in tribus, modus tamen, aut quaſi modus, quo eſt in proprietatibus paternitatis, filietatis, & proceſſionis, eſt diſtinctus, & triplex in ijs. Eadem enim exiſtentia abſoluta, & communis modificatur in Patre

per

per propriam ipſius perſonalitatem, ſicuti & in Filio, & in Spiritu ſancto per proprias vniuſcuiuſque ſuppoſitalitates & perſonalitates, quæ abſdubio & reipſa inter ſe differunt. Quare licèt in tribus perſonis nō ſit triplex exiſtentia, eſt triplex exiſtendi modus, aut quaſi modus: qui ſanè non ſpectat ad rationem formalem exiſtendi, ſed ſubſiſtendi incommunicabiliter, prout conſtituit perſonam. Vnde in eodem Damaſceno cap. 13. ſequenti eiuſdem libri, initio fere, eadem verba Græca S. Doctoris, τὸ ὑπάρξεως τρόπος, ab eodem interpretate Iacobo Fabro non vertuntur, vt ſuprà, *exiſtentiæ modi*, *ſed modi ſubſiſtendi*. Nimirum, incommunicabiliter. Quippe integrum ibidem teſtimonium eſt: *Ingenitum*, *Genitum*, & *Procedens*, *non ſunt ſubſtantiæ* (Græcè τὰ οὐσίας) *indicativa*, *ſed habitudinis ad invicem*, & *modi ſubſiſtendi*.

22 QVOD Si verò opponas, voluntariam fuiſſe hanc Damaſceni interpretationem in Iacobo Fabro, qui vtrobique debuit τὸ ὑπάρξεως nomine reddere exiſtētiam; RESPONDEO meritò id factum; non ſolùm quia ex contextu patet, potiùs ibi ſermonem eſſe de modis ſubſiſtendi incommunicabiliter, quàm de exiſtentia: verùm etiam, quia quemadmodum iuxta Patres ſuprà allegatos, hypoſtaſis interdum ſumitur pro ſubſtantia, eſſentia, & exiſtentia, ſive actualitate exiſtendi; interdum pro ſubſiſtentia incommunicabili, ſeu perſonalitate, quæ verè eſt triplex in perſonis diuinis: ita etiam hyparxis apud Patres, ſæpiùs accipitur pro exiſtentia, ſive actualitate exiſtendi in rerum natura, quæ in diuinis eſt vnica & communis: interdum verò pro ſubſiſtentia incommunicabili, ſeu proprietate perſonali, quæ eſt triplex in diuinis perſonis. Id perſpicuè iuxta alium & alium modum loquendi SS. Patrum exponit Ricardus Victorinus lib. 4. de Trinitat. cap. 16 ante medium, dicens: * In diuina proculdubiò natura eſt exiſtentia, quæ eſt pluribus communis; & eſt ibi exiſtentia, quæ eſt pluribus incommunicabilis. Deinde poſt medium eiuſdem capitis: Sciendum eſt quòd exiſtentia deſignat ſubſtantiale eſſe: ſed aliquando, quòd ſit ex communi; aliquando, quòd ſit ex incommunicabili proprietate. Communem autem exiſtentiam dicimus, vbi intelligitur eſſe habens ex proprietate communi: incommunicabilem verò, vbi intelligitur eſſe habens ex proprietate incommunicabili. Præterea cap. 17. ſequenti fine, inquit: Oportet, vt ſit incommunicabilis exiſtentia, cui eſt incommunicabilis differentia. Quot igitur in diuinitate perſonæ, tot incommunicabiles exiſtentiæ. * Nimirum, his poſtremis verbis non accipit exiſtentiam pro actualitate illa, quâ in rerum natura conſtituitur quidquid verè eſt, quæque à Scholaſticis, tum Philoſophis, tum Theologis, appellari ſolet actus, ſive actualitas eſſentiæ. Quare reliquum eſt, vt accipiat illam pro exiſtentia incommunicabili, quæ ab eiſdem Theologis dicitur ſuppoſitalitas, ſive ſubſiſtentia, aut perſonalitas, quæ certè in diuinis eſt triplex. Hoc eodem ſenſu multi ex Scholaſticis recipiunt definitionem perſonæ ab eodem Ricardo traditam, vt ſit *rationalis naturæ incommunicabilis exiſtentia*. Nimirum, exiſtentia accepta pro ſuppoſitalitate, ſive pro ſubſiſtentia conſtituente perſonam, hunc effectum peculiarem præſtat, vt reddat naturam incommunicabilem alteri, tanquam ſuppoſito. Moneo verò cum Vazquez 3. part. diſp. 16. num. 18. ſubſiſtentiam apud Concilia & Patres ſæpiùs ac longè aliter vſurpari, quàm apud Scholaſticos. nam apud hos plerumque ſumitur pro actualitate, ſeu termino, aut complemento quodam naturæ ſubſtantialis, conſtituente illam in ratione ſuppoſiti. Apud Patres verò ſæpius hypoſtaſis, ſive ſubſiſtentia, accipitur pro ipſa re ſubſiſtente, quæ dicitur & eſt perſona. Quod iam antea obſervaverat Divus Thomas 3. part. quæſt. 2. art. 3. dicens: *Subſiſtentia autem idem eſt, ac res ſubſiſtens*. Id enim proprium eſſe hypoſtaſeos, ſive ſubſiſtentiæ, docet Boëtius lib. de duabus naturis.

SECTIO TERTIA.

Aſſerti ratio præcipua, ex Anſelmo eruta, & multipliciter confirmata, præcluſis euaſionibus Aduerſariorum.

23 RATIO Prima ac potiſſima noſtræ ſententiæ deſumitur ex ſubtili ac illuſtri loco Anſelmi infra cap 63. aliàs 60. circa medium, vbi inquit: *Certiſsimū autem iam conſideratæ rationes reddiderunt, quidquid naturæ ſummæ ineſt eſſentialiter, id perfectè conuenire Patri, Filio, & eorum Spiritui ſingulatim: & tamen idipſum, ſi dicatur de tribus ſimul, non admittere pluralitatem.* Vnde ſtatim colligit, ſcientiam, & intelligentiam non multiplicari in diuinis perſonis, quoniam conueniunt eſſentialiter naturæ ſummæ: proindeque licèt vnaquæque ex tribus ſit ſciens & intelligens, non propterea ſcientiā & intelligentiā multiplicari in ijs, ſed eſſe vnā in tribus. Vnde ſic argumētari poſſumus. Nulla perfectio, ſeu prædicatū conueniens Deo ſecundùm naturā, ſive eſſentiam, multiplicatur in diuinis perſonis. Atqui

formalis ratio exiſtentiæ convenit Deo ſecundùm naturam, ſive eſſentiam. Ergo formalis ratio exiſtentiæ non multiplicatur in divinis perſonis. Maior traditur ab Anſelmo; & conſtat, tum à prieri omnium aliarum perfectionum, ſive attributorum, quæ conveniunt Deo ſecundùm naturam, ſive eſſentiam; vt omnipotentiæ, æternitatis, immenſitatis, &c. nullam ſubeuntium pluralitatem: tum præterea ratione, quia ſolùm multiplicantur in divinis perſonis ea, penes quæ opponuntur invicem: non opponuntur autem in perfectione vlla ſpectante ad eſſentiam, ſicut nec in eſſentia ipſa; vtpote in qua ſunt omnino vnum & idem.

24 IAM Minor illa præcipui ſyllogiſmi ſuadetur multipliciter. *Primo*: quia eſt expreſſa SS. Patrum locis ſect. 1. allegatis, in quibus eſſentiam divinam exponunt penes τὸ εἶναι, ſive penes eſſe aut exiſtere per ſeipſam, veluti per rationem omnibus alijs priorem iuxta modum noſtrum intelligendi. Quin & generatim loquendo Auguſtinus ibidem allegatus num. 10. aiebat: *Eſt tamen Deus ſine dubitatione ſubſtantia, vel ſi mediùs hoc appellatur eſſentia, quam Græci οὐσίαν vocant. Sicut enim ab eo, quod eſt ſapere, dicta eſt ſapientia; & ab eo quod eſt ſcire, dicta eſt ſcientia: ITA AB EO, QVOD EST ESSE, DICTA EST ESSENTIA.* Nemo autem dubitat, quin eſſe ſit ipſum, quod appellamus exiſtentiam. Ergo formalis ratio exiſtentiæ convenit Deo ſecundùm ſuam eſſentiam. *Secundò*: Quia, vt vidimus ex eodem Anſelmo num. 8. *Summa eſſentia, & ſummè eſſe, & ſummè ens, id eſt, ſummè exiſtens, ſiue ſubſiſtens, non diſsimiliter ſibi conueniunt quàm lux, & lucere, & lucens.* Ergo quemadmodum lucere eſt perfectio ſive actualitas conveniens eſſentiæ lucis; ſic etiam ſummè eſſe, id eſt, ſummè exiſtere, eſt perfectio ſive actualitas conveniens ſummæ eſſentiæ. *Tertio*: Quoniam omne quod eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, id eſt, melius ipſum ſimpliciter, quàm non ipſum, & quàm omne ipſi oppoſitum, convenit Deo ſecundum ſuam ſubſtantiam, ſive eſſentiam: vt demonſtrat Anſelmus ſuprà c. 14. & 15. ac nos cum ipſo in Scholijs ad ea loca. Atqui melius eſt ſimpliciter exiſtere, quàm non exiſtere, & quàm omne ipſi oppoſitum, vt patet. Ergo exiſtere convenit Deo ſecundùm ſuam ſubſtantiam, ſive eſſentiam.

25 CONFIRMATVR. Æternitas nullam pluralitatem ſubit in divinis perſonis, quia eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, & conveniens Deo ſecundum ſuam eſſentiam. Atqui etiam exiſtere eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, & conveniens Deo ſecundùm ſuam eſſentiam. Ergo exiſtere, ſeu exiſtentia, nullam pluralitatem ſubit in divinis perſonis. Porrò æternitatem nullam ſubire in divinis perſonis pluralitatem, patet ex verbis illis Symboli S. Athanaſij: *Non tres æterni, ſed vnus æternus.* Quod omnes Theologi ita accipiunt, vt ſaltē certum prorſus ſit, non eſſe in divinis plures æternos ſubſtantivè; quamvis multi plures æternos adiectivè non renuant concedere. Ratio autem cur æternitas non multiplicetur, ea imprimis eſt, quòd ſit perfectio ſimpliciter ſimplex, ac proinde conveniens Deo ſecundùm ſuam eſſentiam. Idemque prorſus eſt de immutabilitate, ſcientia, ſapientia, omnipotentia, &c. Cùm ergo pariter exiſtentia ſit perfectio ſimpliciter ſimplex, ac proinde conveniens Deo ſecundùm ſuam eſſentiam, nullam in divinis pluralitatem ſubire poteſt.

26 VRGETVR Ampliùs. Nequit enim multiplicari exiſtentia in Deo reipſa, niſi æternitas multiplicetur. Cùm enim æternitas ſit quædam durationis infinitæ ſpecies, debet ipſi competere formalis ratio durationis in genere, quæ ab omnibus definitur, perſiſtentia in exiſtendo. Omnes itidem volunt, durationem eſſe indiſtinctam ab ipſa exiſtentia, vel ſaltem modum, qui per ſe illam ſequatur. Ergo ſi multiplicatur exiſtentia perſiſtens, multiplicatur pariter duratio: ac proinde multiplicatâ exiſtentiâ in divinis, debet multiplicari æternitas. Cùm igitur ex Symbolo prædicto habeamus, nullum eſſe locum vt æternitas in divinis pluralitatem ſubeat, idem pariter de exiſtentia dicendum.

27 QVOD Si verò dicas, verbis illius Symboli non excludi tres relativas æternitates, ſed abſolutas; ac proinde nec impugnari tres exiſtentias relativas, ſed abſolutas tantùm; contrà eſt, quòd iuxta eam evaſionem liceret pariter dicere, dum Athanaſius negat tres deos, tres omnipotentes, & tres immenſos in divinis, id intelligendum eſſe de triplici divinitate, omnipotentia, & immenſitate, abſolutis; non autem relativis. Quare impune liceret admittere in ſenſu ſubſtantivo relativo tres deos, tres omnipotentes, tres immenſos. Quod tamen nullus ex Catholicis dixiſſe invenitur.

28 IDEO Aliter fortè cum Adverſarijs occurres vltimæ impugnationi, diceſque, quemadmodum multiplicatur in divinis exiſtentia relativa, ita etiam durationem relativam multiplicari; non tamen æternitatem, quoniam hæc ex ſua ratione formali eſt perfectio abſoluta, & vnum ex præcipuis attributis divinæ eſſentiæ, quod proinde nullum præſtat locum pluralitati. Nimirum, inter omnes durationes æternitas præcipuum ſibi vendicat locum, veluti perfectio ſimpliciter ſimplex, & infinita in genere durationis, quæ proinde, in-

ſtar

ſtar aliarum ſimilium, convenit Deo ratione ſuæ eſſentiæ, & inſtar eius eſt immultiplicabilis.

29 SED Enim evaſio hæc iam præoccupata fuit ſuprà ratione ipſa S. Anſelmi num. 23. & 24. vbi oſtenſum fuit, *eſſe*, ſive exiſtentiã, ex ſua ratione formali eſſe perfectionem ſimpliciter ſimplicem, & convenire Deo ratione ſuæ eſſentiæ tantùm, ac proinde multiplicari non poſſe in divinis. Atqui etiam duratio ex ſua ratione formali eſt perfectio ſimpliciter ſimplex: quoniam ex terminis, vt aiunt, melius eſt perſiſtere in exiſtendo (in quo conſiſtit generatim duratio) quàm non perſiſtere. Ergo pariter duratio convenit Deo ratione ſuæ eſſentiæ tantùm, ac proinde in divinis nequit multiplicari. DEINDE reijcitur. Quia in divinis nullum locum habet duratio, quæ ex ſua ratione formali non ſit æternitas. Solùm enim habet locum in divinis duratio illa, quæ ab intrinſeco caret initio & fine: quo certè carent omnia prædicata neceſſaria Dei, ſive abſoluta, ſive relativa ſint. Atqui duratio illa, quæ ab intrinſeco caret initio ac fine, eſt propriè æternitas: vti demonſtratum fuit cum Anſelmo ſuprà cap. 17. Ergo ſolùm habet locum in divinis duratio illa, quæ eſt propriè æternitas. Si igitur æternitas nullam ſubire poteſt in divinis pluralitatem, neque etiam duratio. PRÆTEREA. Duratio repugnans initio & fini (qualis eſt duratio Dei penes omne prædicatum ſibi neceſſarium) ſolùm cõvenit ipſi ratione immutabilitatis. Quippe ex hac demonſtratur à priori duratio Dei repugnans initio & fini. Atqui immutabilitas ſolùm convenit relationibus divinis ratione eſſentiæ, ideoque in ijs nullam pluralitatem ſubit. Ergo duratio repugnans initio & fini ſolùm convenit divinis relationibus ratione eſſentiæ, ac proinde nullam in ijs ſubit pluralitatem. DENIQVE. Nullus eſt locus diſtinguendi in divinis virtualiter duplicem capacitatem replendi locum, quarum altera ſit abſoluta & immenſitas dicatur: altera relativa, & multiplicata in perſonis. Idemque eſt de potentia efficiẽdi aliquid ad extra, & de pluribus alijs, quæ important perfectionem ſimpliciter ſimplicem ex ſua ratione formali. Ergo neque vllus locus eſt diſtinguendi in divinis virtualiter duplicem durationem, quarum altera ſit abſoluta, & dicatur æternitas; altera relativa, & multiplicata in perſonis. Vt omittam, non, niſi è cerebro, aſſignari poſſe divinis relationibus durationem aliquam, quæ non ſit propriè & ſimpliciter æternitas. Non enim ijs eſt duratio aliqua, temporis, ævi, aut æternitatis participatæ, vt patet. Ergo ſola æternitas propriè & ſimpliciter dicta ijs competere poteſt.

30 DICES Tertio cum alijs, nec æternitatem, nec aliud durationis genus, multiplicari in divinis perſonis, quamvis multiplicetur exiſtentia. diſparitatem verò in eo fitam eſſe, quòd exiſtentia eſt indiſtincta ab entitate rei, ac proinde cùm in divinis ſit triplex entitas relativa; pariter debet eſſe triplex relativa exiſtentia. Duratio autem diſtinguitur ab entitate rei durantis: ac proinde poteſt triplex entitas relationum vnicam habere durationem.

31 CÆTERVM Hęc ſolutio & diſparitas multipliciter reijcitur. PRIMO: quia in veriori ſententia, quam docuimus in Phyſica diſp. 10. exiſtentia creata diſtinguitur reipſa ab eſſentia. Deindeque duratio non differt, adhuc in creatis, ab exiſtentia rei durantis: vt ibidem ex profeſſo ſtatuimus diſp. 29. conſentientibus pleriſque eorum, quibuſcum modò differimus. Ergo ſicuti fatentur in ſolutione data, vnicam eſſe in divinis durationem, neque vllo modo multiplicari: ita etiam tenentur dicere, vnicam eſſe in divinis exiſtentiam, nec multiplicari vllo modo. SECVNDO. Quidquid ſit de ea opinione, ex omnium ſenſu, duratio eſt continuatio quædam rei in exiſtendo. Ergo quemadmodum tres perſonæ, iuxta ſolutionem præiactam, habent vnicam durationem, ſeu continuationem rei in exiſtendo: ita etiam habent vnicam exiſtentiam. TERTIO Etiamſi ſupponatur, durationem in creatis diſtingui ab exiſtentia, certum eſt illam convenire rei ratione exiſtentiæ; cùm ſolum ſit continuatio rei in exiſtendo. Ergo adhuc deberet multiplicari duratio, ſi ſemel multiplicatur exiſtentia. Probatur hæc conſequentia: Quia enim immutabilitas convenit Deo ex ratione actûs puri, & æternitas ratione immutabilitatis, fatentur ipſi Adverſarij, non multiplicari in Deo æternitatem, quoniam nec in illo ſubit pluralitatem immutabilitas, nec ratio actûs puri. Ergo vice verſa, ſi duratio convenit Deo ratione exiſtentiæ, & hæc ſubit in divinis pluralitatem, pariter illam ſubire debet duratio. Aut certè ſi duratio in perſonis divinis vnica eſt, vt nunc fatentur, etiam vnica debet eſſe exiſtentia, ratione cuius convenit Deo duratio. Quòd ſi verò huic vltimæ impugnationi reſpondeas, durationem ſequi exiſtentiam, non tamen quamlibet, ſed abſolutam, quæ in divinis vnica eſt; vrgeo impugnationem eandem: quia ideo duratio ſequitur exiſtentiam abſolutam, quoniam eſt huius cõtinuatio quædam. At ſi relationes divinæ habent exiſtentiam relativam, hæc profectò in ijs ſuam habet continuationem. Ergo pariter duratio in ijs ſequitur exiſtentiam relativã. Quare ſicuti exiſtentia abſoluta, quia vnica eſt in divinis, habet vnicam durationem: ita quia in opinione Adverſariorum exiſtentia relativa eſt triplex, deberet habere durationem triplicem.

Nec

Nec enim vlla diſparitas, vel in ſpeciem, aſſignari poteſt. Deinde, in creatis duratio pariter ſequitur exiſtentiam relationis, ac rei abſolutæ, & vnaquæque commenſuratur alteri; quia eſt continuatio quædam illius. Ergo idem quoad hoc dicendum eſt in divinis, ſi præter vnicam exiſtentiam abſolutam datur triplex relativa.

SECTIO QVARTA.

Aliæ rationes ex Symbolo Athanaſij & ex Diu. Thoma erutæ, quibus à Deo excluditur exiſtentia triplex relativa. Solutiones Aduerſariorum multipliciter reiectæ.

32 RATIO Secunda noſtræ ſenrentiæ deſumitur ex verbis Athanaſij in Symbolo: *Non tres increati: ſed vnus increatus.* Quod ita interpretantur omnes Theologi, vt ſaltem ratio *increati* nõ multiplicetur ſubſtantivè in divinis perſonis, eſto multiplicetur adiectivè iuxta multorum ſententiam. Si autem in Deo eſſent tres exiſtentiæ relativæ reipſa diſtinctæ, quælibet earum, prout condiſtincta à reliquis duabus, conſtitueret ens increatum. Ratio enim *increati* ſita eſt in hoc quod eſt exiſtere à ſe, ſive abſque dependentia ab alio: quemadmodum ratio *creati* conſiſtit in eo vt exiſtat dependenter ab alio. At quælibet exiſtentia illarum, prout diſtincta à reliquis, conſtitueret ſingularem perſonam exiſtentem à ſe, ſive independenter ab alio. Quamvis enim Filius illam acciperet à Patre, & Spiritus ſanctus ab vtroque, id eſſet abſque dependentia, quæ ſolùm in creaturis locum habet, ſicut & limitatio. Ergo ſi in divinis eſſent tres exiſtentiæ relativæ, eſſent quoque tres ſubſtantivè increati, contra Symbolum S. Athanaſij. Ne ergo ſequatur hoc abſurdum, dicendum eſt, quemadmodum vnicâ ratione *increati* conſtituuntur eſſentia & relationes in ratione entis increati, ita etiam vnicâ exiſtentiâ conſtitui in ratione exiſtentis.

33 NEC Enervant vim huius argumenti quotcumque ex Adverſarijs aiunt, relationes divinas vi exiſtentiæ propriæ non conſtitui in ratione entis increati poſitivè, quia hoc eſt proprium eſſentiæ; ſed negativè ſolùm. In oppoſitum enim eſt, ideo eſſentiam eſſe ens poſitivè increatum, quia independenter ab omni cauſa habet poſitivè exiſtentiam. At ſi tres exiſtentiæ relativæ ſunt in divinis, relationes perſonales independenter ab omni cauſa habent poſitivè exiſtentiam. Ergo quælibet relatio cõſtituetur in ratione entis poſitivè increati. Quòd ſi verò dicas, eſſentiam præ relationibus excludere omne principium, ſive cauſam, adhuc virtualem, quoniam eſt prima ratio quã in Deo intelligimus, veluti radicem cæterarum; ac proinde ſolam illam conſtitui poſitivè in ratione entis increati: Contrà vrgeo: Quia ad rationem entis increati poſitivè talis, ſufficit habere id, quo diſtinguatur, & contraponatur quoddammodo enti poſitivè creato: ſicuti vt aliquid ſit poſitivè ens ſufficit habere id, quo differat & opponatur nihilo, ſeu non enti. Atqui exiſtentia excludens omnem dependentiam à cauſa aut principio efficiente reali ſufficit ad diſtinguendum quodlibet ens divinum à creato, & ad illud contraponendum ipſi, vt patet. Ergo ſi relationes per ſe habent exiſtentiam excludentem prorſus omnem dependentiam à cauſa aut principio efficiente reali, quamvis nõ excludant virtuale principium, ſive cauſam ſui; per ſe etiam habent, vt quælibet earum ſit poſitivè ens increatum.

34 DICES, Hac ratione, ſi quidquam probat, pariter probatum iri, relationes per ſe eſſe entia increata: proindeque in divinis eſſe tres increatos ſubſtantivè, contra Symbolum S. Athanaſij. Aſſumptum ſuadetur: Quia ſive relationes habeant propriam exiſtentiam, ſive non, habent entitatem propriam relativam, vt vidimus ſuprà Diſp. LXXI. ſect. 3. & per conſequens in divinis perſonis ſunt tria entia relativa ſubſtantivè. At non entia creata, nec dependentia ab aliqua cauſa aut principio efficiente reali, vt patet. Ergo ſi hoc ſufficit ad rationem entis increati poſitivè, dantur in perſonis divinis poſitivè tria entia increata. Patet conſequẽtia ex regula diviſionis adæquatæ. Cùm enim ens abſtractè ſumptum adæquatè dividatur penes creatum & increatum, ſi hypoſtaſes ſunt tria entia, & non poſitivè creata, erunt plane ac poſitivè increata.

35 SED Contrà. Nullo enim modo id abſurdum colligitur ex noſtra doctrina, iuxta quam relationes ſecundùm peculiarem & formalem rationem, quamvis non abſtrahant à ratione entitatis, vel realitatis, abſtrahunt tamẽ à ratione creati vel increati, & neutrum eorum exprimunt ratione ſui, ſed ſolius eſſentiæ divinæ, cuius propria eſt ratio entis increati. Sic certè etiam ens reale dividitur adęquatè in ſubſtantiam & accidens: nec tamen inferre licet, ſi relationes divinæ ex ſua ratione formali non ſunt accidentia, quòd per ſe exprimant rationẽ ſubſtantiæ. nam licèt ratione ſui ſint entia, & nullo modo accidentia; adhuc non ſunt ſubſtãtia ratione ſui, ſed ſolius eſſentiæ divinæ, cui ſoli per ſe convenit ratio ſubſtantiæ. Sic ergo dicimus rationem exiſtentiæ, cùm ſit perfectio ſimpliciter ſimplex, ſoli eſſentiæ divinæ pro ſe convenire: proindeque & rationem entis increati eſſe ipſius perfectionem abſolutam &

pro-

propriam : quoniam ens increatum , quatenus tale, conſiſtit in hoc quod eſt habere exiſtentiã à ſe,& independenter ab omni cauſa aut principio efficiente. Quapropter relationes,licèt ex ſua formali ratione ſint entia relativa , non tamen increata : quoniam ratio entis increati eſt perfectio abſoluta & ſimpliciter ſimplex , quæ nullum in relationibus habet locum, niſi identicè,& ratione eſſentiæ divinæ,quam reipſa & per identitatem claudunt.Itaque ſecundùm explicitum,licèt importent realitatem, & entitatem;non tamen differentiam creati, vel increati , ſed ab ea abſtrahunt ſecundùm expreſſum, ſicuti à differentijs , aut quaſi differentijs ſubſtantiæ & accidentis,per ſe & in alio.Sic etiã, quamvis animal dividatur adæquatè penes rationale & irrationale,eſt locus abſtractioni, vt ſecundùm rationem illam communem & præciſam ab vtrâque ea differentia concipiatur.

36 VRGEBIS:Ergo pariter quamvis relationes exprimerent exiſtentiam propriã, hæc pariter abſtrahere poſſet à differẽtijs creatæ aut increatæ , ſicut illarum entitas propria abſtrahit ſecundùm explicitũ ab eo,vt ſit creata vel increata. Quare nunquam colligitur ex propria relationum exiſtentia , quòd in divinis ſint tria entia increata.

37 RESP.Negando conſequentiam: quia ratio entis eſt longè abſtractior,quàm ratio exiſtentis cùm ens ſolùm importet capacitatem ad exiſtendum, quæ prorſus abſtrahit ab exiſtentia actuali,aut non exiſtentia, & proinde convenit eſſentijs rerum independenter ab actione,loco,& tempore. Ratio autem exiſtentis importat entitatem , quæ verè eſt in rerum natura,& quatenus in rerum natura eſt. Vnde ſi in rerum natura ſit per propriam exiſtentiam à nullo efficiente participatam, conſtituit formaliter ens increatum:ſi per participatam,conſtituit ens creatum.Cùm igitur relationes,iuxta Adverſarios,habeant propriam exiſtentiam,à nullo efficiente participatam, conſequens eſt vt ſint plura entia increata.quod diſſonat Symbolo S.Athanaſij.

38 RATIO Tertia eruta ex D.Thoma in 1.diſt.33.quæſt.1.ar.1.ad 1.& 2.atque ibidem ad Annibaldum quæſt.vnica art.1.ad 2.& Quodlib.12.art.1.hæc ferè eſt.Omnis exiſtentia cuiuslibet entitatis,adhuc relativæ,eſt abſoluta.Atqui nullum prædicatũ abſolutum multiplicatur in divinis. Ergo neque exiſtentia relationum multiplicatur in divinis. Maior,quæ ſola poſſet in dubium verti, traditur expreſsè à D.Thoma locis indicatis,& præterea multipliciter ſuadetur.PRIMO,& à priori:quia exiſtere in rerum natura,eſt vltima rei actualitas,quâ vnumquodque in rerum natura eſt. Hic autem conceptus in qualibet entitate,ſive abſoluta,ſive relativa,videtur omnino abſolutus,& nullo modo exprimens habitudinem ad aliud,tanquã ad terminum.SECVNDO probatur ex conceſſis ab authoribus ſententiæ adverſæ,ſimulque à pari:nam iuxta Suarez,& plures alios, æternitas divinæ entitatis, etiam relativæ,eſt prorſus abſoluta:iuxta Arrubalem verò duratio relationum divinarum prorſus abſoluta eſt. Ergo pariter exiſtentia illarum eſt omnino abſoluta:ſiquidem duratio in ſententia eorum Authorum aut nullo modo differt ab exiſtentia,aut ſolùm eſt quædam huius continuatio.TERTIO.Ratio actûs puri,iuxta omnes Adverſarios, & ratio perfectionis,iuxta multos ipſorum,in divinis relationibus eſt abſoluta , proindeque immultiplicata.Ergo etiam ratio exiſtentis.Quippe exiſtentia Dei, cùm excludat prorſus omnẽ cauſam ſui,omnemque limitationem,exprimit actum purum,& perfectionem ſummã.QVARTO.Omnis exiſtentia cuiuslibet relationis eſt in ordine ad ſubiectum , cùm ſit inexiſtentia, ſeu exiſtentia in alio : non verò in ordine ad terminum. Ergo debet eſſe abſoluta,& non relativa: Quippe ſi eſſet relativa,deberet tota eſſe in ordine ad terminum, non autem ad ſubiectum.Quæ ratio,vt conſideranti apparebit,vniversè loquitur de exiſtẽtia relationis;ac proinde etiam in relationibus creatis probat, illarum exiſtentiam eſſe prorſus abſolutam.

39 OCCVRRES Cum Adverſarijs, diceſque, quamvis exiſtentia relationis exprimatur per habitudinem ad ſubiectum,adhuc in ea imbibi,ſeu implicitè claudi ordinem ad terminum. id verò ſufficere, vt exiſtentia ipſa ſit & dicatur relativa,proindeque multiplicata in perſonis : nam etiam illarum hypoſtaſes , ſeu perſonalitates , exprimunt ordinem ad ſubiectum,aut quaſi ſubiectum, cum quo conſtituũt perſonam.Et tamẽ quia implicitè claudunt ordinem ad terminum, ſunt & dicuntur relativæ, ac multiplicantur reipſa. Idem ergo dicendum de exiſtentia relationum.

40 SED Contrà. Si enim hypoſtaſes,ſive perſonalitates,ſunt in divinis relativæ, & multiplicatæ (de quibus in progreſſu) ideo eſt,quoniam de ratione formali illarum eſt , vt vnaquæque conſtituat proprium ſuppoſitum incommunicabile alteri: quod nequit præſtari niſi à forma relativa. Hæc autem ratio nullum habet locum in exiſtentia relationis: quoniam non exigit reddere proprium ſubiectum incõmunicabiliter exiſtens : neque eum effectum per ſe præſtat vlla exiſtentia,ſive creata,ſive divina. Ergo nullum exinde fundamentum ſumi poteſt , vt exiſtentia relationis ſit relativa , & multiplicata.Nec locus eſt dicendi,exiſtẽtiam relationum,quatenus relativam,reddere illas incommunicabiliter exiſtentes. In oppoſitum

enim

enim eſt, quòd exiſtentia ex ſua ratione formali ſit perfectio ſimpliciter ſimplex & abſoluta, vt toties probatum eſt: ac proinde nequit eſſe relativa, nec incommunicabilis tribus perſonis. Ergo nullam illarum conſtituit exiſtentem incommunicabiliter. DEINDE. Præter æternitatem & durationem illam, quæ Deum conſtituit abſolutè æternum & durantem, nullus locus eſt alicui æternitati, aut durationi relativæ, quæ conſtituat relationes æternas, aut durantes incommunicabiliter. Ergo pariter præter exiſtentiam illam, quæ Deum conſtituit abſolutè exiſtentem, nullus eſt locus alicui exiſtentiæ relativæ, quæ conſtituat relationes exiſtentes incommunicabiliter. Duratio enim, aut eſt ipſa exiſtentia præſertim iuxta ſenſum Adverſariorum, aut illam ſequitur per ſe, veluti continuatio ipſius.

41 CONFIRMATVR Ratio præcipua, & ſimul impugnatur præcedens ſolutio. Hoc ipſo quòd in Deo ſit exiſtentia abſoluta, ac proinde ſimpliciter infinita in ratione exiſtentiæ (quod Adverſarij ipſi nobi cum fatentur) relationes divinæ exiſtunt per illam. Ergo non exiſtunt præterea vi alterius relativæ exiſtentiæ. Antecedens videtur exploratum apud omnes, & præterea ſuadetur: tum quia exiſtentia abſoluta, ſicuti & eſſentia divina, & quælibet attributa, clauduntur intimè, ac per identitatem realem ſaltem in relationibus; atque adeò debent ijs præſtare ſuum quaſi effectum exiſtendi: ſicuti eſſentia, & quælibet attributa, ſuum ijs quaſi effectum præſtant, ob rationẽ & identitatem eandem, ideoque de ſingulis relationibus verè prædicatur divinitas, iuſtitia, miſericordia, &c. Conſequentia autem probatur: tum eâdem paritate in alijs perfectionibus abſolutis, quæ, poſtquam ſemel ſuum quaſi effectum præſtant divinis relationibus, nullum locum præſtant vt illæ præterea conſtituantur vi alterius ſimilis perfectionis intra genus relativũ. Divinitas enim, æternitas, immenſitas, omnipotentia, ſapientia, & ſcientia abſoluta, v.g. ſemel communicatæ relationibus, non patiuntur vt illæ præterea recipiant quaſi effectum, aut conſtituantur ſpeciatim per aliam divinitatẽ, æternitatem, immenſitatem, ſapientiam, aut ſcientiam relativam. Tum præterea eadem conſequentia ſuadetur ex conditione peculiari exiſtentiæ, cuius effectus aut quaſi effectus formalis eſt conſtituere rem extra nihil, ſeu oppoſitam nihilo. Hoc autem videtur conſiſtere in indiviſibilitate atque adeò poſtquam divinis relationibus communicatum eſt ab exiſtentia abſoluta, nullus eſſe videtur locus, vt communicetur denuo eiſdẽ ab exiſtentia relativa. Fruſtra enim præſtatur idipſum, quod pro aliquo priori rationis ſupponitur adæquatè præſtitum ab exiſtentia abſoluta. Sic etiam fruſtra relationibus divinis adderetur peculiaris divinitas, æternitas, immenſitas, omnipotentia, ſapienria, & ſcientia relativa, vltra abſolutam & communẽ, à qua pro aliquo priori habent communicatum quidquid opus eſt ad infinitam perfectionem ſub vnaquâque earum rationum.

42 MITTO Alias rationes pro noſtra ſententia, quas Vazquez & alij proponunt, impugnatque Godoy diſp. 79. §. 1. ac præterea plures alias, quibus idem Author, & alij ex Thomiſtis allegatis vtuntur. Nobis ſatis fuerit ſententiam confirmâſſe præiactis fundamẽtis, quæ potiora omnium, & ſolidiora videntur.

SECTIO QVINTA

Præcipua argumenta Aduerſariorum ex authoritate & ratione pro triplici exiſtentia relatiua in diuinis, obijciuntur, & ſolvuntur.

43 OPPONES I. Cyrillum Alexandrinum, qui varijs locis videtur tribuere peculiarem ac propriam exiſtentiam vnicuique ex divinis perſonis. Etenim Dialog. de Trinit. lib. 1. inter principium & medium ait de Patre & Filio: *Quum vterque ſit, ac ſubſiſtat, propriamque habere dicatur exiſtentiam.* Et lib. 2. Dialogorum multò propiùs ad principium, quàm ad medium, obſervat convenientiam nominum, quibus Chriſtus D. tres perſonas in divinis ſignificavit, tanquam ea ſint, *diſtinctiſsimè nobis conſtituẽtia vniuſcuiuſque ſignificati propriam exiſtentiam* Ac præterea lib. ſeq. col. 5. ait: *Manifeſtam & inconfuſam trium ſubſiſtentiarum in proprijs exiſtentijs proprietatem ſeruans.* Vbi non poteſt accipi *exiſtentia* pro eodem ac *ſubſiſtentia.* Alioqui inſipidè & nugatoriè locutus fuiſſet Cyrillus, dicens, *trium ſubſiſtentiarum in proprijs ſubſiſtentijs proprietatem.* Cenſet igitur, in divinis perſonis eſſe tres exiſtentias, ſicut & ſubſiſtentias.

44 RESP. Omiſſa aliorum ſolutione, & conſequenter ad dicta ſuprà num. 22. hyparxim vnum & idem apud Græcos frequenter ſignicare, ac apud Latinos politiores extantiam, apud Scholaſticos exiſtentiam: adhuc tamen eã vocem apud Patres vſurpari ſolere, modò pro exiſtentia communi & abſoluta trium perſonarum, quæ vna eſt: modò pro exiſtentia incõmunicabili & relativa, id eſt, pro perſonali ſubſiſtentia, ſeu ſuppoſitalitate, aut potiùs perſonalitate, quæ in divinis eſt triplex. Vide quæ circa hoc eò loci obſervata relinquimus. Similiter ergo, nomine hyparxeos, ſive exiſtentiæ,

non

nonnunquam Græci ſignificant rationem formalem, quam Scholaſticè quidditatem dicere ſolemus. Et hæc ſanè in tribus hypoſtaſibus divinis eſt triplex. nam vnaquæque ex perſonalitatibus ſuam rationem formalem, ſive quidditatem propriam habet. Quo ſenſu verè dixit Cyrillus, vnamquamque perſonam habere ſuam propriam exiſtentiam; & inconfuſam trium ſubſiſtentiarum proprietatem ſervari in proprijs exiſtentijs, id eſt, rationibus formalibus ipſarum. Hoc ſenſu, ad mentem eorum Patrum, ac nominatim Cyrilli, loquutus videtur Ricardus Victorinus lib. 4. de Trinit. cap. 16. cuius verba ibidem exſcripſimus, nec vacat reponere. Lege Ruiz diſp. 25. ſect. 4. num. 2. & ſeqq. Cæterum communiter Patres Græci loquentes de hyparxi, ſicut & Latini de *eſſe* naturæ divinæ, quod exiſtentiâ appellamus, & actualitatem naturæ, aiunt eſſe vnicum in divinis perſonis; nec illud annumerant proprietatibus relativis perſonarum, ſed abſolutis eſſentiæ: vt patet ex dictis ſect. 2. & 3.

45 *OPPONVNT II.* Exiſtentia aut eſt ipſa entitas actualis, aut eſt actualitas entitatem actualem conſtituens. Atqui tres perſonalitates divinæ ſunt tres entitates actuales ratione diſtinctæ ab entitate eſſentiæ, & realiter inter ſe. Ergo & ſunt tres exiſtentiæ ratione diſtinctæ ab exiſtentia eſſentiæ, & realiter inter ſe. Non enim multiplicari poſſunt tres entitates actuales perſonalitatum, niſi multiplicentur exiſtentiæ, à quibus conſtituuntur in ratione actualium entitatum.

46 *RESP.* Ex veriori ſententia Philoſophorum, quam tradidimus in Phyſica diſp. 10. eſſentiam creatam diſtinguî reipſa ab exiſtentia immo & non opus eſſe, vt quælibet res diſtincta ab alia habeat ſuam propriam ac peculiarem exiſtentiam. Quare eo loco diſp. 5. negavimus propriam exiſtentiam materiæ primæ, quamvis planè ac reipſa differat à forma ſubſtantiali. Vnde vtraque illarum eſt entitas actualis in rerum natura exiſtens, quamvis exiſtentia ſit vnica & communis vtrique. Si hoc vel in rebus creatis accidit, quid mirum quòd in divinis tres entitates actuales, ſive in rerum natura exiſtentes, quales ſunt perſonalitates divinæ, per vnicam exiſtentiam exiſtant? Sic per vnicam durationem perſiſtunt in exiſtendo, annuentibus etiam pleriſque Adverſariorum. Quin nec negare poſſunt, tres perſonalitates eſſe tres res ſummè actuales; cùm tamen exploratum ſit, ſummam actualitatem, quæ eſt ipſa formalis ratio actûs puri, vnicam in tribus eſſe. Quod autem ipſi aiunt, eſſe tres entitates actuales, ita accipi debet, vt dicantur actuales ſolùm adiectivè, quemadmodum & æternæ, & ſummè actuales: non autem ſubſtantivè, ſive penes pluralitatem formæ, quæ in divinis nulla eſt quoad exiſtendum, ſicut neque quoad durandum.

47 *INSTABIS:* Quælibet perſonalitas divina, prout ratione diſtincta ab eſſentia, eſt actualis ſubſtantivè, ſeu eſt actualitas ratione diſtincta ab actualitate eſſẽtię. Ergo quælibet earum eſt peculiaris exiſtentia diſtincta ab exiſtentia communi eſſentiæ, & reipſa ab exiſtẽtijs reliquarum perſonalitatum. Conſequentia patet, & antecedens probatur multipliciter. *Primò:* quia quælibet perſonalitas divina, prout diſtincta per rationem ab eſſentia, non eſt potentialis. Nihil enim potentiale habet locum in divinis, vbi omnia ſunt ſummè perfecta. Atqui inter eſſe actuale & potentiale nullum eſt mediũ. Ergo quælibet perſonalitas, prout ratione diſtincta ab eſſẽtia, eſt ſubſtãtivè actualis, ſeu actualitas. *Secundò.* Quælibet perſonalitas, prout diſtincta per rationem ab eſſentia, conſtituit actu ſingularem aliquam perſonam, eamque actu diſtinguit à reliquis. At conſtituere actu & diſtinguere, eſt propriũ actualitatis. *Tertiò.* Quælibet earum eſt per ſe ipſam, atque adeò ſubſtantivè, actualis reſpectus vnius perſonæ ad aliam. Ergo eſt actualitas eiuſdem perſonæ. *Quartò.* Si per impoſsibile, exiſtente priùs Deo, adveniret ipſi aliqua ex perſonalitatibus, mutaretur ipſe, ac proinde acciperet novam actualitatem: ſicuti & illam amitteret, ſi aliqua ex perſonalitatibus deeſſet. Ergo quælibet perſonalitatum eſt actualitas quædam ratione diſtincta ab actualitate eſſentiæ: atque adeò per ſe ipſam habet, vt ſit exiſtentia.

48 *RESP.* Negando antecedens. AD I. Probationem, conceſſo antecedente, negatur conſequentia: quia perſonalitas quælibet conſiderata ſub ea præciſione, ſeu diſtinctione rationis ab eſſentia, ſicuti abſtrahit à ratione creatæ & increatæ (alioqui eſſent tres increati ſubſtantivè in divinis) & à rationibus mutabilis aut immutabilis, æternæ aut nõ æternæ: ita etiam abſtrahit ſecundùm explicitum ab actualitate, aut potentialitate: inter quę duo, ſicuti inter indicata nuper, quamvis non ſit medium in re, eſt tamen ſecundùm rationem formalem & explicitam. AD II. Negatur minor: quia licèt ad conſtituendum & diſtinguẽdum quoad prędicata eſſentialia exigatur actualitas, vt ratio formalis, ideoque omnes differentiæ ſpecificæ ſint actualitates quædam: ad conſtituendum tamen & diſtinguendum in perſonis divinis, non exigitur actualitas vt ratio formalis, ſed vt conditio tantùm: quoniam tota actualitas, ſicuti & perfectio, ſupponitur in ijs pro priori rationis ad omnem conſtitutionem & diſtinctionem perſonalem. Quare perſo-

perſonalitatés ſolùm adduht quemdam veluti modum, aut terminationem illius actualitatis abſolutæ & communis, veluti rationem formalem conſtituendi ac diſtinguendi perſonas. AD III. Quælibet earum per ſe ipſam eſt reſpectus quidem, ſed actualis adiectivè ſolùm ab actualitate communi: ſicuti eſt reſpectus æternus & immutabilis ab æternitate & immutabilitate abſoluta ac communi. AD IV. Concedo, Deum in ea hypotheſi mutandum iri, non tamen adventu novæ actualitatis, ſed novi prædicati neceſſarij, ſicuti & ipſius receſſu. Quod etiam dicere tenentur multi ex Adverſarijs loquendo de relationibus divinis ſub expreſſo munere ad terminum, cui non concedunt propriam exiſtentiam. Sic certè iuxta communem Theologorum ſententiam, latè à nobis traditam Tomo I. Diſp. XXXVIII. ſi Deus aliquid inciperet decernere in tempore, mutaretur: & tamen decretum liberum illius nullam addit actualitatem, vel exiſtentiam, virtualiter diſtinctam ab actualitate & exiſtentia actûs neceſſarij, ſed ſolùm liberam terminationem, & virtualiter contingentem: vt ibidem latè oſtenſum fuit Diſp. XXXVII.

49 *OPPONVNT III.* Exiſtentia Filij (idemque eſt de exiſtentia Spiritus ſancti) producitur. Ergo eſt relativa & propria ipſius. Nihil enim producitur in Filio, niſi quod relativum & proprium ipſius eſt. Aſſumptũ probatur. Filius producitur à Patre, vt fides docet. Productio autẽ cuiuslibet rei terminatur præcipuè ad producendam ipſius exiſtentiam, quæ eſt formalis ratio, vt in rerum natura ponatur & ſit. Ergo exiſtentia Filij producitur. Cumque certum ſit, exiſtentiam abſolutam Dei nõ produci, ſicuti nec eſſentiam; reliquum eſt, vt in Filio ſit aliqua exiſtentia relativa, quæ producatur.

50 *RESP.* Hoc argumentum claudicare aut peccare indebito tranſitu ex productione creata, ad divinam. Nam nec Adverſarij diffiteri poſſunt generationem ſubſtantialem in creatis terminari primò ac per ſe ac producendam in termino naturam ſimilem generanti: & tamen fide certum eſt naturam Filij diuini non produci, ſed ſolùm communicari Filio. Ergo licet in creaturis productio ſeu generatio terminetur ad producendam exiſtentiam, poterit in divinis terminari ad illam communicãdam ſolùm termino producto. Et ſanè ita eſt. nam ſola Filij perſona eſt quæ generatur, ſeu producitur à Patre, productione terminata ad filiationem, ſeu perſonalitatem Verbi, quæ ſecundùm totam ſuam realitatem relativam verè producitur, eſtque ratio quâ perſona Filij dicitur & eſt producta. Exiſtentia autem, ſicuti & eſſentia, non producitur, ſed communicatur ipſi media productione. Vt enim aliquid verè producatur, ſatis eſt quòd propria & peculiaris ipſius entitas ducat ortum à ſuo principio, & ab illo accipiat exiſtentiam, vel productam, vel ſolùm communicatam, prout in ea fuerit capacitas. Sic certè Humanitas Chriſti producta fuit à Deo, vt prima cauſa; & à Deipara Virgine mediâ generatione. Et tamen iuxta veriorem ſententiam Thomiſtarum, ac noſtram, eius exiſtentia non fuit producta, ſed communicata ſolùm, quia non per exiſtentiam propriam, ſed ſolius Verbi exiſtit, quæ, ne intra Deum quidem, producta eſt. Sic pariter divinitus fieri poſſet, vt anima rationalis crearetur ante materiam, & hæc in momento ſequẽti fieret per creationem, ipſíque iam præexiſtenti vniretur. Certè tunc materia produceretur, non tamen exiſtentia illius, quæ iam ſupponitur creata. Quare ſolùm communicaretur materiæ exiſtẽtia animæ rationalis: vtpote non habenti exiſtentiam propriam, iuxta veriorem ſententiam, quam tradidimus in Phyſica diſp. 5. Igitur nulla demum ratione opus eſt ad productionem veram Filij in divinis, vt producatur ipſius exiſtentia: ſed ſatis eſt vt eius perſona verè producatur, & exiſtentia ipſi per veram generationẽ communicetur.

51 *OPPONVNT IV.* Suppoſita ſententia valde probabili (quam & nos fuſè tradidimus in Metaphyſica diſput. 12.) diſtinguente reipſa prædicamentalem relationem à fundamento, exiſtentia relationis differt reipſa ab exiſtentia fundamenti. Ergo in divinis exiſtentia relationis differt virtualiter intrinſecè ab exiſtentia abſoluta fundamenti, ſive eſſentiæ. Quæcumque enim in creatis diſtinguuntur reipſa, tranſlata ad Deum diſtinguuntur virtualiter intrinſecè. Omne autem quod in divinis diſtinguitur virtualiter intrinſecè à quolibet prædicato abſoluto, eſt relativum, & multiplicatum reipſa, iuxta doctrinam à nobis traditam Tomo I. Diſp. XXVII. Ergo exiſtentia relationum divinarum eſt relativa, & verè multiplicata in perſonis.

52 *RESP.* Conceſſo antecedente, negando conſequentiam, & illius probationẽ. Non enim opus eſt, vt quæcumque in creatis diſtinguuntur reipſa, trãslata ad Deum diſtinguantur virtualiter intrinſecè. Aliàs virtutes intellectuales & morales puræ, quæ in nobis differunt realiter ab intellectu & voluntate, in Deo differrẽt virtualiter intrinſecè ab eius intellectu voluntatéque: & ſimiliter omnes actus intelligendi & volendi, etiam eſſentiales, in Deo ſubirent diſtinctionem virtualem intrinſecam ſiquidem in nobis reipſa diſtinguuntur. Conſequens vero eſſe falſum, patet vel ex illa ipſa Diſputatione XXVII. quæ in oppoſitum alle-

allegatur: vbi ſolùm inter prædicata abſoluta & relativa ſtatuimus diſtinctionem virtualem intrinſecam; inter abſoluta verò ad ſummum virtualem extrinſecam, ſive in ordine ad diverſa connotata rerum & perfectionum creatarū. Cùm igitur ſuprà latè probatum ſit, præſertim num. 38. & ſeqq. exiſtentiam cuiuslibet entitatis, etiam relativæ, eſſe abſolutam, conſequens eſt, vt exiſtentia relationum divinarum abſoluta ſit, proindeque non differat virtualiter intrinſecè ab eſſentia, vel ab exiſtentia abſoluta eſſentiæ, ſed potiùs ab ipſis relationibus, tanquam abſolutum à relativo. Porrò in creatis, iuxta illam opinionem, exiſtentia relationis, quamvis abſoluta ſit, differt reipſa ab exiſtentia fundamenti: quia relatio & fundamentum differunt genere prædicamentali, ac proinde nequit vnica exiſtentia finita conſtituere indiviſim exiſtentes duas res adeò diverſas. Cæterum exiſtentia Dei abſoluta, cùm ſit infinita ſimpliciter, poteſt conſtituere tres hypoſtaſes exiſtentes: ſicuti ob eandem rationem vnica & abſoluta Dei æternitas conſtituit tres hypoſtaſes durantes ac præſentes omni durationi.

53 *INSTABIS.* Exiſtentia relationis, tam creatæ, quàm divinæ, debet eſſe relativa. Debet enim proportionari rei, cuius exiſtentia eſt; ac proinde convenire cum ea in eodem genere prædicamentali: vt vel vtraque ſit relativa, vel vtraque abſoluta. Indeque eſt, quòd exiſtentia ſubſtantiæ nequeat eſſe accidens, nec exiſtentia accidentis ſpectare poſsit ad genus ſubſtantiæ. Omne autem, quod eſt in divinis relativum, ſubit pluralitatem realem. Ergo exiſtentia relationum divinarum veram ſubit pluralitatem.

54 *RESP.* Negando antecedens ex dictis à num. 38. Nam vt proportionetur exiſtentia cum re per illam exiſtente ſufficit vt ſit in eodem genere tranſcendentali; vel ſubſtantiæ, vt vtraque debeat eſſe ſubſtantia; vel accidentis, vt vtraque debeat eſſe accidens. Ratio eſt: quoniam exiſtentia & res per illā exiſtens, habent ſe vt actus & potentia, ac proinde cōſtituunt quoddammodo vnum per ſe, quod nequit reſultare ex ſubſtantia & accidenti. Ergo opus eſt vt exiſtentia ſubſtantiæ ſpectet ad genus tranſcendentale ſubſtantiæ; & exiſtentia accidentis ad genus tranſcendentale accidentis, quod per novem prædicamenta accidētium vagatur. Non tamen opus eſt vt exiſtentia relationis ſit ſub eodem prædicamentali genere relationis, licèt quoddammodo vnum per ſe cum illa conſtituat: quia ratio vnius per ſe intra rationem accidentis latiùs vſurpatur, ſeu minùs ſtrictè accipitur, quàm intra rationem ſubſtantiæ: ideoque ex potentia & habitu, quantumvis diſtantibus inter ſe ſub genere tranſcendenti accidentis, fit quoddammodo per ſe vnum; idemque apparet in potentia & operatione, quamvis hæc in probabili opinione non ſpectet ad prædicamentum qualitatis, ſicut illa, ſed ad prædicamentum actionis. Similiter exiſtentia habituum non eſt habitus, nec reſpicit obiectum inſtar illius. Quare nihil mirum ſi exiſtentia relationis non ſit relativa. Non enim eſt in ordine ad terminum, ſed ad ſubiectum, ſive in ſubiecto: vtpotè inexiſtētia, aut inhærentia. Verùm quidquid de hoc ſit, & permiſſo gratis, exiſtentiam relationis creatæ eſſe relativam, pariter eius duratio, quæ ſolùm eſt continuatio eiuſdem exiſtentiæ, debet eſſe relativa. Et tamen duratio, ſicut & æternitas, in divinis relationibus non relativa, ſed abſoluta eſt. Alioqui eſſent tres æterni ſubſtantivè contra Symbolum Athanaſij. Ergo pariter, licèt exiſtentia relationis creatæ eſſet relativa, non tamen exiſtentia relationis divinæ. Quippe eadem exiſtentia Dei, prout continuata, ſeu exigens continuationem abſque initio & fine, eſt æternitas abſoluta & cōmunis tribus perſonis.

55 *POTEST* Prætera dici, proportionem illam ſtrictam inter exiſtentiam & rem exiſtentem, ſi fortè exigitur, vt Adverſarij contendunt, ſummùm accipi debere inter exiſtentiam & primum eius ſuſceptivum, aut quaſi ſuſceptivum. Porrò primum ſuſceptivum exiſtentiæ afficientis relationem crearam, non eſt ipſa relatio, ſed fundamentum, cui illa innititur. Cùm ergo fundamentum ſit abſolutum, iam proportionatur cum ipſo exiſtētia relationis abſoluta. Primum verò quaſi ſuſceptivum exiſtentiæ relationum divinarum eſt ſola eſſentia: quoniam exiſtentia cuiuslibet ſubſtantiæ ex primaria ratione eſt actualitas eſſentiæ. Cùm igitur eſſentia Dei ſit abſoluta, planè proportionatur exiſtentia abſoluta relationum cum illa.

56 *OPPONVNT V.* Tres hypoſtaſes in divinis important tres quidditates, ſeu rationes formales ſubſiſtendi reipſa diſtinctos. Ergo etiam important tres diſtinctas actualitates exiſtendi. Antecedens traditur à D. Tho. in 1. diſt. 25. art. 4. corpore, vbi docet nomen *res* dici pluraliter in divinis, quia ſumitur à quidditate, quæ eſt triplex quoddammodo in divinis. Deinde in ſolutione ad 2. ait: *In diuinis, quamvis ſit vna vera quidditas abſoluta, tamen ſunt plures rationes relationum realium, & ita plures quidditates quoddammodo.* Conſequentia autem probatur: Quia quælibet earum quidditatum eſt actualis quidditas, ſive exiſtens in actu, non in potentia: atque adeò debet importare propriam aliquam actualitatem exiſtentiæ reſpon-

pondentem ſibi, prout diſtinctæ à cæteris quidditatibus relativis.

57 RESP. Quidditatem ſumpſi pro eſſentia, prout frequenter à Scholaſticis vſurpatur ea vox ipſorum propria, nullatenus multiplicari in divinis. Ita enim ſupponit paſſim Anſelmus in hoc tractatu, aliique Theologi cum ipſo, præeunte omnibus Auguſtino lib. 5. de Trinitate cap. 8. aiente: *Non dicimus in Deo tres eſſentias.* Vnde D. Thom. 1. p. q. 39. art. 5. ad 1. exponens dictum illud Auguſtini, *Filius eſt eſſentia de eſſentia*, docet in proprio ſermone non debere vſurpari: quoniam inter Patrem & Filium nulla eſt eſſentiarum diſtinctio. Eſt inſuper ratio alia, quia eſſentia pro eodem ſumitur, ac natura. Quare ſicuti nullo Theologo licet impunè aſſerere in Deo tres naturas relativas (alioqui eſſent in divinis tres dij relativè) ſic etiam nec tres eſſentias relativas. Ergo nec tres quidditates, ſi quidditas pro eodem accipiatur, ac eſſentia, vti ex vſu Scholarum accipi ſolet. Quare ſummùm & cum addito admitti poſſunt tres quidditates in divinis ſumptæ pro rationibus formalibus, ſive formis realibus. Quo ſenſu admiſſo antecedenti, negatur conſequentia: quoniam quidditates illæ relativæ, ſecundùm rationem formalem nec exprimunt potentialitatem, nec actualitatem, quamvis reverà hanc implicent: quemadmodum, etiam apud adverſarios, nec exprimunt rationem actus puri, aut actualitatis ſummæ, aut divinitatis, nec aliquid potentialitatis vel imperfectionis oppoſitæ, ſed abſtrahunt ab eo penes explicitum. Denique quamvis reipſa dicantur actuales, id ſolū adiectivè admitti poteſt, quo ſenſu etiam dicuntur æternæ, & immenſæ; non autem ſubſtantivè. Vnde nec opus eſt, vt proprias exiſtentias habeant, ſed vnicam & communem, per quam exiſtant.

58 OPPONVNT VI. Anſelmum lib. de Proceſſione Spiritus ſancti in principio ferè capitis primi aientem ex conſenſu Latinorum & Græcorum: *Non enim idem eſt eſſe Deum, quod eſt eſſe Patrem, aut Filium.* Quod ipſum antea tradiderat Auguſtinus lib. 5. de Trinitate cap. 6. & lib. 7. cap. 4. dicens: *Aliud eſt eſſe Deum, aliud eſſe Patrem.* Ergo eſſe ſive exiſtentia Dei eſt aliud ab eſſe ſive ab exiſtentia Patris: aliud, inquam, ratione, vt exponit S. Thomas 1. p. q. 28. art. 2. & Magiſter in 1. diſt. 28. §. *Præterea.* Igitur exiſtentia trium perſonarum eſt ratione diſtincta ab exiſtentia abſoluta Dei, ſicut realitas, entitas, & vnitas relativa illarū ratione diſtinguitur à realitate, entitate, & vnitate abſoluta eſſentiæ. Vnde quemadmodum hypoſtaſes divinæ ſunt tres realitates, entitates, & vnitates relativæ inter ſe reipſa diſtinctæ, ita etiam illarum exiſtentiæ.

59 RESP. Anſelmi atque Auguſtini dictum illud exponi debere iuxta interpretationem S. Thom. in 2. diſt. 33. quæſt. 1. ar. 1. Nimirum, vt ipſe docet, eſſe accipitur dupliciter: primò pro ratione formali, quæ per definitionem exprimitur: ſecundò pro actualitate exiſtendi. Porrò dum ij SS. Doctores diſtinguunt eſſe Dei, & eſſe Patris, loquuntur ſecundùm priorem ſenſum: quoniam ratio formalis abſoluta Dei, quæ per definitionem exprimitur, eſt alia ſecundùm intelligentiam à ratione formali paternitatis, quæ exprimitur in diffinitione Patris, quà Pater eſt. Neutrum verò ſecundùm poſteriorem ſenſum diſtinxiſſe eſſe Dei ab eſſe Patris, patet ex locis vtriuſque ſuprà indicatis: Anſelmi quidem, num. 16. 23. & 24. Auguſtini verò num. 10. & 17.

60 OPPONES Denique. In divinis præter ſubſiſtentiam abſolutam, & communem tribus perſonis, eſt triplex ſubſiſtentia relativa diſtincta ſecundùm rem. Ergo etiam præter exiſtentiam abſolutam & communem tribus perſonis eſt triplex exiſtentia relativa ſecundùm rem diſtincta. Antecedens quoad priorem partem ſupponitur ex valde probabili, & quoad poſteriorem ex communiore Theologorum ſententia. Conſequentia verò probatur ex alia pariter probabili ſententia Theologorum, quæ docet, tam in creatis, quàm in divinis, rationem formalem ſubſiſtentiæ eſſe eandem ac exiſtentiæ per ſe. Subſiſtere enim nihil aliud exprimit, quàm exiſtere in ſe & perſe. Ergo ſi ſubſiſtentia eſt triplex ſecundùm rem in divinis perſonis; etiam exiſtentia.

61 Hoc Argumentum tangit plures difficiles controverſias, quas operoſiùs examinare ac dirimere opus ſit, ad ſervandam cohærentiam doctrinæ. Quod præſtabimus Diſputationibus ſequentibus. Cæterum nunc breviter obſerva, AA. illos, qui concedunt antecedens huius obiectionis, immeritò, & inconſequenter negare conſequentiam: vt videbimus infrà Diſp. LXXVIII. ſect. 4. per totam. Nulla enim diſparitas idonea videtur eſſe inter ſubſiſtentiam, & exiſtentiam ſubſtantiæ, quæ ambæ ſunt idem omnino, re ac ratione, vt conſtabit infrà Diſp. LXXVI. per totam. Quare iuxta dicenda vtroque eo loco, negamus nunc antecedens obiectionis, quidquid contrà aſſerat communior Theologorum ſententia. Oppoſita enim longè verior videtur, & expreſſa Sanctorum Auguſtini, Anſelmi, & Thomæ: vt apparebat Diſp. LXXVIII. nuper indicata, præſertim ſect. 2.

DIS-

DISPVTATIO LXXV.

AN SVBSISTENTIA, SIVE HYPOSTASIS, SIT ALIQVID POSITIVVM, ET NATVRAE SVPERADDITVM.

QVM Iam ipſe ordo doctrinæ exigat, vt diſſeramus de hypoſtaſibus, ſeu perſonis diuinis, oportet præmittere quaſdam controuerſias hoc loco à Theologis tractari ſolitas, quæ facem præferant alijs grauioribus ea de re, & viam muniant ad plura ex Anſelmo tradenda in progreſſu. Nos certè hanc, & ſequentem olim edidimus en Metaphyſica diſp. 6. & 7. Verùm poſtea euoluta accuratiùs doctrina Recentiorum quorundam, qui tunc nondum ſcripta ſua ediderant, cenſuimus redordiendam telam, vt aiunt, & plurima addenda, aut etiam ex parte corrigenda: vt conſtabit ex progreſſu, præſertim à num. 38. & deinceps vſque ad finem ferè huius Diſputationis. Sic certè experimento didicimus veritatem illius effati, δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι. id eſt, poſteriores curæ, meliores, ſeu ſapientiores.

SECTIO PRIMA.

Præmittuntur aliqua, & recenſentur variæ Authorum ſententiæ.

1 PRO Reſolutione controverſiæ, præmittenda eſt vocum ſignificatio, & communis acceptio, quibus in eâ paſsim vtendum. Nomine enim *ſubſtantiæ* cõmuniter à Philoſophis accipitur cum Ariſtotele cap. *de Subſtantia*, οὐσία, ὑσία, quam exponit à principio capitis per hoc, vt ſit, ἡ μήτε καθ' ὑποκειμένου τινὸς λέγεται, μήτε ἐν ὑποκειμένῳ τινί ἐστι. *quæ neque de ſubiecto aliquo dicitur, neque in ſubiecto aliquo eſt.* Quo etiam ὑσίᾳ nomine vtitur Concilium Nicænum in Symbolo, vbi appellat Filium ὁμοούσιον, *homouſion*, ſcilicet, conſubſtantialem Patri. quæ appellatio in eâ Synodo, quaſi teſſera Catholicæ Eccleſiæ fuit contra Arium, eiuſque ſequaces, divinitatis Verbi iuratos hoſtes. Latinis verò Theologis idem omnino eſt *natura, eſſentia, & ſubſtantia* communiter loquendo, ac οὐσία Græcis.

3 HYPOSTASIS Olim pro eodem accipiebatur, ac ſubſtantia; & propriè quidem iuxta etymon nominis, phraſimque Græcam. Ideòque Patres recuſabant admittere in divinis tres hypoſtaſes, ne viderentur cum Ario tres ſubſtantias, ſive eſſentias in Trinitate admittere. Iam verò abſque vllo erroris periculo, & omnino Theologicè fatemur in Deo tres hypoſtaſes, id eſt, tria ſuppoſita, nam id nomen communi Patrum, ac Scholaſticorum acceptione, pro eodem vſurpatur, ac ſuppoſitum in concreto, ſeu ſuppoſitalitas, vel perſonalitas in abſtracto. At in divinis dantur tria ſuppoſita in concreto, & tres ſuppoſitalitates, ſive perſonalitates in abſtracto. Verè ergo dantur in divinis tres hypoſtaſes. Vide quæ premiſsimus Diſp. præced. à num 19. & Tomo I. Diſp. I. ſect. 5. Iam ergo ὑσία, ſeu *ſubſtantia*, vel *natura*, ſive *eſſentia* eſt, cui ſubſiſtentia, hypoſtaſis, ſeu ſuppoſitalitas advenit, ſeu realiter, ſeu logicè, de quo poſtea. Nomine autem *naturæ*, ſive *eſſentiæ*, intelligimus in rebus compoſitis materiam, formam, & vnionem vtriuſque: in rebus autem purè ſpiritualibus, formam ſimplicem, immaterialemque, quæ eſt prima perfectio illarum, & radix aliarum omnium perfectionum, quæ ipſis conveniunt.

4 NOTANDVM Verò ex D. Angelico 1. p. q. 29. art. 1. & in 1. diſt. 25. q. 1. perſonalitatem hoc ſolùm differre ab hypoſtaſis, ſive ſubſiſtentia, quod perſonalitas ſit propria affectio, ſive determinatio naturæ rationalis; hypoſtaſis verò, ſeu ſubſiſtentia quid cõmune ſubſtantiali naturæ, ſive illa rationalis, ſive irrationalis ſit. Vnde ſolùm ſubſiſtens ra-

tionale dicitur, & eſt perſona: ſuppoſitum verò etiam appellatur illud ſubſiſtens, quod rationale non eſt, vt equus, & leo. Neutra autem denominatio, ſeu *perſonæ*, ſeu *ſuppoſiti*, tribuitur naturæ incompletæ, ſed completæ ſolùm. Vnde anima rationalis in ſtatu ſeparationis, quia incompleta eſt, non habet rationem *ſuppoſiti*, nec *perſonæ*; ſed ſolum dicitur & eſt ſubſiſtens: quæ denominatio abſtrahit à natura completa & incompleta. Plura de prædictorum nominum acceptione legere eſt apud eruditiſsimum Petavium lib. 2. de Incarnat. cap. 3. vbi & ex Theoriano apud Biblioth. tom. 2. pag. 442. refert Sanctos Patres ſic *ουσίαν*, ſive ſubſtantiam definiiſſe: * Subſtantia eſt primò ac propriè quidquid per ſe ſubſiſtens eſt, & non in altero habet eſſe. Quid autem eſt per ſe ſubſiſtens? Quod per ſe eſt, & non propter aliud: neque in altero habet eſſe; hoc eſt, quod non indiget aliquo alio extra ſe, vt exiſtat. * Quæ Sanctorum Patrum definitio mirè conſonat Ariſtotelicæ, & illi alteri, quæ in Scholis circunfertur de ſubſtantia, vt ſit *ens per ſe*. Quod qualiter accipi debeat, expoſuimus latè in Metaph. diſp. 5.

5 QVARE Senſus præſentis diſputationis eſt, vtrum ſubſiſtentia, ſuppoſitalitas, ſeu hypoſtaſis, in qualibet natura ſubſtantiali, & ſimiliter perſonalitas in rationali natura, ſit aliquid realiter & poſitivè eidem naturæ ſuperadditum. Supponimus verò ex dictis Tomo I. Diſp. XXV. in divinis relationes ſive hypoſtaſes non differre ab eſſentia, niſi virtualiter aut per rationem. Quare nunc diſsidium eſt ſolùm circa naturam & hypoſtaſim creatam: ex quo tamen plura colligemus, quæ ad exponendas perſonalitates divinas ſpectant.

6 IN Qua re variæ ſunt Philoſophorum ac Theologorum ſententiæ. Prima eſt Henrici Gandavenſis Quodlib. 4. q. Richardi in 3. diſt. 6. art. 1. q. 1. Aureoli diſt. 1. q. 3. art. 3. Bachonis diſt. 1. q. 1. art. 3. ac Durandi in 1. diſt. 34. q. 1. aſſerentium, ſuppoſitum non addere aliquid ſupra naturam individuam, niſi ſolùm penes conceptionem mentis, aut modum ſignificandi, quatenus natura ſignificatur in abſtracto, & vt habita; ſubſiſtens verò, ſive perſona in concreto, & per modum habentis naturam. Quare iuxta ſupradictos Authores natura creata in ratione ſubſtantiæ, ſive ſuppoſiti, non completur per aliquid realiter ab ipſa diſtinctum. Videnturque eidem opinioni ſubſcripſiſſe Salmeron tom. 2. tract. 27. illis verbis: *Reuera ſola ratione diſtinguitur natura, & ſuppoſitum*: Bañez 1. p. q. 29. a. 3. ad 1 dicens, *Veritatem fidei, quòd aſſumpſerit* (Verbum, ſcilicet) *naturam ſingularem & non perſonam, optimè poſſe defendi ſola diſtinctione rationis inter naturam & ſuppoſitum*. In idemque allegantur Victoria & Barthol. Medina 3. part. quæſt. 2. ar. 2. ac Ledeſma 1. p. quæſt. 4. quibus aliqui recentes ſubſcribunt.

7 SECVNDA Docet, ſubſiſtentiam, prout communem naturis rationali & irrationali, non diſtingui realiter ab individuo totali & adæquato naturæ ſubſtantialis, proindeque duo includere, alterum ſibi intrinſecum naturæ individuæ; alterum extrinſecum negationis eſſendi partem. Ita Scotus in 1. diſt. 23. q. vnica, & diſt. 25. q. vni. & in 3. diſt. 1. q. 1. art. 3. Baſſolis ibid. q. 1. art. 1. Ocham q. 1. ar. 3. col. 3. & diſt. 2. q. 1. Gabriel ibid. art. 2. ſub initium, & in 1. diſt. 23. q. vn. art. 1. fine. Scotum ſequuntur omnes eius diſcipuli, quos allegat Philippus Faber in relata loca Sententiarum, & ex alijs Recentioribus Lælius Zechius de Incarn cap. 2. Carvajalus in 1. Sent. cap. 50. Molina 1. p. q. 29. art. 2. diſp. 3. col. 4. §. age, VVadingus Ieſuita diſp. 4. de Incarnat. dub. 2. à num. 47. vbi ex Doctoribus antiquis plures à ſe perlectos teſtatur & refert pro eodem placito, quibus tandem adhæret ex eadem Societate Ortega diſp. prooemiali in tract. de Trinit. q. 2. certam 5. Eadem opinionem, prout à Scoto defenditur, infrà ſect. 3. vberiùs explicabimus.

8 TERTIA Denique omnium receptiſsima aſſerit ſubſiſtentiam ſupra naturam individuam addere modum quendam perfectatis realiter diſtinctum, quo illa vltimo terminatur, & completur in ratione ſubſtantiæ. Ita Capreolus, Paludanus, Deza, Caietanus, Ferrara, alijque plures Thomiſtæ allegandi diſp. ſequenti à num. 2. quamquam circa deſignationem eius modi varient inter ſe: & ex Schola Societatis Eximius Suarez diſp. 34. Metaph. ſect. 4. Valentia 3. p. q. 4. punct. 2. Vazq. 3 p. diſp. 31. cap. 6. Ruiz de Montoya diſp. 32 de Trinit. ſect. 5. num. 13. Zuñiga de Trinit. diſp. 15. dub. 8. num. 2. Fonſeca 5. Metaph. c. 8. q. 4. Albertinus de Prædicam. Subſtantiæ cap. 3. q. 7. Rubius 1. Phyſic. tract. de Materia q. 4. Hurtado diſp. 11. Metaph. ſect. 36. Oviedo controv. 6. Metaph. punct. 2. §. 3. Arriaga diſp. 4. ſect. 11. ſubſect. 2. Franciſcus Amicus tom. 6. Curſus Theologici diſp. 1. ſect. 2. Alderete diſp. 40. de Inca nat. Antonius Perez tract. de Grat. diſp. 2. cap. 3. num. 3. & tract. de Incarnatione diſp. 1. cap. 3. num. 33.

***

SEC-

SECTIO SECVNDA.

Reijcitur multipliciter prima ſententia Henrici, Durandi, aliorumque, præcluſis euaſionibus: & teſtimonia quædam D. Thomæ difficilia expo-nuntur.

9 DISPLICET Omnino ſententia Henrici, Durandi, & aliorum non diſtinguentium ſuppoſitum â natura, niſi ſola conſideratione, ſeu modo diverſo ſignificandi: illamque communiter Theologi ac Philoſophi non modò reijciunt, ſed & gravi cenſura notant. Mihi certè nec licet, nec libet illam vllâ notâ inurere, cùm ab ijs Catholicis Doctoribus, & præſtantiſſimis ſui ævi Theologis, ac Recentioribus quibuſdam, tradita ſit. Curare tamen debent, ne vel in modo loquendi, labantur; & præ oculis habere dictum illud S. Ioannis Damaſceni lib. 2. de Fide cap. 3. ἀλλὰ τοῦτό ἐστι τὸ ποιεῖν τοῖς αἱρετικοῖς τὴν πλάνην, τὸ ταυτὸ λέγειν τὴν φύσιν, καὶ τὴν ὑπόστασιν: * Id vnùm fraudi hæreticis eſt hoc in genere, quòd naturam, & hypoſtaſim idē eſſe perſuaſũ habent. Conſonatque illud S. Epiphanij relatum in VII. Synodo Act. 6. * Ideo hæretici errant, quia nihil aliud agunt, quàm vt oſtendant, naturam & hypoſtaſim idem eſſe: quæ ſanè inter ſe differre, veri Eccleſiæ Catholicę alumni agnoſcunt. * Atqui iuxta Durandum & Henricum, natura & hypoſtaſis idem abſolutè eſt: nam diſtinctio penes ſolùm ſignificandi modum non tollit identitatem duorum abſolutam, neque in Deo, neque in creaturis. Nec videntur plenè vitari eâ diſtinctione incommoda orta ex errore Neſtorij, vt inferius conſtabit; aut reprehenſio Ioannis Maxentij tom. 4. Biblioth. VV. Patrum columna 470. Dialogo 1. adverſus Neſtorianos, vbi ſic eos alloquitur: * Nimirum hæc erroris veſtri, & non alia cauſa eſt. Nam cùm non valeatis diſcernere, quid & inter perſonã ſit, & naturam, ID IPSVM INTELLIGENTES NATVRAM ESSE, QVOD ET PERSONAM; immò nullatenus credentes naturam eſſe poſſe ſine perſona; vocabula perſonæ naturarumque confunditis; & duas omnino perſonas, ſicut duas naturas vnius Filij Dei, ſine dubio prædicatis. * Hactenus ille. Verùm quidquid ſit de cenſura eius opinionis.

10 REIICITVR I. Eadem ratio eſt de natura humana Chriſti Domini circa propriam ſubſiſtentiam, ſeu perſonalitatem, ac de alijs naturis creatis quoad illarum ſubſiſtentias, perſonalitateſque. Sed natura humana Chriſti diſtinguitur realiter à propria ſubſiſtentia, ſeu perſonalitate. Ergo & quæcumque aliæ naturæ creatæ diſtinguuntur realiter à ſuis ſubſiſtentijs, & perſonalitatibus. Ergo ſubſiſtentia, ſeu perſonalitas addit realiter aliquid ſupra vnamquamque naturam creatam, ac proinde non ſolùm diſtinguitur ab illa penes modum ſignificandi. Vtraque conſequentia eſt evidens, & maior ſimiliter; quia natura humana Chriſti Domini eiuſdem rationis fuit per omnia cum naturis aliorum hominum, excepto peccato, vt definitur in V. Synodo Generali adverſum Monothelitas, & ipſa terminorum apprehenſione notum eſt. Minor verò principalis probatur: Verbum enim divinum aſſumpſit naturam Chriſti humanam, illamque ſibi realiter vnivit; non verò ſubſiſtentiam, aut perſonalitatem ipſius, vt fide ſanctum eſt. Alioqui in Chriſto eſſent duo ſuppoſita, & duæ perſonæ, vt Neſtorius aiebat, in Concilio Epheſino damnatus. Ex duabus namque naturis, & duabus perſonalitatibus, ſeu ſubſiſtentijs, divina, & humana, non poſſent non reſultare duo ſuppoſita, & duæ perſonæ. Ergo natura humana Chriſti diſtinguitur realiter à propria ſubſiſtentia, & perſonalitate: quia ſine diſtinctione reali illarum non poſſet verificari, Verbum divinum realiter aſſumpſiſſe vnam & non aliam.

11 RESPONDEBIS Forſan pro Durando, & Henrico, negando minorem, & ſimiliter conſequentiã probationis: quia quod natura humana Chriſti ſit eadem realitas cum ſubſiſtentia, ſeu perſonalitate, non tollit diſtinctionem vtriuſque ſecundùm rationem, ſeu diverſum modum ſignificandi naturam vt habitam; ſuppoſitum vero, ſeu perſonam vt habentem naturam, ſeu in concreto. Quod veroſimiliter ſuaderi poſſe videtur exemplo divinæ perſonalitatis, filiationis v.g. Filiatio enim divina producitur, & tamen eſſentia, licèt vnum ſit realiter cum illa, non producitur; quia ad verificandam productionẽ vnius ſine productione alterius, ſufficit diſtinctio virtualis vtriuſque. Similiter natura humana Chriſti vnitur hypoſtaticè perſonalitati divini Verbi, & tamen non vnitur immediatè divinitati, quæ ſolùm ratione ab ea diſtinguitur. Rurſus, nec immenſitas, nec æternitas, nec omnipotentia Verbi vniuntur humanitati, quamquam reipſa non diſtinguantur à perſonalitate Verbi vnita. Ergo ex eo, quòd natura humana Chriſti, eiuſque perſonalitas, ſeu ſubſiſtentia, non diſtinguantur realiter, ſed ratione ſolùm, aut penes modum ſignificandi; malè colligitur, humanitate Verbo vnita, etiam ſubſiſtentiam, ſeu perſonalitatem ipſius propriam, debuiſſe vniri.

12 SED Contra I. Quòd enim

ſubſtantialis natura ſignificetur tanquam habita, & poſſeſſa à ſuppoſito alienæ naturæ, non impedit illam manere in ratione ſuppoſiti diſtincti realiter à ſuppoſito illam habente, ſtando in doctrina Adverſariorum. Sed natura humana Chriſti ſignificatur tanquam habita, & poſſeſſa à ſuppoſito alienæ naturæ, nimirum, à Verbo Divino. Ergo non impeditur, quòd natura humana Chriſti Domini maneat in ratione ſuppoſiti diſtincti realiter à ſuppoſito Verbi illam habente. Minor cum conſequentiâ patet. Maior probatur, tum à priori, tum ab inductione. A priori quidem: nam per hoc quòd ſubſtantialis natura ſignificetur, vt habita, & poſſeſſa à ſuppoſito alienæ naturæ, non tollitur ab illâ realiter illud prædicatum, quo alioqui conſtitueretur in ratione ſuppoſiti diſtincti realiter à ſuppoſito illam habente iuxta Adverſariorum ſenſum. At manente prædicato illo, quo conſtitueretur in ratione ſuppoſiti diſtincti realiter à ſuppoſito illam habente, non impeditur, quòd illa maneat in ratione ſuppoſiti diſtincti ſicut antea. Illud enim prædicatum conſtituens diſtinctionem à ſuppoſito alieno, dum realiter manere ſupponitur ab Adverſarijs, debet ſemper præſtare eundem formalem effectum diſtinctionis. Ergo quoties ſubſtantialis natura ſignificatur, vt habita, & poſſeſſa à ſuppoſito naturæ alienæ, non impeditur quòd illa maneat in ratione ſuppoſiti diſtincti realiter à ſuppoſito illam habente. Ab inductione autem patet eadem maior, & ſimul præcluditur evaſio quorundam Recentiorum. Veſtis enim licèt ſignificetur per modum habitæ à Ioanne, tanquam ſuppoſito digniore, & aurum exterius ab argento deaurato, & vinum ab amphorâ in qua continetur, & alia pleraque; adhuc manent in ratione ſuppoſiti realiter diſtincti à ſuppoſito eaſdem res habente: nec alia eius permanentiæ ratio aſſignari poteſt, quàm permanentia illius prædicati realis, quo conſtituuntur illa omnia in ratione ſuppoſiti realiter diſtincti à ſuppoſito continente. Vera igitur eſt maior illa, tum ratione à priori, tum ab inductione: ac proinde quòd humanitas ſignificetur, vt habita a ſuppoſito Verbi divini veluti à re digniore, non obſtat, vt realiter cum ipſo maneat tanquam ſuppoſitum diſtinctum, ſi in ratione ſuppoſiti non addit realiter aliquid ſupra ſeipſam.

13 CONTRA II. Et retorquentur inſtantiæ, quibus præiacta evaſio innititur. Quòd enim perſonalitas Verbi producatur ad intra, & vniatur ad extrà, non productis pariter, aut vnitis eſſentiâ, omnipotentiâ, æternitate, & immenſitate, cum ea identificatis; ſummum eſt noſtræ fidei myſterium, quod obſcurè ſolum capimus, & credimus de eminentia illa divini eſſe, potentiæ extrema hæc adeò difficilia, & quoddammodo ſibi adverſantia: componere, qualia ſunt produci & non produci, vniri & non vniri. Atqui abſurdum eſt velle in creatis invenire idem myſterium: quale ſine dubio eſſet quòd eadem humanitas vniretur & non vniretur realiter Verbo divino; vniretur, inquam, prout habita, & in abſtracto; ac non vniretur, vt habens & in concreto; ſi hæc duo reipſa idem, idem ſunt, & ſola mentis conceptione differunt, vt Adverſarij volunt.

14 SECVNDO Reijcitur opinio Durandi, & confirmatur ſimul impugnatio præcedens. Etenim poſſio, naturam humanam non diſtingui realiter à ſuppoſito proprio, verè & in re admittitur quidquid Neſtorius docuit, ſolumque in modo loquendi, qui non vſque adeò intereſt, ab eo diſſenſus erit. Si enim ſuppoſitum humanum non addit realiter aliquid ſupra naturam humanam; cùm hæc iuxta fidem vnita fuerit ſuppoſito Verbi divini in Chriſto Domino, verè & reipſa in Chriſto erit duplex ſuppoſitum, alterum humanum, & divinum alterum. Sicuti verè & reipſa admitteretur error Sabellij, ſiquis aſſereret vnum ſuppoſitum divinum eſſe idem realiter cum alio, diſtingui tamen ex modo ſignificandi, quatenus vnum explicatur per nomen Patris, alterum per nomen Filij, alterum per nomen Spiritus ſancti. Atqui Eccleſia Catholica non ſolùm damnavit in Neſtorio modum loquendi, ſed etiam, & multo magis, rem ipſam; ſcilicet in Chriſto eſſe duo ſuppoſita ſecundùm rem, quod manifeſtè ſequitur ex opinione Henrici ac Durandi.

15 CONFIRM. I. Suppoſitum, cùm ſit aliquid exiſtens in rerum natura ante omnem intellectus fictionem, non conſtituitur penes modum concipiendi, ſed penes aliquod prædicatum verum & reale. Ergo ſi humanitas Chriſti habet omne illud prædicatum reale, quo cæteræ naturæ humanæ conſtituuntur ſuppoſita, verè etiam illa in Chriſto erit ſuppoſitum. Si autem in Chriſto humanitas eſt verè ſuppoſitum, verè etiam erit perſona, & creata, ſicut ipſa humanitas; quia perſona nihil aliud eſt, quam ſuppoſitum rationali natura conſtãs. Dabitur ergo in Chriſto ſimul perſona humana & creata, ac perſona Verbi divina, & increata, qui planè eſt ipſiſſimus error Neſtorij.

16 CONFIRM. II. Quia adhuc in modo loquendi non videtur opinio relata differre ab errore Neſtorij, ſi Durandus conſequenter loquatur. *Primò* quidem: quia conſequentius eſt fateri exiſtentiam duplicis perſonæ, ſeu ſuppoſiti, vbi concurrunt illa omnia, quæ realiter concurrunt & ſufficiunt ad duplex ſuppoſitum

tum conſtituendum. *Secundo*, quia ex mente Durandi, vt humanitas habeat rationem ſuppoſiti ſat eſt quòd concipiatur in habente illam. At humanitas Chriſti Domini, vt condiſtincta à Verbo, concipitur prout in habente illam. Ergo vt condiſtincta à Verbo habet rationem ſuppoſiti. Probatur minor. Humanitas Chriſti, vt condiſtincta à Verbo, importat rationem ſpecificam naturæ humanæ, non quomodocumque, ſed prout individuam, ſeu determinatam in individuo, vt ipſe Durandus ſtatuit, & ex ſe patet. At ratio ſpecifica naturæ humanæ concipitur, vt recepta in natura individua, vt docet Sanct. Thomas cap. 1. de Ente & Eſſentia paulò ante finem; ac proinde in natura divina concipitur, vt recipiens & habens naturam ſpecificam. Ergo humanitas Chriſti Domini, vt condiſtincta à Verbo, concipitur prout in habente illam. *Tertiò*: quia omnis natura rationalis, quæ concipitur per modum totius, & cui nulla omnino realitas deeſt, concipi poteſt, ac debet per modum ſuppoſiti & perſonæ. Suppoſitum namque & perſona, nihil aliud eſt, ne quidem mentis conſideratione, quã ſubſtantia rationalis concepta per modum totius completi, cui iam nulla omnino realitas, vel perfectio neceſſaria deeſt. At iuxta Durandum concipitur ſubſtantia rationalis in Chriſto per modum totius, & cui nulla omnino realitas, aut perfectio intrinſeca deeſt. Ergo ſubſtantia rationalis in Chriſto cõcipitur ad modum ſuppoſiti & perſonæ. Non igitur ſolũ in re, verũ & penes modum loquendi ac concipiendi tenebitur Durandus, ſi conſequenter loquitur, fateri cum Neſtorio in Chriſto duplex ſuppoſitum, & duas perſonas.

17 TERTIO Denique reijcitur: Quia iuxta relatam opinionem tollitur de medio veritas myſterij Incarnationis, conſiſtens in eo quòd Verbum divinum per ſubſiſtentiam ſuã, ſive perſonalitatem, reddiderit ſubſiſtentem naturam humanam Chriſti. Probatur ſequela multipliciter. *Primò*: quia iuxta Durandum ſubſiſtentia non diſtinguitur realiter à natura ſubſiſtente per illam. Sed ſubſiſtentia Verbi diſtinguitur realiter à natura humana Chriſti, vt fide ſanctum eſt. Ergo ſubſiſtentia Verbi non reddidit ſubſiſtentem naturam humanam Chriſti. *Secundò*. Verbum divinum per ſubſiſtentiam ſuam reddere ſubſiſtentem naturam humanam Chriſti, nihil aliud eſt, quàm perſonalitate ſuâ intimè communicatâ ſupplere defectum perſonalitatis propriæ naturæ humanæ Chriſti. At iuxta Durandum nullus eſt defectus perſonalitatis propriæ in naturâ humanâ Chriſti, quem ſuppleat Verbum: cùm in humanitate adſit omne prædicatum reale & intrinſecũ, quo alioqui extra Verbum conſtitueretur in ratione perſonæ. Ergo Verbum prr ſubſiſtentiam ſuam non reddidit ſubſiſtentem naturã humanam Chriſti. *Tertiò* probatur eadem ſequela: Verbum divinum per ſubſiſtentiam ſive perſonalitatem ſuam reddere ſubſiſtentem naturam humanam Chriſti, eſt conſtituere cum illa realiter ac verè vnum per ſe ſubſtantiale. Sed ſi natura humana Chriſti eſt ſecundùm omnem realitatem completa in ratione ſubſtantiæ, ac ſuppoſiti (vt Durandus ait) iam non cõſtituit Verbum cum illa realiter ac verè vnum per ſe ſubſtantiale: quia id quod advenit naturæ ſecundùm rem completæ omnino in ratione ſubſtãtiæ ac ſuppoſiti, nequit cùm ea vnum per ſe conſtituere. Ergo ſi natura humana Chriſti eſt ſecundùm omnem realitatem completa omnino in ratione ſubſtantiæ ac ſuppoſiti, vt Durandus inquit, Verbum divinum per ſubſiſtentiam vel perſonalitatem ſuam non reddidit illam ſubſiſtentem: quod eſt de medio tollere myſterium Incarnationis. Dico ſubſiſtentem, eo ſenſu, quo capax eſt ſubſiſtendi natura; nimirum, non vt *quod*, aut per modum totius: ſed tanquam natura rei ſubſiſtentis ſive ſuppoſiti, quod ſemel obſervaſſe ſufficiat iuxta dicenda infrà ſect. 8. à num. 102.

18 OBIICIES Pro Durando doctrinam D. Thom. in 3. diſt. 5. quæſt. 1. art. 3. & quæſt. 9. de Potentia artic. 3. ad 3. & 1. p. quæſt. 3. art. 3. vbi apertè videtur aſſerere, in Angelis naturam non diſtingui à ſubſiſtentia. Inquit enim hoc poſtremo loco, ſolut. ad 3. *Illa forma, quæ non eſt receptibilis in materia, ſed per ſe ſubſiſtens, ex hoc ipſo individuatur*. Docet igitur naturas immateriales, quales ſunt Angelorum, per ſeipſas ſubſiſtere, ac proinde abſque ſubſiſtentiâ diſtinctâ. Et tamen potuit Verbum aſſumere naturam Angelicam in vnitatem perſonę, vt omnes ſupponunt, & indicat Apoſtolus illis verbis ad Hebr. 2. *Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit*: quaſi Verbum divinum apprehendere, ſive aſſumere potuerit naturam Angelicam: & tamen noluerit. Ergo pariter licèt in opinione Durandi natura humana ſit per ſe ſubſiſtens, ſeu (quod perinde eſt) non diſtinguatur realiter à propria ſubſiſtentia, potuit aſſumi à Verbo in vnitatem perſonæ. Sicut ergo aſſumente Verbo naturam Angelicam ſubſiſtentem per ſe, non eſſent duo ſuppoſita in illo complexo, ſed vnicum; ita licet aſſumpſerit naturam humanam per ſe ſubſiſtentem in opinione Durandi, non erit in Chriſto duplex ſuppoſitũ, ſed vnicum.

19 MIRVM Eſt quàm variè & multipliciter mens D. Thom. exponi ſoleat, tum ab ipſius Diſcipulis, tum ab aliis pluribus. Ca-

ietanus 3.p.quæſt.4.art.2.cùm ſummatim hoc argumentũ ſibi obieciſſet, reſpondit, S.Doctorem nondum tractâſſe myſterium Trinitatis, & Incarnationis, cùm ſcripſit illum articulum allegatum Primæ Patris; ideoque non plenè tradidiſſe diſtinctionem ſuppoſiti à naturâ individuâ, quam tamen docuit alijs locis. Sed hoc eſt reipſa aſſerere S.Doctorem ſibi ipſi fuiſſe contrarium, aut immemorem doctrinæ traditæ. Alij communiter illius teſtimonia explicant de natura in communi reſpectu individui, quod intellexit nomine ſuppoſiti, & docuit non diſtingui à natura in communi. Ita Oviedo in Metaph.controv. 6.puncto 2. num.22. alijque plures. Sed obſtare videtur hic ſcrupulus. Etenim loco illo expreſsè diſtingui formam, ſeu naturam materialem ab immateriali per hoc, quòd prior non individuetur per ſeipſam, ſed ſolũ poſterior. At in hoc quod eſt individuum non diſtingui à natura in communi realiter, nullum diſcrimen eſt inter naturam materialem, & immaterialem: vtraque enim reipſa idem eſt cum individuo, per quod contrahitur. Ergo diſcrimen à D. Thom. aſsignatum inter formam, ſeu naturam materialem, & immaterialem, non conſiſtit in identitate reali vnius præ altera cum individuo.

20 QVARE Cenſeo verbis illis ſuperiùs obiectis ex 1.p.q.3. nihil omuino inferri contra noſtrum aſſertum: quia ibidẽ S.Thomas non agit de ſuppoſito, aut perſona, neque de compoſitione ex natura & ſubſtantia, ſed ſolùm de compoſitione ex materia, & forma. Inquirit namque eo articulo, *Vtrùm in Deo ſit compoſitio ex forma & materia*. Et cùm ſibi obieciſſet in tertio argumento, materiã eſſe principium indiuiduationis, Deum autem videri eſſe individuum, atque adeò componi debere ex materia & forma; Reſpondet, formas, quæ ſunt receptibiles in materia, individuari per materiam: illam verò formam, quæ non eſt receptibilis in materia, ſed per ſubſiſtit, ex hoc ipſo conſtitui individuam. Vbi ſenſus non eſt, formam irreceptibilem in materia ſubſiſtere per ſe, quatenus *per ſe* importat ipſius entitatem individuam præcisè; ſed ſolùm ſubſiſtere per ſe, quatenus *per ſe* cõtraponitur huic quod eſt ſubſiſtere in materia, qua iter receptibiles formæ ſubſiſtunt. Hoc enim ſecundo poſito, & negato primo, ſufficienter occurrit D. Thom. tertio argumento, negando materiam eſſe principium individuationis formarum irreceptibilium, ac proinde negando Deum conſtare materiâ aliquâ; quia forma diuinitatis eſt irreceptibilis, ac proinde non accipit individuationẽ à materia vt aliæ formæ receptibiles, ſed ex ſeipſa eſt individua. Quæ ſolutio & expoſitio videtur textui D.Tho. maximè coherens, & intelligibilior pluribus alijs apud Authores ſparſis, quas conſultò prætermittimus. Eademque aptari poteſt cæteris D. Thom. teſtimonijs in obiectione indicatis, ac præterea alijs eiuſdem locis, quibus docet, perſonam in rebus materialibus importare compoſitionem, non verò in immaterialibus. loquitur enim de compoſitione phyſica & eſſentiali ex actu, & potentia.

21 SIMILITER Et Opuſc. 37 cap. 4. dum inquit ſuppoſitum in rebus immaterialibus non diſtingui à natura per aliquid eiuſdem generis, ſolùm loquitur de ſuppoſito latè dicto, prout individuum eſt, vt idem Sanct. Doctor ibidem explicat: quia, nimirum, licèt individuum in rebus materialibus diſtinguatur à natura ſubſtantiali per aliquid eiuſdem generis, ſcilicet per ipſam individuationem, ſeu vnitatem numericam ſpeciei ſuperadditam; individuum tamen in rebus ſimplicibus ſolùm differt à ſpecie per accidentia, & non per aliquid ſui generis; ideoque in ijs tot ſpecies, quot individua ſunt. Verba S. Doctoris exhibeo ibid. paulò poſt medium: * Manifeſtum eſt ergo quòd per aliquid ſui generis differt individuum in rebus materialibus à ſpecie, & non ſolùm per accidentia. In rebus verò ſimplicibus individuum ſolùm per accidentia differt à ſpecie, & non per aliquid ſui generis: & ideo in eis tot ſunt ſpecies, quot ſunt individua. * Vnde hoc ipſo ſenſu accipienda ſunt verba, quæ poſtea ſubdit, alioqui difficilia, & ſpecie tenus faventia opinioni Durandi, intellectæ de ſuppoſitis omnino immaterialibus.

22 PORRO S.Doctorem perpetuò diſtinxiſſe in re ſuppoſitum materiale à naturâ, conſtat, vel ex ipſis locis, quæ nobis objciuntur, vbi id palàm tradit. Idque vnum ſufficeret ad vim argumentorum, quibus Durandum impugnavimus; cum in ijs ſermo fuerit de natura materiali humanitatis aſſumptæ. Ac præterea D.Thom. idem quoad hoc ſenſiſſe de ſubſtantijs ſeparatis, & immaterialibus infra diuinam, conſtabit poſtea diſp. ſeq. ex pluribus teſtimonijs ipſius, quibus omnem naturã creatam diſtinguit realiter ab eſſe ſubſiſtentiæ. Et in id probãdum ſufficit locus illuſtris 3.p.q.4. art.1.vbi tam in corpore, quam in ſolut. ad 3. apertè ſupponit poſsibilem eſſe abſolutè aſſumptionem naturæ Angelicæ, ita vt Deus illã creando impediat ipſius propriam perſonalitatem, & vniat ſibi hypoſtaticè talem naturam. Immò & de naturâ Angeli iam creatâ & ſubſiſtente ſatis indicat, poſſibile auferri ab ea perſonalitatem propriam, vt loco ipſius ſubrogaretur divina hypoſtaſis; dum ait ſolùm, id non videri congruum, ne aliquid ſuppoſiti incor-

rup-

ſuptibilis deſtrueretur. Quo planè abſolutam eius ablationis poſsibilitatem ſupponit, ac proinde realem vtriuſque diſtinctionem.

23 EX His ad obiectionem patet, naturam Angeli ex mente S. Doctoris diſtingui realiter à ſubſiſtētiâ ipſius. Patet etiam potuiſſe abſolutè aſſumi à Verbo in vnitatem perſonæ; eoque caſu impediendam abſumendamvè iri perſonalitatē Angeli, vt in eius locum perſonalitas divina ſufficeretur. Quo poſito ceſſat obiectionis difficultas, & libero pede gradiūtur argumenta contra Durandum præiacta. Sed de mente D. Thom. ampliùs adhuc conſtabit diſp. ſequenti.

SECTIO TERTIA.

Impugnatur multipliciter rationibus, tum theologicis, tum metaphyſicis, opinio Scoti aſſerentis, ſuppoſitum vltra naturam ſolùm addere negationem vnionis ad aliud ſuppoſitum.

24 SECVNDA Sententia eſt Scoti in 3. diſt. 1. §. *non aſſerendo*, vbi exiſtimat ſuppoſitum vltra naturam non addere aliquid poſitivum, ſed ſolùm negationem vnionis actualis ad aliud ſuppoſitum, & negationem vnionis aptitudinalis. Ideoque docet, animam ſeparatam non eſſe ſuppoſitū, quia licèt habeat negationem vnionis actualis, non habet negationem aptitudinalis vnionis, cùm capax ſit vt vniatur ſuppoſito humano. Ac præterea, vt argumentum ex myſterio Incarnationis petitum præcaveret, ſtatuit, humanitatem Chriſti non eſſe ſuppoſitum, quia non importat negationē vnionis actualis ad aliud ſuppoſitum; quamvis de facto habeat omnia requiſita poſitiva, quæ eam conſtituerent in ratione ſuppoſiti, ſi libera eſſet ab vnione actuali cum Verbo. quia verò de facto non habet actualem carentiam eius vnionis, ſed potiùs eſt vnita ſuppoſito aut ſubſtantiæ dignieri, humanitas Chriſti nō eſt ſuppoſitum. Quod aliquanto fuſiùs, quam ſuprà n. 7. oportuit in præſenti explicare. Hæc omnia Subtilis Doctor: ex quibus iure ac merito P. Suarez diſp. 34. Metaph. ſect. 2 à n. 8. alijque plures cum illo, colligūt opinionem ipſius vix differre à ſententiâ Durandi nuper impugnatâ; cùm etiam Durandus dicat requiri negationem dependentiæ, & vnionis actualis ad aliud ſuppoſitum, vt ſignificetur natura per modum concreti, ſeu ſuppoſiti. Quare iiſdem argumentis refelli poteſt opinio Scoti ac Durandi, & præterea ſequentibus. In quibus tamen profiteor, me nolle vlla prorſus cenſurâ notare opinionem Subtilis Doctoris, aut clariſsimæ illius Scholæ: ſed tantùm indicare quæ mihi in eâ apparent difficilia, aut ducere videntur in multiplex abſurdum: donec illorum ſolutionem diſcam à præſtantiſsimis eiuſdem doctrinæ Sectatoribus.

25 PRIMO Quidem. Si enim ſuppoſitum creatum in genere conſtitueretur per negationem prædictam, etiam ſuppoſitum rationale, ſcilicet perſona, conſtitueretur proportionali modo per negationem vnionis ad perſonam rationalem, ſeu ratione prædictam. Eadem enim vtriuſque ratio eſt. At ſuppoſitum rationale, ſeu perſona, non conſtituitur negatione aliqua. Ergo neque ſuppoſitum creatum in genere. Probatur minor ratione deſumpta ex D. Thom. 1. p. q. 29 art. 3. Repugnat id quod perfectiſsimum eſt in genere ſubſtantiæ, conſtitui formaliter per aliquam negationem. At perſona eſt quid perfectiſsimum in genere ſubſtantiæ. Ergo repugnat perſonam conſtitui formaliter per aliquam negationem. Conſequentia eſt in quarto modo perfectæ figuræ. Maior evidens: quia conſtitutum accipit ſuam perfectionem formalem, à conſtitutivo proprio: atque adeo ſi conſtitutum ſit perfectiſsimum in aliquo genere, id quo formaliter conſtituitur, debet eſſe in eodem genere perfectiſsimum. At negatio quælibet, ſive illa actualis ſit, ſive aptitudinalis, nequit eſſe aliquid perfectiſsimum, nec perfectum, ſed potiùs carentia omnis perfectionis in genere ſubſtantiæ. Ergo repugnat id quod eſt perfectiſsimum in genere ſubſtantiæ conſtitui formaliter per aliquam negationem. Minor verò præcipua probatur: quia perſona non ſolùm importat rationem ſubſtantiæ completæ, & cui proinde nihil perfectionis deeſt in genere ſubſtantiæ; ſed etiam determinationem ad ſuppoſitum naturæ in toto eo genere perfectiſsimæ, ſcilicet intelligētis, ſeu rationalis. Ergo perſona eſt quid perfectiſsimum in genere ſubſtantiæ.

26 DICES, Rationē hac nimiùm probari: ſcilicet ſubſiſtentiam eſſe perfectiorem naturâ ipſa rationali integra genus ſubſtantiæ; quod apud omnes falſum eſt, præſertim aſſerentes ſubſiſtentiam eſſe, non rem aliquam, ſed modum, atque adeò longè minoris perfectionis, quàm naturam ſubſiſtentem. Sequela autem probatur: quia formale conſtitutivum rei perfectiſsimæ in aliquo genere, nequit non eſſe perfectiſsimum intra illud genus.

27 SED Contrà. Vt enim totum aliquod ſit perfectiſsimum in aliquo genere ſufficit conſtitui extremis perfectiſsimis, vnoquoque in ſuâ lineâ. At perſona eſt perfectiſsimum quoddam totum in genere ſubſtantiæ, vt probatum eſt. Sufficit ergo quòd conſtitua-

tur extremis perfectiſsimis, vnoquoque in ſuâ lineâ. Vnde ſicut ob hanc cauſam debet conſtitui naturâ rationali, quę inter omnes perfectiſſima eſt in linea naturæ; ſic etiam conſtitui debet perſonalitate, quæ ſit perfectiſsima in lineâ ſubſiſtentiæ. Quare parum refert quòd perſonalitas ſit modus, & proinde quid minùs perfectum, quàm natura ſubſiſtens. Sẽper enim verificatur, illam in lineâ ſubſiſtentiæ perfectiſsimam eſſe debere, hoc ipſo quòd cõſtituat perſonã, quæ eſt aliquid in genere ſubſtantiæ.

28 CONFIRM. Si perſonalitas conſiſtit in negatione vnionis ad ſuppoſitum alienum, perſona vt perſona non erit quid perfectiſsimũ in ratione ſuppoſiti, nec excedet ſuppoſitum irrationale, quatenus ſuppoſitum eſt. Probatur ſequela: Tum, quia in purâ negatione vnionis ad ſuppoſitum alienum, non eſt magis aut minùs, ſive perfectionis, ſive imperfectionis: Tum, quia omne ſuppoſitum irrationale importat negationem vnionis ad quodlibet alienum ſuppoſitum, quam ſolam importat ſuppoſitum rationale, ſive perſona. Ergo ſuppoſitum rationale, ſive perſona, in lineâ ſuppoſiti non excedet irrationale ſuppoſitum.

29 DICES, Suppoſitum irrationale addere aliquid ſupra rationem communem ſuppoſiti, nimirum negationẽ vnionis ad aliud rationale ſuppoſitum, quæ negatio quid perfectius eſt, quàm negatio vnionis ad ſuppoſitum irrationale alienum importata ab irrationali ſuppoſito.

30 SED Contrà I. Negatio enim vnionis ad omne ſuppoſitum alienum, quodcumque illud ſit, importatur ab omni ſuppoſito in rerum naturâ exiſtenti, ſive hoc rationale ſit, ſive irrationale; cùm omne ſuppoſitum in quantùm tale ſit completum & perfectum iam in ſuo genere, atque adeò incapax ſubſtantialis vnionis, ſeu conſtituendi vnum per ſe cum alio ſuppoſito æquè completo, ac perfecto, quodcumque illud ſit. Ergo ſi ſuppoſitum rationale conſtituitur negatione vnionis ad ſuppoſitum alienum, eadem prorſus negatione conſtituetur, quâ irrationale ſuppoſitum, atque adeò non magis perfectè. CONTRA II. Si enim vtraque negatio eſt diverſa quò ad perfectionem, vt in evaſione præiactâ dicitur, imperfectior erit negatio conſtituens rationale, quàm irrationale ſuppoſitum. Negatio enim conſtituens ſuppoſitum rationale importabit carentiam vnionis ad ſuppoſitum perfectius, quàm negatio conſtituens irrationale ſuppoſitum. At carentia tantò imperfectior eſt, quantò maioris perfectionis carentia eſt, quia hoc ipſo removet perfectionem maiorem. Ergo negatio conſtituens ſuppoſitum rationale imperfectior erit negatione conſtituente irrationale ſuppoſitum: ac proindè rationale ſuppoſitum in lineâ ſuppoſiti quid imperfectius erit, quàm ſuppoſitum irrationale: quod ex terminis apparet abſurdum.

31 CONFIRM. II. Argumentum præcipuum ad hominem in ſententiâ Scoti aſſerẽtis, poſſe ſuppoſitum creatum terminare alienam naturam. Hoc enim poſito omne ſuppoſitum creatum in ratione terminantis naturam alienam debet importare aliquid, quo illam perficiat. At nequit illam perficere purâ negatione vnionis ad aliud ſuppoſitum. Ergo debet illam perficere per communicationem alicuius poſitivæ perfectionis alienam naturam terminantis, cùm nihil aliud præterea reſtet. Conſequentia rectè infertur, & minor conſtat: tum quia negatio pura vnionis ad aliud ſuppoſitum, eſt negatio pura perfectionis ab alio ſuppoſito acceptæ, & negatio pura perfectionis ab alio ſuppoſito acceptæ nequit eſſe perfectio: tum etiam, quia omne perfectum eſt bonum, & omne bonum eſt ens, & negatio pura non eſt ens, ac proinde nec perfectio: tum denique quia natura ante vnionem cum ſuppoſito alieno, etiam importabat illam ipſam negationem vnionis ad omne aliud ſuppoſitum alienum, quam importat poſtquam alicui extraneo ſuppoſito vnitur. Ergo vera eſt illa minor, nempe, ſuppoſitum creatum non poſſe perficere naturam ſibi vnitam purâ negatione vnionis ad ſuppoſitum alienum.

32 IAM Maior illa præcipui diſcurſus probatur: Nam hoc ipſo quòd ſuppoſitum creatum terminet naturam alienam, complet illam, ita vt ex vtroque extremo, terminante & terminato, reſultet vnum per ſe in genere ſubſtantiæ. At nequit complere illam, ita vt cum eâ componat vnum per ſe in genere ſubſtantiæ, niſi ipſam perficiat. Ergo hoc ipſo quòd ſuppoſitum creatum terminet naturam alienam, debet in ratione terminantis importare aliquid, quo illam perficiat. SECVNDO probatur eandem maior. Hoc ipſo quòd ſuppoſitum creatum terminet naturam alienam, debet hæc reali vnione ipſi coniungi. At nequit reali vnione coniungi puræ negationi, ſed ſolùm extremo poſitivo ipſam naturam perficiẽti: quia ad puram negationem nequit poſitiva vnio terminari. Neque etiam negativa vnio excogitari poteſt: quia hæc non eſt vnio, ſed totius vnionis carentia incompoſsibilis cum verâ vnione ſuppoſiti creati ad naturam alienam. Ergo hoc ipſo quòd ſuppoſitum creatum terminet naturam alienam, debet in ratione terminãtis importare, non puram negationem, ſed aliquid poſitivum, quo talem naturam perficiat. TERTIO. Ratione illius quod nihil eſt, nequit ſuppoſitum creatum terminare, aut com-

complere aliud realiter, & ante omnem intellectus operationem. Sed ſuppoſitum creatum ratione ſubſiſtentiæ ſuæ iuxta Scotum, poteſt terminare, & complere naturam alienam realiter, & ante omnem intellectûs operationem. Ergo ſubſiſtentia propria ſuppoſiti creati non eſt nihil. Eſt igitur aliquid poſitivum, quo poſsit realiter naturam alienam terminare, ſi loquatur conſequenter Scotus.

33 SECVNDO Principaliter reijcitur eadem opinio. Si enim perſona non addit aliquid poſitivæ perfectionis ſupra naturam rationalem, ſed ſolùm negationem vnionis ad aliud ſuppoſitum, natura humana Chriſti fuiſſet Verbo divino vnita cũ omni poſitiva perfectione & integritate, quam haberet aliàs in ratione perſonę. Conſequẽs eſt abſurdũ. Ergo & doctrina ex quâ ſequitur. Maior, ſive ſequela, eſt manifeſta: quia natura humana Chriſti fuit vnita Verbo divino cum omni poſitivâ perfectione, quæ ſpectat ad lineam & integritatem naturæ. Ergo ſi in ratione perſonæ nulla alia perfectio aut integritas poſitiva ſuperaddit, natura humana Chriſti vnita fuit Verbo divino cum omni poſitivâ perfectione & integritate, quam haberet aliàs in ratione perſonæ.

34 ABSVRDITAS Autem conſequentis videtur perſpicua: Quia ſi natura humana Chriſti vnita fuit Verbo divino cum omni poſitivâ perfectione & integritate, quam alioqui haberet extra vnionem illam in ratione perſonæ; iam videtur concedi reipſa Neſtorio, quidquid ille aſſeruit. Reverà enim in Chriſto admittitur, vltra perſonam Verbi, perſona alia humana & creata quoad omnem poſitivam perfectionem & integritatem, quam perſona humana & creata importat extra vnionem ad Verbum: qui reipſa apparet ſenſus & error Neſtorij.

35 RESPONDEBIS Pro opinione Scoti, conceſſa ſequela, negando minorem. Ad probationem negabis antecedens: quia licèt natura Chriſti vnita fuerit Verbo divino cum omni poſitiva perfectione & integritate, quam alioqui haberet, ſi ſubſiſteret, eſſetque perſona per ſeipſam: adhuc vnita Verbo non habet rationem ſuppoſiti, nec perſonę, quia deficit ipſi negatio vnionis ad ſuppoſitum Verbi, quâ negatione alioqui conſtitueretur per ſe ſubſiſtẽs. Id autem longè diſtat ab errore Neſtorij, qui ita poſuit naturam humanam in Chriſto, vt non ſolùm importaret omnem poſitivam integritatem & perfectionem humanæ & creatæ perſonæ, ſed etiam negationem vnionis ad ſuppoſitum Verbi, ſive ad perſonam digniorem, vt aliqui Recentiores loquuntur.

36 SED Contrà I. Neſtorius enim non dixit, naturam humanam Chriſti importare ſimpliciter negationem vnionis ad Verbum divinum. Ergo totus illius error fuit concedere in Chriſto naturam humanam cum omni poſitivâ perfectione & integritate, quæ alioqui haberet in ratione ſuppoſiti, & perſonæ, ſi exiſteret extra Verbum. Conſequentia eſt manifeſta, & antecedens probatur efficaciter ex S. Cyrillo oculato teſte errorum Neſtorij in ipſo Cõcilio Epheſino. Ille namque tom. 6. lib. 2. contra Neſtorium refert ipſum appellaſſe Chriſtũ Θεοφόρον *Deiferum*, καὶ οὐχὶ θεὸν ἀληθῶς, ἄνθρωπον δὲ θεῷ συνημμένον ὡς ἐν ἰσότητι τῆς ἀξίας: *& non verè Deum, ſed hominem potiùs tum Deo tamquam dignitatis æqualitate coniunctum.* Vbi, vt vides, coniunctionem, ſive aliquam vnionem Dei, & hominis fatebatur. Inſuper ex eodem Cyrillo lib. 3. pag. 64. habemus, Neſtorium dixiſſe Chriſtum κτήτορα τῆς θεότητος, *poſſeſſorem diuinitatis*: quod vtique abſque vnione aliqua humanitatis cum perſonâ Verbi eſſe nequit. Præterea id ipſum lucu-lenter confirmatur falſo illo Symbolo Neſtorij, quod Chærilius Præſbyter obtulit Patribus Concilij Epheſini, vt in eius Act. 6. habetur pag. 360. In eo quippe aiebat Neſtorius,* Verbum divinum hominem aſſumpſiſſe perfectum: quem quidem hominem naturâ noſtri ſimilem Spiritus ſancti virtute in vtero Virginis formatum, factum ex muliere, factum ſub lege, &c. arcano quoddam modo ſibi coniunxit. * Fatebatur ergo Neſtorius cõiunctionem, ſive vnionem humanitatis Chriſti ad Verbum divinum: ſed tamen erravit exiſtimando, Verbũ *aſſumpſiſſe hominem perfectum*: ſcilicet, humanam naturam quò ad omnem perfectionem, quam importaret, ſi ſeorſim à Verbo ſubſiſteret. Sunt & pleraque alia, quibus affatim oſtendere poſſemus, Neſtorium minimè negaſſe vnionem humanitatis Chriſti ad Verbum, qualis & quãta eſſe poteſt inter naturam omni poſitiva perfectione & integritate ſibi connaturali prædi-tam, & perſonam divini Verbi. Vide Petavium lib. 1. de Incarnat. cap. 9.

37 CONTRA II. Eccleſia enim Catholica poſt preces, ieiunia, & conſultationes plures in Concilio Epheſino definivit, naturam humanam in Chriſto non retiniſſe propriam perſonalitatem. At ſi propria perſonalitas naturæ humanæ conſiſteret in negatione actuali vnionis ad perſonam alienam, vt vult Scotus, fruſtranea eſſet talis definitio. Ergo cùm hæc fruſtranea non fuerit, aſſerendum eſt perſonalitatem propriã naturæ humanæ non conſiſtere in negatione vnionis actualis ad perſonam alienam. Probatur minor. Nam fruſtraneum eſt definire id, quod ſolâ apprehenſione terminorum eſt notum, & à nullo, etiam alioqui ad-

ver-

verſario, negatur? At ſola apprehenſione terminorum notum eſt, naturâ humanam ex ſuppoſitione vnionis ad perſonam alienam Verbi, admiſſæ à Neſtorio, non retinere negationem eiuſdem vnionis; cum evidens ſit, ſimul cohærere non poſſe vnionem, & negationem vnionis naturæ humanæ ad eandem Verbi perſonam. Igitur ſi propria perſonalitas naturæ humanæ conſiſteret in negatione actuali vnionis ad perſonam alienam, vt vult Scotus, fruſtra Eccleſia poſt preces, ieiunia, & conſultationes plures, definiviſſet, naturam humanam in Chriſto non retinuiſſe perſonalitatem propriam.

38 CONTRA III. Ideo enim anathematiſmo confixus eſt ab Epheſinis Patribus Neſtorij error, quia, vt inquit Acatius Mytilenenſis in eodem Concilio Act. 1. pag. 259. ἔδειξεν ἑαυτὸν ὀνόματι μόνῳ τὴν ἑνότητα τοῦ θεοῦ πρὸς τὴν σάρκα ὁμολογοῦντα, τῷ δὲ πράγματι ταύτην παντελῶς ἀρνούμενον: *vocabulo tenus Dei vnitatem cum carne confitebatur, reipſa verò eam funditus tollebat.* Neque enim niſi vocabulo tenus, vnio eſſe poterat inter perſonam Verbi, & naturam humanam Chriſti, ſi hæc omnẽ integritatem & perfectionem creatam habuit quam alioqui haberet, ſi ſeorſim ſubſiſteret extra Verbum. At iuxtà Scotum natura humana Chriſti omnem integritatem, & perfectionem creatam habuit, quam alioqui haberet ſi ſeorſim ſubſiſteret extra Verbum. Ergo in ſententia Scoti, non, niſi vocabulo tenus, vnio eſſe potuit inter perſonam Verbi, & naturam humanam Chriſti. Nimirum, vnio vtriuſque in re non fuit qualiſcumque, ſed ſubſtantiva, quam phyſicam, ſive naturalem appellat Synodus Epheſina Anathematiſmo III. in eius defenſione: ſimiliterque Alexandrina, vbi Patres in id maximè incumbunt, vt oſtendant contra Neſtorium, illum nexum naturæ humanę cũ perſona divina eſſe ἕνωσιν φυσικὴν, id eſt, vnionem phyſicam, ſeu naturalem. Verba autem integra Epheſinæ Synodi hæc ſunt:* Siquis in vno Chriſto poſt vnionem dividit hypoſtaſes, ipſaſque ea tantùm coniunctione inter ſe connectit, quæ eſt ſecundùm dignitatem, ſive authoritatem, aut poteſtatem; & non eo potiùs concurſu, QVI EST SECVNDVM PHYSICAM VNIONEM, anathema ſit.* Eodemque modo nexum illum appellat *Vnionem phyſicam* Cyrillus in Epiſtola ad Neſtorium de excommunicatione, parte 1. eiuſdem Concilij Epheſini pag. 207. editionis Morellianæ anni 1636. quâ nunc vtimur. Si autem natura Chriſti humana permanſiſſet cum omni illo poſitivo & reali complemento, quod alioqui haberet ſubſiſtens per ſe; coniunctio illius cum perſona Verbi, ſummùm fuiſſet ſecundum dignitatem, ſive authoritatem, aut poteſtatem, qualis non negabatur à Neſtorio: minimè verò vnio phyſica, & ſubſtantiva, qualem Catholica Synodus aſſeruit. Hæc enim eſt ex qua vnum per ſe conſurgit ſubſtantialiter: quale profectò reſultare nequit ex duobus entibus, ſeu naturis completis quoad omnia poſitiva intra genus ſubſtantiæ.

DICES, Naturam Chriſti humanam non habere rationem perſonæ, ſive ſubſiſtentis per ſe, hoc ipſo quòd vniatur ſubſtantiæ digniori, qualis eſt perſona divina: ac proinde iam poſſe cum ea vnum per ſe ſubſtantivum conſtituere. Ita Adverſarij tertio quoque verbo hanc evaſionem reponentes. SED Contrà: Id enim iam abundè præoccupatum eſt in ſuperioribus, & denuo reijcitur: quia ſubſtantia completa ſecundùm omne prædicatum poſitivum, nequit vniri ſubſtantiæ completæ digniori, per vnionem phyſicam, ex qua reſultet vnum per ſe ſubſtantivum; quod ſanè exigit ſaltem alterum extremorum incompletum in genere ſubſtantiæ: ſed ſummùm vniri poteſt ſubſtantiæ digniori affectivè aut moraliter, vti Neſtorius adſtruebat. *Præterea.* Sic enim liceret pariter dicere, ex duplici natura Chriſti, divina vna, & humana altera, completis quoad omnia prædicata poſitiva in ratione naturæ, reſultaſſe in Chriſto vnicam naturam, qui fuit error Eutychetis ab Eccleſia confixus. Probatur ſequela, quia pariter dici poſſet, naturam humanam, quamvis retinentem omnia prædicata poſitiva, fuiſſe vnitam naturæ divinæ longè digniori; ac proinde conſtituiſſe cum ea vnicam naturam; ſicuti Adverſarij aiunt ſubſtantiam humanam retinentem omnia prædicata poſitiva perſonæ fuiſſe vnitam perſonæ divinæ longè digniori; ac proinde conſtituiſſe cum ea vnicam perſonam. Par enim eſt vtriuſque ratio. *Vrgetur amplius.* Tam completa eſt perſona humana in ratione perſonæ, quàm natura in ratione naturæ. Atqui perſona humana deſinit eſſe completa per hoc ſolùm, vt vniatur perſonæ digniori, tanquam illius pars. Ergo etiam natura humana deſinit eſſe completa per hoc ſolùm vt vniatur naturæ digniori, veluti pars ipſius. Ergo quemadmodum Adverſarij aiunt non fuiſſe in Chriſto duplicem, ſed vnicam perſonam: ita etiam Eutyches potuit dicere, in ipſo eſſe non duplicem, ſed vnicam naturam. Et quemadmodum ij volunt, vnionem eſſe phyſicam & ſubſtantivam cum perſona Verbi; ita Eutyches phyſicam & ſubſtantivam dicere potuit vnionem naturæ humanæ cum divina. Conſequens verò abſurdum eſſe patet, & in Concilijs damnatum, ac nominatim à S. Leone Papa in tract. adverſus errores Eutychetis, & Gelaſio I. lib. de duabus naturis paulo poſt medium.

CON-

39 CONTRA VI. & roboratur præcedens impugnatio ratione à priori. Inter perſonam Verbi & naturam humanam Chriſti, non fuit ſolùm illa coniunctio communis, quâ Deus in omni compoſito ſubſtantiali eſt per eſſentiam, præſentiam, & potentiam; neque illa ſpecialior, quâ coniungitur iuſtis per gratiam: ſed alia ſpecialiſsima, & hypoſtatica, quâ vnũ per ſe ſubſtantiale conſtituit cum humanitate ſibi unitâ. At hæc vnio ſpecialiſsima & hypoſtatica, conſtituens vnum per ſe ſubſtantiale, eſſe non poſſet inter perſonam Verbi, & naturam humanam Chriſti, ſi hæc habuit omnem poſitivam perfectionem & integritatem, quam alioqui naturaliter haberet extra Verbum. Ergo natura humana Chriſti non habuit omnem perfectionem poſitivam & integritatem, quam alioqui haberet extra Verbum. Probatur minor. Nam vnio ſpecialiſsima, & hypoſtatica, & ſufficiens ad conſtituendum vnum per ſe, exigit neceſſariò, vt ſaltem alterum èduobus extremis ſit in genere ſubſtantiæ incompletum, ac proinde non habens omnem perfectionem poſitivam & integritatem ſibi debitam. Ergo cùm hic defectus non poſsit eſſe in Chriſto ex parte perſonæ aſſumentis, quæ in illo perfectiſsima & divina permanſit, debuit eſſe ex parte naturæ humanæ aſſumptæ: ac proinde ſi hæc habuit omnem perfectionem & integritatem poſitivam, quam alioqui haberet naturaliter extra Verbum, non potuit ex illâ & perſonâ Verbi reſultare ſpecialiſsima & hypoſtatica vnio, ac ſufficiens ad conſtituendum vnum per ſe ſubſtantiale. Solùm ergo fuiſſet inter perſonam Verbi & naturam humanam Chriſti vnio communiter dicta, aut qualem Deus habet cum iuſtis, ac proinde minùs propriè dicta; quæ à Neſtorio minimè negabatur.

SECTIO QVARTA.

Aliæ impugnationes eiuſdem ſententiæ Scoti, ex eo quòd cum illa nequeat cohærere veritas myſterij Incarnationis, nec Maternitas Dei in B. Virgine.

40 TERTIO Impugnatur Scotus. Humanitas Chriſti Domini (& idem eſt de omnia aliâ naturâ rationali creatâ) naturaliter conſtitueretur ſubſiſtens per id, quod in ipſâ de facto ſuppletur à perſona divini Verbi. Sed id quod in ipſâ de facto ſuppletur à perſona divini Verbi non eſt negatio vnionis ad ſuppoſitum alienum, ſed aliquid poſitivum. Ergo humanitas Chriſti Domini naturaliter conſtitueretur ſubſiſtens, non per negationem vnionis ad ſuppoſitum alienum, ſed per aliquid poſitivum. Maior eſt certa: quia in Incarnationis myſterio vnio naturæ humanæ facta eſt formaliter ad perſonam divini Verbi, vt fide ſanctum eſt. Igitur humanitas Chriſti Domini naturaliter cõſtitueretur ſubſiſtens per id, quod in ipſâ de facto ſuppletur à perſonâ divina Verbi. Minor autem præcipua probatur dupliciter. PRIMO: Quia negatio vnionis ad ſuppoſitum alienum eſt nihil; id verò quod ſuppletur de facto in humanitate à perſonâ divini Verbi non eſt nihil, ſed aliquid: aliàs nihil in illâ ſuppleret Verbum. Ergo id quod in humanitate Chriſti de facto ſuppletur à perſonâ divini Verbi, non eſt negatio vnionis ad ſuppoſitum alienum, ſed aliquid poſitivum. SECVNDO probatur eadem minor. Id namque, quod de facto perſona divini Verbi ſupplet in humanitate Chriſti, eſt illud in quod refunderentur actiones humanitatis, ſi hæc ſeorſim à Verbo ſubſiſteret. Sed actiones humanitatis ſeorſim à Verbo ſubſiſtentis non refunderentur in negationem vnionis ad ſuppoſitum alienum: ſed ſolùm in aliquid poſitivum. Refunderentur enim ſolum in principium activum illarum, tam *vt quo*, quàm *vt quod*. Negatio autem vnionis ad ſuppoſitum alienum non poſſet eſſe principium activum operationum, neque *vt quo*, neque *vt quod*; cùm non ſit ens, ac proinde nec cauſa vera, nec principium vllo modo activum. Igitur de primo ad vltimum, id quod de facto in humanitate Chriſti ſuppletur à perſona divini Verbi, non eſt negatio vnionis ad ſuppoſitum alienum, ſed aliquid poſitivum.

41 CONFIRM. Probatio eiuſdem præcipuæ minoris. Si id, quod de facto in humanitate Chriſti ſuppletur à perſona divina, eſt negatio vnionis ad ſuppoſitum alienum, & non aliquid poſitivum, nullus erit influxus perſonæ Verbi realiter in operationes humanitatis aſſumptæ, nec que *vt quo*, neque *vt quod*: quia ſupplens, ſive ſubſtituens vices alicuius nihil influentis, prout ſupplet, ſive ſubſtituit pro eo, nihil influit, neque *vt quo*, neque *vt quod*. Conſequens autem duriſsimum eſt: quia ſic nulla eſſet ratio, vt operationes humanitatis Chriſti tribuerentur Verbo divino, aut redderentur meritoriæ ſalutis hominum, vel infiniti valoris, vti definit Noſter Clemens VI. in Extravag. Vnigenitus de Pœnit. & remiſſ. imò nẽque valoris excedentis meritum ſatisfactionisque à purâ creaturâ præſtabilem, qualem concedit operationibus Chriſti Scotus. Etenim ſecluſo influxu reali perſonæ Verbi in eas operationes, tam *vt quo*, quàm *vt quod*, manent eiuſdem rationis, ac ſi fierent ab eâdem humanitate ſeorſim ſubſiſtente: quo caſu nec tribuerentur Verbo divino, nec meritoriæ eſſent

ſent ſalutis hominum; hæc infiniti valoris; immò neque ſuperexcedentis meritum ac ſatisfactionem puræ creaturæ poſsibilem, vt ex ſe patet.

42 RESPONDEBIS, In opinione Scoti operationes humanitatis Chriſti non tribui perſonæ divini Verbi, neque *vt quo*, neque *vt quod*; cùm ipſe doceat humanitatem Chriſti abſolutè potuiſſe peccare, quo caſu actio illius prava nullatenus tribueretur Verbo divino. Inſuper, vt paulò ante dicebamus, idem docet, operationes humanitatis Chriſti non eſſe infiniti valoris intrinſecè loquendo, ſed extrinſecè tantùm, & ſecundùm acceptationem divinam; quo ſenſu etiam operationes puræ creaturæ poſſent eſſe infinitæ. Non ergo in ſententiâ Scoti vrget abſurdum illatum, nempe operationes Chriſti minimè refundendas in perſonam Verbi, ſi ab illa ſolùm ſupplerur in humanitate negatio vnionis ad ſuppoſitum alienum, & non aliquid poſitivum.

34 SED Contrà I. Hæc enim evaſio plura alia adnectit incommoda & abſurda, quæ proprijs locis ab omnibus Theologis, extra Scholam Subtilis Doctoris, reijciuntur. Deinde, ijs vltro permiſsis, negari non poteſt, quod fide ſanctum eſt, Filium Dei præ alia Trinitatis perſona redemiſſe genus humanum, ſatisfeciſſe, meruiſſe ſalutem noſtram. Hoc autem ſpecialiter de Filio Dei, ſeu Verbo divino, verificari non poteſt, niſi operationes meritoriæ & ſatisfactoriæ Chriſti ſpecialiter in ipſum refundantur tanquam in perſonam operantem. Nam alioqui, & ſeclu ſo perſonali Verbi influxu, eæ omnes actiones meritoriæ ac ſatisfactoriæ æqualiter & indiviſim à tota Trinitate procedunt. Ergo vt verificetur Filium Dei præ alia Trinitatis perſona redemiſſe genus humanum, ſatisfeciſſe, ac meruiſſe ſalutē noſtram, neceſſum eſt refundere in illum ſpecialiter eas actiones ratione influxus perſonalis. At hic ſtare nequit, ſi id quod ſupplet perſona Verbi in humanitate Chriſti eſt mera negatio vnionis, & non aliqua perſonalitas poſitiva, alioqui in operationes eiuſdem humanitatis influxura, vt ſuperiùs probatum eſt. Ergo id quod ſupplet Verbum in humanitate Chriſti, non eſt pura negatio vnionis, ſed aliqua perſonalitas poſitiva, alioqui influxura in humanitatis operationes.

44 CONTRA II. Ideo enim operationes meritoriæ iuſtorum & ſatisfactoriæ non magis tribuuntur Filio Dei, quàm Patri, & Spiritui ſancto, quia in illas ſolùm concurrit Filius per omnipotentiam communem tribus perſonis, non verò per ſuppoſitalitatem propriam, ſeu perſonalitatem, vt ab alijs duabus diſtinctam, Sed etiam iuxta ſolutionem datam Filius in operationes humanitatis non concurrit per propriam perſonalitatem, vt ab alijs duabus Patris & Spiritus ſancti diſtinctam; ſed ſolùm per omnipotentiam communem tribus perſonis. Ergo operationes meritoriæ & ſatisfactoriæ Chriſti, non magis tribuuntur Filio Dei, iuxta ſolutionem datam, quàm Patri & Spiritui ſancto. Quare nec magis dicetur Filius Dei oraſſe, ieiunaſſe, doluiſſe, & mortem ſubijſſe pro nobis, quàm Pater & Spiritus ſanctus, quod ab omni veritate & ſenſu Catholico, quam alienum ſit, nemo non viderit; cùm eæ operationes & paſsiones ſoli Filio adſcribantur.

45 CONTRA II. Argumentum præcipuum. Si enim perſona divini Verbi non ſupplet in humanitate Chriſti aliquid poſitivum, ſed ſolam negationem vnionis, nulla erit ratio, cur Virgo Beata verè ac propriè dicatur *Theotocos*, ſeu *Deipara* vt in eadem Epheſina Synodo definitur contra impium Neſtorium, qui eamdem ſolùm *Chriſtotocon*, ſeu *Chriſtiparam* appellandam aiebat, vt habetur in epiſt. 2. eiuſdem Neſtorij ad Cyrillum, aientis: ὡς καλεῖσθαι κατ' ἀκριβεσ τέραν προσηγόριαν, τὴν ἁγίαν παρθένον, χριστοτόκον, οὐ θεοτόκον: *ſi diligentiùs nomen imponere volumus, ſanctam Virginem vocandam eſſe Chriſtiparam, non Deiparam.* Quare in pœnam eius impudentiſsimæ blaſphemiæ miſerrimè obijcit, impiâ linguâ vermibus exesâ, vt ſacri Hiſtorici fidem faciunt. Sequela autem probatur: Quia vt B. Virgo verè ac propriè dicatur *Deipara*, neceſſariò requiritur quòd non ſolùm humanitatem Chriſti genuerit, ſed etiam ipſum divinū Verbum, prout ſupplens in humanitate id quod à Matre alioqui, & extra myſterium Incarnationis, generandum erat. At ſi Verbum in humanitate non ſupplet aliquid poſitivum, ſed ſolam negationem vnionis, Virgo ſolùm genuit humanitatem Chriſti, non autem ipſum divinum Verbum, prout ſupplēs in humanitate id, quod à Matre alioqui, & extra Incarnationis myſterium, generandum erat. Ergo ſi Verbum in humanitate nō ſupplet aliquid poſitivum, ſed ſolam negationem vnionis, Beata Virgo non fuiſſet verè & propriè Deipara, ſed ſolùm Chriſtipara. Maior ex terminis patet, & communis conſenſus Patrum eſt, quos allegat Petavius lib. 5. de Incarnat. cap. 19. Minor probatur: Quia à Matre alioqui, & extra myſterium Incarnationis, non erat generanda in humanitate Chriſti negatio vnionis, quæ nihil eſt, & nullam actionē productivam terminare poteſt; ſed ſolùm aliquid poſitivum, quod capax generationis eſt. Igitur ſi Verbum in humanitate non ſupplet aliquid poſitivum, ſed ſolam negationem vnionis, Beata Virgo ſolùm

genuit

genuit humanitatem Chriſti; non autem divinum Verbum, prout ſuplens in humanitate id, quod alioqui, & extra myſteriũ Incarnationis, à Matre generandum erat. Si enim id, pro quo aſſeritur ſolùm ſubſtituiſſe Verbum, non erat capax generationis; quomodo Verbum prout ſubſtituens pro illo generaretur?

46 QVARTO Denique impugnatur opinio Scoti. Id, ratione cuius repugnat formaliter ſuppoſito creato facere vnum per ſe cum alio ſuppoſito, conſtituit illud formaliter in ratione ſubſiſtentis. Sed ratione alicuius poſitivi repugnat formaliter ſuppoſito creato facere vnum per ſe cum alio ſuppoſito. Ergo ſuppoſitum creatum conſtituitur formaliter in ratione ſubſiſtentis per aliquid poſitivum. Conſequentia eſt optima, & maior certa; tum quia is eſt effectus formalis proprius ſubſiſtentiæ, ſaltem creatæ, adhuc in opinione Scoti: tum quia ſuppoſitum creatum conſtituitur formaliter in ratione ſubſiſtentis per id, quo vltimò perficitur ac completur in genere ſubſtantiæ; atque adeò per id quo redditur incapax componendi vnum per ſe cum alio in eodem genere: tum denique à pari differentiæ individuæ conſiſtentis in illo, ratione cuius formaliter repugnat naturæ componere vnum per ſe cum alterâ naturâ individuâ. Ergo ſimiliter id, ratione cuius repugnat formaliter ſuppoſito creato componere vnum per ſe cum alio ſuppoſito ſeu ſubſiſtente, conſtituit ipſum formaliter in ratione ſuppoſiti, ſeu ſubſiſtentis. Iam minor Illa præcipua probatur: Quia in quolibet ſuppoſito creato repugnantia formalis ad conſtituendum vnum per ſe cum alio ſuppoſito creato, eſt negatio, ſeu carentia, quæ proinde fundari debet in aliquo poſitivo. Ideo repugnantia eſſendi in alio vt ſubiecto inhæſionis, quæ convenit omni ſubſtantiæ, fundatur in *perfeitate*, quæ quid poſitivum eſt; & repugnantia hinniendi convenit homini formaliter vi rationalitatis, quæ eſt aliquid poſitivum; ac demum omnis duarum entitatum incompoſsibilitas convenit iis formalier ratione alicuius poſitivi in quo fundatur. Deinde id ipſum extorquetur à priori: quia aſsignari debet ratio formalis, qua duo aliqua entia poſitiva importent repugnantiam coniunctionis ſubſtantialis inter ſe: & hæc ratio formalis non eſt ipſa repugnantia, ſive carentia: aliàs reſponderetur idem per idem: atque adeò debet conſiſtere in aliquo poſitivo fundante ipſam carentiam, ſive repugnantiam. Igitur de primo ad vltimum ratione alicuius poſitivi repugnat formaliter ſuppoſito creato vt faciat, ſeu conſtituat vnum per ſe cum alio ſuppoſito creato. VRGETVR I. Hæc ipſa conſideratio, & præcluduntur obiter Aduerſariorum evaſiones. Licèt enim fortaſsis poſsit eſſe privatio, quæ nõ fundetur in aliqua forma poſitiva incompoſsibili, vt privatio viſionis beatificæ; & carentia, quæ non fundetur in aliquo poſitivo repugnante alicui certo effectui, vt carentia lucis in aere: neutra tamen earum eſt negatio per modum repugnantiæ, ſeu contrarietatis cùm abſolutè loquendo omnis creatura rationalis ſecundùm nulla prædicata poſitiva, quatenus talia, habeat repugnantiam ad videndum Deum, nec aer ad lucem recipiendam. Carentia autem conſtituendi vnum per ſe cum ſuppoſito extraneo convenit cuilibet ſubſtantiæ creatæ ſubſiſtenti, quatenus tali, per modum negationis, ſive repugnantiæ: quoniam natura creata, v.g. humanitas quatenus ſubſiſtens, eſt vltimò completa ac terminata intra proprium genus: ac proinde incapax omnino componẽdi vnum per ſe cum ſubſiſtente extraneo, vel recipiendi aliquod complementum ſubſtantiale ab illo. Ergo eiuſmodi negationis aliqua ratio à priori aſsignari debet. Cumque hæc nequeat eſſe pura carentia (alioqui vna carentia fundaretur in alia, & de hac rediret idem argumentum, eſſetque in infinitum progreſſio) debet conſiſtere in aliquo poſitivo. VRGETVR II. Suppoſito creato repugnat conſtituere vnum per ſe ſubſtantiale cum alio ſuppoſito, quoniam vtrumque eſt vltimò complerum intra genus ſubſtantiæ. At neutrum completur intra genus ſubſtantiæ per negationem, ſed per aliquid poſitivum: quia negatio, ſive carentia, vt in Scholis loquimur, vniverſè, cùm non ſit ens, nec ſubſtantia, nequit ſubſtantialiter complere aliquid. Ergo vtrumque ſuppoſitum creatum completur vltimò per aliquid poſitivum. Quod ſi verò reſpondeas cum aliquibus Recentiorum, poſſe negationem cõplere ſubſiſtens in ratione talis, quia non ingreditur in recto, ſed in obliquo, rectum autem eſt natura ſola; contrà eſt, quòd vltimum completivum ſubſtantiæ, quatenus tale, debet eſſe intra ipſius genus. At id quod appellas connotatum, eſt vltimum completivum ſubſtantiæ. Ergo debet eſſe intra illius genus, quod repugnat negationi. Deinde, ſic etiam dicere poſſes cum quibuſdam veterum reiectis à Durando, ſubſiſtentiam eſſe accidens, quia non conſtituit ſuppoſitum in recto, ſed de connotato ſolùm. Id verò eſt abſurdum iuxta omnes. VRGETVR III. Ariſtoteles enim cap. de ſubſtantia in Categorijs docet, primam ſubſtantiam, id eſt, individuam & ſubſiſtentem, eſſe magis ſubſtantiam, quàm ſecundam. At non eſſet magis ſubſtantia, ſi ſolùm adderet negationem vnionis, quæ certè non eſt ſubſtantia, ſed merum non eſſe: ſicut nulla res poteſt eſſe magis lucida aut alba, quàm alia, ratione alicuius negatio-

gationis, quæ eſt carentia entitatis, proindeque lucis & albedinis. Ergo ſubſtantia prima, ſive individua & ſubſiſtens, ſuprà ſecundam, non addit ſolam negationem vnionis. Debet ergo addere priùs aliquid poſitivum, quo compleatur, & ſit aliquid magis intra genus ſubſtantiæ.

47 PORRO Argumenta & rationes pro noſtra ſententia ita hactenus propoſuimus, vt præcludant evaſiones Recentiorum propugnantium oppoſitam, quamvis non omnes illas produxerimus in medium. Nimirum, cùm ea omnia ferè quæ hactenus diximus tota diſputatione, iam à nobis edita fuiſſent primùm anno M.DC.LXXV. in ijs omnibus Authoribus qui poſtea aliquid ſcripſerunt, aut ediderunt, nihil invenimus, quod ijſdem impugnationibus non fuerit præoccupatum, & ſatis rejectum. Supereſt itaque ad alia pergere, quæ tunc aut leviter ſolùm, aut nullo modo à nobis tractata ſunt.

SECTIO QVINTA.

Statuitur vera & communis ferè ſententia complens naturam creatam per ſubſiſtentiam poſitivè additam. Varij modi dicendi, quibus illa exponi ſolet, refelluntur. Noſtra ea de re opinio ſtabilitur & explanatur.

48 REIECTIS Itaque Durandi, & Scoti opinionibus, etiam prout defendi aut exponi ſolent à Recentioribus, ſupereſt dicere, ſubſiſtentiam in rebus creatis eſſe aliquid poſitivè ſuperadditum naturæ ſubſtantiali, quo compleatur intra proprium genus, & vltimò terminetur. Ita Authores tertiæ ſententiæ relati num 8. quibus præivit Angelicus Præceptor Quodlibeto 2. q. 2. a. 4. vbi vniversè docet in ſolo Deo ſuppoſitum non diſtingui à natura. Quod de diſtinctione reali debet intelligi: nam loquendo de virtuali, aut rationis, certum eſt in Deo ſuppoſitum à natura diſtingui. Ergo ſuppoſitum in creatis diſtinguitur realiter à natura, ac proinde addit aliquid reipſa ſupra illam. Porrò id quod addit, non eſſe puram negationem, vt ſecunda ſententia vult, tradit idem S.Doct. in 1. diſt. 25. q. art. 2. ad 1. & art. 3. corpore, vbi poſtquam retulit ſententiam aſſerentium, perſonam importare aliquid commune perſonis ſecundùm negationem, ſubiungit: *Sed hoc non videtur ſufficiens: quia perſona de ratione ſua non dicit negationem tantum, ſed etiam poſitionem quandam.* Nimirum, aliquid poſitivum ſupra naturam. Verùm expreſſiora longè teſtimonia ſunt, quæ in medium proferemus Diſp. ſequenti ſect. 3. ad probandum ex ipſo S.Doctore, tum omnem naturam ſubſtantialem in creatis facere compoſitionem realem cum exiſtentia per ſe; tum hanc eſſe prorſus indiſtinctam à ſubſiſtentia, quidquid plerique alij, etiam ex Thomiſtis, negent. Inde enim palam evincitur, quemadmodum ex mente S.Doctoris exiſtentia naturæ ſubſtantialis creatæ eſt aliquid ipſi poſitivè ac reipſa additum; ita etiam ſubſiſtentiam. Et certè niſi ea teſtimonia pro nobis haberemus, difficillimè probari poſſet, D. Thomam hoc ſecundum docuiſſe, præſertim in Angelis: vt patet apud Godoy 1. p. d. 80. §. 2. per totum, vbi plurimum laborat in ſolvendis teſtimonijs S. Doctoris ſibi obiectis, in quibus videtur omnem modum ſubſiſtentiæ additum ſupra naturam, ſaltem angelicam, reieciſſe. Porrò Aſſertionis noſtræ probatio præcipua ſatis iam & ſæpè propoſita fuit dum impugnaremus opiniones Durandi & Scoti. Summa verò illius hæc ferè eſt. Separatio realis eſt ſignum manifeſtum diſtinctionis realis: cùm lumine naturæ ſit notum, nullam rem poſſe ſeparari à ſeipſa. Atqui natura humana Chriſti (eademque eſt ratio de alijs) ſeparatur realiter à propria ſubſiſtentia; vt ſatis ſuprà probatum eſt. Alioqui enim non fuiſſet vnita Verbo ſubſtantialiter, & in vnitatem perſonæ. Ergo natura humana Chriſti diſtinguitur reipſa à propria ſubſiſtentia. Vrgetur. Ex natura humana & divina completis ſecundùm omnia prædicata poſitiva ac realia, nequit reſultare vnum aliquod tertium ſubſtantiale in eſſe naturæ; nec locus eſt vt humana per vnionem ad divinam deſinat eſſe completa in ratione naturæ. Ergo ex perſona humana & divina completis ſecundùm omnia prædicata poſitiva, ac realia, non poteſt reſultare vnum tertium ſubſtantiale in eſſe perſonæ; nec locus eſt, vt humana per vnionem ad divinam deſinat eſſe completa in ratione perſonæ. Ergo completur in ratione perſonæ per aliquid reipſa additum. Plures evaſiones, quæ occurrere poterant, ex iam dictis præcludes. Lege præterea Godoy vbi ſuprà §. 1.

49 QVIA Verò vna ex præcipuis difficultatibus noſtræ ſententiæ eſt explorare, quiſnam ſit effectus formalis ac proprius ſubſiſtentiæ reipſa additæ, ne videatur fruſtra exiſtere illa in natura rerum; oportet varios dicendi modos recenſere, & de ijs iudicium breviter ferre, vt ad aperiendum denique ſenſum noſtrum deveniamus.

50 PRIMO, Et ſatis frequenter, plerique ex Thomiſtis eum Caietano volunt ſubſiſtentiam eſſe modum quendam ſubſtantialem naturæ additum immediatè, vt per illum conſtituatur proximè ſuſceptiva alterius actus vlti-

vltimi, qui eſt exiſtentia; & incommunicabilis alteri, tanquam ſuppoſito. Eidem dicendi modo ſubſcribit Godoy loco allegato à num. 120. Verùm priorem illius partem, in qua ij Authores diſtinguunt reipſa ſubſiſtentiam ab exiſtentia ſubſtantiæ, contrariam eſſe D. Angelico, & rationi, ac minimè cohærentem ipſorum principijs, oſtendam ex profeſſo Diſp. ſequenti per totam. Nunc ſufficiat hoc breviter obſervaſſe, quòd inſtituta comparatione inter exiſtentiam, & ſubſiſtentiam, non illa, ſed hęc debeat cenſeri actus vltimus: quia ſubſiſtentia reſpondet gradui ſubſtantiæ, qui eſt magis determinatus, quàm gradus entis, cui reſpondet exiſtentia. Sic, & ob eandem rationem vltima actualitas hominis intra genus vitæ non eſt vegetatio, aut ſenſio, ſed ratiocinatio. Repugnat igitur vltimam naturæ ſubſtantialis actualitatem eſſe exiſtentiam, & non potiùs ſubſiſtentiam. Vide ibi præſertim num. 34.

51 SECVNDO Alij docent, ſubſiſtentiam creatam conſiſtere in actione, qua natura ipſa producitur; ſive ea ſit creatio, vt in Angelo, ſive generatio aut eductio, vt in ſuppoſito materiali. Sed hoc reijcitur multiplici-ter. *Primò*: quia perſonalitas, ſive ſubſiſtentia Angeli, nequit conſiſtere in ipſa creatione, ſive hæc activè ſumatur, ſive paſsivè. Non primum: quia vt vidimus & docuimus cum Anſelmo Tomo I. Diſp. XIX. per totam, creatio activa, immo & quælibet actio Dei ad extra, eſt indiſtincta ab ipſius ſubſtantia, & proinde extrinſeca rebus. Patet verò, ſubſiſtentiam Angeli eſſe aliquid creatum, & intrinſecum Angelo. Ergo hæc non conſiſtit in creatione activè ſumpta. Sed nec paſsivè: quia creatio Angeli paſsivè ſumpta, eſt ipſa ſubſtantia Angeli creata: & propterea D. Thom. 1. p. q. 45. art. 3. docet creationem nihil importare ſupra ſubſtantiam creatam, niſi ſolam relationem. Atqui iuxta prædictos Authores, ſubſiſtentia Angeli eſt reipſa diſtincta ab illius ſubſtantia. Non ergo eſt vnum & idem cum creatione Angeli paſsivè ſumpta. *Secundò*: Quælibet actio eductiva, aut generativa ſubſtantiæ materialis, eſt accidens: vtpotè actio prædicamentalis. Ergo debet eſſe prorſus diſtincta à ſubſiſtentia, quæ eſt aliquid ſubſtantiale; veluti complens ſubſtantiam intra proprium genus. *Tertiò*: Vt omittam plurima alia, nulla actio productiva identificatur cum termino per illam producto, cùm ſit cauſalitas huius efficiens. At quælibet actio productiva ſubſtantiæ, eſt etiam productiva ſubſiſtentiæ, ſicut exiſtentiæ connaturalis ipſi. Ergo nulla actio productiva ſubſtantiæ identificatur cum illius ſubſiſtentia, aut connaturali exiſtentia. Vide quę diximus Diſp. allegata ſect. vlt. quorum multa huc advocari poſſunt.

52 TERTIO Suarez, & frequenter alij ex Societate, aiunt ſubſiſtentiam eſſe modum ſuperadditum naturæ iam exiſtenti per ſuam entitatem, quo illa reddatur terminata, & incommunicabilis alteri vt ſuppoſito. Verùm hoc reijcitur multiplici nomine. *Primò*: Quia, vt conſtabit Diſp. ſequenti, idem prorſus eſt, naturam ſubſtantialem, vt condiſtinctam ab accidenti, exiſtere per ſe, ac ſubſiſtere. Neque enim vel apud Anſelmum ſupra cap. 5. alioſque Patres, vel etiam Scholaſticos Veteres, eſt quidquam aliud ſubſiſtere, quàm per ſe exiſtere. At iuxta prædictos Recentiores natura ſubſtantialis creata per ſuam entitatem, ſive per ſe exiſtit, & abſque modo vllo ſuperaddito. Ergo pariter ac ſimiliter per ſuam entitatem ſubſiſtit, & abſque vllo modo ſuperaddito. *Secundò*: Quia natura ſubſtantialis lapidis v.g. coaleſcens ex materia & forma vnitis, poſtquam ſemel exiſtit perſe, videtur habere vltimum complementum, quod habere poteſt intra genus ſubſtantiæ. Ergo per illud ipſum in re poſitum, ſive in ſingulari, & independenter ab omni ſubſiſtentia ſuperaddita, redditur incommunicabilis alteri ſuppoſito, ſive ſubſiſtenti. *Tertiò*: Probabile eſt, etiam iuxta eos Authores, naturam creatam iam hypoſtaticè ſemel terminatam per ſubſiſtentiam Verbi, adhuc in ſenſu compoſito, poſſe terminari per ſubſiſtentiam, ſeu perſonam Patris, ac Spiritus ſancti. Ergo non eſt de ratione ſubſiſtentiæ reddere naturam prorſus incommunicabilem alteri, vt ſuppoſito, niſi præterea aliquid aliud addatur, de quo infrà præſertim num. 58.

53 RELECTIS Itaque ijs & alijs dicendi modis, aſſerendum eſt, effectum formalem ac proprium ſubſiſtentiæ, ſuperadditum naturæ ſubſtantiali realiter in creatis, & penes expreſsionem in divinis, in eo ſitum eſſe, vt reddat totum ſubſtantiale per ſe exiſtens, ac proinde completum in vltimo actu intra genus ſubſtantiæ. Ex quo effectu primario ac poſitivo reſultare intelligitur alius negativus (eſſentialiter tamen cõnexus) conſtituendi naturam incapacem complementi vlteriori, ſeu vnionis ſubſtantialis ad aliud ſubſiſtens, ſaltem naturæ extraneæ. Dixi, *naturæ extraneæ*: quia licèt ſubſiſtentia creata iam ſingulari, & individua reddat naturam prorſus & incommunicabilem omni alteri ſuppoſito, abſque exceptione vlla: divina tamen ſubſiſtentia, præſertim abſoluta (quã aſſeremus Diſp. LXXVII. ſect. 2. & 3.) non reddit naturam Dei incommunicabilem pluribus ſuppoſitis, ſed ſolùm cuilibet ſubſiſtenti extraneo. Supponitur verò in hac ipſa doctrina quædam alia à nobis latè ſtatura in Phyſica diſp. 10. de diſtinctione realj inter omnem eſſentiam creatam & eius exi-

exiſtentiam, atque ibidem latè probata, præſertim ſect. 2. ex eo quòd exiſtentia ſit actus vltimus rei in genere entis; nulla verò res creata poſsit identificare ſuum actum vltimum in genere entis: ſicut nullum agens creatum poteſt identificare ſuum actum vltimum in linea operandi. Hæc autem ratio pariter probat, nullã creatam ſubſtantiam poſſe identificare ſuum actum vltimum intra genus proprium ſubſtantiæ. Actus autem vltimus ſubſtantiæ intra proprium genus, eſt exiſtentia per ſe; vtpotè contrapoſitus actui vltimo accidentis, vt talis, qui eſt inexiſtentia, ſive exiſtentia in alio, veluti ſubiecto inhæſionis. Exiſtere autem per ſe, idẽ omnino eſt, ac ſubſiſtere, ex communi ſenſu SS. Patrum, vt videbimus Diſp. ſeq. præſertim num. 4 & vtrumque quidem nihil aliud ſignificat, quàm ſubſtantiam eſſe completam in ſuo vltimo actu intra proprium genus, ac proinde incapacem vlterioris vel extranei complementi ſubſtantialis. Ergo de primo ad vltimum oportet, vt ſubſiſtentia diſtinguatur reipſa à ſubſtantia creata, & ex primario munere conſtituat illam exiſtentem per ſe; ac ſubinde & conſequenter incapacem vlterioris complemẽti per aliud ſubſiſtens, ſaltem extraneum, intra genus ſubſtantiæ.

54 OPPONIT Godoy 1 p. diſp. 80. num. 116. Probabile eſt, humanitatem Chriſti retinere propriam exiſtentiam: & certum fide eſt, illam non retinere ſubſiſtentiam propriam. Ergo hæc non eſt vnum & idem cũ exiſtentia illius. Alioqui enim veritas aliqua fidei penderet à veritate opinionis probabilis. RESP. nos nullatenus reddere dependentem veritatem illam fidei à certitudine aut veritate alicuius opinionis increatæ: quoniam in omni eventu verum ac certum omnino ſupponimus, humanitatem Chriſti Verbo coniunctam hypoſtaticè non eſſe perſonam humanam, aut creatam, ac proinde non retinere perſonalitatem propriam. Verùm ea veritate ſuppoſita, ſtatuimus, aut etiam ſupponimus veluti veriorem, ſententiam D. Thom. quæ docet, humanitatem Chriſti exiſtere, non per propriam, ſed ſolius Verbi exiſtentiam. Cumque iuxta noſtrum dicendi modum exiſtentia naturæ creatæ ſubſtantialis ſit eadem, ac ſubſiſtentia; ſicuti in Chriſto iuxta fidem negamus ſubſiſtentiam creatam, ita etiam probabiliùs & conſequentiùs ad Catholicam doctrinam, negamus in ipſo creatam exiſtentiam, quæ profectò vnũ & idem eſſet cum ſubſiſtentia. Sic etiam paſſim Theologi veritates ipſas fidei, v. g conſtitutionis perſonarum divinarum, aut generationis Verbi, exponunt iuxta ſententiam ſibi probabiliorem, quin ab huius veritate aut falſitate in re dependeat veritas fidei. Alias impugnationes eiuſdem Authoris videbimus Diſput. ſequenti. Nunc obiter nota, ipſum volentem nolentem nobis in hac parte ſuffragari; nam Diſp. 84. num. 21 probat in Deo eſſe ſubſiſtentiam abſolutam pro priori ad perſonas, quia divina eſſentia pro priori ad illas exiſtit per ſe & perfectiſsimo modo, ac proinde ſubſiſtit: quoniam ſubſiſtere eſt exiſtere per ſe. Iam ergo fatetur ſubſiſtentiam eſſe vnum & idem cum exiſtentia per ſe. Similiter ibid. n. 25. fine ait: *Subſiſtentia in perfectate exiſtendi conſiſtit.* Quid clarius?

55 OPPONVNT Alij. Si exiſtere per ſe eſſet effectus proprius ſubſiſtentiæ creatę, non ſuppleretur à ſubſiſtentia Verbi. Hæc enim non conſtituit humanam Chriſti naturã per ſe exiſtentem; cùm exiſtat ſolùm in alio, nimirum, in perſona Verbi. Sic etiam nec illa eſt principium *quod* operationum, quamvis vniatur ſubſiſtentiæ Verbi: quoniam hoc eſt proprium ſuppoſiti, ſive perſonæ. Ergo exiſtere per ſe naturam, non eſt effectus proprius ſubſiſtentiæ creatæ.

56 HVIVS Obiectionis Authores, quantum capio, hallucinantur. Nunquam enim humanitas, ne quidem vbi propriam ſubſiſtentiam habet, vt in nobis, exiſtit per ſe, ſed in alio: hoc eſt in ſuppoſito, ſeu perſona, quæ ſola per ſe exiſtit. Nimirum, humanitas eſt pars compoſiti reſultantis ex ipſa, & ex ſubſiſtentia, aut perſonalitate addita, quod appellatur & eſt ſuppoſitum & perſona. Pars autem non exiſtit per ſe, ſed in toto ſuo integro & completo, quod ſolum habet eſſe per ſe. Quid ergo mirum quòd humanitas Chriſti hypoſtaticè vnita Verbo non exiſtat per ſe, nec ſubſiſtat, ſed ſolùm in Verbo ipſo, cuius veluti pars eſt? Eodem ſenſu non humanitas, ſed ſuppoſitum per ſe exiſtens, eſt principium *quod* operationum: vt Philoſophis ac Theologis paſsim in ore eſt.

57 VERVM Vt ſententia noſtra penitiùs intelligatur, obſervandum eſt, ſubſiſtentiam poſſe multipliciter conſiderari. *Primò* & valde communiter, prout eſt actualitas ſubſtantiæ abſtrahentis à completa & incompleta; id eſt, ſumptæ per modum tranſcendentis, & cõtrapoſitæ accidenti in communi. Sub hac conſideratione ſubſiſtentia eſt idem omnino re & ratione, ac exiſtentia per ſe, excludens ſubinde dependentiam ab alio vt ſubiecto inhæſionis, ſive inexiſtentiæ. Hoc ſenſu ſubſiſtentia non ſolùm convenit toti ſubſtantiali, & cuilibet ſuppoſito, aut perſonæ: ſed etiam partibus quibuſlibet compoſiti ſubſtantialis: quoniam etiã illæ ſubſiſtunt & exiſtũt per ſe in ſuo toto, ſive ſuppoſito, ea perfectate, quæ excludit inexiſtentiam accidentalem, ſive dependentiam ab alio, vt ſubiecto inhæſionis, propriam acci-

den-

dentium: non tamen ea *perfeitate*, quę excludit esse in alio, tanquam formam in subiecto eiusdem generis; aut tanquam partem propriè dictam in toto. *Secundò* accipitur subsistentia quasi prædicamentaliter, quatenus complet rationem genericam substantiæ prędicamentalis. Hæc enim ponitur directè in prædicamento, atque adeò tanquam completa per subsistentiã communiter dictam. Quo sensu totum illud, sive subsistens, aut existens per se, nondum cõstituitur incommunicabile pluribus: sed adhuc manet communicabile, tum generibus intermedijs aut infimis, tum speciebus, tum individuis, & suppositis singularibus: vt patet in substantia completa & prædicamentali, quæ ab ijs omnibus contrahitur, veluti ratio communis. Itaque subsistentia in hac secunda consideratione supra primã illam, solùm addit complementum in ratione communi: non verò repugnantiam ad plura, nec independentiã à supposito, vt sustentante, vel habente. Etenim secundæ substantiæ (quales sunt omnes rationes communes & prædicamentales substantiarum) iuxta Arist. & reliquos Philosophos, censentur esse in primis substantijs, id est individuis, singularibus, & suppositis, atque in ij sustentari. *Tertiò* accipitur subsistentia in singulari iam & sub vltima determinatione, qua afficit in exercitio naturam substantialem completam in sua specie & individuam. Hoc sensu dumtaxat intelligitur constituere & complere subsistens singulare. Quod, si sit creatum, redditur prorsus incommunicabile alteri cuilibet subsistenti, absque exceptione vlla: & similiter natura creata, quatenus affecta eiusmodi subsistentia singulari, constituitur in sensu cõposito prorsus incommunicabilis alteri cuilibet subsistenti: quoniam ex duobus substantijs singularibus & completis vltimo actu, qualis est subsistentia eiusmodi, nequit omnino consurgere vnum substantiale per se. Si atem natura & substantia singularis sit increata, non constituitur ex ijs subsistens incommunicabile simpliciter pluribus, sed solùm subsistenti extraneo. Quod addimus propter naturam diuinam, quæ adhuc terminata per subsistentiam singularem & absolutam (iuxta sententiam frequentiorem) ratione infinitatis & summæ fœcunditatis suæ manet communicabilis tribus subsistentibus, sive suppositis; non tamen extraneis, sed intraneis sibi. Idemque est de eadem natura iuxta sententiam ferè communem (quamvis iudicio nostro minùs probabilem) quæ singulis personis diuinis adscribit singulas peculiares ac relativas subsistentias. Divinitas enim, quamvis terminata per vnam ex ijs, non ideo redditur incommunicabilis alijs duobus subsistentibus, sive suppositis, aut personis: sed adhuc ijs communis manet. Ergo nec subsistentia absoluta, nec relativa (quamvis ambæ in Deo supponãtur) reddunt naturam divinam incommunicabilẽ pluribus subsistentibus, sive suppositis, aut personis; sed solùm extraneis. Et ratio est: quia sola natura divina, propter infinitatem ac summam fœcunditatẽ suam habet esse indivisim in tribus personis: ac proinde redditur omnino incommunicabilis cuilibet supposito aut personæ extraneæ. Ex pluribus enim rebus vltimum complementum habentibus, nequit consurgere vnum per se substantiale.

58 QVARE Colligendo breviter quæ hactenus explicuimus, effectus formalis subsistentiæ transcendenter acceptæ, est vt substantiam reddat per se existentem, ea *perfeitate*, quæ excludit subiectum in hæsionis, vel inexistentię propriæ accidentis. Effectus subsistentiæ prædicamentalis est, vt substantiam genericè aut communiter acceptã reddat per se ac completè existentem, existentiâ pariter communi, & in actu signato, vt aiunt, quæ nondum importat repugnantiam communitatis ad plura. Effectus subsistentiæ singularis circa naturam individuã est, ita terminare illam & cõplere intra totam rationem substantiæ per se existentis, vt reddat illam incommunicabilem substantialiter alteri cuilibet subsistenti, saltẽ extraneo. Cuique relatè ad subsistens creatum omne aliud subsistens sit extraneum, vt patet; & relatè ad subsistens divinum sit extraneum omne aliud subsistens, nisi divinum; consequens est, vt subsistentia singularis, abstrahendo à Deo & creaturis, sit illa actualitas existendi per se, quæ constituit naturam incõmunicabilem alteri per se existenti, sive subsistenti extraneo. Nam quod est vltimò completum intra genus substãtiæ, non est capax complementi vlterioris extranei.

59 VNDE Corruunt facilè impugnationes multæ à Recentioribus excogitatæ contra subsistentiam naturæ creatæ superadditam positivè; quasi nullus effectus formalis, & proprius ipsi adscribatur, nec à Caietano, aut alijs Thomistis, nec à Suario, aut Vasquio, alijsque pluribus. Quidquid enim sit de modis dicendi aliorum, hic noster, latè confirmandus Disp ventura, & duabus sequentibus, præoccupat omnes pene difficultates in oppositum. Sed vt id luculentiùs pateat, oportebit præcipuas illarum obijcere ac dissoluere,

SECTIO SEXTA.

Difficultates quædam aduersus nostrum dicendi modum obiectæ, solutæ.

60 OBIICIES 1. Non videtur effectus proprius subsistẽtiæ, adhuc singularis & individuæ, vt reddat naturam sive

rem incommunicabilẽ alteri ſubſiſtenti. *Primò* enim, natura divina terminata per ſingularem ſubſiſtentiam abſolutam, ſive relativam Patris, adhuc manet communicabilis alijs duobus ſubſiſtentibus, nimirum Filio, & Spiritui ſancto. *Secundò*. Iuxta ſententiam probabilem, natura humana terminata per propriam Verbi ſubſiſtentiam, adhuc poteſt ſimul hypoſtaticè vniri duobus alijs ſubſiſtentibus, ſeu perſonis divinis. *Tertiò*. Anima rationalis ſeparata, & ſingulariter ſubſiſtens, adhuc poteſt vniri & ſubſtantialiter compleri per materiam in rerum natura ſubſiſtentem. RESP. nihil horum obſtare doctrinæ traditæ. Non primum: quia non eſt naturæ divinæ extranea aliqua ex tribus perſonis, ſive ſubſiſtentibus. Subſiſtentia autem ſolùm exigit reddere naturam incommunicabilem ſubſiſtenti extraneo. Non ſecundum: quia nullum ſubſiſtens divinum eſt extraneum alijs duobus, ſed potiùs intraneum ob identitatem eiuſdem numero naturæ, & circumincſſionem. Non denique tertium: in primis, quoniam manifeſtum eſt, materiam primam non eſſe ſubſtantiã extraneam animæ ſeparatæ, ſed connaturale complementum ab ea exactum. Alioqui incideremus in errorem Platonis, qui animã ſolùm extrinſecus corpori aſſiſtentem docuit, ſicuti nauclerum navi. Præterea, cùm noſtra opinione materia non habeat propriã ſubſiſtentiã, ſicu nec exiſtentiam, ſed illã accipiat à forma, & ambæ partes ſubſiſtant per vnicã ſubſiſtentiã totius, conveniente ipſi ratione formæ; nunquam, ne in ſpeciẽ quidẽ, colligitur animã ſubſiſtentem cõmunicari alicui ſubſiſtenti per ſe: quoniam, nimirum materia creata nunquam per ſe ſubſiſtit. Sic etiam nec perſona Verbi divini per Incarnationẽ cõmunicatur alicui per ſe exiſtenti aut ſubſiſtenti: quoniã natura humana Chriſti caret propria ſubſiſtẽtia ſive exiſtentia per ſe, & ſolũ exiſtit ac ſubſiſtit in Verbo, & per ipſius Verbi exiſtẽtiam ſubſiſtentiãque. Quod ſuppono ex cõmuni ſententia Thomiſtarũ cum Angel. D. 3 p. q. 2. a. 2. ad 2. & 3. & a. 5. ad 1. & q. 17. a. 2. & in 3 diſt. 5. q. 1. a. 3 vbi docet, in Chriſto eſſe vnicum eſſe, ſive vnicũ exiſtere, propriũ ſuppoſiti divini. Et Quodlib. 9. a. 3. ait, naturã humanam non habere in Chriſto propriũ eſſe. Idque conforme eſt Patribus, ac præſertim Sophronio in Epiſt. quæ habetur in VI. Syn. Act. 2. vbi docet, naturã humanã Chriſti habuiſſe vnicã exiſtentiam, ſive vt in Græco habetur, vnicã ſubſiſtẽtiam, aut exiſtentiã cum Verbo. Sic etiam Damaſc. lib. 3. de Fide c. 22. ait, humanitatem in Verbo exiſtentiam (quam ille πρὸς ὕπαρξιν appellat) habuiſſe.

61 OBIICIES II. Natura creata non habet aliquã entitatem incompletã, qua redditur prorſus incommunicabilis ijs accidentibus quæ nõ ſpectant ad naturale ipſius complemẽtum: v.g. donis ſupernaturalibus, aut viſioni beatificæ. Ergo nec habet aliquam entitatẽ incompletam ſubſiſtentiæ, qua reddatur prorſus incommunicabilis alteri ſubſtantiæ, per quam multo magis perfici poſsit, quàm per illa accidentaria dona.

62 RESP. Negando conſequentiam. Diparitas eſt manifeſta: quia dona accidentaria gratiæ nullam habent pugnam, ne connaturalẽ quidẽ, cum accidentibus connaturalibus naturæ rationalis, ſed potiùs illã elevant, & perficiunt intimè. Cæterũ natura ſubſtantialis conſtituta in vltimo actu eſſendi per ſe, non eſt vlteriùs complebilis ſubſtantialiter per aliam naturam vel ſubſtantiam, quantumvis ſublimẽ, & divinã: quoniã ex pluribus entibus in actu vltimo cõpletis, neutrũ eget alio ad ſui complemẽtum; ac proinde ſolũ poſſunt vniri per accidẽs, non autẽ conſtituere vnũ per ſe intra genus aut quaſi genus ſubſtantiæ, cuius *perfectas*, vt ita dicamus, eſt ſtricta, & prorſus exigens incompletionẽ ſaltẽ in altero extremorũ. Et ſanè ipſi Adverſarij tenentur eidem obiectioni ſatisfacere: quoniã natura creata non habet aliquid quo reddatur poſitivè & connaturaliter incommunicabilis accidentibus ſupernaturalibus: & tamen habet aliquid, quo reddatur poſitivè & cõnaturaliter incommunicabilis ſubſiſtentiæ ſupernaturali Verbi: cùm connaturaliter habeat ſubſiſtere per ſe ac ſeorſim. Ergo eadem diſparitas reddi poteſt circa incommunicabilitatem omnimodam & eſſentialem.

63 INSTANT Adverſarij proponentes hanc obiectionẽ, quam aiunt eſſe potiſsimã rationẽ à priori ſuæ opinionis. Ita enim loquitur doctiſsimus, & amiciſsimus M. Thyrſus to. 3. diſp. 27. ſect. 7. n. 20. vbi oppoſitã ſententiã acriter, & ſubtiliter tuetur poſt Bernal diſp. 24. de Incarn. ſect. 3. §. 1. & Spinul. diſp. vlt. Metaph. ſect. 4. qui duo contendunt incommunicabilitatẽ, quam præſtat ſubſtantia naturæ creatæ, non eſſe eſſentialem ſuppoſito, ſed ſummũ connaturalem, quæque poteſtate abſoluta Dei vinci poſsit. Summa verò argumenti hæc ferè eſt: Natura humana v. g. nequit ab intrinſeco exigere veluti proprietatẽ, aliquam entitatem incompletã, qua reddatur omnino incapax tanti boni, qualis eſt vnio cũ perſona Verbi. Ea enim exigentia eſſet maximè inordinata: cùm procul abomni ordine & ratione ſit averſari tantũ bonum, & illud omnino à ſe excludere, per aliquod impedimentũ eſſentialiter cum eo pugnãs. Ergo ſubſiſtentia naturæ creatæ non eſt aliqua entitas incompleta, vi cuius natura rationalis conſtituatur eſſentialiter ſeu divinitus incommunicabilis alteri cuilibet ſuppoſito,

etiam

etiam divino. Aſſumptum probat. Nam alioqui natura creata eſſet contraria divinæ : quod planè repugnat. Ideoque Auguſtinus lib. 12. de Civitate c. 2. ait: * Naturæ, quę ſummè eſt, qua faciente ſunt, quæcumque ſunt, contraria natura non eſt, niſi quæ non eſt. Ei quippe quod eſt, non eſſe contrarium eſt. Et propterea Deo, id eſt, ſummæ eſſentiæ, & Authori omnium quarumcumque eſſentiarum, eſſentia nulla cõtraria eſt. * Præterea lib. de Fide & Symbolo cap. 4. inquit : Nihil habet Deus contrarium. Si enim quæreretur à nobis, quid ſit albo cõtrarium; reſpondebimus, nigrum. Si quæreretur, quid ſit calido contrarium; reſpondebimus, frigidum. Si quæreretur, quid contrarium velocí; reſpondebimus, tardum. Cùm autem quæritur, quid ſit contrariũ ei, quod eſt; rectè reſpondetur, quod non eſt. * Huc ſpectat quod S. Agatho Papa in Epiſt. ad Imperatores contra hæreſim Monothelitarum, lecta & approbata in VI. Synodo Generali, inquit: * Ab eo (nimirum, à Verbo divino) humana voluntas, ſicut & natura ſuſcepta eſt, & ſalvata eſt : quod à ſuſceptore ſalvatum eſt, non poterat eſſe ipſi contrarium. Nihil enim ſibi conrrarium Creator omnium condidit, vel per myſterium Incarnationis aſſumpſit. * Si autem ſubſiſtentia naturæ creatæ eſſet entitas incompleta illam conſtituens incommunicabilem, adhuc divinitus, perſonæ increatæ; profectò ſubſiſtentia ipſa eſſet Deo contraria, quod repugnat rationi, & ijs teſtimonijs SS. Patrum.

64 CÆTERVM Adverſarij ipſi tenẽtur hanc pariter obiectionem ſolvere: cùm certum ſit, naturam creatam completè in rerum natura exiſtentem ſubſiſtentemque per ſe, exigere ſaltem connaturaliter, ne vniatur alteri ſuppoſito, etiam ſublimiori, immo & increato, vt iam non in ſeipſa ſubſiſtat, ſed in illo. Ergo natura creata completè in rerum natura ſubſiſtens, ſecundùm connaturalem exigentiam erit contraria Deo, ſi omne quod excludit vnionem hypoſtaticam cum perſona increata eſſet Deo contrarium, vt in obiectione aſſumitur. Deinde contrarius eſſet Deo actus fidei theologicæ, quo credimus Patrem æternum non fuiſſe incarnatum, nec vnquam fore incarnandum : quia ſtante veritate formali & obiectiva, ab ipſo actu eſſentialiter exacta, repugnat incarnatio Patris. Rurſus, iuxta ſententiam ſatis probabilem, quæ docet, eandem naturam creatam non poſſe hypoſtaticè ac ſimul vniri pluribus perſonis divinis, incarnatio Verbi nunc exiſtens eſſet contraria Deo; quia, iuxta illam ſententiam, eſt incompoſsibilis, adhuc divinitus, cum incarnatione Patris terminata ad eandem numero naturam creatã. Hæc autem omnia videntur abſurda. Ergo abſurdum eſt dicere, aliquid creatum fore cõtrarium Deo, ſi natura creata terminaretur per aliquam ſubſiſtentiam, ſive entitatem incompletam, quæ eſſet prorſus incompoſsibilis cum vnione ſubſtantiali ad perſonam increatam,

65 DEINDE Reſpondeo, aſſumptionem argumenti eſſe falſam: quoniam natura creata completè exiſtens & ſubſiſtens ſingulariter & exercitè in rerum natura, quandiu retinet quidquid reale & poſitivè eſt in ijs prædicatis, eſt incapax, non ſolùm connaturaliter, verùm etiam eſſentialiter, vt vniatur hypoſtaticè alteri ſuppoſito, etiam increato : Quia, vt ſuprà oſtenſum eſt, præſertim num. 62. repugnat omnino vt natura ſubſtantialis completa per vltimum actum, ſive per vltimã perfectionem poſitivam de linea ſubſtantiæ, conſtituat vnum per ſe ſubſtantiale cum alia natura iridem completa ac per ſe ſubſiſtente. Quæ doctrina colligitur planè, non ſolùm ex Patribus, ſed ex Concilijs, dum probant, in Chriſto nõ fuiſſe perſonã, ſive hypoſtaſim creatam, ex eo quòd eius natura humana fuerit aſſumpta, ſive vnita hypoſtaticè Verbo divino. Ita enim definitur in Concilio Epheſino c. 4. & 14. & in Calchedonenſi Act. 1. in Epiſt. S. Cyrilli ad Neſtorium, & in V. Synodo collat. 8. c. 4. & 5. vbi dicitur : * Siquis non cõfitetur Dei Verbũ carni ſecundũ ſubſiſtentiã (Græcè hypoſtaſim, id eſt perſonam) vnitũ eſſe, & ET PROPTER HOC VNAM EIVS SVBSISTENTIAM, ſive vnam perſonam, &c, anathema ſit. * Si autem poteſtate abſoluta Dei fieri poſſet, vt natura humana completa per ſubſiſtentiam propriam quoad omne prædicatum poſitivum & reale, adhuc terminaretur, ſeu compleretur ſubſtantialiter per ſubſiſtentiam propriam Verbi divini; nec verè aſſererent, nec ſatis probarent Patres Concilij, vnicam eſſe in Chriſto ſubſiſtentiam : tum, quia verè in illo eſſent duæ ſubſiſtẽtiæ quoad omne prædicatum poſitivum & reale vtriuſque: tum præterea, quia ſi quemadmodum Bernal & Spinula volunt, ſubſiſtentia creata non excludit eſſentialiter, ſed ſolùm connaturaliter vnionem ſubſtãtialem cum ſubſiſtentia divina; reſponderent facilè Neſtoriani, poteſtate abſoluta Dei factum fuiſſe, vt duæ ſubſiſtentiæ humana & divina, ſubſtantialiter vnirentur in Chriſto, quamquam id connaturaliter repugnet. Quare malè in V. Synodo collegiſſent Patres, vnicam eſſe in Chriſto ſubſiſtentiam ex eo quòd Verbum naturæ humanæ, ſive carni, vnitum fuerit ſecundùm ſubſiſtentiam : cùm iuxta opinionem Adverſariorum cohærere divinitus poſsit, quòd caro retinens omnia prædicata poſitiva & realia ſuę ſubſiſtentiæ vnita fuerit Verbo ſecundùm ipſius ſubſiſtentiam.

66 IAM Quod additur, naturam vel entitatem creatam fore contrariam Deo, ſi ratione alicuius modi, ſeu complementi poſitivi, redderetur eſſentialiter incapax vnionis hypoſtaticæ cum perſona increata; nullius roboris eſt. Nam, præter inſtantias in oppoſitum, quibus paulo antè num. 64. eam argumentationem in Adverſarios ipſos regeſsimus; ex illa ſequitur contrariam eſſe Deo naturam equinam, vt cumque dicatur ſubſiſtere: quia ipſi repugnat ab intrinſeco & eſſentialiter, vt vniatur perſonæ increatæ, quà perſona eſt. Nimirum, ſola natura rationalis eſt obedientialiter capax vnionis ſubſtantialis cum perſona divina, vt tali. Deinde natura rationalis creata eſſet contraria omnipotentiæ, immenſitati, & ſcientiæ divinæ: quoniam nec divinitus poteſt ijs vniri, ſeu accipere ab ipſis effectum, vel quaſi effectum formalem. Itaque Adverſarij in æquivoco laborant, vbi pro vno eodemque accipere videntur, aliquid non poſſe à Deo fieri adhuc poteſtate abſoluta, & eſſe contrarium Deo. In quo planè hallucinantur. Alioqui dum album retenta albedine repugnat prorſus nigredini, & hinnibile rationali, & rationale inſenſibili, vt nec ea duo coniungi valeant, adhuc poteſtate abſoluta Dei, dicerentur eſſe Deo contraria. Denique ea omnia ſubiecta quibus aut abſolutè, aut ex hypotheſi alicuius formæ accidentalis repugnat quodquam prædicatum poſitivum (qualia ſunt innumera) vt nec divinitus poſsit ijs convenire; eſſent Deo contraria. Conſequens verò abſurdum eſſe, patet. Ratio autem omnium à priori eſt: quoniam eſſentialis rerum exigentia & repugnantia prædicatorum nullatenus eſt Deo contraria, ſed potiùs ipſi conſona, & ab ipſo participata, atque in eius eſſentia æternum & immutabile exemplar habens. Inde enim quælibet res creatæ ſuam propriam conditionem habent, vt quædam eſſentialiter exigant certa prædicata, & alia prorsus excludant; & ex ijs ipſis aliqua nequeant habere per identitatem, alia verò nec per vnionem cum alijs proprijs prædicatis. Sic igitur mirum non eſt quòd abſque vlla in Deum contrarietate, quin potiùs iuxta exigentias rerum eſſentiales, quælibet natura creata exigat connaturaliter ſubſiſtentiam intrinſecè ſuperadditam, & ſuppoſita ſemel illa, nequeat, adhuc divinitus, vniri perſonæ increatæ vnione ſubſtantiali, ſeu conſtituente vnum per ſe: quia nimirum, ipſa conditio rerum completarum omnino & perfectarum intra genus ſubſtantiæ per vltimam actualitatem, eſſentialiter repugnat vt ex pluribus earum coaleſcat vnum per ſe ſubſtantiale: vt ſupra num. 57. & 62. probatum fuit. Quare ſolùm ſupereſt, vt natura creata per ablationem, aut impeditionem propriæ ſubſiſtentiæ, fiat capax vnionis cum perſona increata. Sic enim natura ipſa redditur non omnino completa; & proinde capax vt accipiat ſubſtantiale complementum à ſubſiſtentia perſonæ increatæ, & cum ea conſtituat vnum per ſe in ratione ſuppoſiti, aut perſonæ; non quidem vnum per ſe connaturale, ſed ſupernaturale, & hypoſtaticum, ob defectum connexionis vel exigentiæ naturalis.

67 VRGENT Denique Impoſsibile apparet vt in rerum natura ſit forma poſitiva, cuius vnicum munus ſit excludere aliam & ſuum ſubiectum reedere incapax vlterioris perfectionis. Hoc enim eſt proprium negationis, quoniam malignantis naturæ eſt. Ergo repugnat ſubſiſtentia naturæ ſuperaddita, cuius munus vnicum ſit excludere aliam, etiam ſuperiorem & ſublimiorem, ab eadem natura.

68 RESP. Obiectionem hanc ſolùm habere vim contra eos, qui non ſatis exponunt, quem effectum poſitivum præſtet naturæ ſubſiſtentia poſitivè ſuperaddita, nec vllum reipſa aſsignare videntur. Nullam verò vim habet contra me, qui aſſero, & ſequenti Diſputatione latiùs probo, ſubſiſtentiam eſſe vnum idemque cum exiſtentia per ſe. Quare ſubſiſtentia primariò præſtat toti ſubſtantiali hunc poſitivum effectum exiſtendi per ſe: deinde verò, & ex conſequenti, præſtat naturæ alium negativum eſſentialiter cum primario connexum, atque in eo ſitum, ne ſubſiſtat vel exiſtat in ſuppoſito, ſive in ſubſtantia extranea per ſe exiſtente.

69 ADDENDVM Verò, ſubſiſtentiam propriam naturæ creatæ, non eſſe entitatem, ſive realitatem ſimpliciter dictam, ſed modum: tum quia iuxta ſententiam noſtram non differt ab exiſtentia per ſe, quæ eſt modus: tum etiam, quoniam, vt arguit P. Antonius Perez diſp. 1. de Incarnation. cap 3. ſi ſubſiſtentia humanitatis non eſſet modus; eſſet entitas abſoluta, indifferens ad vnionem cum qualibet humanitate. Quod abſurdum eſt; cùm ex communi ferè & vera ſententia repugnet ſubſiſtentiæ creatæ exactæ ab aliqua ſingulari natura, vt per illam alia numero aut ſpecie natura ſubſiſtat: quoniam ex intima conditione ac finitudine ſua eſt alligata certæ ac ſingulari naturæ, ſicuti modus eſt alligatus rei ipſi, quam afficit.

SEC-

SECTIO SEPTIMA.

Objiciuntur & extricantur argumenta ab authoritate Conciliorum & Patrum, quibus Aduersarij, præsertim Recentiores, impugnant subsistentiam naturæ creatæ reipsa ac positiue superadditam.

70 PRÆTER Obiectiones solutas sectione præcedenti, addunt Aduersarij, præsertim Recentiores, plura alia argumenta contra sententiam nostrã, quæ hoc loco objicere & enervare oportet. PRIMVM ac præcipuum illorum eruunt ex doctrina Conciliorum iuxta quam Verbum divinum assumpsit naturam humanam cum omnibus suis proprietatibus, & perfectionibus; & tamen non assumpsit personam. Ergo hæc supra naturam non addit subsistentiam aliquam, sive personalitatem reipsa ac positivè superadditam. Patet consequentia: quoniam alioqui, subsistentia ipsa esset quædam proprietas vel perfectio humanæ naturæ; ac proinde assumpta fuisset à Verbo simul cum ipsa natura, instar aliarum proprietatum, & perfectionum ipsius, & per consequens Verbum assumpsisset verè ac propriè personam humanam. Antecedens verò quoad priorem partem constat ex manifestis definitionibus Conciliorum Generalium. Etenim in Calchedonensi Actione 5. in definitione fidei sess. 6. cuius verba exscripsit Baronius ad annum Christi 451. ita habetur: Sequentes SS. Patres, „ confitemur eundem Dominum nostrum Ie„ sum Christum perfectum in Deitate, perfe„ ctum in humanitate, consubstantialem Patri „ secundùm Deitatem, & eundem consub„ stantialem nobis secundùm humanitatem, „ per omnia nobis similem absque peccato, „ &c. Ac præterea, paucis interiectis: Nusquã „ sublata differentia naturarum propter vnio„ nem, magisque salva proprietate vtriusque „ naturæ in vnam personam, atque subsistentiam „ concurrentis. Ergo nulla est proprietas, nullusque modus nostræ naturæ, sive substantiæ, quem Filius Dei non assumpserit, & penes quem non fuerit nobis similis. Consonat VII. Synodus Generalis, quæ est Nicæna II. Actione 3. vbi Patres profitentur FILIVM DEI CONSVBSTANTIALEM FACTVM NOBIS MODIS OMNIBVS ABSQVE PECCATO. Ergo nullus modus positivus ac realis est in nostra natura substantiali, in quo Filius Dei non fuerit nobis factus consubstantialis, ac proinde quem ille non assumpserit.

71 CONFIRMATVR Ex VI Synodo Actione 4. in Epistola Synodali, quæ postea approbatur Act. 8. Etenim ibidem definitur, * Christum habere duas naturas, & vnã quamque naturales proprietates habere; diuinam omnia, quæ divina sunt; humanam omnia, quæ humana, absque vllo peccato. * Vbi solum peccatum excipit: ac proinde cæteras omnes proprietates naturæ humanæ adscribit Christo: inter quas profectò locum haberet subsistentia reipsa ac positivè superaddita, qualem nos tuemur in qualibet natura humana independenter ab vnione.

72 CONFIRM. II. Ex Concilio Lateranensi sub Martino I. Canon. 9. vbi dicitur, * In nullo diminuta, minorata, expoliatave naturali proprietate natura assumpta. Ac præterea: Siquis secundùm SS. Patres non confitetur propriè, & secundùm veritatem, naturales proprietates Deitatis eius, & humanitatis, indiminutè in eo, & sine minoratione salvatas, condemnandus sit. * Si autem in humanitate Christi impedita fuit aliqua subsistentia superaddita, quam alioqui haberet, iam naturales eius proprietates diminutæ, aut minoratæ fuissent; contrà quàm Concilium decernit. Non ergo in humana natura, per se solam spectata, est aliqua subsistentia positivè ac reipsa superaddita.

73 CONFIRM. III. Ex Epist. S. Agathonis Papę ad Imperator, quæ habetur in VI. Synodo, Act. 4. & approbatur Act. 8. vbi ita de Christo D. dicitur: * Omnia duplicia vnius eiusdemque D. Salvatoris nostri IESVCHRISTI secũdùm Evangelicã traditionẽ asserimus; id est, duas eius naturas prædicamus: divinam, scilicet, & humanam: ex quibus, & in quibus, etiam post admirabilem atque inseparabilem vnionem subsistit: & vnamquamque eius naturam proprietatẽ naturalem habere confitemur: ET HABERE DIVINAM OMNIA, QVÆ DIVINA SVNT; ET HVMANAM OMNIA, QVÆ HVMANA SVNT, ABSQVE VLLO PECCATO. * Atqui humana Christi natura non habet aliquam subsistentiam propriam reipsa superadditam. Alioqui in Christo, præter personã divinã, esset alia persona humana. Ergo subsistẽtia propria ac reipsa superaddita, nõ est humana: ac proinde nullus homo subsistit per subsistentiã reipsa superadditam.

74 CONFIRMATVR IV. Patrum testimonijs: ac primùm quidem Cyrilli Alexandrini, qui præfuit Concilio Ephesino, in quo error Nestorij proscriptus fuit, & plura Capitula, atque Anathematismos edidit contra illum Hæresiarcham, eo pondere ac gravitate, vt probati fuerint in V. Synodo Generali Collatione VIII. in Definitione Fidei can. 3. indicto anathemate ijs omnibus, qui contra eiusdem capitula scripserunt, & in ea impietate mortui sunt. Is ergo in libro de Orthodoxa Fide ad Imperatrices Eudoxiam & Pulcheriã,

non longè ab initio, inquit: * Perfectus Deus cùm eſſet, factus eſt perfectus quoque homo: NEQVE QVIDQVAM OMNINO, QVOD COGNATVM ESSET HVMANÆ NATVRÆ, PRÆTER VNAM IMPIAM MALITIAM, RELIQVIT. * Si autem ſubſiſtentia eſt aliquid poſitivè additum naturæ humanæ, dum Verbum reliquit, ſeu non aſſumpſit illam, iuxta noſtram ſententiam; profectò reliquiſſet aliquid naturæ humanæ cognatum, quod Cyrillus negat.

75 SIMILITER Damaſcenus lib. 3. Fidei c. 6. per totum docet, totam divinam naturam in vna ſui ipſius hypoſtaſeon vnitam fuiſſe toti humanæ naturæ, & non partem parti. Hæc enim eſt epigrapha illius capitis. Et deinde circa mediũ illius ait: * Nihil eorũ, quæ plantavit in natura noſtra Deus Verbum, cùm in principio plaſmavit nos, deficit: SED OMNIA APSVMPSIT; CORPVS, ANIMAM RATIONALEM, ET INTELLECTIVAM, ET EORVM PROPRIETATES. * Cùm ergo certum ſit, Verbum non aſſumpſiſſe aliquam ſubſiſtentiam poſitivè ac reipſa additam naturæ humanæ, hæc non exiſtit in illa: quoniã ſic cenſeretur inter proprietates naturę humanæ, & proinde fuiſſet aſſumpta à Verbo.

76 PRÆTEREA Paſchaſius Cardinalis lib. 2. de Spiritu ſancto c. 4. loquẽs de Verbo carne facto inquit: *In Chriſto perſona perſonam conſumpſit, quia perſona res iuris eſt.* Non ergo perſonalitas addit aliquid poſitivum ſupra naturam, ſed aliquid morale, ſeu privativum dumtaxat, conſiſtens in carentia vnionis ad ſubſtantiam digniorem. Nimirum perſona dicitur *res iuris*: quoniam conſiſtit in quadam morali excellentia, quæ in eo ſita eſt, vt res non ſit vnita ſubſtãtiæ digniori. Vnde in Chriſto nõ eſt perſona humana, ſeu creata: quoniam eius humanitas eſt vnita perſonæ Verbi longè ſublimiori ac digniori. Conſonat Paſchaſio Hugo Victorinus in Apologetico pro Verbo Incarnato c. 7. dicens, *naturam Chriſti non habere propriam perſonam, quia eſt vnita digniori.* Præterea Theodorus Cariæ Epiſcopus apud Bibliothecam VV. Patrum Tomo IX. allegatus ab Alderete aiebat: *Quia corpus animatum aſſumptum eſt pars Chriſti, idcirco non eſt hypoſtaſis.*

77 DENIQVE D. Tho. videtur nullum prorſus modum poſitivum agnoviſſe in natura humana, vt cõſtituatur ſubſiſtens: ſed dũtaxat id ſitum docuit in eo, vt illa non ſit vnita perſonæ ſublimiori, qualis eſt divina. Nã 3. p. q. 4. a. 2. cùm obieciſſet ſibi in ſecũdo argumento, Verbũ aſſumpſiſſe perſonam, quoniam aſſumpſit quæ in noſtra plantavit natura, plantavit autem perſonalitatem, ac propterea illam aſſumpſiſſe videtur: RESP. S. Doct. * Dicendũ quòd naturæ aſſumptæ non deeſt propria perſonalitas propter defectum alicuius, quod ad perfectionẽ naturæ humanæ pertineat: ſed propter additionem alicuius, quod eſt ſuprà humanam naturam, quod eſt vnio ad Verbum. * Præterea lib. 4. contra Gentes c. 43 ait: * Derogaretur perfectioni Incarnationis Dei Verbi, ſi aliquid eorum, quæ naturalia ſunt homini, ei deeſſet. Ac paulo pòſt: Fides per omnia ſine peccato ſimilem eum nobis in naturalibus confitetur. * Ex quibus palam apparere videtur, S. Thom. in ea ſententia fuiſſe, vt nihil detractũ, impeditumve fuerit in natura humana Chriſti, vbi à Verbo aſſumpta fuit, quod ſpectaret ad illius perfectionem. Spectaret verò planè ad perfectionem naturæ humanæ ſubſiſtentia poſitivè addita. Ergo hæc non fuit detracta aut impedita, qualiter nos aſſerimus.

78 EXHIBVI Fideliter in medium omnia aut præcipua teſtimonia Conciliorum, & Patrum, quibus Adverſarij Recentiores, præſertim pro Scoto certantes, nos impetunt, quin & eadem, quantum potui, vrgere curavi, nequid difficultates diſſimulaſſe videar. Miror tamen imprimis, quomodo ipſi non videant, ſe hærere in eodem luto, quo nos conſpurcare volunt. Quidquid enim ſit, an ſubſiſtentia naturæ humanæ ſit ipſi reverà ac poſitivè addita, nec ne, id fateri tenentur, eſſe perfectionem aliquam naturæ rationalis creatæ, vt habeat rationem perſonæ intra ſuam ſpeciem: tum, quia in hoc evehitur ſupra quælibet ſuppoſita irrationalia: tum, quia per id completur vltimò intra perfectiſsimam ſpeciem ſub genere animalis: tum præterea, quia per id habet vivens, vt exiſtat per ſe ac ſeparatim intra perfectiſsimam ſpeciem: tum denique, quia id quam plurimis locis tradit Sanct. Thomas, præſertim verò 1. p. quæſt. 29. art. 3. Atqui Verbum aſſumpſit naturam humanam, & tamen non aſſumpſit humanam perſonam: vt fide ſanctum eſt, & eadem Concilia definiunt. Ergo Verbum aſſumpſit naturam humanam, quin aſſumeret perfectionem perſonæ humanæ. Non ergo Verbum aſſumpſit omnes perfectiones, ſeu proprietates naturæ humanæ, nec omnia quæ naturalia ſunt homini: ſiquidem hominis perfectio aut proprietas eſt, aliquidque naturale, vt habeat rationem perſonæ humanæ: quod tamen Verbum divinum, iuxta fidem, non aſſumpſit. Quid ad hæc Adverſarij? Certè nullam reſponſionem videntur præſtare poſſe, quam longè meliori iure à nobis non teneantur recipere. Sed antequam illam in medium proferam, oportet nonnulla obſervare, quæ facem præferant difficultati expediendæ.

PRI-

79 PRIMO Habenda ſunt præ oculis verba illa Concilij Calchedonenſis in Definitione Fidei Actione 5. σωζομένης δὲ μᾶλλον τὴν ἰδιότητος ἑκατέρας φύσεως, καὶ εἰς ἓν συντρεχούσης πρόσωπον, καὶ μίαν ὑπόστασιν συντρεχούσης. id eſt, *Vtriuſque naturæ proprietates ſalvas manere, & in vnam perſonam, atque in vnam hypoſtaſim concurrere.* Itaque ea duo ſimul cohærere debent ſecundùm Catholicam fidem: vt & vtriuſque naturæ proprietates ſalvæ atque inconfuſæ maneant; & aliunde vnica ſit perſona ſive hypoſtaſis in Chriſto. Quare eatenus ſolùm debent eſſe in ipſo integræ & ſalvæ vtriuſque naturæ proprietates, vt minimè obſtent vnitati & ſingularitati eiuſdē perſonæ ſubſiſtentis in vtraque natura.

80 SECVNDO Incedere oportet media via inter Neſtorium & Eutychem, veluti inter Scyllam & Charybdim: vt neque cum priore illorum, duas in Chriſto perſonas adſtruamus: neque confundamus aut permiſceamus inter ſe duas naturas, vel aliquas illarum proprietates, cum poſteriore. Id periculum vitatur diſtinguendo inter naturam, & hypoſtaſim, ſive perſonam, quidquid ea de re Philoſophi Gentiles forſan contrà ſenſerint: Ideo aiebat Anaſtaſius Sinaita libro illo, qui Ὁδηγός, id eſt, *Viæ dux*, inſcribitur: *Sancta Eccleſia Ariſtotelicas, Græcaſque vaniloquentias declinans, & Euangelicè, atque Apoſtolicè, vt paulo antè diximus, de Chriſto credens, negat idem eſſe naturam, & hypoſtaſim.* Similiter Damaſcenus lib. 3. Fidei cap. 3. inquit: *Hoc eſt quod hæreticis errorem obijcit, quòd idem eſſe naturam: & hypoſtaſim arbitrantur.* Verùm ne plura alia eiuſmodi teſtimonia ex SS. Patribus attexamus, vnum pro multis ſufficiat ex Edicto Fidei Imperatoris Iuſtiniani approbato à Vigilio Papa, vbi dicitur: *Omnes ſancti Patres cōſonanter docent, aliud eſſe naturam ſiue ſubſtantiam, & aliud ſubſiſtentiā ſiue perſonam, & naturā quidem, hoc quod eſt cōmune ſignificare; perſonā verò, hoc quod eſt ſpeciale.* Itaque dum, iuxta fidem, in Chriſto aſſerimus vnicam perſonam, & duas naturas; profectò aſſerere debemus diſtinctionem inter naturam & perſonam: vt natura importet prædicata eſſentialia, quamvis ſingularia, & in individuo: perſona verò vlteriùs aliquid addat ſpeciatim ſupra naturam.

81 TERTIO Denique, & maximè in rem noſtram, obſervandum eſt cum eruditiſsimo Petavio lib. 5. de Incarn. cap. 7. ex doctrina Patrum, triplex diſtingui debere genus proprietatum. Quædam ſunt naturales, & toti ſpeciei communes, eiuſque individuis omnibus, abſque exceptione vlla: quas Damaſcenus apellat φυσικὰ ἰδιώματα; Calchedonenſis Synodus in Definitione Fidei ſuprà allegata, ἰδιότητας φύσεως, *proprietates naturæ*; Cyrillus in Epiſt. 2. ad *Succ.* ἰδιότητας τὰς κατὰ φύσιν, *proprietates quæ ſunt ſecundùm naturam.* Aliæ verò proprietates ſunt individuorum, ſeu ſingularium, quæ ex confluxu aut congerie variarum qualitatum & accidentium coaleſcunt, iuxta definitionem illam individui traditam à Porphyrio, vt ſit, *cuius proprietates aggregatæ in nullo alio inueniuntur.* Aliæ denique ſunt proprietates ὑποστατικαὶ, id eſt, perſonales, quibus vera & completa conſtituitur hypoſtaſis: quæ ſuprà ſingularitatem, ſeu individuationem, addunt vt totum per ſe atque in ſeipſo exiſtat, veluti ſubſtantia perfecta, & vltimum complementum nacta intra proprium genus: vt proinde iam non expecter aliam perfectionem, actualitatemve, nec poſsit cum alia natura pariter completa vnum per ſe conſtituere intra genus ſubſtantiæ: quoniam eiuſmodi vnum nequit conſurgere ex duobus aut pluribus entibus completis vltimo actu. Et certè ſicuti natura creata non exiſtit per ſe, vel ſubſiſtit, ſed id eſt proprium ſubſiſtentis, ſive perſonæ, vt dicemus ſect. vlt. ita etiam ſubſiſtētia creata, preſsè loquendo, non eſt proprietas naturæ, ſed forma propria conſtituens ſuppoſitum, ſive propria ipſius ratio.

82 HINC Ad argumentum præcipuum ex num 70. cum omnibus ſuis confirmationibus, & teſtimonijs Patrum, facilè reſpondetur, Verbum divinum aſſumpſiſſe quidem cum natura humana omnes proprietates primi generis, quas Patres ipſi appellant *proprietates naturæ*, quæque communes ſunt toti ſpeciei, & ſingulis individuis eius: ſimiliter & proprietates individuales, quoniam accepit humanitatem ſingularem, proprijs accidentibus, & certa quadam congerie illorum conſtantem: non tamen proprietates hypoſtaticas, ſeu perſonales: quoniam hæ ſunt propriæ perſonarum creatarum, quarum nulla poteſt vniri hypoſtaticè alteri perſonæ, etiam increatæ; ſicuti nec cum illa vnum per ſe ſubſtantiale conſtituere, quod ex duabus perſonis diverſæ naturæ completis quoad omnia prædicata realia & poſitiva conſtare nequit. Itaque dum Concilia & Patres aiunt, Verbum aſſumpſiſſe naturam humanam cum omnibus proprietatibus, & has manere integras in duabus naturis, loquuntur ſolùm de proprietatibus primi ac ſecundi generis, quarum ſuſceptio & integritas nullatenus obeſt veritati Incarnationis, nec impedit vnitatem per ſe inter naturam humanam & perſonam Verbi. Non autem loquuntur de proprietatibus hypoſtaticis, ſive ſpectantibus ad conſtitutionē perſonæ: quoniā earū aſſumptio eſt planè

impoſsibilis, & impediens vnitatem perſonæ in duabus naturis à Concilijs ipſis definitam. Itaque tam procul eſt ſubſiſtentia naturæ humanæ ſuperaddita à labefactanda Conciliorum & Patrum doctrina, vt potiùs hæc ſine illa cõſiſtere nequeat: quoniam, vt in Chriſto non ſit duplex, ſed vnica perſona Verbi, duplici natura conſtans (quemadmodum ab ijs definitur) neceſſum omnino eſt, vt aliqua proprietas perſonalis impedita fuerit, ſeu non exiſtat in natura Chriſti humana. Si enim in hac exiſtit omnis entitas poſitiva, qua ſeorſim à Verbo haberet rationem perſonæ humanæ & creatæ; oportet vt etiam nunc retineat integram & poſitivam rationem perſonæ creatæ, qui eſt error Neſtorij. Nec ſufficit Adverſarijs dicere illam eſſe vnitam Verbo, tanquã digniori, ac proinde non habere rationem perſonæ. In oppoſitum enim eſt, vnionem eiuſmodi ſolùm eſſe poſſe accidentariam, vel ſecundùm affectum, vel alium mirabilem modùm, qualem nullatenus negabat Neſtorius, vt probatum fuit ſuprà num. 36. aut qualem habet veſtis cum homine, tanquam ſuppoſito digniore: quæ certè non eſt vnio ſubſtantialis, quoniam veſtis adhuc retinet entitatem ſubſiſtentiæ ſuæ, quamvis alteri digniori coniunctam. Non itaque vnio ab Adverſarijs aſsignata eſt ſubſtantialis, ſive ſufficiens, vt ex natura & perſona aſſumente fiat vnum per ſe. Quare ad hanc vnitatem ſalvandam, opus eſt dicere, naturam humanam propriori naturæ ad vnionem cum Verbo productam fuiſſe ſine modo aliquo, ſive proprietate perſonali & poſitiva, quam alioqui haberet: vt propterea in illo priori ſigno eſſet incompleta, ſeu nondum habens complementum perſonale, quod pro alio poſteriori naturæ acceperit à perſona Verbi. Sic enim potuit reſultare vnum per ſe, non quidem connaturale, ſed ſupernaturale & hypoſtaticũ ex natura humana Chriſti perſonaliter incompleta, & ex perſona Verbi ipſam complente. Vide Diſp. LXXVIII. num. 48. & 49.

83 INSTANT I. Adverſarij. Concilia & Patres vniversè loquuntur de omni proprietate vtriuſque naturæ, nulla diſtinctione facta inter eas, quæ ſpectant ad naturam, vel perſonam. Neque eiuſmodi diſtinctio colligitur ex aliqua authoritate, aut ratione vrgente. Ergo natura humana in Chriſto habet omnes vniversè proprietates, quas in alijs hominibus, ac proinde proprietatem hypoſtaticam ſubſiſtentiæ, ſi hæc ſit aliquid poſitivum.

84 RESP. Concilia ipſa præſtare ſufficientiſsimum fundamentum eiuſmodi diſtinctioni dum definiunt contra Neſtorium, vnicam eſſe perſonam Chriſti ſubſiſtentem in duabus & ex duabus naturis. Cùm enim ea vnitas non ſit purè affectiva, aut moralis, aut accidentaria, qualem ſaltem admittebat Neſtorius, vt vidimus num. 36. ſed hypoſtatica & ſubſtantialis; neceſſum eſt, vt natura humana Chriſti careret proprietate illa poſitiva, qua alioqui conſtitueretur & compleretur in ratione perſonæ. Nam manente illa in rerum natura, Chriſtus verè eſſet perſona humana & creata, ſicuti album manente albedine ſibi vnita nequit non manere album. Quare ipſa teſtimonia Conciliorum, & Patrum definientia in Chriſto vnicam perſonam in duabus, & ex duabus naturis ſubſiſtentem, cogunt ad diſtinguendum inter proprietates naturæ humanæ phyſicas, & hypoſtaticas, vt priores manſerint, non item poſteriores. Quod vel ipſos Adverſarios dicere debere, iam ſuprà num. 78. oſtenſum eſt, & ex Patrum ac Theologorum ſenſu colligit Petavius lib. 5. de Incarnat. cap. 7. num. 8.

85 QVIN Et præterea atque in ſpecie, vt aiunt, id ſatis indicant nonnulli ex Patribus dum aiunt, perſonam Verbi conſumpſiſſe perſonam hominis. Quo modo non ſolùm loquitur Paſchaſius Cardinalis ſupra num 76. nobis obiectus, ſed etiam Patres Concilij Frãcofordienſis in Epiſtola ad vniverſos Chriſti fideles columna 2. & Innocentius III. in quodam decreto, cuius verba exponit D. Tho. 3. p. quæſt. 4. art. 2. Vbi cùm obieciſſet ea Innocentij verba, * Perſona Dei conſumpſit perſonam hominis, * ita reſpondet atque ea interpretatur: * Conſumptio ibi non importat deſtructionem alicuius, quod priùs fuerat: ſed impeditionem eius, quod aliter eſſe poſſet. Si enim humana natura non eſſet aſſumpta à divina perſona, propriam ſubſiſtentiam haberet. Et pro tanto dicitur perſona conſumpſiſſe perſonam, licèt impropriè: quia ipſa perſona divina ſua vnione impedivit, ne humana natura propriam ſubſiſtentiam haberet. * Itaque ex dictis Patribus conſtat, per vnionem hypoſtaticam ad Verbum, impeditam fuiſſe ſubſiſtentiam illam creatam, qua alioqui ſubſiſteret & eſſet perſona creata in Chriſto.

86 DICES: Patres Concilij Francoford. & Paſchaſius allegatus, non modò aiunt, perſonam Dei conſumpſiſſe perſonam hominis, ſed præterea rationem addunt, dicentes, vt habetur in Epiſtola illa: * Itaque in Deo & homine gemina ſubſtantia, ſed non gemina perſona eſt: quia perſona perſonam conſumere poteſt; ſubſtantia verò ſubſtantiam non poteſt: SIQVIDEM PERSONA RES IVRIS EST; SVBSTANTIA, NATVRÆ.* Quaſi dicerent, perſonam formaliter ſolùm eſſe ſitam in aliquo morali: nimirum, in eo, vt non ſit vnita perſonæ digniori, ſed ſeorſim ac

per ſe

per ſe exiſtat, ſuamque æſtimabilitatem per ſe ſolam habeat.

87 RESP. Longè alium eſſe ſenſum eorum verborum. Nam ſi iuxta eam interpretationem perſona non eſſet aliquid de genere entis, ſed iuris ac moris, etiam perſonæ divinæ conſtituerentur dumtaxat per aliquid morale, quod patet eſſe falſum. Itaque vtrumq; competit perſonæ, quà perſona eſt: nimirum, vera realitas, & moralitas in ea fundata: vt exprimunt Patres Francofordienſes verbis illis, *RES IVRIS EST*: vbi vtrumque coniungunt. Quare ſenſus eſt, naturam Dei, ſive ſubſtantiam, non conſumpſiſſe in Chriſto ſubſtantiam, ſive naturam hominis: quoniam alioquī non fuiſſet vera Incarnatio, id eſt, coniunctio ſolidæ carnis cum Deo, ſed phantaſtica ſeu in ſpeciem tantùm, qualem commenti ſunt Marcion, & Manichæi: aut divinitas humanitatem abſorbuiſſet, prout Eutychiani finxerunt. Perſona autem conſumpſit perſonam: quia perſona ſecundùm id quod addit ſupra naturam, eſt res, ſive realitas quædam, ius tribuens ad agendum & operandum proprio nomine, ita vt actiones ipſi ſoli tribuantur. Ea verò res, ſive realitas, conſumpta fuit in Chriſto, id eſt impedita, ſeu non permiſſa in rerum natura exiſtere: quoniam ſubſtantia, ſive natura humana Chriſti ita fuit coniuncta perſonæ Verbi, vt nullum ius haberet ad agendum, ſive operandum proprio nomine, ſed ſolius Verbi, cui tribuebantur omnes eiuſmodi actiones, vtpotè Theandricæ, ſive Dei-viriles.

88 DENIQVE Quod aliqui ex Patribus aiunt, ideo humanam Chriſti naturam non eſſe perſonam, quia fuit vnita hypoſtaticè Verbo, veriſimum eſt. Verùm inde non colligitur perſonalitatem naturæ humanæ ſitam eſſe in carentia vnionis ad perſonam extraneā, ſive digniorem. Hoc enim nullo fundamento aſſeri poteſt, & multipliciter reiectum fuit tom. 2. diſp. 1. ſect. 2. nulloque modo cohærere poteſt cum vnitate perſonæ Chriſti in duabus naturis, definita contra Neſtorium, vt ibidem oſtendimus. Solùm itaque ex ea Patrum quorundam locutione colligere licet, perſonam Verbi vnitam ſubſtantialiter naturæ humanæ impediviſſe in ea reſultantiam perſonalitatis creatæ. Nam cùm ea vnio non fuerit affectiva, aut purè moralis, qualem admittebat Neſtorius, ſed ſubſtantiva, & entitativa, vt in Scholis loquimur; debuit excludere ab humanitate, ſive potiùs impedire formam illam, aut complementum, quo aliàs conſtitueretur in ratione perſonæ humanæ & creatæ. Neque inde ſequitur (vt aliam obiectionem præoccupemus) Chriſtum non eſſe hominem perfectum. Vt enim perfectus homo ſit & dicatur, ſufficit habere perfectam naturam humanam, omneſque illius proprietates, & ſubinde operationes illarum proprias; nec requiritur vlteriùs vt habeat proprietatem illam, qua aliàs conſtitueretur in ratione perſonæ humanæ, vel creatæ: præſertim vbi Verbum illam ſuppleat & contineat eminentiori modo, quàm ſi exiſteret in ſeipſa.

SECTIO OCTAVA.

Reliqua argumenta alicuius momenti ex ratione petita, obijciuntur, & extricantur.

89 OBIICIES II. Si ſuppoſitum adderet naturæ modum ſubſiſtentiæ poſitivum, & pertinentē ad illius complementum, natura humana in Chriſto haberet appetitum innatum ad ſubſiſtentiam eiuſmodi, qua careat: ac proinde vſquedum illam habeat, eſſet violenta, quamvis loco illius habeat aliam meliorem. Hoc enim diſcriminis eſt inter appetitum elicitum, & innatum, quòd prior, cùm cognitione ducatur, ſatiari poſsit per ſublimius bonum, cognitum vt excellentius bono connaturali; ſecus verò poſterior, quem non manuducit cognitio aliqua, ſed innata convenientia boni connaturaliter debiti. Abſurdum verò eſt admittere in natura humana Chriſti aliquid violentiæ, præſertim duraturum tota æternitate: cùm nihil violentum ſit perpetuum. Ergo & abſurdum eſt addere naturæ poſitivum complementum ſubſiſtentiæ, quo conſtituatur in ratione ſuppoſiti.

90 Hoc argumentum latè diſcuſſi Tract. de Incarn. diſp. 1. ſect. 7. vbi propriam ſedem habet. Nunc omiſsis aliorum ſolutionibus, & ex dictis fuſiùs ibidem, nego humanitatem Chriſti pati violentiam vllam: quia licèt propendeat natura creata in ſubſiſtentiam propriam inclinatione naturali; in hac ipſa claudituꝛ, veluti tranſcendenter, conditio ſubiectionis ad Deum, ſi aliquid aliud facere voluerit ſupra exigentias rerum, & in ijs omnibus quæ nullam important contradictionem: præſertim vbi perfectio aliqua creaturæ ſuppletur per aliam eminentiorem ſibi communicatam: vt in præſenti contingit. Vnde Deo volente, vt natura creata non per propriam, ſed alienam ſubſiſtentiam compleatur, illa nullam patitur vim. Hanc enim ſolam ſubire poteſt relatè ad cauſas ſecundas; non verò ad primam, & ab omnibus legibus abſolutam, cuius nutui ſubiacere, eſt conditio veluti naturalis rerum. Hoc ſenſu Auguſtinus lib. 26. contra Fauſtum cap. 3. inquit: * Deus creaturarum conditor, & omnium naturarum, nihil con-

tra naturam facit. Id enim erit cuique rei naturale, quod ille fecerit, à quo eſt omnis modus, numerus, & ordo naturæ. * Plura quæ obijci poſſent contra hanc ſolutionem, eo loci propoſui, nec vacat repetere. Moneo tamẽ tum præiactum debere ab ipſis adverſarijs ſolvi: cùm negare nequeant naturæ creatæ inclinationem naturalem vt per ſeipſam ſubſiſtat, & non in alio ſuppoſito. Ergo, ſiqua eſt vis argumento illorum, tenentur admittere violentiam aliquam in natura humana Chriſti dum non ſubſiſtit in ſeipſa, ſed in alieno ſuppoſito.

91 OBIICIES III. Si ſubſiſtentia eſſet modus poſitivus ſuperadditus naturæ ſubſtantiali creatæ, non poſſet ab ea impediri, nec ſuppleri à Deo in humanitate aſſumpta. Non primum: quia nequit ab ea impediri quod eſſentialiter habet in ratione ſubſtantiæ, prout diſtinctæ ab omni accidente: nimirum eſſe per ſe, in quo conſiſteret ille modus; præſertim iuxta ſententiam noſtram de indiſtinctione reali ſubſiſtentiæ ab exiſtentia per ſe. Non ſecundum: quia effectus formalis cuiuſlibet modi, eſt ipſi eſſentialiter annexus: ideoque vbicatio v.g. quæ eſt modus quantitatis nequit à Deo ſuppleri: & idem eſt de vnione formæ ſubſtantialis, ſeu etiam accidentalis ad ſubiectum, ſuppoſito quòd illa ſit modus.

92 RESP. Negando maiorem quod vtramque partem. Quoad priorem quidem: nam ſubſtantia creata non exigit eſſentialiter eſſe per ſe in actu ſecundo, ſed in primo tantùm: ſicuti nec accidenti eſt eſſentiale in actu ſecundo, ſed primo tantùm, vt exiſtat in alio: ideoque quantitas Euchariſtica de facto & divinitus non exiſtit in aliquo ſubiecto inhæſionis. Sic ergo quamvis ſubſtantia creata, ſeu natura ſubſtantialis completa habeat exigentiam eſſentialem in actu primo, vt terminetur per exiſtentiam, ſive ſubſiſtentiam propriam, non tamen in actu ſecundo. Quod & Adverſarij ipſi negare non poſſunt, ſtatuto ſemel, ſubſtantiam eſſentialiter conſtitui & diſtingui ab accidente penes eſſe per ſe. Interrogandi enim ſunt, quomodo natura humana Chriſti ſit ſubſtantia completa quoad prædicata eſſentialia, & tamen non exiſtat, ſive ſubſiſtat per ſe, ſed in alio, nimirum, in ſuppoſito increato. Reſpondebunt certè, illam exigentiam exiſtendi per ſe, ſive ſubſiſtendi, eſſentialem quidem eſſe naturæ ſubſtantiali creatæ; exercitium tamen ipſum non eſſe eſſentiale. Pariter ergo nos, immo meliori iure, reſpondemus. Quoad poſteriorẽ quoque partem negamus antecedens: quia licèt ſubſiſtentia ſit modus, quatenus creata eſt; ſub ratione formali importat perfectionem ſimpliciter ſimplicem, quam proinde Deus per ſeipſum ſupplere & præſtare poteſt abſque nævo aliquo imperfectionis, quod non contingit in vbicatione quantitativa, & vnione formæ ſubſtantialis, vel accidentalis ad ſubiectum: quoniam ex ſua ratione formali afferunt imperfectionem Deo repugnantem. Vide aliam ſolutionem apud Alderete diſp. 39. de Incarnatione ſect. 4. à num. 14.

94 OBIICIES VI. Ratio præcipua, qua probamus, ſubſiſtentiam eſſe aliquid ſuperadditum poſitivè, eſt quoniam alioqui natura humana non poterit aſſumi à Verbo: etenim vt aſſumatur, debet eſſe quoddammodo incompleta. Hoc autem videtur falſum: quoniam poteſt natura vel entitas completa aſſumi à Verbo. Imprimis natura rationalis ex communi ferè ſententia Theologorum poteſt aſſumi. Ergo completa: quia non exigit, nec habet ſubſiſtentiam poſivè ſuperadditam, qua compleatur. Non enim propriam materiæ, quia hæc ex veriori Philoſophorum ſententia, careret propria ſubſiſtentia, ſicut & exiſtentia. Sed nec propriam formæ irrationalis: quia hæc nõ ſubſiſtit, ſed ſolùm exiſtit in materia, & dependenter ab illa *in fieri*, & *eſſe*. Deinde multi volũt, poſſe aſſumi accidẽs immediatè à Verbo; quod docent Gabriel, Marſilius, Almaynus, Maior, & Medina, quibus ſubſcribit Valentia 3. d. diſp. 1 q. 4. punct. 1. §. *Nihilominus*, addens hanc eſſe communem ſententiam. Quin & Recentiores aliqui apud Alderete vbi ſupra num. 19. cenſuerunt, accidentia naturæ humanæ de facto & immediatè fuiſſe aſſumpta à Verbo. Et tamen illa ſunt entia completa, independenter ab omni ſubſiſtentia poſitivè addita, qua prorſus carent.

95 RESP. Rationem illam, quæ toties vſi ſumus, eſſe optimam, & ineluctabilem. Neque illam deturbant inſtantiæ in oppoſitum obiectæ. Non prima: quoniam permiſſo, iuxta frequentiorem ſententiam, de quæ aliàs, poſſe aſſumi à Verbo irrationalem naturam, hæc ſanè habet propriam ſubſiſtentiam, ſicut & exiſtentiam. Quamvis enim conſtet forma materiali, adhuc ex ratione communi naturæ ſubſtãtialis eſſentialiter completæ exigit exiſtere & ſubſiſtere nitoto, ſeu cõplexo, per aliquam ſubſiſtentiam ſibi additam, quæ impediri divinitus in ea poſsit, & à Verbo ſuppleri. Neque obſtat quòd forma irrationalis ſit materialis, & pẽdens à materia *in fieri*, & *eſſe*. Adhuc enim eſt actus primus materiæ, complens illam intra ſpeciem eſſentialem ſub genere ſubſtantiæ, atque adeò exigens & inferens in compoſito vltimum complementum exiſtentiæ per ſe, quæ apud nos eſt vnum & idem cum ſubſiſtentia. Nec etiam ſecunda inſtantia vrget. Quidquid enim dicant alij, nec de facto, nec divinitus fieri poteſt, vt accidens aliquod im-

immediatè aſſumatur perſona increata. Non enim ita, vt illam immediatè informet, vel in ea recipiatur: cùm vtrumque id arguat imperfectionem Deo repugnantem. Sed nec præterea vt compleatur intra proprium accidentis genus: cùm nullum accidens poſsit vllatenus intra proprium genus compleri per aliquid ſubſtantiale, quale certè eſt omne prædicatum perſonæ increatæ. Nullus vero alius apparet modus, quo accidens poſſet immediatè aſſumi à perſona increata. Ergo talis aſſumptio eſt impoſsibilis. In aſſumptione autem immediata naturæ ſubſtantialis creatæ omnia alia contingunt, ſi ſupponatur carens complemento ſubſiſtentiæ, ſive exiſtentiæ ſubſtantialis. Hæc enim citra nævum aliquem ſuppleri poteſt, & de facto ſuppletur à Verbo, per intimam vnionem & terminationem, vt latiùs expoſuimus diſp. 1. iam citata de Incarnatione.

96 OBIICIES V. Si ſubſiſtentia eſſet poſitivè addita naturæ, maximè vt præ alijs formis præſtaret hunc effectum reddendi illam incommunicabilem alteri vt ſuppoſito. At is effectus non eſt proprius ſubſiſtentiæ præ alijs formis: quoniam vnaquæque illarum ita informat ſuum ſubiectum, vt non relinquat illud capax informationis ab alia ſimili forma in ſenſu compoſito. Ergo &c.

97 RESP. Iuxta dicenda Diſp. ſeq. & iam ſuperiùs indicata, effectum primarium & poſitivum ſubſiſtentiæ, atque ipſius propriũ, eſſe conſtituere ſubſtantiam in vltimo actu exiſtendi per ſe: ex quo reſultat alius effectus ſecundarius & negativus, reddendi naturam ipſam incapacem alterius complementi accipiẽdi in ſenſu compoſito à qualibet alia ſubſtantia aut perſona, vel ſimpliciter loquendo, ſi ſit ſubſiſtentia creata & ſingularis; vel ſaltem à ſubſtantia aut perſona extranea, ſi ſit ſermo de ſubſiſtentia divina. Hoc autem eſt proprijſsimum ſolius ſubſiſtentiæ. Nulla enim alia forma tribuit ſubſtantiæ vt per ſe exiſtat, neque illam complet intra ſuum genus, aut relinquit illam incapacem vlterioris complementi intra illud: vt patebit excurrenti per ſingulas, tum ſubſtantiales, tum accidentales.

98 OBIICIES VI. D. Thomam in 3. diſt. 6. q. 1. art. 2. ad 5. vbi ait: * Dicendum quòd hoc quod facit, coniunctum ex anima & corpore eſſe hominem, non eſt præter animam, & corpus, & vnionem, aliquid poſitivè: ſed ex hoc ipſo, quòd ipſum compoſitum ex anima & corpore non adiungatur alteri ſubſiſtenti in natura compoſita, ſequitur quòd coniunctum ſit homo. * Hucuſque S. Doctor. Atqui homo eſt ſubſiſtens & ſuppoſitum. Ergo ſubſiſtens ſive ſuppoſitum non addit aliquid poſitivum in homine, præter animam, corpus, & vnionem, niſi ſolam negationem coniunctionis ad aliud ſubſiſtens in natura completa. Quod ipſum ferè alijs locis docet: vt propterea aliqui contendant, eſſe expreſſam S. Doctoris ſententiam ipſam, quæ frequenter tribuitur Scoto.

99 RESP. S. Thomam relatis verbis occurriſſe cuidam argumento ſibi obiecto ex auctoritate Damaſceni, ſolumque docere ibi, hominem quoad rationem formalem naturæ ſuæ non importare aliquid poſitivè ſupra animam, corpus, & vnionem vtriuſque. Cùm hoc tamen cohæret quòd homo de materiali, ſeu in ratione ſuppoſiti, importet compoſitum ex anima & corpore, quatenus per ſe exiſtens, ſive ſubſiſtens incommunicabiliter, quod idem S. Doctor exponit ibidem ſolut. ad 3. & 3. p. q. 2. art. 5. ad 1. atque alibi ſæpè. Verùm ad demonſtrandum ex ipſius mente, ſubſiſtentiam eſſe diſtinctam reipſa à natura creata, ſufficeret (quamvis cætera deeſſent) quòd ille ſæpiſsimè ac palam docuerit, eſſe, ſive actum eſſendi, diſtingui reipſa ab omni ente creato, ſive ab omni eſſentia: vt vidimus in Phyſica diſp. 10. expreſsis ipſius teſtimonijs. Porrò ſi ea intelligantur de eſſe ſubſiſtentiæ, vt multi ex Adverſarijs volunt, nec diffitebitur Magiſter Thyrſus (ne cogatur dicere, ex mente D. Tho. exiſtentiam diſtingui reipſa ab eſſentia creata) actum eſt de opinione illorum, præſertim verò eius Authoris in hac parte. Si verò intelligatur ibidem D. Tho. de eſſe exiſtentiæ, oſtendemus ſtatim diſp. ventura, in ſententia eiuſdem S. Doctoris, exiſtentiam naturæ ſubſtantialis creatæ eſſe indiſtinctam prorſus à ſubſiſtentia. Ergo ſi illa eſt reipſa poſitivè addita naturæ ſubſtantiali creatæ, etiam iſta.

SECTIO NONA.

Examinatur doctrina eiuſdem Recentioris: & ex illius impugnatione confirmantur quæ hactenus tradita ſunt.

100 R. MAGISTER Thyrſus (cuius plures impugnationes nobis ipſis obiecimus & ſolvimus ſuprà à num. 63.) eodem tom. 3. diſp. 22. ſect. 4. obſervat nonnulla, quæ præ oculis haberi vult ad intelligendum Incarnationis myſterium. Ac primò quidem inquirit, *An perſonalitas Verbi reddat ſubſiſtentem humanitatem.* Reſpondet verò ſtatim, propoſitionem id affirmãtem, quam paſsim audimus in Scholis, niſi probè accipiatur, abſurdam eſſe. Si enim ſubſiſtentia Verbi per modum formæ, aut quaſi formæ, redderet ſubſiſtentem vt *quod* huma-

humanitatem, ſanè faceret vt humanitas eſſet perſona humana, & creata, ac purus homo. nam vt inquit Leſsius ex communi omnium ſenſu lib. 12. de Perfectionibus Divinis num. 24. *purus homo nihil aliud eſt, quàm natura humana per ſe ſubſiſtens.* Eſt autem contra fidem quòd in Chriſto ſit purus homo. Nec Patres, nec Concilia, nec D. Thomas, vnquam dixerũt, perſonalitatem Verbi reddere ſubſiſtentem humanitatem: ſed ſolùm, Verbum ſubſiſtere in humanitate illam ſuppoſitando, & exercendo munus perſonæ reſpectu illius: humanitatem verò ſubſiſtere in Verbo. nimirum, tanquam in ſuppoſito, & principio *quod*, cui tribuantur principaliter eius operationes. Monet verò, ne offendantur imperiti, aut ſcandalum ſubeant, nõ eſſe negandam, ſed diſtinguendam propoſitionem illam crebram in Scholis: *Perſonalitas Verbi reddit ſuſiſtentem humanitatem.* ac negandam quidẽ ſi abſolutè & ſimpliciter accipiatur: concedendam verò, ſi ſenſus ſit, quòd perſonalitas reddit humanitatem ſubſiſtentem in Verbo. Ratio prioris partis eſt: quia, vt inquit D. Thom. 1. p. q. 29 art. 2. *Ea ſimpliciter & abſolutè ſubſiſtere dicimus, quæ nõ in alio, ſed in ſe exiſtunt.* Atqui perſonalitas Verbi mediante vnione hypoſtatica facit vt humanitas exiſtat in alio, nempe in Verbo, tanquam in ſuppoſito; & in Chriſto, tanquam pars in toto. Ergo non facit vt ſubſiſtat, ac proinde nõ reddit illam ſubſiſtentem abſolutè & ſimpliciter. Ratio poſterioris partis eſt: quia quòd humanitas reddatur ſubſiſtens in Verbo, potiùs eſt facere vt humanitas nõ ſubſiſtat, quàm vt ſubſiſtat, & reddatur ſubſiſtens.

101 DEINDE §. ſequenti inquirit, *An ſubſiſtentia Verbi ſuppleat ſubſiſtentiam propriam humanitatis.* Ac ſimiliter monet, quamvis propoſitio affirmans paſsim Scholaſticis in ore ſit; adhuc diſtinguendam eſſe, ne dicatur res planè abſurda: ac concedendam quidem in ſenſu Conciliorum ac Patrum, iuxta quem ſubſiſtentia idem eſt, ac perſona, vt monet Vazquez 3. part. diſp. 16 num. 18. poſt D. Thomam 3. part. q 2. art. 3. negandam verò in ſenſu Scholaſticorum, quo ſubſiſtentia accipitur pro perſonalitate, ſive vltimo complemento naturæ in ratione ſuppoſiti. Ratio partis conceſſę eſt: quia perſona divina mediante vnione hypoſtatica facta eſt perſona humanitatis, & circa illam exercet munus ſuppoſiti, cui tribuũtur actiones, quæ alioqui tribuerentur ſuppoſito creato, ſi natura illa non fuiſſet aſſumpta. Ratio partis negatæ eſt: quoniam ſi accipiatur ſubſiſtentia pro perſonalitate, ſeu complemento illo, quod in creatis perſona addit ſupra naturam, impoſsibile eſt, vt ſubſiſtentia Verbi ſuppleat munus ſubſiſtentiæ humanæ. Idque eſſe certo certius ſubdit: *quoniam perſonalitas creata* (verba ſunt Authoris laudati) *facit vt humanitas ipſa ſit perſona. At ſubſiſtentia Verbi mediante vnione hypoſtatica facit, vt humanitas illa, quæ alias eſſet perſona, & ſuppoſitum, iam non ſit perſona, ſed exiſtat in Verbo, tanquam in ſuppoſito. Rurſus ſubſiſtẽtia propria facit, vt natura humana per ſe ac ſeparatim exiſtat: ſubſiſtentia autem Verbi facit, vt non exiſtat per ſe, ſed in alio. Ergo ſubſiſtentia Verbi non ſupplet ſubſiſtentiam humanam in ſenſu Scholaſticorum. Nam vnum oppoſitorum non ſuppletur per aliud: munera autem exiſtendi per ſe, & exiſtendi in alio, oppoſita ſunt.*

102 SED Enim formula illa loquẽdi abſque diſtinctione vlla, nõ vulgaribus modò è Schola Theologis, ſed graviſsimis ac ſapientiſsimis paſsim, ac tertio quoque verbo, in ore eſt: vt propterea ipſorum prę iudicio deferrĩ oporteat, nec putare in ea locutione ſimpliciter & abſolutè accepta contineri quidquam abſurdi. Non enim quiſquam illorum ijs verbis ſignificat, humanitatem Chriſti reddi ſubſiſtẽtem *vt quod* à perſonalitate Verbi, tanquam à forma, aut inſtar formæ. Nam (quod maximè obſervari volo) nec quælibet alia humanitas à propria perſonalitate, vt forma, redditur ſubſiſtens *vt quod*, ſtatuta ſententia diſtinguente reipſa perſonalitatem à natura creata. Ratio eſt manifeſta: quia eſſe ſubſiſtens *vt quod*, ſicutĩ & perſonam, nec convenit naturæ creatæ per ſuam entitatem, vtpotè incompletam; nec ratione ſubſiſtentiæ additæ: quoniam diſtinguitur omnino ab illa, ſicuti ſubiectum à forma ſuperveniente. Vnde quemadmodum eam ob cauſam materia hominis non eſt humanitas, nec per ſuam entitatem, nec ratione animæ, vt formæ; ſed id proprium eſt compoſiti ex anima & corpore, quod diſtinguitur per modum totius inadæquatè ab vnaquaque partium ſeorſim acceptarita etiam eſſe ſubſiſtens *vt quod*, ſive perſonam, nec convenit humanitati cuilibet per ſuam entitatem, nec ratione ſubſiſtentiæ propriæ ſibi additæ, quoniam ab ea diſtinguitur, veluti à forma ſuperaddita, & ipſam informante. Quare ratio ac denominatio ſubſiſtentis *vt quod*, ſive perſonæ, ſolùm convenit cõplexo ex ipſa humanitate & ſubſiſtentia propria, quod ab vnaquaque earum ſeorſim ſumpta diſtinguitur inadæquatè ſicut totum à parte. Idem omnino de exiſtentia, ſive modo exiſtendi per ſe docuimus latiùs in Metaphyſica diſp. 5. ſect. 3. vbi oſtenſum fuit, ſoli ſubſtantiæ cõpletæ per modum totius competere vt exiſtat per ſe; partibus verò, in alio, ſive in ipſo toto tantùm.

103 HINC Patet, prædictum Auctorem, alio-

alioqui doctiſsimum,& mihi maximè venerã-dum, aberrare, dum ſupponit, humanitatem per ſubſiſtentiam, & perſonalitatem creatam, reddi ſubſiſtentem ϒt *quod*,& perſonam; & ex ea falſa hypotheſi infert, humanitatem Chriſti reddendam ſubſiſtentem ϒt *quod*,ac perſonam, ſi ſubſiſteret per ſubſiſtentiam Verbi acceptam pro perſonalitate, iuxta ſenſum Scholaſticorum. Ita quidem ſequeretur, & abſurdum contineret, ſi hypotheſis illa eſſet vera. Cùm verò falſam eſſe,& abhorrentem à communi ſenſu Philoſophorum Theologorumque,nuper oſtẽderimus;idque præterea pateat ex communibus Dialecticorum regulis circa prædicationes abſtractorum & concretorum nominum; conſequens eſt,vt verè ſimpliciter & abſolutè dicatur,perſonalitatem Verbi reddere ſubſiſtentem humanitatem,& eiuſdem Verbi ſubſiſtentiam ſupplere defectum ſubſiſtentiæ creatæ. Ratio eſt:quia cum vtraque ea locutione ſimpliciter & abſolutè accepta cohæret, vt humanitas Chriſti non cõſtituatur ſubſiſtens ϒt *quod*, nec perſona. Non per ſuam nudam entitatem, quia eſt incompleta ad rationem ſuppoſiti & perſonæ. Non etiam ratione ſubſiſtentiæ, ſeu perſonalitatis Verbi: quia hæc diſtinguitur omnino & adæquatè à natura aſſumpta, & comparatur ad illam inſtar formæ hypoſtaticæ terminantis, ad ſubſtratum, ſive ſubiectum, aut quaſi ſubiectum. Quare ratio ſubſiſtentis ϒt *quod*, ſive perſonæ, dumtaxat convenit complexo ex ſubſiſtentia, ſeu perſonalitate Verbi, & natura humana; nimirum, Chriſto, veluti cuidam toti indiviſim conſtanti ex ijs duobus extremis. Vnde nunquã colligere licet, Chriſtum eſſe aut fore purum hominem: quoniam (reſumo verba Leſsij à Thyrſo allegata) *purus homo nihil aliud eſt, quàm natura humana per ſe ſubſiſtens.* At quamvis perſonalitas ſive ſubſiſtentia Verbi reddat ſubſiſtentem humanitatem Chriſti,non ideo hæc conſtituitur per ſe ſubſiſtens,ſed tãtùm in toto, ſeu perſona,quam partialiter conſtituit: ſicuti quælibet alia humanitas per ſubſiſtentiam propriam ſibi additam non conſtituitur ſubſiſtens per ſe, ſed tantùm in toto, ſeu perſona, quam conſtituit partialiter. Ergo quamvis perſonalitas ſive ſubſiſtentia Verbi reddat ſubſiſtentem humanitatem Chriſti, nullatenus colligitur, ipſum eſſe purum hominem. Quin potiùs id abſurdũ videtur ſequi ex opinione eiuſdem Authoris exiſtimantis cum Scoto humanitatem Chriſti retinere omnia illa prædicata poſitiva, quæ habet in quolibet alio homine.Nam quilibet alius homo ſecundùm prædicata poſitiva plenè cõſtituetur,eſt homo purus, & vltimò completus, vt proinde nequeat iam ſubſtantialiter ſive hypoſtaticè vniri Deo,vt latè in ſuperioribus probatum eſt.Ergo & Chriſtus ratione humanitatis conſtituetur homo purus, ſive vltimò completus, & ſubinde incapax ſubſtantialis, ſive hypoſtaticæ vnionis cum Deo. Ac certè dum ij Authores aiunt humanitatem Chriſti ſolùm addere carentiam vnionis ad ſuppoſitũ dignius,videntur ludere vocibus, & nullatenus impedire ab ea rationem ſuppoſiti creati. Sic certè veſtis, ſive vniatur, ſive non vniatur perſonæ creatæ, tanquam ſuppoſito digniori, manet integra in ratione ſuppoſiti diſtincti: quoniam adhuc retinet omnia prædicata poſitiva veſtis.

104 VERE Itaque perſonalitas, ſive ſubſiſtentia Verbi accepta in ſenſu Scholaſticorum,ſupplet defectum ſubſiſtentiæ & perſonalitatis creatę in natura humana Chriſti,& hanc conſtituit, non ſubſiſtentem per ſe, aut perſonam, ſed ſubſiſtentem in ipſo Verbo, & ab illo perſonatam,vt ita loquamur. Eſt enim Chriſtus,vt Concilia & Patres loquuntur,vnica quidem perſona,ſed ſubſiſtens in duabus & ex duabus naturis:vt proinde quatenus conſtat ex perſonalitate increata ſupplente defectum creatæ,& ex natura aſſumpta,veluti ex duobus extremis indiviſim concurrentibus, ſit verus homo,non autem purus:quatenus verò indiviſim conſtans ex perſonalitate propria & natura divina,verus Deus:atque adeò tam ratio hominis,quàm Dei,in vnam & eandem Chriſti perſonam concurrit, inſpectam penes aliam & aliam naturam.

105 NEQVE Ideo nego, ſed potiùs certum exiſtimo, apud Concilia & Patres frequenter accipi hypoſtaſim & ſubſiſtentiam,nõ iuxta Scholaſticorum ſenſum, pro forma illa, quæ conſtituit perſonam,ſive quæ reddit naturam ſubſiſtentem in ſuo toto: ſed pro ipſa perſona aut ſuppoſito.Id enim palam tradit ex illorum ſenſu D.Thom. indicato loco ex 3 part. quæſt.2.art.3.dicens: *Idem eſt attribuere propriam hypoſtaſim humanæ naturæ in Chriſto & propriam perſonam.Quod intelligẽtes SS. Patres* ϒtrumque *in Concilio Quinto apud Conſtantinopolim celebrato damnaverunt, dicentes:Siquis introducere conetur in myſterio Chriſti duas ſubſiſtentias, ſeu duas perſonas,anathema ſit,&c.Subſiſtentia autem idẽ eſt quod res ſubſiſtens, quod eſt proprium hypoſtaſis,*ϒt *patet per Boetium in libro de duabus naturis.* Addendumque eſt, in eodem Cõcilio V.ſæpiſsimè, præſertim verò in Confeſſione Rectæ Fidei Iuſtiniani Imperatoris pag. 350. & 355. apud Binium,pro vno eodemque haberi ὑπόστασιν καὶ πρόσωπον, id eſt, ſubſiſtentiam & perſonam. Ibidemque inter Capitula,ſeu Canones,primo loco definitur,Trinitatem conſubſtantialem,& vnam Deitatẽ, &c.

ἐν τρισὶν ὑποστάσεσιν, ἤγουν προσώποις προσκυνουμένην, id eſt, *in tribus ſubſiſtentijs, ſiue perſonis, adorandam*: idque indicto anathemate contrà ſentientibus. Vide Petavium lib. 4. de Trinit. cap. 3. num. 6. & plura alia huc ſpectantia infrà Diſp. LXXVII. num. 10. 11. & 12. Verùm inde neutiquam ſuadetur, ſubſiſtētiam, vel perſonalitatem vſurpatam in ſenſu Scholaſticorum, non reddere humanitatē Chriſti ſubſiſtentem, vt ſatis probatum eſt.

DISPVTATIO LXXVI.

AN SVBSISTENTIA CREATA SIT ALIQVID REIPSA DISTINCTVM AB exiſtentia ſubſtantiæ.

HANC Etiam controuerſiam tractauimus in Metaphyſica diſp. 7. per totam. Verùm poſtea conſultis Recentioribus quibuſdam, quorum ſcripta aut nondum eo tempore edita fuerant, aut à nobis nondum viſa, placuit eam iterum exagitare, corrigere, & augere: quoniam plurimum momenti afferet ad agnoſcendam penitiùs conſtitutionem diuinarum perſonarum. Supponimus verò ex præcedenti Diſput. ſubſiſtentiam creatam eſſe aliquid poſitiuè ac reipſa additum: in quo plerique Theologi contra Durandum & Scotum conueniunt. Nunc concertatio noſtra eſt cum præcipua Thomiſtarum parte, An ſubſiſtentia ipſa ſit aliquid reipſa diſtinctum ab exiſtentia ſubſtantiæ, ſiue ſuppoſiti, & perſonæ. Pro quo etiam ſupponenda eſt cum ijs omnibus realis diſtinctio exiſtentiæ à qualibet eſſentia creata, quam nos fusè tradidimus in Phyſica diſp. 10. per totam. Porrò Anſelmus anſam præbet huic Diſputationi loco & verbis allegandis infrà num. 5 fine.

SECTIO PRIMA.

Auctoritate SS. Patrum; atque in ijs Anſelmi, & variis teſtimonijs D. Thomæ multipliciter expenſis, oſtenditur contra Caietanum, & pleroſque ex Thomiſtis, ſubſiſtentiam non eſſe aliquem actum medium inter eſſentiam, & exiſtentiam, diſtinctum reipſa ab vtraque earum.

2 PRIOR Thomiſtarum ſententia docet, ſubſiſtentiam non ſolùm diſtingui à natura individua, ſed etiam ab exiſtentia ipſius, eſſeque modum intermedium, quo natura ſubſtantialis conſtituitur ſuſceptiva *vt quod* exiſtentiæ, veluti actualitatis ſuperadditæ. Ita Caietanus 3 p. q. 4. art. 1. Bañez 1. part. quæſt. 3 art. 3 dub 1. Ioannes à S. Thom. ibid. diſp. 4. art 3. Godoy 1. part. diſp. 80. num. 116. Labat de Trinit. diſp. 3. dub. 1. & Philippus à SS. Trinitatē 3. part. Summæ Phil. quæſt. 20. art. 1. quem allegat & ſequitur ex eadem Thereſiana doctiſsima & obſervantiſsima Familia Ioannes ab Annuntiatione in Additionibus ad Curſum Complut. ab ipſo abbreviatum.

3 CÆTERVM Longè veriorem exiſtimo ſententiam oppoſitam aliorū Thomiſtarum, præſertim Veterum, qui nullam agnoſcunt diſtinctionem inter exiſtentiam naturæ ſubſtantialis individuæ, & ſubſiſtentiam ipſius: ſicuti neque inter exiſtentiam accidentis, eiuſque inexiſtentiam. Ita Capreolus in 3. diſt. 5. quæſt. 3. ad argum. contra 3. concl. Paludanus in 3. diſt 1 q. 1. art. 3. Deza Archiep. Hiſpalenſis in 1. diſt. 4. ſect. 2. Zumel 1. part. quæſt. 3. art. 3 Blaſius à Conceptione in Metaphyſ. diſp 8. quæſt. 3. Deinde, Suarez diſp. 34. Metaph. ſect. 4. §. 3. num. 12. cenſet, ſi ſupponatur ſemel realis diſtinctio exiſtentiæ creatæ ab eſſentia, longè probabilius eſſe, ſubſiſtentiam ab exiſtentia ſubſtantiæ non differre, quàm op-

poſita

poſitum. Idem exiſtimat Alderete diſput. 40. de Incarnat. ſect. 1. num 12. Alioqui verò ij duo Authores, ſicuti & reliqui ferè Societatis, cùm doceant, exiſtẽtiam nullatenus differre in creatis ab eſſentia, & hanc diſtinguant reipſa à ſubſiſtentia, conſequens eſt, vt ſubſiſtentiam ipſam ab exiſtentia diſtinguant, ſicuti ab eſſentia: quoniam quæ ſunt eadem inter ſe, diſtinguuntur ab vno tertio. Nos verò quibus ſemper probabilior fuit realis inter eſſentiam & exiſtentiam diſtinctio, tanquam veritati conformior, & expreſſa mens S. Doctoris (vt in Phyſica oſtendimus diſp. 10. per totam) iuxta hanc poſteriorem opinionem exiſtimamus, ſubſiſtẽtiam non eſſe quid medium inter eſſentiam & exiſtentiam; ſed aliquid realiter indiſtinctum ab exiſtentia naturæ ſubſtantialis, prout individua: ac proinde effectum formalem ſubſiſtentiæ eſſe reddere ſubſtantiam exiſtentem perſe.

4 PROBATVR I. Ex doctrina communi SS. Patrum apud Theorianum in Biblioth. Græcolatina ipſorum tom. 2. editionis Pariſienſis anni 1624. pag. 442 vbi expreſsè habetur, Sanctos Patres ſubſtantiam, ſive *οὐσίαν* definiſſe ſic: *Subſtantia eſt primò ac propriè, quidquid per ſe ſubſiſtens eſt, & non in altero habet eſſe. Quid eſt autem per ſe ſubſiſtens? Quod per ſe eſt, & non propter aliud: neque in altero habet eſſe: hoc eſt, quod non indiget aliquo alio extra ſe, vt exiſtat.* Expendo ſic. Id conſtituit formaliter ſubſtantiam ſubſiſtẽtem, quod ipſi præſtat, vt per ſe exiſtat, & non propter aliud, neque in altero, vt Patres docẽt. Sed ſubſtantialis exiſtentia præſtat ſubſtantiæ, vt per ſe exiſtat, & non propter aliud, neque in altero. Ergo ſubſtantialis exiſtentia conſtituit formaliter ſubſiſtens. Probatur minor: quia exiſtentia ſubſtantialis eſt exiſtentia per ſe; cũ eſſe exiſtentiam, habeat ex communi illa ratione, qua exiſtentia abſtrahit à ſubſtantiali, & accidentali: eſſe autem exiſtentiam per ſe habeat ex conceptu peculiari, ſeu prout exiſtentia ſubſtantialis eſt. Ergo communicata naturæ ſubſtantiali præſtat ſubſtantiæ, vt per ſe exiſtat, ac proinde non propter aliud, neque in altero. CONFIRMATVR. Illud *eſt per ſe ſubſiſtẽs*, iuxta teſtimonium allegatum, *quod non indiget aliquo alio extra ſe, vt exiſtat.* Sed ratione exiſtentiæ ſubſtantia non indiget aliquo alio extra ſe, vt exiſtat. Ergo ratione exiſtentiæ ſubſtantia eſt, ſive conſtituitur per ſe ſubſiſtens. Probatur minor: quia ratione exiſtentiæ ſubſtantialis exiſtit per ſe. Ergo non indiget aliquo alio extra ſe, vt exiſtat.

5 ET Sanè hanc ſententiam videtur tradidiſſe Anſelmus ſuprà cap. 5. circa finem, vbi ita loquitur: *Quemadmodum enim ſe ſe habent ad invicem lux, & lucere, & lucens: ſic ſunt ad invicem eſſentia, eſſe, & ens, hoc eſt exiſtens ſiue ſubſiſtens. Ergo ſummæ eſſentiæ, & ſummè eſſe, & ſummè ens, id eſt, ſummè exiſtens, ſiue ſummè ſubſiſtens, non diſſimiliter ſibi conveniunt, quam lux, & lucere & lucens.* Vbi generatim in eſſentia, ſive ſubſtantia, pro eodem accipit exiſtere per ſe, ac ſubſiſtere: ſimiliterque in eſſentia, ſive ſubſtantia divina, vnum & idem cenſet exiſtere ſummè per ſe, ac ſubſiſtere ſummè. Vide eundem Anſelmũ infrà Diſp. LXXVII ſect. 1.

6 PROBATVR II. Expreſsis Div. Thom. teſtimonijs, quorum aliqua ſolùm è pluribus exſcribam, in quibus apertè tradit, ſubſiſtentiam & exiſtentiam per ſe eſſe vnum & idem. Nam 1. part quæſt. 29. art. 2 corpore, inquit: *Illa enim ſubſiſtere dicimus, quæ non in alio, ſed in ſe exiſtunt.* Et quæſt. 21. de Verit. art. 1. corp. *In quolibet autem ente eſt duo cõſiderare: ſcilicet ipſam rationem ſpeciei, & eſſe ipſum, quo aliquod ſubſiſtit in ſpecie illa.* Vbi, vt vides, docet ſpeciem ratione ipſius *eſſe*, ſive exiſtentiæ, ſubſiſtere. Præterea cap. 5. de Ente & eſſentia paulo ante finem ait: * Quia intelligentis quidditas eſt ipſamet intelligentia, ideo quidditas vel eſſentia eius, eſt ipſum quod eſt ipſa; & eſſe ſuum receptum à Deo, eſt id quod ſubſiſtit in rerum natura: & propter hoc à quibuſdam huiuſmodi ſubſtantiæ dicũtur cõponi ex quo eſt, vel ex eſſe & eſſentia. * Nec ſolùm à quibuſdam id dicitur, quaſi locus eſſet accipiendi verba D. Thom. tanquam ex aliorum ſenſu loquentis, ſed ab ipſo S. Doctore expreſsè eadem doctrina traditur ex proprio ſenſu Quodlib. 9. q. 4. artic. 9. corp. his verbis: * Sed quia ſubſtantia Angeli non eſt ſuum eſſe (hoc enim ſoli Deo competit, cui eſſe debetur à ſeipſo, & non ab alio) invenimus in Angelo, & ſubſtantiam ſive quidditãtem eius, quę ſubſiſtit, & eſſe eius, quo ſubſiſtit; quo ſcilicet actu eſſendi dicitur eſſe, ſicut actu currendi dicitur aliquis currere. Et ſic dicimus, Angelum compoſitum eſſe ex quo eſt, & quod eſt; & quia ipſa ſubſtantia Angeli eſt in potentia ad eſſe, ideo eſt in eo compoſitio actus & potentiæ. *, Vbi *eſſe*, quo Angelus ſubſiſtit, appellat actum eſſendi, quæ apud eum eſt propria nota exiſtẽtiæ. Ac denique q. 9. de Potentia, art. 3. ad 6. *, Dicendum quòd licèt ſubeſſe, à quo imponitur vocabulum ſubſiſtendi, Deo non conveniat; tamen per ſe eſſe, ad quod ſignificandum imponitur, cõperit ei. * Igitur ſubſiſtentia, ſeu ſubſiſtere convenit abſolutè, & ex parte rei ſignificatæ Deo, quia competit ipſi eſſe per ſe, atque adeò propria ratio ſubſiſtentis eſt per ſe exiſtere.

7 RESPONDEBIS Fortè pro Adverſarijs, S. Thomam non loqui de eſſe forma-

ſi per ſe, quod in exiſtentia conſiſtit, ſed de eſſe per ſe aptitudinali, quod etiam convenit ſubſiſtentiæ præſuppoſitæ, & medianti inter eſſentiam, & exiſtentiam, vt Caietanus vult.

8 SED Contra I. Quia D. Thomas contradiſtinguit illud quod *ſubſiſtere* ſignificat, ab eo vnde huius vocis ſignificatio deſũpta eſt. At id, vnde vocis huius ſignificatio eſt deſumpta, eſt ipſum *eſſe* aptitudinale, non verò formale. Ergo id quod ſignificat ſubſiſtere, non eſt eſſe aptitudinale, ſed formale. Patet conſequentia: nam alioqui res ſignificata per hanc vocem *ſubſiſtere*, ſeu ſubſiſtentia, non diſtingueretur à re vnde vocis eius ſignificatio deſumitur: ſicque nugatoria & inutilis eſſet Div. Thomæ contrapoſitio ac diſtinctio inter ſubſiſtentiam ex parte rei ſignificatæ, & ex parte rationis, ſeu etymologiæ ad ſignificãdum. Minor verò præcipua, in qua probanda ſolùm poteſt apparere difficultas, patet: Quia id à quo imponitur vocabulum ſubſiſtendi, eſt ipſa potentia ad eſſe per ſe, ſub quo eſt ſubſtantia, vt idem S. Doctor aſſerit. Ergo id vnde ſignificatio huius vocis *ſubſiſtere* eſt deſumpta, eſt ipſum eſſe aptitudinale, non verò formale: potentia enim, ac ſubſtantia ex ſe ſolùm importat aptitudinem ad eſſe, ſive ad actum eſſendi.

9 CONTRA II Quia idem Sanct. Doctor 1. ad Hanibaldum diſtinct. 23. q vnica, expreſsè loquens de eſſe formali, inquit: *Eſſe ſignificat id, quod eſt in omnibus generibus commune; ſubſiſtere verò, ſpecialem modum eſſendi, qui competit ſubſtantiæ, ſcilicet, eſſe per ſe* Igitur formalis ratio exiſtentię communis ſubſtantiæ, & accidenti, contrahitur ad rationem ſpecialem exiſtendi per ſe: ſicut ratio entis communiſsima contrahitur in ſubſtantia ad rationem entis per ſe. Ergo quemadmodum in ſubſtantia ratio entis per ſe non eſt quid diſtinctum à ratione entis, ſed ipſa ratio entis, prout determinata ad perfectatem ſecum identificatam; ſic etiam in eadem ſubſtantia ratio ſubſiſtentiæ formalis non eſt quid diſtinctum à ratione communiſsima exiſtentiæ, ſed ipſa ratio communis exiſtẽtiæ, vt determinata ad perfectatem, ſeu rationem exiſtentiæ per ſe. Similiterque perſonalitas non eſt quid reipſa diſtinctum à ratione communiſsima exiſtentiæ, neque à ſpeciali ratione exiſtentiæ ſubſtantialis, ſeu per ſe; ſed ipſa ratio exiſtentiæ ſubſtãtialis, vt rurſum determinata ad ſpecialiorem modum exiſtendi per ſe, ſive ſubſiſtendi incõmunicabiliter prout in natura rationali. Quod poſtremum ipſe D. Thom. apertè indicat *in* 1. *diſtinct* 32 *q.* 1. *art.* 2 dum ait: *Perſona ſignificat quid completum ſubſiſtens, vel exiſtens in natura intellectuali.*

10 CONFIRMAT. Argument. præcipuum: Nam 1. part. q. 29 art. 3 inquit: *Perſona ſignificat id, quod perfectiſsimũ eſt in tota natura.* Et in 3. diſtinct. 5. q. 3. art. 3. corp. opportuniùs adhuc, ait: *Eſt contra rationem perſonæ, quod trahatur ad aliquod ſe completius, quia perſona importat maximam completionem.* Et 3. Contra Gent. cap. 38. *Hypoſtaſis eſt completiſsimum in genere ſubſtantiæ.* Ex quibus invictum argumentum efformari poteſt ex mente Sancti Doctoris. Si enim ſubſiſtentia eſſet aliquis actus præcedens in natura ſubſtantiali pro aliquo priori naturæ ad exiſtentiam per ſe ſuperadditam realiter, vt Caietanus vult; perſona non ſignificaret quid perfectiſsimum in tota natura: quia non includeret in ſe actum vltimum in linea ſubſtantiæ, ſed eſſet in via ad illum media ſubſiſtentia. Rurſus, eo ipſo ratio perſonæ non importaret maximam completionem, ſed adhuc expectaret vltimum complementum ab exiſtentia per ſe ſuperveniente, & proinde traheretur ad aliquid ſe completius, nimirum, ad rationem exiſtentis per ſe. Denique hypoſtaſis non eſſet quid completiſsimum in genere ſubſtantiæ, cùm vſque ad adventum exiſtentiæ poſtremo loco receptæ nondum haberet vltimum complementum. Hæc autem omnia ex diametro contradicunt verbis, & ſenſui D. Thomæ. Ergo ſubſiſtentia non eſt aliquis actus præcedens in natura ſubſtantiali, aut rationali, pro aliquo priori ad exiſtentiam per ſe ſuperadditam realiter, vt Caietanus vult: ſed potiùs eſt actus vltimus & perfectiſsimus vtriuſque, nullum alium expectans intra genus ſubſtantiæ, vt ipſe S. Doctor ſæpiſsimè de exiſtentia inquit, præſertim q. 7. de Potentia, art. 2. ad 9. & 1. contra Gent. 28. & 1. part. q. 4. art. 1. ad 3. & Opuſc. 37. cap 1.

11 CONFIMATVR II. Nam locis num. 6. allegatis, expreſsè docet in Angelis vnicam compoſitionem dari intra genus ſubſtantiæ, ſcilicet, eſſentiæ & exiſtentiæ; in rebus verò materialibus duplicem compoſitionem; vnam ex materia & forma; aliam verò ex eſſentia & eſſe. At ſi ſubſiſtentia eſſet quid medium inter eſſentiam ſubſtantiæ & exiſtẽtiam daretur in Angelis duplex compoſitio, in rebus autem materialibus triplex. Ergo cùm hoc ſit apertè contrarium D. Thomæ relatis locis, etiam contra ipſius mentem eſt, quòd ſubſiſtentia ſit aliquid medium inter eſſentiam ſubſtantiæ, & exiſtentiam. Probatur minor. Hoc enim ipſo quòd ſubſiſtẽtia eſſet quid medium inter eſſentiam ſubſtantiæ, & exiſtentiam, eſſentia Angeli duplicem compoſitionem realem haberet, vnam cum ſubſiſtentia, & alteram cum exiſtentia realiter ſuperveniente iuxta Caietanum; ſimiliterque eſſentiæ materiales, vltra eam duplicẽ cõpoſitionem, haberent aliam tertiam ex materia & forma.

RES-

12 RESPONDEBIS Ex doctrinâ Adverſariorum negando minorem : quia ſubſiſtentia ſolùm comparatur ad eſſentiam per modum termini, ac proinde non facit cum eâ compoſitionem, ſicut neque punctum cum lineâ ob eandam cauſam. Quare licèt ſubſiſtentia ſit aliquid diſtinctum ab exiſtentia, & naturæ ſupperadditum, non infertur in Angelo dari compoſitionem duplicem, nec in rebus materialibus triplicem; ſed vnicam in Angelis ex eſſentiâ & exiſtentiâ; in rebus, verò materialibus aliam præterea ex materiâ & formâ.

13 SED Contrà I. Nam, vt expreſsè docet S. Thomas *cap. 5. de Ente, & Eſſentia*, quidquid non eſt de conceptu eſſentiæ & quidditatis, advenit exteriùs, & facit cum ipsâ eſſentiâ compoſitionem. At iuxta Caietanum ſubſiſtentia media inter eſſentiam, & exiſtentiam, non eſt de cõceptu eſſentiæ & quidditatis ſubſtantialis: aliàs non eſſet quid ipſi realiter ſupperadditum, vt omnes contra Durandum docent. Ergo ſubſiſtentia illa media Caietani facit cum ipsâ eſſentiâ ſubſtantiali compoſitionem. Propterea què dabitur in Angelis duplex compoſitio, & in rebus materialibus triplex.

14 CONTRA II Quoties duo ſe habent vt actus & potentia, ex quibus reſultat vnum per ſe in aliquo genere, neceſſum eſt vt componant aliquod tertium. Sed eſſentia, & ſubſiſtẽtia media Caietani ſe habent, vt actus & potentia, ex quibus reſultat vnum per ſe in genere ſubſtantiæ. Ergo neceſſum eſt vt eſſentia & ſubſiſtentia illa Caietani componant aliquod tertium. Maior eſt certa : Quia nomine & reipsà compoſitionis alicuius tertij nihil aliud intelligitur in genere ſubſtantiæ, quàm vnio duorum ſe habentium per modum actûs & potentiæ. Minor autem probatur quoad vtramque partem. Quò ad poſteriorem quidem: nam ſuppoſitum eſt ens, & vnum per ſe. Sed ſuppoſitum reſultat ex eſſentiâ & ſubſiſtentiâ. Ergo ex eſſentia & ſubſiſtentia reſultat vnũ per ſe. Quò ad priorem verò partem probatur: nam quoties aliqua duo ſe habent, alterum vt complebile, & perfectibile, alterum vt complens & perficiens etiam ſe habent per modum actûs & potentiæ. Sed eſſentia ſe habet, vt quid perfectibile, & complebile a ſubſiſtentia Caietani; hæc verò vt complens & perficiens eſſentiam: ideoque D. Thom. locis num. 10. allegatis docuit, perſonam ſignificare id quod perfectiſsimum & completiſsimum eſt in genere ſubſtantiæ. Ergo eſſentia & ſubſiſtentia ſe habent vt actus & potentia. *Secundò* probatur eadẽ poſterior minoris pars ex doctrinâ Ariſtotelis, lib. 6. Metaphyſ. textu 4. & lib. 9. textu 1. ac D. Thomæ ibidem, aſſerentium, omne ens, vel eſſe actum, vel potentiam, & rationem entis adequatè dividi in hęc duo membra, vt & ipſe S. Doctor expreſsè habet 2. contra Gent. cap. 54. ſub finem. Sed ſubſiſtentia illa Caietani eſt aliquod ens. Ergo vel actus, vel potentia. At relatè ad eſſentiam non eſt potentia, cùm perficiat & compleat illam, quod proprium eſt actûs. Ergo ſubſiſtentia comparatur ad eſſentiam veluti actus ad potentiam.

15 CONTRA III. Et præcluditur alia evaſio obvia Adverſarijs. Licèt enim de conceptu ſubſiſtentiæ, prout abſtrahit à creatâ & increatâ, non ſit ratio actûs in formantis (aliàs in Deo non daretur ſubſiſtentia formaliter, nec divina poſſet terminare naturam humanam) de conceptu tamen formali ſubſiſtentiæ creatæ, vt creatæ, eſt quòd ſit actus informans eſſentiam. Ergo ſi in Angelis datur ſubſiſtentia illa media Caietani, dabitur compoſitio vera ex eſſentia Angeli, vt potentiâ paſsivâ, & ſubſiſtentiâ, vt actu informante. Conſequentia probatione non eget. Antecedens verò multipliciter probatur I Quia de conceptu ſubſiſtentiæ creatæ vt creatæ, non eſt præcisè quod ſit actus terminans abſque aliqua ſui receptione: ſic enim eſſet infinita in genere ſubſiſtentiæ, ſicut iuxta D. Thomam 1. p q 50. art. 2. ad 4. Angeli ſunt infiniti inferiùs, quia ſunt formæ ſubſiſtentes irreceptæ; licèt ſint finiti ſuperiùs, quia recipiunt ſuum eſſe à ſuperiori: ac proinde poſſet ſubſiſtentia creata terminare naturam alienam, quia ſubſiſtentia infinita poteſt terminare quãlibet naturam finitam.

16 SECVNDO Probatur idem antecedens: Quia ſi de ratione ſubſiſtentiæ creatæ, vt creatæ, non eſt quòd ſit actus informans, ſed purè terminans eſſentiam, ſive naturam, fruſtra & ſine cauſa erit communis illa Theologorum difficultas circa vnionem Verbi ad humanitatem Chriſti, quam ineffabilem cenſent, quoniã apparet impoſsibile potuiſſe vniri ſubſiſtentiam Verbi alicui naturæ, eam purè terminando, & non etiam informando. At tota hæc difficultas nulla erit, ſi de ratione ſubſiſtẽtiæ creatæ, vt creatæ, non eſt quòd ſit actus informans eſſentiam ſed purè terminans. Nam quod à finita ignobilique ſubſiſtentia præſtari dicitur, abſque vllo informationis nævo; quid mirum quòd abſque illo præſtetur à ſubſiſtentia infinita? Cùm ergo difficultas illa communis Theologorum fruſtranea non ſit, & vnio hypoſtatica ex illo capite admirabilis iure, ac meritò cenſeatur; aſſerendum eſt, ſubſiſtentiam creatam, vt creatam, non eſſe actum purè terminantem, ſed etiam informantem.

17 TERTIO: Quia exiſtentia creata, vt creata, non eſt actus purè terminans, ſed ſimul informans, etiam in opinione Adverſariorum, cùm fateantur in Angelis compoſitionem ex eſſen-

ſentia &exiſtentiâ ſuperiùs ex D.Thomâ ſtatutam. Ideoque conſequẽter aiunt, naturam humanam Chriſti exiſtere per Verbi exiſtentiam: quia hæc non habet informare ex conceptu formali exiſtentiæ prout abſtrahit à creata & increata: ſed ex peculiari, quatenus creata eſt. Ergo idem dicendum de ſubſiſtentiâ creatâ, vt creata eſt. *Quartò* a priori probatur idem antecedens. Nam id ſe habet per modum actûs informantis in genere ſubſtantiæ, quod perficit & complet potẽtiam paſsivam eiuſdem generis per modũ actûs incompleti, & non habentis integrum eſſe ac perfectũ Ideoque anima rationalis, & exiſtẽtia, & vniversè loquẽdo quævis forma ſubſtantialis, eſt actus informans intra genus ſubſtantiæ. Sed ſubſiſtentia creata, vt creata, perficit & complet potentiam paſsivam eſsẽtiæ per modũ actûs incompleti, & non habentis integrum eſſe, ac perfectũ, vt ex ſe patet. Ergo ſubſiſtentia creata, vt creata, in genere ſubſtantiæ ſe habet per modum actûs informantis eſſentiam. *Quintò*. Omnis actus pendens à ſubiecto, tanquam à cauſa materiali *in qua*, eſt vere actus informans, vt patet inductione. At ſubſiſtentia illa media Caietani pendet à ſubiecto, ſive eſſentiâ, tãquam à cauſâ materiali *in qua*: nam in eâ recipitur tanquam in ſubiecto à quo neceſſariò dependet in ſuo fieri, & eſſe. Ergo ſubſiſtentia illa eſt actus informans eſſentiam. Verè ergo componit cum illâ, atque adeò in Angelis vltra compoſitionem ex eſſentiâ & eſſe, dabitur alia ex eſſentia, & ſubſiſtentiâ. quod Div. Thomas negat.

18 NEQVE Exemplum de puncto favet ſolutioni contrariè. nam punctum, cùm ſit modus adiacens naturaliter lineæ, & in eâ vt ſubiecto materiali receptus, à qua pendet in eſſe & fieri, verè facit compoſitionem cum linea. Quod planè ſupponere videntur omnes Peripatetici cum Ariſtotele, dum docent, continuum componi, tum ex partibus, tum etiam ex indiviſibilibus. Sed & circa hoc ipſum in ſpecie conſule Suarez in Metaph. diſp. 34. ſect. 4. num. 39.

19 AT Oppones varia teſtimonia D. Thomæ adverſus reſolutionem traditam. *Primum* ex Quodlibeto 2. q. 2. art. 4. ad 2. vbi docet eſſe non includi in ratione ſuppoſiti Angelici, ac proinde non debere poni in ipſius ſuppoſiti definitione. At ſubſiſtentia eſt de ratione ſuppoſiti Angelici, & iuxta omnes ponitur in ipſius ſuppoſiti definitione. Ergo iuxta Div. Thomam ſubſiſtentia Angeli eſt quid omnino diſtinctum ab ipſius exiſtẽtiâ. *Secundum* ex 3. part. quæſt. 12. art. 2. ad 1. vbi inquit, *eſſe* conſequi ad hypoſtaſim, tanquam ad id quod habet eſſe; ad naturam verò, tanquam ad id, quo aliquid habet eſſe. Sed id quod ſequitur aliud, diſtinguitur ab illo realiter Ergo *eſſe*, ſivè exiſtentia, diſtinguitur realiter ab hypoſtaſi, ſeu ſubſiſtentia. *Tertium* ex eâdem 3 p. q. 35. art. 5. corp. & ſolut. ad 1. vbi tradit, filiationem reciprocam formaliter in hypoſtaſi, ideoque in Chriſto non fuiſſe filiationẽ realem in tempore ad Matrem, quia *non eſt in Chriſto hypoſtaſis receptiua filiationis temporalis*. Igitur hypoſtaſis iuxta D. Thomam eſt ſubiectum receptivum filiationis. At iuxta eundem S. Doctorem pluribus in locis, maxime 2 *contra Gent. cap.* 52. eſſe, ſive exiſtentia, non eſt ſubiectum receptivum alicuius accidentis. Ergo eſſe, ſive exiſtentia, eſt quid diverſum ab hypoſtaſi. *Quartum* ex 1 part. quæſt. 50. articul. 2. ad 3. & cap. 5. de Ente & eſſentia, & Quodlibeto 9. art. 3 vbi docet, *eſſe*, ſeu exiſtentiam facere compoſitionem cum eo quod eſt. At illud quod eſt, procul dubiò eſt ſuppoſitum. Ergo *eſſe* exiſtentiæ facit compoſitionem cum ſuppoſito. Sed ſubſiſtentia non facit compoſitionem cum ſuppoſito, ſicut neque anima cum homine, vtpote ratio formalis eiuſdem conſtitutiva. Ergo de primo ad vltimum eſſe exiſtẽtiæ eſt quid diſtinctum realiter à ſubſiſtentiâ.

20 HÆC Tamen minimè obſtant: & ex eiuſdem S. Thomæ doctrina, tum locis in obiectione indicatis, tum alibi ſparſis, ſolvuntur ab eius Diſcipulis latè impreſenti, quorum tamen ſolutiones breviter præſtringere oportet. *Ad primum* teſtimonium dicendum, *eſſe* non includi in ratione ſuppoſiti ſpecificativè, & prout e primit ſolùm naturam ſpecificam; ſecus tamen in ratione ſuppoſiti formaliter accepti, ſive prout ſuppoſitum eſt, Sic enim idẽ S. Doctor ait eo loco *eſſe* pertinere ad ſuppoſitum & per illud habere, vt à naturâ diſtinguatur. Vnde patet, hoc poſteriori ſenſu *eſſe* debere poni in ipſius ſuppoſiti definitione. *Ad ſecundum*, patet Div. Thomam non loqui de ſequelâ phyſicâ, quæ denotat cauſalitatem, ac diſtinctionem realem; ſed de ſequela logica, & ſolam rationis diſtinctionem arguente; quia loquitur de *eſſe*, & hypoſtaſi Verbi divini, inter quæ ſola hæc poſterior diſtinctio eſt. Tantùm itaque ex eo loco colligitur, *eſſe* in Chriſto Domino ſequi logicè & ſecundùm rationẽ ad hypoſtaſim: quia hypoſtaſis relativa, ſeu perſonalitas Verbi, primariò, & pro aliquo priori rationis communicatur naturæ aſſumptę, antequam ipſi intelligatur vniri exiſtẽtiam Verbi abſolutam: de quo redibit ſermo *ſect ſeq.* Vide ibi num. 50. & 51. *At tertium* conceſſo primo enthymemate, dicendum, exiſtẽtiam per ſe & ratione ſui præcisè, quà vltimus actus eſt nõ recipere aliquod accidẽs; cæterũ ratione ſubiecti in quo recipitur, & à quo limitatur, potentialiſque redditur, poſſe recipere aliquod acci-

accidens,ſaltem relativæ filiationis, quæ eſt proprietas ſuppoſiti perfecti & omnino cõpleti.Etenim partes cõſtituentes aliquod totum per informationem ac receptionẽ limitantur ad invicẽ,ac viciſsim quoddãmodo ſibi cõmunicãt imperfectionem propriam, vt poſtea n.27.adnotabimus. *Ad quartum*, diſtinguenda eſt maior: Eſſe,ſive exiſtentia facit cõpoſitionem cũ eo quod eſt, adæquatè ſumpto,& ſecũdum omnia quæ includit; negotinadæquate ſumpto, & penes ſolã naturam conſiderato,concedo maiorẽ:& prętermiſſa minore,nego conſequentiã ſub eadem diſtinctione maioris.Eodẽ pariter ſenſu diſtinguenda eſt minor ſubſumpta: quia licèt ſubſiſtentia ſit ratio formalis conſtitutiva ſuppoſiti,poteſt dici quoddamodo facere cõpoſitionem,ſeu cõponere cum illo, ſcilicet,inadæquatè ſumpto. Sic etiam dici poteſt,caput facere cõpoſitionem cũ humano corpore,quamquã alioqui illud conſtituat,& lux cum lucido,& anima cũ corpore organico,& quælibet forma cum ſuo ſubiecto formato.Nimirum in ijs,alijſque ſimilibus locutionibus,totum non accipitur reduplicativè,& prout continet omnes partes quibus componitur,& inter eas partẽ illam, cum qua componere dicitur;ſed ſpecificativè ſolùm , & ſecundùm cæteras partes,quæ ſtrictè cõponunt cum illa de qua eſt ſermo. Alioqui ipſe S.Doctor (quod maximè notatum volo)Opuſc.48.tract.2.cap.2.expreſsè agens de eſſentia , ſive natura, & exiſtentia; ſtatuenſque diſtinctionem realem inter vtrãque,docet ex ijs duabus conſurgere ſuppoſitum,tamquam ex potẽtia & actu.Ait enim. *Ergo eſſe actualis exiſtẽtiæ differt realiter ab eſſentia.Vnde circa primum in quacũque ſubſtantia creata eſt compoſitio eſſe & eſſentiæ, quæ non eſt compoſitio materiæ & formæ,ſed eſt compoſitio duorum principiorũ ſuppoſito, quorum eſſentia eſt potentia,& eſſe eſt actus.* Quid expreſsius.

SECTIO SECVNDA.

Præmittuntur quædam;& variis rationibus probatur, exiſtentiam ſubſtantialẽ quatenus individuam , ſeu quatenus naturam individuam perficit & complet, eſſe rationem vltimò conſtitutiuam ſuppoſiti , ac veram illius ſubſiſtentiam , ſiue hypoſtaſim.

21 ASSERTVM Vt rationibus probem iterumque mediam illam Caietani ſubſiſtentiam impugnem,nonnulla præmittenda ſunt.*Primum*, tam in illius opinione,quàm noſtra,ſuppoſitum non conſtitui adæquatè per ſubſiſtentiã, ſive hæc diſtinguatur,vt ille exiſtimat,ſive nõ diſtinguatur realiter ab exiſtentia naturæ individua.Ratio eſt manifeſta:quia ſuppoſitũ importat quid completum in genere ſubſtãtię; ac proinde nequit conſtitui adæquatè per aliquid incompletum,quale eſt ſubſiſtentia, in quocũque demum illa conſiſtat. Oportet itaq;vt in ratione eſſentiali ſuppoſiti includatur aliquid aliud,nempe natura,ex qua & ſubſiſtentia ſimul totũ aliquod per ſe reſultet.Rurſus nec ſufficit qualiſcumque natura, ſed ſolùm completa,ad rationem ſuppoſiti, ſicut & perſonæ.Nam ratio ſuppoſiti & perſonæ eſt cõpleti ſsima in genere ſubſtantiæ. Quare animus rationalis à corpore ſeparatus,licèt ſubſiſtens ſit,non eſt ſuppoſitũ, nec perſona:idẽque à fortiori eſſet de quavis forma materiali,dato per poſsibile aut impoſsibile,quòd ſeorſim à materia ſubſiſteret. Vnde demũ colligitur,de ratione eſſentiali ſuppoſiti eſſe ſubſiſtentiam ſimul & naturã cõpletam,ſive hæc ſit ſimplex vt natura Angelorum,ſive compoſita ex materia & forma.

22 PRÆMITTENDVM II. Suppoſitũ duo hæc indiſpenſabiliter importare; alterum,quòd ſit aliquid diſtinctum, & incommunicabile in natura ſubſtantiali;alterũ verò,quòd ſit aliquid ſubſiſtens,in eadem ſubſtantiali natura.Vtrumque iuxta D.Th.in 1 diſt.23.q.1.art.3.corp. ita neceſſarium eſt, vt quolibet ex ijs deficiente , tollatur ratio ſuppoſiti. Proptereaque infert, hoc nomen *Deus*, licèt ſignificet naturam divinam per modum ſubſiſtentis, nullatenus ſignificare perſonam aut ſuppoſitum divinũ,quia deeſt illi prima ratio è duabus aſsignatis;ſcil cet, quia non exprimit aliquid diſtinctum & incommunicabile in natura divina. Quæ doctrina latè confirmabitur Diſp. ſequent. Similiter & defectu ſecundę rationis paternitas,filiatio,ac ſpiratio paſsiva, nõ ſignificãt ſuppoſitũ aut perſonã divinã:quia licèt ſignificent aliquid diſtinctum & incõmunicabile in divinis,non tamen ſignificãt aliquid per modum ſubſiſtentis:nimirum,nulla triũ illarũ exprimit niſi rationẽ formæ relativæ; in qua non explicatur concretum aliquod, vti neceſſum eſt ad ſignificandã perſonã,vel ſuppoſitum.Ratio autem huius doctrinæ eſt conſectaria præcedenti:quia cùm ſuppoſitũ & perſona importent aliquid completum & perfectum in genere ſubſtantię,debent illud ſignificare abſque præciſsione & per modũ totius,qualiter concreta ſignificant;non verò cum præciſsione , & per modum partis, quod proprium abſtractorum eſt.Ergo relationes divinæ in abſtracto conſideratæ non ſignificant ſuppoſitum aut perſonam.

23 VNDE, Et cohærenter, infertur,

defectu ſecundæ conditionis, nullũ accidẽs, ne ſeparatum quidẽ divinitus à ſubiecto, eſſe ſuppoſitũ: quia illi repugnat ſubſiſtere, ſeu, quod perinde eſt, exiſtere per ſe, & ſine ordine ad aliud vt ſubiectũ inhæſionis. Præterea colligitur, eiuſmodi ſubſiſtens, ſive ſuppoſitum modò explicatũ, excludere cõmunicabilitatem triplicẽ, quæ excogitari poterat intra genus ſubſtantię. Primã per modũ prędicati vniverſalis: quia ſuppoſitũ ſignificat naturam determinatã & in particulari individuo ſubſiſtentẽ. Secundã per modũ partis; qualiter de anima nuper diximus, & de forma totali, v.g. humanitate alleri debet, propriori ad ſubſiſtentiã; quia pro illo priori ordinatur vt pars ad ſuppoſitũ. Tertiam per modũ adiacentis alicui digniori: qua ratione humanitas Chriſti nõ eſt ſuppoſitũ, quia communicatur Verbo divino, digniori ſe. Quæ omnia facilè percipiũtur in definitione perſonæ, quæ iuxta Boetiũ D. Th. 1. p. q. 26. a. 1. alioſque communiter, eſt *rationalis naturæ individua ſubſtantia*. Sive, vt ipſe habet in 1. diſt. 25. q. 1. art. 2. & 3. *ſubſiſtẽs ſeu exiſtens in natura intellectuali diſtinctũ*. Ijs enim definitionibus indicatur, perſonã debere eſſe aliquid per ſe exiſtens, non modò ſecundũ aliquã naturæ partẽ, qualis eſt anima; ſed in tota natura intellectuali iam cõpleta; & in hac non vtcũque, ſed iuxta certã determinationem diſtinctionis, ſeu incommunicabilitatis, ita vt illud ſubſiſtens iam vltimò terminatum ſit, ac proinde incõmunicabile alteri ſuppoſito.

24 PRÆMITTENDVM III. De ratione ſuppoſiti creati eſſe quod ſit abſolutè & ſimpliciter incõmunicabile, quidquid cõtrà ſentiat Scotus. Limitatur enim ſubſiſtentia creata ad propriã naturã, quia finita eſt, ipſique alligata per informationẽ. Ideoque S. Th. q. 9. de Potẽtia art. 6. corp. docet, perſonã formaliter ſignificare incõmunicabilitatem: ac 1. p. q. 29. art. 4. addit, perſonã ſignificare formaliter illud, quod eſt diſtinctum, ſeu incõmunicabile in natura rationali. Vnde colligitur, ſuppoſitũ ex intrinſeca ratione importare incõmunicabilitatẽ omnimodam, ac proinde tam per modum potentiæ, quàm actus: id eſt, tam per modũ recipiẽtis, quàm actuantis aliud. Quod tamen vltimũ non verificatur de ſuppoſito increato: Quia cùm eius ſubſiſtentia ſit infinita, poteſt per modum actus terminantis cõmunicari alienæ naturæ abſque vlla informatione.

25 PRÆMITTENDVM IV. Exiſtentiã poſſe conſiderari in actu ſignato, & nominaliter; vel in actu exercito & verbaliter ac participialiter, vt aiunt Dialectici. Priori ſenſu abſtrahit à motu & tẽpore, quia accipitur inſtar nominis, de cuiꝰ ratione eſt abſtrahere à tẽpore, vt in nominis definitione exprimitur. Vnde & Metaphyſica, cuius obiectũ, ſicut & aliarum ſcientiarũ, abſtrahit à motu & tẽpore, agit de exiſtentia: quod tamen eſſe non poſſet niſi illa ſecundùm ſe à motu & tempore abſtraheret. Poſteriori autem ſenſu concernit motum & tempus, ſicut verbum & participiũ, vt in illorũ definitione habetur. Hoc poſito, quoties dicitur, exiſtentiã nõ eſſe de eſſentia alicuius creaturæ; intelligendũ eſt de exiſtẽtia in actu exercito, ſeu verbaliter ſumpta; nõ verò de eadem prout in actu ſignato & nominaliter accepta: quia ſub hac cõſideratione, licèt nõ ſit de eſſentia alicuius naturę creatę, poteſt eſſe de cõceptu eſſentiali alicuius ſuppoſiti creati: ſicut in opinione Caietani licèt ſubſiſtẽtia illa media non ſit de cõceptu eſſentiali alicuius naturæ creatæ, eſt tamen de eſſentiali conceptu ſuppoſiti creati. Et in omniũ ſententia, ſuppoſitũ & perſona creata, quantũvis abſtractè conſiderentur, præſcindanturque à motu & tẽpore, non abſtrahunt à ſubſiſtẽtia & perſonalitate, acceptis in actu ſignato; ſed illas eſſentialiter importãt, quamquam natura ſecundũ ſe ab ijs abſtrahat. Idẽ ergo de exiſtentia dicendum ſumpta in actu ſignato: cùm ſubſiſtẽtia ſuppoſiti & perſonæ nihil aliud ſit, quàm exiſtentia illius per ſe, vt latè à n. 4. probatũ eſt. Quæ omnia cohærent doctrinæ traditæ à nobis in Metaphyſ. diſp. 3. per totã: vbi dictũ eſt, nullam eſſentiam creatam habuiſſe ex ęternitate aliquod eſſe actuale, adhuc nominale, ſed in potentia tantùm. Vide infrà num. 41.

26 Verùm & in hoc notandum eſt, exiſtentiam ſubſtantialẽ accipi rurſus poſſe, vel prout actuat ſupremũ & cõmuniſſimũ ſubſtantiæ gradum; vel prout actuat & cõplet gradũ individualẽ ſubſtantiæ. Primò modo idem formaliſsimè eſt, ac ſubſiſtẽtia; quia exprimit rationem *exiſtentiæ per ſe* contrapoſitam exiſtentiæ accidentis, quod nõ per ſe, ſed in alio, vt ſubiecto inhæſionis, exiſtit; & exiſtere per ſe hoc modo idẽ eſt ac ſubſiſtere, vt ex Patrũ doctrina cõmuni ſuperiùs demonſtratũ eſt. Verùm cùm exiſtere per ſe cõmuniter loquendo, ſeu ſubſiſtere, nõ ſit propriũ ſuppoſiti & perſonæ, ſed etiam conveniat rebus incompletis in genere ſubſtãtiæ, vt animæ rationali à corpore ſeparatæ, & gradibus cõmunibus, quibus non convenit ratio ſuppoſiti; certum eſt exiſtentiã ſub illa ratione generali conſideratã, non complere vltimò ac determinatè conceptum eſſentialem ſuppoſiti. Quare reſtat, vt ſecũdo modo conſideretur; ſcilicet, prout actuat & cõplet gradũ individualem ſubſtantię integrę: qua ratio-

ratione cum ipſa natura eſſentialiter completa & individua conſtituet ſuppoſitum cuicũque alteri ſuppoſito omnino incommunicabile.

27 PRÆMITTENDVM V. Partes componentes aliquod totum tribuere ipſi conditionem illam, quã in ſe habent: quia cùm cauſent totum per intimam entitatum ſuarum cõmunicationem, nequeunt non præſtare illi omnem, ſive perfectionem, ſive imperfectionẽ ſuã. Inter perfectiones verò, quibus prædita eſt exiſtentia, cenſetur potiſsima quòd ſit vltimus actus, cui proinde repugnat potẽtia paſsiva ad actum vlteriorem, cum quo vnum per ſe conſtituat; & per conſequens paſsiva communicabilitas cum altero quolibet intra genus ſubſtantiæ. Ergo & naturæ, prout actuatæ per exiſtentiam, repugnat potentia paſsiva ad actum vlteriorem, atque adeò & cõmunicabilitas per modum potentiæ paſsivæ ad quemlibet actum ſuperveniemem intra genus ſubſtantiæ. Aliàs hoc totum, quod eſt, & dicitur *exiſtens*, nõ acciperet ab exiſtentia propriam eius perfectionem. Inſuper natura ſubſtantialis, prout individua, eſt intrinſecè incõmunicabilis per modum actûs: quia eſt iam vltimò determinata ad gradum individualem, qui relatè ad illam habet rationem materiæ: ac proinde ſicut materia incapax eſt actuãdi quidquam aliud, & habendi rationem formæ communicabilis alteri; ſic etiam natura prout vltimò determinata per differentiam individualẽ, eſt incapax habendi rationem actûs vel formę communicabilis. Aliàs non acciperet à differentia individua, quod hęc in ſe intrinſecè habet. Ex quibus denique fit, naturam prout individuam eſſe prorſus incõmunicabilem per modum actûs; prout exiſtentem verò incõmunicabilem reddi per modum potentiæ paſsivæ; ac de primo ad vltimum, naturam completam, vt individuam & exiſtentẽ, conſtituere aliquod totum omnibus modis incommunicabile alteri. His præſuppoſitis,

28 PROBATVR I. Aſſertum. Poſita natura ſubſtantiali individua, completa in ratione naturæ, & adiuncta exiſtentia per ſe, atque omni alio ſublato per locũ ab intrinſeco, reſultat totũ omnino perfectum & completum intra genus ſubſtantiæ. Ergo ijs duobus præcisè poſitis, & ſublata Caietani ſubſiſtentia, reſultat ſuppoſitum. Ergo ſubſiſtentia illa Caietani media inter naturam individuam & exiſtentiam per ſe, impertinens eſt ad eſſentialem rationem ſuppoſiti conſtituendam. Secunda conſequẽtia eſt evidens ex prima: quia ad rationẽ eſſentialem cuiuslibet rei conſtituendam impertinens eſt omne illud, quo ſublato per locum ab intrinſeco, ponitur talis res. Prima autem deducitur planè ex antecedenti: quia, vt precedẽtibus probatum eſt, hypoſtaſis, ſeu ſuppoſitum, ſignificat totum aliquod perfectum & completum intra genus ſubſtantiæ. Antecedens verò probatur: Quia omne illud quod habet vltimum complementum intra genus ſubſtantiæ, nequit non eſſe totum quoddam completum & omnino perfectum in eo genere. At poſita natura ſubſtantiali individua, & adiuncta exiſtentia per ſe, omnique alio ſublato per locum ab intrinſeco, reſultat aliquid habens vltimum complementum intra genus ſubſtantiæ. Ergo reſultat totum omnino perfectum & completum in eodem genere. Probatur minor: Nam vltimum complementum alicuius intra lineam ſubſtantiæ aut eſt identificatum cum natura, aut eſt ab eà diſtinctum. At poſita natura ſubſtantiali individua, ponitur vltimum complemẽtum cum ea identificatum, nempe ſingularitas, ſeu differentia individualis; & adiuncta exiſtentia per ſe, omnique alio ſublato, ponitur vltimum cõplementum à natura diſtinctum; cùm exiſtentia ſit vltimus naturæ actus ab ea diſtinctus (vt ſupponimus) intra genus ſubſtantiæ. Ergo poſita natura ſubſtantiali individua, & adiuncta exiſtentia per ſe, omnique alio ſublato, reſultat aliquid habens vltimum complementum intra genus ſubſtantiæ.

29 CONFIRMATVR I. Suppoſitum creatum adæquatè conſtituitur ijs, quibus in linea ſubſtantiæ redditur omnibus modis incommunicabile alteri; id eſt, tam per modum actûs quam potentiæ paſsivæ. At in linea ſubſtantiæ redditur omnibus modis incommunicabile alteri, per naturam individuam, & exiſtentiam per ſe. Ergo ſuppoſitum creatum adęquatè conſtituitur per naturam individuam & exiſtentiam per ſe. Conſequentia eſt legitima, & minor ſimiliter: quia ſuppoſitum creatum ratione naturæ individuæ conſtituitur incommunicabile per modum actûs; ratione verò exiſtentiæ per ſe, incommunicabile per modũ potentiæ, vt probatum eſt n. 28. Præmiſſo V. Maior vero probatur: Quia ſuppoſitum creatum adæquatè conſtituitur ijs, quibus redditur vltimò completum & terminatum in linea ſubſtãtiæ. Sed quatenus vltimò completum & terminatum in linea ſubſtantiæ, eſt omnibus modis incommunicabile alteri: quia prout vltimò cõpletum & terminatum in linea ſubſtantiæ, repugnat illi componere cum altero, & facere vnum per ſe cum illo intra idem genus. Ergo ſuppoſitum creatum adæquatè conſtituitur ijs, quibus in linea ſubſtantiæ redditur omnibus modis incommunicabile alteri.

30 CONFIRM. II. Subſiſtentia illa media Caietani nequit conſtituere vltimò ſuppoſitum incommunicabile alteri; nec per modum actûs, nec per modum potentiæ paſsivæ. Ergo nequit conſtituere vllo modo ſuppoſitum

in ratione ſuppoſiti. Patet conſequentia: Quia ſuppoſitum in ratione ſuppoſiti ſolùm conſtituitur illo, quo redditur incommunicabile alteri, aut per modum actus, aut per modum potentiæ paſsivæ, vt iam probatũ manet. Antecedens verò probatur quoad vtramque partem. Quoad primam quidem: nam pro aliquo priori ad illam ſubſiſtentiam mediam natura, prout individua, eſt iam vltimò determinata & completa, ita vt ipſi repugnet informare, vel actuare aliquod ſubiectum: ac proinde quòd ſit incõmunicabile ſuppoſitum per modum actûs, non provenit ipſa ſubſiſtentiâ illâ mediâ, ſed ab aliquo præſuppoſito. Quoad ſecundam verò partem probatur I. Nam adhuc poſita illa media Caietani ſubſiſtentia, manet ſuppoſitum communicabile alteri per modum potẽtiæ paſsivę; cũ in eius opinione adhuc reſtet vlterior actus exiſtentiæ, quem pro alio poſteriori recipit ſuppoſitum, tamquam potentia paſsiva eiuſdẽ. Non ergo ſubſiſtentia illa media cõſtituit ſuppoſitum incommunicabile alteri per modum potentiæ paſsivæ. II. Probatur vniverſim idem antecedens. Id quod conſtituit ſuppoſitum incommunicabile alteri, debet ab eo excludere omnem communicabilitatem relatè ad quamlibet partem phyſicam, & metaphyſicam, quia debet reddere illud vltimò completũ & terminatum intra genus ſubſtantiæ, ac proinde incapax coniunctionis cum alia parte ſuperveniente, quæcumque illa ſit. Sed ſubſiſtentia media Caietani non excludit à ſuppoſito omnem cõmunicabilitatem in ordine ad quamlibet partẽ, nec phyſicam, nec metaphyſicam. Ergo ſubſiſtentia illa non conſtituit vllo modo ſuppoſitum incommmnicabile alteri. Probatur minor: Quia ſuppoſitum ratione ſolius naturæ eſſentialiter completæ conſtituitur incommunicabile in ordine ad quamlibet partem phyſicam, independenter à ſubſiſtentia ſuperaddita, vt ex ſe patet; ea autem poſita, adhuc eſt communicabile, iuxta Caietanum, in ordine ad exiſtentiam ſupervenientem, veluti partem metaphyſicam cum qua aſſerit ſuppoſitum conſtituere vnum per ſe in genere ſubſtantiæ. Ergo de primo ad vltimum ſubſiſtentia illa Caietani non excludit à ſuppoſito omnem ſui communicabilitatem in ordine ad quamlibet partem, nec phyſicam, nec metaphyſicam.

31 RESPONDEBIS Ex doctrina Adverſariorum, ſubſiſtentiam illam mediam conſtituere naturam incommunicabilem alteri, non tamquam parti phyſicæ, aut metaphyſicæ; ſed tamquam ſuppoſito. Per hoc enim, quòd natura eſſentialiter ac ſpecificè completa individuaque actuetur ab illâ ſubſiſtentiâ, conſtituitur formaliter in ratione ſuppoſiti integri ac perfecti in ratione talis; ac proinde redditur incommunicabilis alteri tãquam ſuppoſito; licèt non incommunicabilis alteri tamquam parti metaphyſicæ; cùm adhuc reſtet exiſtentia, quæ pars metaphyſica compoſiti ſubſtantialis eſt, ex quâ & ſuppoſito præcedente reſultat aliquod tertium.

32 SED Contrà I. Si enim ſuppoſitum nõ excludit comunicabilitatẽ alteri per modum partis metaphyſicæ, ſed ſolùm tamquam ſuppoſito; hypoſtaſis, & perſona non importabũt quid completiſsimum in genere ſubſtantiæ, ſed trahẽtur ad componendum aliquid completius & perfectius in eo genere; ſcilicet, ad componendum illud tertium, quod ex ſuppoſito, ſive perſona & exiſtentia ſuperveniente reſultat. Conſequens autem falſum eſt, & quòd ad omnia membra contradicit expreſsis D. Thom. teſtimonijs num 10. exſcriptis. CONTRA II. Sequitur enim ex ſolutione datâ, poſſe Deum ſupplere exiſtẽtiam in ſuppoſito creato, & ſimul cum illo conſtituere vnum per ſe ſimpliciter in genere ſubſtantiæ. Conſequens eſt abſurdum Ergo & doctrina ex quia infertur. Abſurditas conſequentis facilè appareret Tum, quia propterea D. Thom. ſæpe probat, non potuiſſe eſſe duas hypoſtaſes, ſeu ſuppoſita in Chriſto, quia aliàs vnio naturæ ad Verbum non fuiſſet ſubſtantialis, nec ſufficiens vt reſultaret vnum per ſe in genere ſubſtantię; ſed accidentalis: Tum præterea, quia ſi ex duplicĩ ſuppoſito, divino & humano, per exiſtentiam divini coniunctis, reſultare poteſt vnum per ſe ſubſtãtiale, vix erit aliquod efficax argumẽtum Eccleſiæ contra Neſtorium, ſtatuentẽ in Chriſto duas perſonas, & aliunde aſſerentem illas eſſe vnitas inter ſe, vt ex ipſius ſenſu vidimus diſp præced à num. 36. Poſſet namque, ſtatuendo duplicem perſonam in Chriſto, aliunde dicere, ex vtrâque reſultare vnum per ſe ſubſtantiale, & non duos Chriſtos, ſed vnum, ratione colligationis vtriuſque perſonę in eâdem Verbi exiſtentiâ, vtrumque ſubſtantialiter cõplente. quod ſi fieri poſsibile eſt, difficiliter probabitur non contigiſſe de facto, eludenturque argumenta Conciliorũ & PP. cotra illũ Hæreſiarcham. Iam vero præcipua ſequela probatur. Nam imprimis exiſtentia, cũ ex terminis nullã importet imperfectionem, poteſt ſuppleri à Deo, & de facto ſuppletur à Verbo in humanitate Chriſti, etiam iuxta Aduerſarios. Aliunde non erit cur ſuppleri non poſsit in ſuppoſito creato, ita vt ex illo, & exiſtentiâ Dei vnita, reſultet vnum per ſe: quandoquidem iuxta ſolutionem datam ſuppoſitum creatum componit vnum per ſe cum exiſtentia propria ſuperveniente, & divina exiſtentia ſolùm ſuppleret vices illius exiſtentiæ propriæ. Ergo de primo ad vltimum ſequitur, poſſe Deum ſupplere exiſten-

ſtentiam in ſuppoſito creato, & ſimul cum illo conſtituere in genere ſubſtantiæ vnum per ſe.

33 AT Negabis ſequelam huius impugnationis: quia iuxta Caietani ſenſum, de ratione ſuppoſiti eſt incommunicabilitas alteri vt ſuppoſito, ac proinde impoſsibile eſt Deũ ſupplere exiſtentiam ſuppoſiti creati: quia ſic neceſſarium eſſet vt creatum ſuppoſitum vniretur, non ſolùm exiſtentiæ Dei, ſed etiam vni, aut tribus divinis ſuppoſitis, cùm nequeat dari vnio ad exiſtentiam divinam, niſi etiam ſit cõiunctio ad divinam ſubſiſtentiam. Verùm refellitur evaſio hæc ex doctrinâ contrariâ. Suppoſitum enim creatum ſolùm poteſt importare incommunicabilitatem alteri ſuppoſito vt ſuppoſito, non verò vt exiſtenti, ſi exiſtentia eſt actus ſuperadditus, & vnum per ſe conſtituens cum ſuppoſito, vt Adverſarij aiunt. Ergo poterit ſuppoſitum creatum cõmunicari & vnum per ſe conſtituere cum Deo vt exiſtente, quamquam non vt ſubſiſtente, aut ſuppoſito. Conſequentia patet, & antecedens probatur: Suppoſitum enim creatum ſolùm poteſt importare incommunicabilitatem alteri eâ ratione, quâ eſt completum in ſeipſo, & incapax complerionis ab altero ſuppoſito. Sed iuxta Adverſarios ſuppoſitum creatum, licèt in ratione ſuppoſiti cõpletum ſit, non tamẽ in ratione exiſtentis. Ergo ſuppoſitum creatũ ſolùm importare poteſt incommunicabilitatem alteri ſuppoſito vt ſuppoſito, non verò vt exiſtenti. Proindeque ſuppoſitum creatum, poterit vniri Deo, vt exiſtẽti, quamquam non vniatur ipſi vt ſuppoſitum eſt, & ab illo accipere complementum exiſtentiæ; ac proinde vnum per ſe cum illo conſtituere, ſicut per Adverſarios ſuppoſitum creatum completur ab exiſtentia propria, & cum ea facit vnum per ſe.

34 CONTRA III. A priori, eſtque ratio potiſsima, qua ducor ad reijciendam opinionem adverſam; & ſimul luculenta explanatio ſententiæ noſtræ. Si enim aliquis ordo eſt inter ſubſiſtentiam, & exiſtentiam, priùs debet compleri natura creata per exiſtentiam, quàm per ſubſiſtentiam & perſonalitatem. Ergo repugnat naturam creatam pro priori aliquo ad exiſtentiam conſtitui per ſubſiſtentiam in ratione incommunicabilis alteri vt ſuppoſito. Conſequentia patet, & antecedens probatur: Quia ſiquis ordo eſt inter actualitates, priùs debet compleri natura per actualitatem reſpondentem gradui vniverſaliori, quàm minùs vniverſali, & tranſcendenti, quàm generico; & generico, quàm ſpecifico, atque individuali. Sicut enim gradus entium, quò vniverſaliores ſunt, eò priùs concipiuntur ordine intellectûs; ita & proprietates & actualitates ijs reſpondentes. Vnde in quolibet rationali priùs concipitur actualitas vitæ, quàm ſenſationis, & ſenſatio, quàm intellectio: quia gradus vitæ eſt vniverſalior gradu ſentiẽdi, & gradus ſentiendi, quàm intelligendi. Ideo etiam homo priùs habet eſſe, ſaltem naturâ, quã vegetet in actu ſecundo; & priùs vegetat, quàm ſentiat, & priùs ſentit, quàm intelligat. Atqui actualitas exiſtentiæ reſpondet gradui entis omnium vniverſaliſsimo, & actualitas ſubſiſtentiæ gradui minùs vniverſali ſubſtantiæ, ſicut & perſonalitas gradui intellectivo completo, qui adhuc reſtrictior eſt. Ergo ſiquis ordo invenitur inter ſubſiſtentiam & exiſtentiã, priùs debet compleri natura creata per exiſtentiam, quàm per ſubſiſtentiam; & ſimiliter priùs per ſubſiſtentiam, quàm per perſonalitatem. Vnde & in noſtrâ opinione, quâ ſubſiſtẽtia & perſonalitas non diſtinguuntur ab exiſtentia per ſe realiter, adhuc eſt præciſioni locus ex parte exiſtentiæ, ſicut ex parte graduum quibus illa debetur. Nam vt reſpondet gradui vniverſaliſsimo entis, ſolùm exprimit rationẽ exiſtentiæ; vt reſpondet enti creato, rationem exiſtentiæ creatæ; vt reſpondet ſubſtantiæ, rationem exiſtẽtiæ per ſe, quæ eſt ipſiſsima formalis ratio ſubſiſtentiæ; vt reſpondet naturæ ſubſtantiali completæ in ſua ſpecie iàm individuâ, & incommunicabili extraneo ſubſiſtenti, rationem hypoſtaſis, quàm Scholaſtici ſuppoſitalitatem appellant; vt reſpondet naturæ intellectuali ſimiliter completæ, rationem perſonalitatis: & quò vniverſaliores rationes, tam in natura, quàm in exiſtentia fuerint, eò priùs concipiuntur ſecundùm rectum ordinem intellectus. Verùm & hinc vel maximè,

35 PROBATVR II. Aſſertum, loquendo in ſpeciali de perſonalitate. in quâ eadem ratio eſt circa naturam rationalem, ac in ſubſiſtentia circa ſubſtantialem naturam, ſaltem creatam. Nam de ſubſiſtentia divina fortẽ alia ratio eſt, vt videbimus Diſput. LXXVIII. per totam Quidquid vltimò cõplet ſubſtantiã in proprio genere, debet eſſe vltima eius actualitas, ac proinde nullum locum relinquẽs alteri actualitati in eodem genere ſuperveniẽti. Sed perſonalitas vltimò complet ſubſtantiã in proprio genere. Ergo perſonalitas debet eſſe vltima eius actualitas, ac propterea nullum relinquit locum actualitati in eodem genere ſupervenienti. Conſequentia eſt in figura & modo perfecto. Maior ex terminis apparet manifeſta: quia ſubſtantia quatenus vltimò completa, eſt in vltimo actu perfectionis intra propriũ genus; ac propterea incapax alterius actualitatis intra idem genus ſupervenientis. Minor verò probatur multipliciter. PRIMO expreſsis D. Thomæ teſtimonijs dicto num. 10. allegatis,

quibus aſſerit, perſonam ſignificare id, quod perfectiſsimum eſt in totâ natura; tum etiam, eſſe contra rationem perſonæ, quòd trahatur ad aliquid ſe completius, quia perſona importat maximam completionem: tum denique, hypoſtaſim eſſe quid completiſsimum in genere ſubſtantiæ. Ergo perſonalitas vltimò complet ſubſtantiam in proprio genere. SECVNDO probatur eadem minor. Id complet vltimò ſubſtantiam in proprio genere, quod actuat illam, non ſecundum rationem communem, & vniverſalem, in qua concipitur tamquam quid potentiale, & perfectibile; ſed penes gradum vltimum ac determinatum perfectionis, quam poteſt habere intra proprium genus. Sed perſonalitas actuat ſubſtantiam, non ſecundum rationem communem & vniverſalem, in quâ concipitur tamquam quid potentiale & perfectibile; ſed penes gradum vltimum perfectiones, quam poteſt habere intra proprium genus; ſcilicet, penes gradum intellectualem ſeu rationalem, omnibus alijs perfectiorem determinatioremque. Ergo perſonalitas vltimò cõplet ſubſtantiam in proprio genere. TERTIO. Subſtantia intra proprium genus non eſt vltimò determinata ſecundùm gradum communẽ ſubſtantiæ, neque corporis, neque viventis, neque animalis, neque hominis, aut equi, ſed ſolùm penes gradum individualem, qui vltimò & per identitatem determinat omnes eos gradus communes ad ſingulare aliquod in rerum natura exiſtens. Ergo ſimiliter intra proprium genus non eſt vltimò completa per actualitatem correſpondentem ijs gradibus communibus, ſed penes illam quæ correſpondet gradui individuo & ſingulari, in rerum natura poſito. Sed ſola ſubſiſtentia individua reſpondet gradui individuo ac ſingulari in rerum natura poſito, quæ ſubſiſtentia in ſubſtantia intellectuali ſeu rationali eſt formaliſsimè perſonalitas individua. Ergo ſola perſonalitas individua, ſicut & individua ſubſiſtentia, complet vltimò ſubſtantiam in proprio genere. Hinc autem manifeſtè colligitur, poſita ſubſiſtentia, ſeu perſonalitate individua, nullum iam ſupereſſe locum alteri complemento, ſeu actualitati ſupervenienti intra genus ſubſtantiæ, vt Caietanus cenſet: ac proinde palam eſt, ſubſiſtentiam individuam non eſſe actualitatem mediam inter naturam & exiſtentiam; ſed potiùs eſſe actualitatem & complementum vltimum naturæ intra genus ſubſtantiæ.

***

SECTIO III.

Obijciuntur & enervantur præcipua argumenta ſententiæ aduerſæ: exponiturque, an Verbum diuinum fuerit immediatè vnitum Humanitati Chriſti ſub munere exiſtentiæ, vel ſubſiſtentiæ.

36 OBIICIES II. Id, quo ſubſtantia cõſtituitur in ratione primæ ſubſtantiæ, eſt illud ipſum, quo conſtituitur in ratione ſuppoſiti. At in ratione primæ ſubſtantiæ non conſtituitur per exiſtẽtiam per ſe. Ergo neque in ratione ſuppoſiti conſtituitur per exiſtentiam per ſe. Supereſt igitur vt in ratione ſuppoſiti conſtituatur per aliquid ab exiſtentia per ſe diſtinctum. Vtraque conſequentia eſt perſpicua, & maior ſimiliter: quia idem omnino eſt prima ſubſtantia & ſuppoſitum, vt patet ex definitione primæ ſubſtantiæ ab Ariſtotele tradita, quæ per omnia convenit ſuppoſito. Minor verò probatur: Quia prima ſubſtantia in ratione talis ponitur directè in prædicamento. At nihil directè poſitum in prædicamento conſtituitur per exiſtentiã, ſed potiùs ab omni exiſtentia præſcindit; cùm omne quod ponitur directè in prædicamento ſit obiectũ Metaphyſicæ, & obiecta ſcientiarum ab omni exiſtentia præſcindant. Ergo ſubſtantia prima in ratione talis non cõſtituitur per exiſtentiam per ſe.

37 CONFIRM. Si enim ſuppoſitum, ſeu prima ſubſtantia conſtitueretur in ratione talis per exiſtentiam, hæc propoſitio, *Petrus eſt exiſtens*, eſſet æternæ veritatis; quia ſuppoſito, ſeu primæ ſubſtantiæ, quę eſt Petrus, eſſentialiter conveniret. Vnde & ſequeretur, Petrum exiſtere ab æterno: quia exiſtere eſt formalis effectus exiſtentiæ; ac proinde ſi propoſitio enuntians exiſtentiã de Petro eſt æternæ veritatis, Petrus exiſtit ab æterno.

38 CONFIRMAT. II. Si exiſtentia per ſe eſt de ratione intrinſeca & eſſentiali ſuppoſiti creati, iam exiſtentia erit de cõceptu eſſentiali alicuius creaturæ: quod quidem repugnat, cùm omnis creatura pendeat à libera voluntate Dei in exiſtendo.

39 RESP. Argumentum æqualem vim habere iuxta opinionem Adverſariorum; cùm ipſi aſſerant ſuppoſitum eſſentialiter conſtitui per ſubſiſtentiam; & non minùs difficile aut repugnans appareat, id quod directè ponitur in prædicamento includere eſſentialiter ſubſiſtentiam, ac exiſtentiam; aut Petrum eſſentialiter & proinde ab æterno ſubſiſtere, ac exiſtere; aut ſubſiſtentiam eſſe de ratione eſſentiali alicuius creaturæ, quàm exiſtentiam. Et ratio à priori huius doctrinæ, ac reſorſionis argumen-

menti, ſtatim apparet: quia ſubſiſtere nihil aliud eſt, quàm tali modo exiſtere, ſeu habere eſſe: ac proinde nullam difficultatem ingenerare poteſt exiſtentia alicui creaturæ eſſentialiter conveniens, cui æqualem, aut maiorem, non ingeneret ſubſiſtentia, ſi hæc eſt de ratione eſſentiali primæ ſubſtantiæ, ſeu ſuppoſiti creati, vt Adverſarij docent.

40 DEINDE Ad præcipuam impugnationem negatur maior, idque etiam iuxta mentem Adverſariorum: quia prima ſubſtantia non conſtituitur talis, ſeu individua ratione ſubſiſtentiæ, qua ſuppoſitum formaliter conſtituitur: ſed ratione vnitatis numericæ, identificatæ cùm natura ſpecifica, & realiter à ſubſtantia diſtinctæ. Aliàs humanitas Chriſti, vt condiſtincta à Verbo, non eſſet ſingularis & individua. Verùm, permiſſa vltrò maiore, negatur minor. Ad probationem conceſſa maiore, diſtinguo minorem: Nihil directè poſitum in prædicamento conſtituitur per exiſtentiam nominaliter ſumptam, nego; verbaliter acceptam, concedo. Neque id eſt contra rationem obiecti ſcientiarum; cùm & Metaphyſica agat de exiſtentia, habeatque illam pro obiecto, ſecundùm quòd abſtrahit à loco & tempore. Vide quæ diximus ſuprà num 25.

41 Ad I Confirm. nego ſequelam: quia in hac propoſitione *Petrus eſt exiſtens*, ſumitur exiſtentia verbaliter, ſeu in ratione participij, de cuius ratione eſt ſignificare cum tempore & exercitio. Ad ſummum concedi poteſt nominaliter & in actu ſignato. Verùm inde non infertur, Petrum exiſtere ab æterno: ſicut in omni ſententia licet hæc ſit propoſitio æternæ veritatis, *Animal eſt vivens ſenſibile*, nõ infertur, animal vivere ab æterno, quia *vivens* in illa ſumitur ſolùm nominaliter & in actu ſignato. Ratio autem à priori eſt, quia in his & ſimilibus propoſitionibus prædicatum non importat connexionem practicam, nec exercitam cum ſubiecto, ſed ſpeculativam & ſignatam; vt prædicatum neceſſariò conveniat ſubiecto iuxta illum ſtatum ac modum, in quo ſubiectum fuerit: ſi ſubiectum ſit poſsibile, futurum, aut præteritum, eadem quoque ratione prædicatum illi conveniet, ſi autem fuerit præſens, conveniet ipſi de præſenti. Cùm verò ſuppoſitum Petri non ſit ab æterno præſens, nõ convenit illi exiſtentia præſens ab æterno, ſicut nec ſubſiſtentia iuxta Adverſarios, quamvis aſſerant conſtitui per illam in ratione ſuppoſiti.

42 AD II. Confirm. Exiſtentia non eſt de conceptu eſſentiali alicuius naturæ creatæ, cùm ab ea realiter diſtinguatur, eique contingenter conveniat. Eſt tamen de eſſentia ſuppoſiti creati reduplicata ratione ſuppoſiti; ſicut licèt in opinione contraria non ſit ſubſiſtentia de ratione eſſentiali alicuius naturæ creatæ, eſt tamen de intrinſeco conceptu ſuppoſiti, quà ſuppoſitum eſt. Sic etiam de conceptu eſſentiali agentis creati vt agentis eſt actio, quæ tamẽ nequit eſſe de conceptu eſſentiali naturæ creatæ. Neque inconvenit de conceptu eſſentiali alicuius creaturæ, ſeu ſuppoſiti creati, eſſe exiſtentiam in actu ſignato. Id patet in hoc concreto *Exiſtens*, quod reduplicativè & nominaliter acceptum includit eſſentialiter exiſtentiam ſignatam, licèt non exercitam.

43 OBIICIES II. Terminus *qui* producitur per generationem, eſt ſuppoſitum. Sed terminus *qui* producitur per generationẽ, non eſt complexum ex natura & exiſtentia. Ergo complexum ex natura & exiſtentia non eſt ſuppoſitum: proindeque illud non conſtituitur vltimò per exiſtentiam, ſed per ſubſiſtẽtiam ab ea diſtinctam. Vtraque conſequentia patet, & maior ſimiliter: quia actiones ſunt ſuppoſitorum, tam activè, quàm paſsivè, & terminativè. Minor autem probatur: quia terminus *qui* generationis producitur ab agente creato in genere cauſæ principalis; vtpotè tanquam ab operante propria virtute. At complexum ex natura & exiſtentia non producitur ab agẽte creato in genere cauſæ principalis; quia exiſtentia à nulla creatura attingi poteſt, tanquam à cauſa principali, iuxta D. Thom. cùm ſit proprius terminus cauſalitatis divinæ. Ergo terminus *qui* per generationem producitur non eſt complexum ex natura & exiſtentia.

44 RESP. Probabile eſſe, quòd entitas exiſtẽtię, prout individuæ & particularis, producatur virtute propria agentis creati; licèt non ſub ratione vniverſaliſsima vltimæ actualitatis, qua ſolùm ratione eſt propria ratio terminativa concurſus divini. Deinde permiſſo gratis, nec ſub priori conſideratione produci poſſe quoad entitatem ab agente creato, tanquam à principali cauſa; adhuc certum eſt produci virtute propria ab illo quoad vnionem. Id autem ſufficit vt actio generativa dicatur terminari ad ſuppoſitum: ſicut in Adverſariorum ſententia generatio hominis terminatur ad ſuppoſitum; & tamen non producit ſubſiſtentiam humanam, cùm hæc ſpiritualis ſit, ſed ſolùm vnionem materialem humanitatis ad illam; & homo verè generat alium hominem, quia producit vnionem corporis atque animę ipſius. Denique ſiquid probat argumẽtum, probat pariter, generationem accidentalem debere producere ſubſiſtentiam compoſiti; quia & illa eſt ſuppoſiti terminativè; ſicut & activè: cuius tamen conſequentis abſurditas cuique obvia eſt; cùm evidens ſit, media generatione accidentali ſolùm produci acciden-

OBII-

ſalem formam, & vnionem illius ad ſuppoſitum præexiſtens.

45 OBIICIES III. Natura creata debet habere aliquem terminum ſibi intrinſecum. At hic terminus naturę intrinſecus non eſt exiſtentia: cùm hæc iuxta D. Thomam ſit quid accidentale & extrinſecum naturæ, ſive eſſentiæ creatæ. Ergo debet eſſe ſubſiſtentia aliqua realiter ab exiſtentia diſtincta. Probatur maior: tum à priori, quia natura creata eſt intrinſecè finita, atque adeò debet habere aliquẽ terminum intrinſecum, quo finiatur: tum à pari quantitatis continuæ, quæ præter exiſtentiam terminatur intrinſecè aliquo puncto.

46 RESP. Naturam creatam habere aliquem terminum ſibi intrinſecum, & hũc eſſe exiſtentiam per ſe, quæ licèt non ſit intrinſeca conſtitutivè reſpectu naturæ creatæ (quo ſenſu loquitur D. Thom.) eſt tamen ipſi intrinſeca vnitivè; ſicut & punctum relatè ad quantitatem continuam. Et retorquetur obiectio in Adverſarios, qui abſolutè docent, ſubſiſtentiam eſſe intrinſecum naturæ creatæ terminum, quamvis eam non conſtituat, ſed ſolùm ipſi intrinſecè vniatur. Quare idem S. Doctor 3.p. q. 19. art. 1. ad 4. docet, eſſe per ſe pertinere ad conſtitutionem ſuppoſiti, tanquã terminum naturæ.

47 OBIICIES IV. Suppoſitum debet formaliter conſtitui per id, quo redditur incommunicabile. At per ſolam ſubſiſtentiam incommunicabile redditur, non verò per exiſtentiam: quia nihil eſt magis communicabile, quàm exiſtentia. Non ergo hæc, ſed illa tantùm eſt conſtitutiva ſuppoſiti.

48 RESP. Negando minorem quoad ſecundam partem: quia licèt exiſtentia ſit maximè communicabilis per modum actus, vtpotè actus vltimus, quia actuat totum quod in ſubiecto eſt; nihilominus eſt maximè incommunicabilis per modum potentiæ cuicumque alteri; cùm neque poſsit recipere vlteriorem actum, nec ſinat naturam iam actuatam per ipſam vlteriùs actuari in ſubſtantiæ genere, quod debet exprimere omnimodam incommunicabilitatem; atque adeò illam, quæ paſsiva & per modum potentiæ eſt, eamque accipere ab exiſtentia ſubſtantiali, quæ omnem potentiam paſsivam præcludit ad actum vlteriorem. Vide ſuprà num. 27.

49 OBIICIES V. Id conſtituit humanitatem ſubſiſtentem, quod immediatè, & formaliter ſuppletur à perſonalitate Verbi divini in natura aſſumpta. Sed quod immediatè & formaliter ſuppletur à perſonalitate Verbi in natura aſſumpta non eſt exiſtentia per ſe. Ergo exiſtentia per ſe non conſtituit humanitatem ſubſiſtentem; idemque dicendum erit de qualibet alia natura. Conſequentia liquet; & maior videtur certa; quia natura aſſumpta conſtituitur ſubſiſtens immediatè & formaliter à perſonalitate Verbi. Minor probatur I. Quia immediatè & formaliter ſolùm ſuppletur à perſonalitate Verbi illud prædicatum, quod ipſa habet, vt propria perſonalitas Verbi eſt formaliter: cùm nihil poſsit formaliter præſtare effectum, quem in ſe non habet. At perſonalitas Verbi propria in quantum talis non habet hoc quod eſt exiſtere per ſe; cùm exiſtẽtia in divinis iuxta D. Thomam ſit vnica, abſoluta, & communis tribus perſonis, vt ſuprà vidimus Diſp. LXXIV. Ergo id quod immediatè & formaliter ſuppletur à perſonalitate Verbi divini in natura aſſumpta, non eſt exiſtentia per ſe. II. Probatur eadem minor. Si id quod immediatè & formaliter ſuppletur à perſonalitate Verbi in natura aſſumpta eſt exiſtentia per ſe, perſonalitas Verbi, vt terminans naturam humanam, exprimet rationem exiſtendi per ſe, quæ abſoluta eſt, & communis tribus perſonis divinis: proindeque tres perſonæ divinæ terminant naturam humanam Chriſti, & per conſequens incarnatæ ſunt. Conſequens autem eſt hæreticum, & veluti tale reiectum ab Anſelmo lib. de Fide Trinitatis, & de Incarnatione Verbi, per totum ferè, contra Roſcelinum, ſive Ruzelinum, in Gallia docere auſum, tres perſonas divinas eſſe tres res abinvicem ſeparatas. Alioqui enim Patrem, ſimul ac Spiritum ſanctum, perinde ac Filium, incarnatos fuiſſe.

50 HOC Argumentum eſt reverà difficile: & pro illius ſolutione recolere oportet doctrinam ſupra traditam à n. 34. ex qua conſtat, in eadem perſonalitate individua eſſe gradus per rationem diſtinctos: ſcilicet, communiſsimum exiſtentiæ, deinde minùs communem exiſtentiæ per ſe, indiſtinctæ prorſus à ſubſiſtentia communiter dicta: rurſus quaſi ſubalternum ſubſiſtentiæ completæ, reſpondentis naturæ ſubſtantiali integræ ac perfectæ ſecundùm prædicata eſſentialia, ſive generica, ſive ſpecifica; & denique gradum vltimũ ſubſiſtentiæ ſingularis, afficientis naturam individuam. Porrò ea ſubſiſtentia ſingularis, quæ in rebus creatis eſt abſoluta, & naturam reddit prorſus incommunicabilem alteri ſubſiſtenti, abſque exceptione vlla; in divinis etiam eſt abſoluta, vt videbimus vtraque Diſp. ſeq. & communis tribus perſonis: ac proinde non conſtituit Deum incommunicabilem pluribus ſubſiſtentibus, ſed extraneo ſubſiſtenti tantùm; vt dictum eſt Diſp. præced. num. 57. quia prædicata abſoluta Dei ſunt communia tribus ſuppoſitis. Cùm verò Incarnatio non fuerit facta immediatè ſecundùm aliquod prædicatum Dei com-

commune & abſolutum, ſed penes aliquid proprium & peculiare Verbi; oportet dicere, vnionem naturæ humanæ non fuiſſe immediatè terminatam ad ſubſiſtentiam Verbi, ſed ad illius perſonalitatem peculiarem ac propriam. Licèt enim ij gradus exiſtendi, & exiſtendi per ſe, ſive ſubſiſtendi, paulo antè explicati, quò vniverſaliores ſunt, eò priùs concipiantur ab intellectu, cuius obiectum eſt verum vniverſè; non propterea eodem ordine intelliguntur ſuppleri à Verbo in natura aſſumpta, ſed vice verſa. Quod enim in ea primò concipitur ſuppleri à Verbo, eſt illa perſonalitas individua, & ſingularis, quam alioqui habitura fuiſſet Humanitas Chriſti, & per quam vltimò complēda erat, ac reddenda incommunicabilis alteri cuilibet perſonæ ſingulari. Hoc verò primùm intellecto, cæteri quaſi gradus communes, aut minùs peculiares, ſubſiſtentiæ, ſive exiſtentiæ per ſe, ac tandem exiſtentiæ ſecundum communiſsimam rationem, intelliguntur poſteriùs ſuppleri à Verbo. Ratio huius doctrinæ eſt: quia finis ſeu terminus immediatus Incarnationis activæ non fuit reddere humanam naturam exiſtentem, aut ſubſiſtentem, vel perſonatam vtcumque (ad hoc enim ſufficeret ipſi perſonalitas propria ac creata) ſed vnitam hypoſtaticè ac ſingulariter perſonæ determinatæ Verbi divini. Ergo quod primùm intelligitur ab eo ſuppleri, non eſt aliquis communis gradus exiſtentiæ, ſubſiſtentiævè, quaſi in genere aut ſpecie: ſed nominatim & in ſingulari perſonalitas illa, quam alioqui eſſet habitura Humanitas Chriſti. Itaque cæteri gradus communes ſolùm ſecundariò, & quaſi ex conſequenti, ſupplentur.

51 EX Dictis non erit operoſum argumento occurrere: cuius maior propoſitio neganda eſt in ſenſu formali: quia quod immediatè & formaliter ſuppletur à Verbo in natura aſſumpta, non eſt id quod alioqui conſtitueret illam vtcumque ſubſiſtentem: ſed quod compleret illam in ratione perſonalitatis, ex qua, & natura ipſa conſurgeret perſona humana ac creata in individuo & ſingulari. Deinde conceſſa minore, negatur conſequētia. Vt enim paulò antè diximus, Verbum non vnitur immediatè ſub munere exiſtendi per ſe, ſive ſubſiſtendi: cùm id ſit commune tribus perſonis divinis (alioqui omnes illæ fuiſſent incarnatę, vt in obiectione aſſumitur) ſed in vi perſonalitatis ſingularis, reddentis naturam humanam ſingulariter, vt ita loquamur, perſonatam & ſuppoſitatam ab ipſo Verbo: quæ ſanè perſonalitas eſt relativa, & Verbi propria. Quarè natura aſſumpta perſonatur, ſive terminatur incommunicabiliter atque immediatè ratione ſingularis Verbi perſonalitatis, exiſtit autem & ſubſiſtit ratione exiſtētiæ & ſubſiſtentiæ Verbi abſolutæ & communis tribus perſonis; non quatenus ijs omnibus communis eſt, ſed prout ſpeciatim appropriatur perſonæ Verbi. Sic iuxta plures Patrum ac Theologorum eadem natura aſſumpta vngitur, ſanctificatur, & deificatur, ratione naturæ divinæ, non quatenus communis tribus perſonis; ſed prout appropriatæ Verbo.

52 INSTABIS. Perſonalitas propria Verbi includit in ſuo formali conceptu rationem communem ſubſiſtentiæ, ſive exiſtentiæ per ſe, immo & exiſtentiæ communiſsimè acceptam, abſque vlla diſtinctione virtuali intrinſeca ab ijs. Ergo perſonalitas Verbi debuit vniri immediatè naturæ aſſumptæ ſub omnibus ijs muneribus: ac proinde ſub aliquibus toti Trinitati communibus. quod videtur ſufficere, vt tres perſonæ fuerint incarnatæ, contra quàm fides docet. Antecedens videtur certum iuxta doctrinam à nobis ſuprà tradi-tam num. 9. & præterea ſuadetur à pari perſonalitatis creatæ ac ſingularis, v.g. propriæ Petri, quæ, iuxta dicta à nobis, videtur in ſuo formali conceptu, & abſque vlla diſtinctione virtuali intrinſeca, claudere rationem communem ſubſiſtentiæ, ſive exiſtentiæ per ſe, immò & rationem communiſsimam exiſtentiæ. Ergo multò magis idipſum debemus aſſerere in divinis. Poſſunt enim & ſolent in divinis differre virtualiter ſolùm, quæ in creatis reipſa diſtinguuntur: at verò nequeunt in divinis virtualiter intrinſecè differre, quæ in creatis non differunt adhuc virtualiter intrinſecè. Et ratio eſt: quia in divinis omnia retinent ſummam ſimplicitatē, quam res creatæ habere nequeunt. Iam verò conſequentia illa præcipui ac primi enthymematis probatur: Quia quōties alterum duorum prædicatorum claudit aliud per identitatem in ſua ratione formali, & abſque vlla diſtinctione virtuali intrinſeca, neceſſum eſt, vt vel vtrumque ſimul, vel neutrum vniatur alicui tertio. Nam alioqui eadem ratio formalis vniretur & non vniretur immediatè, quod planè repugnat. Sicuti ergo perſonalitas Verbi vnita fuit immediatè Humanitati aſſumptæ: ita etiam munera ſubſiſtentiæ, & exiſtentiæ, quæ iuxta noſtram doctrinam videntur conſtituere cum ea vnicam rationem formalem abſque vlla diſtinctione virtuali intrinſeca.

53 RESP. Negando antecedens iuxta ea quæ dicemus vtraque Diſput. ſequenti, aſſerentes in Deo vnam ſubſiſtentiam communem abſolutamque, & negātes triplicem relativam. Itaque perſonalitas Verbi in ſuo conceptu formali non includit rationem communem ſubſiſtentiæ, ſive exiſtentiæ per ſe, immo nec communiſsimam exiſtendi; quoniam hæ

duæ

duæ ſunt abſolutæ in divinis, & perfectiones ſimpliciter ſimplices, quæ tribus perſonis conveniunt ratione vnius eſſentiæ. Ad probationẽ antecedentis, conceſſo antecedenti, negatur conſequentia in prædicto ſenſu, quæ, ne apud Adverſarios quidem, poteſt vim habere, nam & ipſi fateantur neceſſe eſt, perſonalitatem creatam in ſuo conceptu formali, & abſque vlla diſtinctione virtuali intrinſeca, eſſe formam abſolutam: cùm tamen apud ipſos, ac reliquos Theologos, perſonalitas quælibet divina, in ſuo conceptu formali, & abſque vlla diſtinctione virtuali intrinſeca, non ſit forma abſoluta, ſed relativa; diſtinguaturque virtualiter intrinſecè ab omni prædicato abſoluto Dei. Similiter ergo, quamvis quælibet perſonalitas creata claudat in ſuo formali conceptu, & abſque vlla diſtinctione virtuali intrinſeca, rationem communiſsimam exiſtentiæ, immo & exiſtentiæ per ſe, ac proinde ſubſiſtentiæ communiter dictæ: non tamen perſonalitas divina, quæ ab omni perfectione ſimpliciter ſimplici, ab omnique prædicato nullam involvente oppoſitionem relativam, quale eſt ſubſiſtendi, ſive exiſtendi per ſe, diſtinguitur virtualiter intrinſecè. Neque mirum id habeat divina perſonalitas præ creata: quoniam, vt ſæpius in hoc opere explicuimus, & ex profeſſo oſtẽſum fuit Tomo I. Diſp. XXVII. diſtinctio virtualis intrinſeca eſt prorſus aliena à rebus creatis, & propria illorum prædicatorum Dei, quæ, cùm ſint eadem verè entitas, propter ſummam eminentiam cum infinita fœcunditate coniunctam, ſubeunt in re & ante omnem mentis conſiderationem, prædicata quaſi contradictoria; qualia ſunt generari, & non generari, communicari, & non communicari, diſtingui, & non diſtingui. Hoc autem contingit in prædicato exiſtentiæ per ſe, id eſt, ſubſiſtentiæ, & perſonalitatis Verbi: quarum prior revera eſt cõmunis Patri Filio & Spiritui ſancto per identitatem realem, ſecus verò poſterior: quoniam non involvunt oppoſitionem vllam quoad illam priorem, ſed quoad poſteriorem tantùm. Vide omnino plura huc ſpectantia infra Diſp. LXXVIII. num. 32. & 33.

54 OBIICIES VI. Si ſubſiſtentia creata eſt vnum reipſa cum exiſtentia per ſe, effectus formalis ſubſiſtentiæ, quemadmodum & exiſtentiæ, erit ponere rem extra cauſas. Atqui formalis effectus ſubſiſtentiæ non eſt ponere rem extra cauſas. Ergo nec illa eſt vnum reipſa cum exiſtentia per ſe. Probatur minor dupliciter. *Primò*: Quia ſi formalis effectus ſubſiſtentiæ eſſet ponere rem extra cauſas, nulla res extra illas poneretur, niſi per ſubſiſtentiam: ſicuti quia formalis effectus albedinis eſt eſſe album, nulla res eſt alba, niſi per albedinem. At plurimæ res, veluti omnia accidentia, ponuntur in rerum natura, & non per ſubſiſtentiam. *Secundò*: Quoniam natura creata poteſt divinitus poni extra cauſas, immo & operari iuxta multorum placitum, abſque ſubſiſtentia. Nullus autem effectus formalis poteſt divinitus in rerum natura poni ſine forma. Ergo formalis effectus ſubſiſtentiæ non eſt ponere rem extra cauſas.

55 RESP. Effectum formalem ſubſiſtentiæ eſſe eundem, ac exiſtentiæ per ſe: nimirum, conſtituere per modum formæ rem extra cauſas, non vtcumque, & ſub ratione cõmuni accidentibus, ſed per ſe, quod eſt proprium ſubſtantiæ, prout differt ab accidente; vt latè explanavimus in Metaphyſica diſp. 4. per totam. Quemadmodum verò repugnat naturæ creatæ ſubſtantiali, adhuc divinitus, eſſe aut operari ſine exiſtẽtia per ſe, ita & ſine ſubſiſtentia, quæ ſanè ab ea non differt, vt ſæpiùs probatum eſt. Nec audiendi ſunt quicumque aiunt, & nullatenus probant, naturam creatam ſubſtantialem poſſe divinitus eſſe aut operari abſque omni prorſus ſubſiſtentia, ſeu propria, ſeu aliena ſaltem. Ex quo patet ad formam argumenti.

56 OBIICIES VLtimò. Si eadem eſſet ratio formalis ſubſiſtentiæ, atque exiſtentiæ per ſe, quemadmodum natura divina priori rationis ad relationes intelligitur per ſe exiſtens, ita etiam intelligeretur ſubſiſtens. Ergo quemadmodum eam ob cauſam non relinquit locum tribus exiſtentijs relativis, ac reipſa diſtinctis, ſed omnes perſonæ divinæ exiſtunt per vnicam abſolutam exiſtentiam: ita nec relinquet locum tribus ſubſiſtentijs relativis, ſed omnes divinæ perſonæ ſubſiſtent per vnicam ſubſiſtentiam abſolutam. Conſequens autem videtur cõtrarium communi fere Theologorum doctrinæ, quæ cognoſcit in divinis tres ſubſiſtentias relativas, ac reipſa diſtinctas in tribus perſonis. Quin & idipſum videtur ſatis conſtare ex Concilijs, & Patribus, ſuprà allegatis Diſp. LXXIII. ſectione 5. Ergo non eſt eadem formalis ratio ſubſiſtentiæ, ac exiſtentiæ per ſe.

57 HÆC Obiectio tangit duplicem controverſiam difficilem: alteram; an in divinis ſit aliqua ſubſiſtentia abſoluta & communis: alterã, an ſint in divinis perſonis tres ſubſiſtentiæ relativæ, ſive ſupponatur illa communis, ſive non. Vtramque exagitabimus in progreſſu. Nunc verò facilè ac breviter poteſt occurri argumento, iuxta dicenda ſtatim Diſp. ſeq. concedẽdo in divinis ſubſiſtentiã abſolutam & communem pro priori rationis ad relationes, quæ ſanè eſt omnino eadem, ac exiſten-

tia

tir per se absoluta, communiter à Theologis admissa in Deo: vt vidimus disp. hac. An verò inde excludantur plures subsistentiæ relativæ, videbimus Disputatione LXXVIII. per totam, vbi sententiæ neganti subscribemus. Quare concesso antecedente & consequētia obiectionis dicimus eam vtramque sententiā esse valde probabilem, & maximè cohærentem doctrinæ Conciliorum, Patrum, Theologorumque, quidquid alij repugnent, vt ibidem satis apparebit.

DISPVTATIO LXXVII.

AN IN DIVINIS SIT VNA ALIQVA SVBSISTENTIA ABSOLVTA, ET COMMVNIS TRIBVS PERSONIS.

AD REVERENDISSIMVM P.N.M.Fr. ROSENDVM DE MOXICA, Sacræ Theologiæ Doctorem, Catholicorum Regum PHILIPPI IV. & CAROLI II. Concionatorem insignem, Congregationis Benedictinæ Hispaniarum & Angliæ iam pridem meritissimum Generalē, claritate sanguinis, doctrina, eruditione multiplici, eloquentia, comitate, & cæteris animi dotibus illustrem.

HAEC Controuersia grauis & difficilis apud Theologos, plurimum alligata est duabus præcedentibus, & iuxta doctrinam in ijs traditam dirimenda à nobis, quidquid alij sentiant. Habet verò locum apud Anselmum, tam in hoc cap. 38. vbi differit de ijs, quæ multiplicantur in diuinis (quamuis illam expressè non excitet, sed postea à Scholasticis distinctè excitata & in methodum redacta fuerit) quàm suprà cap. 5. verbis num. 13. allegandis. Sed nec D. Thomas vnquam in summa Theologiæ illam tractasse inuenitur ex professo: sed solùm aliquibus locis nonnihil indicasse ad eam vtcumque spectans. Clariùs & magis distinctè illam attingit Scotus in 1. dist. 1. quæst. 2. & in 3. dist. 1. quæst. 2. Durandus in 1. dist. 13. quæst. 2. num. 23. & dist. 26. quæst. 1. num. 5. & dist. 33. quæst. 1. num. 37. & in 3. dist. 1. quæst. 2. num. 7. & alij ex Scholasticis infrà citandi.

SECTIO PRIMA.

Præmittuntur quædam obseruatu digna, & referuntur Authorum placita, libanturque nonnulla ex dictis triplici disputatione præcedenti ad dirimendam controuersiam.

2 PRÆMITTO I. Theologos in præsenti supponere veluti rem certam, exploratamque omnino, in diuinis non esse personam aliquam absolutam: quoniam alioqui daretur quarta in Trinitate persona, præter tres, quas fide magistra novimus. Consequens autem est planè hæreticum, & damnatum in Quinta Synodo Generali pluribus locis, præcipuè verò in Confessione Fidei Iustiniani Imperatoris contra tria capitula pag. 354. apud Severinum Binium, ijs verbis: διὰ τοῦτο καὶ ὡς ὁ τῆς σαρκώσεως (ita legendum planè, non verò σαρκώσεσις, vt ibidem

dem ex incuria typographi habetur) τῷ Θεῷ λόγῳ καὶ μετὰ τὴν ἐνσάρκωσιν, τρεῖς ὑποστάσεις λέγομεν τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, τὴν ἁγίαν τριάδος τετάρτης ὑποστάσεως ἤτοι προσώπου προσθήκην μὴ ἐπιδεξαμένης. id eſt. *Ideo & ante Incarnationem Dei Verbi, & poſt eius Incarnationem, tres hypoſtaſes dicimus Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Non enim ſancta Trinitas quartæ hypoſtaſeos vel perſonæ adiectionem ſuſcipit.* Non ergo datur in divinis aliqua perſona abſoluta præter tres relativas. Ita illi, & planè atque ineluctabili argumento quidem, ſi eiuſmodi perſona abſoluta aſſeratur, vel reipſa incommunicabilis tribus perſonis, vel ab ijs ſecundùm rem diſtincta. Vtrovis enim modo accipiatur, hæreticum eſt, veluti tale damnatum, quoad priorem partem in dicta Synodo, & alijs quatuor primis Generalibus: quoad poſteriorem verò in Remenſi ſub Eugenio III. & in Lateranenſi ſub Innocẽtio III. prout habetur in cap. Firmiter, & cap. Damnamus de Summa Trinitat. & Fide Catholica. Cæterum longè alio ſenſu quidam Theologi relati à Durando in 1. diſt. 26. q. 1. num. 5. aſſerũt in Deo ſuppoſitum abſolutum, quod perinde eſt, ac dicere abſolutam perſonam. Nõ enim aiunt, id ſuppoſitum vel perſonam ponere aliquid in numero cum tribus, quas fide novimus; ſed eſſe vnum & idem reipſa cum ijs: ſicuti iuxta idem Concilium Lateranenſe eſſentia divina ita eſt vna & ſumma res, & perſonę ita ſunt tres res, vt illa non ponat cum ijs in numero, propter realem identitatem eiuſdem prędicati divini cum tribus perſonis. Exiſtimo autem, Durandum ibidem ſuppreſſo nomine allegaſſe Scotum, cuius eſt dicta opinio: vt videbimus infrà num 82. quamvis hic non perſonam communem, ſed ſuppoſitum commune, aſſeruiſſe videatur. Lege Petavium lib. 4. de Trinitate c. p. 11. n. 5. & 6. vbi teſtatur, neminem hactenus dicere auſum, vel aſſerere vnã Trinitatis perſonã communem, vel proſopon.

3 ADHVC Tamen cum reliquis Theologis dicendum, non eſſe in Deo ſuppoſitum abſolutum & commune, ſicuti nec perſonam: quia cõmuni ſtylo, tum Cõcilia, & Patres Græci *proſopon & hypoſtaſim*; tum omnes Scholaſtici, *perſonam & ſuppoſitum*, dumtaxat accipiunt veluti prædicatum peculiare & ſingulare vniuſcuiuſque ex tribus ſubſiſtentibus in Trinitate; non autem veluti commune & abſolutum. Etenim ſuppoſitum & perſona, vt rectè obſervat Durandus ibidem num. 6. ſignificat aliquid ſubſiſtens completum, non quomodocumque, ſed vltimo complemento, & proinde incommunicabile pluribus. quale profectò non eſt aliquod prædicatum Dei abſolutum. Non ergo in Deo eſt aliquod ſuppoſitum abſolutum, vel perſona abſoluta.

4 INDIDEM Patet, non eſſe in Deo abſolutam hypoſtaſim, acceptam iuxta ſenſum Scholaſticorum pro ratione formali conſtituẽte ſuppoſitum, aut perſonam: quæ generatim appellari ſolet *ſuppoſitalitas*, in creatura autẽ rationali *perſonalitas*. Enim cùm oſtenſum ſit, non eſſe in divinis concretum abſolutum ſuppoſiti aut perſonæ; colligitur planè, nec in illo eſſe locum rationi formali conſtituenti ſuppoſitum aut perſonam. Similiter reijcienda eſt à Deo ratio ſemi-ſuppoſiti, & ſemi-perſonæ abſolutæ, quam aliqui inveniuntur Deo tribuiſſe, à cęteris meritò reprehenſi: tùm quòd eæ voces nullum fundamentum habeant apud Concilia & Patres: tum, quoniam important rationem partis & incompletionis, à Deo prorſus alienam.

5 PRÆMITTO II. In Deo eſſe tres perſonalitates reipſa diſtinctas. Fides enim docet in Deo eſſe tres perſonas ſecundùm rem diſtinctas. Nomen autem numerale *tres* cadens ſupra nomen ſubſtantivum, quale abſdubiò eſt *perſona*, multiplicat formam. Ergo cùm forma perſonæ ſit perſonalitas, neceſſum eſt dari in Deo tres perſonalitates, ſicuti & tres perſonas. Porrò eiuſmodi formas non eſſe abſolutas, ſed relativas, conſtans eſt Theologorum ſententia; quoniam multiplicantur in divinis: nullum autem prædicatum Dei abſolutum multiplicari poteſt, ſed relativum tantùm. Quare diſſidium non eſt de perſonalitate, aut ſuppoſitalitate, quæ frequenter hypoſtaſis dici ſolet; ſed de ſubſiſtentia ſecundùm ſuam rationem formalem & præciſam, an in Deo ſit abſoluta & communis, an potiùs ſolùm relativa.

6 PRIMA. Sententia negat in divinis ſubſiſtentiam abſolutam, & concedit tres relativas. Ita Ricardus in 1. diſt. 26. art. 1. q. 1. corpore, Henricus Quodlib. 5. q. 8. fine, Vazquez 1. p. diſp. 125. cap. 3. allegans Alexandrum, Bonaventuram, Marſilium, & Noſtrum Genebrardum, Ruiz diſp. 34. ſect. 5. & ſeqq. Amicus diſp. 21. num. 18. Zuñiga diſp. 5. dub. 10. Alarcon diſp. 4. cap. 3. Petavius lib. 4. de Trinitat. cap. 12. Arriaga diſp. 51. ſect. 2. Quiros diſp 29.

7 SECVNDA Aſſerit in Deo vnam ſubſiſtentiam abſolutam & tres relativas. Ita Caietanus 1. p. q. 3. art. 3. & q. 29. art. 4. & plerique ex Thomiſtis, quos allegant & ſequuntur Carmelitæ Salmant. diſp. 9. dub. 4. Ioannes à S. Thom. diſp. 14. art. 2. atque ex parte Godoy diſp. 84. Ex alijs Molina q. 29. art. 2. diſp. 3. Suarez lib. 4. de Trinit. cap. 11. Granado 1. p. tract. 3. cont. 5. diſp. 6. ſect. 3.

Aver-

Averſa quæſt. 3. ſect. 2. & plures alij.

8 TERTIA Denique docet, non eſſe in divinis triplicem ſubſiſtentiam relativam ſed vnicam abſolutam, & communem. Ita Scotus & Durandus locis initio Diſputationis allegatis, ac præterea Albertus Magnus, Argẽtina, Marſilius, alijque veteres Scolaſtici, & ex Thomiſtis Capreolus in 1. diſt. 26. q. 1. ar. 1. concl. 3. & in 3 diſt. 1. ad argumenta contra 4. concl. Ferrara lib. 4. contra Gent. cap. 26. Marchinus de Trinit. q. 29 diſp. 19 propoſitione vnica, vbi palam negat in divinis tres ſubſiſtẽtias relativas, quod Bañez probabile cenſet 1. p. q. 40. art. 4 dub. 2. concl. 4. Favet admodum huic opinioni Bellarminus Tom. I. lib. 2. de Chriſto cap 15 vbi diſtinguit in ſubſiſtentia duplex munus vnum, vt conſtituat ſuppoſitum, & faciat illud eſſe in ſe, & non pendere ab alio: alterum, vt diſtinguat illud ab alijs ſuppoſitis. Duo atem munia prædicta monet, valde inter ſe differre, quoniam poteſt alterum eſſe ante alterum: vt patet in Adamo, qui, quando erat ſolus, habebat eſſe in ſe; ſed non diſtinguebatur ab alijs. E contrà etiam, aliquid diſtinguit, quod non conſtituit: vt patet in ſpiratione activa. His ſuppoſitis docet, aliud eſſe loqui de ſubſiſtentia reſpectu eſſentiæ, aliùd reſpectu perſonarum: & priori quidem ſenſu ait, eſſentiam non conſtitui per relationem, nec habere ab ea, vt ſubſiſtat, quoniam ex ſe habet in rinſecè vt ſubſiſtat, ſive in ſe exiſtat, diſtinguaturque ab omnibus alijs eſſentijs, præſcindendo à relationibus. Si autem loquamur de ſubſiſtentia reſpectu perſonarum ait, perſonas habere diſtinctionem à relatione, proindeque à ſubſiſtentia penes ſecundum officium diſtinguendi. Hæc eſt mens germana illius, quidquid alij exponant, vt patebit conſulenti eum locum. Itaque doctiſsimus & pijſſimus Cardinalis ibidem, non ſolũ tradit apertiſsimè in Deo ſubſiſtentiam abſolutam & cõmunem, qua natura divina exiſtat in ſe, & independenter ab alio, pro priori rationis ad omnem relationem: ſed etiam docet, ſubſiſtentiam quoad primum munus conſtituendi ſubſiſtens, & reddendi illud in ſe exiſtens, eſſe vnicam & abſolutam in divinis: licèt quoad ſecundum munus diſtinguendi ſuppoſita ſit relativa & triplex inſtar ipſarum relationum.

9 VT Autem ad dirimendam controverſiam ſine vocum diſsidio, & cohærenter ad noſtram doctrinam accedamus, oportet præmittere ex dictis ſuprà Diſp. LXXIII. etiam iuxta opinionem plurium ex ijs, quibuſcum modò diſputamus, præſertim Thomiſtarum omnium, in divinis eſſe exiſtentiam abſolutam & communem tribus perſonis, non verò triplicem & relativam. Præterea ex ſtatutis Diſp. LXXV. per totam ſupponendũ eſt, ſubſiſtentiam in creatis eſſe aliquam formam abſolutam, naturæ ſubſtantiali ſuperadditam, qua terminetur, & compleatur: eiuſque effectum formalem ac primarium eſſe, vt totum, ſeu complexum ex ipſa & natura cõſtituat exiſtens per ſe: naturam verò terminet ac compleat vltima actualitate intra genus ſupremum ſubſtantiæ. Denique, & conſequenter, iuxta dicta tota Diſp LXXVI. immediatè præcedenti, obſervandum eſt, ſubſiſtentiam eſſe vnam & eandem actualitatem, ſaltem in creatis, cum exiſtentia per ſe, quæ convenit ſubſtantiæ, quatenus diſtinctæ ab accidente, quod non per ſe, ſed in alio, exiſtit. Hæc omnia ibidem latè confirmaſſe ſufficiat, quin opus ſit iterum probare, & eandem ſæpius doctrinam inculcare, nullo operæ pretio, & non ſine lectorum faſtidio.

10 DENIQVE Ex dictis Diſp. illa LXXV. num. 105. obſervare oportet, frequenter hypoſtaſin apud Patres Græcos, & ſubſiſtentiam apud Latinos, longè aliter vſurpatam fuiſſe, quàm poſtea apud Scholaſticos. Apud Concilia enim & Patres, tam hypoſtaſis, quàm ſubſiſtentia, non accipitur pro forma illa, aut ratione formali, qua ſubſtantia conſtituitur ſubſiſtens, ſive exiſtens in ſe, qualiter apud Scholaſticos vſurpatur: ſed pro toto, ſive complexo, quod eſt, & appellatur perſona, ſive ſuppoſitum, aut ſubſiſtens. Id eo loco ſatis probavi teſtimonio V. Synod Generalis, ac D. Thomæ, & aliorum, etiam Recentiorum, qui id ipſum adnotarunt. Quia tamen ex ea obſervatione pendet potiſsimùm explanatio & defenſio tertiæ ſententiæ, quam poſtea, veluti veriorem ſtatuemus, oportet nonnulla alia teſtimonia Patrum in medium proferre, hypoſtaſim, ſive ſubſiſtentiam accipientium pro ipſa perſona, aut re ſubſiſtente. Atque imprimis id planè habetur in Sexta Synodo Generali, id eſt, Conſtantinop. ſub Agathone Papa Act. 4 col. 11. circa finem, iuxta editionem Binij, vbi definitur tanquam certiſsimum, *in Domino N. Ieſu-Chriſto duas, id eſt, Dei & hominis, naturas, ſiue ſubſtantias, in vnam eius conueniſſe SVBSISTENTIAM, SIVE PERSONAM.* Græcè, τὼ ἐ ὑπόστασιν, ἤτοι πρόσωπον. Porrò idem eſt perſona ac res ſubſiſtens in natura intellectuali: ſicuti & hypoſtaſis idem eſt, ac ſubſtantia individua. Quod Boetius lib. de duabus naturis ex Græcis Patribus obſervat, dicens: * Ideo autem hypoſtaſes Græci individuas ſubſtantias vocaverunt, quoniam cæteris ſubſunt; & quibuſdam quaſi accidentibus ſuppoſitæ, ſubiectæque ſunt: atque iccirco NOS QVOQVE EAS SVBSTANTIAS NVNCVPAMVS, QVA-

SI SVPPOSITAS, QVAS HOPOSTASES,* nimirum, appellant Græci. Et paucis interiectis ſubdit: *Vnde etiam dicimus vnam vſiam, vel vſioſin, id eſt, eſſentiam, vel ſubſiſtẽtiam: ſed tres hypoſtaſes, id eſt tres ſubſtantias.* Vbi obiter nota, *vſioſin*, ſive ſubſiſtentiam accipi pro vno & abſoluto prædicato; hypoſtaſim verò pro triplici ſubſtantia, id eſt, pro triplici perſona, iuxta ea, quæ cum Anſelmo diximus Tomo I. Diſp. I. ſect. 5. ex ſenſu & ſtylo PP. Græcorum, quibus nonnunquam morem gerit ipſe S. Doctor, vt ibidem adnotavimus.

11 EX Latinis quoque alij Patres ſubſiſtentiam ſæpe accipiunt pro eodem, ac perſonam, ſive rem ſubſiſtentem. Certè Ambroſius ita vſurpat, dum in Symbolum Apoſtolorum cap. 2. ait:* Sabellius docuit vnam ſubſiſtentiam eſſe Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, vnamque trinominem perſonam. Sed dum omnes vnam eſſe perſonam reputat, nihil eſſe vnamquamque deſignat. * Similiter Facundus Hermianenſis lib. 1. ex ſtylo Gregorij Nazianzeni Orat. 39. inquit:* Deum cùm nomino, vno lumine illuſtramini, ſimul & tribus. Tribus quidem ſecundùm vniuſcuiuſque proprietates, ſive ſubſiſtentias, ſicut placet àliquibus dicere, ſive perſonas.* Præmiſſerat verò, in Chriſto eſſe vnicam ſubſiſtentiam, *quæ naturarum adunatione, id eſt, diuinitatis, & humanitatis exiſtat.* Vbi planè pro eodem accipit ſubſiſtentiam Chriſti, ac perſonam exiſtentem in duabus naturis. Eodem modo loquitur Ioannes Maxentius in Profeſsione Fidei apud Biblioth. PP. vbi, cùm præmiſiſſet, idem eſſe *ſubſiſtentiam* quod *perſonam*, inquit: *Deum Verbum vnigenitum Filium Patris Dominum noſtrum Ieſum-Chriſtum, qui pro nobis paſſus eſt carne, VNVM DE TRIBVS SVBSISTENTIIS VNIVS DIVINITATIS ESSE CREDIMVS.*

12 SED Et Synodus VII. Generalis huic ipſi loquendi modo ſuffragatur plurimum, dum ſæpe hypoſtaſeos nomine intelligit perſonam, ſicuti ex Græcis Patribus multi & magni intelligere ſoliti ſunt. Teſtis vberrimus eius rei eſt Anaſtaſius Bibliothecarius, qui eandem Synodum à Græco in Latinum tranſtulit, & in præfatione ad illam inquit:* Sed & illud notandum, quoniam vbicumque in huius Synodi textu ſubſiſtentiam poſui perſonam, nonnulli ſubſiſtẽtiam interpretati ſunt. Porrò ſubſiſtentiam multi perſonam, multi verò ſubſtantiam etiam intellexerunt. At illos ego ſecutus ſum, qui ſubſiſtentiam, non ſubſtantiam, ſed perſonam intelligi voluerunt. Magni quippe ſunt. Vbicumque Græcè in hoc codice hypoſtaſim reperi, in ſubſiſtentiam tranſtuli; hanc perſonam, ſicut & alij quam plurimi, volens intelligi.* Hactenus ille. Sic etiam ſubſtantiam pro eſſentia, ſubſiſtentiam verò pro perſona accipit Synodus Mediolanenſis, cui Manſuetus Epiſcopus præfuit, in Expoſitione Fidei, vbi profitetur Trinitatem *vnius eſſentiæ, vniuſque ſubſtantiæ in tribus ſubſiſtentijs, ſiue perſonis.* Ac paulo poſt: *Credimus autem ipſum Dei Verbum, hoc eſt, Filium Patris, ſine initio genitum, EVNDEM VNVM EX TRIBVS SVBSISTENTIIS, SIVE PERSONIS.* Denique Romana Synodus ſub Agathone Papa, Actione quarta Sextæ Synodi, iam ſuprà allegata, ſcribens ad Imperatorem Conſtantinum, profitetur, *VNITATEM QVIDEM ESSENTIÆ, TRINITATEM VERO PERSONARVM, SIVE SVBSISTENTIARVM.* Mitto plura alia huius generis: quòd ea, quæ hactenus præmiſi, videantur rem compertam ſatis & prorſus exploratam facere. Veniamus itaque ad cõtroverſiam dirimẽdam.

SECTIO SECVNDA.

Statuitur in diuinis ſubſiſtentia abſoluta ex mente Anſelmi, & aliorum Patrum, reiectis ſolutionibus in oppoſitum. Expenditur quoddã teſtimoniũ Sextæ Synodi Generalis paulo accuratiùs.

13 DICENDVM Eſt, Naturæ, ſivè eſſentiæ divinæ, pro priori rationis ad relationes ſeu perſonas, convenire ſubſiſtentiam aliquam abſolutam. In hoc conveniunt Authores ſecundæ & tertiæ ſententiæ ſuprà allegati contra primam.

ATQVE Imprimis hanc eſſe Anſelmi ſententiam, videtur certum. Nam ſupra cap. 5. loquens de eſſentia divina, & ſine vlla prorſus conſideratione perſonarum (de his enim ſolùm incipit agere à cap. 29.) inquit: *Quemadmodum enim ſeſe habent adinuicem lux, & lucere, & lucens: ſic ſunt ad inuicem eſſentia, eſſe, & ens; HOC EST EXISTENS, SIVE SVBSISTENS. Ergo ſumma eſſentia, & ſummè eſſe, & ſummè ens, ID EST, SVMME EXISTENS, SIVE SVBSISTENS, non diſſimiliter ſibi conueniunt, quàm lux, & lucere, & lucens.* Ergo quemadmodum lucere, & eſſe lucentem, eſt actualitas conueniens luci, quà lux eſt: ita etiam eſſe ſummè exiſtentem, ſive ſummè ſubſiſtentem, eſt actualitas conueniens ſummè eſſentiæ, quatenus eſt eſſentia ſumma: ac proinde pro priori rationis ad perſonas, ſeu nulla habita conſideratione perſonarũ. Deinde inf. à c. 44.

alias

aliàs 43. epigrapha, *Quomodo alter* (loquitur de Patre & Filio) *ſit alterius eſſentia*, id multipliciter exponit, ſed præcipuè quatenus idē eſt *eſſe* Patris & Filij. Quod de exiſtentia abſoluta & communi vtrique intelligi debere, oſtēdimus ſuprà D. LXXIV. n 16. Deinde circa medium eiuſdem capitis agnoſcit vnam ſubſiſtentiam, ſicut & ſapientiam, & vitam, in Patre & Filio, ratione eſſentiæ. Verba ſunt: * Ita (Pater) gignendo dat Filio eſſentiam habere, & ſapientiam, & vitam in ſemetipſo, vt non per extraneam, SED PER SVAM ESSENTIAM, SAPIENTIAM, ET VITAM, SVBSISTAT, SAPIAT, ET VIVAT. * Quemadmodum ergo in Deo eſt ſapientia, & vita abſoluta, ac communis tribus perſonis, ita etiam ſubſiſtentia. Immò & inter eas tres perfectiones Anſelmus nominatim tribuit Patri & Filio ſubſiſtentiam ratione eſſentiæ, ſicut & ſapere ratione ſapientiæ, & vivere ratione vnius vitæ. Quo fit, vt omnem in oppoſitum interpretationē excludat. Porrò Ruiz diſp. 32. ſect. 9. obiecto ſibi hoc teſtimonio Anſelmi, inquit: * Cùm Anſelmus per omnia ſit Auguſtinianus, imitatus eſt illum, verbo ſubſiſtēdi vſurpato ad ſignificandam exiſtentiam & actualitatem. * Ita quidem & ego pronuntio. Verùm inde maximè ſententia noſtra firmatur, qua Diſp. præcēd. diximus ſubſiſtentiam idem prorſus eſſe ac ſubſtantialem exiſtentiam. Vnde quemadmodum hæc ab Adverſarijs agnoſcitur in Deo abſoluta, ita & illa debet agnoſci.

14 SIMILITER Indubium appareret, Auguſtinum eandem doctrinam tradidiſſe. Nam lib. 7. de Trinit. cap. 4. inquit: *Omnis res* (ſcilicet ſubſtantialis) *ad ſeipſam ſubſiſtit: quanto magis Deus?* Quidquid autem ſubſiſtit ad ſeipſum, proculdubio abſolutè ſubſiſtit. Eſt igitur in Deo ſubſiſtentia abſoluta. Quod autem Vazquez, & alij Recentiores reſpondent, Auguſtinū accipereibidē ſubſiſtere pro eo quod eſt exiſtere per ſe, imprimis non obſtat Aſſertioni, aut doctrinæ noſtræ traditæ Diſp. præcedenti: iuxta quam ſubſiſtentia ab exiſtentia per ſe, nec virtualiter in divinis, nec realiter in creatis diſtinguitur. Vnde dum Auguſtinus, iuxta eos Authores, agnoſcit in divinis exiſtentiam per ſe abſolutam, pariter ſubſiſtentiā abſolutam agnoſcit. Deinde nulla eſt ratio cur Auguſtinus non intelligatur de ſubſiſtentia ſimpliciter dicta: quoniam ait, Deum ad ſe ſubſiſtere. quo nihil apertius eſſe poteſt ad ſubſiſtentiam ſimpliciter exprimendam. Præterea cap. 5. ſequenti fine, ait: * Hoc eſt Deo eſſe, quod ſubſiſtere: & ideo ſi vna eſſentia Trinitas, vna etiam ſubſiſtentia. * Vbi ideo probat eſſentiam & ſubſtantiam eſſe vnam in Trinitate, quia vnum eſt eſſe ac ſubſiſtere. Si autem non eſſet in divinis vna ſubſiſtentia abſoluta, probatio Auguſtini, & nihil concluderet, & falſum ſupponeret.

15 S. THOMAS pariter, vt erat addictus vtrique S. Doctori, id ipſum luculenter tradit varijs locis. Etenim quæſt. 9. de Potentia art. 5. ad 13. ita reſpondet: * In divinis autem proprietates perſonales hoc ſolùm habent, quòd ſuppoſita divinæ naturæ ad invicem diſtinguunt: NON AVTEM SVNT PRINCIPIVM SVBSISTENDI NATVRÆ DIVINÆ. IPSA ENIM DIVINA ESSENTIA EST SECVNDVM SE SVBSISTENS: è contrà proprietas perſonalis habet quòd ſit res ſubſiſtens, quia eſſentia divina, cui eſt eadem ſecundùm rem, eſt res ſubſiſtens. * Quid expreſsius? Præterea in primo diſtinct. 21. quæſt. 2. art. 1. ait: * Iſte terminus DEVS prædicat naturam divinam de tribus perſonis: QVÆ ETIAM IN SE EST HABENS ESSE SVBSISTENS, NVLLA PERSONARVM DISTINCTIONE INTELLECTA. * Id ipſum tradit in 3. diſtinct. 6. quæſt. 2. art. 2. & 3. p. q. 3. art. 3. ad 1.

16 VERVM Quia Petavius, vir planè eruditiſsimus, lib. 4. de Trinitate cap. 12. ait, nuſquam in Veteribus Patrum monumentis apparere veſtigium ſubſiſtentiæ abſolutæ, quam tuemur, oportet in medium profe rre plura illorum teſtimonia, quæ rem ipſam ſatis demonſtrent, aut ſaltem maximè probabilem ex eorum ſenſu reddant. Ac primum quidem Dionyſius Areopagita, antiquiſsimus inter Patres, illam ſatis luculenter tradit cap. 5. de Divinis nomin. vbi loquens de prædicatis divinis, inquit *Ipſum-quæ per ſe eſſe, eſt antiquius* (nimirum, cognitione prius) *quam ipſiſsimam eſſe vitam, & ipſiſsimam eſſe ſapientiam, &c.* Atqui eſſe per ſe, idem eſt, ac ſubſiſtere. quod infra amplius patebit. Ergo priùs in Deo intelligitur ſubſiſtentia, quàm vita & ſapientia. ac proinde eſt prædicatum Dei abſolutum, immo & prius alijs quibuſdam abſolutis. Præmiſſerat verò cap. 1. *Bonitatis ſubſiſtentia per ſuum eſſe cauſa eſt omnium ſubſiſtentium.* Deus autem cauſa eſt omnium ſubſiſtentium per aliquid abſolutum, & commune tribus perſonis. Ergo bonitatis divinæ ſubſiſtentia eſt aliquid abſolutum, & commune tribus perſonis. Conſonat Dionyſio Gregorius Nyſſæ Antiſtes lib. de vita Moſis column. 13 dicens: *Nihil, præter ſupremam eſſentiam, quæ omnium cauſa eſt, & à qua omnia dependent, verè ſubſiſtit.* Ergo eſſentia divina, quatenus cauſa eſt rerum omnium, ac proinde penes rationem abſolutam, & tribus perſonis communem, verè ſubſiſtit. Similiter Athanaſius

libro ſingulari inſcripto περὶ σαρκώσεως τοῦ χριστοῦ, id eſt, de Incarnatione Chriſti, non admodum longè à medio ait: *Increata ſola Deitatis ſubſiſtentia intelligitur.* Baſilius Magnus Homilia 27 de Spiritu ſancto prope finem, inquit: *Spiritus ex Deo pronanans, eiuſdem cum illo ſubſiſtentiæ.* Niſi autem ſubſiſtentia ſit abſoluta, nequit Spiritus ſanctus eſſe eiuſdem ſubſiſtentiæ cum alia perſona divina. Nazianzenus Orat. 36 agens de Deitate ait: *Naturam eiuſmodi inquirimus, quæ ipſum eſſe per ſe habeat*: Ergo natura divina per ſe habet eſſe, ac proinde ſubſiſtit abſolutè. Præterea Nyſſenus ipſe, quem paulo ante allegavimus, lib. de differentia eſſentiæ & hypoſtaſeos columna 2. videtur planè diſtinguere ſubſiſtentiam communem à ſingulari & incõmunicabili, dum ait: *Qui Paulum dixerit, oſtendit in re, quæ eo nomine declaratur, ſubſiſtentem naturã. Hoc itaque hypoſtaſis (quã. ſi dicas ſubſtantia) eſt; non illa indefinita in omnibus eſſentiæ ſubſiſtentia, nullam, propter communionem eius, quod ſignificatur, ſtationem inueniens.* Itaque præter hypoſtaſim peculiarem vniuſcuiuſque perſonæ, eſt alia communis naturæ ſubſiſtẽtia. Cyrillus quoque Alexandrinus, & Anaſtaſius Patriarcha Theopolitanus in compendiaria Expoſitione Fidei, quæ ambobus tribuitur, agentes de vnitate divinæ eſſentiæ aiunt: *Quid eſt eſſentia? Res, quæ per ſe eſt, neque altero indiget ad hoc, vt ipſa ſubſiſtat.* Igitur eſſentia divina per ſe eſt, nec egẽt alio vt ſubſiſtat. Habet igitur eſſe per ſe, ſive ſubſiſtentiam per ſeipſam, & indepenꝺenter ab omni alio. Et hæc quidem ſufficiat indicaſſe quoad PP. Græcos.

17 VENIAMVS Ad Latinos, qui non minùs perſpicuè videntur agnoſcere in Deo ſubſiſtentiam abſolutam. Hilarius lib. 5. de Trin columna antepen inquit: *Vt indiuiſus atque inſeparabilis, non ex perſona, SED EX NATVRA SVBSISTENS, ex Patre vnigenitus intelligatur.* Quem modum loquendi imitatus videtur Anſelmus verbis ſuprà num. 13. circa finem exſcriptis. Igitur Filius Dei, proindeque reliquę perſonæ, ex natura ſubſiſtunt, atque adeò per ſubſiſtentiam abſolutam naturæ divinę Idem tradit lib 7. eiuſdem operis prope finem. Similiter Hieronymus Epiſt. 57. ad Dimaſum poſt medium ait: *Vna eſt Dei & ſola natura, quæ verè eſt: ID ENIM QVOD SVBSISTIT NON ALIVNDE HABET SED SVVM EST.* Ergo natura divina per ſeipſam, & nullo alio intellecto, verè ſubſiſtit. Quod ipsũ docet in cap. 3. Epiſt. ad Epheſios. ad illa verba, *Ex quo omnis paternitas, &c.* Præterea Boetius lib. de duabus naturis longiùs à principio, quàm à medio, inquit: *Deus eſt hypoſtaſis, id eſt ſubſiſtentia. ſubſiſtit enim nullo indigens. VNDE DICIMVS, VNAM ESSE VSIAM, VEL VSIOSIM, ID EST ESSENTIAM, VEL SVBSISTENTIAM DEITATIS.* Quid clariùs, aut oportunius, præſertim ex Authore æquè doctoGræcè ac Latinè, ac valde vicino eorum veterum Patrum, qui proinde noverit, quid propriè οὐσιότης apud Græcos, & *ſubſiſtentia* apud Latinos ſignificaret? Vnde & apud Noſtrum Bedam Tomo VIII. circa finẽ, Commentator in lib. Boetij de Trinit. columna penult. inquit: *Vſia à ſubſiſtendo dicitur. Sic vocatur à Græcis οὐσιότης, à nobis verò propriè ſubſiſtẽtia.* Quod vero Ruiz vbi ſuprà obiecto ſibi Boetij teſtimonio, reſponder, ibidem ſubſiſtentiam accipi pro ſubſtantiali exiſtentia, verum eſt quidem: ſed contrarium ipſius principijs, & noſtris cohærens. Ipſe enim ſicuti diſtinguit reipſa in creatis ſubſiſtentiam ab exiſtentia ſubſtantiæ, ita etiam virtualiter intrinſecè in divinis, iuxta ea quæ diximus Diſp. 9ec. Vnde nõ poteſt hoc loci propriè ac Theologicè dicere, vſioſim, ſive ſubſiſtentiam, eſſe exiſtentiam ſubſtantialem. Nos verò, qui vtrãque oſtẽdimus ibidem eſſe prorſus eandẽ, perinde exiſtimamus eſſe vnam Deitatis vſioſim, ſive ſubſiſtentiã, ac exiſtentiam ſubſtantialem.

18 IDEM Author ſect. 8. numero 17. poſtquam ſibi obiecerat varia teſtimonia Patrum, qui videntur tradere in Deo ſubſiſtentiam abſolutam; reſpondet generatim, quamvis eſſentia divina conſideretur, vt præciſa à perſonis; adhuc eſſe locum vt dicatur ſubſiſtere, non quidem per ſubſiſtentiam abſolutam & eſſentialem, ſed per tres ſubſiſtentias perſonales, & relativas. Nimirum, id adhuc magis propriè dici; quàm quòd humanitas Petri ſubſiſtat per ſuam connaturalem perſonalitatem, & humanitas Chriſti per ſubſiſtentiam Verbi: ſiquidem Divinitas eſt eadem reipſa entitas cum tribus ſubſiſtentijs relativis; humanitas autem, ſeu Petri, ſeu etiam Chriſti, diſtinguitur reipſa à ſubſiſtentia, ſeu propria, ſeu aliena.

19 SED Contrà. Quidquid enim ſit, an Deitas ſubſiſtat per tres relativas ſubſiſtentias (de quo in progreſſu) & dato quòd dici poſſet magis verè ſubſiſtere per illas, quàm humanitas per ſubſiſtentiam diſtinctam; adhuc tamen repugnat in terminis, quòd Deitas ſubſiſtat, vt præciſa à perſonis, & non per ſubſiſtentiam abſolutam: Quoniam, prout præciſa à perſonis, & ſubinde à relationibus, perinde conſideratur Deitas, ac ſi in Deo non eſſent tres perſonæ. At quidquid in Deo conſideratur ſeu in Deitate, ac ſi non eſſent in Deo

tres

tres perſonæ, habet rationem prædicati abſoluti, vtpotè conuenientis Deo, vt vni. Ergo ſi Deitas, vt præciſa à perſonis & relationibus, ſubſiſtit, ſanè id habet per ſubſiſtentiam abſolutam. *Præterea.* Etiam magis verè Deitas intelligit & amat per ſuã intellectionẽ, & amorem, quã natura rationalis creata per ſuos actus intelligendi & volendi: vtpotè cum illa præ hac, ſit indiſtincta reipſa à prædictis actibus. At quia Deitas, vt præciſa à perſonis, conſideratur intelligens & volens, omnes Theologi aiunt, intellectionẽ volitionẽque Deitatis eſſe abſolutam, eſto ſit præterea intellectio & volitio notionalis, ſeu quoddãmodo relativa. Ergo ſi Deitas, vt præciſa à perſonis, cõſideratur ſubſiſtẽs; ſequitur planè in ea eſſe ſubſiſtentiã abſolutã, quãvis præterea ſupponatur habere tres ſubſiſtẽtias notionales, ſeu relativas. *Denique*, & eſt ratio à priori, quoties aliquid conſideratur ſub præciſione ab aliquo prædicato ſibi idẽtificato in re, non concipitur ſub aliquo effectu formali prouenieme ab illo. Sic certè in creatis, animal, prout præciſum à rationali, non concipitur vt habens vim diſcurrendi & in diuinis eſſentia prout præciſa à relationibus non conſideratur vt habens rationem Patris, aut Filij, vel perſonalitatis, vel originis paſsiuæ aut actiuæ: quoniam, nimirum, omnia eiuſmodi prædicata ſunt veluti effectus formales, qui nequeunt intelligi ſubiecto communicati, vbi illud conſideratur præciſum à forma, aut quaſi forma illos præſtante per ſeipſam. Si ergo Deitas, prout à perſonis ſeu relationibus præciſa, conſideratur ſubſiſtens; certè hoc habet abſolut per ſeipſam, & non ratione perſonarum vel relationum.

20 PORRO Authores ipſi, qui nobiſcum conueniunt in Aſſertione præiacta, probant illam ex Agathone Papa in Sexta Synodo Generali Actione 4. parum à principio, quaſi ibi dicatur: *Confitemur trium ſubſiſtentiarum, ſiue perſonarum, vnam ſubſiſtentiam.* Indeque colligunt ſubſiſtentiam abſolutam, vtpotè vnam in tribus. Quod ſi verò reſpondeatur, lectionem illam eſſe mendoſam, & legendum eſſe, *vnam ſubſtantiam*, non verò, *vnam ſubſiſtentiam*; inſtat Godoy vbi ſuprà numero 16 deferri debere exemplaribus antiquis, in quibus legebatur, *vnam ſubſiſtentiam*: aut certè, admiſsis noviori-bus vtrumque conciliari, vt & ſubſiſtentiæ relativæ ſunt tres, & abſoluta vna.

21 SED Enim ea probatio infirma eſt. Imprimis verba illa non habentur initio Actionis quartæ, vbi Godoy illam allegat: ſed propiùs longè ad finem, quàm ad medium: nec leguntur in prima Epiſtola Agathonis, quæ longiſsima eſt, & occupat priorem ac longè maiorem eius Actionis partem; ſed in Epiſtola ſecunda eiuſdem Pontificis, quę incipit: *Piiſſimis Dominis, & ſereniſſimis Victoribus, &c.* Deinde columna tertia illius, pagina 62. editionis accuratiſsimæ Seuerini Binij, verba Græca ſunt: τριῶν ὑποστάσεων μίαν οὐσίαν. Latinè verò, vt ad marginem habetur, *trium ſubſiſtentiarum vnam ſubſtantiam*: vel ſi paulo magis ad litteram, etiam quoad ſonum, reddere velimus, *trium hypoſtaſeon vnam vſian.* Patet verò, vtcumque id propriè accipiatur, nullum eſſe locum reddendi Latinè *vnam ſubſiſtentiam*, quoniam οὐσία apud Græcos magis propriè ſignificat eſſentiam, naturam, & ſubſtantiam, vt & ibidem paulo infrà habetur: non verò id, quod Agatho Papa eo loci appellat *hypoſtaſin* Græcè; ac tranſlator Latinus *ſubſiſtentiam.* Nimirum paucis antè lineis, idem Pontifex, profeſſus fuerat τριάδα προσώπων, ἢ τῶν ὑποστάσεων, id eſt, *Trinitatem perſonarum, ſiue ſubſiſtentiarum.* Vbi pro vno eodemque accipit proſopon, & hypoſtaſim, id eſt, perſonam & ſubſiſtentiam. Sicuti ergo dicaiſsimum eſt ac fide Catholica, & ipſius Agathonis, profiteri in Deo vnam trium ſubſiſtentiarum perſonam; ita & vnam hypoſtaſim, ſiue ſubſiſtentiam, eo ſenſu vſurpatam. Nihil itaque ex eo loco ad rem noſtram afferri poteſt.

SECTIO TERTIA.

Ratio præcipua ſubſiſtentiæ abſolutæ in Deo, ex Anſelmo eruta & multiplicicer confirmata, præcluſis Aduerſariorum euaſionibus.

21 RATIO Aſſerti præcipua (omiſſis alijs, quas AA. noſtræ ſententiæ proponunt, aut de quarum efficacia inter ſe domeſticis diſsidijs implicantur) deſumitur ex Anſelmo, tum ſupra cap. 5. verbis num. 13. exſcriptis, tum cap. 14. vbi definit perfectionem ſimpliciter ſimplicem, tum denique in Proſlogio cap. 2. & 3. vbi exponit quomodo Deus ſit id, quo nihil melius & excellentius cogitari poteſt. Vnde ſubducitur hæc differendi formula: Omne quod ex ſua ratione formali importat perfectionem ſimpliciter ſimplicem, conuenit Deo abſolutè, ſiue ratione ſuæ eſſentiæ, prout præciſæ à perſonis. Atqui ſubſiſtere ex ſua ratione formali importat perfectionẽ ſimpliciter ſimplicem. Ergo ſubſiſtere conuenit Deo abſolutè, ſiue ratione ſuæ eſſentiæ, prout præciſæ à perſonis. Maior propoſitio patet: tum, quia Deus abſolutè, & ratione ſuæ eſ-

ſentiæ, etiam præſcindendo à perſonis, eſt ens à ſe; ac proinde caret omni principio limitante, & per conſequens includit omnem ſimplicem & puram perfectionem: tum præterea, quia ſub ea ratione eſt & concipitur ab omnibus veluti id, quo nihil melius aut excellentius cogitari poteſt: tum denique à pari omnium aliarum perfectionum ſimplicium, vt immutabilitatis, æternitatis, omnipotentiæ, ſcientiæ, &c. Minor autem eius ſyllogiſmi ſuadetur multipliciter *Primò* ex doctrina communi VV. Patrum apud Theorianum in Bibliotheca Græcolatina ipſorum Tomo II. editionis Pariſienſis anni 1624. pagina 442. vbi ille teſtatur SS. Patres ita οὐσίαν, id eſt, ſubſtantiam definiſſe: *Subſtantia eſt primo ac propriè quidquid per ſe ſubſiſtens eſt, & non in altero habet eſſe. QVID EST AVTEM PER SE SVBSISTENS? Quod per ſe eſt, & non propter aliud, neque in altero habet eſſe. hoc eſt, quod non indiget aliquo alio extra ſe, vt exiſtat.* Cui doctrinæ conſonat D. Thom. 1. p. q. 29. art. 2. docens, *ex eo quòd res aliqua per ſe exiſtit, vocari ſubſiſtentiam: illa enim ſubſiſtere dicimus, quæ non in alio, ſed in ſe exiſtunt.* Atqui eſſe per ſe, & non propter aliud, neque in altero habere eſſe; ſive non indigere aliquo alio extra ſe, vt exiſtat; eſt perfectio ſimpliciter, & ab omni imperfectione immunis. Quæ enim, vel apparens, imperfectio in eo eſt; aut quid, quod appareat alienum à cæteris perfectionibus, quas omnes Theologi appellant ſimpliciter ſimplices? Ergo ſubſiſtere ex ſua ratione formali importat perfectionem ſimpliciter ſimplicem. *Secundò* ſuadetur eadem minor ex definitione perfectionis ſimplicis tradita ab Anſelmo dicto cap. 14. vt ſit, quæ melior eſt ipſa, quàm non ipſa, & quàm omne cum ea pugnans. Atqui ſubſiſtere melius eſt, quàm non ſubſiſtere, & quàm omne cum eo pugnans. Melius enim eſt *per ſe eſſe, & non propter aliud, neque in alio habere eſſe*, vt reſumamus verba SS. Patrum, quàm eius contradictorium, aut contrarium, vt patet. Ergo ſubſiſtere ex ſua ratione formali importat perfectionem ſimpliciter ſimplicem. *Tertiò.* Exiſtere importat perfectionem ſimpliciter ſimplicem, etiam iuxta Adverſarios: ideo que ij omnes Diſp. LXXIV. ſect. 1. allegati docent, in Deo eſſe exiſtentiam abſolutam, & communem, pro priori rationis ad perſonas. Ergo potiori ratione idipſum dicere debent de ſubſiſtentia. Etenim ſubſiſtere ſupra rationem communem exiſtendi ſolùm addit differentiam per ſe, qua differt ab inexiſtentia propria accidentis: ſicuti ſubſtantia generatim ſupra ens reale ſolùm addit differentiam per ſe, qua contraponitur accidenti, prout exprimenti differentiam entis *in alio*. Atqui additio differentiæ *per ſe* nõ minus importat perfectionem ſimpliciter ſimplicem, quàm ratio exiſtentiæ: ſicuti *perſeitas* propria ſubſtantiæ, prout diſtinctæ ab accidenti, perfectionẽ ſimpliciter ſimplicem importat ſupra rationem entis realis. Ergo ipſi etiam Adverſarij tenentur adſcribere Deo ſubſiſtentiam abſolutam, veluti perfectionem ſimpliciter ſimplicem.

23 DICENT I. Adverſarij (quantum colligere licet ex ipſorum doctrina) ſubſiſtere, non importare perfectionem exiſtendi vtcumque, ſed exiſtendi incommunicabiliter: quoniam *perſeitas* exiſtendi complet vltimò naturam, illamque terminat intra genus ſubſtantiæ: ac proinde reddit illam incommunicabilem alteri vt ſuppoſito. Cùm igitur Deus ſecundùm nullum prædicatum abſolutum, nullamque perfectionem ſimpliciter ſimplicem, importet aliquid incommunicabile, ſed potiùs commune tribus perſonis; conſequens eſt, vt nec importet ſubſiſtentiam quoad aliquod prædicatum commune & abſolutum.

24 SED Contra. Licèt enim ſubſiſtentia quatenus vltimò determinata, ſive ſecundũ modũ quo exiſtit in ſingulari, reddat naturam incõmunicabilem cuilibet ſubſiſtenti, ſaltẽ extraneo, vt dictu fuit Diſp. LXXV. præcipuè à n. 57. tamen ſecundũ communiſſimũ illum cõceptũ, quo intelligitur convenire ſubſtantiæ, quatenus natura ſubſtantialis eſt, ſolũm habet reddere illam per ſe exiſtentẽ, nimirũ exiſtentem intra proprium genus, & independenter ab alio, vt ſuſtentante, ſive vt ſubiecto inhæſionis. Hic enim eſt primus effectus formalis illius, quique in ea primò concipitur. nam vi illius habet modũ exiſtendi diversũ & oppoſitũ modo exiſtendi proprio accidentis. Atqui natura divina abſolutè cõſiderata, ſeu pro priori rationis ad relationes, concipitur vt exiſtens per ſe, nimirũ, intra genus, aut quaſi genus ſubſtantiæ, & independenter ab alio, vt ſuſtentante, ſive vt ſubiecto inhæſionis: vt patet. Oppoſitũ enim eſſet planè imperfectũ, & divinæ ſubſtantiæ repugnans. Ergo natura divina abſolutè cõſiderata, ſeu pro priori rationis ad relationes, concipitur vt ſubſiſtens ſecundũ communẽ ſubſtãtiæ & ſubſiſtẽtiæ conceptũ. Quare nõ obſtat quòd pro illo priori, ſive ſub ea præciſione, non importet aliquã incommunicabilitatẽ: quia hic eſt ſecundus effectus ſubſiſtẽtiæ, & non procedens ab illa quatenus importat ſolã rationem ſubſiſtentiæ formalẽ: ſed quatenus exprimit vltimã determinationem, ſeu modum, quo in ſingulari exiſtit. Quod fateri etiam debent AA. primæ ſententiæ, quibuſcum modò diſputamus. Nam & ij agnoſcunt eos duos effectus formales ſubſiſtentiæ. Et tamen quia ſecun-

dum

cundum illorum putant convenire personalitatibus divinis, asserunt in ijs triplicem subsistentiam relativam. Ergo quia primus ipsorum ac præcipuus convenit naturæ divinæ, deberent ipsi asserere subsistentiam absolutam, multò potiori ratione, quàm triplicem relativam. Potior enim ratio est vt forma aliqua asseratur vbi adest effectus formalis primarius ipsius, quàm vbi secundarius tantùm.

25 CONTRA II. Naturæ enim subsistentes in cõmuni collocantur directè in Categoria, seu prædicamento substantiæ. Non enim ibidem ponitur directè animalitas, v.g. aut humanitas (sunt enim entia substantialiter incompleta, quæ proinde directè ibidem non habent locum) sed animal & homo: quæ duo supra naturam communem animalis & hominis addunt subsistentiam genericè aut specificè absolutam, qua complètur in communi. Et tamen non propterea eiusmodi subsistentia importat sub ea præcisione incommunicabilitatem ad plura individua, aut suppositа, sed potiùs manet communicabilis pluribus. Ergo non est de ratione subsistentiæ communiter conceptæ, sive sub aliqua præcisione, vt intelligatur incommunicabilis pluribus suppositis. Quare sufficit vt in ea præcisione constituat substantiam per se existentem. nimirum, intra proprium genus, aut quasi genus, & independenter ab alio vt sustentante, sive vt subiecto inhæsionis. quod sanè totum natura divina intelligitur habere pro signo illo præcisionis ad relationes.

26 DICES II. Hinc fieret, vt humanitas Christi simul cum vnione hypostatica ad personalitatem Verbi posset retinere subsistentiam illam, quæ sibi convenit ex ratione specifica: quia secundùm illam, prout modò à nobis explicata est, non importat incommunicabilitatem circa aliud subsistens. Consequens verò est planè absurdum, vt patet.

27 SED Contrà. Quamvis enim gradus cõmunis subsistentiæ conceptus in humanitate Christi fortasis non obstaret vnioni hypostaticæ cum Verbo, atque identitati vnius personæ in duabus naturis, quam fides tradit; subsistẽtia tamen ipsa in re posita, obstaret planè. Non autem potest in re poni, nec divinitus quidem, nisi ponatur in singulari, & quatenus constituens singularem personam. qua ratione certè redderet naturam vltimò perfectam ac completam intra genus substantiæ, vt proinde nullo prorsus modo posset facere vnum per se cum alio subsistente: vt satis dictum fuit Disp. LXXV. Subsistentia autem in communi concepta non constituit substantiam vltimò & in singulari completam, sed solùm existentem per se in eo genere aut specie, ad quam spectat.

28 DICES III. Et consequenter: Atqui natura divina pro illo priori rationis ad personas concipitur vt singularis & individua. Ergo si tunc intelligitur cum subsistentia, hæc etiam concipi debet in eo signo tanquam individua & singularis. Ergo & debet concipi vt constituens naturam divinam incommunicabilem pluribus suppositis. quod est apertè falsum.

29 SED Contrà. Licèt natura divina pro illo priori rationis ad personas concipiatur vt singularis & individua, similiterque ipsius subsistentia, secundùm esse absolutum; non tamen sub omni modo existendi, aut subsistendi, quem revera habet in individuo, sive in singulari. Etenim sicuti natura divina præ omni natura creata & creabili habet vt sit vna & eadem numero in tribus personis reipsa distinctis, nec illius singularitas obstat communicari ad tres personas: ita etiam ipsius subsistentia absoluta habet præ omni subsistentia creata & creabili, vt sit eadem numero in tribus personis reipsa distinctis, eiusque singularitas non obstet prædictæ communicari. *Præterea*, vt vidimus Disp LXXV citata, præsertim à num. 57. effectus proprius ac formalis subsistentiæ, prout abstrahit à creata & increata, quamvis secundarius, non consistit in reddendo naturam incommunicabilem cuicumque alteri, sed solùm subsistenti extraneo. Nulla autem persona divina est subsistens extraneum relatè ad naturam, vel subsistentiam absolutam ipsius, vt patet. Quare nec est necessum vt subsistentia absoluta reddat naturam Dei incommunibilem tribus personis divinis, sed solùm cuilibet extraneo subsistenti.

30 CONFIRMATVR Ratio præcipua. Ideo Deo convenit existentia absoluta, quia pro priori ad intellectum personarum, concipitur vt verum ens, cui respondet existentia, tanquam propria actualitas. Quippe ens dicitur per ordinem ad actum existendi, consistitque vniversè in aptitudine ad existendum: vt vidimus in Metaphysica disp 1. à principio. Eademque ferè ratio est, vt sapientia, intellectio, & amor, aliaque eiusmodi conveniant absolutè Deo, & nondum intellectis personis: quoniam concipiuntur vt actualitates naturæ intellectualis, cuius formalis ratio est in Deo absoluta. Atqui etiam Deus pro priori ad intellectum personarum concipitur vt vera substantia, cui respondet subsistentia, tanquam propria actualitas. Neque enim vlla alia, præter ipsam, respondet substantiæ, prout distinctæ ab accidente: vt suprà ostensum fuit numero 22. Ergo etiam Deo convenit subsistentia absoluta.

31 CONFIRMATVR Vlteriùs. Deò pro priori rationis ad perſonas convenit abſolutè actio ſive operatio, quam vocant eſſentialem, intelligendi ac volendi; eſto non conveniat ipſi notionalis intellectio ac volitio quin perſonæ intelligantur: vt dictum fuit ſuprà Diſp. LXIV. præſertim ſect. 1. & 2. Ergo ſimiliter, immo & vrgentiùs, Deo pro priori rationis ad perſonas convenit abſolutè ſubſiſtentia aliqua eſſentialis, quamvis pro illo ſigno nondum ipſi ſubſiſtentia notionalis conveniat. Probatur conſequentia: tum quia linea operandi ſequitur lineam eſſendi, & ſupponit illam planè atque integrè conſtituram. Atqui intellectio & volitio eſſentialis pertinet ad lineam operandi: ſubſiſtentia verò ad lineam eſſendi, vt patet. Ergo intellectio & volitio abſoluta ſupponit in Deo ſubſiſtentiam abſolutam. *Vrgetur* à priori in ſententia Adverſariorum, & ferè communi. Intellectio notionalis prout exercet munus operationis, ſeu generationis active, ſupponit pro aliquo priori rationis ſubſiſtentiam notionalem, quia hæc quoddammodo ſpectat ad eſſe, illa verò ad operationem. Ergo pariter intellectio eſſentialis, cùm ſpectet ad lineam abſolutam operationis, debet ſupponere pro aliquo priori rationis ſubſiſtentiam abſolutam ſive eſſentialem, quoniam hæc ſpectat ad lineam eſſendi.

SECTIO QVARTA.

Quibus argumẽtis ab authoritate Aduerſarij potiſsimùm impugnent ſubſiſtentiam Dei abſolutam; & eorum ſolutio. Vbi plura obſeruantur ex Concilijs & Patribus.

32 OBIICIVNT I. Adverſarij, ſubſiſtentiam Dei abſolutam nullum habere fundamentum in Concilijs, aut Patribus: immo potiùs videri contrariam ijs, quorum plurima teſtimonia congerunt, quæ moleſtum eſſet exſcribere: ſed nec poſſumus non referre multa, quæ videntur maiorem difficultatem parere. Aſſumpriò ſuadetur exhibitis in medium teſtimonijs Cõciliorum, & Patrum, quibus diligentiùs evolutis teſtatur Ruiz diſp. 34. ſect. 5. num. 2. ſe non audere de veritate contrariæ ſententiæ dubitare. Ac primo quidem in Sexta Synodo Generali Actione 11. Sophronius Patriarcha CP. in Epiſtola Profeſsionis Fidei columna 3. (quæ recipitur ab eadem Synodo Actione 13) inquit: * Neque ſecundùm quòd Trinitas vnus Deus agnoſcitur, & ſubſiſtentiæ tres, & tres perſonæ, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, dicitur contractus, vel compoſitus, vel confuſus, & in vnam ſeipſum colligens ſubſiſtentiam, in vnamque coercens non numerabilem perſonam. Sabellianorum iſta ſit pravitas in vnam ſubſiſtentiam tres confundere ſubſiſtentias & in vnam perſonam eaſdem tres cõſpergẽs perſonas.* Vbi perſpicuè excluditur vna ſubſiſtentia, ſicuti & vna perſona communis, ſupra tres ſubſiſtentias & tres perſonas, veluti hæreſis Sabelliana. Ergo quemadmodum contradiceret huic doctrinæ Catholicæ qui aſſereret in Deo, præter tres perſonas, aliquam abſolutam & communem: ita etiam qui aſſerit vnam ſubſiſtentiam abſolutam & communem, præter tres relativas. Vnde & ſubdit Sophronius: * Vtrumque eſt impium, tam ſingularitas circa ſubſiſtentiam, quàm ternalitas in naturis. Et lõgè poſtea: Neque ſubſiſtentias confundentes, & in vnam eas ſubſiſtentiam deducentes.

33 CONSONANT Eidem doctrinæ alij ex Patribus. Nam Iuſtinus tum q. 17. ad Orthodoxos, tum in Expoſitione Fidei de Trinitate, agnoſcit in Deo ſolùm tres ſubſiſtẽtias, vnamquamque propriam peculiaris perſonæ. Similiter Athanaſius Dialog 1. cõtra Anomœum ſolùm in individuis ſingulis naturę humanæ docet eſſe hypoſtaſim, non in natura. Eadem verò ratio eſt de natura divina. Damaſcenus in Epiſt. de Triſagio prope medium inquit: * Trinitatem impoſsibile eſt dicere vnam hypoſtaſim. Et inferiùs: Non eſt autem ipſorũ communis vna hypoſtaſis: Deitas autem communis eſt triũ hypoſtaſeon vna exiſtens.* Atqui ſi perſonarum eſſet vna communis ſubſiſtentia, eſſet quoque vna hypoſtaſis communis. Ergo ſicuti nulla communis hypoſtaſis eſt, ita nec ſubſiſtentia vna. Idem ferè colligi videtur ex Cyrillo Alexandrino lib. 1. Theſauri de Trinit. cap 9. ſub initium adverſus Arianos, Theodoreto in Additionibus ad Breviarium Liberati fragmẽto penultimo, Ambroſio in Symbolum Apoſtol. cap. 2. prope finem, Hilario lib. de Synodis multò propriùs ad mediũ, quàm ad finem poſt canonem 22. Synodi Syrmicæ, præſertim verbis illis: *Non vnum ſubſiſtentem, ſed vnam ſubſtantiam non differentem.* Ergo contra Concilia & Patres aſſerimus vnũ ſubſiſtentem, ſeu vnam & abſolutam ſubſiſtentiam in divinis.

34 RESP. Iuxta ea quę ſuprà obſervavimus n. 10. 11. & 12. longè aliter vſurpari à Patribus Græcis hypoſtaſim, & à Latinis ſubſiſtentiã, quàm ab Scholaſticis. Ab illis enim accipitur hypoſtaſis non pro perſonalitate, aut forma conſtituente ſuppoſitum, ſive perſonam, qualiter apud Scholaſticos frequenter vſurpatur: ſed pro ipſa re ſubſiſtente incommunicabiliter, ſive pro perſona, quàm ipſi diſtinctiùs in ipſis Concilijs *proſopon* appellant.

Rur-

Rurſus, ſubſiſtentia plerumque quidem accipitur à Patribus Latinis pro re ſubſiſtente incommunicabiliter, ſive pro hypoſtaſi aut perſona. Et in hoc ſenſu fatemur, in divinis non eſſe vnam abſolutam ſubſiſtentiã, ſicut nec eſt vna abſoluta & communis perſona aut hypoſtaſis. Neque quidquam ampliùs evincunt teſtimonia nuper obiecta ex Concilijs & Patribus. Cum hoc tamen cohæret quòd *ſubſiſtentia* ab eiſdem Patribus ſæpe accipiatur pro quadam perfectione abſoluta divinæ eſſentiæ, & communi tribus perſonis, quatenus ipſa per ſe, & independenter ab alio quovis, exiſtit: vt vidimus prolatis in medium ipſorum teſtimonijs. quo ſenſu patet, ſubſiſtentiam non eſſe idem, ac perſonam vel hypoſtaſim: quia non importat aliquid peculiare, aut incommunicabile, ſed perfectionẽ abſolutam divinæ eſſentię ſub ratione ſubſiſtẽtiæ increatæ, quæ communis eſt tribus perſonis. Itaq; ex eo quòd in Deo aſſeramus ſubſiſtentiam communem, nullo iure colligitur, nos debere admittere quartam perſonam, vel hypoſtaſim.

35 VERVM Vt id penitiùs capiatur, & præoccupentur plures inſtantiæ. Adverſariorũ, obſervare oportet ex D. Thò. 1 p. q. 29. a. 2. *ex eo quòd res aliqua per ſe exiſtit, vocari ſubſiſtentiam. Illa enim ſubſiſtere dicimus, quæ non in alio, ſed in ſe exiſtunt.* Porrò duobꝰ modis dicitur potiſsimũ aliquid eſſe in alio: primò, quatenus ab illo dependet, vt recipiat eſſe, vel ſuſtentetur in eſſe: ſecundò quatenus communicatur illi, quamvis ab eo non pẽdeat. Priori ſenſu materia prima eſt in compoſito ſubſtantiali, & accidens in ſubiecto: quoniam ab ijs accipiunt eſſe, ſive exiſtentiæ, ſive inexiſtentiæ; præſertim verò accidens, quod ſuſtentatur à ſubiecto ſubſtantiali. Poſteriori ſenſu forma rationalis dicitur eſſe in materia, quatenus ipſi communicatur ita, vt ab ea nullatenus pendeat. Similiter ergo, & ex oppoſito, ſunt duo potiſsimùm modi, quibus aliquid dicitur per ſe exiſtere, ac proinde ſubſiſtere: primò quatenus ita exiſtit, vt non dependeat ab alio, nec ab eo ſuſtentetur: ſecundò quatenus eſt incommunicabile alteri. Dum igitur aſſerimus, eſſentiam divinam pro priori rationis ad relationes ſubſiſtere, id accipimus, quatenus ita exiſtit per ſe, vt non dependeat, nec dependere aut ſuſtentari intelligatur ab alio, vel ab ipſis relationibus, in exiſtendo: non autem id eo ſenſu accipimus, vt eſſentia pro illo priori exiſtat incommunicabiliter. Hoc enim eſt proprium hypoſtaſis, vel perſonæ. Hoc poſteriori ſenſu negant Concilia & Patres ſubſiſtentiam abſolutam in divinis: qualis certè à Sabellio inducta fuit, dum vnicam reipſa perſonam in Deo prorſus abſolutam finxit; & qualis eſſet quarta in Trinitate prſona, quam reijcit Vt Synodus Generalis, verbis ſuprà n. 2. exſcriptis. Non autẽ negant ſubſiſtentiam abſolutã priori ſenſu, quin potiùs plerique Patres n. 16. & 17. allegati illam perſpicuè tradere videntur.

36 INSTANT I. Adverſarij. *Subſiſtentia* Latinè idem ſignificat, ac Græcè *hypoſtaſis*. Atqui nomen *hypoſtaſis*, quamvis olim pro *vſia*, id eſt, eſſentia, acciperetur, iam poſtea comperto eodem Patrum ſenſu, & lite cõpoſita, accepta fuit pro ſuppoſito, & quidẽ ſuppoſita intra rationalem naturã ſubſiſtente, quod appellamus perſonã. Ergo ſicuti nullus Theologorum audet aſſerere in Deo vnam abſolutã hypoſtaſim, vel ſuppoſitum, aut perſonam: ita nec aſſerere debet vnam ſubſiſtentiam abſolutam. Minor propoſitio conſtat ex ijs, quæ latè diximus cum Anſelmo Tomo I. Diſp. I. ſect. 5. Maior autẽ ſuadetur: tum generatim, quia vbi Concilia Græca habent *hypoſtaſim*, omnes verſiones Latinæ reddunt *ſubſiſtẽtiam*, vel *perſonam* quod vel leviter verſato in eorũ lectione conſtãs eſt, & tertio quoque verbo occurrit. Sufficiat dicere, in Concilio Conſtantinopolitano, quod eſt Tertium Generale, & in Nicæno II. & in Lateranenſi ſub Martino I. quoties loquuntur de ſubſiſtentijs divinis, dici eſſe tres diſtinctas in ratione ſubſiſtentiarum: vt patebit conſulenti illorum teſtimonia apud Ruiz diſp. 34. ſect. 2. vbi & congerit varia Patrum loca in idem probãdum, vt propterea certum appareat, ſubſiſtentiã ſemper ab ijs accipi pro hypoſtaſi, vel perſona; nunquam verò pro aliquo prædicato abſoluto aut communi. Tum præterea: quia Iuſtinianus Imperator Latinè ſcribens ad Papam Ioannem, ait: * Non eſt idem natura & ſubſiſtentia. OMNES ENIM SS. PATRES CONSONANTER NOS DOCENT, aliud eſſe naturam ſive ſubſtãtiam, & formam: aliud ſubſiſtentiã ſive perſonam. & naturam quidẽ, vel ſubſtantiam & formam, hoc quod eſt commune ſignificare: ſubſiſtentiam autem ſive perſonam, hoc quod eſt ſpeciale. * DEINDE D. Thom. videtur perſpicuè tradere eadem doctrinam, adhuc ſecundùm Scholarum ſtylum. Nam 1 p. q. 29. circa finem corporis inquit: * Hoc nomen PERSONA ſignificat in genere ſubſtãtiarum rationalium, quod hæc tria nomina, RES NATVRÆ, SVBSTANTIA, & HYPOSTASIS, in toto genere ſubſtantiæ ſignificant. * Ac præterea in ſolutione ad 2. inquit: * Ad ſecundum dicendum, quòd ſicut nos dicimus in divinis pluraliter tres perſonas, & tres ſubſiſtẽtias: ita Græci dicunt tres hypoſtaſes. * Ergo ex mẽte S. Doctoris idem eſt *ſubſiſtentia* Latinè, ac Græcè *hypoſtaſis*; & ſubſiſtentia prout in natura rationali, idem eſt ac perſona. DENIQVE. Si proprietas linguæ

Græcæ attendetur, & ſenſus Patrum communis, poſt ſopitam illam controverſiam circa hanc vocem *hypoſtaſis*, nullum aliud nomen apud Latinos illi æquè reſpondet, ac nomen ſubſiſtentiæ. Idem ergo eſt vtriuſque ſignificatum, & propriè accipiendum, qualiter abſque dubio loquuta ſunt Concilia, & Patres, ad rem adeò ſublimem definiendam, & abſque vllo periculo erroris tradendam. Dum igitur nullam in Deo hypoſtaſim abſolutam admittunt, planè omnem ſubſiſtentiam abſolutam repellunt.

37 RESP. Subſiſtentiam Latinè latiùs vagari, quàm hypoſtaſim Græcè. Hæc enim poſt compoſitam illam Patrum litem circa modum loquendi, ſolùm ſignificat ſuppoſitum, & in rationali natura perſonam, vt vidimus à num. 10. ex communi ferè Conciliorum & Patrum ſtylo: iuxta quem etiam perſona ſignificat rem prorſus incommunicabilem. Quo ſenſu certum eſt, non eſſe in Deo aliquam abſolutam hypoſtaſim, ſicuti nec perſonam. Similiter certum eſt, ſaltem certitudine concluſionis theologicæ, non eſſe in Deo abſolutam hypoſtaſim, ſumptam pro perſonalitate, ſive forma conſtituente perſonam incommunicabilem: quia dum fides excludit concretum perſonæ incommunicabile, & abſolutum, Theologia evidenter excludit formam abſolutam conſtitutivam eius concreti. Quare poſt diremptam illam litem, nulli Catholico fas eſt adſtruere in Deo abſolutam aliquam & incommunicabilem hypoſtaſim, neque in concreto, néque in abſtracto: quoniam vtrovis modo vſurpatur à Patribus, & à Theologis Scholaſticis pro aliquo prædicato peculiari & proprio: non autem pro abſoluto & cõmuni tribus perſonis. Subſiſtentia autem, quãvis apud Latinos cœperit vſurpari pro eodem, ac hypoſtaſis apud Græcos; adhuc tamen latiùs & ſub trimembri ſignificatione accepta fuit: primo pro ipſa re ſubſiſtente, ſive pro perſona in concreto: vt patet ex innumeris Conciliorum Græcorum locis Latinè redditis: vbi quod Græcè eſt hypoſtaſis aut proſopos, Latinè vertitur ſubſiſtens aut perſona: ſecundò, & ſatis frequenter apud Scholaſticos pro forma, ſeu actualitate conſtituente rem per ſe exiſtentem, *perſeitate* excludente communitatem, ſeu reddente naturam incommunicabilem alteri vt ſuppoſito: tertiò, & minùs frequenter apud Patres, ſed frequentiùs apud Scholaſticos, pro actualitate conſtituente rem, ſive ſubſiſtentiam per ſe exiſtentem, *perſeitate* excludente dependentiam & ſuſtentationem ab alio. Hoc poſtremo ſenſu dumtaxat aſſerimus in Deo ſubſiſtentiam abſolutam; non autem in duplici illo priore, quo ſolo accipi debere Concilia & Patres, manifeſtum eſt: cùm ijs locis ſolùm tendant ad conſtituendum in Deo tres perſonas reipſa diſtinctas contrà Sabellium, vnicãque naturam contra Arium, excluſa ſubinde quarta perſona, & ſtatuta convenienti diſtinctione inter vſian & hypoſtaſin, ſeu eſſentiam & perſonam. quod totum planè, & planè cohæret cum eo, quòd ſubſiſtentia tertio modo vſurpata à plurimis Patribus allegatis num. 16. & 17 & frequenter ſatis à Theologis Scholaſticis cum Anſelmo & D. Thom. abſolutè, & communiter de Deo dicatur.

38 VNDE Ad formulam obiectionis num. 36. propoſitæ facilis eſt ſolutio diſtinguendo maiorem propoſitionem, & concedendo illam de ſubſiſtentia, prout frequentiùs vſurpatur à Patribus, ijs præſertim qui Concilia Græca Latinè reddiderunt, immò & à Scholaſticis, iuxta vtrumque priorem ſenſum num. præcedenti explanatum: negando verò eandem propoſitionem de ſubſiſtentia tertio ſenſu accepta. Deinde conceſſa minori propoſitione, diſtinguendum eſt conſequens eodem ſenſu. Itaque cùm hic numero Deus, quatenus concipitur, veluti ſingulare individuum Deitatis, nondum cogitata per ona aliqua peculiari extribus, ſeu nulla relatione intellecta, vt loquitur D. Thomas, intelligatur cum omni plenitudine perfectionis abſolutæ ſibi convenientis ſecundùm propriam ſubſtantiam; planè etiam intelligitur per ſe exiſtens, *perſeitate* excludente dependentiam, & ſuſtentationem ab alio; ac proinde ſubſiſtens per ſe, ſubſiſtentia vſurpata in eo ſenſu: licèt nondum pro illo priori intelligatur ſub *perſeitate* excludente communitatem. Concilia autem & Patres in oppoſitum allegati, ſolùm excludunt à Deo ſubſiſtentiam abſolutam hoc poſteriori ſenſu acceptam, qui eſt planè Sabellianus; non in priori, qui Catholicus eſt, & per omnia cohærens doctrinæ revelatæ. Hinc patet ad ſingula teſtimonia Conciliorum & Patrum ac D. Thom. Quod verò poſtremo loco aditur, iuxta proprietatem vocis, idem eſſe ſubſiſtentiam Latinè ac hypoſtaſim, Græcè, negatur aſſumptum. nam primigenia vox Latinè reſpondens hypoſtaſi Græcæ, non eſt *ſubſiſtentia*, quæ aliquantò poſt Concilium 1. Generale, id eſt, Nicænum, à Patribus Latinis vſurpari cœpit: ſed tantum vox *ſubſtantia*, quæ diverſimodè accepta ortum dedit litigio ſupra indicato inter PP. Græcos & Latinos, ſed poſtea ſopito, quoniam perſpectum fuit tandem, vtrorumque ſenſum reverà vnum fuiſſe, & diſſidium de voce ſolùm. Quod idem D. Tho. quem Adverſarij opponunt, planè confirmat eadem q. 29. art. 2. ad 2. dicens: * Nomen SVBSTANTIA eſt, quod ſecundùm proprie-

tatem

tatem ſignificationis reſpõdet HYPOSTASI.* Ac deinde q. 30. art. 1. ad 1. ait: * Subſtantia non ponitur in definitione perſonæ, ſecundùm quod ſignificat eſſentiam: ſed ſecundùm quod ſignificat ſuppoſitum. Quod patet ex hoc, quòd additur, individua. Ad ſignificandum autem ſubſiſtentiam ſic dictam habent Græci nomen HYPOSTASIS. Vnde ſicut nos dicimus tres perſonas: ita ipſi dicunt tres hypoſtaſes. Nos autem non conſueuimus dicere tres ſubſtãtias, ne intelligerentur tres eſſentiæ, propter nominis æquivocationem.*

39 INSTANT II. Adverſarij. Hypoſtaſis nullam acceptionem habet ex vſu Cõciliorum, Patrum, & Scholaſticorum, niſi peculiarem, oppoſitam communitati, & relativam. Ergo ſubſiſtentia, quæ apud Latinos ipſi reſpondet, nullam acceptionem habet, niſi peculiarem, oppoſitam communitati, & relativam.

40 RESP. Negando conſequentiam; quia, vt conſtat ex eiſdem Concilijs & Patribus Græcis, & obſervat D. Thomas loco proximè exſcripto, nomen HYPOSTASIS apud Græcos ſignificat ſubſtantiam individuam per modum ſuppoſiti, id eſt, exiſtentis incommunicabiliter: quo ſenſu patet, illam non dici abſolutè, ſed relativè. *Subſiſtentia* autem, non ſolùm accipitur à Patribus & Theologis pro ſuppoſito, aut perſona, vel pro vltimo determinativò excludente communitatem, ſed etiam pro exiſtentia per ſe, excludente dependentiam ab alio in exiſtendo, aut ſuſtentando, vt vidimus ex eodem Angelico D. ſuprà num. 35. initio, & ex plurimis PP. num. 16. & 17. Quare licèt plerumque accipiatur relativè, ſæpè etiam abſolutè accipitur.

41 INSTANT III. Idem Angelicus D. citata q. 29. art. 2. ad 2. ait: * Quia nomen SVBSTANTIÆ, quod ſecundùm proprietatem ſignificationis reſpondet HYPOSTASI, æquivocatur apud nos, cùm quandoque ſignificet eſſentiam, quandoque hypoſtaſim; ne poſſet eſſe erroris occaſio, maluerunt pro HYPOSTASI transferre SVBSISTENTIAM, quàm SVBTANTIAM. * Hæc ibi. At eadem erroris occaſio eſſet, ſi ſubſiſtentia accipi poſſit, tum abſolutè, tum relativè: quoniam vbi in Concilijs Græcis Latinè redditis legitur triplex ſubſiſtentia in divinis, poſſet intelligi per errorem triplex ſubſiſtentia abſoluta, ſicuti abſque illo eſt verè triplex relativa. Ergo ſubſiſtentia non accipitur tum abſolutè, tum relativè, ſed relativè tantùm, ſicut hypoſtaſis.

42 RESP. Negando minorem, & reddendo diſparitatem. Cùm enim nomina, quibus vtcumque exprimimus res divinas, ſint deſumpta ex creaturis, & in his *ſubſtantia* ſemper accipiatur veluti prædicatum abſolutum; *ſubſiſtentia* verò ſemper importet aliquid oppoſitum communitati; conſequens eſt, vt ſi in divinis aſſerantur tres ſubſiſtentiæ, ſit occaſio erroris, exiſtimante aliquo, prædicata abſoluta in Deo multiplicari; nullum autem ſit errandi periculum aſſerendo in Deo tres ſubſiſtentias, quæ ex frequentiori ſenſu accipiuntur, ſive pro perſonis apud Concilia & Patres; ſive pro formis incommunicabilibus apud Scholaſticos; quamvis nonnunquam; & minùs frequenter ſumantur pro perfectione abſoluta exiſtendi per ſe, vt iam ſæpè dictum eſt.

43 INSTANT Denique. Ergo queamdmodum poſt compoſitam illam Patrum litem, de qua ſuprà, non dicimus eſſe in Deo tres ſubſtantias, ne detur occaſio erroris: ita, & ob eandem rationem, nec dicere debemus, in Deo eſſe vnam ſubſiſtentiam. Quippe ſicuti ex illo priori intelligi poſſet, aliquod prædicatum abſolutum eſſe in Deo multiplex: ita ex hoc poſteriori poſſet intelligi, prædicatum perſonale ac relativum non eſſe in Deo triplex.

44 RESP. Olim licuiſſe quidem dicere in Deo tres ſubſtantias, iuxta ſtylum reſpondentem phraſi PP. Græcorum, qui manſit vſque ad tempus S. Anſelmi, vt vidimus in ipſo prologo huius Opuſculi, & explicuimus Tomo I. Diſp. I. ſect. 5. Vnde idem S. Doct. infrà cap. penultimo, iuxta eundem ſtylum inquit: *Poteſt ergo hac neceſſitatis ratione irreprehenſibiliter illa ſumma & Vna Trinitas, ſiue trina Vnitas, dici Vna eſſentia, & tres perſonæ, ſiue tres ſubſtantiæ.* Si irreprehenſibiliter: ergo etiam abſque periculo, aut occaſione erroris, ſaltem apud viros doctos in rebus theologicis, & conſcios eius modi loquendi apud VV. Patres. Quia tamen apud imperitos aliquod fortè ſcandalum eſſe poſſet; concedatur, totum quod colligitur in obiectione: vt quemadmodum non dicimus in Deo eſſe tres ſubſtantias ſimpliciter & ſine addito: ita nec dicamus eſſe vnam ſubſiſtentiam, niſi addendo, *abſolutam*, vel quidpiam aliud ſimile. Verùm nec hanc cautionem neceſſariam cenſebunt fortaſis quotquot cum Durando in divinis vnicam ſubſiſtentiam, eamque abſolutam, agnoſcunt, de quo Diſp. ſeq. Et ratio eſt: quoniam ſubſiſtentia in Deo ex ipſorum opinione admodum probabili, & à nobis ſequenda, vſurpata ſenſu Scholaſtico, non eſt aliquid relativum in Deo, ſed abſolutum, & perfectio ſimpliciter ſimplex: quæ proinde poteſt dici ſimpliciter vna, quemadmodum & exiſtentia Dei, iuxta plures ex Adverſarijs, & ſubſtantia iuxta omnes.

***

SEC-

SECTIO QVINTA.

Argumenta præcipua ſententiæ aduerſæ ex ratione, obiecta & ſoluta.

45 OBIICIVNT II. Adverſarij. Divina natura non ſubſiſtit pro priori rationis ad relationes illam terminãtes. Ergo nec habet ſubſiſtentiam aliquam abſolutam. Conſequentia patet: quia omne quod ratione præcedit relationes divinas, eſt prædicatum abſolutum. Antecedens verò ſuadetur multipliciter. PRIMO: quia ſi pro illo priori ſubſiſteret natura divina, maximè quia in illo ſigno exiſtit independenter à ſubiecto inhæſionis. Hoc autem non ſufficit vt pro illo priori ſubſiſtat. Alioqui humanitas Chriſti, quæ pro priori rationis ad vnionem cum Verbo exiſtit independenter à ſubiecto inhæſionis (id enim prædicatũ eſt eſſentiale omni ſubſtantiæ, prout diſtinctæ ab accidẽti) etiam pro illo ſigno ſubſiſteret; ac proinde eſſet in Chriſto duplex ſubſiſtentia, ſeu perſona. quod eſt hæreticum. Similiter qualibet pars ſubſtantialis per ſuam entitatem ſubſiſteret: quoniam entitati ipſius repugnat eſſe in alio, vt ſubiecto inhæſionis. Conſequens autem eſt manifeſtè falſum. SECVNDO. Subſiſtere aliquid, eſt ita exiſtere, vt nullatenus ſit in alio, adhuc tanquam in termino. Atqui natura divina eſt in alio tanquam in termino nimirum, eſt in relationibus virtualiter ab ipſa diſtinctis, veluti terminis, quibus completur. Ergo natura pro priori ad relationes non ſubſiſtit. TERTIO. Subſiſtere eſt quaſi in ſe ſiſtere, & non vltrà tranſgredi. Atqui natura divina non ſiſtit in ſe, ſed vltra tranſgreditur ad relationes, quibus tandem completur. Ergo natura divina pro priori rationis ad relationes non ſubſiſtit.

46 RESP. Negando antecedens. Natura enim divina pro priori rationis ad relationes intelligitur habere omnem perfectionẽ ſimpliciter ſimplicem, ac proinde exiſtere per ſe, & independenter ab alio vt ſubiecto inhæſionis, vel vt ſuſtentante: quod eſt idem ac ſubſiſtere. AD I. Probationem, relictâ aliorum ſolutione, dico, ideo naturam divinam pro priori rationis ad relationes ſubſiſtere, quia in illo ſigno exiſtit per ſe poſitivè, perfectate excludẽte dependentiam ab alio, tum vt ſubiecto inhæſionis, tum vt ſuſtentante. Natura autem humana Chriſti pro priori ad Verbum non exiſtit per ſe poſit vè: quia iuxta veriorem ſententiam nõ habet vllam exiſtentiam propriam, ſed ſolùm exiſtit per exiſtentiam Verbi: vt vidimus Diſput. LXXV. num. 60. inſuper & à perſona Verbi dependet, ſuſtentaturque. Quare licèt non habeat, nec habere poſsit ſubiectum inhæſionis, quia id eſt proprium accidentis, non ideo ſubſiſtit pro illo priori. Cæterũ natura divina pro priori ad relationes exiſtit poſitivè ac per ſe, nulloque modo dependet à relationibus ſuperuenientibus, vel tanquam à ſubiecto inhæſionis, vel tanquam à ſuſtentante: cùm non ſit in ijs ob indigentiam ſui, ſed ob fœcunditatem. Partes verò ſubſtantiales dependent à ſuppoſito, & ab illo ſuſtentantur: ac proinde non dicuntur ſubſiſtere, in ſe ſed in illo, ſaltem excepta anima rationali, quæ ſolùm dependet à ſuppoſito quoad ſtatum connaturalem, & operationes ſenſuum. AD II. Nego maiorem: quia eſſe in alio, vt termino aut complemento connaturali tantùm, idque non ex indigentia, ſed ex fœcunditate, & ſine dependentia ab illo, non opponitur huic, quod eſt ſubſiſtere: ſed ſolùm eſſe in alio, vel vt in ſubiecto inhæſionis, vel cum dependentia ab eo vt ſuſtentante: quorum neutrum competit naturæ divinæ per ordinem ad relationes. AD III. Subſiſtere eſt quaſi in ſe ſiſtere quoad independentiam exiſtendi, non autem quoad communicationem. Cùm igitur natura divina ſiſtat in ſe, quatenus eſt independens à relationibus in exiſtendo, licèt non ſiſtat in ſe quoad communicationem, conſequens eſt, vt pro priori rationis ad illas ſubſiſtat.

47 INSTANT Tripliciter Adverſarij PRIMO. Natura divina ita eſt in relationibus, vt ſuſtẽtetur quoddammodo ab illis: tum quia cùm illas habeat realiter à ſe ipſa, & virtualiter per emanationem, nulla imperfectio eſt quòd ab ijs ſuſtentetur: tum etiam, quoniam natura completur per eaſdem relationes: tum denique quia ſine ijs imperfecta maneret. Ergo natura divina non ſubſiſtit abſolutè & per ſe, ſed ſolùm ratione relationum. SECVNDO. Supponendo aliquam diſtinctionem virtualem aut expreſsivam inter naturam, & ſubſiſtentiã abſolutam, quam tuemur, adhuc opus eſt, vt natura ſuſtentetur ab ipſa ſubſiſtentia abſoluta, ſive ab individuo Deitatis prout abſolutè ſubſiſtente. Nec inde ſequitur aliqua divinæ naturæ imperfectio: quoniam illa ipſa ſubſiſtentia abſoluta, quam tuemur, eſt reipſa indiſtincta ab ea. Cùm igitur relationes ſint pariter ſecundùm rem indiſtinctæ, & ſolùm virtualiter diſtinctæ à natura divina, nulla erit imperfectio quòd hæc ab illis ſuſtentetur. TERTIO. Supponendo pariter aliquam diſtinctionem rationis inter exiſtentiam & ſubſiſtentiam abſolutam Dei, natura ipſius pro priori rationis ad ſubſiſtentiam exiſtit, non tamen ſubſiſtit niſi per illam, ac proinde ab ea ſuſtentatur, ſine imperfectione vlla. Ergo pariter ſine imperfectione ſuſtentaretur à relationibus, quamvis ſolùm ratione illarum ſubſiſteret.

48 RESP. Negando antecedens: quia na-

natura divina ita habet relationes à ſe ipſa, & ab ijs completur, vt tamen id non proveniat ex indigentia ipſius naturæ, ſed ex fœcunditate ſumma: ac proinde nullo vero ſenſu dici poteſt ab ijs dependere, aut ſuſtentari. Quod autem ſine relationibus imperfecta eſſet, non probat dependentiam ab ijs in ſubſiſtendo: ſicuti, adhuc iuxta Adverſarios, quamvis natura ſine relationibus eſſet imperfecta, non propterea ab ijs dependet in exiſtendo, ſed habet à ſeipſa exiſtentiam abſolutam. AD II. redditur diſparitas. Subſiſtentia enim abſoluta, quam tuemur, ſicuti & exiſtentia per ſe, adhuc iuxta Adverſarios, habet ſe inſtar attributi: & nullum abſurdum eſt quòd natura divina per aliquod attributum cõſtituatur in exercitio perfectiſsimo ſubſiſtendi, ſicuti & exiſtendi per ſe. Eſſet tamen abſurdum quòd eam perfectionem haberet in ſenſu formali ſolùm ab aliqua relatione virtualiter intrinſecè diſtincta. Sic certè inconveniens eſſet quòd natura divina conſtitueretur ſapiens, immutabilis, æterna, aut immẽſa in exercitio formali per relationem aliquam; non verò per attributum, quod ipſa intra rationem ſuam abſolutam habet. AD III. Quidquid alij dicant, negatur ſuppoſitum maioris: quoniam vt vidimus Diſp. LXXVI. per totam, idem omnino eſt, tam in creatis, quàm in divinis, ſubſiſtentia, ac exiſtentia per ſe. Permiſſa verò diſtinctione reali in creatis inter vtramque, & rationis in divinis reſpondetur, nullum eſſe incõveniens quòd natura divina exiſtens intelligatur ſubſiſtere per ſubſiſtentiam abſolutam; ſicuti & intelligere, & ſemper durare, & replere omnem locum in exercitio per aliquam perfectionem abſolutam, & ratione diſtinctam, ſapientiæ, æternitatis, & immenſitatis: ſecus verò per relationem ſolam, quæ certè debet in natura divina ſupponere omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem, qualis eſt ſubſiſtendi abſolutè, ſicuti & exiſtendi per ſe.

49 OBIICIES III. Ratio præcipua, cui innitimur ad aſſerendum in Deo ſubſiſtentiam abſolutam, eſt quoniam ſubſiſtere ſimpliciter eſt meliùs, quàm non ſubſiſtere, ac proinde perfectio ſimpliciter ſimplex, quæ debeat abſolutè convenire Deo. Hæc autem ratio aut nihil probat, aut nimiùm. Siquid enim evincit, pariter probat, rationem perſonæ debere Deo abſolutè convenire. quod non licet aſſerere. Sequela ſuadetur. Nulla enim ratione probari poteſt, melius eſſe ſubſiſtere quàm non ſubſiſtere, quin eâdem probetur eſſe meliùs pariter, eſſe perſonam, quam non perſonam. Etenim perſona ſupra rationem communem ſubſiſtendi addit modum ſubſiſtendi in natura perfectiſsima, qualis eſt natura intelligens. Quare nulla perfectio importatur à ſubſiſtente & à ſubſiſtentia, quæ non importetur pariter à perſonalitate & perſona, immo & aliquid ampliùs. Si igitur ob perfectionem ſubſiſtendi colligimus in Deo abſolutam ſubſiſtentiam, pariter debemus colligere abſolutam perſonam.

50 RESP. Negando minorem. Subſiſtere enim communiter dictum, iuxta noſtrã ſententiam, ſolùm importat exiſtere per ſe ſimpliciter, & independenter ab alio, tam vt ſubiecto inhæſionis, quàm vt ſuſtentante. in quo certè pura apparet perfectio. Etenim ex prima notione terminorum apparet, melius eſſe ipſum, quàm non-ipſum, & quàm omne ipſi oppoſitum, aut cum eo incompoſsibile: ac proinde debet abſolutè convenire Deo inſtar aliarum perfectionum ſimplicium & purarum. Cæterum ratio perſonæ ſeu perſonalitatis, ſicuti abſtrahit à ratione creatæ & increatæ, abſolutæ & relativæ: ita etiam abſtrahit ab eo vt peculiarem perfectionem addat, aut nullam. Addit certè perfectionem formalem in creatis: quoniam abſolutè afficit naturam conſtituendo illam ſub exiſtentia per ſe, non vtcumque, ſed intra gradum perfectiſsimum, qui eſt intellectualis: quod ſanè melius eſt, quàm exiſtere per ſe in natura irrationali. Cæterum nulla perſonalitas divina afficit naturam abſolutè, ſed relativè tantum: neque ita afficit, vt melius ſit ipſi naturæ exiſtere aut eſſe in vna perſonalitate divina, quàm in alia relativè oppoſita: quoniam in divinis, vt loquitur Athanaſius in Symbolo, *totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt & coæquales*. Quare nos ſuprà Diſp. LXXIII. per totam diximus, relationes divinas ex proprio & explicito munere nullam importare perfectionem peculiarẽ, præſertim ſimpliciter ſimplicem. Vnde ex ratione, quâ probamus in Deo abſolutam ſubſiſtentiam, nõ colligitur, admitti pariter debere perſonam abſolutam.

51 INSTABIS. Hoc ipſo quòd in Deo aſſeratur ſubſiſtentia abſoluta, illa debet eſſe perſonalitas. Debet enim eſſe ſubſiſtentia conſentanea naturæ divinæ prout intellectuali. Subſiſtentia autem naturæ intellectualis, eſt verè perſonalitas ſecundùm ſuam rationem quaſi ſpecificam & formalem. At non admittimus in Deo perſonalitatem abſolutam. Ergo nec ſubſiſtentiam abſolutam poſſumus admittere.

52 HÆC Difficilis obiectio videtur fuiſſe in cauſa, vt aliqui relati à Durando in 1. diſt. 26 q. 1. n. 5. conceſſerint in Deo ſuppoſitum abſolutum. Quamvis verò ille non exprimat nomina eorum Auctorum, credo intelligi Scotum cum ſuis diſcipulis, qui planè ita docuit, & probare conatus eſt ſeptem argumentis ordine ſuo relatis à Capreolo in 1. diſt. 26. q. 1. §. *Secundo loco arguit Scotus*. Qui in ſeptimo illorum videtur facere ſatis præcipuæ difficul-

tati,

tati, quam ſuprà initio ferè ſectionis primæ propoſuimus contra eum dicendi modum, ex eo quòd alioqui eſſet quarta in Trinitate perſona. Ait enim Scotus: * Si abſolutum ſuppoſitum repugnaret in divinis, hoc eſſet, quia poni oporteret quatuor ſuppoſita, aut quatuor perſonas. Sed hoc non impedit: quia illud ſuppoſitum nõ ponit in numerum cum tribus. Vnde ſicut non eſt quaternitas rerum, licèt ſint tres perſonæ, & vna quædam res communis, pro eo quòd illa communis veraciter eſt quælibet earum trium, ſecundùm quod reſpondet Concilium Generale (intellige Lateranenſe ſub Innocentio III.) Abbati Ioachim in cap. Damnamus: ſic nec erit ſuppoſitorum quaternitas, quia illud commune ſuppoſitum eſt veraciter quodlibet illorum trium relativorum. Ergo nõ apparet, cur non poſsit poni aliquod ſuppoſitum abſolutum.* Hactenus ad verbum Scotus, prout refertur à Capreolo ibidem. Præmiſſerat verò, id ſuppoſitum eſſe quidem in communicabile alteri: non tamen tribus ſuppoſitis relativis, quoniam nullum eorum in re eſt alterum ab ipſo. Qua ſolutione videtur Subtilis Doctor præoccupare omnem cenſuram, & nullam mereri notam, quidquid aliqui è Recentioribus velint, quibus moris eſt cenſoriam virgam temerè in alios exercere. Vide ſuprà n. 2.

53 VERVM Quidquid ſit de eâ Scoti doctrina, nos cohærenter ad ea, quæ in ſuperioribus tradidimus, & iuxta modum loquendi communiter receptum apud Scholaſticos, negamus in divinis ſuppoſitum commune & abſolutum, ſicuti & perſonam, & perſonalitatem communem abſolutamque. Neque obſtat probatio in oppoſitum, cuius antecedens negamus. Ad probationem concedimus, ſubſiſtentiam abſolutam Dei eſſe conſentaneam naturæ intellectuali. Verùm ad hoc ſufficit vt in re ſit perſonalitas, immo perſonalitas triplex, quæ non differt in re à ſubſiſtentia abſoluta. Neque obſtat quòd ſubſiſtentia creata naturæ intellectualis ex ſua ſpecie & ratione formali ſit perſonalitas. Hoc enim ideo eſt, quia perſonalitas creata, cùm ſit ex ſe abſoluta, contrahit directè rationem abſolutam & communem ſubſiſtentiæ. Divina autem perſonalitas, quatenus talis, eſt relativa: atque adeò non contrahit directè, ſive in ſenſu formali, aliquod prædicatum abſolutum Dei; & per conſequens, nec rationem illam communis ſubſiſtentiæ, quæ, vt ſæpe probatum eſt, dumtaxat importat perfectionem abſolutam. Præterea. Illa eſt conſentanea Deo, quamvis non habeat rationem perſonalitatis: quia ratione illius Deus conſtituitur in exercitio exiſtens per ſe, & à ſe, non quomodocumque, ſed in natura intellectuali perfectiſsima, & independenter ab omni alio, atque ſine vlla indigentia. Hoc autem eſt perfectiſsimè ſubſiſtere. Perſonalitas autem addit præterea rationem ſuppoſiti incommunicabilis, quæ non intelligitur in Deo pro priori ad relationes.

54 VERVM Vt id pleniùs intelligatur, & præoccupentur plures obiectiones, recolenda eſt pariter doctrina tradita Diſputat. LXXVI. præſertim num. 34. iuxta quam gradui entis reſpondet exiſtentia vniverſè, veluti actualitas: gradui ſubſtantiæ, ſubſiſtentia, quam ibi probavimus non eſſe diſtinctam ab exiſtentia per ſe: quæ generatim quidem habet conſtituere ſubſtantiam independentem ab alio vt ſubiecto inhæſionis, ſive tanquam ſuſtentante, ſaltem ſi ſubſtantia ſit completa eſſentialiter: nondum tamen conſtituit illam incommunicabilem pluribus, vt oſtenſum eſt ſuprà num. 25. adhibito exemplo in ſubſtantijs vniverſalibus, quæ collocantur directè in Prædicamento, ac proinde completæ per ſubſiſtentiam: & tamen adhuc ſunt communicabiles pluribus ſpeciebus & individuis infra illas contentis. Deinde loquendo iam reſtrictiùs, ſubſiſtentia quatenus individua, ſive vltimò determinata, quæ dicitur generatim ſuppoſitalitas, & in natura rationali perſonalitas, ita complet naturã, vt reddat illam prorſus incommunicabilem cuilibet alteri ſuppoſito, ſaltem extraneo. Vnde demum, & conſequenter, omni naturæ creatæ ac creabili ſemel terminatæ per propriam ſuppoſitalitatem vel perſonalitatem, in ſenſu compoſito eſt impoſsibilis vnio ſubſtantialis ad extraneum ſuppoſitum, vel perſonam. Natura autem divina, ob ſuam infinitam fœcunditatem & perfectionem inacceſſam, quamvis terminetur per vnum ſuppoſitum aut perſonam, adhuc eſt terminabilis & communicabilis duabus alijs, quoniam non ſunt extraneæ ipſi naturæ, ſed potiùs ſpectant ad connaturale complementum ipſius: ſuppoſita autem terminatione per divinas perſonalitates, nequit prorſus vniri ſubſtantialiter alicui ſuppoſito extraneo: quoniam ex duabus ſubſtantijs vltimò ac perfectè completis nullatenus poteſt fieri vnum per ſe ſubſtantiale: vt eo loco ſæpiùs dictum eſt. Dum igitur impræſenti aſſerimus ſubſiſtentiam Dei abſolutam, non adſtruimus illam, quatenus conſtituit ſuppoſitum, vel perſonam: ſed ſolùm quatenus conſtituit Deum per ſe exiſtentem, eiuſque naturam ita reddit indepẽdentem à ubiecto inhæſionis, aut ſuſtentationis, vt tamen illam relinquat communicabilem tribus perſonis, & complebilem hypoſtaticè per illarum perſonalitates, vtpote non extraneas ſibi, ſed intraneas.

55 VRGEBIS. Si eſt aliquis conceptus ſubſiſtentiæ propriè dictæ in Deo, nullam afferens incommunicabilitatem pro priori

ra-

rationis ad relationes; erit quoque aliquis conceptus ſuppoſitalitatis aut perſonalitatis pro eodem priori nullam afferens incommunicabilitatem. Ergo ſubſtantia divina pro priori rationis ad relationes non ſolùm eſt ſubſiſtens, ſed etiam ſuppoſitum & perſona, quamquam cõmunis tribus ſuppoſitis vel perſonis. RESP. Scotum vltrò id concedere, vt vidimus n. 52. alios verò num. 3. allegatos dicere, ſubſtantiam Dei pro illo priori eſſe ſemi-ſuppoſitum, & ſemi-perſonam. Nos tamen negamus conſequentiam: quia ex vſu Scholaſticorum, & prout colligitur ex doctrina Patrum, perſona (idemque eſt de ſuppoſito) nunquam accipitur, niſi pro ſubſiſtente incommunicabiliter. Deus autem pro priori rationis ad perſonas non ſubſiſtit incommunicabiliter, ſed potiùs communicabiliter. Non ergo pro illo priori habet rationem ſuppoſiti vel perſonæ, ſed tantùm ſubſiſtẽtis, ea ratione, quâ diximus.

56 OBIICIES IV. In divinis eſt triplex ſubſiſtentia relativa, quâ Deus ſubſiſtit in tribus perſonis, & vnaquæque illarũ, prout diſtincta à duabus reliquis. Ergo fruſtra aſſerimus in Deo ſubſiſtentiam abſolutam: vtpote cuius effectus, aut quaſi effectus præſtatur ſufficienter à tribus relativis ſubſiſtentijs.

57 HOC Argumentum tangit celebrem difficultatem, quæ hoc loco exagitari quidem poſſet: verùm ne controverſia vltra modum creſcat, oportet eam relinquere diſcutiendam Diſputatione ſequenti. Nunc obiter nota, Auctores primæ ſententiæ relatos num. 6. non poſſe hoc argumento vti, cùm ij aliàs aſſerant in divinis vnam exiſtentiam abſolutam, & tres relativas. Nulla enim ratio ſuadere poteſt fruſtraneam eſſe ſubſiſtentiam abſolutam ſupra tres relativas, quin pariter idipſum evincat de exiſtentia abſoluta, ſi tres relativæ in Deo aſſerantur. Qui autem in divinis negant tres relativas ſubſiſtentias, & vnicam abſolutam admittunt, quales ſunt AA. allegati ſuprà num. 8. facilè huic argumento occurrent, negato illius antecedente. Denique Authores ſecundæ ſententiæ citati num. 7. reſpondebunt conceſſo antecedenti, negando conſequentiam: quia tres ſubſiſtentiæ relativæ præſtant aliquem quaſi effectum peculiarem & proprium conſtituendi ſuppoſitum & perſonam incommunicabili et ſubſiſtentem, quem non præſtat ſubſiſtentia abſoluta & communis, iuxta doctrinam traditam ſuprà, præſertim num. 54. An verò hæc ſolutio ſatis faciat, & quid ea de re dicendum ſit, videbimus in progreſſu Diſp ſequentis.

DISPVTATIO LXXVIII

AN IN DIVINIS SIT TRIPLEX SVBSISTENTIA RELATIVA.

AD REVERENDISSIMVN P. M. Fr. ANTONIVM DE LVS, Benedictinæ Congregationis in Luſitania & Braſilia Generalem Magiſtrum, ſacræ Theologiæ Doctorem, & Primarium Anteceſſorem in Inſigni Academia Conimbricenſi, celeberrimum præſtantia ingenij, doctrinæ, eruditioniſque; amicum noſtrum, & hortatorem ad hæc Commentaria in lucem proferenda.

NON *Eſt quæſtio de perſonalitate, quam ſupponimus eſſe triplicem in divinis, quoniam fides docet eſſe tres perſonas, ac proinde multiplicari perſonalitates, ſeu formas, quibus illæ conſtituuntur: vt præmiſimus Diſput. præced. num. 4. Similiter nec quæſtio eſt de forma conſtituente ſuppoſitum, quæ à Scholaſticis dicitur ſuppoſitalitas: nam cùm omnes Theologi aſſerant in divinis tria ſuppoſi-*

ta,

ta, pariter docent eſſe tres formas, ſive ſuppoſitalitates, quibus illa conſtituantur. Nimirum, nomina ſubſtantiva, qualia ſunt, perſona & ſuppoſiti, non multiplicantur, niſi multiplicatis formis. Diſsidium itaque eſt de ſubſiſtentia ſola, an in divinis perſonis ſit vnica, an verò triplex. Porrò triplicem eſſe relativam docent Authores Diſput. præcedenti allegati pro prima ac ſecunda ſententia num. 6. & 7. quamvis alioqui diſsideant in aſſerenda aut neganda vna ſubſiſtentia abſoluta & communi. Cæterum alij, quos ibidem allegavimus num. 8. pro tertia opinione docent, nullatenus eſſe in divinis triplicem ſubſiſtentiam relativam, ſed vnicam abſolutam. Quorum opinionem præivit Durandus expreſsè in 1. diſt. 13. quæſt. 2. num. 27. & diſt. 26 quæſt. 1. num. 5. & diſt. 33. quæſt. 1. num 37. & in 3. diſt. 1. quæſt. 2. num. 7. ſimiliterque Scotus in 1. diſt. 1. quæſt. 2. & in 3. diſt. 1. quæſt. 2. quibus omnibus locis excitari poteſt ſupra litteram Magiſtri.

SECTIO PRIMA.

Obſeruantur quædam, præſertim ſuperioribus latè ſtabilita: & exponitur ſenſus genuinus Auctorum, ac diſsidium præcipuum in hac controuerſia.

1 PRÆMITTO I. Ex latè conſtitutis ac probatis Diſp. præced. num. 10. 11. & 12. hypoſtaſim, ſicuti & ſubſiſtentiam, longè aliter vſurpari à Concilijs & Patribus, quam à Scholaſticis. Ab illis enim non accipitur pro forma aut ratione formali, quâ aliquid conſtituitur ſubſiſtens, ſuppoſitum, aut perſona, vti apud Scholaſticos: ſed pro re ipſa ſubſiſtente in concreto, quæ dicitur ſubſiſtens, ſuppoſitum, aut perſona. Vnde quamvis ſint plurima Conciliorum loca, in quibus dicuntur vel aſſeruntur in divinis tres hypoſtaſes, quas Latini interpretes vertunt tres ſubſiſtentias, non propterea cenſetur definitum, eſſe in divinis tres ſubſiſtentias relativas in ſenſu Scholaſticorum, id eſt, ſumptas in abſtracto, ſive pro ratione formali ſubſiſtendi: ſed in concreto tantùm, iuxta eorundem Conciliorum & Patrum ſenſum. Quod ibidem oſtendiſſe ſufficiat. Quare ſupereſt locus, vt ſalva Catholica fide diſceptetur inter Theologos, an ratio formalis ſubſiſtendi in perſonis divinis ſit vnica ſolùm & abſoluta, qualem ſtatuimus Diſp. præcedenti: an potiùs triplex relativa, & multiplicata iuxta numerum perſonarum ſubſiſtentium.

3 PRÆMITTO II. Subſiſtentiam acceptam pro ratione formali ſubſiſtendi, adhuc poſſe dupliciter vſurpari. Primò quatenus conſtituit rem, ſive ſubſtantiam per ſe exiſtentem, ea *perfeitate*, vt ita loquamur, quæ excludit dependentiam ab alio vt ſuſtentante, vel vt ſubiecto inhæſionis, abſtrahendo ab eo an conſtituat rem incommunicabilem, necne. Secundò quatenus conſtituit vltimò ſuppoſitum incommunicabile alteri; & naturam ipſam incommunicabilem cuiliber alteri ſuppoſito, ſaltem extraneo. Quod addimus quia natura creata per ſubſiſtentiam individuam & ſibi propriam, quâ completur vltimò, redditur incommunicabilis omnino alteri cuicumque ſuppoſito. Cæterum natura divina, quæ infinitè fœcunda & ſummè perfecta eſt, per nullam hypoſtaſim, ſive ſubſiſtentiam peculiarem alicuius perſonæ divinæ, redditur incommunicabilis reliquis duabus, quoniam non ſunt extraneæ ab illa, ſed potiùs eam naturaliter complent. Idemque fortaſſe eſt de natura creata aſſumpta à Verbo, quam probabilis opinio docet, poſſe ſimul aſſumi ab alijs duabus perſonis: quoniam nulla earum eſt extranea alteri ob identitatem in natura. Porrò ex ſtatutis Diſput. præced. patet, ſubſiſtentiã priori conſideratione vſurpatam Deo convenire abſolutè, & pro priori ad omnem intellectum perſonarum & relationum. Diſsidium itaque eſt, An vel in eodem priore ſenſu, vel in poſteriore ſaltem, vel in vtroque ſimul, conveniat vnicuique perſonæ divinæ ſua propria & peculiaris ſubſiſtentia, ſive formalis ratio ſubſiſtendi.

4 PRÆMITTO III. Nonnulla ex profeſſo à nobis tradita Diſputationibus præcedentibus, ex quorum cohærentia & connexione pendet reſolutio huius controverſiæ, ne alijs atque alijs locis pugnantia aut contradictoria docuiſſe videamur. PRIMVM eſt, relationes divinas nullam addere perfectionem peculiarem, ſeu virtualiter diſtinctam à perfectione abſoluta eſſentiæ: quoniam illa deberet eſſe diſtincta ſpecie, ac proinde inæqualis in perſonis divinis, contra quàm Symbolum S. Athanaſij docet. Ita ſtatuimus Diſput. LXXIII. per

per totam. SECVNDVM, non eſſe in divinis tres exiſtentias relativas iuxta numerum perſonarum, ſed vnicam & abſolutam. quod nobiſcum tuentur omnes ferè Thomiſtæ, quorum tamen plerique hoc loco tres ſubſiſtentias relativas in Deo aſſerunt. Id traditum fuit Diſp. LXXIV. TERTIVM, ſubſiſtentiam creatam eſſe aliquid poſitivè ac reipſa additum naturæ ſubſtantiali, & non conſiſtere in negatione vnionis ad aliud ſuppoſitum, aut perſonam digniorem, vel qualitercumque extraneam. Ita Diſp. LXXV. QVARTVM, ſubſiſtentiam eſſe vnum & idem cum exiſtentia per ſe conveniēre ſubſtantiæ, quatenus differt ab accidente: quod, exiſtit quidem; non tamen per ſe, ſed in alio, tum vt ſuſtentante, tum vt ſubiecto inhæſionis. QVINTVM denique eſt, quod Diſput. immediatè præcedenti ſtatuimus, & iam nuper indicavimvs, annuentibus pleriſque eorum, quibuſcum modò diſſerendum eſt. nimirum, Deo, prout eſt ſingulare individuum Deitatis, abſolutè, & pro priori ad perſonas, convenire ſubſiſtentiam, quâ per ſe & *vt quod* exiſtat, *perſeitate* excludente dependentiam ab alio, tum vt ſuſtentante, tum vt ſubiecto inhæſionis: non autem quâ reddatur incommunicabiliter ſubſiſtens, ſive ſuppoſitum, aut perſona. Hoc enim ſecundum, Sabellianum, & Iudaicum eſt.

5 DISSIDIVM Itaque eſt, An quemadmodum perſonæ vnicuique divinæ competit peculiaris ac propria perſonalitas, quâ conſtituitur diſtincta ſecundùm rem à duabus reliquis in ratione perſonæ, ſive ſuppoſiti intra naturam intellectualem: ita etiam vnicuique earum conveniat peculiaris ac propria ſubſiſtentia, per quam conſtituatur diſtincta ſecundùm rem à duabus reliquis in ratione ſubſiſtentis intra eandem intellectualem naturam. Cumque ſubſiſtentia importet ea duo munia ſuprà n. 3. indicata, alterum conſtituendi rem per ſe exiſtentem, *perſeitate* oppoſita dependentiæ ab alio vt ſuſtentante aut ſubiecto inhæſionis; alterum, conſtituendi incommunicabile ſuppoſitum, dubitamus, an in perſonis divinis multiplicetur ſubſiſtentia quoad vtrumque munus, vel ſaltem quoad primum, vel tandem quoad neutrum. Porrò Authores relati Diſp. præced. num. 6 7. & 8. longè aliter in hac re ſentiunt. Allegati enim ibidem pro prima ſententia volunt, ſubſiſtentiam in divinis multiplicari quoad vtrumque effectum, aut quaſi effectum. Allegati pro ſecunda aſſerunt, rationem formalem ſubſiſtentiæ eſſe triplicem reipſa diſtinctā, ſaltem quoad ſecundum effectum, immo & multi illorum idem volunt, etiam quoad primum. Denique allegati pro tertia ſententia cum Durando & Scoto, aiunt rationem formalem ſubſiſtendi eſſe prorſus abſolutam in Deo; & nullatenus multiplicari in divinis perſonis, ſed eſſe vnam & eandem, quoad omnem effectum proprium ſubſiſtentiæ, prout ſubſiſtentia formalis eſt. Itaque rationem ſuppoſiti, ſeu perſonæ incommunicabilis aiunt, non provenire à ſubſiſtentia formali penes aliquod munus ipſius proprium in linea ſubſiſtentiæ: ſed ſolùm à perſonalitate propria cuiuſque, quæ eſt relatio, & virtualiter intrinſecè diſtinguitur à ſubſiſtentia divina, ſicuti & ab omnibus alijs prædicatis abſolutis Dei. Hic videtur ſenſus germanus Authorum tertiæ ſententiæ, ex cuius intellectu maximè pendet reſolutio quæſtionis.

SECTIO SECVNDA.

Non eſſe in diuinis perſonis triplicem formalem rationem ſubſiſtendi, ſed vnicam, eamque abſolutam. Probatio præcipua ex Anſelmo, Auguſtino, D. Thoma, aliiſque Patribus.

6 HANC Aſſertionem iudico valde cohærentem Anſelmo, qui nullibi inuenitur agere de ſubſiſtentia Dei, tanquam de forma relativa, ſed veluti de perfectione abſoluta, & conveniente Deo ac perſonis tribus ratione eſſentiæ. Imprimis enim ſuprà cap. 5. pro eodem accipit in Deo vt ſit per ſe exiſtens, ac ſubſiſtens: & vtrumque ait convenire Deo ratione ſuæ naturæ, ſive eſſentiæ, exponitque idonea ſimilitudine, per hæc verba: *Quemadmodum enim ſeſe habent ad invicem lux, & lucere, & lucens: ſic ſunt ad inuicē eſſentia, eſſe, & ens; HOC EST, EXISTENS, SIVE SVBSISTENS. Ergo ſumma eſſentia, & ſummè ens, hoc eſt, ſummè exiſtens, ſiue ſubſiſtens, non diſſimiliter ſibi conueniunt, quàm lux, & lucere, & lucens.* At quia exiſtentia eſt perfectio conveniens Deo ratione eſſentiæ, ratio formalis illius nullatenus multiplicatur in divinis perſonis, nec in ijs eſt triplex relativa, ſed vnica abſoluta, quâ tres perſonæ exiſtunt: vt latè conſtitutum eſt Diſp. LXXIII. annuentibus etiam multis Adverſariorum, præſertim Thomiſtis ferè omnibus. Ergo pariter quia ſubſiſtentia eſt perfectio conveniens Deo ratione eſſentiæ, formalis ratio illius non multiplicatur in divinis perſonis, nec in ijs eſt triplex relativa, ſed vnica & abſoluta, quâ tres perſonæ ſubſiſtunt. Præmiſſerat verò S. Doctor cap 3. poſt medium, & ratiocinando collegerat: *Quare eſt quædam natura, vel ſubſtantia, vel eſſentia, quæ eſt per ſe bona, vel magna, ET PER SE EST ID QVOD EST; & per quam eſt id quidquid verè aut bonum,*

aut

aut magnum aliquid eſt: & quæ eſt ſummum magnum, ſummumque bonum, SVMMVM ENS, SIVE EXISTENS. Vbi divinæ eſſentiæ ſive naturæ tribuit, vt per ſe ſit, ſive exiſtat; & per illam reliqua, quæcumque verè bona aut magna ſunt. Ergo ſicuti exinde collectum fuit ſupra ad mentem S. Doctoris, nec magnitudinem, nec bonitatem, nec exiſtentiam convenire in ſenſu formali divinis perſonis, niſi ratione naturæ vel eſſentiæ divinæ: ita idipſum colligere licet de ſubſiſtentia in ſenſu formali: præſertim cùm oſtenſum fuerit tota Diſput. LXXVI. rationem formalem ſubſiſtentiæ ſitam eſſe in exiſtendo per ſe. Denique infrà cap. 44. aliàs 43. inquit de Patre æterno: *Ita gignendo dat Filio eſſentiam habere & ſapientiam, & vitam in ſemetipſo, vt non per extraneam, SE DFERSVAM ESSENTIAM SVBSISTAT, ſapiat, & viuat. Alioqui non erit idem eſſe Patris & Filij, nec erit par Patri Filius. Quod quàm falſum ſit, liquidiſsimè ſuperiùs peruiſum eſt.* Ergo ſicuti Filius non habet peculiarem ſapientiam, aut vitam relativam, præter illam abſolutam & communem, quæ ſibi competit ratione eiuſdem eſſentiæ cum Patre: ita neque habet peculiarem ſubſiſtentiam relativam præter illam, quæ ſibi convenit ratione eiuſdem eſſentiæ communis. Adde illuſtre teſtimonium ipſius in Opuſculo de Proceſsione cap 28 iuxta partitionem Gerberonis, dicentis: *In hoc itaque quòd relatiuè Deus ad Deum dicitur, ſicut plures homines, perſonarum admittit pluralitatem & diuerſitatem: IN HOC VERO, QVOD PER SE EST, id eſt in Deo, inſeparabilem, ad ſimilitudinem vnius hominis, ſ ruat ſingularitatem.* Atqui Deus eſt ſubſiſtens, quatenus per ſe eſt. Ergo quatenus ſubſiſtens nullam habet pluralitatem, ſed ſingularitatem, ex mente Anſelmi.

7 NEC Mirum ita loquatur vbique Anſelmus, cùm nihil aliud diſcere potuiſſet ex Magno Auguſtino, quem meritò allegat Durandus in 3. diſt. 1 q 2. num. 7. veluti expreſſum pro eâdem ententia, lib. de Trinitat. quinto cap 7. ſub finem, vbi ita loquitur S. Doctor: *Si Deus ſic relatiuè ſubſiſtat, ſicut relatiuè gignit, & relatiuè dominatur iam ſubſtantia non eſt ſubſtantia, quia relatiuum eſt. Sicut enim ab eo, quod eſt eſſe, appellatur eſſentia: ita ab eo quod eſt ſubſiſtere, ſubſtantiam dicimus. Abſurdum eſt autem vt ſubſtantia relatiuè dicatur. Omnis ergo res ad ſeipſam ſubſiſtit: quanto magis Deus? ſi tamen dignum eſt, vt Deus dicatur ſubſiſtere.* Quod vltimũ, vt monet ibi Durandus, addit Auguſtinus, vel quia ſubſiſtere ad litteram ſonat ſub alio ſiſtere, quod non competit Deo: aut quia Deus nobiliori modo ſubſiſtit, quàm creaturę, vt proinde dicatur magis propriè ſubſiſtere, quàm ille. Itaque S. Doctor reputat abſurdum quòd Deus relativè ſubſiſtat, ſicut relativè gignit: quia ſubſiſtere competit propriè ſubſtantiæ, abſurdum eſt autem quòd ſubſtantia relativè dicatur, præſertim divina, quæ præ omni alia ſubſiſtit ad ſe, ſive abſolutè. Quid clariùs ad excludendam in Deo omnem rationem formalem ſubſiſtendi relativam? Vnde ſubducere licet ſequentis probationis formulas. Si in Deo eſſent tres rationes formales ſubſiſtendi relativæ, Deus diceretur relativè ſubſiſtens, ſicut dicitur relativè gignens. Conſequens eſt abſurdum iuxta Auguſt. Ergo & antecedens. PRÆTEREA. Quia eſſentia in divinis eſt abſoluta, *eſſe*, à quo illa denominatur, nullatenus eſt relativum, ſed abſolutum. Atqui etiam in divinis, multò magis quàm in creatis, ſubſtantia eſt abſoluta. Ergo & ſubſiſtentia, à qua illa denominatur, nullatenus eſt aliquid relativum, ſed abſolutũ. DEINDE. Ea quæ perfectionis ſunt, multò magis convenire debent ſubſtantiæ divinæ, quàm creatæ. Atqui ſubſiſtere ad ſe, ſive abſolutè, & non relativè, eſt aliquid perfectionis in ſubſtantia creata. Ergo multò magis idipſum debet convenire ſubſtantiæ divinæ, vt non relativè, ſed abſolutè ſubſiſtat. DENIQVE. Subſiſtere eſt eſſe *ad ſe*. Ergo nequit perſonis divinis convenire ratione alicuius prædicati relativi, cuius totum eſſe eſt *ad aliud*. Solùm ergo ijs convenire poteſt ratione alicuius prędicati abſoluti quod totum eſt *ad ſe*. Et certè vel ex eo ſolùm quòd ſubſiſtere ex ſua ratione formali importet perfectionem, colligitur planè id non eſſe relativũ in Deo, ſed dumtaxat abſolutum: quoniam, vt vidimus ex eodem Auguſt. citatâ Diſp. LXXIII. num. 25. omnis perfectio in Deo eſt vna, & abſoluta in tribus perſonis.

8 D. THOMAS Similiter, vt erat addictus vtrique S. Doctori, eandem ſententiam luculenter tradit pluribus locis. Ac primò quidem q. 9. de Potentia art. 5. ad 13. inquit: * In divinis autem proprietates perſonales hoc ſolùm habent, quòd ſuppoſita divinæ naturæ abinvicem diſtinguunt: non autem ſunt principium ſubſiſtendi divinæ eſſentiæ (ipſa enim divina eſſentia eſt ſecundùm ſe ſubſiſtens) ſed è converſo, PROPRIETATES PERSONALES HABENT QVOD SVBSISTANT AB ESSENTIA. * Quæ adeò manifeſta ſunt, vt vix aliquam interpretationem in oppoſitum patiãtur. Imprimis enim ſi proprietates perſonales conſtituerent formaliter ſuppoſita divinæ naturæ, in ratione ſubſiſtentium, non ſolùm haberent hoc quod eſt illa adinvicem diſtinguere, vt patet. Conſequens autem directè contrariatur illi propoſitioni D. Tho. quâ ait, proprieta-

tes perſonales hoc ſolùm habere in divinis, vt ſuppoſita divinæ naturæ adinvicem diſtinguãt. Ergo proprietates perſonales non conſtituunt formaliter ſuppoſita divinæ naturæ in ratione ſubſiſtentium. PRÆTEREA. Si proprietates relativæ in divinis eſſent totidem ſubſiſtentiæ formales, non tam haberent ab eſſentia vt ſubſiſtant, quàm à ſeipſis, in ſenſu formali: ſicuti quia ex propria ratione ſunt paternitas, filiatio, & ſpiratio paſsiva, non tam cenſentur habere ab eſſentia vt relativè dicantur, quàm à ſeipſis. At D.Tho. ait, proprietates relativas habere ab eſſentia vt ſubſiſtant, non autem à ſeipſis. quod ſanè debet accipi in ſenſu formali: quia in reali ſunt vnum & idem cũ eſſentia. Ergo proprietates relativæ non ſunt in divinis totidem formales ſubſiſtentiæ.

9 IDEM Tradiderat quæſt. 8. præced. ar. 3 7. 8 & 9 hiſce verbis: *Dicendum quòd relatio, vt dictum eſt, diſtinguit in quantum eſt relatio: CONSTITVIT AVTEM HYPOSTASIM IN QVANTVM EST DIVINA ESSENTIA; & vtrumque facit in quantum eſt diuina eſſentia & relatio.* Si autem proprietates relativæ eſſent totidem ſubſiſtentiæ formales; ſicuti diſtinguunt hypoſtaſes, ſeu perſonas ſubſiſtentes, ita etiam illas conſtituerent ſecundùm rationem ſubſiſtendi relativam; non verò quatenus ſunt vnum cum divina eſſentia. quod ex diametro contradicit verbis ac ſenſui Div. Thom. Itaque Sanct. Doctor in nullo formali ſenſu tribuit relationibus divinis munus ſubſiſtentiæ aut conſtituendi ſuppoſitum vel perſonam in ratione ſubſiſtendi; ſed dumtaxat munus diſtinguendi. Quod ipſum pluribus præterea teſtimonijs eiuſdem S. Doctoris probat ex profeſſo Capreolus in 1. diſt. 26. quæſt. 1. concl. Non ergo ex mente ipſius eſt in divinis triplex ſubſiſtẽtia formalis & relativa, ſed vnica & abſoluta ratione eſſentiæ.

10 DICES Fortè ex doctrina Adverſariorum, ſenſum D.Th. eſſe, quòd relationes ſubſiſtant quatenus ſunt divina eſſentia, *vt quatenus* denotante ſenſum radicalem, non autẽ formalem: nam in ſenſu formali habent illæ, vt ſint ſubſiſtẽtiæ, ratione ſui ipſarum, & prout ab eſſentia virtualiter diſtinguuntur. Hunc verò eſſe ſenſum S. Doctoris, argumento eſt, quòd ibidem aſſerat, relationes, prout ſunt divina eſſentia, conſtituere hypoſtaſim. Hoc autem nequit eſſe verũ in ſenſu formali, ſed radicali tantùm. quoniã alioqui divinæ hypoſtaſes, ſeu perſonæ conſtituerentur per aliquid abſolutũ quod eſt falſum. Ergo ſolùm negat relationibus divinis rationem ſubſiſtentiæ in ſenſu radicali.

11 SED Enim, præterquam hac ſolutione non labefactatur vis prioris teſtimonij, prout à nobis expenſum fuit (vt cõſideranti patet erit) illa reijcitur multiplicitèr. PRIMO: Quia in priori teſtimonio D.Tho. ſtatuit diſcrimen inter omnem naturam creatam & divinam, quòd hæc per ſeipſam ſubſiſtat, proprietates verò ratione illius: è cõverſo autem in creatis proprietates præſtẽt naturæ vt ſubſiſtat. Atqui id diſcrimen non habet locum, ſi accipiatur in ſenſu radicali. nam etiam in creatis proprietates individuantes & terminantes naturam, radicaliter habent ab ea, vt ſubſiſtant. Non ergo loquitur S. Doctor in ſenſu radicali, ſed formali. SECVNDO. In vtroque teſtimonio docet, relationes, quatenus relationes ſunt, diſtinguere ſuppoſita in divinis; ſubſiſtere autem, & conſtituere hypoſtaſim, ſive ſubſiſtens, quatenus ſunt divina eſſentia. Si autem non loquitur S.Tho. in ſenſu formali, ſed radicali, ea contrapoſitio eſt inanis: quoniam quidquid habent præſtantque relationes divinæ, id totum ab eſſentia radicaliter habent. Loquitur ergo S.Th. in ſenſu formali, non autem radicali. Quod verò in poſteriori loco ait, relationes, quatenus ſunt divina eſſentia, conſtituere hypoſtaſim, non favet Adverſarijs: quoniam, vt patet ex eodem allegata q. 8. art. 3. ad 7 loquitur de conſtitutione hypoſtaſis, non in ratione ſuppoſiti incommunicabilis, vel perſonæ: ſed in ratione ſubſiſtentis, quæ eſt prorſus ad ſe, ſive abſoluta.

12 QVOAD Patres reliquos poſſumus generatim hanc inſtituere probationem. Omne id quod convenit naturæ divinæ per ſeipſam, ſive ratione ſui, eſt abſolutum, & nullo modo multiplicatum in divinis perſonis. Atqui ſubſiſtentia, iuxta Patres allegatos Diſp. præc. n. 16. & 17. convenit naturæ divinæ per ſeipſam, ſive ratione ſui. Ergo ſubſiſtentia eſt abſoluta, & nullatenus multiplicata in divinis perſonis. Maior eſt apud Theologos certa: & minor ibidem probata ex ipſorum teſtimonijs, ac poſtea latè rationibus confirmata. VLTERIVS ſuadetur ab authoritate, negativo argumento, vt aiunt. Quamvis enim SS. Patres, ſicuti & Concilia, poſt ſopitam illam veterem controverſiam de acceptione hypoſtaſis pro ſubſtantia aut perſona, aſſerant in divinis tres hypoſtaſes, quas Interpretes Latini *ſubſiſtentias* appellant; nunquam tamen, nec Græcè hypoſtaſis, nec Latinè *ſubſiſtentia*, ijs locis accipitur in abſtracto pro ratione formali ſubſiſtendi, ſed in concreto pro re ſubſiſtente, aut ſuppoſito, aut perſona: vt fusè probatum fuit eâdem Diſput. præcedenti num. 10. 11. & 12. quod palam fatentur plerique Adverſariorum, quamvis aliqui fortaſſe immemores eius confeſsionis ſuæ, hoc loci denſum agmen teſtimoniorum eiuſmodi congerant contra nos, omnino præter rem. Nullum ergo firmum fundamentũ habet apud Concilia & Patres, nec poſitivũ, nec

negativum ; triplex ratio formalis & relativa ſubſiſtendi.

13 DICES: Hoc ipſo quòd Concilia & Patres ijs locis aſſerant eſſe in divinis tres perſonas, colligitur ac demõſtratur theologicè, eſſe in ijs totidem perſonalitates relativas: quia hoc ſubſtantiale concretũ, *perſona*, nequit multiplicari, niſi pariter multiplicetur perſonalitas, veluti forma ipſius. Atqui eadẽ Concilia & Patres, ſecundùm verſionem Latinam, dum dicuntur *tres ſubſiſtentiæ*, ſignificant ſaltem in divinis tres ſubſiſtentes in concreto ſubſtãtiali; qui nequeunt multiplicari niſi pariter multiplicetur ſubſiſtentia, veluti ipſorum forma. Ergo pariter exinde theologicè demonſtratur, in divinis eſſe tres ſubſiſtentias relativas.

14 RESP. Eſſe diſparem rationem: quia *perſona* eſt concretum ſubſtantivum, quod nequit multiplicari, non multiplicatâ formâ. Vnde ſicuti ob hanc causã non ſunt, nec dici poſſunt in divinis tres dij, quoniã Deus habet rationem concreti ſubſtantivi, cuius vnica eſt forma, nimirum Deitas: ita nec eſſe, aut dici poſſent tres perſonæ, niſi perſonalitas eſſet triplex. Cæterum hoc concretum *ſubſiſtens*, quamvis ſignificet ſubſtantiam, non habet modũ concreti ſubſtantivi, ſed adiectivi, quod proinde poſſit pluraliter dici ratione ſuppoſitorum, ſive ſubiectorum, quãvis forma ſit vnica & ſingularis. Id patet à ſimili, etiam iuxta pleroſque Adverſariorum, in hoc concreto *Exiſtens*, etiam in divinis: quod quidem ſubſtantiam divinã exiſtentem ſignificat, & ita verificatur de ſingulis perſonis, vt citrà abſurdum dicantur in divinis tres exiſtentes, quin tamen propterea colligatur eſſe in divinis triplicem exiſtẽtiam relativam. Idem ergo de ſubſiſtentia dicendum. Mitto plura alia nomina concreta, quæ de Deo dicuntur pluraliter, quamvis forma ſit vnica. quo ſenſu, iuxta D. Th & pleroſque ex Scholaſticis, licet aſſerere adiectivè in divinis tres æternos, omnipotentes, &c. Itaque ex eo quòd Concilia & Patres Græci dicãt, in divinis eſſe tres hypoſtaſes, id eſt, tres ſubſiſtentias, iuxta frequentẽ Latinorũ verſionem, idque in concreto, vt ij ſemper intellexerunt; non licet colligere triplicem formam, ſeu rationem formalem ſubſiſtendi. ſed ſufficit vnica denominans tres ſubſiſtentes in concreto. Quare non erit opus huc advocare, quod cum frequenti Thomiſtarũ ſententia tradidimus in hyſic. diſp. 5 negantes materię primæ propriam exiſtentiam, & aſſerentes, tam illam, quàm ſubſtantialem formam, exiſtere per eandem compoſiti ſubſtantialis exiſtentiã. Quo ſuppoſito, certè negari non poteſt, materiam & formam eſſe duas res exiſtentes, quamvis vnica ſit vtriuſque exiſtentia. Idemq; eſt de ſubſiſtentia communi ambabus, & propria ſuppoſiti.

SECTIO TERTIA:

Ratione, potiſsimùm ex Anſelmo, Auguſtino, & Diu. Thoma, eruta, confirmatur multipliciter eadem doctrina. Adverſariorum euaſiones, aut obiectiones præcluſæ.

15 RATIO I. Eruta ex Anſelmo locis ſup. 6. indicatis & præterea ſuprà c. 14. vbi de perfectionibus puris & ſimplicibus agit, ſub hanc differendi formulã proponi poteſt. Nulla perfectio ſimpliciter ſimplex multiplicatur in divinis perſonis. Atqui ſubſiſtentia ſecundùm ſuam rationem formalem eſt perfectio ſimpliciter ſimplex. Ergo ſubſiſtentia ſecundùm ſuam rationem formalem non multiplicatur in divinis perſonis: ac proinde non eſt in ijs ſecundùm rem triplex ſubſiſtentia relativa. Conſequentia eſt manifeſta quoad vtramque partem. Maior certa ex illo effato Anſelmi, *In diuinis omnia ſunt vnum, vbi non obuiat relationis oppoſitio.* Atqui nulla eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, penes quam in divinis perſonis ſit relationis oppoſitio: cũ quælibet ex perſonis ſit Deus ſimpliciter perfectus, & proindè habens in ſeipſo omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem. Ergo divinæ perſonæ ſunt vnũ quoad omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem: ac proinde nulla earum in ijs multiplicatur. Tum præterea idipſum conſtat: quia cùm eſſentia divina ſit ens à ſe, ac proinde carens omni prorſus limitatione, habet à ſeipſa omnẽ plenitudinem perfectionum quarumlibet ſimplicium & purarum: ac proinde cum ijs per modum vnius, atque omnino indiviſim exiſtit in ſingulis perſonis.

16 IAM Minor illa præcipui ſyllogiſmi multipliciter ſuadetur. PRIMO, & à priori, ex ipſa ratione formali ſubſiſtentiæ, prout abſtrahit à creata & increata, quæ ſimplicem perfectionem importat abſque omni imperfectionis nævo. Id patet ex communi ſenſu Patrum ita loquentium apud Theorianum in Biblioth. Græco-latina ipſorum editionis Pariſienſis anni 1624. pagina 442. *Quid eſt autem per ſe ſubſiſtens? Quod per ſe eſt, & non propter aliud, neque in altero habet eſſe: hoc eſt, quod non indiget aliquo alio extra ſe, vt exiſtat.* Conſonat Div. Thom. 1. part. quæſt 29. artic. 2. dicens, *ex eo quòd res aliqua per ſe exiſtit, vocari ſubſiſtentiam. Illa enim ſubſiſtere dicimus, quæ non in alio, ſed in ſe exiſtunt.* Patet verò, perfectionem ſimplicem, puramque ab omni nævo importari per hoc, vt aliquid exiſtat per ſe, & non in alio. Nimirũ, in eo tãtùm apparet quædam excellentia & nobilitas eſſendi, ſeu exiſtendi. Ergo ſubſiſtentia, ſi-

ve

vè ſubſiſtere, ex ſua ratione formali, eſt perfectio ſimpliciter ſimplex. SECVNDO ex definitione perfectionis ſimpliciter ſimplicis ab Anſelmo tradita d. cap. 14. & à nobis ibidem explanata in Scholijs, vt ſit, *quæ melior eſt ipſa, quàm non ipſa, & quàm omne ipſi oppoſitum*, ſive cum ea pugnans. Atqui melius eſt ſubſiſtere, quàm non ſubſiſtere, & quàm omne ipſi contrarium aut repugnans. Melius enim eſt, iuxta omnes, exiſtere, quàm non exiſtere: ac proinde melius eſt exiſtere per ſe, quàm non exiſtere per ſe: ideoque omnes Theologi ferè adſcribunt Deo exiſtentiam abſolutam, & quidem exiſtentiam per ſe, veluti perfectionem ſimpliciter ſimplicem: vt ſuprà vidimus Diſput. LXXIV. ſect. 1. Exiſtere autem per ſe, eſt ſubſiſtere. Ergo ſubſiſtentia ex ſua ratione formali importat perfectionem ſimpliciter ſimplicem. TERTIO. Omnis *perfectas*, vt ita loquamur, addita cuilibet prædicato communi ex ſe importanti perfectionem puram, nullatenus extrahit illud à ratione perfectionis ſimpliciter ſimplicis, ſed potiùs illud perficit ſpeciali titulo intra proprium genus. Sic certè communis ratio entis, quæ ex ſe perfectionem puram importat, non amittit aliquid, ſed potiùs perficitur ratione differentiæ *à ſe*, vel etiam *per ſe*: quarum prior in ſolo Deo, poſterior in ſubſtantia vniverſè, nobilitat rationem communem entis, & præſtat ſpecialem differentiam perfectionis ſimpliciter ſimplicis. Hoc autem modo ſe habet ſubſiſtentia in Deo: nam rationi communi entis realis, ex ſe importanti puram perfectionem, addit eſſe *per ſe*, & præterea *à ſe*. Deus enim non ſolùm eſt ens *per ſe exiſtens* ex ratione communi ſubſtantiæ, in qua convenit cum rebus creatis: ſed etiam *à ſe* exiſtens & ſubſiſtens, vi eſſentiæ ſuæ. Ergo ſubſiſtere, tam generatim, quàm ſpecialim in Deo, importat perfectionem ſimpliciter ſimplicem.

17 DICES I. Subſiſtentiam non ſolùm importare perfectionem formalem exiſtendi per ſe, verùm etiam hoc, vt conſtituat ſuppoſitum incommunicabile alteri. Hoc autem poſterius non exprimit perfectionem, præſertim in ſententia noſtra, ac veriore, quæ docet, perſonas divinas ſecundùm propriam & peculiarem rationem, quâ invicem diſtinguuntur, non exprimere perfectionem aliquam. Ergo ſubſiſtentia non ſecundùm totum ſuum conceptum adæquatum exprimit perfectionem, ſed tantùm penes conceptum illum quaſi communem exiſtendi per ſe. Vnde quatenus præſtat effectum conſtituendi ſuppoſitum incommunicabile, poteſt ac debet multiplicari in divinis perſonis.

18 SED Contrà I. Vt enim diximus Diſp. præced. n. 24. ſubſiſtentia ex ſua ratione formali, & intra propriam lineã, non habet conſtituere ſuppoſitum incommunicabile, ſed ſolùm ſubſtantiam per ſe exiſtentem, ea perfectione, quæ excludit exiſtentiã in alio vt ſuſtentante, aut ſubiecto inhæſionis. Vnde licèt ſubſtantiæ vniverſales ponantur ſubſiſtentes in Prædicamento directè, vtpote tanquam completæ, nõ tamen ſub ea ratione conſtituuntur incommunicabiles, ſed potiùs manent communicabiles pluribus. Itaque effectus conſtituendi ſuppoſi ũ incommunicabile non provenit à ſubſiſtentia ex ratione ſua formali: ſed à ſuppoſitalitate, ſive irrationali, ſive rationali, quæ dicitur perſonalitas. Sola enim ſuppoſitalitas eiuſmodi eſt quæ vltimò afficit & terminat naturam in ſingulari: ac proinde conſtituit ſuppoſitum, vel perſonam incapacem vlterioris complemẽti ſubſtantialis. Licèt autem hoc in divinis nullã exprimat perfectionem peculiarem, id non ſpectat ad ſubſiſtentiam divinam intra formalem ſubſiſtentiæ rationem: quæ tota & adæquatè cõſiderata perfectionem puram ac ſimplicem importat, vt probatum eſt. Cùm igitur nulla perfectio ſimpliciter pura multiplicetur in perſonis divinis, nequit in ijs multiplicari ſubſiſtentia ſecundùm formalem ſubſiſtentiæ rationẽ, quamvis in ijs multiplicetur ſuppoſitalitas, vel perſonalitas.

19 CONTRA II. Quòd ſuppoſitum vel perſona Patris, v.g. ſit aliquid incommunicabile Filio, nullam exprimit perfectionem peculiarem in ipſo, multò autẽ minùs ſimpliciter ſimplicem. Ergo conſtituere ſuppoſitum vel perſonam incommunicabilem, ſaltem in divinis non ſpectat ad ſubſiſtentiam ſecundùm ſuam rationem formalem. Patet conſequentia: Quia ſubſiſtentia ſecundùm ſuam rationem formalem conſiderata importat perfectionem puram & ſimpliciter ſimplicem; præſertim divina, quæ ſupra *perfectatem* addit *aſeitatem* propriam entis increati, vt iam dictum eſt. Conſequentia patet. Antecedens quoad priorem partem eſt certũ in ſententia frequenti ſuprà ſtatuta, quæ docet, perſonas divinas nullam exprimere peculiarem perfectionem, ſeu virtualiter diſtinctam à perfectione abſoluta & communi. Quoad poſteriorem verò patet adhuc iuxta opinionem quæ id affirmat: quoniam incommunicabilitas Patris non eſt melior quàm incommunicabilitas Filij oppoſita ipſi relativè: cùm ambo ſint per omnia æquales. Ergo neutra illarum eſt perfectio ſimpliciter ſimplex. Hæc enim debet eſſe melior, quàm omne ipſi oppoſitum. Ergo de primo ad vltimum ſubſiſtentia, vt probatũ eſt, nullatenus conſtituit, ſaltem quoad effectum primarium, perſonam vel ſuppoſitum incommunicabile: ac proinde non eſt aliquod caput, penes quod multiplicetur in divinis perſonis.

20 DICES II. Si ſubſiſtentia ſecundùm ſuam formalem rationem importat perfectionẽ ſimpliciter ſimplicem, ac proinde nõ multiplicatur in Deo, etiam perſonalitas debet importare perfectionem ſimpliciter ſimplicem, ac propterea non multiplicabitur in divinis. Conſequens autem falſum, imò & erroneum eſt. Ergo & abſurda aut errori expoſita eſt probatio illa, quâ vtimur, ne ſubſiſtentia in divinis multiplicetur. Aſſumptio probatur: Quia perſonalitas eſt quædam ſpecies determinata ſubſiſtentiæ in communi, quæ ſecundùm ſuam formalem rationem eſt indifferens ad ſubſiſtentiam irrationalem in ſingulari, quæ appellatur ſuppoſitalitas mera, & ad ſubſiſtentiam rationalem, quæ dicitur perſonalitas. Ergo ſi ſubſiſtentia ſecundùm ſuam formalem & communem rationem exprimit perfectionem ſimpliciter ſimplicem, etiam illam exprimet perſonalitas. Vt enim nos ipſi ſuprà n. 16 ſiue arguebamus, nulla ſpecies aut differentia cõtrahens rationem communem perfectionis ſimpliciter ſimplicis, illam deprimit, ſed potiùs nobilitat ſpeciali titulo: præſertim vbi ſpecies eſt præſtantiſsima in eo genere, quemadmodum perſonalitas intra totum genus ſubſiſtentiæ.

21 SED Contrà. Quamvis ſubſtantia ex ſua ratione formali importet perfectionem ſimpliciter ſimplicem, non tamen perſonalitas. Ergo quemadmodũ ex primo illo colligimus, ſubſiſtentiam non multiplicari in divinis, ita ex hoc ſecundo colligi ex oppoſito debet, perſonalitates in Deo multiplicari. Cõſequẽtia patet ab everſione ſolutionis vel obiectionis contrariæ. Antecedens verò ſuadetur. Ideo enim ſubſiſtentia ex ſua ratione formali, vt ſuprà probavimus, importat perfectionem ſimpliciter ſimplicem, quia ex ſe, & prout abſtrahit à creata & increata, ſolùm habet vt conſtituat rem exiſtentẽ per ſe, & independenter ab alio. quod ſanè eſt melius, quàm non-ipſum, & quàm omne ipſi oppoſitũ. Neque enim perſonæ divinæ opponuntur in exiſtendo per ſe, & indepẽdenter ab alio: ſed id habent indiviſim ex ratione abſoluta & communi ſubſtantiæ increatę. Atqui perſona ex ſua ratione formali, & prout abſtrahit à creata & increata, importat rationem ſuppoſiti incõmunicabilis, quæ licèt ſit melior, quàm nõ-ipſa, non tamen eſt melior, quàm omne ipſi oppoſitum. Nimirum, quælibet perſona divina eſt ſuppoſitum incommunicabile alteri, & tamen non eſt melior, quàm altera ipſi relativè oppoſita, ſed prorſus æqualis. Ergo quamvis ſubſiſtentia ex ſua ratione formali importet perfectionem ſimpliciter ſimplicem, non tamen perſonalitas. Itaque locus eſt vt multiplicetur in divinis perſonalitas ratione incommunicabilitatis & oppoſitionis relativæ, quam affert, nõ verò ſubſiſtentia. Neque obſtat quòd perſonalitas ſit ſpecies præſtantiſsima ſubſiſtentiæ: quoniã in divinis oritur ex fœcunditate infinita divinę naturæ, & attenditur ſecundùm oppoſitionẽ relativam, iuxta quã nulla eſt peculiaris perfectio, multò autem minùs perfectio ſimpliciter ſimplex. In creatis verò addit perfectionẽ abſolutam; non quidem ſimpliciter ſimplicem, ſed certi generis, & infinitè minùs perfectam, quàm ſit quælibet perſonalitas divina ratione Deitatis incluſæ. Vnde perſonalitas in divinis conſtituit ſeorſim lineam relativam ſupra rationem communem & abſolutam ſubſiſtendi: ſecus verò in creatis, ob limitationem creatæ naturæ. Quare perſonalitas creata noviter perficit naturam, quam terminat: divina autem non addit perfectionem, ſed totam illam, & quidem ſummam, ſupponit in natura, & ab ea mutuat.

22 INSTABIS. Si ſubſiſtentia ex ſua ratione formali nullam importat incommunicabilitatem, ſed hoc eſt proprium ſuppoſitalitatis, vel perſonalitatis; ſequitur nulla ratione aut firmo fundamento, nos negaſſe ſuprà Diſp. LXXV. præſertim ſect. 6. in humanitate Chriſti propriam ſubſiſtentiam, vt vniretur ſubſtantialiter perſonæ Verbi. Poſſet enim retentâ ſubſiſtentiâ propriâ communicari Verbo, & compleri vltimò per ipſius perſonalitatem, vt perſonalitas eſt.

23 SED Contrà. Quamvis enim præciſivè loquendo, ſive ſecundùm meram abſtractionem mẽtis, cohærere poſſet, vt humanitas Chriſti retinens propriam ſubſiſtentiam, & carens perſonalitate creata, cõiungeretur ſubſtantialiter perſonæ Verbi, quia ſubſiſtẽtia ex ſua ratione formali non impedit communitatem, ſeu vnionem eiuſmodi; tamen id abſolutè ac reipſa eſt prorſus impoſsibile: quia quælibet ſubſiſtentia naturæ integræ exiſtens in re, eſt vera ſuppoſitalitas, aut perſonalitas quę proinde repugnat vnioni ſubſtantiali ad quodliber extraneum ſuppoſitum aut perſonam, vt eo loco latiùs diximus. Itaque ſi natura humana Chriſti retineret propriam ſubſiſtentiam, retineret pariter ac neceſſariò propriam ſuppoſitalitatem, & perſonalitatẽ, quæ prorſus impediret vnionem ſubſtantialem ad perſonam Verbi. Vnde iam,

24 CONFIRMATVR Ratio præcipua, ſimulque præcluduntur obiectiones præiactæ, & aliæ evaſiones in oppoſitum. Subſiſtentia enim divina, ſive conſideretur ſecundùm abſtractam & formalem rationem creatæ & increatæ communem, ſive ſecundùm peculiarem ſubſiſtẽtiæ divinæ, eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, ac proinde melior, quàm omne aliud ipſi oppoſitum. Ergo ſecundùm neutram earũ conſiderationum importat incommunicabilitatẽ, vel oppoſitionem relativam. Patet cõſequentia:

quia

quia si illam importaret, iam vna subsistentia ex divinis esset melior, quàm alia subsistentia ipsi opposita relativè. quod nequit cohærere cũ perfecta æqualitate divinarum personarum, sive divinorum subsistentium. Antecedens verò probo quoad vtramque partem. Quoad primã quidem. nam subsistentia in priori considerationem solùm importat, vt sit forma aut ratio, quâ res per se ipsam existit, & independenter ab alio, vt sustentante, sive vt subiecto inhæsionis. In hoc autem pura ac simplex perfectio apparet, absque oppositione vlla cum alio æquali aut maiori: & in eo omnes personæ divinæ indivisim, ac citra vllam oppositionẽ conveniunt. Quoad secundam verò suadetur facilè: quia subsistentia, secundùm quòd divina est, solùm addit, vt non quomodocumque reddat Deum *per se* existentem, sed *à se ipso*, & independenter ab omni causa, vel principio limitante. At neque in hoc apparet quidquam alienum à simplici & pura perfectione: immo in eo ipso cernitur apex perfectionis summæ, penes quam nulla inter divinas personas distinctio, aut oppositio est. Ergo de primo ad vltimum subsistentia divina, tam ex communi ratione, quàm ex peculiari, importat perfectionem simpliciter simplicem; ac proinde meliorem omni opposito, sive pugnanti cum ipsa. Non ergo spectat ad formalem illius rationem vt constituat suppositum, vel personam incommunicabilem: sed id proprium est relationis, quatenus habet rationem suppositalitatis, aut personalitatis, vt dicemus in progressu.

SECTIO QVARTA.

Vrgetur ratio alia multipliciter, præsertim ex doctrina à plerisque Aduersariorum admissa, qua negatur in diuinis triplex existentia relatiua. Difficultates in oppositum expediuntur, & traduntur plura obseruatu digna.

25 RATIO II. Asserti eruitur ex traditis Disp. LXXIV. per totam, vbi statuimus, in divinis non esse triplicem existentiam relativam, sed vnicam absolutam, quâ Deus & singulæ personæ indivisim existunt. Ergo pariter non est in divinis triplex subsistentia relativa, qua Deus subsistit, & tres personæ indivisim subsistunt. Antecedens supponitur ibidem probatum ex Anselmo, August. D. Th. alijsque Patribus & multiplici ratione: concediturq; vltro ab Adversarijs pluribus, præsertim ex Schola Thomistarum, cũ quibus præcipuè in hac sectione sermo erit. Consequentia autem suadetur multipliciter. PRIMO: quia subsistentia est vnum & idem omnino cũ existentia per se, sive propria substantiæ, prout distinctæ ab accidẽte: vt probatum fuit tota Disp. LXXVI. veluti expressa eorundem SS. Anselmi & Thomæ sententia, & rationi admodum consentanea: quâ nunc suppositâ, existentia substantiæ divinæ & subsistentia nullo modo nullaque consideratione mentis differunt. Ergo si existẽtia Dei non est triplex relativa, sed vnica & absoluta; idem omnino de subsistentia censendum est. SECVNDO. Ideo vnica & absoluta existentia Dei sufficit vt existant tres personæ absque additione virtuali alterius triplicis relativæ, quia illa ex se importat perfectionem existendi per se simpliciter infinitam. Nimirum, hac etiã ratione vnica Deitas, sapientia, omnipotentia, & æternitas absoluta sufficit, vt quælibet ex tribus personis, sit Deus, sapiens, omniporens, & æternus, quoniam quælibet earum perfectionũ est simpliciter infinita: ac propterea sufficiens ad præstandum suum quasi effectum formalem tribus personis. Atqui vnica etiam & absoluta ratio subsistendi (quam in Deo admittunt plerique Aduersariorum, nec modò Thomistæ) importat pariter perfectionem simpliciter infinitam. quod nullus illorum negat. Ergo etiam illa sufficit vt tres personæ subsistant, absque additione virtuali alterius triplicis subsistentiæ relativę. TERTIO. Ideo existentia non multiplicatur in divinis personis, sed est eadem & absoluta in tribus, quia pertinet ad *esse*, quod prædicatur singulariter de Deo iuxta Patres. Atqui etiam subsistentia pertinet ad *esse*, atque adeò prædicatur singulariter de Deo iuxta eosdẽ Patres. Ergo nec subsistentia multiplicatur in divinis personis. Totus syllogismus nititur in doctrina & verbis D. Th. in 1. d. 26. q. 2. a. 1. ad 4. dicentis: *Quæ dicuntur per respectum ad esse, prædicãtur singulariter, VT SVBSISTENTIA ET ESSENTIA.* Nec contradicit in verbis immediatè sequentibus: *Quamuis nomẽ SVBSISTENTIÆ apud Vsum Sanctorũ sumatur pro hypostasi, vt dictum est.* Nimirum, hisce solùm indicat, quod sæpe in superioribus cum ipso obseruauimus, & nominatim Disput. LXXV. n. 105. ac postea Disp. LXXVII. n. 10. 11. & 12. longè aliter vsurpatam fuisse à Concilijs & Patribus hypostasim Græcè, & Latinè subsistẽtiam, quàm postea hodieque apud Scholasticos. Apud Veteres enim accipiebatur pro persona, sive re subsistente in concreto: postea verò crebro ferè Scholarum vsu accepta fuit vtraque ea vox pro forma illa, seu ratione formali, quæ constituit personam, aut suppositum, vel concretum subsistens; dicirurque Græcè hypostasis, Latinè apud Scholasticos personalitas, suppositalitas, vel subsistentia. QVARTO. Ideo existentia non multiplicatur in divinis personis, quia si quælibet earum, prout

condiſtincta ab alia, exiſteret, vtique à ſe exiſteret, ac per conſequens in divinis eſſent tres increati ſubſtantivè, contra quàm in Symbolo S. Athanaſij docemur. Idem autem abſurdum ſequitur, ſi quælibet perſonarum, prout condiſtincta ab alijs duabus, ſubſiſtat. Etenim proculdubiò à ſe ſubſiſteret: ac per conſequens erunt in divinis tres increati ſubſtantivè. Nulla enim ratio apparet, cur potiùs tres exiſtentes à ſe, quàm tres à ſe ſubſiſtentes, forent tres increati: præſertim cùm ratio ſubſiſtentis ſit eadem, ac exiſtentis per ſe; & creatio non minùs terminetur ad rem ſubſiſtentem, quàm per ſe exiſtentem: ac proinde ratio increati ex oppoſito conveniat æquè rei à ſe ſubſiſtenti, ac exiſtenti à ſe.

26 DICES I. Iuxta doctrinam Adverſariorum, ſubſiſtentiam poſſe dupliciter conſiderari: primò, ſeu ex primario munere quatenus conſtituit rem per ſe exiſtentem, ac proinde independentem ab alio vt ſubiecto inhæſionis, vel ſuſtentante: ſecundariò verò, quatenus conſtituit illam per ſe incommunicabilem alteri vt ſuppoſito. Porrò priori conſiderarione ſubſiſtentiam eſſe vnicam & abſolutam in divinis, poſteriori verò triplicem ac relativam. Quod verò ad exiſtentiam attinet, diſparitatem eſſe, quod hæc ex omni munere ſeu capite exprimat perfectionem abſolutam, quæ proinde in divinis nulla ratione multiplicari poſsit.

27 SED Contrà I. Præterquam enim quòd vis præiactarum impugnationum non ſatis labefactatur hac ſolutione, ſeu potiùs evaſione, vt conſideranti palam erit, vrgeo Adverſarios interrogando, cur exiſtentia divina præ ſubſiſtentia, ex omni capite ſive munere, ſit prorſus perfectio abſoluta. Subſiſtentia enim ex terminis, vt aiunt, nihil certè aliud importat, quàm exiſtentiá per ſe. Sicuti enim ſubſtantia ex terminis, prout differt ab accidente, ſolùm cõſiſtit in ratione entis per ſe, vt latè & ex cõmuni sẽtentia oſtendimus in Metaph. diſp. 5. per totã: ita etiã actualitas propria ſubſtantiæ, prout cõdiſtinctæ ab actualitate accidentis, quæ eſt exiſtentia in alio, ſeu inexiſtentia, conſiſtit in exiſtentia per ſe. Atqui exiſtentia per ſe, idẽ omnino eſt re & ratione, ac ſubſiſtentia: ſicuti iuxta ſenſum communẽ Patrum allegatorum ſuprà n. 16 ſubſiſtere nihil aliud eſt, quam per ſe exiſtere. Ergo non magis exiſtentia per ſe, quàm ſubſiſtẽtia, in divinis eſt perfectio abſoluta ex omni munere. Nulla igitur eſt ratio, cur potiùs ſubſiſtentia, quàm exiſtentia per ſe, in divinis multiplicetur.

28 CONTRA II Siqua differentia appareret inter exiſtentiam divinam & ſubſiſtentiam, potior videtur eſſe ratio vt exiſtentia penes aliquod munus intra formalem rationẽ multiplicetur, quàm ſubſiſtẽtia. Si igitur exiſtentia nullatenus multiplicatur in divinis, iuxta Adverſarios, multò minùs ſubſiſtẽtia. Probo antecedẽs. Nam formalis ratio exiſtentiæ ſolùm exprimit id, quod Græci εἶναι, ſeu ὕπαρξιν dicunt; Latini verò *eſſe*, ſeu *exiſtere*. At id non videtur omnino & ex terminis abſolutum; cùm *eſſe* ſit indifferẽs, vt ſit *ad ſe*, vel *ad aliud*. Idque patet ex Ariſtotele in Categorijs, ſeu Prædicamẽtis, vbi definit relativa, vt ſint, οἷς τὸ εἶναι ταυτόν ἐστι τὸ πρός τί πως ἔχειν. id eſt, *quorum eſſe eſt, ad aliquid quoddãmodo ſe habere*. Vbi τὸ εἶναι, id eſt, *eſſe*, exprimitur in ordine ad aliud. Contrà verò ſubſiſtentia, ſive ſubſiſtere, ex propria notione eſt *ad ſe*. Ideoque Auguſtinus ſuprà allegatus n. 7. aiebat: *Omnis ergo res ad ſeipsã ſubſiſtit. Quanto magis Deus?* Nimirum, quidquid ſubſiſtit, ad ſeipſum ſubſiſtit, nõ ad aliud. Siqua ergo differentia eſt inter exiſtere & ſubſiſtere, hoc magis abſolutũ eſt ex ſua ratione formali, quàm illud. Ergo ſi illud, adhuc iuxta Adverſarios, non multiplicatur in Deo, quoniam abſolutum eſt: quanto minùs hoc, id eſt, ſubſiſtere vel ſubſiſtentia, multiplicabitur, cùm ſit longè magis abſolutum?

29 CONTRA III. Cõſtituere incommunicabile ſuppoſitum, vel perſonam, non eſt effectus ſubſiſtentiæ ex ſua ratione formali & præciſa, adhuc ſecundarius; ſed ſolius ſuppoſitalitatis, vel perſonalitatis. Ergo quamvis ſit in divinis triplex eiuſmodi incommunicabilitas, nõ propterea eſt triplex ſubſiſtentia. Conſequentia patet: quia alienum ab omni ratione eſt vt forma multiplicetur ob multiplicationem effectuũ, quos ipſa non præſtat ex ſua ratione formali. Antecedens verò ſuadetur: tum quia ſubſiſtentia ex ſua ratione formali & præciſa ſolùm præſtat rei, ſive ſubſtantiæ, vt exiſtat per ſe, ex munere primario; & ex ſecundario, vt non exiſtat in alio, vt ſubiecto inhæſionis, vt latè expoſuimus in Metaphyſica diſp. 5. iam citata, & ſæpiùs alias ſuprà Diſput. LXXV. & LXXVI. tum præterea quia alioqui ſubſtantiæ vniverſales, quæ directè ponuntur in Prædicamento, veluti entia completa per ſubſiſtentiam, haberent rationem ſuppoſiti incommunicabilis pluribus. quod patet eſſe falſum, cùm adhuc communes ſint pluribus, tum ſpeciebus, tũ individuis. Itaque incommunicabilitas propria ſuppoſiti, vel perſonæ, non eſt effectus proprius, adhuc ſecundarius, ſubſiſtentiæ ex ſua formali ac præciſa ratione: ſed ſuppoſitalitatis vel perſonalitatis in ſingulari, quatenus vltimò terminantis naturam completam & individuã. Sic enim illam reddit prorſus incommunicabilẽ prorſus, ſeu incapacem vnionis ſubſtantialis ad aliud ſuppoſitum, ſaltem extraneum: quia ex duobus entibus vltimò terminatis & completis

pletis, intra genus ſubſtantiæ, nequit reſultare vnum per ſe ſubſtantiale. Dixi *ſaltem extraneũ*, propter naturam divinam, quæ terminata vltimò & completa per vnam aliquam è tribus perſonalitatibus increatis, adhuc terminari poteſt per duas reliquas, quoniam extraneæ non ſunt: & ſimiliter propter humanitatem Chriſti, quæ adhuc vltimò terminata per Verbi perſonalitatem, poteſt, iuxta probabilem opinionem, ſimul ſubſtantialiter vniri duabus reliquis perſonis. Quare de primo ad vltimum nulla eſt ratio ob quam triplex incommunicabilitas ſuppoſitorum aut perſonarum divinarum arguat triplicem ſubſiſtentiam ſub ratione formali ſubſiſtentiæ, ſed ſolùm triplicem ſuppoſitalitatem aut perſonalitatem.

30 CONTRA IV. Sinamus gratis, incommunicabilitatem triplicem provenire à ſubſiſtentia ex ipſius ratione formali, veluti effectum ſecundarium, vt Adverſarij volunt. Sanè non propterea multiplicari debet forma ipſa ſubſtantivè, niſi præterea multiplicetur in re effectus primarius. Cùm enim effectus primarius cuiuslibet formæ ſit ipſa forma prout communicata ſubiecto, vbi effectus primarius eſt numericè idem, forma quoque eſt eadem numero. Porrò effectus, aut quaſi effectus primarius ſubſiſtentiæ, eſt reddere ſubſtantiam per ſe exiſtentem; qui ſanè, cùm ſit omnino abſolutas, non multiplicatur in divinis, etiam iuxta Adverſarios, propterea ſtatuentes in divinis vnicam exiſtentiam. Ergo permiſſo quòd illius effectus ſecundarius ſit prædicta incommunicabilitas, & hæc multiplicetur, non propterea ſubſiſtentia debet multiplicari. Quòd ſi verò vnicuique effectui ſecundario cuiuslibet formæ, immultiplicato primario, velis tribuere peculiarem formam, & triplici triplicem, rogandus eris, quomodo eadem gratia habitualis numero tribuat plures, immo innumeros effectus ſecundarios expellẽdi ſimul plura, aut etiam innumera peccata diverſarum ſpecierum ac generum: idemque ferè eſt de qualibet forma ſubſtantiali relatè ad innumeras alias formas, quas ſecundariò excludit à materia per ſuam & vnicam entitatem. Iam ſi præterea ex effectu ſecundario particulari tentes colligere in ſubſtantia effectum particularem primarium, ac proinde peculiarem vniuſcuiuſque perſonæ divinæ ſubſiſtentiam; concitabis contra te plures Theologos ex ijs ipſis, quibuſcum modò diſſero, contẽdentibus poſſe condonatione extrinſeca Dei præſtari effectum ſecundarium iuſtificationis, qui eſt peccatorum remiſsio, quin propterea ab illa præſtetur effectus primarius ſanctificandi, vel condonatio ipſa habeat rationem formæ ſanctificantis. Præterea plerique ex Adverſarijs, licèt perſonalitati Verbi divini tribuant vim expellendi omne peccatũ à qualibet natura aſſumpta, & priùs exiſtente ſub peccato (quæ hypotheſis eſt ſanè poſsibilis) non propterea eidẽ perſonalitati tribuunt vim præſtandi effectum primarium ſanctificandi aut iuſtificandi, neque illam cenſent formam ſanctificantem. Idemque iuxta multos (quibus tamen minimè acquieſco) eſt de contritione, cui tribuunt effectum ſecundarium iuſtificationis, tanquam formæ expellenti peccatum, quamvis ipſi meritò denegẽt vim iuſtificandi formalem. Igitur ex eo quòd in qualibet perſona divina ſit peculiaris incommunicabilitas, & hæc dicatur effectus ſecundarius ſubſiſtentiæ, non propterea licet in ea colligere peculiarem ſubſiſtentiam, dum aliundè negatur primarius illius effectus peculiaris.

31 DICES II. Nequit multiplicari ratio ſingularis & individua, quin multiplicetur ratio communis per illã cõtracta: ideoque multiplicatis individuis naturæ humanæ, multiplicatur numericè ratio ſpecifica hominis, & generica animalis: vt proinde Petrus & Paulus iure ac meritò dicantur & cẽſeantur eſſe duo homines, ac duo animantia. Eademque ratio eſt in perſonalitate creata, quæ nunquam in ſingulari multiplicatur, quin ſimul multiplicetur numericè ratio ſpecifica perſonalitatis humanæ, & generica ſuppoſitalitatis, & cõmunior adhuc ſubſiſtẽtiæ, cuius certa ſpecies eſt perſonalitas humana. Ergo ſimiliter, & ob eandem ferè rationẽ, nequit multiplicari ſeu eſſe triplex numero perſonalitas divina, & ſuppoſitalitas, quin pariter multiplicetur, & ſit numero triplex divina ſubſiſtentia, quæ in illis videtur intimè ac per ſe claudi ſicuti ſubſiſtentia creata generatim in ſingulis perſonalitatibus creatis.

32 SED Contrà. Hæc enim obiectio peccat nimiùm, quatenus ex ijs, quæ in rebus creatis contingunt, metitur ea quæ in divinis, atque in ipſo myſterio Trinitatis, ſupra omnem rationem naturalem eſſe cognoſcuntur. Quare ita arguens imprimis admonendus aut reprimendus eſt verbis illis Anſelmi lib. de Fide Trinitatis, & Incarn. Verbi cap 6. *Si tria negat dici de vno poſſe* (v.g. impræſentiarum triplicem perſonalitatem, & vnicam ſubſiſtentiam) *ſicut nos in his tribus perſonis, & vno Deo fatemur, quoniã hoc in alijs rebus non videt, nec intelligere valet in Deo ſuſtineat pauliſper aliquid, quod eius intellectus penetrare nõ poſsit, in Deo eſſe: nec comparet naturã, quæ ſuper omnia eſt libera ab omni lege, & loci, & temporis, & cõpoſitionis: & credat, aliquid in ea eſſe, quod in alijs eſſe nequeat.* Hactenus ille. Itaque quamvis in creatis nunquam multipliciter perſonalitas vel ſuppoſitalitas, quin etiam ratio cõmunis ſubſiſtentiæ in ijs imbibita multiplicetur; non propterea idẽ dicere oportet in divinis, ſed alia

omnia. Diſparitas in eo ſita eſt, quòd tam perſonalitas creata, quàm communis ratio creatæ ſubſiſtentiæ in ea clauſa, ſit finita & limitata: nequit autem eadem ratio finita & limitata ſubſiſtentiæ identificari reipſa cum diſtinctis perſonalitatibus pariter finitis. E contrà verò ratio ſubſiſtentiæ divinæ, quatenus ſubſiſtentia divina eſt, ex ſua ratione formali eſt perfectio infinita, eaque cum ſumma Dei fœcunditate ad intra cohærens: ac proinde ſufficiens, vt ratione illius, quamvis nullam multiplicitatem ſubeuntis, ſubſiſtant tres numero perſonæ: ſicuti ob eandem cauſam vnica æternitas, immenſitas, omnipotentia & exiſtentia ſufficit, vt vi illius conſtituantur tres perſonæ in concreto & adiectivè æternæ, immenſæ, omnipotentes, & exiſtentes.

33 NEQVE Vrget, quòd perſonalitas directè contrahat rationem ſubſiſtentiæ communem, vt hæc in Deo multiplicetur, ſicut illa. Reſpondemus enim, quamvis in creatis perſonalitas contrahat rationem communem ſubſiſtentiæ directè, id eſt, intra eandem lineam abſolutam, in divinis tamen perſonalitatem non contrahere directè, ſed indirectè communem ſubſiſtentiam, quia ex peculiari conditione perfectionis infinitæ Dei cum ſumma fœcunditate cohærentis, comparatur perſonalitas ad ſubſiſtentiam divinam, ſicuti relativum ad abſolutum. Sic etiam omnis perſonalitas in creatis directè contrahit rationem communem entis creati, & hæc multiplicatur iuxta numerum perſonalitatum creatarum: quia eadem numero entitas creata ac finita nequit identificari cum pluribus perſonalitatibus creatis reipſa diſtinctis. Idemque eſt de qualibet relatione reali creaturarum. At vero in divinis nulla perſonalitas, nulla relatio, directè contrahit rationem entis increati, ſed indirectè ſolùm, & ratione eſſentiæ abſolutæ & communis cum qua reipſa identificatur relationes & perſonalitates divinæ. Alioqui eſſent in divinis plures increati ſubſtantivè, contra Symbolum S. Athanaſij. Similiter ergo, perſonalitates divinæ, ſicuti quatenus diſtinctæ à creatis perſonalitatibus, non ſunt abſolutæ, ſed relativæ: ita etiam, quatenus ab ijs differunt, nō contrahunt directè aliquam rationem abſolutam Dei, ſed indirectè ſolùm, & ratione eſſentiæ cū qua identificantur. Hæc igitur ratio eſt, cur multiplicata in divinis perſonalitate ſive ſuppoſitalitate, non multiplicetur pariter ſubſiſtentia. Nimirum, cùm hæc in Deo ex ſua linea & ratione formali importet perfectionem ſimpliciter ſimplicem, eamque in ſummo & infinito gradu, ac proinde abſolutam; non contrahitur directè à perſonalitatibus relativis, ſed indirectè, & ea ratione ſolùm, qua prædicata Dei abſoluta atque immultiplicata identificantur cum pluribus relativis. Vide plura huc ſpectantia ſuprà Diſput. LXXVI. num. 53.

34 CONFIRMATVR Ratio præcipua, quam à principio ſectionis vrgebamus. Ideo exiſtentia abſoluta Dei, iuxta ſententiam communem Thomiſtarum, & quorundam aliorum ex Adverſarijs in hac controverſia, non relinquit locum, vt ſuperveniant tres exiſtentiæ virtualiter diſtinctæ, ac relativæ, quia illa habet rationem vltimi actûs, ſive termini relatè ad eſſentiam exiſtentem: ac proinde non ſinit, vt ſuperveniat vlterior actualitas, vel terminus. Atqui eadem ratio potiùs vrget in ſubſiſtentia. Hæc enim intelligitur advenire poſt exiſtentiam, vt probavi à priori ſuprà Diſp. LXXVI. num. 34. Nam ſubſiſtentia eſt actualitas reſpōdens ſubſtantiæ, prout ſubſtantia eſt; exiſtentia verò enti reali, prout ens reale eſt. Ergo quemadmodum ordine intellectûs ſervato prior eſt ratio entis realis, quàm ſubſtantiæ (intellectus enim habet pro obiecto primariò verum vniverſè, & in tota ſua latitudine, atque adeò ab vniverſalioribus incipit) ita etiā prior eſt exiſtentia, quàm ſubſiſtentia. Quare ſi exiſtentia, iuxta Adverſarios, habet rationem actûs vltimi, & ideo non ſinit vt in Deo ſuperveniant tres exiſtentiæ relativæ: multò fortiori titulo ſubſiſtentia in Deo debet habere rationem actûs vltimi, ac proinde non ſinere, vt tres ſubſiſtentiæ relativæ ſuperveniant. Et ſanè vtrumque ita eſt: quoniam, vti ex profeſſo ſtatuimus tota Diſput. LXXVI. nec in creatis, nec in divinis, eſt quidquam aliud ſubſiſtentia, quàm exiſtentia per ſe, ſed eadem actualitas, eademque formalis ratio: ac proinde vtraque habet rationem vltimæ actualitatis abſolutæ relatè ad eſſentiam vel ſubſiſtentiam divinam, vt proinde nullum relinquat locum vlli alteri actualitati ſuperveniēti intra lineam exiſtendi aut ſubſiſtendi; ſed ſolùm perſonalitatibus, quæ ſpectant ad lineam relativam, & conſtituunt incommunicabiles perſonas.

SECTIO QVINTA.

Argumenta varia ex authoritate & ratione pro ſententia aduerſa obijciuntur, & enodantur. Plura Conciliorum & Patrum loca explanata.

35 OPPONVNT I. Adverſarij varia Conciliorum ac Patrum loca, aſſerentium in divinis Græcè tres hypoſtaſes, & Latinè tres ſubſiſtentias. Etenim in Sexta Synodo Generali Actione 18. Tomo V. editionis Binij exhibetur Edictum Imperatoris Iu-

Iuſtiniani, cuius verba Græca dedimus ſuprà Diſp. LXXIII. num. 55. Latinè verò reddita hæc ſunt, inter alia: *Credimus :::::: Vnam ſubſtantiam in tribus ſubſiſtentijs: Vnitatem quidem, propter naturalem vnionem ac dominationem: Trinitatem verò, propter trium ſubſiſtentiarum perfectionem, & diuitias ſuperexiſtentis bonitatis.* Et ne minùs ponderis videantur habere verba ab Imperatore dicta, eadem ferè priùs leguntur in Synodo Generali Conſtantinopolitana I. Epiſtola ad Damaſum Papam, ac præterea in Romana, quæ in veteribus editionibus habebatur ante illam, vbi circa medium dicitur: *Credimus æqualem honorem ac dignitatem & imperium coæternum in tribus perfectiſſimis ſubſiſtentijs, ſiue tribus perfectis perſonis.* Immo & antea in Concilio Nicæno lib. 2. Actorum eiuſdem poſt medium, in reſponſione data per Protogenem Sardicenſem, §. *Non difficile*, hæc habentur: *Vna eſt diuinitas Sanctæ Trinitatis, quæ in tribus ſubſiſtentijs perfectis, & æqualibus cernitur.* Quibus omnibus locis tres ſubſiſtentiæ in Deo agnoſcuntur, non minùs diſtinctæ, quàm tres perſonæ. Videmur ergo directè opponi ijs Conciliorum locis, dum aſſerimus non eſſe in divinis tres ſubſiſtentias, ſed vnicam, & abſolutam: quemadmodum eiſdem teſtimonijs apertè contradiceret, quiſquis aſſereret, non eſſe in divinis tres perſonas, ſed vnicam. Concilia enim non aliter agnoſcunt in Deo tres ſubſiſtētias, quàm tres perſonas.

36 CONFIMATVR: Quoniam in eadem VI. Synodo Generali Actione 11. Sophronius Patriarcha CP. in Epiſtola Profeſſionis Fidei col. 3. (quæ recipitur ab eodē Cōcilio Actione 13.) ait: *Neque ſecundùm quòd Trinitas Vnus Deus agnoſcitur, ET SVBSISTENTIÆ TRES, & tres perſonæ, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, dicitur contractius, vel compoſitus, vel confuſus, ET IN VNAM SEIPSVM COLLIGENS SVBSISTENTIAM, in vnamque coercens non numerabilem perſonam. Sabellianorum iſta ſit prauitas, IN VNAM SVBSISTENTIAM TRES COLLIGERE SVBSISTENTIAS, & in vnam perſonam tres conſpergens perſonas.* Atqui nos idipſum docere videmur: nam negamus in divinis tres ſubſiſtentias, vnam ſolam aſſerentes: ac propterea videmur in vnam ſubſiſtentiam tres colligere ſubſiſtentias, & per conſequens tres perſonas conſpergere in vnam perſonam. Ergo ſententia noſtra non differt ab errore illo Sabellianorum, quam improbat & anathematizat Sexta Synodus. *Præterea.* In tertia Synodo Generali, id eſt CP. I. & in Nicæna Secunda, & in Lateranenſi ſub Martino I. Papa, atque alijs diverſorum Conciliorum locis, diſertè exprimitur, in divinis eſſe tres hypoſtaſes, quas Interpres Latinus vbique tres *ſubſiſtentias* vertit. Nec putari debet, Concilia ijs locis minùs propriè loqui, aut accipere vocem hypoſtaſis Græcam, aua Latinam ſubſiſtētiæ, niſi pro illo prædicato ſpeciali & proprio, quod vtraque vox ſecundum proprietatem ſermonis importat. Igitur contra communem ſtylum ac ſenſum Conciliorum negamus in Deo tres ſubſiſtentias, & adſtruimus vnam ſolam, eamque abſolutam.

37 HVC Spectant innumera Patrum Græcorum ac Latinorum teſtimonia, quę congerunt Ruiz diſp 34. & Petavius lib. 4. cap. 12. alijque Recentiores: in quibus aſſeritur triplex hypoſtaſis Græcè, ac triplex Latinè ſubſiſtentia: quin vnquam (aiunt ij Recentiores) inveniatur à Patribus vſurpata pro aliqua Dei perfectione abſoluta & communi, ſed dūtaxat pro perſonali proprietate & incommunicabili, ſaltem poſtquam ſopitum fuit diſſidium illud mutuum eorundem Patrum circa ſignificationem vocis *hypoſtaſis*, ſicuti & *ſubſiſtentiæ*, quæ olim à quibuſdam ſolùm abſolutè & communiter, ab alijs ſolum relativè & perſonaliter, ſeu incommunicabiliter accipiebatur. Nulla itaque ratione videtur poſſe negari triplex ſubſiſtentia in divinis, & aſſeri vna abſoluta ac communis.

38 RESP. Mirum eſſe, prædictos duos Recentiores (vt cæteros omittam) adeò tenaciter adhærere opinioni contrariæ, & noſtram reijcere, veluti adverſam Concilijs, cùm ij ipſi varijs locis fateantur, hypoſtaſim & ſubſiſtentiam à Concilijs & Patribus non fuiſſe vſurpatas pro ratione formali conſtituendi perſonam, vel ſuppoſitum, aut ſubſiſtens, quemadmodum accipiuntur à Scholaſticis: ſed ſolùm in concreto pro perſona, ſuppoſito, aut re ſubſiſtente. Ita fatetur Petavius eodem lib. 4. de Trinitat. cap. 3. num. 6. & Ruiz varijs locis, ac præterea Vazquez 3 p. diſp. 16 n. 18. Idemque longè antea obſervaverat ex aſſidua lectione Cōciliorum & Patrum D. Thomas 3. p. q. 2. art. 3. dicens: *Idem eſt attribuere propriam hypoſtaſim naturæ humanæ in Chriſto, & propriam perſonam. Quod intelligentes SS. Patres, vtrumque in Concilio Quinto apud Conſtantinopolim celebrato damnauerunt dicentes: Siquis introducere conetur in myſterio Chriſti DVAS SVBSISTENTIAS, VEL DVAS PERSONAS, anathema ſit, &c. SVBSISTENTIA AVTEM IDEM EST QVOD RES SVBSISTENS QVOD EST PROPRIVM HYPOSTASIS: vt patet per Boetium lib. de duabus naturis*

turis. Hucuſque S. Doctor. His adde, paſsim in eadem Synodo V. Generali, præſertim in Confeſsione Rectæ Fidei Iuſtiniani Imperatoris pag. 350. & 355. iuxta editionem Pariſienſem Severini Binij, qua vtor, pro vno eodemque haberi Græcè ὑπόστασιν καὶ πρόσωπον; Latinè verò *ſubſiſtentiam & perſonam*. Ac præterea eo loci, inter Capitula, ſeu Canones, primò definitur, Trinitatem conſubſtãtialem, & vnam Deitatem, ἐν τρισὶν ὑποστάσεσιν, ἤγουν προσώποις προσκυνουμένην. id eſt, *in tribus ſubſiſtentijs, ſiue perſonis, adorandam*. Mitto plura alia à nobis obſervata Diſp. LXXVII. proximè præced. num. 10. 11. & 12. in id confirmandum.

39 EX Quibus omnibus liquet, omnino præter rem eſſe id argumentum, aut ſaltem immeritò Adverſarios in eo vſque adeò fidere: cùm omnes Catholicè fatemur in Deo tres hypoſtaſes Græcè, & tres ſubſiſtentias Latinè, eo ſenſu, quo à Concilijs & Patribus eæ voces vſurpatæ ſunt; nimirum in concreto pro re ſubſiſtente, ſuppoſito, ac perſona. Itaque ſunt in divinis abſdubio tres res ſubſiſtentes, tria ſuppoſita, & tres perſonæ. Negamus autem in ijs tribus ſuppoſitis, aut perſonis, vel tribus rebus ſubſiſtentibus, eſſe tres ſubſiſtentias iuxta eam ſignificationem, in qua *ſubſiſtentia* interdum, quamvis non ita frequenter, accipitur à Patribus (allegatis eadem Diſp. LXXVII. ſect. 2. per totam ferè) & frequentiùs à Theologis Scholaſticis, pro ratione formali conſtituente rem, ſive ſubſiſtentiam, in eſſe ſubſiſtentis, id eſt, exiſtentis per ſe, atque independenter ab alio, vt ſubiecto inhæſionis, vel tanquam à ſuſtentante. Hoc enim ſenſu nuſquam Concilia aut Patres inveniuntur aſſeruiſſe in Deo tres ſubſiſtentias: neque id ſpectabat ad ipſorum ſcopum, in eo ſitum, vt ſalvarent veram diſtinctionem trium perſonarum divinarum in vna deitate contra Sabellium, & veram vnitatem perſonę in Chriſto contra Neſtorium: vt ex ipſorum verbis & contextu liquet. Itaque cum vera Trinitate perſonarum in vna natura divina, & vera vnitate perſonæ Chriſti in duabus naturis, cohæret, quòd ſubſiſtentia vſurpata pro ratione formali ſubſiſtendi, ſive exiſtendi per ſe, independenter ab alio vt ſuſtentante, aut ſubiecto inhæſionis, ſit vnica in Deo. Sub hac enim ratione non conſtituit ſubſtantiam divinam incommunicabilem, ſed relinquit illam in eo ſigno præciſionis communem, ſeu communicabilem tribus perſonis.

40 DICES: Si hæc interpretatio aliquid valet, licebit quoque impunè negare in divinis tres ſuppoſitalitates. ſive tres perſonalitates: quoniam, iuxta nos, Concilia & Patres ſolùm aſſerunt in divinis tria ſuppoſita, aut tres perſonas, vel tres res ſubſiſtentes in concreto. Ergo ſi dum aſſerunt tres res ſubſiſtentes, non cenſentur aſſerere tres ſubſiſtentias; nec etiam dum aſſerunt tres perſonas, cẽſebuntur definire tres perſonalitates. At conſequens eſt pluſquam abſurdum: cùm omnes Theologi fateantur in divinis tres perſonalitates, eo ipſo quòd fides aſſerat tres perſonas. Ergo & abſurdum eſſe non aſſerere tres ſubſiſtentias, ſeu formas ſubſiſtendi, vbi eadem Concilia definiunt tres ſubſiſtentes in divinis.

41 VERVM Hæc obiectio iam ſuprà num. 13. indicata fuit, & num. 14. ſoluta ex diſcrimine vtriuſque concreti. Perſona enim (idemque eſt de ſuppoſito, prout accipitur à Scholaſticis) eſt nomen & concretum ſubſtantivum, quod proinde nequit multiplicari quin multiplicetur forma, qua conſtituitur. Vnde cùm fides doceat, in divinis eſſe tres perſonas, colligitur demonſtratione theologica, eſſe in Deo tres perſonalitates, veluti formas diſtinguentes. *Subſiſtens* autem, licèt ſignificet ſubſtantiam, non eſt nomen ſubſtantivum, ſed adiectivum; neque accipitur veluti concretum ſubſtantivum, ſed adiectivum ex modo ſignificandi, ſicuti etiam concretum *Exiſtens*, adhuc iuxta adverſarios. Vnde ſicuti licèt in divinis ſint tres exiſtentes, non ideo eſt triplex exiſtentia relativa, ſed vnica abſoluta, denominans indiviſim tres perſonas: ita etiam licèt ſint tres ſubſiſtentes, non ideo eſt triplex relativa ſubſiſtentia, ſed vnica & abſoluta, à qua indiviſim tres perſonæ denominantur ſubſiſtentes. Vide nonnulla alia numero 14. allegato.

42 OPPONVNT II. D. Thomam 1. p. q. 40. art. 3. corpore, dicentem: *Non enim proprietates perſonales intelliguntur aduenire hypoſtaſibus diuinis, ſicut forma ſubiecto præexiſtenti: ſed afferunt ſecum ſua ſuppoſita, in quantum ſunt ipſæ perſonæ ſubſiſtentes, ſicut paternitas eſt ipſe Pater*. At ſi proprietates perſonales non clauderent propriã ac relativam ſubſiſtentiam: intelligerentur advenire hypoſtaſibus divinis veluti forma ſubiecto: & non afferrent ſecum ſua ſuppoſita, quoniam non ſubſiſterent ratione ſui, ſed ratione naturæ, cui advenirent. Ergo proprietates perſonales claudunt propriam & relativam ſubſiſtentiam.

43 RESP. Senſum S. Doctoris eo loci dumtaxat eſſe, remotis proprietatibus relativis non poſſe intelligi in Deo rationem hypoſtaſis vel perſonæ. Cuius rationem ibidem reddit, dicens: * Nam proprietates non adveniunt hypoſtaſibus, ſicut ſubiecto præexiſtenti: ſed adveniunt conſtituendo ipſas hypoſtaſes; & con-

& consequenter, remotis illis, intellectus hypostasis remanere non potest.* Itaque proprietates relativæ exercent munus hypostaseon, id est personalitatum, quibus constituuntur & distinguuntur personæ vel suppositа divina. Non tamen constituunt personas in ratione subsistentium: quia hoc habent ab essentia divina, sive à subsistentia communi: sicuti etiam à communi existentia, & non à proprietatibus relativis, constituuntur existentes, adhuc iuxta multos ex Adversarijs. Vnde ad formulam argumenti negatur minor propositio. Optimè enim cohæret quod proprietates personales præstent effectum formalem ac proprium personalitatis, qui est relativus, & non præstent effectum subsistendi, qui absolutus est.

44 OPPONVNT III. Personalitas Patris, v.g. ex sua propria notione est ratio, qua Pater subsistit in divina natura. Idemque est de filiatione, & spiratione passiva relatè ad Spiritum sanctum. Ergo ex propria linea habet formalem rationem subsistentiæ: ac proinde hæc multiplicatur in divinis personis. Probatur antecedens. Personalitas Patris ex sua propria linea est personalitas, non inadæquata aut imperfecta, sed completa & perfecta. Alioqui Pater, vt Pater, esset semi-persona. quod suprà Disp.LXXVII. reiectum fuit. Omnis autem personalitas completa & perfecta est ratio, qua persona quælibet subsistit in natura intellectuali, qualis est divina. Ergo personalitas Patris ex sua propria linea est ratio, qua Pater subsistit in divina natura.

45 RESP. Negando antecedens. Sicuti enim personalitas Patris ex sua linea nõ est ratio qua Pater existit in divina natura, ita nec ratio qua subsistit; cùm subsistere nihil aliud sit, quãm per se existere. Ad probationem dico, personalitatem Patris ex propria sua linea esse personalitatem adæquatam & completam; non quidem absolutam instar personalitatis creatæ, sed purè relativam: quæ proinde non habet præstare effectum aut quasi effectum absolutum, qualis est subsistendi, sed dumtaxat relativum constituendi personam incommunicabilem, & oppositam suo termino. Vnde licèt personalitas creata, vt completa sit, debeat constituere personam subsistentem in natura intellectuali; non tamen divina. Nec exinde sequitur, Patrem, vt Patrem, esse semi-personã: quia verè in quantum Pater est persona divina secundùm omne id, quod est de ratione personæ divinæ, quatenus differt ab alia quâvis divina persona, & à personis creatis, quæ adæquatè constituuntur per formam absolutam

46 INSTABIS Multipliciter. PRIMO, Patri, vt Patri, convenit perfectus essendi independenter ab alio, vt sustentante, & vt subiecto inhæsionis: quia repugnat ipsi, vt sustentetur ab alio, vel inhæreat alteri. Ergo Patri, vt Patri, convenit effectus proprius, aut quasi effectus subsistentiæ, qui in ea perfectate est situs. Ergo paternitas, quatenus talis exercet in Patre rationem formalem subsistentiæ. Nequit enim effectus proprius formæ aliunde provenire, quàm ab ipsa forma. SECVNDO. Paternitas vltra essentiam communem addit rationem substantiæ virtualiter distinctam: quoniam personalitates sunt plures substantiæ relativæ. Ergo addit etiam perfectatem existendi, sive subsistentiam, quæ est propria actualitas substantiæ, prout distinctæ ab accidente. TERTIO. Paternitati divinæ ex sua ratione formali repugnat dependere ab alio: ac proinde inhærere alteri, vel ab alio sustentari. Ergo & ipsi ex sua ratione formali convenit ratio propria subsistentię. QVARTO. Pater ratione paternitatis constituitur incommunicabilis alteri vt suppositо. Atqui esse incommunicabile alteri vt suppositо, est formalissimè esse subsistens: ideoque subsistentia solet definiri vt sit actus quo natura redditur incommunicabilis alteri, vt suppositо. Ergo Pater ratione paternitatis constituitur subsistens. QVINTO. Hoc ipso quòd Pater ratione paternitatis constituatur incommunicabilis alteri, vt suppositо, constituitur planè atque integrè independens ab omni alio, sive vt sustentante, sive vt subiecto inhæsionis, sive quacumque alia ratione. At id proprijssimum est rei planè & perfectè subsistentis. Ergo de primo ad vltimum Pater ratione paternitatis constituitur planè & perfectè subsistens.

47 RESPONDEO, Nullam ex ijs impugnationibus vrgere. AD I. nego antecedens: quia esse per se, & independenter ab alio, vt sustentante, aut subiecto inhæsionis, qui est effectus proprius subsistentiæ, non convenit Patri, vt Patri; sed vt Deo. Convenit enim ipsi ratione suæ existentiæ substantialis & absolutæ, quæ est vnum & idem formalissimè cum subsistentia, vt sæpe diximus, & probavimus tota Disp.LXXVI. ac proinde non ratione paternitatis. AD II. distinguo antecedens: Paternitas vltra essentiam communem addit rationem substantiæ, id est suppositi, aut personæ, virtualiter distinctam, concedo (& in hoc sensu olim multi ex Patribus allegatis cum Anselmo Disp.I. sect. 5. asserebant in divinis tres substantias, id est, tria suppositа, aut tres personas) Addit rationem substantiæ, id est, entis per se existentis; nego. Nec personalitates in hoc sensu sunt plures substantiæ relativæ, sed in priori tantùm, quatenus constituunt plura suppositа aut personas. AD III. Nego antecedens:

quia

quia licèt paternitati repugnet dependere ab alio, vel ſuſtentari, id non convenit ipſi ex ſua ratione formali, ſed ratione ſubſtantiæ divinæ per ſe exiſtentis, ſive ſubſiſtentis, quam omnino ſupponit. Sic eidem repugnat eſſe creaturam, vel finitam, aut accidentariam, non tamen ex propria ratione formali, ſed ratione divinæ ſubſtantiæ, quam ſupponit, & cum qua realem identitatem habet. AD IV. Conceſſa maiore, negatur minor, etiam iuxta pleroſque Adverſariorum, admittentes in divinis ſubſiſtentiam abſolutam, quin propterea Deitas ratione illius reddatur incommunicabilis pluribus ſuppoſitis. Illa verò definitio circunferri ſolita, dumtaxat convenit ſubſiſtentiæ creatæ iam individuæ & ſingulari: ideoque vt conveniat divinæ, debet addi, *ſuppoſito extraneo*, vt expoſuimus Diſp. LXXV. n. 57. & 58. Itaque Patrem eſſe ſubſiſtentem, non eſt formaliter idem, ac eſſe perſonam vel ſuppoſitum incommunicabile alteri perſonæ aut ſuppoſito: ſed ſitum eſt in eo, vt per ſe exiſtat, & independenter ab alio vt ſuſtentante, vel ſubiecto inhæſionis. quod ſanè eſt prædicatum abſolutum, & conveniens individuo Deitatis propriori rationis ad perſonas. Vide omnino ſuprà num. 29. & 30 AD V. Cum abſoluta in divinis ſecùndum rationem ſint priora proprijs, & in his neceſſariò includantur, præſertim in concreto acceptis, manifeſtum eſt, Patrem nõ poſſe reddi à perſonalitate incommunicabilem alteri perſonæ, niſi etiam ſupponatur omnino independens ab alio vt ſuſtentante, aut ſubiecto inhæſionis. Hoc enim habere ſupponitur ex communi & abſoluto conceptu ſubſiſtentis in Deitate, ſive Dei, qui priùs concipitur, quàm perſonalitas & incommunicabilitas ex ea orta.

SECTIO SEXTA.

Quædam alia argumenta in oppoſitum obiecta & ſoluta

48 OPPONES IV. Subſiſtentia ſecundùm ſuam rationem formalem non eſt actualitas aut perfectio conveniens naturæ, vt naturæ: ſed perſonæ, & ſuppoſito, vt tali. Ideoque ſuprà Diſp. LXXV. ſect. 6. ex profeſſo docuimus, quamvis Verbum aſſumpſerit humanitatem ſine ſubſiſtentia propria, quam alioqui eſſet habitura, adhuc aſſumpſiſſe naturam humanam perfectam cum ſuis proprietatibus, vt definitur in Concilijs: quoniam, ſcilicet, ſubſiſtentia non eſt proprietas naturæ, ſed ſuppoſiti. Ergo vt cohærenter nunc loquamur, debemus dicere, ſubſiſtentiam eſſe proprietatem, ſeu actualitatem propriam ſuppoſiti, quatenus ſuppoſitũ eſt. Cùm igitur in divinis ſint tria ſuppoſita, conſequens eſt vt habeant triplicem ſubſiſtentiam propriam, ac proinde relativam, & diſtinctam in ſingulis perſonis.

49 RESP. Nos ibidem locutos de ſubſiſtentia creata, eaque individua, ac ſingulari: quo ſenſu certè non eſt proprietas naturæ, ſed ſuppoſiti, vel perſonæ. Idque patet: quia quælibet natura creata ſecundùm ſua prædicata eſſentialia, & proprietates cum ijs neceſſariò connexas, eſt indifferens ad plura ſuppoſita, ſaltem negativè, ſeu per non repugnantiam: ac proinde ex ſua ratione formali abſtrahit à ſubſiſtentia ſingulari & exercita, per quam redditur prorſus incommunicabilis alteri ſubſiſtenti, ſive ſuppoſito. Præterea. Subſiſtentia quælibet creata & ſingularis naturæ completæ, in re exiſtens, intra lineam ſuam eſt actualitas propriè & intrinſecè conſtituens ſuppoſitum & perſonam creatam, vt talem. Quare licèt Verbum divinum aſſumpſerit naturam humanam perfectam cum omnibus ipſius proprietatibus, non eſt opus vt eam aſſumpſerit cum ſubſiſtentia illa poſitiva, quam alioqui haberet extra Verbum: quoniam eiuſmodi ſubſiſtentia in re, & exercitè, atque intra propriam lineam abſolutam, futura eſſet proprietas conſtitutiva, non naturæ humanæ, ſed humani ſuppoſiti, vel perſonæ creatæ. Cæterum ſubſiſtentia divina, de qua ſola loquimur impræſenti, etiam individua & ſingularis, per ſe ſpectata, & intra ſuam rationem formalem ac præciſam, eſt proprietas ſolius naturæ divinæ, quia conſiſtit in perfectione ſimpliciter ſimplici exiſtendi per ſe, ea perfectate, quæ excludit dependentiam à ſuſtentante, & ab omni ſubiecto inhæſionis. Omnis autem perfectio ſimpliciter ſimplex eſt proprietas naturæ divinæ intra ſuam lineam abſolutam, & communis tribus perſonis. Cæterum ſuppoſitalitas ſive perſonalitas divina, cum conſtituat ſuppoſitum vel perſonam incommunicabilem prorſus cuilibet ſuppoſito aut perſonæ, nequit eſſe proprietas divinæ naturæ, vel ſpectare ad lineam abſolutam & communem. Solùm itaque eſt proprietas, id eſt, propria actualitas conſtitutiva ſuppoſiti aut perſonæ intra genus relativum.

50 OBIICIES V. Humanitas Chriſti fuit immediatè vnita Verbo penes aliquod prædicatum proprium ipſius, prout diſtinguitur à duabus reliquis perſonis divinis. Alioqui tres ſimul fuiſſent incarnatæ. quæ fuit hæreſis Patripaſsianorum ſuprà Diſp. LIV. reiecta, & ab Anſelmo impugnata lib. de fide Trinitatis & Incarn. Verbi à principio ferè. Atqui humanitas Chriſti fuit immediatè vnita Verbo

penes

penes ſubſiſtentiam. Ergo Verbum, prout diſtinctum à reliquis perſonis divinis habet propriam ſubſiſtentiam. Probatur minor, in qua ſola poſſet eſſe diſsidium: tum, quia Theologi paſsim ita loquuntur: tum etiam quia id videtur definitum in V. Synodo Generali collatione octava can. 4. & 5. vbi dicitur: *Si quis non confiterur Dei Verbum carni SECVNDVM SVBSISTENTIAM VNITVM ESSE, & propter hoc vnam eius ſubſiſtentiam, & vnam perſonam, &c. anathema ſit.* Vbi verba *ſecundùm ſubſiſtentiam* denotant planè Concilium loqui in ſenſu formali: quoniam alioqui æquè diceretur Verbum vnitum carni ſecundùm naturam divinam, vel penes attributa, ac ſecundùm ſubſiſtentiam? quoniam in ſenſu identico omnia illa ſunt carni vnita in Chriſto. Atqui non dicitur, Verbum fuiſſe carni vnitum ſecundùm naturam divinam, aut attributa, ſed ſecundùm ſubſiſtentiam. Ergo loquitur Concilium in ſenſu formali: & per conſequens Verbum, prout diſtinctum à reliquis duabus perſonis habet propriam ſubſiſtentiam.

51 RESP. Iuxta dicta ſuprà num. 38. diſtinguendo minorem. Humanitas Chriſti fuit immediatè vnita Verbo ſecundùm ſubſiſtentiam acceptam in ſenſu Conciliorum, & frequentiori Patrum; concedo: in ſenſu Scholaſticorum, & minùs frequenti apud Patres; nego minorem, & diſtinguo conſequens in eodem ſenſu. Neque vrget probatio deſumpta, vel ex ſtylo Theologorum, quorum multi veteres & recentes, perinde ac nos, loquuntur: vel ex teſtimonio illo Quintæ Synodi, in quo ibidem, ſicuti & aliàs paſsim, *ſubſiſtentia* accipitur Latinè, ſicuti & in originali Græco *hypoſtaſis*, pro eodem ac *perſona*, vt patet vel ex ipſis verbis in obiectione allegatis. Quin & præterea in fine eiuſdem Canonis quinti, qui habetur (iuxta editionem Pariſienſem Severini Binij anni 1636. qua vtor) pag. 292. ſubditur: *Nec enim adiectionem perſonæ vel ſubſiſtentiæ* (*Græcè eſt,* προσθήκην τῆς ὑποστάσεως ἤτοι προσώπου.) *ſuſcepit ſancta Trinitas ex incarnato vno de ſancta Trinitate Deo Verbo.* Solùm itaque ex ijs verbis colligere licet, carnem, ſive naturam humanam Chriſti fuiſſe vnitam, & quidem in ſenſu formali, Verbo ſecundùm perſonam, ſignificatam in ipſo textu per *hypoſtaſim* aut *proſopon* Græcè, ſicuti & per ſubſiſtentiam Latinè. Cæterum accipiendo *ſubſiſtentiam* in ſenſu frequenti Scholaſticorum, & minùs frequenti apud Patres, pro ratione formali ſubſiſtendi, caro Chriſti, ſive natura ipſius humana, non fuit vnita Verbo immediate atque in ſenſu formali ſecundũ ſubſiſtentiam, ſed ſecundùm perſonalitatem propriam ipſius Verbi, quæ primariò ac per ſe intelligitur terminare vnionem hypoſtaticam humanitatis. Itaque quòd primò intelligitur reſultare ex humanitate & perſonalitate vnitis, eſt perſona Verbi in natura humana: deinde verò intelligitur communicari ipſi ſubſiſtentia abſoluta Verbi, non prout communis eſt tribus perſonis, ſed prout appropriata perſonæ Verbi. Quod ipſum dicere debent in ſimili quicumque ex Adverſarijs docent, humanitatem Chriſti ſolùm exiſtere per Verbi exiſtentiam, & hanc non eſſe relativam, ſed abſolutam & communem tribus perſonis.

52 INSTABIS. Perſonalitas propria Filij, vt talis eſt relativa, ac proinde referens ad Patrem naturam illam, quam terminat, tanquam ad generantem. Atqui humana Chriſti natura non eſt capax vt referatur ad Patrem, tanquam ad generantem, vt patet: cùm ſolùm ab eo procedat, vt Creatore, perinde atque à tota Trinitate, tanquam ab vno principio. Ergo perſonalitas propria Filij, vt talis, non terminat naturam humanam Chriſti. Solùm ergo id competit ſubſiſtentiæ Filij: quatenus propria ipſius ſubſiſtentia eſt.

53 SED Enim, quis non videat, Adverſarios pariter debere ſolvere obiectionem, hanc, cùm aſſerant ſubſiſtentiam propriam Filij eſſe relativam, & hanc in ſenſu formali terminare ac complere naturam humanam? Quomodo ergo non refert illam ad Patrem, tanquam ad generantem? Reſpondeo itaque, perſonalitatem propriam Filij intra lineam relativam habere duo munia, alterum conſtituendi perſonam incommunicabilem, alterum referẽdi ad Patrem: & priori dumtaxat ſenſu, vniri immediatè naturæ humanæ, vt proinde ex illa & perſonalitate Verbi conſurgat perſona divina incommunicabilis, prout in humana natura: non autem vniri in poſteriore ſenſu immediatè, quoniam humanitas incapax eſt æternæ generationis, ac ſubinde relationis ad Patrem vt generantem. Sed de hoc latiùs in progreſſu.

54 OBIICIES VI. Subſiſtentia Patris conſtituit ipſum in ratione principij *quod* generationis divinæ. At non conſtituit illum in ratione principij *quod* generationis divinæ penes aliquid abſolutum, ſed dumtaxat penes relativum. Alioqui omnis perſona divina eſſet principium *quod* generandi ad intra, contra contra quàm fides docet. Ergo ſubſiſtentia Patris non eſt abſoluta, ſed relativa, ac proinde ipſius propria, ac diſtincta à ſubſiſtentijs reliquarum perſonarum.

55 RESP. Negando maiorem: quia Pater non conſtituitur in ratione principij *quod* generationis ex vi ſubſiſtentiæ, quæ per ſe loquendo eſt indifferens ad ſuppoſitum ra-

tio-

tionale vel irrationale: ſed ex vi perſonalitatis propriæ ac relativæ: quoniam generatio divina ex ſua formali ratione eſt intellectualis, ac proinde exigens principium *quod* ad lineam intellectualem directè ſpectans; quale non eſt ſubſiſtens, vt ſubſiſtens; ſed perſona, quatenus perſona.

56 DICES. Subſiſtentia, de qua procedit obiectio, non eſt quælibet, ſed conſentanea naturæ intellectuali divinæ, & perſonæ Patris in ea ſubſiſtenti. Illa verò videtur conſtituere Patrem in ratione principij *quod* generandi: quoniam actiones tribuuntur ſubſiſtenti, vt principio *quod*. Ergo ſubſiſtentia Patris conſtituit ipſum in ratione principij *quod* generationis divinæ.

57 RESP. Negando minorem: quia ſubſiſtentia ſolùm conſtituit Patrem, ſicuti & reliquas perſonas, quatenus ſunt vnus Deus ſingularis, in ratione principij *quod* operationum eſſentialium intelligendi & volendi, ſicuti & operandi ad extra. In quibus omnibus ſolùm exprimitur perfectio abſoluta & indiviſim communis. In ordine autem ad operationem notionalem generandi ſola perſonalitas peculiaris ac relativa Patris conſtituit ipſum in ratione principij *quod*. Neque obſtat axioma illud ſubobſcurè indicatum in obiectione: quia non dicitur frequenter, actiones eſſe ſubſiſtentium, ſed *ſuppoſitorum*. Suppoſitum autem Patris fatemur eſſe ſingulare, ſicuti & perſonam. Cæterum adhuc in creatis, generatio humana in ſenſu præciſo & formali non reſpondet ſubſiſtenti, vt principio *quod*, ſed perſonæ. Nimirum, ratio ſubſiſtentis vagatur per rationalia & irrationalia: ratio autem perſonæ pertinet ad ſolam naturam intellectualem aut humanam.

58 OBIICIES VII. Non poteſt multiplicari perſona, quin etiam formalis ratio ſubſiſtendi. Nequit enim multiplicari cõcretum, quin etiam multiplicetur id, quod ab eo importatur in recto. Perſona autem eſt concretum importans in recto formalem rationem ſubſiſtendi incommunicabiliter, non autem puram incommunicabilitatem: vt patet ex definitione perſonæ quæ eſt, *rationalis naturæ individua ſubſtantia*, ex Boetio lib. de duabus naturis, quem omnes Theologi ſequuntur in re, quamvis vocibus diſſideant. Subſtantia autem individua idem eſt ac ſubſiſtentia incommunicabilis, vel *intellectualis naturæ incommunicabilis exiſtentia*, vt exponit Richardus à S. Victore lib. 4. de Trinitate cap. 23. qua definitione vſus eſt Ioannes Theologus in Concilio Florent. ſeſs. 19. Ergo perſona in recto importat ſubſiſtentiam incommunicabilem. Cùm igitur in divinis ſint tres perſonæ, videtur manifeſtum, etiam eſſe tres incommunicabiles ſubſiſtentias, ſive rationes formales ſubſiſtendi incommunicabiliter, non autem ſolum tres incommunicabilitates.

59 CONFIRMATVR. Incommunicabilitas in divinis non poteſt immediatè advenire ſubſiſtentiæ, & eſſentiæ, ſed debet ſupponere aliam rationem poſitivam, in qua fundetur. Igitur triplex perſona divina nequit conſtitui per vnicam ſubſiſtentiam triplici incommunicabilitate modificatam, ſed dumtaxat triplici ſubſiſtentia incommunicabili. Cõſequentia patet, & antecedens probatur. Incommunicabilitas enim nequit immediatè advenire rationi poſitivæ communicabili: quoniam communicabilitas & incommunicabilitas opponuntur veluti affirmatio & negatio, quarũ altera nequit immediatè advenire alteri. Atqui ſubſiſtentia abſoluta eſt ratio poſitiva cõmunicabilis, immo & de facto communicata tribus perſonis. Ergo incommunicabilitas nequit immediate advenire ſubſiſtentiæ abſolutæ & eſſentiali.

60 HOC Argumentum directè militat contra illos præcipuè, qui aiunt, perſonas divinas ſupra abſolutam & communem ſubſiſtentiam ſolùm addere triplicem incommunicabilitatem, veluti ſufficienrem ad conſtituendum triplicem perſonam. Verùm niſi aliud addant, id difficilè capitur, & argumentum reverà vrget: ac præterea ex eo, quòd triplex negatio communitatis ſuperaddita non ſufficiat ad conſtituendum per modum formæ triplicem perſonam poſitivam Nec præterea ſubſiſtentia vnica, & poſitiva, quatenus modificata triplici negatione, eſt ſufficiens ratio ad cõſtituendum triplicem poſitivam perſonam. Quare vltra ſubſiſtentiam abſolutam oportet addere tres formas relativas & peculiares, quibus perſonæ tres conſtituantur in ratione talium proximè & immediatè.

61 QVARE Aliter occurrendum eſt argumento, & dicendum, perſonam in divinis non ſolùm importare ſubſiſtentiam communem abſolutamque, peculiari negatione, ſive incommunicabilitate modificatam: verùm etiam formam peculiarem ac poſitivam, eamque prorſus incommunicabilem, quæ eſt relativa perſonalitas, virtualiter intrinſecè diſtincta à ſubſiſtentia abſoluta. Itaque negatio illa, ſeu incommunicabilitas, non fundatur immediatè in ſubſiſtentia abſoluta & communicabili: ſed in perſonalitate peculiari, quæ eſt vltimum complementum ſubſtantiæ divinæ intellectualis, prout conſideratæ in genere hypoſtatico ac relativo; & communicari nullatenus poteſt reliquis divinis perſonis. Hoc ſenſu perſona definitur à Magiſtro in 1. diſt. 25. *hy-*

poſta-

postasis proprietate distincta, ad dignitatem pertinens. Quæ postrema verba significant dignitatem naturæ intellectualis, intra quam solam invenitur ratio personæ. Hypostasis autem ibidem non accipitur pro subsistentia, quæ est ratio communissima, & vagatur per substantias completas incompletasque, licèt aliter & aliter: sed pro suppositalitate, quæ est vltimum complementum substantiæ integræ in singulari. Hoc sensu Bonaventura in 1. dist. 25. quæst. 1. personam definit, *intellectualis naturæ suppositum, proprietate distinctum.* Quæ videtur optima definitio, omni & soli personæ conveniens, proindeque & cuilibet ex tribus divinis, quarum vnaquæque est intellectualis naturæ suppositum, proprietate relativa distinctum à reliquis duobus. Quo sensu exponenda est definitio Boetij, & Ricardi, aut quælibet alia circumferri solita. Vnde in divinis asserimus tria suppositа, & tres personas, singularib⁹ suppositalitatib⁹ (vt in Scholis dici solet) ac personalitatibus constantes: non tamen tres subsistentes substantivè, aut tres rationes formales subsistendi: quia hæ ex terminis, atque ex propria ratione sua, important perfectionem absolutam, ac proinde omnino eandem in divinis personis. Si autem roges, quid sit personalitas in abstracto, illa sic definiri commodè potest, *suppositalitas complens vltimò naturam intellectualem.* Vnde & sequitur, veluti effectus secundarius essentialiter connexus, incommunicabilitas ad aliud suppositum: quia quod vltimò completum est intra genus substantiæ, iam non est capax vlteriоris complementi intra illud. Ex quibus patet ad formulam argumenti, eiusque confirmationem.

62 POTEST Denique dici, quamvis singulæ personæ non addant peculiares subsistentias, addere tamen peculiarem subsistendi modum, penes quem vnaquæque constituitur, & distinguitur ab alijs duabus. Ita enim loquitur Damascenus lib. 1. Fidei cap. 11. cui epigrapha: *De trium personarum distinctione:* vbi inter initiū & medium capitis inquit iuxta versionem Iacobi Fabri: *Secundùm omnia vnum sunt Pater, Filius, & Spiritus sanctus, præter* (vt ita loquamur) *ingignentiam, gignentiam, & processionem.* Patet verò, diversam esse rationem formalem subsistentiæ, quàm ingignentiæ, & processionis. Ergo Pater Filius & Spiritus sanctus, sunt vnum quoad rationem formalem subsistentiæ. Pergit Damascenus, & subdit: *Vnum agnoscimus Deum: in solis quidem proprietatibus paternitatis, filietatis, & processionis, secundùm causam & causale, & personalem perfectionem, id est, existentiæ modum, differentiam intelligimus.* Hactenus ille. in quibus solùm agnoscit distinctionem personarum divinarum penes formas relativas paternitatis, filiationis, & processionis, secundùm ordinem producentis & producti, & personalem perfectionem, id est, complementum personale, quod appellat, τὸ ὑπάρξεως τρόπον, & Iacobus Faber interpretatur *existentiæ modum.* Quo sensu singulæ personæ non addunt existentiam peculiarem, sed modum existentiæ, penes quem invicem distinguuntur. Porrò cap. 3. sequenti Damascenus totidem ferè verba habet circa initium: & quod Græcè est, τὸ ὑπάρξεως τρόπος, vertitur ab eodem Fabro, non *modus existendi*, sed *modus subsistendi*, nimirum incommunicabiliter. Nimirum integrum testimonium Latinè sic habet: *Ingenitum, Genitum, & Procedens, non sunt substantiæ* (Græcè τὰ οὐσίας) *indicatiua, sed habitudinis ad inuicem, & modi subsistendi.* Itaque possumus in divinis admittere, non quidem triplicem subsistentiam, sed triplicem modum subsistendi. Nimirum, vnaquæque ex personalitatibus divinis, quamvis propriè non sit modus (alioquì esset entitas incompleta & imperfecta) est tamen quasi modus subsistendi relativè & incōmunicabiliter, ac proinde peculiaris in singulis personis. Verùm & hæc ipsa doctrina ampliorem lucem mutuabit ex dicendis Disp. sequenti.

63 OBIICIES Vltimò. Potest natura irrationalis hypostaticè vniri alicui supposito divino, prout distincto ab alijs duobus: vt docet frequentior Theologorum sententia. At non potest ipsi vniri secundùm personalitatem propriam: quia hæc solùm est capax terminandi naturam rationalem, vt patet. Ergo potest natura irrationalis hypostaticè vniri supposito alicui divino secundùm propriam ipsius subsistentiam: atque adeò hæc est peculiaris & distincta in quolibet ex divinis suppositis. Patet consequentia: quia exclusa semel à quolibet suppositо divino subsistentia peculiari, nihil proprium aut speciale vniuscuiusque remanet, nisi personalitas: secundùm quam nequit esse vnio ipsius ad irrationalem naturam.

64 RESP. Maiorem propositionem posse satis probabiliter negari: cùm multorum sententia sit, eaque gravi fundamento innixa, non posse naturam irrationalē vniri substantialiter Deo: vt videbimus in Commentarijs ad librum Anselmi de Incarnat. Verbi. Deinde dato quòd sit possibilis vnio illius substantialis cum Deo, vt frequentior sententia docet; adhuc negari probabiliter potest, possibilem esse eam vnionem cum vno suppositо divino, potiùs quàm cum alio. Solùm enim esset vnio cum Deo ratione subsistentiæ absolutæ, & cō-

munis

munis tribus perſonis: quæ proinde, non prout diſtinctæ inter ſe, ſed quatenus vnum ſunt, terminarent eiuſmodi naturam, ſive vnirentur cum illa: quemadmodum & intellectui creato vniuntur intelligibiliter atque indiviſim ratione eſſentiæ, prout gerentis munus ſpeciei intelligibilis abſolutæ & communis. Denique adhuc permiſſo quod irrationalis natura poſsit vniri alicui ſuppoſito divino præ alijs duobus, dicendum eſt, rationem formalem terminandi ex parte illius ſuppoſiti divini, non fore perſonalitatem, vt rectè aſſumitur in argumento; neque etiam ſubſiſtentiam, prout ſubſiſtentia eſt, cùm hæc ſit vna & communis tribus: ſed ſolùm ſuppoſitalitatem propriam illius ſuppoſiti divini, atque ipſius peculiarem: quæ quidem diſtinguitur virtualiter intrinſecè à ſubſiſtentia, tanquam prædicatum relativum ab abſoluto, & notionale ab eſſentiali, cùm præ illa afferat incommunicabilitatem. Præterea eadem ſuppoſitalitas diſtinguitur virtualiter extrinſecè ſaltem à perſonalitate, quoniam hæc præ illa exprimit complementum propriũ naturæ rationalis. Quapropter ſuppoſitum divinum ſingulare vniretur naturæ rationali, non vt ſubſiſtens præcisè, neque vt perſona, ſed quatenus ſuppoſitum ſingulare & diſtinctum à duobus reliquis.

DISPVTATIO LXXIX.

AN FORMALIS RATIO CONSTITVENDI AC DISTINGVENDI INTER SE PERSONAS DIVINAS, SIT ABSOLVTA, VEL POTIVS RELATIVA.

AD DOCTISSIMVM ET REVERENDISSIMVM PATREM D. LVCAM DACHERIVM, Benedictinum, in Gallia Scriptorem celeberrimum, & toti Orbi litterario notum, Authorem Spicilegij Veterum Patrum, tredecim voluminibus diſtincti, & Actorum SS. Ordinis S. BENEDICTI, in quinque alia diſtributorum; inſuper & quotidiè è theſauro ſuo plura alia proferentem nova ac vetera.

SVPPONIMVS In diuinis eſſe tres veras, & ſubſiſtentes perſonas, quod latè probatum fuit ſuprà Diſp. LVII. per totam contra Sabellium & alios Heterodoxos, tum veteres, tum recentes: ac proinde in ſingulis earum non ſolùm eſſe naturam, ſiue eſſentiam, in qua conueniunt, & ſunt omnino vnum atque idem, vt latè in ſuperioribus fuit conſtitutum; ſed etiam proprietatem aliquam perſonalem, per quam conſtituantur & differant inter ſe. Diſquirimus itaque, an eiuſmodi proprietas ſit abſoluta, an potiùs relatiua. Quæ controuerſia directè huc ſpectat, & locum habet apud Anſelmum locis in progreſſu indicandis, præſertim num. 4. & 13. ſicuti & apud Magiſtrum in 1. diſt. 20. & d. 22. cap. Sciendum, *& cap.* Deus: *ac diſt. 26. vbi tractatur à Scoto quæſt. 1. Durando quæſt. 1. ſicuti & ab alijs Scholaſticis in eadem loca, & præterea à D. Thom. 1. quæſt. 40. art. 1.*

SEC-

SECTIO PRIMA.

Præmittuntur nonnulla opportuna ad diriméndam controverſiam, & referuntur Authorum placita.

2 PRÆMITTO I. Perſonas divinas verè conſtitui ex eſſentia & proprietatibus perſonalibus, quid quid olim contrà exiſtimaverint Præpoſitivus, & Gregorius ab Arimino in 1. diſt. 26. & 27. aſſerentes, rem prorſus ſimplicem, qualis eſt quælibet perſona divina, eſſe incapacem veræ & propriæ conſtitutionis: ac proinde vnamquamque perſonam ſe tota eſſe in ſeipſa, & diſtingui ab alia. Hæc enim opinio ab omnibus alijs Theologis, poſt Div. Thom. 1. part. quæſt. 32. & 40. articul. 2. reijcitur, & à multis eorum gravi cenſura notatur: cùm aliqui erroneam, alij errori proximam, alij demum temerariam, vt minimum cenſeant. Fundamentum præcipuum deſumitur ex Concilio Florentino ſeſſ. 29. vbi dicitur: *Perſona conſtat ex diuina ſubſtantia, & proprietate.* Idque præterea ſuadetur firma ratione: quia quoties in quavis re eſt verè aliquid commune, & aliquid proprium, etiam eſt vera conſtitutio ex communi, & proprio. Atqui licèt perſonæ divinæ ſint aliquid ſummè ſimplex, verè in eis eſt aliquid commune, & aliquid proprium. Ergo licèt ſint ſummè ſimplices, verè conſtituuntur ex communi & proprio. Aſſumptio, in qua ſola poſſet eſſe diſſidium, probatur, non ſolùm ex doctrina fidei, quâ credimus, eſſentiam, ſive naturam verè eſſe communem tribus, perſonam verò Patris v. g. propriam, ſingularem, & incommunicabilem reliquis duabus: ſed etiam ex teſtimonijs Eccleſiæ Catholicæ. Imprimis enim Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. prout habetur in cap. *Firmiter* de ſumma Trinitat. ait: *Hæc ſancta Trinitas ſecundùm eſſentiam vna, & ſecundùm proprietates diſcreta.* Vbi palam traditur vnitas eſſentiæ in tribus, atque adeò illius communitas vera; & præterea veræ perſonarum proprietates. Verùm & longè antea in Sexta Synodo Generali Actione 11. approbatur Epiſtola Sancti Sophronij, in qua dicitur: *Hoc quidem* (ſcilicet, identitas) *propter naturam: illud verò* (id eſt, diſtinctio perſonarum) *propter alteritatis horum trium proprietates, propterque diſſimilitudinem proprietatum, quæ inconfuſè vnamquamque figurant perſonam.* Ex quibus, alijſque ſimilibus Conciliorum locutionibus deſumpta ſunt verba illa Præfationis Miſſæ in Feſto Sanctiſs. Trinitatis: *Vt in perſonis proprietas, in eſſentia vnitas, & in maieſtate adoretur æqualitas.* Et certè quemadmodum omnes in Deo, quamvis ſummè ſimplici, admittunt abſtracta eſſentialia, vt deitatis, omnipotentiæ, & ſapientiæ, veluti rationes formales, quibus reſpondeamus quærenti, quonam Deus ſit vnus, omnipotens, & ſapiens: ita oportet aſſerere in Deo abſtracta perſonaliia, quibus faciamus ſatis quærenti, quônam ſint tres perſonæ. nimirum, tribus perſonalibus proprietatibus.

3 PRÆMITTO II. Conſtitutionem perſonarum ex eſſentia & proprietatibus, non modò eſſe veram & propriam, vt nuperè probatum eſt, ſed etiam realem, ſive inſenſu reali. quod ſecundum immeritò negant Vazquez diſp. 152. n. 8. & Molina 1. p. quæſt. 40. art. 2. diſp. 1. concl. 2. contra communem aliorum ſententiam. Ratio eſt: tum, quia idem fundamentum eſt veræ & propriæ conſtitutionis paulo antè probatæ, ac realis. Quæ enim eſt conſtitutio realis, niſi quæ vera & ſimpliciter propria eſt? Deinde conſtitutio, vel attenditur ex re conſtituta, vel ex parte extremorum conſtituentium, vel denique ex modo conſtituendi. At ex quocumque horum capitum attendatur conſtiturio divinarum perſonarum, realis eſt. Res enim conſtituta, ſcilicet, perſona, reipſa eſt in divinis, eaque triplex. Deinde eſſentia, & proprietates conſtituentes, ſunt aliquid reale, vt patet. Iam verò modus conſtituendi, etiam eſt realis, hoc ſolum excepto, quòd iuxta opiniones Scoti & Durandi diſtinguentium eſſentiam à proprietatibus perſonalibus diſtinctione formali ex natura rei, aut modali, conſtitutio dici poſſet realis formalis, aut modalis: iuxta communem verò aliorum ſententiam, quâ eſſentia à proprietatibus perſonalibus differt ſolum virtualiter intrinſecè, vt docuimus Diſp XXV. & XXVII. dici poſsit realis virtualis. Modus enim conſtituendi talis eſt, qualis vnio & diſtinctio extremorum conſtituentium. Cumque ea ſit virtualis in re, quamvis non formalis, conſtitutio ipſa debet cenſeri realis virtualis. Et ſanè Authores contrarij videntur perinde loquì de conſtitutione, ac de compoſitione vt quemadmodũ hæc non eſt realis in Deo, ſed rationis dumtaxat, ſic etiam illa. In oppoſitum autẽ eſt alteram ab altera plurimum diſſidere. Compoſitio enim non ſolùm realis, ſed etiam metaphyſica, prorſus repugnat Deo, vt traditum fuit Tomo primo, Diſput. XXVIII. XXIX. & XXX. quoniam opponitur ſummæ ſimplicitati & puræ actualitati Dei. Supponit enim neceſſariò imperfectionem aliquam in extremis componentibus. Secus verò con-

ſtitutio. Vnde abſolutè & ſimpliciter dicimus, Deum paternitate conſtitui in eſſe Patris, ac filiatione in eſſe Filij, & eſſentia in ratione ſubſtantiæ intellectualis: non tamen componi: quia in hoc concipitur ſtatim imperfectio aliqua Deo repugnans. Quin & in rebus finitis verè atque in ſenſu reali dicimus hominem conſtitui per animal rationale; non tamen componi, niſi ratione ſolùm, ob realem identitatem vtriuſque cum homine & inter ſe. Poteſt igitur conſtitutio eſſe realis, quin ſit realis compoſitio: immo poteſt in Deo eſſe realis virtualis conſtitutio, quamvis nulla ſit in ipſo compoſitio realis, adhuc virtualis: præſertim vbi ab eo excluditur omnis compoſitio metaphyſica, prout à nobis excluditur. Vide Ioannem à Sanct. Thoma 1. part. quæſt. 42. diſput. 16. num. 4. Franciſcum Lugum lib. 2. diſput. 21. cap. 2. num. 12. & Marchinum diſput. 47.

4 PRÆMITTO III. Eſſentiam divinam eſſe prorſus abſolutam, non ſolùm ea ratione generali, quâ eſt aliquid commune tribus perſonis, & omne prædicatum ijs commune eſt abſolutum; ſed etiam ex peculiari ratione eſſentiæ divinæ, quæ eſt ſubſtantia perfectiſsima, ac proinde non ad aliud, ſed *ad ſe* ſubſiſtens. Hinc eſt quòd Anſelmus ſuprà cap. 14 paulo poſt initium aiebat: *Siquid de ſumma natura dicitur relatiuè, non eſt eius prædicatum ſubſtantiale.* Quoniam, nimirum, natura ſubſtantialis generatim loquendo, eſt ens abſolutum: quanto magis natura ſubſtantialis Dei? Et Auguſtinus vniverſè loquens de qualibet re ſubſtantiali lib. 5. de Trinitat. cap. 7. ſub finem inquit: *Omnis ergo res, ad ſeipſam ſubſiſtit. Quanto magis Deus?* Vnde & in Concilijs ac Patribus, quoties diſſeritur de eſſentia divina, prout eſſentia, aut natura eſt, nihil ipſi tribuitur, quod præſeferat habitudinem, vel relationem ad aliud. Quapropter Concilium Lateranenſe, prout habetur in cap. Firmiter, & cap. Damnamus, de Summa Trinit. negat naturæ divinæ affectiones illas, quæ importãt quoddammodo habitudinem ad alterum, vt generare aut generari, ſpirare aut ſpirari. Suppoſito itaque, eſſentiam divinam eſſe prorſus abſolutam, inquirimus, an proprietates perſonales ſint etiam abſolutæ, an potiùs relativæ.

5 PRIMA Sententia docet, proprietates, quibus perſonæ divinæ conſtituuntur, non eſſe relativas, ſed abſolutas. Ita Ioannes de Ripa, & Guilielmus Epiſcopus Pariſienſis apud Dionyſium Carthuſ. in 1. diſt. 26. quæſt. 2. quorum opinionem cenſet probabilem Scotus in eandem diſt. 26. quæſt. 1. §. *Tertia opinio*, aut ſaltem oſtendit modum quo illa probari poſsit, ſicuti & Theodorus Smiſing diſput. 2. quæſt. 1. num. 16. ac Michael Palacios ibid. diſp. vnica concl. 1. & Salmeron tom. 2. tract. 12.

6 SECVNDA, Eaque communis reliquorum Theologorum, docet, perſonales proprietates eſſe prorſus relativas. Ita Magiſter in 1. diſt. 20. & Div. Thom. 1. part. quæſt. 40. art. 1. quos Scotus & Durandus locis initio indicatis, & reliqui Scholaſtici & Interpretes ſequuntur, vt propterea nullum operæ pretium ſit allegare loca ſingulorum. Porrò multi ex his contrariam opinionem gravi cenſura notant. Valentia enim diſput. 2. quæſt. 14. puncto 2. exiſtimat illam pluſquam falſam, Zumel 1. par. quæſt. 40 ar. 2. diſp. 1. temerariam & erroneam, Molina eodem articulo diſp. 2. membro 1. non ſolùm temerariam, ſed parum tutam in fide, Ruiz diſp. 88 ſect. 1. vt minimum errori proximam, Vazquez diſp. 158. cap. 3. manifeſtè damnatam quoad diſtinctionem perſonarum ex vi proprietatum abſolutarum, Durandus verò vbi ſuprà hæreticam, ſicuti & Bañez. Quidquid tamen ſit de ijs & alijs cenſuris, quas SS. P. & D. Innocentius XI ſuperiori anno 1679. Sedi Apoſtolicæ reſervavit circa controverſias aut opiniones inter Catholicos Scriptores agitari ſolitas, cenſeo hanc ſententiam communem abſque dubio veram, & certam, & expreſſam Sancti Anſelmi. quod ſtatim probare pergo.

SECTIO SECVNDA.

Perſonas diuinas non conſtitui nec diſtingui inter ſe proprietatibus abſolutis, ſed relatiuis, iuxta Scripturam, & Concilia; quorum varia loca expenduntur multipliciter contra opinionem aduerſam.

7 PROBATVR I. Aſſertio ex ſacris litteris, in quibus nunquam fit mentio divinarum perſonarum in ſingulari per nomina denotantia proprietatem aliquam abſolutam, ſed dumtaxat relativam. qualia ſunt, Pater, Filius, Verbum, Vnigenitus, Imago, Spiritus veritatis, *qui à Patre procedit*, & de quo Chriſtus ait Ioannis 15. 16. 17. *quem ego mittam vobis à Patre.* Non ergo conſtituuntur & diſtinguuntur inter ſe perſonæ divinæ proprietatibus abſolutis, ſed relativis. Nec proderit Adverſarijs dicere, hoc argumentum eſſe dumtaxat negativum. Eſt enim propriè aut æquivalenter ſaltem affirmativum. nam credere debemus, Chriſtum ſingulas perſonas ijs nominibus expreſsiſſe, quæ opportuna ſint

&

& apta ad illas concipiendas & diſtinguendas à nobis. Cùm ergo ad id muneris ſolùm fuerit vſus nominibus ſignificantibus relationem ſeu habitudinem vnius perſonæ ad aliam, nunquam verò nominibus exprimentibus quidquam abſolutum, evincitur planè ac poſitivè ex verbis Chriſti, perſonas divinas in ratione talium non conſtitui aut diſtingui proprietatibus abſolutis, ſed relativis. Quam ipſam rationem præ oculis habuiſſe videtur Nazianzenus Oratione 37. id eſt, quinta de Theologia, column. 5. dum dixit: *Mutuæ eorum relationis differentia, diuerſa quoque ipſis nomina procreauit.* Similiterque Cyrillus Alexandrinus Dialogo de Trinitate lib. 2 col. 5. teſtatur, eam fuiſſe rationem ob quam Chriſtus Dom. prætermiſsis nominibus abſolutis, ſive ad eſſentiam ſpectantibus, qualia ſunt, *Incorruptibilis, & Ingenitus, baptizare iuſſit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Nimirum in eum finem *collegit, & præ alijs præpoſuit nomina, diſtinctiſsimè nobis conſtituentia vniuſcuiuſque ſignificati propriam exiſtentiam.* id eſt, proprietatem ſingularem. nam alioqui, & preſsè loquendo, τὸ εἶναι, ſive ὑπαρξις, id eſt, *eſſe*, ſive exiſtentia trium perſonarum, vnica & abſoluta eſt, vt vidimus ſuprà Diſp. LXXIV. per totam.

8 PROBATVR II. Conciliorum teſtimonijs. Etenim Concilium Toletanum XI. tacito conſenſu Summorum Pontificum, omniumque Theologorum, probatum ab Eccleſia in Confeſsione Fidei c. 1. inquit: *In relationis perſonarum nominibus Pater ad Filiũ, & Filius ad Patrem, & Spiritus ſanctus ad vtroſque refertur. Quæ cùm relatiuè tres perſonæ dicantur; vna tamen natura per ſubſtantiam creditur.* Vbi Trinitatem, ſeu diſtinctionem trium perſonarum, ſolùm attendit ſecundùm proprietates relativas. Quod paulo infrà clariùs explanat, dum ait: *In relatione perſonarum numerus cernitur.* Ac denique vrgentiùs poſtea excludit abſolutas proprietates, quibus perſonæ diſcernantur, dum ſubdit: *HOC SOLO NVMERVM INSINVANT, QVOD AD INVICEM SVNT; ET IN HOC NVMERO CARENT, QVOD IN SE SVNT.* Vnde formula ſyllogiſmi eruitur: Quoniam perſonæ divinæ ſolùm diſtinguuntur penes id, in quo numerum conſtituunt. At non conſtituunt numerum penes aliquid abſolutum, ſed relativum. Non enim illum conſtituunt penes id, quod ſunt in ſe, ſed penes id quod ſunt ad invicem. Ergo nõ diſtinguuntur penes aliquid abſolutum, ſed dumtaxat relativum. Verùm & clariora alia verba eiuſdem Concilij ſubiungo, eodem loco excludentis omnem proprietatem abſolutam, & ſolùm agnoſcentis relativam, dum inquit: *Quod enim Pater eſt, non ad ſe ſed ad Filiũ eſt; & quod eſt Filius, non ad ſe, ſed ad Patrẽ eſt. Similiter & Spiritus ſanctus non ad ſe, ſed ad Patrem & Filium relatiuè refertur in eo, quod Spiritus Patris & Filij prædicatur.*

9 IDIPSVM Colligere licet ex Concilio Generali Florentino, in cuius ſeſs. 18. poſt medium, §. *Diuina Subſtantia*, Ioannes Theologus, cæteris Patribus tacitè approbantibus, probat, divinarum perſonarum *proprietates nequaquam communicabiles eſſe: quod ex relationis vi creditur euenire.* Et paucis interiectis: *Nihil, niſi principij habitudo, eſt: in quo hæc duo conſiderantur, à quo aliquid, & ad quod aliquid.* Ac præterea §. ſequenti *Dixi ecquidem*, ita concludit ex ſenſu cõmuni omnium Patrum ac Theologorum: * Sola relatio apud omnes Græcos & Latinos Doctores divina proceſsione perſonas multiplicat: cui etiam duo illa, A QVO, & AD QVOD, de quibus ſuprà dictũ eſt, conveniunt. SIQVIDEM IGITVR RELATIONES HVIVSMODI PERSONAS MVLTIPLICANT, ITA VT NON ALIA RATIONE, QVAM VI RELATIONIS, PATER A FILIO, AC VNA PERSONA AB ALIA, DIFFERANT. QVEM QVIDEM IN MODVM SPIRITVS SANCTVS AB ALIO EST, &c.*

10 QVOD Si verò quiſquam contendat, Ioannem Theologum Latinum ibidem loquentem minùs exactè potuiſſe teſtificari de ſenſu Græcorum Patrum, audiat Cardinalem Beſſarionem Græcorum, virum certè eximium & eruditiſsimum, qui ad finem eiuſdem Concilij in Oratione *Pro Vnione*, tacitè etiam probata ad eadem Synodo, cap. 6. multò propiùs ad medium, quàm ad finem, cùm præmiſsiſſet realem identitatem relationis, & originis, inquit: * Ideo vtroque modo diſtinguuntur perſonæ divinæ; priùs tamen & principaliter ſecundùm modum intelligendi per relationes, per quas etiam conſtituuntur divinæ perſonæ, &c.* Ac paulo poſt: *Vtroque quidem modo diſtinguuntur diuinæ perſonæ: ſed principaliùs relatione, ſine proprietatibus.* Vbi non ſolùm de diſtinctione perſonarum per proprietates relativas conſtat, ſed etiam de conſtitutione, quidquid aliqui ex nuperis Theologis minùs conſultè negaverint: cùm in verbis paulo antè exſcriptis dicatur nominatim de relationibus: *PER QVAS ETIAM CONSTITVVNTVR DIVINÆ PERSONÆ.* Quin & idem Beſſario ſubdit: *Non enim generare, & generari, quod originis eſt, conſtituit principaliter perſonam, ſed Paternitas, & Filiatio.* Quid clarius?

11 ACCEDIT, In ea Synodo pro eodem reputari conſtitutivum ac diſtinctivum perſonarum. Nam idem Ioannes Theogus paulo antè laudatus ſeſs. 19. fine ait, *perſonam diuinam ex ſubſtantia proprietateque conſtare.* Quod ipſum præmiſerat ſeſs. 18. §. *Diuina ſubſtantia*, inquiens: *Perſona ex ſubſtantia proprietatibuſque conſiſtit.* Ac paulo poſt, §. Dixi ecquidem, probat, hanc proprietatem eſſe relationem principij, & procedentis à principio, iuxta ſenſum omnium Græcorum & Latinorum, vt conſtat ex verbis num. 9. relatis. Cumque hæc ipſa doctrina fuerit vnum ex præcipuis fundamentis theologicis, quibus illa Oecumenica Synodus ducta eſt, vt Spiritus ſanctus cenſeatur à Filio etiam procedere, nec aliter poſsit ab illo diſtingui, quàm penes relationem, ſive habitudinem producentis & producti; conſequens eſt, vt conſtitutio, ſicuti & diſtinctio perſonarum, ex vi proprietatum relativarum, proximè ad fidem pertineat. Sicut enim quælibet definitio Conciliorum Generalium in rebus dogmaticis eſt fide certa: ita etiam quælibet ex præcipuis rationibus, quibus definitio ipſa innititur, proximè ad fidem ſpectare cenſenda eſt.

12 VRGETVR Multipliciter probatio eadem, ſimulque impugnatur evaſio illa paulo antè notata, profitentium perſonas diſtingui, negantium verò conſtitui proprietatibus relativis. cui modo dicendi præivit Scotus loco ſuprà num. 5. indicato, & in 1. diſt. 11. quæſt. 2. Etenim, eadem proprietas, quæ perſonam conſtituit, pariter illam diſtinguit à cæteris, ſive formaliter, ſive radicaliter, vt ipſe Scotus eo loco fatetur. Si ergo relatio diſtinguit perſonam divinam à cæteris, tum formaliter, tum radicaliter, vt ipſe aſſerit; pariter quoque illam conſtituit. Vnde quemadmodum ex præiactis Conciliorum locis habemus, perſonas diſtingui ſolis relationibus, ita etiam conſtitui. DEINDE. Palam eſt, proprietatem conſtitutivam vnius perſonæ diſtinctæ reip a ab alia, non poſſe eſſe vnam eandemque cum proprietate conſtitutiva alterius perſonæ. Ergo neceſſum eſt vt proprietates, quibus conſtituuntur perſonæ, ſint invicem ac reipſa diſtinctæ. At nequeunt diſtingui in divinis quæ abſoluta ſunt, ſed dũtaxat quæ relativa: vt patet ex illis verbis Concilij Toletani XI. ſuprà exſcriptis: *Hoc ſolo numerum inſinuant, quod ad inuicem ſunt: & in hoc numero carent, quod in ſe ſunt.* Ergo proprietates conſtituentes perſonas divinas, non ſunt abſolutæ, ſed relativæ. PRÆTEREA. Vt vidimus nuper ex Concilio Florentino num. 11. & probatum fuit ſuprà num. 2. perſonæ divinæ conſtituuntur proprietatibus. Atqui iuxta phraſim omnium Patrum proprietates & relationes vnum & idem omnino ſunt. Quod latè oſtendit Ruiz diſp. 77. ſect. 4. prolatis in medium plurimis illorum teſtimonijs. Ergo perſonæ divinæ conſtituuntur relationibus. Itaque de primo ad vltimum ex Concilijs habemus, perſonas divinas, non ſolùm diſtingui, ſed etiam conſtitui per relationes.

SECTIO TERTIA.

Aſſertio eadem ſuadetur ex Anſelmo, aliiſque Patribus Latinis, ac Græcis, qui omnes communiter docent, perſonas diuinas conſtitui ac diſtingui ſolis proprietatibus relatiuis. Aduerſariorum euaſiones præcluſæ.

13 PROBATVR III. Teſtimonijs illuſtribus Patrum Latinorum, atque imprimis Anſelmi, qui plurimis locis nullam inter divinas perſonas diſtinctionem agnoſcit, niſi ratione relationum, ſeu oppoſitionis relativæ. Etenim in Epiſtola de Proceſsione Spiritus ſancti ſæpe tradit illud dictum, quod poſtea in commune axioma Theologorum abijt: *In diuinis omnia ſunt vnum, vbi non obuiat relationis oppoſitio.* Nimirum cap. 2. eius Epiſtolæ poſt medium inquit: *Hæc ſola cauſa pluralitatis eſt in Deo, vt Pater & Filius & Spiritus ſanctus dici non poſsint de inuicem, ſed alij ſint ab inuicem: quia prædictis modis eſt Deus de Deo, QVOD TOTVM POTEST DICI RELATIO.* Ergo ſola relatio in divinis eſt *cauſa pluralitatis*, ſive ratio diſtinguendi, non autem proprietas aliqua abſoluta perſonarum. Deinde cap 3. ſequenti non longè à principio inquit: * Supradicta relationis oppoſitio, quę ex eo naſcitur, quia ſupradictis duobus modis Deus de Deo eſt, prohibet Patrem & Filium & Spiritum ſanctum de invicem dici, & propria ſingulorum alijs attribui. * Quod ipſum in progreſſu luculentiùs exponit, præſertim illis verbis: *Pluralitas quæ ſequitur relationem.* Ergo priùs intelligitur relatio perſonarum divinarum, quàm pluralitas, ſeu diſtinctio: ideoque hæc non præſtatur ab aliquo abſoluto, aut intellecto pro priori ad relationes. Ac præterea eodem capite: *Nec vnitas admittat aliquando ſuam conſequentiam, vbi non obuiat aliqua relationis oppoſitio.* Ergo in divinis nulla eſt omnino pluralitas; ſed potius vnitas mera, vbi relationis oppoſitio non obſtat, quæ ſola eſt ratio pluralitatis.

Idem

Idem expreſsè docet cap. *Qui ergo*, id eſt, 6. poſt medium, & reliquis fere ſequentibus, præſertim cap. penult. prope finem dum inquit: *In hoc itaque quod relatiue Deus ad Deum dicitur, ſicut plures homines, perſonarum admittit diuerſitatem. In hoc verò, quod per ſe, id eſt, in Deo; inſeparabilem, ad ſimilitudinem vnius hominis, ſeruat vnitatem.* Quibus verbis clariùs vnquam dici potuit, non ab aliquo abſoluto prorſus, ſed à relativo, diſtinctionem perſonarum divinarum provenire? Mitto quòd cap. vltimo poſt medium eandem doctrinam repetit alijs verbis, & ſolùm addo quædã alia ipſius ex lib. de Fide Trinitatis & Incarnation. Verbi cap. 3. non longè à medio, vbi ait: *Non ſic Pater & Filius ſunt duæ res, vt in his duabus rebus intelligatur eorum ſubſtantia, ſed eorum relationes.* Ac deinde paulo poſt medium eiuſdem capitis: *Relatio nullatenus eſt, niſi ſecundum hoc, quod alij ſunt ab inuicem.* Patet igitur ex mente Anſelmi, omnia in divinis eſſe vnum, vbi non obviat relationis oppoſitio: vt propterea mirum ſit Vaſquium, & paucos quoſdam Recentiores, atque in his Maſtrium tomo 1. Theolog. Schol. diſp. 7. q. 4. a. 3. & 4 mentem S. Anſelmi aliorſum interpretatos, quam luculentiſsimam eſſe pro nobis, is ſolus dubitare poſsit, qui præiacta teſtimonia non legerit, aut præiudicio aliquo contrariæ opinionis iam occupatus, ea per vim detorſerit, ac luxaverit ad ſuum ſenſum ſtabiliendum. Vide infrà n. 25 & ſeqq.

14 ANSELMO In hac parte, vt in cæteris ferè, præivit Magnus Auguſtinus, & alij Veteres Patres Latini poſtea nominatim allegãdi, ex quorum doctrina poſſumus hanc differẽdi formulam colligere. Nulla proprietas conſtituens vnam perſonam, eſt communis tribus perſonis. Atqui omnis proprietas abſoluta eſt communis tribus perſonis. Ergo nulla proprietas abſoluta conſtituit vnam perſonam. Conſequentia eſt in primo modo ſecundæ figurę, nimirum, in *Cæſare*. Maior eſt evidens ex prima terminorum notione. nam vbi conſtitutũ propriè ac ſingulariter eſt diſtinctum ab alijs, forma, ſeu proprietas illud conſtituens in ratione talis, debet eſſe pariter diſtincta à formis, ſive proprietatibus ſpeciatim cõſtitutivis aliorum. Huc enim ſpectat axioma illud: *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis.* Minor autem, in qua ſola poſſet eſſe diſsidium, ſæpe traditur ab Auguſtino ipſo, conſtanter & vbique docente, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, non eſſe tres, ſed vnum dumtaxat, penes omnia, quæ ſubſtantialiter dicuntur; qualia ſunt Divinitas, eſſentia, natura, bonitas, potentia, aliaque id genus: plures verò quoad ea ſolùm, quibus relativè dicuntur, & in his non prædicari ad invicem. Ex quo principio colligit, Patrem non eſſe Filium, & vtrumque non eſſe vnum Verbum, nec vnam imaginem. Conſtat hoc ex libro 5. de Trinitate cap. 8. & 11. vtrobique à principio, & fuſiùs ex libro 7. cap. 7. & vltim. ac libro 8. cap. 1. & libro 11. cap. 10. prope medium: ac Sermone 38. de Tempore varijs locis eiuſdem Sermonis: vt propterea hanc doctrinam, veluti ab ipſo traditam, amplectatur Magiſter, & com eo communiter Scholaſtici in 1. diſtinct. 22 cap. *Sciendum*, & cap. *Deus*. Omnis ergo proprietas abſoluta eſt communis tribus perſonis

15 RESPONDET Scotus in 1. diſtinct. 26. quæſt. 1. circa medium §. *Ad illa*, Auguſtinum loqui de ijs prædicatiſ divinis, quæ ſunt prorſus ad ſe, ita vt nec ſint relativa, nec referibilia, ſed potiùs oppoſita relationi. qualia profectò ſunt Deitas, eſſentia, natura, bonitas divina, &c. Porrò abſolutas proprietates conſtitutivas perſonarum, quamvis non ſint relationes, eſſe tamen referibiles, ac proinde multiplicari in tribus perſonis. Hanc verò expoſitionem non eſſe contrariam, ſed potiùs cohærentem Auguſtino, probare tentat ex teſtimonio quodam ipſius libro 7. de Trinitat. cap. 4 vbi docet, Deum ad ſe ſubſiſtere, non autem relativè.

16 SED Contrà I. Hac enim ſolutione, ſeu potiùs evaſione, inanis & nugatoria redditur illa regula Theologorum ex Auguſtino deſumpta, quâ internoſcuntur prędicata Dei communia à proprijs, vt priora conveniant tribus perſonis, non autem poſteriora. Quæ regula planè & opportunè innoteſcit, ſi quoties de aliquo prædicato conſtat eſſe abſolutum, infertur eſſe commune tribus; ſi autem penes formale ſignificatum ſit relativũ, non tribus perſonis conveniat. Cærerum iuxta expoſitionem Scoti, regula ipſa inutilis & nugatoria reddetur. Nam quamvis conſtet, aliquod prædicatum ſecundùm formalem ſignificationem, eſſe abſolutum, & non relativum, adhuc reſtabit inquirendum, An ſit referibile, ſive, Vtrum habeat relationem adiunctam, per quam multiplicetur. Vnde regula ex Auguſtino deprompta, hunc ſenſum faciet, illa prędicata eſſe communia tribus perſonis, quæ ita ſunt abſoluta, vt non ſint peculiaria alicui perſonæ. qui ſenſus planè eſt nugatorius. Vt igitur regula illa vtilis ſit, & meritò à Theologis cum Auguſtino vſurpata, dicendum eſt, omnia prædicata Dei, quæ ex ſua ſignificatione formali important aliquid abſolutum, eſſe communia tribus perſonis.

17 CONTRA II. Si enim prædicatũ Dei abſolutum ex ſua ratione formali, poteſt eſſe

proprium alicuius perſonæ, ratione referibilitatis, ſive relationis adiunctæ, & proinde multiplicari in tribus perſonis, nulla erit ratio cur ſapientia, amor, & potentia abſoluta Dei, non ſint prædicata propria vnius perſonæ prædicata, & multiplicata in perſonis tribus: quoniam quodlibet illorum, licèt ſit abſolutum, dici poterit referibile, ſeu adiunctam relationē habens. Etenim ſapientia in Filio ſpeciatim habet relationem filiationis, ſeu Verbi, adiunctam: amor relationem ſpirationis paſſivæ in Spiritu ſancto: potentia parernitatem in Patre. Quare, ſicuti iuxta opinionem adverſam eſt in divinis ſimpliciter triplex proprietas perſonalis abſoluta, ita etiam erit duplex aut triplex ſapientia, amor, & potentia ſimpliciter loquendo in divinis. Conſequens autem eſt pluſquam abſurdum ex omnium Theologorum conſenſu: immo & videtur cōtrarium definitioni Sancti Damaſi Papæ ſuprà relatæ Diſp. LXXII. numero 6. Non ergo prædicatum Dei abſolutum ex ſua ratione formali poteſt eſſe proprium alicuius perſonæ, ratione referibilitatis, aut relationis adiunctæ, eo ſenſu vt multiplicetur in tribus perſonis divinis. Poterit quidem prædicatum commune & abſolutum quoddammodo appropriari alicui certæ perſonæ, vt potentia Patri, ſapientia Filio, & amor Spiritui ſancto, exſpeciali modo producendi, aut procedendi: quēadmodum & in noſtra ſententia exiſtentia ac ſubſiſtentia abſoluta Dei, non prout communis eſt tribus perſonis, ſed quatenus appropriata Filio, cenſetur reddere exiſtentem & ſubſiſtentem in ipſo humanitatem aſſumptam. Cæterum id non ſufficit vt tale prædicatum, ex ſe abſolutum, ſit ſimpliciter proprium alicuius divinæ perſonæ; & multo minùs, vt ratione eius appropriationis multiplicetur in perſonis divinis.

18 NEQVE Obſtat teſtimonium illud S. Auguſtini, quod opponit Scotus, ex lib. 7. de Trinit. c. 4. vbi probat Deum ad ſe ſubſistere, non autem relativè, dum ait: *Omnis res ad ſeipſam ſubſiſtit: quantò magis Deus?* Etenim eadem verba, & plura alia eodèm ſpectantia, adduximus ſuprà Diſp. LXXVII. num. 7. ad probandum, ſubſiſtentiam ex ſua ratione formali non eſſe relativam in Deo, ſed abſolutam, ex mente Auguſtini, ideoque in Deo non multiplicari. quod & Scotus ipſe nobiſcū ibidem tuetur. Vnde potiùs id teſtimoniū eſt pro nobis. Si enim quia ſubſiſtentia ex ſua ratione formali in Deo eſt aliquid abſolutum, non multiplicatur in divinis perſonis: ergo proprietates perſonales, quæ multiplicantur in divinis perſonis, ex ſua ratione formali non ſunt aliquid abſolutū. Vbi enim affirmatio eſt cauſa affirmationis, ibi negatio eſt cauſa negationis.

19 BOETIVS Similiter lib. de Trinitat. cùm ſub initium profeſſus eſſet, doctrinam à ſe ibidem tradendam ex Auguſtini ſeminibus collectam fuiſſe, poſtea circa finem ait: * Facta eſt Trinitatis numeroſitas in eo, quod eſt indifferentia, vel ſubſtantiæ, vel operationis, vel omnino eius, quæ ſecundùm ſe dicitur, prædicationis. Ita igitur ſubſtantia continet vnitatē: relatio multiplicat Trinitatem. Atque ideo ſola ſingillatim proferuntur, atque ſeparatim, quæ relationis ſunt * Hactenus ille, quī & præterea idem docet in ſequenti Opuſculo de prædicatione perſonarum. Vnde proceſsit axioma illud Theologorum, veluti à Boetio traditum: *Sola relatio multiplicat Trinitatem.* Ergo proprietates perſonales, quæ abſdubio multiplicant Trinitatem, non entia abſoluta, ſed relationes ſunt, ex mente Boetij, ſicuti & Auguſtini, quem ille ſequitur.

20 QVOD Autem reſpondet Scotus in 1. diſt. 26. quæſt. 1. ciaca medium, Boetium ijs verbis accipere *relationem* pro origine, & *multiplicare* pro diſtinguere, non quidem formaliter, ſed principiativè, & in ordine ad principium efficiens; refellitur multipliciter. Primò ex contextu: in quo patet, Boetium loqui de multiplicatione, prout fit per differentias: & eo ſenſu ait, fieri per relationes. Secundò, quia immediatè ante verba nuper exſcripta præmiſſerat: *Quoniam nulla relatio ad ſeipſam referri poteſt*, &c. Vbi non de origine in ſenſu formali, ſed de relatione, quatenus tali, ſermo eſt. Tertio: quoniam idem Boetius expendens ſingula ex decem Prædicamentis, colligit ſola duo ſubſtantiæ, & relationis, Deo convenire. quod ipſum tradiderat Auguſtinus lib. 5. de Trinitate cap. 10. & Sermon. 38. de Tempore columna penultim. Ergo Boetius, ſicut & Auguſtinus, loquitur de relatione in ſenſu formali, more Philoſophorum, prout relatio eſt *ad aliquid*, & differt à ſubſiſtentia, quæ eſt *ad ſe*, & ab actione & paſſione, quarum inſtar concipimus origines in divinis. Quartò denique, quia omnia exempla quibus vtitur Boetius ad exponendum, quomodo relatio non faciat differre in ſubſtantia, ſed in perſonis, ſunt planè illa ipſa, quæ affert Ariſtoteles in prædicamento *Ad aliquid*, vbi explanat directè rationem formalem relationis. Ergo Boetius loquitur de relatione, non prout origo eſt (quod quoddammodo ſpectare videtur ad actionem aut paſsionem prædicamentalem) ſed quatenus relatio in ſenſu formali, aut relativo originis eſt. Idem conſtat ex Fulgentio ad primam obiectionem Arianorum in fine, &

Iſido-

Iſidoro libro 2. de differentijs ſpiritualibus cap. 2 dicente: *In relatione perſonarum Trinitas eſt: in ſubſtantia verò natura vnus eſt Deus.* Legendus quoque Bernardus Epiſt. 190. ad Innocentium col. 2. & Noſter Alchuinus lib. 1. de Trinitat. cap 8. & 12. Fauſtinus lib. contra Arianos cap. 3. Richardus Victorinus lib. 4. de Trinit. cap. 13. quorum verba exſcribit eruditiſsimus Petavius lib. 4. de Trinitat. cap. 10. vt omittam alios ex Patribus Latinis.

21 EX Græcis quoque nonnullorum teſtimonia illuſtria in medium proferre placet, præmittendo ex communi ipſorum ſenſu, dum loquuntur de diſtinctione perſonarum divinarum, duo eſſe in Deo diſcreta ſecundùm rationem: alterum commune tribus, & vnum in ijs, quod appellant φύσιν, οὐσίαν, & θεότητα id eſt, naturam, eſſentiam, & diuinitatem: alterum proprium, cuiuſmodi ſunt, quæ vocantur ἰδιότητες, ſive ἰδιώματα, id eſt, proprietates. Porrò ex amborum nexu cõſtare aiunt, πρόσωπον, ſive ὑπόστασιν, id eſt, perſonam: ita vt poſterius ex ijs conſtituentibus non ſit abſolutum, ſive ad ſe, ſed σχετικὸν, id eſt, relativum: quales eſſe aiunt πατρότητα, υἱότητα, & προβολὴν, id eſt, paternitatem, filietatem, & proceſsionem. Itaque Patres Græci nullam proprietatem conſtitutivam perſonarum in conſortio eſſentiæ agnoſcunt, niſi relativam, quæ ſit paternitas, filiatio, aut paſsiva ſpiratio. Ergo contra communem ipſorum mentem aſſerit opinio contraria, proprietates perſonales eſſe abſolutas, non autem relativas. Aſſumptio conſtabit evolventi quamplurima eorundem Patrum Græcorum teſtimonia apud laudatum Petavium, ex quibus pauca quædam hìc ſeligam. Baſilius Epiſtol. 349 cùm comparaſſet vſiam, ſive eſſentiam, ad hypoſtaſim, tanquam prædicatum commune ad proprium, ait *hypoſtaſim cerni in proprietate paternitatis, filiationis, & virtutis ſanctificantis*, quæ ſpeciatim de Spiritu ſancto dicitur. Patet verò, eas omnes proprietates eſſe relativas. Deinde Epiſtol 391. inquit: κοινὸν ἡ θεότης, ἴδιον ἡ πατρότης id eſt, *Commune eſt Deitas: proprium paternitas.* Igitur idiomata, ſive proprietates, quas Baſilius in Deo agnoſcit, pertinent ad genus relativum.

22 SIMILITER Gregorius Nazianzenus varijs locis exponit proprietates Dei nominibus relativis: vt Oratione 24. & 25. in qua monet, cùm legitur illud Chriſti, EGO ET PATER VNVM SVMVS, *eſſentiæ coniunctionem ob oculos habendam. cùm autem Patris, & Filij, & Spiritus ſancti nomen additur, proprietates tres eſſe cogitandas.* Id ipſum ferè obſervat Oration. 29. & 32. & 37. & 39. vbi docet, hæc tria vocabula, *ex quo, per quem, & in quo*, quibus exprimuntur relationes propriæ Patris, Filij, & Spiritus ſancti, *non naturas ſecare, ſed vnius & inconfuſæ naturæ proproprietates, velut notis quibuſdam & characteribus, oſtendere.* Igitur proprietates, ſive notæ, aut characteres, quibus conſtituuntur & diſcernuntur perſonæ divinæ, non ſunt abſolutæ, ſed relativæ.

23 ACCEDAT Gregorius alter, id eſt, Nyſſæ Antiſtes, prioris ex duobus præcedentibus frater, & vtriuſque amiciſsimus, qui eandem prorſus inſiſtit viam & explanationem proprietatum perſonalium in divinis per meras relationes. Etenim libro 1. contra Eunomium pagin. 3. redarguit hæreticum illum, quòd cùm Deus in Scriptura revelaverit triplicem perſonarum appellationem per nomina Patris, Filij, & Spiritus ſancti, ad baptizandum præſcripta, auſus fuerit alias illorum appellationes vſurpare. Et, inter alia, inquit: * Atque vnaquæque vocum iſtarum, ſecundùm nativam & propriam notionem intellecta, Chriſtianis eſt regula veritatis, pietatiſque lex. Nam cùm multa ſint alia nomina, quibus Deus ſignificatur in hiſtoria, prophetia, & lege; cæteris omnibus relictis Dominus Chriſtus, qui ad eius, quod eſt, fidem adducere nos poterat, has voces proponit; ſatis eſſe demonſtrans, ſi in Patris, & Filij, & Spiritus ſancti appellatione permaneamus, ad eius, quod eſt reverà, perceptionem. quod quidem & vnum eſt, non vnitum. Nam eſſentiæ ratione eſt vnum. Ideo in vnum reſpicere Dominus lege ſua conſtituit. SED SECVNDVM PROPRIETATES, QVIBVS HYPOSTASES DIGNOSCVNTVR, IN PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI FIDEM DIVIDITVR, ſine ſeparatione partium, & citra confuſionem vnitum. Nam cùm Patris nomen audimus, hanc notionem animo concipimus; quoniam notum iſtud NON IN SE TANTVM INTELLIGITVR; SED ETIAM HABITVDINEM QVANDAM AD FILIVM PROPRIA VI ET SIGNIFICATIONE DECLARAT. Non enim ſeparatus Pater, & per ſeſe, comprehendi animo poteſt; niſi ſimul & Filius in ipſa Patris appellatione iungatur. Quare dum Patrem diſcimus, eadem voce fidem etiam in Filium edocti ſumus. * Hactenus ille: ex cuius teſtimonio, ſatis illuſtri, habemus, divinas hypoſtaſes, ſive perſonas, non, niſi per aliquid

σχετικὸν, vt ipſe Græcè loquitur, id eſt relativum, conſtitui, ac invicem diſtingui. Non enim conſtituuntur diſtinguunturque, niſi proprietatibus illis, quas directè ſignificant nomina Patris, Filij, & Spiritus ſancti, in Evangelio expreſſa pro formula Baptiſmi, & primæ ianuæ, qua Eccleſiam ingredimur, & Chriſti fidem profitemur. Atqui ea nomina, ſicuti ex propria notione ſunt relativa, ita etiam ſignificant directè proprietates relativas. Ergo perſonæ diuinæ non conſtituuntur aut diſtinguuntur, niſi proprietatibus relativis, Quod ipſum habet idem Nyſſenus Orat. 5. contra Anomœos eiuſdem Eunomij gregales, dicens: * Nominum alia ſunt communia, alia propria: communia quidem, vt eandem ſine differentia ſubſtantia oſtendant: propria verò, vt hypoſtaſeon proprietatem certa notione definiant. IGITVR NOMINA PATRIS, ET FILII, PROPRIA SVNT CVIVSQVE HYPOSTASIS: Dei verò & Domini, communia.* Quid clarius? Similiter Cyrillus Alex. lib. 2. Theſauri cap. 3. inter principium & medium, ait: *Vt hypoſtaſim quæ generat, & quæ generatur, diuina Scriptura notionibus diſtingueret, Patris & Filij nominibus vſa eſt.* ſtatim verò exponit ea nomina penes formales rationes & proprias notas relativorum. Et lib. 2. eiuſdem Operis ait: *Eſt enim Pater in ſua proprietate, & eſt Filius in ſua peculiari proprietate, hanc ſolam habens à generante differentiam.* Ac lib. 11. Commentar. in Ioannem inquit: *Nihil eſt quod Filium à Patre diuidat, ac differre faciat, quominus in omnibus ſimilis æqualiſque ſit, præter hoc vnum, quod Pater eſt.* Ergo hypoſtaſes diuinæ ſecundùm proprias cuiuſque rationes, ſunt relativæ; ſiquidem non, niſi relativis nominibus, ſignificantur. Mitto plurima alia Patrum Græcorum loca, quæ apud Petavium & Ruiz loco ſuprà indicato videri poſſunt.

24 ITAQVE Ex conſenſu communi Patrum Latinorum Græcorumque inſtaurare licebit formulam illius ſyllogiſmi num. 14. initio propoſiti. Nulla proprietas conſtituens vnam perſonam in divinis, eſt communis tribus perſonis. Atqui omnis proprietas abſoluta eſt communis tribus perſonis divinis. Ergo nulla proprietas abſoluta conſtituit in divinis vnam perſonam. Adde vlteriùs formulam hãc. Omne quod directè exprimitur nomine relativo, eſt relativum. At proprietates, quibus conſtituuntur & diſtinguuntur perſonæ, exprimũtur directè nominibus relativis. Ergo proprietates, quibus conſtituuntur & diſtinguuntur perſonæ, ſunt relativæ. Adde præterea & iſtã. Solùm conſtituuntur & diſtinguuntur perſonæ diuinæ iis proprietatibus, quas ſignificat formula Baptiſmi, in qua initio ſolemnis ac prima profeſsio fit individuæ Trinitatis. Atqui proprietates, quas ea formula ſignificat, ſunt relativæ. Ergo ſolùm conſtituuntur & diſtinguuntur diuinæ perſonæ, proprietatibus relativis.

SECTIO QVARTA.

Theologicis & metaphyſicis rationibus confirmatur eadem communis & vera ſententia: ac primum quidem ratione eruta ex Anſelmo, cuius effatum illud, In divinis omnia ſunt vnum, &c. *explicatur, & defenditur.*

25 RATIO I. Deſumitur ex illo effato Anſelmi ſuprà num. 13. ſtabilito: *In diuinis omnia ſunt vnum, vbi non obuiat relationis oppoſitio.* Vnde eruitur hæc differendi formula. Solùm conſtituuntur & diſtinguuntur perſonæ divinæ penes illas proprietates, in quibus ſubeunt relativam oppoſitionem. Atqui relativam opoſitionem ſubeunt penes aliquid relativum, non autem penes aliquid abſolutum. Ergo ſolùm conſtituuntur & diſtinguuntur perſonæ divinæ per proprietates relativas, non autem abſolutas. Conſequentia patet, & ſimiliter minor propoſitio: quia ex terminis notum eſt, id penes quod eſt, ſive exercetur relativa oppoſitio, debere ſpectare ad genus relativum: cùm debeat eſſe formalis ratio relativę oppoſitionis. Maior autem conſtat ex Anſelmi authoritate, & communi ferè Scholaſticorum conſenſu cum Magiſtro in 1. diſt. 22. cap. *Sciendum*, & cap. *Deus*, ac diſt. 20. & 26. quos latè allegat Ruiz diſp. 68. Deinde videtur apertè tradita in Concilijs: vt videre eſt in Toletano XI. in Confeſsione Fidei, Florentino ſeſsione 18. longè poſt medium, §. *Divina ſubſtantia*, & §. *Dixi ecquidem.* Vnde traditur ab omnibus Patribus Latinis & Græcis: vt teſtatur Ioannes Theologus in Concilio Florentino, verbis ſuprà num. 9. exſcriptis: ideoque ex communi vtrorumque conſenſu Græcus ſcriptor Manuel Calecas lib. de Proceſsione Spiritus ſancti cap. 39 ait: πάντα τὰ ἐπὶ Θεοῦ λεγόμενα, κοινῶς, καὶ ἀπαραλλάκτως τοῖς προσώποις ἀποδίδοται, ἓν οὐ κωλύει τὴν ἀναφορὰς ἀντίθετος. *Omnia quæ de Deo dicuntur communiter, & ſine vlla differentia, prædicantur de perſonis, vbi non obſtat relationis oppoſitio.* Verum & præterea ſuaderi poteſt ratione theologica à priori: quoniam omne prædicatum divinum eſt increatum, ſive à ſe, ac proinde eſſentialiter illimitatum in omni genere rerum, quæcumque de

eo

eo dignè affirmari poſſunt. Ergo omne prædicatum divinum eſſentialiter, ſive per ſuam entitatem, eſt omnia alia prædicata divina, ſive abſoluta, ſive relativa, vbi aliqua relationis oppoſitio non obſtat identitati. Patet hoc: quia quòd ex duobus prædicatis intra rem eandem exiſtentibus, vnum non ſit per ſuam entitatem idem cum alio, ſolùm oriri poteſt, vel ex limitatione, quâ certis terminis coerceatur; vel ex aliqua oppoſitione relativa. Cùm igitur in divinis nullum habeat locum realis diſtinctio ex limitatione orta; quòd vnum prædicatum per ſuam entitatem non ſit omnino idem cum altero, ſolùm poteſt provenire ex relativa oppoſitione. Itaque perſonæ divinæ non debent conſtitui aut diſtingui reipſa, niſi penes id, in quo relativè opponuntur. Hoc autem ſolùm eſt proprietas cuiuſque relativa. Verè ergo conſtituuntur & diſtinguuntur proprietatibus relativis. Deinde, Nulla res abſoluta opponitur alteri abſolutæ, niſi oppoſitione contrarietatis, quæ prohibeat coexiſtentiam vtriuſque intra idem ſubiectum. Cùm ergo in divinis coexiſtant tres proprietates perſonales eidem Deo, quaſi ſubiecto, nequeunt opponi contrariè, inſtar rerum abſolutarum; ſed ſolùm relativè. Ergo ſpectare debent ad genus relativum.

26 DICES: Pater & Filius ſecundùm ſingulares vniuſcuiuſque perſonæ proprietates, & pro priori rationis ad ſpirationem activam, quæ eſt communis ambobus, diſtinguuntur reipſa à perſona Spiritûs ſancti. Et tamen pro illo priori rationis non opponuntur Spiritui ſancto: vtpote cum quo ſolùm habent oppoſitionẽ ratione ſpirationis activæ. Ergo iam pro illo priori eſt vera ac realis diſtinctio perſonarum independenter ab odpoſitione relativa. Poſſunt igitur perſonæ divinæ conſtitui & diſtingui per proprietates abſolutas, quamvis ſecundùm illas non opponantur relativè. Quòd ſi verò reſpondeatur, Patrem & Filium ſecundùm ſingulares vniuſcuiuſque perſonæ proprietates opponi relativè Spiritui ſancto radicaliter, quamvis non formaliter; reſponderi pariter poterit in gratiam opinionis adverſæ perſonas opponi relativè, non formaliter ſed radicaliter ſolùm ratione proprietatum abſolutarum: ac proinde has eſſe diſtinctas in ſingulis perſonis.

27 HÆC Solutio, ſive obiectio, tangit celebrem illam difficultatem in quâ diſquiritur, An Spiritus ſanctus diſtingueretur à Filio, ſi ab eo non procederet. Relictis verò pluribus, quæ illuc ſpectant, & à nobis vberiùs examinabuntur in progreſſu, ſolutio tradita nõ enervat vim rationis præiactæ. Quamvis enim Pater & Filius ſecundùm ſuas proprietates perſonales, conſtituantur in ratione perſonarum reipſa diſtinctarum à perſona Spiritûs ſancti; adhuc id totum provenit ab oppoſitione relativa cum ipſo: quoniam paternitas & filiatio, per quas ambo conſtituuntur, claudunt in ſuo conceptu formali ſpirationem activam vi cuius directe Spiritui ſancto opponuntur. Quem dicendi modum ſequitur & illuſtrat præ alijs Ruiz diſp. 17 ſect. 6. Iuxta alios verò quamvis ſpiratio activa non claudatur in conceptu formali paternitatis & filiationis, adhuc Pater & Filius quidditativè ſunt vnum principium principale, *vt quod* ſpirans Spiritum ſanctum: quo ſenſu iam in ratione principij habent formaliter oppoſitionem cum termino. Divina autem eſſentia, non eſt principium, *vt quod* generans, aut ſpirans: ideoque nullam omnino cum Spiritu ſancto oppoſitionem aut diſtinctionem haber. Denique cum alijs dici poteſt, paternitatem & filiationem intra lineam relativam pro priori rationis ad ſpirationem activam, habere cum paſſiva oppoſitionem, non quidem formalem, ſed radicalem. Etenim paternitas & filiatio, quibus conſtituuntur perſonæ Patris & Filij, ex proprio ac peculiari conceptu relativo exigunt ſpirationem activam, qua *vt quod* producant tertiam perſonam, & cum ea formaliter opponantur. Itaque Pater & Filius non ratione alicuius vel aliquarum proprietatum abſolutarum, ſed ratione paternitatis & filiationis, opponuntur radicaliter & relativè Spiritui ſancto; proximè verò & formaliter ratione vnius & eiuſdem activæ ſpirationis, quam exigunt ratione propriarum hypoſtaſeon, ſive relationum. Omnis ergo realis diſtinctio perſonarum divinarum provenit ab oppoſitione relativa: diſtinctio quidem realis formalis, ab oppoſitione relativa formali: radicalis autem à radicali. Ideoque axioma illud Anſelmi manet inconcuſſum. Nec poteſt hanc ſolutionem pro ſe vſurpare contraria opinio, dum docet, Patrem & Filium conſtitui in ratione perſonarum proprietatibus abſolutis. Nam prædicatum abſolutum, quodcumque illud ſit in divinis, nequit opponi relativè, nec formaliter, nec radicaliter alteri divino prædicato. Vera enim oppoſitio relativa, qualis abſque dubiò eſt, ſive formalis, ſive radicalis dicatur, exigit extrema exiſtentia intra genus relativum. Atqui nullum prædicatum Dei abſolutum exiſtit intra genus relativum. Ergo ſi perſonæ divinæ conſtituuntur proprietatibus abſolutis, nequeunt ratione illarum habere aliquam oppoſitionem relativam, nec formalem, nec radicalem, cum alio divino prædicato.

28 CONFIRMATVR Doctrina eadem, & impugnatio ſolutionis, ſive obiectionis contrariæ. Pro priori enim rationis ad ſpirationem activam, nondum intelligitur perſona Spiritûs ſancti, quæ per illam procedit; ſed dũtaxat perſona Patris, & perſona Filij: quæ duæ,

ſicuti ratione formarum relativarum paternitatis & filiationis conſtituuntur diſtinguuntúrque, ita etiam relativè opponuntur. Itaque in ijs veriſimè comprobatur, diſtinctionem realem formalem perſonarum oriri ſeu provenire à formali oppoſitione relativa. Cùm autem pro eodem ſigno præciſionis ante ſpirationem activam nondum intelligatur exiſtens Spiritus ſanctus, nequit etiam intelligi in eodem ſigno formalis diſtinctio perſonarum Patris & Filij à perſona Spiritus ſancti. Quippe formalis duorum aut plurium diſtinctio nequit intelligi, niſi vtroque extremo intellecto. Ergo pro illo ſigno nequit intelligi perſona Patris aut Filij diſtincta formaliter à Spiritu ſancto, ſed ſummùm radicaliter: ſicuti nec relativè formaliter oppoſita ſed ſolùm radicaliter. Semper itaque firmum perſiſtit, diſtinctionem realem in divinis provenire ab oppoſitione relativa; formalem à formali, & radicalem à radicali. quod ſufficit ad inconcuſſam veritatem illius axiomatis S. Anſelmi. Et ratio à priori eſt: quia, vt iam monuimus n. 25 cùm realis duorum prædicatorum diſtinctio in quolibet toto, ſive re, ſolùm oriri poſsit ex limitatione, aut oppoſitione relativa; & prior ex ijs nullum habeat locum in divinis, ſola poſterior poteſt inferre diſtinctionem. Ergo Pater & Filius nequeunt diſtingui reipſa à Spiritu ſancto ex vi alicuius proprietatis abſolutæ, ſed dumtaxat vi alicuius prædicati relativi, ſeu relativam oppoſitionem exprimentis ad perſonam Spiritus ſancti; ſive radicalem, quæ convenit ijs ratione paternitatis & filiationis; ſive formalem, quæ vtrique provenit à ſpiratione activa. Mitto plura alia dicenda infrà Diſp. LXXXI num. 37. & ſeqq. & pleraque ſpectantia ad eandem Anſelmi rationem, & effatum prædictum ſtabiliendum: quæ opportuniorem habebunt locum vbi diſſeremus, An Spiritus ſanctus non diſtingueretur à Filio, ſi ab eo non procederet.

29 RATIO II. Eruitur ex doctrina Concilij Florentini in litteris Vnionis in medio, vbi Eugenius IV. ait: *Omnia, quæ Patris ſunt, ipſe Pater Vnigenito Filio ſuo gignendo dedit, PRÆTER ESSE PATREM.* Quam doctrinam eſſe immediatè deſumptam ex verbis Chriſti in Evangelio, & ab omnibus ſacris Doctoribus traditam, oſtendit fusè Ruiz diſp. 19. ſect. 2. & diſp. 50. ſect. 5. & 6. Hinc autem manifeſtè eruitur, Patrem conſtitui in ratione ſingularis perſonæ diſtinctæ à Filio, non per aliquid abſolutum, ſed per formam relativam paternitatis. Conſtituitur enim & diſtinguitur à Filio penes id ſolùm, quod retinuit ſibi, & Filio non dedit. Atqui ſolùm retinuit ſibi, & Filio non dedit eſſe Patrem: vt Concilium teſtatur. Ergo conſtituitur & diſtinguitur à Filio ſolùm penes eſſe Patrem, ſive, quod perinde eſt, penes formam relativam paternitatis. VRGETVR. Si enim perſona Patris non conſtituitur & diſtinguitur à perſona Filij per formam relativam, quâ Pater eſt, ſed per aliam abſolutam; oportet vt hanc communicaverit Filio: quippe cui omnia ſua dedit, præter eſſe Patrem, Concilio atteſtante. Ergo Pater communicavit Filio formam ipſam, qua conſtituitur in ratione ſingularis perſonæ; ac proinde vi illius formæ Filius conſtituetur eadem ſingularis perſona cum Patre. Vbi enim forma conſtituens ſingularem perſonam eſt communis perſonæ Patris, & perſonæ Filij; eadem profectò erit vtriuſque ſingularis perſona conſtituta: ſicut vterque eſt idē ſingularis Deus, quoniam eadem Deitas Patris, veluti forma, communicatur Filio. Dicere autem, perſonam Patris, & perſonam Filij, eſſe eandem ſingularem perſonam eſt planè hæreticum & Sabellianum. Ergo perſona Patris non conſtituitur & diſtinguitur à perſona Filij per formam abſolutam, ſed per relativam, quâ Pater eſt. VRGETVR ampliùs. Perſona Filij eſt, ſive per identitatem habet, totum id quod eſt perſona Patris, præter eſſe Patrem: vt conſtat ex verbis allegatis Concilij. Ergo perſona Filij eſt, ſive per identitatem habet totum id, quod eſt perſona Patris quoad eſſe abſolutum. Si ergo perſona Patris quoad eſſe abſolutum eſt ſingularis perſona; Filius etiam erit, ſive per identitatem habebit vt ſit ipſa ſingularis perſona Patris. quod eſt apertè Sabellianum. Ne ergo tam immane abſurdum ſequatur, oportet profiteri, Patrem per eandem omnino formam conſtitui in ratione ſingularis perſonæ, & in ratione Patris vt proinde quemadmodum diſtinguitur reipſa à Filio & opponitur relativè in ratione Patris; ita etiam diſtinguatur & relativè opponatur in ratione ſingularis perſonæ. Ergo non per aliquid abſolutum, ſed per formam relativam paternitatis, qua conſtituitur in ratione Patris, conſtituitur etiam in ratione ſingularis perſonæ.

30 CONFIRMATVR Ab illatione eiuſdem abſurdi. Quamvis enim comparando abſoluta cum relativis non vrgeat in Deo axioma illud, *Quæ ſunt eadem vni tertio ſingulari, ſunt eadem inter ſe*; vt vidimus Diſp. LX. ſect. 2. tamen comparando prædicata abſoluta inter ſe, tam in divinis, quàm in rebus creatis, veriſsimum eſt, atque evidenti ratione & inductione vniversè comprobatum. Si ergo tres perſonæ divinæ conſtituuntur proprietatibus abſolutis; quemadmodum hæ, iuxta fidem, ſunt eædem vni tertio ſingulari, nimirum eidem eſſentiæ divinæ; ita erunt eædem reipſa inter ſe; ideoque in divinis non erunt reipſa tres perſonæ, ſed vna, quemadmodum non ſunt tres dij,

ſed

ſed vnus Deus. Cùm igitur conſequens ſit apertè Sabellianum & Iudaicum, dicere omnino debemus, perſonas divinas in ratione talium conſtitui, non per aliquid abſolutum, ſed per formas relativas, præ omni alia perſona creata & creabili: vt proinde in ijs non habeat locum axioma illud, quod vniversè verificatur in quibuslibet prædicatis abſolutis dumtaxat, comparatis cum tertio, & inter ſe. Et ſanè, quemadmodum ſumma perfectio Dei cum ſumma fœcunditate coniuncta, cogit ad ſtatuendam in divinis præ omni ente creato & creabili diſtinctionem virtualem intrinſecam eſſentiæ à perſonalitatibus, vt vidimus Tomo I. Diſp. XXVII. ita etiam cogit ad ſtatuendam eandem diſtinctionem inter omne prædicatum abſolutum Dei, & proprietatem perſonalem, vt proinde hæc, tanquam relativa, multiplicetur in divinis perſonis quamvis nullum prædicatum Dei abſolutum ſit reverà multiplicatum.

31 RATIO III Nulla perſona divina, prout diſtincta ab alia, conſtituitur per aliquid, quod ſit perfectio ſimpliciter ſimplex ex ſua ratione formali. Atqui omne prædicatum abſolutum Dei eſt perfectio ſimpliciter ſimplex ex ſua ratione formali. Ergo nulla perſona divina, prout condiſtincta ab alia, conſtituitur per prædicatum abſolutum. Conſequentia eſt optima: & maior propoſitio ſatis probata fuit Diſp. LXXIII. præſertim ſect. 2 vbi latè oſtenſum fuit, perfectionem ſimpliciter ſimplicem nullatenus multiplicari reipſa in divinis perſonis. Alioqui enim perfectior eſſet divina eſſentia identificans tres perſonalitates, quàm quælibet ex ſingulis perſonis; & vna perſona, quàm duæ aliæ ſimul. quod ibidem à num. 6 fuit latè reiectum. Si autem quælibet perſona divina, prout condiſtincta ab alia, conſtitueretur per aliquid, quod ex ſua formali ratione ſit perfectio ſimpliciter ſimplex, quemadmodum eſt triplex conſtitutivum & diſtinctivum trium perſonarum, ita etiam triplex perfectio ſimpliciter ſimplex in ijs eſſet: vti eodem loco oſtendimus contra aliquos ex Recentioribus id negantes. Iam minor præcipui ſyllogiſmi, in qua poteſt eſſe hoc loco diſsidium, ſuadetur multipliciter. PRIMO: Quia omne prædicatum abſolutum Deo conveniens neceſſariò, habet rationem eſſentiæ, aut attributi: vt patet inductione. Atqui in Deo, tam eſſentia, quàm quodlibet attributum, ex ſua ratione formali, eſt perfectio ſimpliciter ſimplex; vt ſuprà cap 14. docuit Anſelmus, & nos diximus cum ip o in Scholijs, & præterea Diſp. XXIV. ſect vlt. Ergo omne prædicatum Dei abſolutum ex ſua ratione formali eſt perfectio ſimpliciter ſimplex. SECVNDO. Omne prædicatum Dei abſolutum, convenit ipſi pro priori rationis ad origines & relationes, atque adeò ſecundùm abſolutam rationem divinitatis: quidquid autem convenit Deo ſecundùm abſolutam rationem divinitatis, eſt perfectio ſimpliciter ſimplex. TERTIO. Ex omnibus prædicatis neceſſarijs Dei ſolùm illud non habet ex propria ratione formali eſſe perfectionem ſimpliciter ſimplicem, penes quod opponuntur perſonæ inter ſe. Cùm enim eiuſmodi perfectio nequeat multiplicari, vt vidimus allegata Diſp. LXXIII. nequit convenire Deo ratione eius prædicati in quo opponuntur perſonæ: vtpotè quarum quælibet eſt ſummè perfecta, ac proinde nulli alterius perfectioni oppoſita. Atqui in nullo prædicato abſoluto opponuntur perſonæ. Nō enim relativè, cùm prædicata relativè oppoſita, debeant eſſe relativa. Non contrariè, quia oppoſitio cōtraria eſt propria rerum creatarum, nec ſinit vtrumque extremum coexiſtere: omne autem prædicatum Dei abſolutum cuilibet alteri abſoluto Dei prædicato coexiſtit. Non denique contradictoriè, aut privativè, vt patet. Ergo omne prædicatum abſolutum Dei ex ſua ratione formali eſt perfectio ſimpliciter ſimplex.

32 CONFIRMATVR. Omne prædicatum abſolutum Dei, ex ijs quæ novimus neceſſariò ipſi convenire, ex ſua ratione formali eſt perfectio pura & ſimplex, quam habere melius ſimpliciter ſit, quàm non habere, & quā omne cum ea pugnans. Id patet excurrendo per omnia prædicata abſoluta Dei, quotquot naturalis Theologia de ipſo demonſtrat. Cùm enim omnes anticipata quadam naturæ notione inſitum habeant, Deum eſſe id, quo nihil melius aut excellentius cogitari poteſt, vt obſervat Anſelmus in Proslogio cap. 1 2. & 3. Theologia naturalis nihil de ipſo abſolutè demonſtrat, quod non ſit tantæ perfectioni conſentaneum, ac proinde habens rationem perfectionis puræ & ſimplicis. Atqui nulla ex proprietatibus perſonalibus intra Deum ex ſua ratione formali eſt perfectio ſimpliciter ſimplex: vt ſupponimus latè probatum. Ergo nulla illarum eſt prædicatum abſolutum.

33 QVIA Verò longè certius eſt, perſonas divinas conſtitui proprietatibus relativis, quàm perfectionem ſimpliciter ſimplicem in ijs non multiplicari, prudens Theologus in diſputationibus publicis non tam inſiſtet huic poſtremæ rationi, quæ faciliùs eludi propterea poteſt, quàm duabus præcedentibus, quæ maiorem abſdubiò vim habent, & nullam videntur inſtantiam pati iuxta aliquam probabilem Theologorum ſententiam. Nos verò præterea hanc tertiam addidimus, quæ doctrinæ iam ſuprà traditæ & ex inſtituto probatæ Diſp. LXXIII. cohærens maximè eſt.

SE-

SECTIO QVINTA.

Argumenta præcipua conſtituentium perſonas diuinas per abſolutas proprietates, obiiciuntur & enodantur ſpeciali ſolutione, iuxta doctrinam à nobis ſtatutam alijs atque alijs locis.

36 OBIICIES I. Perſonæ divinæ conſtituuntur per ſubſiſtentiam incommunicabilem. Atqui ſubſiſtẽtia incommunicabilis eſt in divinis abſoluta. Ergo perſonæ divinæ conſtituũtur per ſubſiſtentiam abſolutam. Maior colligitur ex definitione perſonæ à Boetio tradita; vt ſit *rationalis naturæ individua ſubſtantia*: id eſt, incommunicabilis ſubſiſtentia, vt multi ex Doctoribus exponunt. Minor autem conſtare videtur ex ſententia docente, ſubſiſtentiam in divinis non eſſe triplicem & relativam, ſed vnicam & abſolutam: quam nos latè tradidimus Diſp. LXXVIII. per totam, & non obſcurè docent Auguſtinus, Anſelmus, ac D. Thomas, locis & verbis ibidem indicatis & exſcriptis n. 6. 7. 8. & 9. vbi nullam agnoſcere videntur in divinis ſubſiſtentiam, niſi abſolutam, ſive ad ſe.

37 RESP. Iuxta dicta à nobis eo loco, ac proinde prætermiſsis aliorum opinionibus, & ſolutionibus, diſtinguendo maiorẽ. Perſonæ divinæ conſtituuntur vltimò in ratione perſonarum per ſubſiſtentiam incommunicabilem, nego: non vltimò, ſive in ratione entis per ſe exiſtentis, concedo maiorem. Deinde diſtinguo minorem. Subſiſtentia incommunicabilis eſt in divinis abſoluta, ſecundùm formalem rationem ſubſiſtentiæ, concedo; ſecundùm incõmunicabilitatem, nego minorem, & conſequẽtiam. Itaque perſonæ divinæ conſideratæ ſecundùm vltimum conſtitutivum & diſtinctivum ad invicem, prout loquimur in hac controverſia, non conſtituuntur per rationem formalem ſubſiſtentiæ, vtpote quæ communis eſt ad ſuppoſitum rationale & irrationale, & in Deo tota eſt ad ſe, neque vllo modo multiplicata, vt Auguſtinus, Anſelmus, & D. Thom. eo loco à nobis allegati docent: ſed per ſolam perſonalitatem relativam, & vniuſcuiuſque perſonæ propriam, quæ immediatè & per ſeipſam eſt incommunicabilis cuilibet alteri perſonæ. Neque obſtat definitio illa Boetij: in qua *ſubſtantia individua* non tam accipitur pro *ſubſiſtentia incommunicabili*, quidquid aliqui dixerint; quàm pro ſuppoſitalitate incommunicabili: quæ ſanè in divinis triplex & relativa eſt. Sicuti enim in divinis non admiſimus eo loco ſuppoſitum commune & abſolutè dictum, ſed tria relativè accepta: ita etiam nec in Deo aſſerimus ſuppoſitalitatem abſolutam & communem; ſed triplicem ac relativam, perinde ac triplicem perſonalitatem. Nimirum, tam ſuppoſitalitas, quàm perſonalitas, important ex ſua ratione formali, adiuncta Theologorum communi acceptione, vltimum complementum ac determinativũ intra genus ſubſtantiæ, quod generatim à Græcis dicitur hypoſtaſis, & conſtituit ſuppoſitum incommunicabile in natura rationali & irrationali. Subſiſtentia autem ex ſua ratione formali non excludit communicabilitatem, ſicut nec eſſentia, ad plura ſuppoſita aut perſonas: ideoque S. Thom. in 1. diſt 26. q. 2. ar. 1. ad 4. aiebat: *Quæ dicuntur per reſpectũ ad eſſe, prædicantur ſingulariter: vt ſubſiſtentia, & eſſentia.* Nimirum, vt cum eodem D. Angelico oſtenſum fuit latè Diſp LXXVI. per totam, ſubſiſtentia ex ſua ratione formali idem omnino eſt ac exiſtentia per ſe: quæ in Deo abſoluta quidem eſt, verùm non triplex, ſed vnica in tribus perſonis. Vide omnino quæ diximus Diſp. LXXVIII. num. 61. vnde præoccupari facilè poſſunt plures obiectiones & inſtantiæ contra hanc ſolutionem, quas conſultò omittimus.

38 OBIICIES II. Omne quod ex ſua ratione formali importat perfectionem, cõſtituitur in Deo per aliquid abſolutum. Atqui perſona ex ſuo formali conceptu importat perfectionem formalem. Ergo conſtituitur in Deo per aliquid abſolutum. Conſequentia eſt in figura & modo perfectio. Maior ſupponitur à nobis tradita Diſp. LXXIII. vbi excluſimus à relationibus divinis perfectionem ex ſua ratione formali ac relativa, probantes multipliciter, omnem perfectionem formalem Deo conuenire ratione alicuius prædicati abſoluti, ideoque illam non multiplicari in divinis perſonis. Minor autem ſuadetur ijſdem conſiderationibus, quibus ibidem num. 81. & 82. ſententia contraria innitebatur ad probandum, perſonalitates divinas ex ſua ratione formali perfectionem aliquam importare: quas proinde hoc loci non eſt opus repetere. Eadem verò ratio eſt de perſona, vt tali, ac de perſonalitate, vt patet.

39 RESP. Negando minorem. Vt enim eo loco reſpondimus, ſicuti perſona ex ſua ratione formali, abſtrahendo à divinis & creatis, eſt ratio præciſa ab abſoluto & reſpectivo; ita etiam à perfectione explicita, vel ſolùm implicita. Porrò in creatis, perſonalitas ſecundùm explicitam rationem eſt perfectio, ſed finita & limitata: perfectio quidem, nam per modum formæ abſolutæ complet naturam in gradu intellectuali, qui eſt omnium poſsibiliũ perfectiſsimus ex genere ſuo: finita autem & limitata, tum quia informat & recipitur, tum quia eſt modus, tum quia commenſuratur naturæ prorſus finitæ, tum denique quia incapax om-

omnino eſt terminandi omnem naturam alienam. Perſonalitas autem divina, licèt in recto & explicitè non exprimat perfectionem relativam, implicat tamen & per identitatem claudit quidquid perfectionis eſt infinitæ in eſſentia divina: & aliunde nullam habet limitationem ex ijs, quas recenſuimus in perſonalitate creata. Quare ſimpliciter & abſolutè loquendo perfectior eſt divina perſonalitas, quamvis non afferat peculiarem perfectionem de genere relativo. Cætera conſule loco indicato, & præterea ibidem num. 86. vide inſtantiam optimam in terminationibus liberis actuum voluntatis divinæ.

40 DICES. In Deo concedere debemus quidquid ratio naturalis aſſequitur & demonſtrat. Hæc autem aſſequitur & demonſtrat in Deo rationem ſuppoſiti in natura intellectuali, quod directè eſt perſona: ſiquidem Philoſophi demonſtrant lumine rationis, Deum intelligere, velle & procreare quælibet effecta liberè extra ſe: actiones autem eiuſmodi ſunt ſuppoſiti intelligentis, ac proinde perſonæ. Ergo lumine naturalis rationis demonſtratur Deũ eſſe perſonam. Atqui eodem lumine non demonſtratur in Deo aliquid relativum, ſed dumtaxat quod abſolutum eſt. Alioqui ratione naturali demonſtraretur in Deo multiplex relatio, proindeque & myſterium Trinitatis, contra quàm ſtatutum fuit ſuprà Diſput. LI. & omnes Theologi docent. Ergo de primo ad vltimum perſona in Deo conſtituitur, non per aliquid relativum, ſed abſolutum.

41 RESP. Prætermiſsis aliorum ſolutionibus, concedendo totum ſyllogiſmum. Dum verò ſubiungitur, lumine naturalis rationis non demonſtrari in Deo aliquid relativum, ſed dumtaxat quod abſolutum eſt, dico, neutrũ eorum demonſtrari quatenus abſolutum aut relativũ, quidquid reipſa ſit, ſive ex parte obiecti. Nimirum ratio naturalis ſolùm demonſtrat in Deo eſſe rationem ſubſiſtentis, ſuppoſitique in natura intellectuali, atque adeò perſonæ: quia demonſtrat, Deum intelligere, velle, & operari liberè, cum plena perfectione in ſuo eſſe: quod certè ſoli ſuppoſito ac perſonæ convenire poteſt. An verò in ratione perſonæ conſtituatur per aliquid abſolutum, & vnicum omnino, an relativum & triplex, nullatenus ſpectat ad rationem naturalem, ſed ad aliud lumen longè ſuperius. Sic certè quamvis ratio naturalis demonſtret, Deum liberè velle quidquid extra ſe operatur; non tamen oſtendit, quidnam in ſenſu formali ſit ea libera volitio, ſeu terminatio libera, aut per quid conſtituatur, vel quidnam addat. Vnde vel ipſi Theologi, adhuc ſuppoſita fide docente, Deum liberè operari, nullam hactenus notitiam nacti ſunt, ſaltem demonſtrativam, eius rationis formalis, in qua conſiſtit terminatio libera: vt vidimus latè Tomo I. Diſp. XXXV. & duabus ſequentibus. Quid ergo mirum, quòd quamvis ratio naturalis demonſtret in Deo rationem ſuppoſiti & perſonæ, nõ propterea deprehendat, an eius ratio formalis ſit abſoluta, vel relativa, ſed ab vtroque abſtrahat, & hæreat inter vtrumque? Verùm quod ratio naturalis non aſſequitur, id Theologia detegit: quæ, ſuppoſita fide aſſerente in Deo tres perſonas eâdem numero natura conſtantes, cum ſingulis earum identificata ſecundùm rem, manifeſtè probat, rationem perſonæ in Deo non eſſe abſolutam, ſed relativam. Vel enim in Deo eſſet vna perſona abſoluta communis tribus per identitatem: & hoc nequit eſſe, cùm perſona ex ſua ratione formali ſit incommunicabilis pluribus. Vel eſſet triplex perſona abſoluta: & hoc repugnat, cùm in divinis nulla poſsit eſſe perſonarum diſtinctio penes aliquid abſolutũ: vt in ſuperioribus probatum eſt multipliciter. Superest igitur demum, vt ſingulæ tres perſonæ conſtituantur penes aliquid relativum, prout ex Concilijs & Patribus didicimus.

42 OBIICIES III. Perſona ex terminis, vt aiunt, ſive ex ſua ratione formali, nequit conſtitui per relationem. Ergo dumtaxat conſtituitur per aliquid abſolutum. Conſequẽtia patet: quoniam inter ea duo extrema nequit aſsignari medium. Antecedens verò ſuadetur multipliciter. PRIMO: Quia perſona ex terminis, immo & ſuppoſitum quodlibet ex ſua ratione formali, eſt ſubſiſtens ad ſe: omnis autem relatio eſt ad aliud: cùm, teſte Ariſt. in Categorijs, totum eſſe relativorum ſit ad aliud ſe habere. Repugnat autem, aliquid conſtitui ſubſiſtens ad ſe per id, cuius tota ratio formalis eſt ad aliud. Ergo perſona ex ſua ratione formali nequit conſtitui per relationem. SECVNDO. Omne quod conſtituitur per relationem, conſtituitur per ordinem ad correlativum ſuum, vt filius ad patrem, & dominus ad ſervum. Atqui nulla perſona divina conſtituitur per ordinem ad aliam perſonam. Alioqui enim quælibet perſona divina eſſet perſona alterius perſonæ: ac proinde ſicut Pater æternus eſt Pater Filij, ita etiam eſſet perſona Filij, quod eſt planè falſum, & contrarium Auguſtino lib. 7. de Trinit. cap. 4. Ergo nulla ex perſonis divinis conſtituitur per relationem. TERTIO. Si enim relatio conſtitueret perſonam, profectò vniretur eſſentiæ, vt ſimul cum ea perſonam conſtitueret. Nequit autem relatio ſic vniri eſſentiæ: quoniam redderet illam relatam ad terminum, cùm hic ſit effectus formalis relationis in omni eo, cui vnitur. Patet verò, eſſentiam Dei incapacem eſſe, vt referatur ad terminum, cùm ſit prorſus abſoluta. Relatio igitur non conſtituit perſonã. QVARTO

TO denique. Nam ex eſſentia & forma, quibus conſtituitur perſona, reſultat vnum per ſe. Nequit autem vnum per ſe reſultare ex eſſentia & relatione: cùm illa ſpectet ad prædicamentum Subſtantiæ, hæc verò ad prædicamentum Relationis, ex quibus nequit vnum per ſe coaleſcere. Ergo perſona non conſtituitur in divinis per relationem, vt formam.

43 RESP. Negando maiorem: quia ſicuti perſona ex terminis, ſive ex præciſa ratione formali, abſtrahit à creata & increata; ita etiam ab eo, vt conſtituatur per formam abſolutam, aut relativam. AD I. robationem, relictis aliorum ſolutionibus, quæ maiorem ingerunt difficultatem, quàm argumentum ipſum, reſpondeo conſequenter ad dicta D. LXXVIII. precedenti, rationem ſubſiſtentiæ in tribus perſonis eſſe vnicam & abſolutam; rationem verò ſuppoſitalitatis, ſeu perſonalitatis ſolùm relativam & triplicem: quamvis in creatis, tam ſubſiſtentia, quàm ſuppoſitalitas, ſive perſonalitas, ſit prorſus abſoluta. Vnde concedo maiorem de perſona creata, nego autem de divina: quæ, quatenus talis, non importat directè rationem ſubſiſtentis, ſed ſolùm perſonalitatem, ſive perfectatem incommunicabilem ſubſtantiæ intellectualis, quæ eſt aliquid virtualiter intrinſecè diſtinctum à ſubſiſtentia in divinis, tanquam relativum ab abſoluto: vt ibidem latiùs explanatum eſt. Vnde licèt ſubſiſtens, tam in Deo, quàm in creatis, quatenus ſubſiſtens, ſit abſolutum, ſive ad ſe; perſona tamen in divinis non eſt abſoluta, ſive ad ſe, quatenus perſona eſt, ſed ad aliud, ſive relativa. AD II. nego minorem. Neque inde ſequitur, perſonam vnam eſſe in divinis perſonam alterius: ſed ſolùm vnam eſſe in ordine ad aliam, vt Patrem in ordine ad Filium, & vtrumque ad Spiritum ſanctum, ac vice verſa. Quod non negat Auguſtinus, ſed potiùs multis locis confirmat. Nec vrget quòd Pater ſit Pater Filij vt proinde ſequatur, perſonam Patris, ſi relativa eſt, fore perſonam perſonæ Filij. nam vbi dicimus, Patrem eſſe Patrem Filij, non dicimus Patrem eſſe Filij quaſi per identitatem cum ipſo aut quaſi paternitas formaliter inſit Filio. Hoc enim eſſet Iudaicum aut Sabellianum. Solùm itaque ſenſus eſt, Patrem ratione generationis eſſe in ordine ad Filium, veluti principium in ordine ad terminum productum. quo ſenſu certè nihil abſurdi eſt dicere, perſonam Patris eſſe in ordine ad perſonam Filij. AD III. conceſſa maiore de vnione ſolùm virtuali (realis enim vnio nequit habere locum inter extrema non diſtincta reipſa) negatur minor in eodem ſenſu. Neque inde ſequitur, eſſentiam eſſe relatam; quia non eſt ſubiectum capax vt referatur, ſed ſolùm vt terminetur, & vltimò compleatur per relationem. Subiectum autem capax formæ alicuius non debet eſſe capax omnium effectuum ab ea præſtabilium, ſed eorum dumtaxat, quæ nullam contradictionem involvunt in ipſo ſubiecto. quod, vel in rebus creatis videre licet, v.g. in generatione, quæ recepta in materia prima, non conſtituit illam genitam, ſed mutatam ſolùm in ordine ad generationem. AD IV. conceſſa maiore, negatur minor in divinis: quoniam relationes divinæ non ſunt accidentia, quemadmodum in creatis, ſed ſpectant ad lineam ſubſtantiæ per modum vltimi complementi: ideoque cum eſſentia Dei poſſunt conſtituere vnum per ſe.

44 INSTABIS Quia in creatis relatio diſtinguitur reipſa (iuxta ſententiam valde probabilem) à ſubſtantia ſpectãte ad aliud prædicamentum, nequit cum ea conſtituere vnum per ſe, conſtitutione reali. Atqui iuxta dicta à nobis Tomo I. Diſp. XXVII. relationes diſtinguuntur virtualiter intrinſecè ab eſſentia, ſecũdùm explicitum ſpectante ad aliud quaſi prædicamentum. Ergo relatio & eſſentia in divinis nequit conſtituere vnum per ſe, adhuc conſtitutione virtuali.

45 RESP. Obiectionem debere etiam ab Adverſarijs ſolvi, cum nequeant negare, vnã ſubſtantiam per ſe conſtitui in Deo ex eſſentia & relationibus, quali ercumque id explicetur, ſalva Fide Catholica. Deinde dico, rationem cur in creatis relatio non componat vnum per ſe cum ſubiecto, nullatenus eſſe ſitã in eo quòd ab illo diſtinguatur. Quin potiùs realis diſtinctio extremorum eſt neceſſaria ad realem compoſitionem per ſe in creatis: vt patet in materia & forma, natura & ſubſiſtentia. Ratio itaque adæquata eſt, quoniam entitas relationis & entitas ſubiecti verè ſpectant ad genera prædicamentalia primò diverſa. Relatio autem divina, licèt virtualiter intrinſecè diſtinguatur à ſubſtantia Dei, non propterea pertinet ad prædicamentum relationis, quòd ad ſola accidentia porrigitur; ſed ſpectat ad ſubſtantiam divinam per modum termini, ſive vltimi complementi intimi. Quamvis enim ex modo concipiendi noſtro habeat ſe vt relatio prædicamentalis, quæ tota eſt ad terminum; verè & per tranſcendentiam claudit rationem ſubſtantiæ increatæ: atque adeò poteſt ſimul cum eſſentia conſtituere vnum quaſi tertium virtuale & ſubſtantiale per ſe. Sic etiam Adverſarij conſtituentes in Deo triplicem perſonalitatem abſolutam, debent dicere, ſingulas perſonas eſſe vnum tertium virtuale & ſubſtantiale per ſe, non autem tertium reale: quoniam ſubſiſtentia illa nequit differre ab eſſentia divina ſecundùm rem.

46 OBIICIES Denique. Pater propriori rationis ad generationem ſupponitur conſtitutus plenè atque vltimò in ratione perſonæ

sonæ singularis:quia prius est esse,quàm operari.Atqui generatio ipsa secundùm rationem est prior relatione paternitatis, vtpotè quæ resultat ex generatione,iuxta Arist. 5.Metaph. textu 2.Ergo Pater pro priori rationis ad relationem paternitatis supponitur constitutus plenè atque vltimò in ratione singularis personæ. Non ergo in ratione talis constituitur per aliquid relativum,sed per absolutum dumtaxat, & supposítum ante omnem relationem.

47 HOC Argumentum est adeò difficile,vt iam ab aliquot sæculis diviserit Theologos in varios dicendi modos,plurimùm dissidentes inter se. Quare ad eius solutionem pleniùs tradendam, excitamus Disputationem sequentem: in qua invenies idem argumentum latè confirmatum, ac tandem solutum sectione sexta per totam. Nunc pro coronide Disputationis accipe verba Nostri Alchuini in libro Quæstiuncularum de Trinitate, qui habetur inter Opuscula Augustino tributa Tomo III. vbi ille inquit:* Interrogatio:Dum tres personas dicimus Patrem,& Filium, & Spiritum sanctum, quare non tres Deos, nec tres omnipotentes, nec tres bonos, nec tres magnos dicere fas est? Responsio:Quia Deus,& omnipotens,& magnus,& bonus, & æternus, substantialia nomina sunt, & ad se dicuntur: ideo non licet ea plurali numero dicere, sed singulari: & omne nomen, quod substantiam Dei, vel essentiam significat,semper singulari numero proferendũ est.PATER AVTEM, ET FILIVS, ET SPIRITVS SANCTVS, RELATIVA SVNT NOMINA: ET IDEO TRES PERSONÆ RECTE DICVNTVR. * Hactenus ille, non solùm docens, sed & firma ratione probans, personas divinas esse tres, quia relationibus constituuntur.

DISPVTATIO LXXX.

QVONAM SENSV PERSONAE DIVINÆ CONSTITVANTVR ET DISTINGVANTVR PER RELATIONES.

AD REVERENDISSIMVM P.N.MAGISTRVM Fr.IOANNEM DE LA RIBA, dignissimum quondam Generalem Congregationis Benedictinæ in Hispania,& Anglia, Artium & Theologiæ Professorem insignem iam pridem Emeritum,Catholicę Maiestatis Concionatorem, ac Theologum in Regio Conseſſu Immaculatæ Conceptionis, nunc iterum celeberrimi Monasterij & Oppidi S. Salvatoris de Oña spectatissimum Antistitem & Toparcham, &c.

QVAMVIS Disputatione præcedenti statutum fuerit, personas divinas non constitui per aliquid absolutum, sed per relationes tantùm, idque sit cohærens doctrinæ S. Anselmi, & reliquorum Patrum, atque omnium ferè Scholasticorum; adhuc id difficillimum explicatu est, propter argumentum vltimo loco propositum num.46. contra communem illam sententiam. Etenim Theologi ad solvendum illud,in varias opiniones divisi sunt, quas oportet hoc loco examinare,& nostrum ea de re iudicium ferre. Ia verò spectat ad eadem loca Anselmi,Magistri Sententiarum,D.Tho.Scoti,& Durandi,ac præcedens Disp. quorum aliqua etiam indicabimus in progressu. Profiteor autem initio, me non tam ex animi sententia impugnaturum aliorum opiniones, quàm indicaturum difficultates, quibus

bus illæ vrgentur: vt examinatis omnibus ferè ijs, & propoſitis rationibus dubitandi, tandem ſectione quinta & ſequentibus, ſeligam ex ijs ipſis id, quod veroſimilius, & Anſelmo conformius apparuerit.

SECTIO PRIMA.

Examinatur ſententia docens, perſonas diuinas ita diſtingui relationibus, vt tamen potiùs ac præcipuè originibus conſtituantur & diſtinguantur. Vbi plura de mente Anſelmi, & aliorum Patrum.

2 PRIMA Sententia, quamvis fateatur in conceptu proprietatis perſonalis claudi relationem & originem, docet, perſonas divinas primò ac principaliter conſtitui per origines, poſteriùs autem & conſequenter per relationes. Ita ferè Bonaventura in 1. diſt. 26. q. 2. & 3. ac præterea tota diſt. 27. à quo vix differt Aureolus eâdem diſt. 26. art. 2 col. 2. & 3. Fundamentum præcipuum eſt, quia ratio originis eſt prior ſecundùm intelligendi modum, quàm formalis ratio relationis, cùm hæc ſupra illam fundetur: vt patet in paternitate & filiatione creata, quæ ſupponunt pro aliquo priori originem, ſeu generationem, & ſupra illam fundâtur. Ergo perſonæ priùs ac potiùs conſtituuntur per origines, quàm per relationes.

3 SED Contrà I. Hæc enim opinio videtur reiecta tacito conſenſu Florentini Cõcilij, vbi Cardinalis Beſſarion in Oratione pro Vnionè cap. 6. multò propiùs ad medium, quã ad finem, illam directè reijcit, ſimulque rationem reddit hiſce verbis: *Relatio & origo, etſi ſecundùm modum intelligendi differunt (ſiquidem origo ſignificatur per modum actus, vt generatio; relatio verò per modum formæ, vt Paternitas) re tamen non differunt. Ideo vtroque quidem modo diſtinguuntur perſonæ diuinæ: PRIVS TAMEN ET PRINCIPALITER, SECVNDVM MODVM INTELLIGENDI, PER RELATIONES, PER QVAS ETIAM CONSTITVVNTVR DIVINÆ PERSONÆ: CONSEQVENTER AVTEM PER DIVERSVM PROCESSVVM MODVM, SIVE PER ORIGINEM. Non enim generare, & genitum eſſe, quod originis eſt, conſtituit principaliter perſonam: ſed Paternitas, & Filiatio, ſiue Patrem & Filium eſſe, quod relationis eſt. Sed quia relatio & origo idem ſunt re, & relatio conſequitur originem; ideo vtroque quidem modo diſtinguuntur diuinæ perſonæ: ſed principaliùs relatione, ſiue proprietatibus.* Hactenus ille, & quidem cohærenter ad doctrinam traditam Diſp. præced. ſect. 2. & 3 ex Concilijs, Anſelmo, alijſque Patribus, atque omnibus ferè Scholaſticis cum Magiſtro in 1. diſt. 26. ac nominatim Durando ibid. quæſt. 1. num. 14. & D. Thom. quæſt 2. art. 2. ac præterea 1. p. quæſt. 40. art. 2. qui ſimpliciter pronuntiant, ac ſæpiſsimè docent abſque limitatione vlla, perſonas divinas conſtitui relationibus & diſtingui, aut nulla facta mentione originum, aut exprimendo, illas minùs principaliter, vel ſolùm ſecundariò aut conſequenter diſtingui per origines.

4 DEINDE Ratio à Beſſarione propoſita quâ & cæteri vtuntur in idem probandum, eſt optima: quia licèt origo & relatio in divinis non differant ſecundùm rem, ſed penes modum noſtrum concipiendi, ſive penes aliquam diſtinctionem rationis; adhuc tamen, iuxta rectum intelligendi modum, perſona, quæ concipitur tanquam aliquid permanens, primariò ac priùs conſtitui debet per id quod exprimit formam permanentem, quàm per id, quod ſolum ſignificat viam aut motum ad terminum. Atqui relatio, vt relatio, exprimit formam permanentem; origo autem viam ſeu motum ad terminum. Ergo perſona divina primariò ac potiùs conſtitui debet per relationem, quatenus relatio eſt, quàm per originem, loquendo generatim.

5 CONTRA II. Excurrendo per ſingulas perſonas divinas, apparet, vnamquamque earum priùs conſtitui relatione, quàm origine. Imprimis enim Pater potiùs conſtitui cenſendus eſt paternitate, quàm origine activa, quæ eſt generatio: quoniam ratio præcipuè conſtituens ſuppoſitum, vel perſonam Patris, debet intelligi per modum actus primi, non autem ſecundi fluentis à ſuppoſito aut perſona. Atqui origo activa, ſeu generatio, non intelligitur per modum actus primi, ſed ſecũdi, fluentis à ſuppoſito aut perſona generante. Ergo origo activa, ſeu generatio, non eſt ratio præcipuè conſtituens ſuppoſitum aut perſonam Patris. Deinde, origo activa, ſeu generatio, non intelligitur deſtinata ad tribuendũ eſſe Patri, ſed Filio genito: atque adeò vel ex hoc capite excluditur ſatis à conſtitutivo primario perſonæ Patris. Quoad Filium verò ſuadetur, non conſtitui origine. Quando enim intelligimus convenire alicui rei ſuũ primariũ & for-

formale constitutivum, tunc sanè concipimus rem illam constitui; non antea, aut postea. Atqui dum intelligimus originem, seu generationem, nondum concipimus Filium constituti, sed solùm postea dum cogitamus ipsum iam genitũ in esse fivo & permanenti. Ergo origo, seu generatio, non est primariũ & formale cõstitutivum Filij. Itaque illud situm est, non in generatione, seu in generari concepto quasi *in fieri*, sed n filiatione considerata permanenter, & veluti *in facto esse*. Eadem verò ratio vrgeri potest circa Spiritum sanctum, ne primariò constituatur per processionẽ, etiam passivam, quasi *in fieri* consideratam, sed per spirationẽ passivam, & veluti in facto esse, quâ ratione exprimit vim fixæ & permanentis relationis.

6 ADHVC Verò concedere oportet primæ sententiæ Authoribus, personas divinas aliquomodo, id est, minùs principaliter, vel etiam secundariò aut consequenter, constitui ac distingui per origines. Id enim saltem evincunt plurima SS. Patrum testimonia exscripta à Ruiz disput. 83. sect. 2. & disput. 84. sect. 1. 2. & 3. Nam in aliquibus illorum palam traditur, personam Filij, & similiter Spiritus sancti, constitui per genitum esse, aut procedere: & discrimen vtriusque in eo ponitur, quòd Filius sit genitus, Spiritus sanctus autem procedat: ac denique dicitur, generari esse proprium seu proprietatem Filij, spirari autem Spiritus sancti. Similiter & in quibusdam ipsorum locis habetur, Patrem ideo Patrem esse, quia generat: Filium autem ideo Filium existere, quia generatur. Denique in eorum testimoniorum nonnullis dicitur, prædictas origines esse notiones, aut characteres personarum: patet verò, notiones aut characteres in divinis esse quoddammodo rationes distinguendi vnam personam ab alia. Ergo personæ divinæ quoddammodò, sive minùs principaliter, sunt rationes distinguendi vnam personam ab alia.

7 HOC Sensu, & comprehendendo vtrumque constitutivum, ac distinctivum, id est primarium, ac minùs principale, docet Anselmus personas divinas constitui per relationes & origines. Etenim in Opusculo sive Epistola de Processione Spiritus sancti cap. 2. post medium, ait: *Hæc sola causa pluralitatis est in Deo, vt Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, dici non possint de invicem, sed alij sint ab invicem: quia prædictis modis est Deus de Deo. QVOD TOTVM POTEST DICI RELATIO.* Vbi indivisim complectitur nomine relationis, tam respectum mutuum Patris, Filij, & Spiritus sancti, quàm origines significatas locutione illa, *Deus de Deo*: eamque ait esse solam causam, sive rationem adæquatam distinguendi vnam personam ab alia. Quo ipso satis denotat, primariam rationem distinguendi esse relationem, vt relatio est; minùs principalem verò relationem ipsam, prout origo est. Deinde cap. 3. sequenti non longè à principio inquit: *Supradicta relationis oppositio, quæ ex eo nascitur, quia prædictis duobus modis Deus de Deo est, prohibet Patrem, & Filium, & Spiritum, sanctum de invicem dici.* Ergo quòd in divinis Deus sit de Deo, id est, vna persona ducat originem ab alia, est quoddammodo ratio, vt ab ea distinguatur, seu invicem de illa prædicetur. Idipsum docet ibidem cap. 29. iuxta partitionem Gerberonis circa finẽ capitis dicens: *Per hoc verò, quia cùm Deus est de Deo, aut nascendo, aut procedendo, non potest vnus idemque esse, qui est de aliquo, & & de quo est; secundùm nomina has relationes significantia, tenent, sicut diuersæ hominum personæ, pluralitatem.*

8 DICES: Anselmus ipse in eodem Opusculo cap. 2. ita ait distingui oppositione relativa, vt tamen rationem distinguendi præcipuam videatur tribuere origini. Loquens enim de distinctione Filij à Spiritu sancto, & reddens rationem cur alter ab altero distinguatur, ait: *Non habet hic vnitas illa vim consequentiæ, quia pluralitas obviat, quæ ex natiuitate nascitur. Nam etsi per aliud non essent plures Filius & Spiritus sanctus; per hoc solùm essent diuersi.* Ergo ratio præcipua distinguendi vtrumque est distincta origo.

9 RESP. Negando antecedens; quia Anselmus locis allegatis præcipuam rationem distinguendi collocat in relatione. Porrò D. Thom. 1. part. quæst. 36. artic. 2. ad 2. obiecto sibi eo testimonio Anselmi, respondet: *Spiritum sanctum distingui personaliter à Filio in hoc, quòd origo vnius distinguitur ab origine alterius: sed ipsam differentiam originis esse per hoc quòd Filius est solùm à Patre, Spiritus sanctus verò à Patre & Filio. Non enim aliter processiones distinguerentur.* Sed de hoc alibi latiùs. Itaque summùm inde colligitur, non solùm relationes, sed & origines, conferre plurimùm momenti ad distinctionem personarum divinarum. Verùm adhuc locus est, vt præcipua ac primaria distinguendi ratio sit relatio secundùm munus relationis, potiùs quàm originis, prout idẽ Anselmus cæteris locis docet. Quin & in testimonio obiecto, non tam loquitur ex proprio sensu, quàm Græcorũ, veluti permittendo ipsis eam hypothesim: vt postea diligentiùs examinet processionẽ Spiritùs sancti ex Patre, & Filio, de quo nos ibidem plura in Scholijs.

10 EAM Doctrinam abſdubio didicit Anſelmus à SS. Patribus, apud quos ſæpe eodem ſermonis contextu aſsignantur relationes & origines, veluti ratio adæquata diſtinguendi, & veluti notio ac proprietas vniuſcuiuſque perſonæ. Sic quippe loquitur Magnus Athanaſius Dialogo 1. de S. Trinitate contra Anomœum in medio, dicens: *Nihil differt Pater à Filio reſpectu Dei, ſiue in Deum eſſe, ſed in Patrem eſſe, & Filium eſſe: quoniam ille quidem genuit, hic verò genitus eſt.* Vbi ita diſtinguit Patrem à Filio penes paternitatem & filiationem, vt tamen pro ratione eius diſtinctionis præterea aſsignet originem vnius ab alio. Baſilius quoque Tract. de vera & pia Fide inter medium & finem, eodem ſenſu ait: *In Patre quidem proprietas Patris, in Filio verò proprietas Filij, in Spiritu ſancto poſtremò ſua quædam à duobus diuerſa proprietas: cùm nec Spiritus ſanctus à ſeipſo loquatur, nec Filius à ſeipſo faciat quidquã: ac Pater quidem Filium mittat, Filius verò Spiritum ſanctum.* Hactenus S. Doctor: in cuius verbis obſervare oportet perſonas diuinas priùs conſtitui proprietatibus relativis Patris, Filij, & Spiritus ſancti; ſubinde verò activa origine mittentis, & paſsiva perſonæ miſſæ; quæ eſt à mittente, vt à principio, & ab illo habet vt operetur & loquatur; ideoque nec Filius dicitur quidquam à ſeipſo facere, nec Spiritus ſanctus loqui à ſeipſo, ſed ea tantùm quæ audit. Quod fusè & ex profeſſo vrget Anſelmus in Epiſt. paulo antè indicatã.

11 SIMILITER Alexander Alexandrinus Epiſt. ad alterum Alexandrum CP. col. 6. relationem & originem coniungit indiviſim, veluti proprietates ad internoſcendũ perſonas Patris & Filij. Ait enim exponens quædam verba Pſalmi 109. *Illud, Ex vtero ante Luciferum genui te, perſpicuè oſtendit naturalem, quæ in Filio eſt, paternæ generationis proprietatem, quam propriæ naturæ vi conſequutus eſt. Proinde Vnigenitus Patris Filius hanc proprietatem, qua Filius eſt, formam immutabilem tenet.* Sed & audiendus præterea Cyrillus Alexandrinus Dialogo de Trinit. lib. 7 prope medium dicens: *Quænam ſpiritus natura ſit, operæ pretium eſt ſcrutari, allata huc nominum proprietate; non quæ Diuinitatem ſignificet, ſed quæ bene ſignificet, quis modus exiſtentiæ ſingulorum nominatorum à nobis intelligatur. Nam Pater oſtendit quòd genuerit; & quòd genitus ſit, declarauit Filius. Inſuper quòd Spiritus ſit ex Deo Patre, propriuſque ipſius Filij.* Hactenus ille, indiviſim coniungens relationem paternitatis & filiationis, cum generatione ſive origine paſsiva, ad internoſcendã proprietatem, quæ ab ipſo appellatur *modus exiſtentiæ ſingulorum*, Græcè τρόπος τῆς ὑπάρξεως ἑκάστων. quo etiãm ſenſu loquutũ non ſemel Damaſcenum obſervavimus ſuprà Diſp. LXXIV. ad probandum ex ipſo, exiſtentiam in tribus perſonis eſſe vnicã, quamvis modus exiſtendi incommunicabiliter ſit triplex.

12 NEC Modò ita loquuntur PP. Græci, ſed & Latini. inter quos Gregorius Boeticus lib. de Trinit. propiùs ad medium, quàm ad finem, inquit: *Hoc ſolo differt à Patre Filius, quòd ille Pater eſt, & hic Filius*, id eſt, *quòd ille genuit, hic natus eſt.* Vbi origo paſsiva & activa coniungitur paternitati, & filiationi ad diſtinguendum perſonas Patris & Filij, veluti adæquata ratio. Iſidorus quoque lib. 2. de Differentijs ſpiritualibus, cùm præmiſsiſſet cap. 2. primariam rationem diſtinguendi perſonas divinas, dicens: *In relatione perſonarum Trinitas eſt*: poſtea cap. 3. addit origines, veluti quæ diſcerneudi etiã habeant vim. Ait enim: *Inter perſonam Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ita ſecernitur, quòd Pater nec genitus eſt, nec procedens; Filius ex Patre genitus, non procedens; Spiritus ſanctus ex Patre & Filio, non genitus, ſed procedens.* Quin & Anſelmus concludit hoc ipſum cap. 38. dicens de ſummo ſpiritu, & ipſius Verbo: *Proprium eſt vnius eſſe ex altero: & proprium eſt alterius, alterum eſſe ex illo.* Vbi proprietates perſonales Patris & Filij exprimit per origines. Mitto aliorum Patrum teſtimonia. Quæ enim hactenus in medium produxi, ſatis ſuperque confirmant, diuinarum perſonarum conſtitutionẽ diviſionemque eodem ferè ſermonis contextu tribui ſolere relationibus & originibus, vt proinde non illæ ſolùm, ſed & iſtę conferant plurimũ momenti ad internoſcendum vnam perſonam ab alia. Id verò non obſtat, vt conſideranti rem accuratiùs, & conferenti relationes ipſas cum originibus, priores illæ habeant vim præcipuam ac primariam conſtituendi, & diſtinguẽdi; poſteriores verò minùs præcipuam aut conſequentem, prout à principio ſectionis probatum fuit.

13 RATIO Autem num. 2 obiecta, vt origines potiùs, quàm relationes, conſtituant & diſtinguant perſonas, aliter & aliter ſolvitur iuxta varios modos aſsignandi in relationibus vim formalem conſtituendi ac diſtinguendi perſonas, de quibus in progreſſu. Nunc breviter, iuxta ſtatuẽda inferiùs à n. 47. dicendũ breviter, quamvis expreſſa ratio originis intelligatur quoddãmodo precedere munus vltimũ & inadæquatũ relationis, quod eſt referre explicitè ad terminũ; adhuc tamẽ intelligi

ſub-

ſubſequutam ad primum munus formæ relativæ, quod eſt conſtituere perſonam, quamvis cũ exigentia formali originis & actualis reſpectus. Itaque explicita ratio originis intelligitur mediare inter munus relativum ſuppoſitandi & referendi explicitè ad terminũ: ac proinde ſupponit perſonam pro aliquo priori conſtitutam. Cætera vide eo loco.

SECTIO II.

Refertur & refellitur multipliciter alia opinio aſſerentium, perſonas diuinas conſtitui relationibus, non tamen prædicamentalibus, ſed tranſcendentalibus.

14 SECVNDA Opinio eſt eorum, qui præſi difficultate argumentorum, quibus impugnari ſolet conſtitutio ac diſtinctio perſonarum divinarum per relationes, & aliunde coacti auctoritate Conciliorum ac Patrum ad id aſſerendum, exiſtimarunt totam litem componi ſi dicatur, perſonas divinas conſtitui ac diſtingui quidem relationibus, non tamen prædicamentalibus, ſed tranſcendentalibus, quæ ab ijs virtualiter diſtinguantur. Etenim v. g. detur eſſe locus vt relationes tranſcendentales pro aliquo priori rationis conſtituant perſonam ſubſiſtentem in natura intellectuali, & pro alio ſigno ſequenti ſubeant munus originum, vt proinde in vltimo ſigno reſultent relationes prædicamentales, aut quaſi prædicamentales. nam preſsè loquendo, ſupponimus, nec relationes, nec aliud prædicatum divinum, contineri ſub aliquo ex decem Prædicamentis, iuxta doctrinam à nobis latè traditam Tomo 1. Diſp. XXX. & præterea Diſp. XLVII. ſect. 3. ad mentem Anſelmi ſuprà cap. 26 Hunc dicendi modũ primus omnium videtur tradidiſſe Henricus Gandavenſis 2. parte Summæ art. 58. q. 4. quatenus docuit, perſonam Patris, conſtitui per relationem quaſi aptitudinalem, quæ Patrem conſtituit perſonam ſubſiſtentem, & proximè potentẽ generare; ac proinde radicaliter cõtinet paternitatẽ. Idipſum ferè poſtea ex Recentioribus tradunt; atque alijs & alijs vocibus exponunt Marchinus de Trinit. diſp. 48. Averſa q. 28. ſect. 11. §. *Cæterum*, Quiros 1. p tract 7. diſp 28. ſect. 3 & Franciſc. Lugus lib 2. diſp. 22. cap. 6. vbi contendit, plurimos alios Authores, qui pro alijs opinionibus allegari ſolent, idipſum tradidiſſe.

15 VERVM Hic dicendi modus difficilis eſt ex multiplici capite. PRIMO enim obſtant teſtimonia Conciliorum, & omnium pene Patrum Eccleſiæ, aſſerentium, proprietates perſonales in divinis, non eſſe formas abſolutas, ſed relationes: vt vidimus tota Diſputatione præcedenti. Idque adeò certũ exiſtimant frequenter Scholaſtici, vt plurimi illorũ non dubitaverint oppoſitum inurere gravi notâ, aut hæreſeos, aut erroris, aut temeritatis ſaltem in re maximè gravi: vt patet ex allegatis ibidem num. 6. Ea verò doctrina inanis redditur, ſi relationes, quibus perſonæ divinæ conſtituuntur, aſſerantur tranſcendentales, & virtualiter diſtinctæ à prædicamentalibus: Quoniam ex communi Metaphyſicorum ſenſu relatio tranſcendentalis, prout diſtincta à prædicamentali, eſt aliquid abſolutum ſimpliciter, & ſolùm relativum *ſecundùm dici*, vt ipſi loquuntur; non autem reipſa & propriè. Si igitur perſonæ divinæ in ratione talium conſtituuntur relationibus tranſcendentalibus, prout virtualiter diſtinctis ab ijs, quæ ſunt prædicamentales, aut quaſi; profectò iam conſtituuntur proprietatibus ſimpliciter abſolutis. Quod eo loco relinquimus multipliciter explosum, idque ex conſenſu etiam eorundem Authorum.

16 DICVNT Adverſarij, relationem tranſcendentalem etiam eſſe verè ac propriè relationem, inſtar prædicamentalis, ſolumque ab ea differre penes hoc, quòd hæc poſterior ſit accidentalis rei, ac ſupponens fundamentum, ex cuius poſitione reſultet; illa verò eſſentialis, & nullum fundamentum ſupponens. Exemplumque adhibent in potentia paſſiva materiæ, quæ eſt vera & propria relatio tranſcendentalis ipſius ad formas ſubſtantiales; & in potentia activa radicali relatè ad operationes & effectus ab ea producibiles. Hoc itaque poſteriori ſenſu aiunt, perſonã Patris v. g. conſtitui per relationem tranſcendentalẽ, quæ in actu primo conſtituitur ſecundùm ſuum eſſe perſonale capax generandi Filiũ; & ſubinde ac poſtremò relatione prædicamentali ad ipſum, quæ virtualiter continebatur in ipſa relatione tranſcendentali.

17 SED Contrà I. Nemo hactenus dixiſſe invenitur, ſaltem ſi cum fundamento loquatur, materiam primam, vel etiam formam ſubſtantialem, eſſe verè & propriè relationem, quamvis vtraque viciſsim alteram eſſentialiter reſpiciat. Nemo item eſt, qui ſubſtantiam intellectualem dicat verè & propriè relationẽ eſſe, quamvis ex ſuo conceptu eſſentiali reſpiciat operationem intelligendi, tanquã tadix operativa ipſius. Omnes itaque materiam, formã, & ſubſtantiam intelligentẽ, cenſent eſſe aliquid ſimpliciter abſolutũ, quamvis ſecundùm ſuam rationẽ eſſentialem nequeat à nobis concipi, niſi per habitudinem ad aliud. Quin & in Deo ipſo intellectio, volitio, & omnipotentia, ſunt aliquid ſimpliciter abſolutum, licèt à nobis nequeant concipi, niſi

in ordine ad obiectum, vel ad creaturas poſſibiles. Si igitur eo ſolùm modo proprietates perſonales in divinis ſunt relationes, non propriè relationes ſunt, ſed aliquid ſimpliciter abſolutum. Vnde redeunt abſurda & incommoda illius opinionis, quàm ijdem Authores ſe nobiſcum refellere profitentur.

18 CONTRA II. Quòd enim forma illa conſtituens perſonas contineat virtualiter aut radicaliter relationem prædicamentalem, non ſufficit vt ſit relatio, vel extrahatur à ratione prædicati ſimpliciter abſoluti. Nam etiam eſſentia divina continet virtualiter ſive radicaliter relationes prædicamentales perſonarum; cùm tamen ipſa non ſit relatio, ſed aliquid propriè ac ſimpliciter abſolutum. Quin & in rebus creatis ſubſtantia ac potentia generativa ſunt aliquid ſimpliciter abſolutũ, quamvis radicaliter contineant relationem prædicamentalem ex generatione reſultantem. Si igitur forma conſtituens perſonas non eſt relatio prædicamentalis, quamvis illam contineat radicaliter aut virtualiter, manet in ratione formæ ſimpliciter abſolutæ: ideoque redeunt abſurda illa, quæ adverſarij ipſi nobiſcum vitare conantur.

19 SECVNDO Reijcitur. Iuxta teſtimonia Conciliorũ & Patrũ, quę allegavimus Diſp. præcedenti, perſona generans in divinis eſt Pater, quatenus Pater. Quippe ſub ea ratione & denominatione ſignificatur in ſacris litteris, quatenus eſt perſona diſtincta à reliquis duabus. At non conſtituitur vltimò in ratione Patris per relationem tranſcendentalẽ potentiæ generativæ, quâ poteſt eſſe Pater. Potentia enim generativa in creatis antecedit tempore, & ratione in divinis, conceptum formalem Patris: atque adeò non conſtituit Patrem. Ergo perſona generans in divinis, prout diſtincta à reliquis duabus, non conſtituitur vltimò per relationem tranſcendentalem potẽtiæ generativæ, ſed ſolùm per relationem prędicamentalem paternitatis.

20 NEC Tamen inde nego, ſed potiùs aſſero, relationem ipſam prædicamentalem paternitatis, quâ conſtituitur prima perſona, continere in ſuâ formali ratione quidquid eſt perfectionis aut integritatis in relatione tranſcendentali, quamvis non ſolum. Ratio prioris partis eſt: quia repugnat quòd relatio purè prædicamentalis, & nihil relationis tranſcendentalis habens, conſtituat ſuppoſitum, ſive perſonam ſubſiſtentem. Immo quãvis illud iam conſtitutum ſupponat, nequit ipſum conſtituere in ratione potentis generare, aut generari: quoniam iuxta doctrinam Ariſtotelis in Categorijs cap. *Ad aliquid*, totum eſſe relativorum, vt talium, ſive relationis prædicamentalis eſt ad aliud ſe habere. Patet verò, rationem ſuppoſiti, & potentis generare, non eſſe eius conditionis, vt totum ſuum eſſe ſit, ad aliud ſe habere. nam primum ſpectare in creatis videmus ad prædicamentum ſubſtantiæ, poſterius verò ad genus qualitatis. Igitur vt relatio prædicamentalis conſtituat ſuppoſitum, ſive in ratione perſonæ, ſive etiam ſub ratione potentis generare, debet continere in ſua ratione formali quoddammodo perfectionem, ſeu vim, aut integritatem relationis tranſcendentalis. Deinde idipſum patet: quia relatio merè prædicamentalis non reſpicit terminum correlativum, veluti principium producens, vel tanquam terminum productum, ſed dumtaxat veluti purum terminum: vt ex communi ſententia explanavimus in Metaphyſica diſp. 10. n. 5. & ſeqq. Atqui forma illa, qua conſtituitur perſona Patris, non reſpicit correlativũ ſuum vt purum terminum dumtaxat, ſed præterea vt productum: ſicuti & forma conſtituens ſecundam perſonam non reſpicit correllativum ſuum ſub ſola & pura ratione termini, ſed præterea ſub ratione formali principij producẽtis. Ergo forma illa in vtraque perſona non eſt relatio prædicamentalis pura, ſive nihil continens de perfectione, aut vi, vel integritate relationis tranſcendentalis. Ratio autem poſterioris partis eſt: quia ſi forma illa ex ſua ratione formali ſolùm haberet id quod perfectionis, aut integritatis, vel vis eſt in relatione tranſcendentali, maneret intra limites formæ ſimpliciter abſolutę, ivt paulo antè diximus ac proinde nullatenus poſſet vltimò conſtituere aut diſtinguere perſonas divinas, quas ſupponimus nullatenus diſtingui penes id, quod ſimpliciter abſolutũ eſt. Itaque forma illa, quamvis ex ſua ratione formali ſit relatio prædicamentalis, quæ proindè refert ad ſuum correlativũ, tanquam ad purum terminum; præterea debet habere intra lineam ſuam, ſaltẽ æquivalenter, quidquid habet tranſcendentalis relatio in ordine ad conſtituendũ perſonam, ſive ſuppoſitũ potens generare aut generari. Quare licèt relatio conſtituens perſonã in divinis ſimpliciter aut potiùs cenſenda, & dicenda ſit prædicamentalis, quàm tranſcendentalis; adhuc tamen vtramque rationẽ habere & exercere cenſenda eſt, ſecluſis imperfectionibus creaturarũ. Simpliciter enim loquẽdo reſpicit terminũ actu exiſtentẽ, eſtque ſi mul duratione, natura, & cognitione cũ illo; non tamen advenit ſuppoſito plenè conſtituto: quorũ prius ad rationẽ formalẽ relationis prędicamẽtalis ſpectat ſolùm; poſterius ad imperfectionem illius, prout exiſtit in rebus creatis, tanquam verũ accidens. Ergo ſimpliciter loquẽdo relatio divina eſt prędicamẽtalis ex ſua ratione formali, ſecluſis imperfectionibus. Aliunde

verò, & alijs etiam ſecluſis, eſt relatio tranſcendentalis. Conſtituit enim perſonam: nō tamen abſolutam: quoniam eſſe abſolutā eſt imperfectio perſonæ propria rerum creatarū. Etenim perſona catenus eſt abſoluta, quatenus abſolutè terminat naturā & exhaurit; ac proinde incommunicabilem omnino reddit pluribus ſuppoſitis, ſive perſonis; veluti finitā, & nō capacē exiſtendi in pluribus perſonis indiviſim. Id verò patet eſſe alienum à perſona & natura divina. Ergo relatio divina ita eſt tranſcendentalis in Deo ad conſtituendam perſonam, vt tamen illam non conſtituat ſub ratione abſolutæ perſonæ, ſed relativæ, ſive reſpicientis terminū. Quod, licèt difficile intellectu ſit, fortaſis non ita difficile apparebit ex dicendis in progreſſu.

21 TERTIO Impugnatur. Perinde enim & proportionaliter debet conſtitui per relationem Pater ac Filius: cùm ſint ambo correlativi. Atqui Filius non conſtituitur per relationem tranſcendentalem perſonæ, quæ poteſt generari, abſtrahendo ab eo, vt actu generetur ſed potiùs per relationē ex ſua ratione formali exigentē actu generari. Ergo & Pater non conſtituitur per relationē tranſcendentalē perſonæ, quæ poteſt generare; ſed potiùs per relationem ex ſua ratione formali exigentem actu generare. Eiuſmodi autē relatio eſt prædicamētalis, ſive quaſi prædicamentalis. Ergo tam Pater, quam Filius, conſtituitur potiùs relatione prædicamentali, quàm tranſcendentali.

22 DICES Fortè, poſſe cohærere, vt Filius conſtituatur per actualem relationē geniti, & tamen Pater nō conſtituatur per actualem relationem generantis, ſed ſolùm potentialem & tranſcendentalem. Nam Spiritus ſanctus conſtituitur per actualem relationem ſpirati: & tamen nec Pater nec Filius conſtituuntur per actualem relationem ſpirantis, ſed potentialem & tranſcendentalem tantùm.

23 SED Contrà. Diſparitas enim manifeſta eſt: quoniam prædicamentalis relatio ſpirationis actualis eſt communis duabus perſonis; ac proinde ſupponit vnamquamque earum antecedenter conſtitutā per aliquid aliud: vt, nimirum, pro priori rationis ad relationem ſpirantis intelligantur ſe mutuò amare: quòd præſtari nequit, niſi à perſonis iam conſtitutis. Quare prædicamētalis relatio ſpirationis activæ nequit vllam ex ijs perſonis conſtituere, ſed ſummùm perficere, aut complere conſtitutionem vtriuſque perſonalē. Cæterum relatio paternitatis nō ſupponit aliquid pro priori conſtituens perſonam Patris. vt oſtenſum eſt latè Diſp. præced. ſed eſt primaria forma, per quam conſtituitur & diſtinguitur à Filio: ſicuti relatio ſpirationis activæ eſt, per quam diſtinguitur proximè & formaliter à Spiritu ſancto. Vnde ſemper ratio illa perſiſtit: quoniam ſicuti relatio ſpirationis activæ, qua pater & Filius diſtinguuntur formaliter & proximè à Spiritu ſancto, non eſt potentialis, aut tranſcendentalis, ſed actualis & prædicamentalis: ita etiam relatio paternitatis, quâ perſona Patris diſtinguitur proximè & formaliter à perſona Filij, non ſit potentialis aut tranſcendentalis, ſed actualis & prædicamentalis. Nimirum, in termino producto eſt actualis & prædicamentalis relatio quæ conſtituit, perſonam quidē Filij genitam, Spiritus ſancti verò procedentem. Ergo etiam actualis & prædicamentalis relatio eſt quæ conſtituit perſonam Patris in ratione principij, tum ſingulariter generantis, tum ſimul tum Filio ſpirantis.

24 QVARTO Reijcitur. Quia relationi, ſive paternitati, per quam perſona Patris æterni conſtituitur & diſtinguitur à perſona Filij, convenit formalis ratio relationis prædicamentalis, & illius peculiares proprietates, quantum fas eſt de divinis loqui, ſervata analogia relativorum prædicamentalium, quæ agnoſcimus in creatis. Ergo perſona Patris potius conſtituitur & diſtinguitur per relationem actualem & prædicamentalem, quàm per potentialem & tranſcendentalem. Conſequentia patet, & antecedens quoad priorem partē ſuadetur: quia formalis ratio relativorum, iuxta omnes Philoſophos cum Ariſtotele loco n 20. indicato, eſt vt ſint, οἷς τὸ εἶναι ταυτόν ἐστι τὸ πρός τι πως ἔχειν. *quibus ipſum eſſe, eſt ad aliud quoddammodo ſe habere.* Sive vt alij frequenter vertunt, *quorum eſſe nihil aliud eſt, quàm ad aliud modo quopiam ſe habere.* Sic enim habet interpretatio Iulij Pacij communiter recepta. Vnde non Philoſophi modò, ſed Theologi paſsim tractantes de Trinitatis myſterio, ſupponunt, totum eſſe relationis prædicamētalis ſitum eſſe in eo reſpectu. Quo ſenſu Baſilius lib. 2. contra Eunomium propiùs ad principium, quàm ad medium, exemplis in medium allatis, probat, *quæcumque ad alia dicuntur, hæc ad ea quæ dicuntur*, σχέσιν, id eſt, *habitudinem ſolum oſtendere.* Poſtea verò propiùs ad medium, quàm ad finem, obſervat, *Patris & Filij nomina ſolam, quam habent inter ſe, habitudinem oſtendere.* Similiter Auguſt. lib. 5 de Trin c. 5 aiebat, & colligebat: *Quia Pater non dicitur Pater, niſi ex eo quòd eſt ei Filius; & Filius non dicitur, niſi ex eo quòd habet Patrem, non ſecundùm ſubſtantiā hæc dicuntur.* Ergo relationi paternitatis, quâ conſtituitur, & diſtinguitur perſona Patris à perſona Filij, cōvenit vt ſit illa, cuius totum eſſe propriū ſit ſe habere quoddammodo ad aliud: ac proinde ipſi competit for-

malis ratio prædicamentalis & actualis relationis.

25 IAM Verò quòd ipſi pariter cõveniant peculiares notæ & proprietates relativorum prædicamentalium (quæ eſt altera aſſumptionis noſtræ pars) ſuadetur facilè. Vt enim cum Ariſtotele, & alijs omnibus, explicuimus in Metaph. diſp. 10. n. 24 proprijſsima relativorũ nota, quatenus ab alijs quibuslibet differunt, in eo ſita eſt, vt ſint ſimul naturâ, cognitione, ac definitione, proindeque converſim prædicentur. Quod ſanè peculiari ratione cadit in ſolam relationem prædicamentalẽ, vt ibidem diximus, & obſervat expreſsè Cyrillus lib. 2. Theſauri cap. 3. circa medium ad refutãdum Eunomium, dicens, relativa eſſe, *quæ ad aliquid ſunt, & natura & ratione ſimul ſunt; & alterum ex altero infertur.* Ac prætereà, paucis interiectis: *Quæ ad aliquid ſunt, ſicut vno poſito, alterum ponitur: ſic vno interempto, alterum interimitur.* Atqui totum id convenit relationi, ſive paternitati, quâ conſtituitur perſona Patris. Eſt enim ſimul natura cognitione ac definitione cum relatione, ſive filiatione, per quam conſtituitur & diſtinguitur Filius: & vnaquæque alteram infert, atque vniuſcuiuſque ex ijs negatio alteram perimit. Ergo relationi, ſeu paternitati, quâ conſtituitur perſona æterni Patris & diſtinguitur, convenit peculiaris illa proprietas relationis prædicamentalis, quæ illam diſtinguit ab omni alio, quod non eſt relativum prædicamentale. Vnde idem Cyrillus eam doctrinam Ariſtotelis protulit ad exponendũ rationes formales relationum divinarum, de quibus præmiſſerat eodem capite: *Vt hypoſtaſim, quæ generat, & quæ generatur, diuina Scriptura notionibus diſtingueret, Patris & Filij nominibus vſa eſt.* Itaque per nomina Patris & Filij, ſignificantia relationem prædicamentalẽ, Scriptura exponit proprias hypoſtaſes, ſive perſonas generantis & geniti: quoniam, nimirum, ijs convenit formalis ratio ac ſpecialiſſima proprietas relationum prædicamentaliũ. Non ergo perſonæ Patris & Filij conſtituuntur per tranſcendentalem, ſed per prædicamentalem, id eſt propriè dictam relationem. Vide aliud illuſtre teſtimonium S. Gregorij Nyſſæ Antiſtitis exſcriptum Diſp. LXXIX. n. 23. quod videtur omne effugium Adverſarijs præcludere.

26 CONFIRMATVR Ex illuſtri loco Magni Athanaſij Orat. 2. contra Arianos obſervantis diſcrimen inter relationem potentialem, & actualem, his verbis: *Opifex quidem & dici & eſſe poterit, etiam ſi nondum opera exiſtant. Pater verò neque dici, neque eſſe poterit, ſi non ſit ei Filius.* Quo eodem ſenſu pariter contra Arianos loquitur Alexander Alexandrinus in Epiſtola ad Alexandrum C. P. quæ habetur Tomo I. Conciliorũ lib. 1. Actorum ante Concilium Nicænum, vbi inquit columna 5. initio ferè illius: ἐσῖι δὲ πατὴρ ἀεὶ, παρόντος τοῦ υἱοῦ, διὸ χρηματίζει πατήρ. ἀεὶ δὲ παρόντος αὐτῷ τοῦ υἱοῦ, ἀεί ἐσῖιν ὁ πατὴρ τέλειος. id eſt, *Atqui eſt Pater ſemper, cùm habeat Filium, ob quem vocatur Pater; & cùm ſit ei ſemper Filius, eſt ſemper Pater perfectus.* Quibus verbis vterque Doctor clariſsimus exponit proprietates perſonales Patris & Filij per relationem actualem & prædicamentalem, quatenus diſtinctam à potentiali & tranſcendentali: quoniam paternitas & filiatio in divinis non eſt relatio quædam potentis generare, aut gigni, inſtar illius habitudinis, qua aliquis dicitur opifex. Hic enim quamvis nihil in exercitio operetur, verè dicitur & eſt opifex, propter potentiam operandi, quæ ſolùm eſt quædam potentialis, ſive tranſcendentalis relatio ad opus. At verò Pater nec eſt, nec dici poteſt Pater, niſi reipſa Filium habeat: quoniam ratio Patris eſt relatio actualis & prædicamentalis, quæ omnino exigit coexiſtentiam termini, ſive Filij, neque eſſe aut intelligi poteſt, eo non exiſtente & intellecto. Igitur perſona Patris non conſtituitur relatione potentiali aut tranſcendentali, ſed actuali & prædicamentali.

27 VRGETVR Idipſum ampliùs, ad mentem eorum SS. Patrum contra Arianos ijs locis differentium. Si enim perſona Patris non conſtituitur per paternitatem, prout eſt relatio actualis & prædicamentalis, ſed prout eſt potentialis, ſeu tranſcendentalis dumtaxat; nullum & inane eſſet argumentum ipſorum contra eos hæreticos ad probandum æternitatem Filij Dei ex æternitate Patris. Reſponderent enim facilè, Deum ex æterno eſſe ac dici Patrem, licèt non ſemper genuerit, quatenus ex æterno habet potentiam ad generandum Filium; ſicuti ex æterno eſt & dicitur opifex, quoniam ab æterno habet potentiam ad operandum aliquid extra ſe, licèt nihil ab æterno fuerit operatus. Quare ſicuti ex æternitate opificis non colligitur æternitas operis, ita ex æternitate Patris non colligeretur ſatis æternitas Filij. Vt igitur id argumentum Athanaſij, & Alexandri (quo & alij Patres vtuntur adverſus Arianos) ſit ἀναντίῤῥητον, ſeu eneluctabile, fateri debemus, Patrem conſtitui per paternitatem; non tam vt relatio potentialis, ſive tranſcendentalis eſt; quàm prout eſt relatio actualis & prædicamentalis. Sic enim omnino exigit eſſe ſimul naturâ, immo & cognitione

ac

ac definitione,cum termino producto & correlativo, non ſolùm in qualibet duratione,ſed in quolibet etiam ſigno æternitatis.Hoc enim eſt de ratione relativorum prædicamentalium. Vide infrà num.36.

SECTIO III.

Examinatur & refellitur tertia opinio conſtituentium perſonam Patris per relationem innaſcibilitatis, aut principij fontalis, qualitercumque explicatam.

28 TERTIVS Dicendi modus eſt eorũ, qui oppreſsi pondere difficultatis aiunt, relationem quâ conſtituitur perſona Patris, non eſſe paternitatem, ſed innaſcibilitatem, ſive rationem fontalis principij. Ita Vazquez diſp. 159. cap. 5. & ſeqq. quem,vt in alijs frequenter, ita in hoc ſequitur Alarcon, niſi quòd aliquatenus ab eo differt in modo explicandi eandem opinionẽ, vt poſtea apparebit. Ante vtrumque verò aliqui illam olim tradiderant, quos refert & impugnat ex profeſſo Durandus in 1.diſt.28.q.2.per totam.

29 VERVM Refellitur vterque ex communi conſenſu Patrum allegatorum diſp. præced. ſect.2. & 3. qui cohærenter ad varia Scripturæ teſtimonia docent vnanimiter hypoſtaſim, ſeu perſonam Patris, conſtitui per hoc vt ſit Pater. Præſtat, inter alios, audire Nyſſenum Oration. 5. contra Anomæos dicentem: *Nominum alia ſunt communia, alia propria: communia quidem, vt eandem ſine differentia ſubſtantiam oſtendant, propria verò, vt hypoſtaſeon proprietatem certa notione definiant. Igitur NOMINA PATRIS, ET FILII, PROPRIA SVNT CVIVSQVE HYPOSTASIS.* Igitur nomen Patris deſignat,& proinde paternitas propriè conſtituit hypoſtaſim, ſive perſonam ipſius Patris. Deinde reijcitur ex D. Thoma 1.ad Anibaldum diſt.27. quæſt. 1. art. 3. ad 2. Vt enim ibidem ait S. Doctor, ratio ingeniti in perſona Patris præſupponit paternitatem. Ergo potior ratio eſt, vt per paternitatem conſtituatur in ratione perſonæ, quàm per rationem ingeniti. Deinde 1 p. q. 40. art. 3. ad 3. ait, perſonam Patris non conſtitui per innaſcibilitatem. Rationemque reddit: *Quoniam ingenitum nihil ponit, ſed negatiue dicitur.* Vnde eruitur formula impugnationis. Nulla realitas vera & poſitiva conſtituitur primò ac per ſe per aliquid negativũ. Atqui perſona Patris,quatenus perſona, eſt realitas vera & poſitiva: ratio autẽ ingeniti,ſive innaſcibilitas, eſt aliquid negativũ. Ergo perſona Patris, quatenus perſona propria ipſius eſt, non conſtituitur primò ac per ſe per rationem ingeniti,ſive per innaſcibilitatem.

30 RESPONDET Vazquez,innaſcibilitatẽ eſſe quidem realitatẽ ſive formã poſitivã, quamvis innoteſcat vel explicetur per negationem. SED Contrà eſt communis impugnatio. Aut enim ea forma realis & poſitiva eſt aliquid abſolutũ, aut relativũ. Si primũ aſſeratur; iam perſona divina in ratione talis conſtituitur per aliquid abſolutũ. quod ipſe Vazquez cũ omnibus ferè Theologis reijcit,& impugnatũ relinquitur Diſp. præc. ex doctrina Conciliorũ, & communi Patrũ. Si autẽ aſſeratur ſecundũ; erit planè ipſa paternitas. Nam in Patre nulla alia relatio eſt, per quam conſtitui poſsit. Quamvis enim in illo etiã ſit ſpiratio actiua, hæc planè ſupponit perſonã Patris pro aliquo priori cõſtitutã. Igitur de primo ad vltimũ Pater nõtã per innaſcibilitatẽ cõſtituitur,quâ per paternitatẽ.

31 OCCVRRIT Idem Author,& inquit,ſomam poſitivam,quâ conſtituitur perſona Patris,non eſſe realem,ſed rationis: quoniã & ipſa conſtitutio divinarum perſonarũ non eſt realis,ſed rationis dumtaxat.

32 SED Enim conſtitutionem perſonarum divinarũ eſſe realem, ſatis evicimus Diſp. LXXIX.n.2 & 3.contra eundẽ Authorem,nec repetere oportet. Deinde,quidquid ſit, an eiuſmodi conſtitutio debeat cenſeri nõ realis, ſed rationis ex parte modi conſtituendi, quatenus extrema non ſunt diſtincta reipſa; negari tamen non poteſt quin ſit realis ex parte extremorũ,quoniam vtrumque debet eſſe reale, ſicut perſona Patris inde cõſurgens eſt ſimpliciter perſona realis. Sic certè conſtitutio hominis ex animali & rationali,quamvis dicatur eſſe ſolius rationis ex parte modi, quo ea extrema intelliguntur diſtincta; aliunde eſt realis ex capite extremorum; quoniam vnumquodque eorum reale eſt,ſiquidem homo ex ijs cõſtitutus eſt verus ac realis homo. Si ergo innaſcibilitas,iuxta Vaſquium, eſt aliquid rationis, nequit ſimul cum eſſentia divina conſtituere perſonam realem Patris.

33 VRGEO Præterea. Fide ſanctum eſt, perſonas tres intrà eandẽ numero naturam eſſe tres res,& reipſa inter ſe diſtingui. Ideoq; Anſelmus lib.de Fide Trinit.& Incarn.Verbi,aiebat c.3 omnibus Chriſtianis exploratũ haberi, perſonas divinas ſecundũ propria & perſonalia eſſe tres res;ſed ſecundũ eſſentiã eſſe vnam omnino rem, abſque ſeparatione aliqua,vel diviſione. Quod ipſum videtur definitũ in Concilio Lateran.ſub Innocentio III.in decreto Fidei,relato in c.Firmiter de ſumma Trin. & Fide Cath. Vide ſuprà Diſp. LXXI.ſect.1.per tot. Ergo nulla perſona cõſtituitur vel diſtinguitur primariò ab alia,niſi per aliquid quod ſit reali,

tas, ſeu vera entitas. Atqui iuxta Vaſquium in ſolutione præiacta innaſcibilitas non eſt aliqua realitas, ſive entitas realis, ſed rationis. Ergo innaſcibilitas nec conſtituit primariò, nec diſtinguit perſonam Patris à reliquis perſonis.

34 VRGEO Vlteriùs. Pater æternus ſecundùm ſuam proprietatem non minus reipſa eſt ſingularis perſona, quàm Pater, aut genitor. Quis enim id negare audeat? Atqui quatenus Pater aut genitor nō conſtituitur per aliquid rationis, ſed dumtaxat per aliquid verum ac reale. Ideoque Anſelmus infrà cap. 40. loquens de Patre & Filio inquit: *Illius eſt proprium, veriſsimum eſſe parentem; iſtius verò, eſſe veriſsimam prolem.* Ac præterea cap. 41. *Proprium eſt illius, veriſsimum eſſe genitorem; iſtius verò, veriſsimum eſſe genitum.* Ergo etiam quatenus perſona ſingularis non conſtituitur per aliquid rationis, ſed reale. Si igitur iuxta Vazquez innaſcibilitas non eſt aliquid reale, ſed rationis, non conſtituitur per illam Pater in ratione perſonæ ſingularis. Et ratio eſt manifeſta: quia ex vi formæ ſive proprietatis non realis, ſed ſolius rationis, nequit conſtitui aut diſtingui reipſa & poſitivè vnum extremum ab alio, neque vna perſona divina ab alia perſona.

35 IDEO Aliter dices cum Alarcon, formam conſtitutivam perſonæ Patris eſſe relationem fontalis principij, realem tamen; non autem prædicamentalem (alioqui eſſent in divinis pluſquam quatuor relationes prædicamentales) ſed tranſcendentalem.

36 SED Contrà I. Oſtenſum eſt enim tota ſectione præcedenti, perſonas divinas non conſtitui ac diſtingui primariò per aliquam relationem tranſcendentalem: quia hæc eſt aliquid ſimpliciter abſolutum; & perſonæ divinæ non conſtituuntur aut diſtinguuntur per aliquid ſimpliciter abſolutum. Quod ipſe Alarcon cum Vazquez & omnibus ferè Theologis, ſupponit, ac meritò. Atqui relatio fontalis principij, iuxta ſolutionem datam, non eſt prædicamentalis, ſed tranſcendentalis; ac proinde ſimpliciter eſt aliquid abſolutum. Ergo relatio fontalis principij non conſtituit aut diſtinguit primariò perſonam Patris. SECVNDO. Perſona Patris per id conſtituitur & diſtinguitur à perſona Filij, per quod ipſi opponitur relativè, iuxta illud effatum S. Anſelmi, apud Theologos celebre, *In diuinis omnia ſunt vnum, vbi non obuiat relationis oppoſitio.* Atqui perſona Patris non opponitur relativè perſonæ Filij per aliquam relationem tranſcendentalē ſed prædicamentalem. Quippe oppoſitio relativa ſolùm exercetur propriè intra Prędicamentum Relationis. Si igitur relatio fontalis principij non eſt prædicamentalis ſed tranſcendentalis, vt vult Alarcon; nequit per illam perſona Patris primariò conſtitui aut diſtingui à perſona Filij. Quòd ſi verò diceret, eſſe relationem prædicamentalem, eamque diſtinctam à paternitate, iam ipſe prævidit abſurdum inde ſequutum: quòd, nimirum, in Deo eſſent quinque relationes prædicamentales, contra quam Theologi hactenus vnanimiter aſſeruerunt. TERTIO. Iuxta teſtimonia Conciliorum ac Patrum exſcripta in ſuperioribus Diſput. LXXIX. ſect. 2. & 3. perſona Patris, ſicuti & Filij, & Spiritus ſancti, dicitur paſſim conſtitui per relationem. Quod nefas eſſet intelligere de relationibus impropriè aut abuſivè dictis. Atqui relatio tranſcendentalis, quatenus differt à prædicamentali, eſt relatio impropriè aut abuſivè dicta. nam quæ preſsè & propriè relatio eſt, ſpectat ad Prædicamentum Relationis, prorſus diverſum à cæteris novem Categorijs rerum abſolutarum. Cùm igitur relatio fontalis principij non ſit prædicamentalis, iuxta Alarconem, ſed tranſcendentalis; ſolùm eſt relatio impropriè & abuſivè dicta; ac proinde inepta ad conſtituendam primariò & diſtinguendam perſonā Patris à reliquis perſonis.

SECTIO QVARTA.

Expenduntur tres aliæ opiniones circa conſtitutionem perſonæ Patris, & diuerſimodè refelluntur: ac denique refertur vltimo loco opinio Durandi, Scoti, & aliorum.

37 QVARTO Alij volunt, relationem paternitatis in creatis quidem ſupponere actionem generativam, vt rationem fundandi, quoniam eſt accidentalis relatio: paternitatem verò divinā, cùm ſit ſubſtantialis & ſubſiſtens, poſſe præintelligi ad generationem in Patre, etiam ſub conceptu & munere referendi. Pro hoc dicendi modo allegatur Herrera Dominicanus in manuſcriptis: & videtur fulciri authoritate D. Thomæ 1. p. q. 40. art. 2. ad 4. vbi docet, diſtinctionem ſuppoſitorum præintelligi ad relationem quando hæc eſt accidens; ſecus verò vbi eſt ſubſiſtens, qualiter divinis. Sic enim non ſupponit diſtinctionem ſuppoſitorum, ſed potiùs illam affert. Præterea idipſum tradere videtur in 1. diſt. 27. q. 1. art. 2. vbi inquit: *Relatio poteſt tripliciter conſiderari: vel in quantum eſt relatio abſolutè; & ex hoc non habet quòd præcedat operationem, immo magis*

gis quòd ſequatur: Vel in quantum eſt relatio diuina, quæ eſt conſtituens perſonam, & eſt ipſa perſona ſubſiſtens; & ſic præcedit ſecundùm intellectum operationem: Vel in quantum eſt ipſa operatio perſonalis; & ſic ſunt ſimul ſecundùm intellectum & idem. Igitur ex mente D. Thom. quamvis paternitas creata ſub omni conceptu ſequatur operationem, quoniam accidentaria eſt; divina tamen paternitas, cùm ſit ſubſtantialis & ſubſiſtens, non ſequitur, ſed potiùs antecedit omnino ſub expreſſo relationis & paternitatis conceptu.

38 HIC Dicendi modus refutatur multipliciter à Recentioribus PRIMO: quia licèt paternitas divina non ſit accidens, ſed ſubſtantia & forma ſubſiſtens; ac proinde ex hoc capite non ſupponat generationem accidentalem, inſtar paternitatis creatæ, vel etiam ſub aliqua conſideratione illam præcedat: verumtamen exinde non prohibetur ſupponere generationem ſubſtantialem aliquomodo, & illam ſubſequi ſub expreſſo paternitatis munere. Quin potiùs hoc ipſum tradere videtur idem Angelicus Doctor 1. p. q. 40. art. 4 corpore, diſtinguens in paternitate rationem relationis, & rationem formæ hypoſtaticæ; ac dicens ſub priori munere omnino ſubſequi generationem, fundariq́ue ſupra illam; ſuo poſteriore verò antecedere eandem generationem, & conſtituere perſonam. Quod ipſum docuerat eâdem 1. p. q. 29 art. 4. ad 1. & q. 9 de Potentia art. 4. q. 10. artic. 3. Nec oppoſitum tradit locis numero præcedenti adductis: quoniam ex ijs ſolùm colligere licet diſcrimen paternitatis divinæ à creata, quòd hæc ſub omni conſideratione ſubſequatur generationem, quoniam prorſus accidentaria eſt; illa verò partim præcedat, partim ſequatur, quoniam eſt ſuubſiſtens & ſubſtantialis: præcedat quidem, quatenus habet rationem formæ hypoſtaticæ; ſequatur verò, quatenus explicitè refert ad Filium.

39 REFVTATVR II. Si enim paternitas conſtituit perſonam Patris, ita vt omnino præcedat generationem, nec vllatenus illam ſequatur, fieret inde, vt dato per impoſſibile quòd perſona ipſa non generaret, adhuc per locum ab intrinſecò eſſet Pater. Quod enim intelligitur omnino prius alio, quantumvis reipſa cum eo connectatur, maneret per locum ab intrinſeco, ſublato illo: ſicuti dicimus mãſurum propterea intellectum ablata voluntate, & eſſentiam ſublatis relationibus. Prius enim non dependet à poſteriori per locum ab intrinſeco. Atqui falſum & abſurdum eſt dicere, manſurum per locum ab intrinſeco Patrẽ in hypotheſi impoſſibili ablatæ generationis: vt patet. Nequit enim eſſe aut intelligi Pater, niſi ſi generet, habeatque Filium. Ergo paternitas non ita conſtituit perſonam Patris, vt illa omnino præcedat generationem, nec vllo modo eam ſequatur.

40 REFVTATVR Denique Eadem comparatio eſſe debet, ſalva perfectione Dei, inter generationem & paternitatem accidentales, quas in creaturis cernimus, & generationem ac paternitatem ſubſtantiales, quas credimus in divinis. Atqui paternitas accidentalis ſubſequitur generationem accidentariam, veluti rationem fundandi: vt eſt communis Philoſophorum ſententia. Ergo etiam paternitas ſubſtantialis ac divina debet quoddammodo, & ſecundùm aliquam conſiderationẽ, ſubſequi divinam & ſubſtantialem generationem. In hoc enim nulla apparet Dei imperfectio, & aliunde meliùs in ipſo ſtabilitur relatio paternitatis, ac generatio, ſecundùm ſuas rationes formales.

41 QVINTA Opinio eſt Caietani 1. p. q. 40 art. 4. aſſerentis, perſonam Patris conſtitui explicitè per paternitatem, quatenus conceptam, ſive in actu ſignato; non verò quatenus exercitam: quoniam priori ſenſu antecedit generationem, & ſic poteſt conſtituere relativè perſonam; poſteriori verò illam ſupponit & ſequitur. Porrò iuxta ſenſum eiuſdem Authoris, relatio prout concepta & exercita, eſt quidem eadem forma relativa & ſingularis; diverſimodè tamen concepta, tum penes conſtitutionem perſonæ, tum penes exercitium referendi illam ad terminum. Et vtroque quidem ſenſu ait exprimere rationem formæ relativæ primò quidem quatenus in actu ſignato, ſive concepta habet vim formæ hypoſtaticæ conſtituentis perſonam; poſtremò autem, quatenus exercet munus referendi ad terminum oppoſitum. Caietanum ſequuti ſunt multi alij, præſertim ex Thomiſtis.

42 HIC Dicendi modus frequenter ab alijs Theologis impugnatur. PRIMO, quia quòd forma exerceat ſuam vim erga ſubiectũ, aut quaſi ſubiectum, nihil aliud eſt reipſa, aut cogitatione, quàm vt ipſi tribuat ſuum effectũ formalem proprium. Sic albedo aut quantitas non intelligitur ſuam vim exercere circa ſubiectum, niſi quatenus conſtituit illud album, aut quantum. Atqui formalis effectus & proprius relationis eſt conſtituere ſubiectum in exercitio relatum ſicuti primarius & formalis effectus actionis eſt conſtituere agens in exercitio, & vnionis reddere in exercitio vnitum. Ergo tum in re, tum ſecundùm conſiderationẽ noſtram, nequit paternitas in vi formæ relativæ conſtituere perſonam Patris, quin conſtituat illam in exercitio relatam. SECVNDO.

Re-

Relatio non conſtituit perſonã Patris, quatenus à nobis concepta. neque enim cogitationes noſtræ quidquam momenti afferre poſſunt ad conſtituendum divinas perſonas; ſed totum id reipſa exiſtit in Deo ſecundùm veritatem ipſius obiectivam. Ergo ſi relatio conſtituit perſonam divinam, conſtituit vtique illam ſecundùm ſuam rationem formalem. At ſecundùm hanc exprimit vim & exercitium formæ referentis ad terminum. Ergo ſi conſtituit relatio perſonam Patris, debet illam conſtituere ſecundum vim & exercitium formæ referentis ad terminum. TERTIO. Quidquid ſit, an relatio tribuat plures effectus, nequit concipi in ſubiecto pro priori ad effectum primariũ. Hic autem conſiſtit in hoc quod eſt referre in exercitio, ſeu conſtituere actu relatum Ergo nequit relatio concipi in ſubiecto, quin concipiatur tanquam referens illud in exercitio, ſeu conſtituens actu relatum. Vnde permenet adhuc ratio dubitandi præcipua, quomodo pro priori rationis ad generationem activam perſona Patris referatur ad Filium, cùm omnis relatio ad terminum genitum ſequatur, ſive poſterior ſit activa generatione.

43 SEXTO Alij poſt Capreolum in 1. diſt. 26 q 1. art. 2. & Ferraram 4. contra Gentes cap. 26. §. penult. dicunt, relationem paternitatis conſtituere perſonam Patris, non ſub expreſſa ratione relationis, ſed formæ hypoſtaticæ ſubſiſtentis incommunicabiliter, quo ſenſu intelligitur præcedere generationem, & nullum exprimere reſpectum ad terminũ correlativum, ſed dumtaxat munus abſolutum. Addit Ferrara, perſonam Patris pro priori rationis ad originem conſtitui in eſſe hypoſtatico ſubſiſtente; nondum tamen in eo ſigno diſtingui à Filio: quoniam tota diſtinctio à Filio eſt per formam relativè oppoſitam, quæ eſt ipſa paternitas ſub explicita ratione paternitatis: & hæc non intelligitur pro eo ſigno, ſed pro ſequente, & iam ſupponente generationẽ. Suffragantur vtrique innumeri Recentiores, quos allegare prolixum eſſet, quamvis opinionem ipſam alijs atque alijs vocibus explicent.

44 CÆTERVM Hæc ſententia eſt difficilior præcedenti, & repugnantijs plena viſa eſt olim Scoto in 1. diſt. 28. q. 3 ac Durando diſt. 26. q. 1. quos paſsim Recentiores imitantur. PRIMO enim incurrit ſtatim in oculos celebre illud dilemma. Aut munus illud formæ hypoſtaticæ, penes quod paternitas dicitur conſtituere perſonam Patris, eſt abſolutum aut relativum. Si abſolutum; devorantur omni abſurda, quibus obnoxij ſunt quotquot perſonas divinas conſtituunt proprietatibus abſolutis, iam latè reiecti ex Concilijs, & Patribus Diſp. præcedenti. Si reſpectivum; iam paternitas ſub munere proprio relationis conſtituit perſonam Patris: ac propterea vrget ratio communis dubitandi in hac controverſia, quæ omnium Theologorum ingenia torquet. Quòd ſi verò reſpondeas pro ijs Authoribus, paternitatem ſecundùm munus formæ hypoſtaticæ abſtrahere à rationibus abſoluti & reſpectivi, vrget difficultas: Quoniam paternitas ſub munere formæ hypoſtaticæ conſtituit explicitè perſonam ſingularem & incommunicabilem. Hoc enim eſt proprium & explicitum munus hypoſtaſeos in natura intellectuali. Atqui in divinis perſona ſingularis & incõmunicabilis non abſtrahit ab abſoluto & reſpectivo. Ergo nec paternitas ſub munere formæ hypoſtaticæ abſtrahit ab abſoluto & reſpectivo. Conſequẽtia patet: quia vbi conſtitutum non abſtrahit ab his duobus, nequit etiam ab ijs abſtrahere forma conſtituens, quatenus talis: cùm conſtitutum habeat ſuum proprium eſſe à forma conſtituente. Minor verò facilè ſuadetur: quia in divinis perſona ſingularis & incommunicabilis, vt talis, exprimit diſtinctionem alijs duabus perſonis, ac proinde exprimit oppoſitionem relativam: cùm iuxta Anſelmum, & omnes ferè Theologos, in divinis omnis diſtinctio realis proveniat ex oppoſitione relativa. At quidquid exprimit oppoſitionem relativã, non abſtrahit ab abſoluto & reſpectivo, ſed determinatè exprimit aliquid relativum & correlativum. Ergo in divinis perſona ſingularis & incommunicabilis, vt talis, non abſtrahit ab abſoluto & reſpectivo, ſed potiùs exprimit munus reſpectivum.

45 VRGETVR Ampliùs. Aut paternitas exercet munus formæ hypoſtaticæ penes aliquid ſibi proprium, quatenus diſtinctæ à filiatione, vel penes aliquid commune vtrique Non ſecundũ: quia quidquid eſt commune vtrique, nequit conſtituere perſonã ſingularẽ: propterea quę ſpiratio activa non conſtituit perſonam Patris, quia communis eſt etiã perſonæ Filij. Præterea, ſi id, penes quod paternitas exercet munus formæ hypoſtaticæ, eſt cõmune tribus perſonis; erit planè aliquid abſolutum. Omnes autem ſupponimus, nullam ex perſonis divinis conſtitui per aliquid abſolutum. Ergo paternitas non exercet munus formæ hypoſtaticæ penes aliquid commune, aut tribus, aut duabus perſonis. Supereſt igitur, vt ex illis duobus, quę propoſuimus, eligatur primum, dicaturque, paternitatem exercere munus formę hypoſtaticę penes aliquid ſibi peculiare ac proprium, quo diſtinguitur à filiatione. At id planè atque explicitè eſt relativum. Omnis enim realis diſtinctio in divinis eſt penes oppoſitionem relativam: vt ex Concilio Flo-

Florentino, ex Anſelmo, & alijs Patribus, ac communi ferè Scolaſticorum conſenſu, probatum fuit Diſput. LXXIX. ſect. 2. 3. & 4. Oppoſitio autem relativa nequit exerceri inter extrema non exprimentia munus relativum. Ergo paternitas nequit exercere munus formæ hypoſtaticæ penes aliquid ſibi peculiare ac proprium, diſtinctumque à filiatione, niſi ſecundùm aliquid explicitè relativum.

46 PRÆTEREA: Difficile admodum eſt quod Ferrara addit, perſonam Patris ſolùm conſtitui pro priori rationis ad originem, non autem diſtingui ab eo niſi pro poſteriori ad originem. Imprimis enim conſtitutio perſonæ ex terminis, vt aiunt, importat ſingularitatem incommunicabilem, proindeque & diſtinctionē ab omni alia perſona vel ſuppoſito. Nec obeſt exemplum in oppoſitū, quo aliqui Authores vtuntur, dum obſervant, Adamum ante formationem Evæ fuiſſe perſonam, non tamen diſtinctam ab Eva, vtpote nondum exiſtente: ac proinde poſſe perſonam Patris pro aliquo priori rationis conſtitui, quin pro eodem ſigno diſtinguatur à perſona alia, vtpote nondum exiſtente. Non, inquam, obeſt, nam retorquetur exemplum ipſum. Etenim licèt Adamus pro priori durationis realis ad formationem Evæ non diſtingueretur actu, & formaliter ab illa, quia diſtinctio realis formalis duorum exigit coexiſtentiam vtriuſque formalem; attamen id non fuit ex defectu aliquo formæ diſtinguentis ex parte Adami. Quippe iam ex vi propriæ ac perſonalis conſtitutionis, erat ſuppoſitū quoddam incommunicabile omni alteri ſingulari ſuppoſito, ſive illud iam tunc exiſteret, ſive non. Ergo pariter dato, aut permiſſo, quòd perſona Patris pro priori rationis ad originem activam & paſſivam non diſtinguatur actu & formaliter à Filio, ob defectum formalis coexiſtentiæ Filij in eodem ſigno; attamen quantum in ſe eſt, iam ab omni alio ſuppoſito diſtinguebatur. Quippe ad huc pro illo priori intelligitur in ratione ſuppoſiti incommunicabilis omni alteri ſingulari ſuppoſito, ſive iam tunc intelligatur exiſtens, ſive non. Nequit autem intelligi perſona Patris incommunicabilis & diſtincta ex parte ſua per aliquid abſolutum. Supponimus enim iam probatum, omnia abſoluta eſſe communia in divinis, idéque Adverſarij ipſi palam fatentur. Ergo ſupereſt demum, vt perſona Patris pro illo priori conſtituatur per aliquid formaliter relativum, ſive, quod perinde eſt, per formam hypoſtaticam, quatenus exercentem munus aliquid relativum.

47 RVRSVS. Ægrè aut difficilè capitur, quòd perſona Patris pro illo priori conſtituatur in eſſe ſingularis incommunicabilis, & pro eodem ſigno non diſtinguatur, ſaltem ex ſe, ab omni alio. Etenim præter rationem peculiarem perſonæ, quæ ex terminis importat diſtinctionem, ſicuti & incommunicabilitatem, obſtat communis ratio vnitatis ſingularis, quæ conſtituit ens indiſtinctum in ſe, & diſtinctum ab omni alio. Atqui pro illo priori perſona Patris conſtituitur vna ſingulariter, vt Adverſarij fatentur. Ergo & conſtituitur indiſtincta in ſe, & diſtincta, ſaltem ex parte ſua, ab omni alio. At nequit in divinis eſſe aliqua diſtinctio ab omni alio ratione eſſentiæ, vel alterius prædicati abſoluti, vt ſupponimus, ſed dumtaxat vi proprietatis alicuius relativæ, vt relativæ, ſeu quatenus virtualiter intrinſecè diſtinctæ ab omni prædicato Dei abſoluto. Ergo nec conſtitutio aliqua perſonæ eſt in divinis, niſi ex vi eiuſdem proprietatis relativæ, vt relativæ, & quatenus virtualiter intrinſecè diſtinctæ ab omni prædicato abſoluto

48 HINC Refutata videtur doctrina eorum, qui diſtinguunt in relatione paternitatis munus *in*, & munus *ad*; ac priore illorum aiunt conſtitui perſonam Patris ante ſignum generationis activæ; poſteriore autem, eoque ſubſequente generationem, referri ad Filium. Quem dicendi modum ſequuntur innumeri Recentiores, præſertim ex Thomiſtis. Verùm licèt fortè opinio hæc magna ex parte ſit probabilis, aut etiam vera, adhuc indiget vberiori expoſitione. Nam de illo munere *in* eſt eadem difficultas, immo & omnes præcedentes difficultates, quibus Capreolum & Ferraram impugnavimus, vt conſideranti apparebit. Deinde ſi munus *in* præſcindatur à munere *ad*, nihil relativum exprimit. nam relativum, quatenus tale, explicitur *ad aliquid*. Quippe, vt iam ſuprà num. 24. conſtitutum fuit, relativa, vt talia, ſunt, quorum totum eſſe eſt ad aliquid quoddammodo ſe habere. Si autem pro illo priori non exprimitur aliquid relativum, ſupereſt vt vel exprimatur aliquid abſolutum, vel abſtrahens ab abſoluto & relativo. Atqui primum ex ijs eſt poſitivè ineptum ad conſtituendam perſonam divinam ſecundum verò prorſus inſufficiens, vt oſtenſum eſt præcipuè num. 30. Ergo de primo ad vltimum paternitas ſecundùm munus *in* dumtaxat conſiderata nequit ſufficienter conſtituere perſonam Patris. Itaque ſemper in hac ſententia deſideratur aliquid aliud explicandum, vt intelligamus, perſonas divinas non conſtitui per aliquid abſolutum, vel abſtrahens ab abſoluto, & reſpectivo, prout videtur extorquere impugnationes hactenus propoſitæ; ſed per aliquid quod explicitè ac poſitivè ſpectet ad genus relationis. Quod nō videntur ſatis explicuiſſe ij Authores.

VL-

49 VLTIMA Sententia docet, perſonas divinas conſtitui relationibus ſub munere proprio & formali relationum. Ita Durandus ex profeſſo in 1. diſt. 26. q. 1. præſertim num 8. vbi mentem ſuam directè exponit, ac diſt 28 num 2. in toto ferè contextu quæſtionis. Idipſum ferè tradit Scotus ex propria mente. Nam quamvis in 2. diſt. 26. q. 1. §. *Tertia opinio*, aſſerat, probabilem eſſe opinionem Ioannis de Ripa conſtituentis perſonas divinas per proprietates abſolutas, idque oſtendere conetur multipliciter; nihilominus diſt. 28. q 3. §. *Ad quæſtionem*, & §. *Ad argumentum principale*, & Quodlibeto 4. ad argum princip. docet abſolutè, ſive ex animi ſententia, perſonas divinas conſtitui relationibus ſub munere proprio relationum. Sequuntur vtrumque Michael Palacius, huius olim Academiæ Profeſſor doctiſsimus, & poſtea Theologus Eccleſiæ Civitatenſis, in 2. diſt. 26. diſp. 1. ac multi alij, quibus ferè ſuffragantur Ruiz diſp. 91. præſertim ſect. 2. & Amicus diſp. 20. n. 56. & ſeqq. quamvis ad id aſſerendum procedant ex diverſis principijs ſeu doctrinis. Durandus enim loco priori ex allegatis ideo docet perſonam Patris conſtitui relatione, vt tali, quia exiſtimat illam re & ratione formali eſſe vnum idemque prorſus cum origine; ac proinde non eſſe opus, vt perſona Patris ſupponatur conſtituta pro aliquo priori rationis ad originem. Alij diverſimodè, aut ſuppoſita diſtinctione aliqua rationis ratiocinatæ inter originem & relationem, tuentur eandem ſententiam. Denique ſunt tot modi loquendi in hac controverſia, adhuc ſuppoſita conſtitutione perſonarum per relationes, vt non facilè recenſeri poſſint. Nos verò, quidquid ſit de modis dicendi aliorum, quod verius apparuerit, & conformius Anſelmo, Aſſertionibus varijs explanare & confirmare curabimus.

SECTIO QVINTA.

Statuitur, perſonas diuinas conſtitui ac diſtingui per relationes, conſideratas in ſenſu formali: ſuadeturque ex Concilijs & ratione cruta ex D. Anſelmo, alijſque Patribus.

50 PRIMA Aſſertio. Perſonæ divinæ conſtituuntur & diſtinguuntur ad invicem relationibus, quatenus exprimentibus aliquam rationem peculiarem & propriam vniuſcuiuſque intra lineam relativam. Concluſio hæc conſtat ex teſtimonijs Conciliorum, quibus Diſput. LXXIX. proximè præcedenti ſect 1. confirmavimus latè, proprietates, quibus conſtituuntur perſonæ, non eſſe abſolutas, ſed prorſus relativas. Etenim omnia illa loquuntur de relationibus in ſenſu proprio, ſive prout differunt quoddammodo ab eſſentia, & ab omni prædicato abſoluto Dei. Inter quæ maximè notandum illud Concilij Toletani XI. in Confeſsione Fidei, vbi de perſonis divinis palam dicitur: *HOC SOLO NVMERVM INSINVANT* (id eſt, diſtinguuntur tres numero perſonæ) *QVOD AD INVICEM SVNT*. Sunt autem ad invicem ſolùm per relationes, ſub formali munere relationū. Ergo tantū diſtinguūtur per relationes, ſub formali munere relationum. Præterea in Concilio Florentino Ioannes Theologus, ſuo ac cæterorum Patrum nomine, ait ſeſs. 18. poſt medium: *RELATIONES HVIVSMODI PERSONAS MVLTIPLICANT, ITA VT NON ALIA RATIONE, QVAM VI RELATIONIS, PATER A FILIO, AC VNA PERSONA AB ALIA DIFFERANT: QVEM QVIDEM IN MODVM SPIRITVS SANCTVS AB ALIO EST*, &c. Vbi planiſsimè ſermo eſt in ſenſu formali, quem apertè indicant verba illa: *Non alia ratione, quàm vi relationis*. Vbi cætera omnia cum relationibus identificata in re, qualia ſunt reliqua prædicata Dei, dicuntur ſe habere quaſi de materiali ad reddendam rationem diſtinguendi perſonas divinas: eiuſque diſtinctionis ratio dicitur nulla alia eſſe, *quàm vi relationis*. Ergo relatio intra propriam lineam relativam, ſive in ſenſu formali conſtituit perſonas divinas.

51 QVOD Si verò dicas cum aliquibus Adverſariorum inde ſummùm colligi, perſonas divinas diſtingui per relationes in ſenſu formali, non autem conſtitui; hæc evaſio præcluditur ex verbis, quæ habentur in eodem Concilio ad finem, Oratione pro Vnione cap 6 poſt medium, vbi doctiſsimus & graviſsimus Cardinalis Beſſarion, audientibus & tacitè approbantibus cæteris Patribus, cùm præmiſiſſet, in divinis eſſe origines & relationes, ſubdit: *Vtroque modo diſtinguuntur diuinæ perſonæ: PRIVS TAMEN ET PRINCIPALITER, SECVNDVM MODVM INTELLIGENDI, PER RELATIONES: PER QVAS ETIAM CONSTITVVNTVR DIVINÆ PERSONÆ*. Vbi apertiſsimè loquitur non ſolùm de diſtinctione, ſed de conſtitutione perſonarum per relationes; & quidem in ſenſu formali. Nam licèt relationes & origines ſint vnū & idem reipſa, diſtinguit relationes ab originibus *ſecundùm modum intelligendi*; & ait, perſonas divinas diſtingui per relationes in ſen-

ſenſu formali, non autem conſtitui; hæc evaſio præcluditur ex verbis, quæ habentur in eodem Concilio ad finem, Oratione pro Vnione cap. 6 poſt medium, vbi doctiſsimus & graviſsimus Cardinalis Beſſarion, audientibus & tacitè approbantibus cæteris Patribus, cùm præmiſiſſet, in divinis eſſe origines & relationes, ſubdit: *Vtroque modo diſtinguuntur diuinæ perſonæ: PRIVS TAMEN ET PRINCIPALITER, SECVNDVM MODVM INTELLIGENDI, PER RELATIONES: PER QVAS ETIAM CONSTITVVNTVR DIVINÆ PERSONÆ.* Vbi apertiſsimè loquitur non ſolùm de diſtinctione, ſed de conſtitutione perſonarum per relationes; & quidem in ſenſu formali. Nam licèt relationes, & origines ſint vnum & idem reipſa, diſtinguit relationes ab originibus *ſecundùm modum intelligendi*; & ait, perſonas potiùs ac principaliùs diſtingui ac conſtitui relationibus, quàm originibus. Qui ſanè ſenſus, ſi non eſt formalis, nullus vnquam eſt, vel in Ariſtotele, vel in vno quoquã ex Metaphyſicis aut Theologis, quotquot in ſenſu præciſivo rationum formalium, iuxta ſtylum Scholarum, ſcripſiſſe inveniuntur. Vnde & ibidem ſubditur: *Non enim generare, & generari, quod originis eſt, conſtituit principaliter perſonam: ſed paternitas, & filiatio.* Vide ſi potuit conſtitutio in ſenſu formali per ralationes explicari diſtinctiùs aut ſignificantiùs, vel à nobis ipſis, qui iuxta ſtylum Scholæ eandem ſententiam tuemur.

52 DICES: Optimè cohæret quòd perſonę divinę diſtinguantur per relationes in ſenſu formali, & tamen per eaſdem non conſtituantur. Nam relatio ſpirationis activæ diſtinguit Patrem & Filium à Spiritu ſancto, & tamen neutrum eorum conſtituit in ſenſu formali, ſed potiùs ſupponit vnumquemque eorũ conſtitutum per ſuam proprietatem ſingularem ac perſonalem. Ergo pariter poteſt relatio ſub formali ratione relationis diſtinguere Patrem à Filio, & tamen non conſtituere perſonam Patris, ſed conſtitutam ſupponere.

53 SED Contrà. Imprimis enim hæc potiùs eſt impugnatio verborum relatorum ex Actis Concilij Generalis Florentini, in quibus aſſeritur iuxta ſenſum formalem, perſonas divinas conſtitui & diſtingui relationibus, quàm ſententiæ noſtræ, quæ eiuſdem Synodi teſtimonio innititur. DEINDE manifeſtum eſt, proprietatem cuiuslibet rei primò, & principaliter diſtinctivam, eſſe pariter ipſius conſtitutivam. Atqui, iuxta verba allegata, relatio, vt relatio, eſt proprietas primò ac principaliter diſtinguens perſonas divinas. Ergo eadem relatio, vt relatio, eſt proprietas conſtituens perſonas divinas. DENIQVE tam in Florentino Concilio vbi ſuprà, quàm ex communi ſtylo omnium Patrum, quotquot alijs Concilijs interfuere, perſonæ divinæ dicuntur conſtitui proprietatibus: quas ipſi vnanimiter appellant relationes: vt videre eſt apud Ruiz diſput. 77. ſect. 4. vbi plurima illorum profert teſtimonia, quibus multa alia adiungi poſſent. Ergo ex mente Conciliorum, ſicuti & Patrum, perſonæ divinæ non ſolùm diſtinguuntur, ſed conſtituuntur in ſenſu formali per relationes.

54 NEQVE Obſtat quod objicitur in relatione ſpirationis activæ, diſtinguẽte Patrem ac Filium à Spiritu ſancto, & neutrum illorum perſonaliter conſtituente. Imprimis enim non omne quod diſtinguit vnum ab alio, habet ipſum conſtituere: ſed tantùm id quod primò & principaliter vnum diſtinguit ab alio, eſt quod ipſum conſtituit. Neque vllum exemplum invenire licet oppoſitum huius doctrinæ, ſive in creatis ſive in divinis. Porrò relatio ſpirationis activæ, non eſt quæ primò diſtinguit Patrem & Filium à Spiritu ſancto, ſed ſolùm quæ proximiùs illos diſtinguit & opponit relativè. Nam quod primariò & radicaliter diſtinguit, Patrem & Filium à Spiritu ſancto, eſt proprietas perſonalis vniuſcuiuſque, nimirum, paternitas & filiatio; quæ duæ pariter vtrumque conſtituunt in ſuo eſſe perſonali, & opponunt radicaliter Spiritui ſancto. Paternitati enim ac filiationi competit eadem atque indiviſa relatio ſpirationis activæ, vi cuius conſtituuntur proximè, non quidem in ratione perſonarum, ſed in ratione vnius principij ſpirantis; & diſtincti pariter proximè atque oppoſiti termino ſpirato. Semper itaque verum eſt, perſonas divinas conſtitui in ratione perſonarum per id, quo primò & principaliter diſtinguuntur. Cum ergo ex Concilijs & Patribus habeamus, non alia ratione diſtingui primò ac principaliter, quàm relationibus, prout relationes ſunt, & quatenus ſecundùm modum intelligendi differunt, vel ab ipſis originibus; conſequens eſt, vt eiſdem relationibus conſtituantur in ſenſu formali.

55 OBITER Obſerva adverſus Durandum vbi ſuprà, opinionẽ quam tuetur hîc, procedere ex falſo fundamento. Etenim loco iam indicato ex 1. diſt. 26. q. 1. num. 18. eatenus docet, perſonas conſtitui relationibus, quatenus eæ, ſunt ipſæ origines: ac proinde qui præintelligit perſonas originibus, aut origines relationibus, malè intelligit. Simul enim intelligi debere perſonam conſtitutam cum ſua relatione & origine. Hæc ille ferè ad verbum. Sed refellitur ex verbis iam exſcriptis Cardi-

nalis Beſſarionis, qui, aſſentientibus Concilij Florentini Patribus, teſtatur, perſonas divinas priùs & principaliter, ſecundùm modum intelligendi, diſtingui per relationes, per quas etiam conſtituuntur. Ergo ſecundùm modum intelligendi relatio conſtituens & diſtinguens perſonas præcedit originem, atque adeò id muneris exercere intelligitur pro aliquo priori ad illam.

42 PROBATVR II. Aſſertum authoritate ſimul & ratione eruta ex illo celebri axiomate S. Anſelmi: *In diuinis omnia ſunt vnum, vbi non obviat relationis oppoſitio.* Quod ex ipſo S. Doctore varijs locis probavimus Diſp. LXXIX. num. 13. & poſtea latiùs digeſsimus num. 25. & ſequentibus, ad probandum, perſonas divinas non conſtitui proprietatibus abſolutis, ſed relativis. Porrò quidquid ibi dictum eſt, hoc etiam loco directè ſedem habere poteſt, & pariter probat, perſonas divinas conſtitui relationibus ſub formali & proprio munere relationum: vt conſideranti palam erit. Breviter tamen & ſummatim poſſumus ea omnia præſtringere ſub hac differendi formula. Omnis relativa oppoſitio provenit à relationibus ſecundùm formalem ipſarũ rationem. Atqui omnis conſtitutio, ſicut & diſtinctio perſonarum divinarum, provenit ab oppoſitione relativa. Ergo omnis conſtitutio & diſtinctio divinarum perſonarum provenit à relationibus ſecundum formalem ipſarum rationem. Maior propoſitio eſt manifeſta: quia omnis relativa oppoſitio provenit à relationibus, ſecundùm quòd conſtituunt ſeorſim proprium Prædicamentum, & diſtinctum à reliquis novem: vtpote in quorum nullo eſt oppoſitio relativa, ſed contraria, aut contradictoria, aut privativa. Relationes autem conſtituunt id peculiare ac proprium Prædicamentum ſecundùm rationem ipſarum formalem. Iam minor illa præcipua colligitur planè ex memorato axiomate S. Anſelmi, quod loco indicato probavimus ex doctrina Conciliorum ac Patrum. Omnis enim conſtitutio perſonarũ divinarum provenit ab eodem principio, ſeu forma, à qua provenit illarum diſtinctio: vt iam antè à num 37. probatum eſt: quoniam conſtitutivum vniuſcuiuſque rei eſt primũ & principale eius diſtinctivum. Atqui omnis diſtinctio perſonarum iuxta axioma illud Anſelmi, provenit ab oppoſitione relativa. Ergo & omnis perſonarum divinarum conſtitutio, ab eadem oppoſitione relativa provenit; ac proinde à relationibus ſecundùm rationem ipſarum formalem. Cætera vide loco indicato, ſect. 4. ferè per totam.

43 VRGETVR Ratio ferè eadem. Perſona divina conſtituitur in eſſe formali per id, quo redditur incommunicabilis alteri perſonæ: vt patet ex definitione perſonæ. Atqui non redditur incommunicabilis per aliquid abſolutum; cùm omnia abſoluta in divinis ſint communia tribus perſonis: nec per aliquid abſtrahens ab abſoluto & relativo; nam pariter abſtraheret à communicabilitate & incommunicabilitate; perſona autem poſitivè incommunicabilis eſt. Ergo ſupereſt vt perſona divina reddatur incommunicabilis per aliquid relativum in eſſe formali: ac per conſequens relatio in eſſe formali conſtituit, ſicuti & diſtinguit, perſonam divinam.

44 ET Sanè, ſicuti in cæteris, ita hoc etiam loco Anſelmus premit veſtigia, & inſiſtit tritam viam aliorum SS. Patrum, quĩ omnes, aut ferè omnes, quoties loquuntur de conſtitutione & diſtinctione perſonarum divinarum, totum id ſitum aiunt in relationibus, nec vllam aliam eius differentiæ rationẽ aſsignant: vt oſtenſum fuit Diſp. LXXIX. ſect. 3 per totam, vbi plura ac luculenta illorum teſtimonia in medium protulimus, quibus & plurima alia adiungi poſſent. Non verò licet omittere pauca quædam ex Cyrillo. Etenim lib. 7. Thelauri in editione Græcolat. pag. 60. inquit: ἔστι γὰρ ὁ πατὴρ ἐν τῇ ἀυτοῦ ἰδιότητι. καὶ ἔστιν ὁ υἱὸς. ὁ δὲ υἱὸς ἐν τῇ ἰδίᾳ ἰδιότητι ταύτῳ ἔχων μόνῳ πρὸς τὸν γεγεννηκότα τὴν διαφοράν. id eſt: *Eſt enim Pater in ſua proprietate: & eſt Filius. at enim verò Filius in ſua ipſius proprietate, hanc ſolam habens à generante differentiam.* Præterea lib. 9. pag. 90. hæc habet è Græco Latinè reddita: *Quidquid de vna perſona Patris, vel Filij, dicitur, in vtramque competit, excepto ſolo Patris & Filij nomine, ac re.* Hæc ille: in quibus nullam omnino diſtinctionem agnoſcit inter perſonas Patris & Filij, niſi penes formas relativas in ſenſu formali, quibus alter conſtituitur Pater, alter Filius. Eodem modo plurimi alij loquuntur. Non eſt autem verosimile, tot clariſsimos Eccleſiæ Doctores, ex profeſſo tractantes de vnitate perſonarum divinarum in eſſentia, & diſtinctione in proprietatibus, adverſus hæreticos eius myſterij impugnatores, noluiſſe explicare in ſenſu proprio ac formali, per quid perſonæ ipſæ diſtinguantur. Diſputatio enim etiam tunc, ſicuti & modò, procedebat in ſenſu formali: quoniam hæretici, ſive Sabelliani, ſive Ariani, contendebant, impoſsibile eſſe, vt ſi eſſentia eſt vna numero & eadem, perſonæ cum ea identificatæ, ſint reipſa diſtinctæ. Non enim apparet caput aliquod per quod diſtinguantur, ſi eſſentia eſt vnum idemque omnino cum ipſis perſonis. Huic verò difficultati reſpondent Patres, perſonas non diſtingui inter ſe

ra-

ratione eſſentiæ, ſicuti nec ratione illarũ perfectionum,quæ dicuntur Attributa, vt ſapientiæ, potentiæ, æternitatis,&c. ſed ratione proprietatum relativarum, quas ipſi paſsim relationes apeellant; ſignificatas in Scriptura nominibus proprijs Patris, Filij, & Spiritus ſancti. Vbi cùm planè contradiſtinguant proprietates relativas à prædicatis abſolutis Dei, non loquuntur in ſenſu reali aut materiali,iuxta quem nullatenus hæc ab illis diſtinguuntur; ſed in ſenſu proprio ac formali. Quin etiam, niſi iuxta ſenſum formalem loquerentur de relationibus, nullo modo occurrerent, aut interrogationi, aut obiectionibus hæreticorum, contendentium, nullum eſſe prædicatum intra Deum, vi cuius ſit diſtinctio realis perſonarũ, intra eandem numero eſſentiam. Vt igitur ſatis occurrerint Patres huic difficultati (prout certum eſt ſufficienter occurriſſe) fateri debemus, illos aſsignaſſe relationes in divinis, veluti rationes formales conſtituendi perſonas. Cætera huc ſpectantia, vt iam dixi,videri poſſunt loco indicato ſectionis tertiæ per totam.

SECTIO SEXTA.

Obijcitur præcipuum argumentum, ſeu ratio dubitandi in hac controverſia, præcipuè quatenus aduerſatur præcedenti aſſertioni: & ſoluitur. Alia quædam argumenta & illorum ſolutiones mittuntur in alium locum.

59 SED Ecce difficillimus nodus, in quo ſolvendo omnes ferè Theologi plurimum laborant, præſertim quatenus ſententiam nuper ſtabilitam à nobis labefactare,aut etiam funditus diruere videtur.Nequit relatio paternitatis conſtituere Patrem in ratione perſonæ. Ergo neque vlla alia relatio conſtituit perſonas reliquas in divinis Conſequentia videtur optima: quoniam,vt monet S. Thomas quæſt.8.de Potentia art. 3. *Omnium hypoſtaſam eiuſdem naturæ eſt eadem ratio conſtitutionis.* Antecedens verò ſuadetur multipliciter. PRIMO: Quia nequit conſtituere Patrem in ratione perſonæ id, quod ipſa perſona Patris poteſt ſibi adquirere per actionem propriam.Quippe forma conſtituens ſuppoſitum operans, debet ſupponi pro priori ad actionem, & multo magis ad omne id, quod adquiritur per actionem. Atqui perſona ipſa Patris poteſt ſibi adquirere relationem paternitatis per actionem propriam generãdi,ex quâ reſultat & adquiritur paternitas Ergo perſona Patris nequit conſtitui per relationem paternitatis. SECVNDO. Relatio paternitatis Patris intelligitur ſubſequi actionem generativam,veluti rationem fundandi, & hæc ſubſequitur perſonam Patris iam conſtitutam: ac proinde illam non conſtituit. TERTIO. Si relatio paternitatis conſtitueret Patrem in ratione perſonæ,ille eſſet Pater per locum ab intrinſeco, dato per impoſsibile quòd non generaret. Si enim pro priori ad generationem conſtitueret in ratione perſonæ, iam ex vi paternitatis conſtitueretur Pater pro eo ſigno: atque adeò quamvis per impoſsibile non generaret in ſigno ſequenti, perſiſteret Pater, ſicut antea. Quod enim eſt ratione prius alio, perſisteret per locum ab intrinſeco, ablato poſteriori per poſsibile aut impoſsibile. Conſequens autem eſt planè abſurdum,& in ſimili à nobis explosum ſuprà num. 25. Ergo relatio paternitatis non conſtituit Patrem in ratione perſonæ. QVARTO.Si enim pro priori ad actionem generativam intelligeretur Pater conſtitutus in ratione perſonæ per paternitatem, in eodem ſigno intelligeretur filiatio relativè oppoſita: quoniam relativa ſunt ſimul natura & cognitione. Ergo Filius ſupponeretur exiſtens pro priori ad actionem generativam,ac proinde non haberet ſuum eſſe ex vi generationis, contra quàm fides docet.

60 HVIC Salebroſo & ſubtili argumento innumeris ferè modis occurrere tentarunt Theologi, tum veteres, tum recentes; & propterea in tot opiniones veluti capitales abierunt in ſuperioribus relatas, intra quas etiam multipliciter variant inter ſe. Nos verò ex ijs ſeligentes quod probabilius apparet, & magis cohærens doctrinæ Conciliorum, ac Patrum, & in ijs Anſelmi, perſiſtimus in doctrina tradita ſectione præcedenti, atque iterum aſſerimus, perſonas divinas conſtitui relationibus, ſub formali, & peculiari munere relationum.

61 VERVM Vt difficultas, quæ in hac re occurrit ſtatim, leniatur, & argumento iam obiecto, aliiſque pluribus, breviter reſpõdeatur, obſervandum eſt ex D. Thoma 1.part. quæſt 29 art.4. corpore,& quæſt.4. art.4.per totum ferè, paternitatem intra ipſam lineam relationis, & paternitatis,præſtare munia inadæquata, formæ hypoſtaticæ conſtituentis perſonam, & exercitij referentis ad terminum; inter quæ duo intelligitur mediare munus originis, quod explicitè importat ipſam paternitatem, ſive in recto, ſive in obliquo, à quo nunc abſtrahimus. Quare intelligitur ibi triplex munus inadæquatum: primum conſtituẽdi perſonam, ſecundum originis, tertium reſpectûs actualis & expliciti ad terminum. Porrò paternitas ſub munere formæ hypoſtaticæ, ſeu perſonalitatis,intelligitur præcedere quoddammodo actionem generandi, & ſubinde exercitium

rium referendi: ſub hoc autem munere intelligitur ſubſequi, tum actionem ipſam, veluti rationem fundandi, tum etiam perſonam conſtituram per propriam hypoſtaſim. Itaque eadem ſimpliciſsima forma relativa, prout relativa eſt, præſtat ea tria munia inadæquata, perſonalitatis, originis, & reſpectus expliciti ad terminum; verùm ordine ſuo ſecundùm modum noſtrum concipiendi imperfectum, & inadæquatum dumtaxat. Nam alioqui, ſive intellecta eõceptu diſtincto, aut adæquato, non priùs intelligitur præſtare vnum munus, quàm aliud: nec intelligi poteſt paternitas nõ intellecta ex parte termini filiatione: quoniam relativa ſunt ſimul cognitione, ſaltem vbi intelliguntur conceptu adæquato. Vbi autem inadæquato ſolùm, non eſt neceſſum vt ſint ſimul cognitione diſtincta, ſed ſufficit vt in confuſo percipiatur alterum vbi alterum inadæquatè cognoſcitur.

63 EX His ad argumentum nego antecedens AD I. Probationem, admiſſa maiore in ſenſu formali, vt nunc loquimur, diſtinguo minorem: Perſona Patris poteſt per actionem propriam generandi adquirere ſibi paternitatem, prout hæc exercet munus perſonalitatis, nego: quia ſub hac expreſsione inadæquata præcedit actionem: prout paternitas vltimò & expreſsè refert ad terminum, concedo: & eodem modo diſtinguo conſequens. Itaque ſolùm colligere licet, perſonam Patris non conſtitui per paternitatem, quatenus hæc ſecundùm vltimum munus inadæquatum refert explicitè ad terminum: ſed dumtaxat per eandem paternitatem, quatenus intelligitur exercere illud primum munus inadæquatum formæ hypoſtaticæ, ſive perſonalitatis, pro priori ad ſecundum munus originis; & tertium reſpectus actualis. AD II. patet ex eadem ſolutione. AD III. nego maiorem, quam non extorquet probatio ſubiuncta: quia pro priori rationis ad generationem Pater non intelligitur explicitè conſtitui per paternitatem in ratione Patris, ſed dumtaxat in ratione ſingularis perſonæ, exigentis tamen ab intrinſeco generare & eſſe Patrem pro ſignis ſequentibus: idque intima connexione, ex vi eiuſdem formę relativæ. Quare ſi perſona Patris per impoſſibile non generaret, nullatenus eſſet Pater, immo nec prima perſona: quoniam tria ea munia adeò alligata ſunt connexione formali & intima, vt ablato per impoſsibile vno, auferatur etiam aliud per locum ab intrinſeco, quamvis alterum præintelligatur alteri conceptu inadæquato & imperfecto. Quod ampliùs patebit in progreſſu. AD IV. nego antecedens: quia licèt intellecta adæquatè relativa formalitate paternitatis, vel vltimo eius munere inadæquato, neceſſum ſit intelligi ſimul filiationem oppoſitam: non tamen intellecta ſolùm paternitate inadæquatè, & quoad primum illud munus, penes quoad præintelligitur actioni, atque ipſius termino. Vnde ſemper verum eſt, Filium Dei non ſupponi exiſtentem ante ante actionem generativam, & ſuum eſſe habere ex vi generationis.

64 INSTABIS. Si paternitas non intelligitur pro priori ad originem conſtituere perſonam Patris ſecundùm explicitum munus referendi, ſed penes illud aliud formæ hypoſtaticæ, ſive perſonalitatis, conſtituet planè ſecundùm aliquid abſolutum: ac proinde labimur in opinionem Ioannis de Ripa impugnatam Diſp. præced. & quorundam aliorum, ex ſuprà allegatis ac reiectis. Probatur ſequela: quia licèt poſsit intellectus concipere rationẽ communem, non intellecta differentiali, veluti animal, non intellectis rationali & irrationali; nequit tamen ex duobus membris adæquatè dividentibus eandem rationem communem negari ab intellectu, quin affirmatur & intelligatur poſitivè alterum. Atqui iuxta noſtram opinionem paternitas intelligitur conſtituere perſonam Patris pro priori ad originem, & non ſecundùm munus relativum. Quippe forma conſtituens dividitur adæquatè in abſolutam & relativam: ac proinde excluſo munere relativo neceſſum eſt affirmari & cognoſci poſitivè munus abſolutum.

65 RESP. Negando antecedens: quia in paternitate munus formæ hypoſtaticæ, ſive perſonalitatis, vt iam diximus, eſt explicitum & peculiare formæ relativæ; non quidem ſecundùm vltimam & inadæquatam conſiderationem, quâ intelligitur expreſsè referre ad terminum; ſed penes aliam priorem conſtituendi perſonam ſub connexione intima & formali ad originem activam & terminum. Itaque in illo priori ſigno conſtituendi, forma, ſive paternitas, non abſtrahit, nec præſcinditur ab abſoluto & relativo, multò autem minùs exprimit quidquam abſolutum; ſed potiùs aliquid relativum, & proprium paternitatis, quæ intra propriam lineam relativam præſtat tria munia inadæquatè ordine quodam ſecundùm noſtrum intelligendi modum. Neque obſtat (vt aliã obiectionem præoccupemus) quòd D. Thom. q. 8. de Potentia art. 3. inquit: *Hypoſtaſis Patris conſtituitur & diſtinguitur ipſa paternitate, non autem generatione, neque relatione inclusa* Vbi videtur contra-diſtinguere paternitatem à relatione, & illi ſoli concedere, huic autem negare vim conſtituendi, & diſtinguendi hypoſtaſim, ſive perſonam. Reſpondemus enim, quamvis paternitas ſit forma re-

relativa ex mente D.Thom, (immo & omniũ) non appellari relationem quatenus conſtituit: quia ex communi modo loquendi non appellatur relatio, niſi quatenus explicitè refert & opponit termino. quod non intelligitur expreſsè habere paternitas pro illo priori, quamvis exerceat munus inadæquatum formæ relativæ, dum conſtituit perſonam. Indeque eſt, vt idem S.Doctor.in diſt.23.q 1.art.3 fine dicat: *Invenimus in diuinis quatuor modos ſignificandi. Aliquid enim ſignificat abſolutum per modum abſoluti, vt Deus: aliquid relationem per modum relationis, vt Pater: aliquid abſolutum per modum relationis, vt potentia generandi: aliquid relatum per modum abſoluti, vt perſona.* Itaque adhuc ipſam rationem perſonæ cenſet relatam S. D.Th. quamvis addat; eſſe relatam per modum abſoluti, quatenus non exprimit eſſe ad terminum directè & immediatè, ſed in ſubiecto conſtituto, quamvis ſub connexione formali & exigentia intima reſpiciendi terminum in ſigno ſequenti. Vide aliud illuſtre teſtimonium ipſius infrà n. 64.

51 DICES: Vt propriè & theologicè dicatur, perſonam Patris conſtitui per paternitatem, quatenus eſt relatio in ſenſu formali, neceſſum eſt pariter dicere, conſtitui per illam penes vltimam ſui differentiam, qua differt ab omni forma abſoluta. Atqui vltima differentia, qua paternitas divina differt ab omni forma abſoluta, non eſt ratio hypoſtaſis, ſive perſonalitatis: quia hæc eſt communis etiam hypoſtaſibus, ſeu perſonalitatibus creatis & prorſus abſolutis: ſed dumtaxat eſt ordo explicitus ad terminum. Si ergo paternitas non conſtituit perſonam Patris penes ordinem explicitum ad terminum, non conſtituit illam in ſenſu formali, quatenus relatio eſt. Quare ſolùm conſtituet penes aliquid abſolutum, vel abſtrahens ab abſoluto relativo: quorum primum eſt impoſsibile, ſecundũ vero prorſus inſufficiens, vt ſuprà arguebamus, præſertim num.30.

52 RESP. Vt propriè & theologicè, ac Scholaſticè, dicatur, perſonam Patris conſtitui per paternitatem, quatenus eſt relatio in ſenſu formali, neceſſum quidem eſſe vt hæc conſtituat illam ſecundùm vltimam ſui differentiam; non tamen adæquatè ſumptam, ſed inadæquatè. Porrò paternitas ſecundùm vltimam ſui differentiam, qua diſtinguitur ab omni prædicato abſoluto Dei, immo & à reliquis divinis relationibus, præſtat tria munera inadæquata; primum hypoſtaſeos ſingularis ac determinatæ; ſecundum originis, vel complementi aut connotati originis activæ; tertium reſpectus actualis ad Filium. Nullum enim ex ijs tribus præſtatur ab aliquo prædicato Dei abſoluto, nec ab aliqua ex tribus reliquis divinis relationibus: multo autem minùs ab hypoſtaſi creata, quæ prorſus abſoluta eſt. Quare licèt paternitas pro illo priori non intelligatur exercere reſpectum actualem ad Filium, ſed ſolùm munus formæ hypoſtaticæ ſingularis, ſufficienter intelligitur conſtituere perſonam Patris ſecundùm rationem formalem relationis, & vltimam ipſius differentiam, non quidẽ adæquatè ſumptam, ſed inadæquatè.

53 VRGEBIS. Dum in paternitate non exprimitur munus *ad*, quo differt à filiatione, ipſiſque è regione opponitur, nihil explicatur ſpectans ad vltimam eius quaſi differentiam, adhuc inadæquatè ſumptam. Nam ratio ſubſiſtentiæ, iuxta noſtram ſententiam, eſt abſoluta in divinis, vt diximus tota Diſput. LXXVIII ac proinde nullatenus ſpectat ad vltimam differentiam relationis, immo nec ad genus relativũ. Deinde munus formæ hypoſtaticæ, ſeu perſonalitatis, ſi non exprimit reſpectũ ad terminum, ſolum exprimit ordinẽ ad ſubiectum aut quaſi, ſubiectum, ſive perſonam conſtitutam: quod non videtur ſpectare ad genus relativum. nam perſona potiùs intelligitur eſſe ad ſe, ſive per ſe ſubſiſtens, quàm ad aliud. Ergo aut paternitas conſtituit perſonam Patris ſub expreſſo reſpectu ad Filium, quod ſuprà improbatum eſt: aut non conſtituit illam ſecundùm vltimam quaſi differentiam paternitatis, adhuc inadæquatè ſumptam.

54 CONFIRMATVR I. Relatio creata, prout differt vltimò ab alijs quibuslibet abſolutis accidentibus, non exprimit ordinem ad ſubiectum (in hoc enim cum cæteris convenit) ſed dumtaxat ad terminum. Ergo & relatio paternitatis divinę, prout vltimò differt ab omnibus prædicatis abſolutis, non exprimit ordinẽ ad ſubiectum, aut quaſi ſubiectum, perſonamve conſtituendam; ſed dumtaxat ad terminum.

55 CONFIRMATVR II. Alioquĩ enim oportebit, vt pro illo ſigno priori conſtituendi perſonã, intelligatur ſimul Filius. nam paternitas intellecta ſecundùm vltimam ſuam differentiã intra genus relativum, eſt ſimul natura & cognitione cum filiatione oppoſita, ſaltem prout pariter conſtituente perſonam Filij. In hoc enim effectu, aut quaſi effectu formali, ambæ pro eodem ſigno rationis æquiparantur. Nequit autem pro ſigno, quo conſtituitur perſona Patris, intelligi conſtituta perſona Filij; nam ſignum illud intelligitur præcedere originem, ſeu generationem activam, atque adeò, immo fortiori titulo, conſtitutionem Filij, quæ ſequitur activam originem. Ergo de primo ad vltimum perſona Patris pro illo primo ſigno nõ intelligitur conſtitui in ratione perſonæ vi paternitatis ſecundùm vltimam ſuam differentiã, adhuc inadæquatè ſumptam.

56 RESP. Negando antecedens. Neque obſtat probatio in oppoſitum. nam licet ratio formalis ſubſiſtentiæ ſit abſoluta iuxta noſtram ſententiam, vt eo loco dictum eſt; ratio tamen hypoſtaſeos, ſive perſonalitatis eſt relativa in ſenſu formali: non quia exprimat immediatè ordinẽ ad terminũ (hoc enim ſpectat ad vltimũ munus inadęquatũ paternitatis) ſed quia exprimit conſtitutionẽ perſonæ; non veluti ſiſtentis in ſe, ſed tanquã progredientis ad generandũ, & ſubinde ad reſpiciendũ terminũ. Itaque in ipſo ſigno conſtituendi ſingularem perſonã Patris imbibitur connexio formalis ad munus generandi, & reſpiciendi Filiũ pro ſequentibus ſignis: atque adeò paternitas non ſolùm differt ab omni alia perſonalitate, ſive abſoluta & creata, ſive divina & relativa, penes rationem originis activæ, & reſpectus actualis ad terminum: verùm etiã in ipſo munere conſtituendi perſonã, cum exigentia formali generandi & reſpiciendi terminũ. Huius doctrinæ ſunt nonnulla exempla, ſeu multiplex inſtantia, vt in Scholis dicitur, afferri poteſt. Prima in intellectu noſtro, qui ſecundùm vltimam differentiã, quã differt ab Angelico, non ſolũ habet vim diſcurrendi, ſed etiã intelligendi prima principia abſque diſcurſu: quoniam ita ea intelligit abſque diſcurſu, vt tamen eam ipſam intelligentiã habeat cum exigentia formali ad diſcurrendũ circa concluſiones. quod planè repugnat intellectui Angelico. Secunda eſt in voluntate noſtra, quæ ſecundũ vltimam differentiã ſuam, quã diſsidet ab appetitu brutorum, non ſolùm exprimit rationẽ libertatis, ſed etiam naturæ, exigentis, tamen, ſeu radicantis libertatẽ. Tertia in virtute morali, quæ vltimò differt ab alijs qualitatibus, non ſolùm in expreſſo ordine ad bonum morale & rationi conforme, ſed etiam in ordine ad ſubiectum, quod afficit; quoniam afficit illud cum connexione formali reſpiciendi tale obiectũ. Quarta denique ſit in actione prædicamentali, quæ nõ ſolùm differt vltimò à paſſione penes ordinẽ ad agens, à quo egreditur, ſed etiam penes habitudinem in ordine ad terminum.

57 HÆC Exempla adducimus, non quia adæquata ſint, aut à nobis exiſtimentur (verſamur enim in myſterio maximè arcano, & inacceſſo conſtitutionis perſonarũ divinarũ, quod nullũ patitur exemplũ ſatis idoneum in rebus creatis) ſed vt appareat vniversè poſſe aliquam formã ſecundũ vltimã ſui differentiam præſtare duos effectus, ſive exprimere duo munia inadęquata, & ſibi propria quorum alterũ connexione formali exigat alterũ. Itaque paternitas divina, præter rationẽ communẽ & abſolutã ſubſiſtentiæ, importat ex vltimo & peculiari cõceptu rationẽ hypoſtaſcos, vel perſonalitatis relativæ, cuius munus eſt inadæquatũ paternitati ipſi adęquatè acceptæ, & exigit connexione formali duo alia munia inadæquata originis, atq; actualis reſpectus ad terminũ: ac proinde licèt in illo primo ſigno nõ cõcipiatur diſtinctè ſub expreſſo reſpectu ad terminũ, concipitur tamẽ ſub munere alio exigẽte per cõnexionẽ intimã & formalẽ, vt ſequantur cætera duo munia originis activæ, & actualis reſpectus ad Filium.

58 AD I. Confirm. dico, relationem creatam, prout differt ab alijs novem generibus accidentium, importare peculiarem ordinẽ ad ſubiectũ: quoniã ita illud reſpicit & informat, vt non ſiſtat in ipſo, ſed progrediatur ad terminum. Itaque in ipſo conceptu peculiari & vltimo afficiendi ſubiectũ, imbibitur connexione formali, & per intimã exigentiã, reſpectus ad terminũ. Quod alij exponunt, tribuendo relationibus creatis duplex *in*, alterũ commune alijs accidentibus, alterum peculiare & relativum, exigentia formali connexum cum *ad*. Eodemque modo aiunt, paternitati divinæ competere duplex *in*; alterum, abſolutũ, & commune; alterum peculiare & relativum exigentia formali connexum cum munere *ad*. Itaque perſona divina conſtituitur per paternitatem ſecundum munus *in* peculiare, non autem ſecundũ *in* commune. Quo ſenſu vera videtur ſententia ſuprà relata num. 34. alioquĩ verò falſa, vt ibidem oſtendimus.

59 AD II. Confirm. negatur aſſumptio. Licèt enim ſi res ipſa intelligatur conceptu adæquato nequeat concipi paternitas, quin ſimul filitio oppoſita; cæterum conceptu inadęquato, & quoddãmodo præciſivo, intelligi poteſt paternitas ſecundũ vltimum ſuum conceptum, quo differt ab omni forma abſoluta, immo & à reliquis relationibus divinis, prout conſtituens peculiarem perſonam, cum exigentia & cõnexione formali originis activæ & reſpectus ad Filium. Quod autem dicitur, relativa eſſe ſimul cognitione, intelligitur de relativis intellectis conceptu adæquato; non verò inadæquato, aut præciſivo tantùm. Itaque pro illo priori ſigno conſtituendi perſonam Patris, noſtro modo concipiendi inadæquato & præciſivo non reſpondet diſtinctè ex parte obiecti filiatio ſecundùm aliquod munus ſibi propriũ, ne conſtituẽdi quidẽ: ſed dumtaxat paternitas ſub inadæquato munere conſtituendi peculiarem perſonam, exigente per intimam & formalem connexionem, vt in duobus ſignis ſequentibus intelligantur diſtinctè origo activa & paſſiva, ſubindeque ordo expreſſus ad terminum iam conſtitutum ex vi filiationis.

60 HÆC Sufficiant circa præcipuam difficultatem. nam quamvis plures ac plures obiectiones inſtantiæq; in oppoſitũ coacervari poſ-

poſſent, vix aliquid addent ſupra iam ſolutas, vel quod ex dictis non poſsit facilè extricari. Alioqui controverſia ipſa eſſet in termina, & tædio Lectoribus, quibus oportet aliquid relinquere, vt ex ſuo proferant, & ingenij vires exerceant. Similiter plura alia argumenta, quæ tendunt ad probandum, Patrem ac reliquas perſonas divinas non conſtitui proprietatibus relativis, ſed abſolutis, iam antea propoſita & ſoluta fuerunt Diſput. LXXIX. præcedenti ſect. 5. vbi iterum conſuli poſſunt. Denique nonnulla alia, præſertim in id collimantia, vt perſonæ Filij & Spiritus ſancti non conſtituantur per relationem in ſenſu formali, proponemus & ſolvemus in progreſſu.

SECTIO SEPTIMA.

Perſonam Filij pariter conſtitui filiatione ſub munere formæ hypoſtaticæ intra genus relationum. Difficultates quædam in oppoſitum, ſolutæ. Idem proportionaliter decernitur de perſona Spiritus ſancti quoad proceſsionem.

61 SECVNDA Aſſertio. Quemadmodum perſona Patris conſtituitur & diſtinguitur per paternitatem, quatenus exercentem munus hypoſtaſis, vel perſonalitatis, intra genus ſive quaſi genus relativum prædicamentale: ita etiam perſona Filij conſtituitur filiatione, & Spiritus ſanctus ſpiratione paſsiva, quatenus exercentibus rationē hypoſtaſeon, vel perſonalitatum, intra lineam relationis prædicamentalis. Illatio hæc eſt cōtra Alarcon tract. 5. de Trinit. diſp. 4. cap. 8. referente pro ſe plures Veterum, ac præterea Ruizium diſp. 90 ſect. 1. & diſp. 91. ſect. 2. eamque expreſsè tradit D. Thomas quæſt. 8. de Potentia art. 3. vbi docet Filium Dei in ratione perſonæ conſtitui per filiationem, ac ſubdit generatim: *Et quia omnium hypoſtaſum eiuſdem naturæ eſt eadem ratio conſtitutionis, & diſtinctionis: ideo ſimiliter oportet ex parte Patris intelligere quod hypoſtaſis Patris conſtituatur & diſtinguatur ipſa paternitate.* Ergo quemadmodum probatum eſt, perſonam Patris conſtitui paternitate, non vt exprimente vltimum munus inadæquatum referendi ad terminum, ſed primum conſtituendi perſonam incommunicabilem, exigentemque ſubinde generare & referri ad Filium: ita etiam perſona Filij conſtituitur & diſtinguitur filiatione, non quatenus exprimente vltimum munus inadæquatum referendi ad Patrem; ſed propriam conſtituendi perſonā incommunicabilem, & ſubinde exigendi reſpectum explicitum ad Patrē perſigno ſequenti. Eadem verò ratio eſt de relatione ſpirationis paſsivæ in Spiritu ſancto, vt patet.

62 ET Sanè doctrina hæc eſt conſentanea admodum ſacris litteris: in quibus mentio perſonarum trium præcipuè fit per nomina relativa Patris, Filij, & Spiritus ſancti, præſertim in formula Baptiſmi, quo primùm ad Eccleſiam ingredimur: vt patet ex verbis Chriſti: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Non eſt autem veroſimile, Chriſtum D. ea nomina relativa præſcripſiſſe, veluti formulam profitendi ſolemniter fidem Catholicam, & myſterium Trinitatis, niſi pariter ijs tribus & vniformiter exprimeretur ratio propria ac ſingularis & potiſsima, qua tres perſonæ conſtituuntur, & ab invicem diſtinguuntur. Quo ſenſu Nazianzenus Orat. 37 id eſt, quinta de Theologia aiebat de perſonis divinis: *Mutuæ eorum relationis differentia, diuerſa quoque ijs nomina procreavit.* Et Cyrillus Alexandrinus Dialogo de Trinitat. lib. 2. col. 5. obſervat, eam fuiſſe rationem, quare Chriſtus, prætermiſsis alijs nominibus, vt Incorruptibilis, & Ingeniti, *baptizare iuſsit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Nimirum, in eum ſcopum *collegit, & præ alijs præpoſuit nomina, diſtinctiſsimè nobis conſtituentia vnuſcuiuſque prædicati proprium eſſe.* id eſt, proprietatem perſonalem. Conſtat idipſum præterea ex locis Conciliorum, ac Patrum, & nominatim Anſelmi, allegatis Diſput. LXXIX. ſect. 2. & 3. in quibus vniformiter ſermo eſt de conſtitutione trium perſonarum divinarum per proprietates relativas, ſignificatas nominibus Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Ergo omnes perſonæ vniformiter conſtituuntur, vnaquæque per propriam relationem, quatenus exercentem munus inadæquatum hypoſtaſeos, ſive perſonalitatis, exigentis tamen connexionem formali reſpectum explicitum ad terminum correlativum pro ſigno ſequenti.

63 DICES. Relatio filiationis nullo modo poteſt perſonam Filij conſtituere. Quod ſuadetur multipliciter. *Primò*: Quia nequit conſtituere terminum forma illa, quæ reſultat ex poſitione ipſius termini. Alioqui enim aliquid reſultaret ex ſeipſo. Atqui relatio filiationis reſultat ex termino, ſive ex perſona Filij producta; in creatis quidē ſecundū rem, vt omnes Philoſophi docent; in divinis autē, ſecundùm modū intelligendi. Ergo relatio filiationis nequit perſonā Filij, quæ eſt terminus, conſtituere. *Secundò*. Iuxta Ariſt. lib 5. Phyſ. ad relationem non datur per ſe motus, ſive actio. Atqui ad formā conſtitutivam perſonæ Filij, tum in divinis, tum in creatis, datur per ſe motus,

ſive actio Quippe actiones ſunt ſuppoſitorum activè, & paſsivè, ſeu terminativè. Ergo relatio filiationis non eſt forma conſtitutiva perſonæ Filij. *Tertiò.* Teſte eodem Philoſopho ibidem, relatio non adquiritur per ſe, ſed reſultat ex aliquo termino per ſe ac priùs adquiſito, aut producto. Ergo pro priori ad relationem filiationis intelligi debet aliquis terminus adquiſitus vel productus, ex quo poſtea reſultet filiatio. Eiuſmodi autem terminus non eſt eſſentia divina, quæ nulla ratione adquiritur, vel producitur per actionem generativam. Ergo talis terminus eſt ipſa perſona Filij: atque adeò hæc intelligitur producta & conſtituta pro priori rationis ad reſultantiã filiationis. *Quartò.* Terminus genitus nequit conſtitui per id, quod fundatur ſupra ipſam rationem geniti. Alioqui fundaretur eadem formalis ratio ſupra ſeipſam. Atqui filiatio fundatur ſupra rationẽ geniti, teſte Ariſtotele lib. 5. Metaph. textu 20. Ergo perſona Filij, quæ eſt terminus genitus, nequit conſtitui per filiationem. *Quintò* Filius conſtituitur in ratione perſonæ per id quod terminat relationem Patris: ſicuti & per illud ipſum diſtinguitur. Non terminat autem relationem Patris per filiationem. Nam relatio, iuxta valde probabilem ſententiam, non terminatur ad relativum, ſed ad abſolutum. Non ergo Filius conſtituitur in ratione perſonæ per relationem filiationis.

64 HVIC Difficultati diverſimodè occurrunt Authores multi, quorum varias ſolutiones examinant & refellunt Recentiores, ac nominatim Godoy diſp. 96. §. 6. Verùm ijs præmiſsis, RESP. negando aſſumptum: quoniam teſte D. Thom. loco num. 61. indicato, *Omnium hypoſtaſum eiuſdem naturæ eſt eadem ratio conſtitutionis & diſtinctionis.* Ac proinde quemadmodum ſuperioribus oſtenſum eſt, perſonam Patris conſtitui per paternitatẽ ſub munere relativo perſonalitatis, ita etiam dicendum de perſona Filij penes filiationem. Quod ipſum luculenter ibidem tradit S. Doct. dicens: *Impoſsibile igitur eſt dici, quòd hypoſtaſis Filij conſtituatur ſua natiuitate, niſi in quantũ intelligitur quòd natiuitas eius terminatur ad aliquid, per quod formaliter conſtituit. Ipſa autem relatio, ad quã terminatur natiuitas eius, eſt filiatio. Oportet ergo quod filiatio ſit formaliter conſtituens & diſtinguens hypoſtaſim Filij.* Hactenus ille, luculenter confirmans noſtram ſententiam de conſtitutione & diſtinctione hypoſtaſeon, ſeu perſonarũ divinarũ per relationes paternitatis & filiationis, non quomodocumque, ſed *formaliter*, vt ipſe ait, ſive in ſenſu formali.

65 NEQVE Obſtant probationes in oppoſitum. AD 1. Maior propoſitio diſtinguenda eſt. Nequit conſtituere terminum forma illa, quæ reſultat ex poſitione ipſius termini; in creatis verum eſt: quoniam forma reſultans ex termino poſito aut producto in creatis, eſt quoddam accidens illi reipſa additũ, quod proinde ſupponit terminum plenè conſtitutũ ſecundùm rem. Nequit conſtituere in divinis; ſubdiſtinguo: quatenus reſultans ex poſitione termini, concedo: ſub alia priori conſideratione; nego maiorem: & conceſſa minore, diſtinguo conſequens eodem ſenſu. Itaque, quemadmodum ſuprà de paternitate dictum eſt, illam intelligi priùs exercere rationem formæ hypoſtaticæ, conſtituendo perſonam Patris, quoniam eſt forma ſubſiſtens, quamvis relativa; & poſteriùs reſultare ac directè referre ad Filiũ: ſic etiam dicendum, filiationem intelligi priùs conſtituere perſonam Filij ſub munere inadæquato formæ hypoſtaticę, & poſtea reſultare ac directè referre ad Patrem. Eſt enim filiatio divina non quęlibet relatio, neque accidentaria, ſed completiva perſonæ aut ſuppoſiti per ſe ſubſiſtẽtis, reddens illud in cõmunicabile, ac primò diſtinctũ ab alio quovis ſuppoſito AD II. III. & IV. Ariſt. ijs locis differit de ſola relatione creata, quæ eſt accidens ſuperadditũ reipſa termino producto, & forma adventitia. Vnde nihil mirũ, quòd ipſi omnino neget vim terminandi motũ, aut actionẽ per ſe, & adquiſitionem directam, conſtitutionemque termini in ſuo eſſe intimo. Forma enim relativa in creatis, ob imperfectionẽ ſuam, non quęritur ex inſtituto naturæ, ſed ſolum reſultat ex accidenti in termino per ſe inſpecto. In divinis autẽ alia omnia dicere oportet. Supponimus enim ex demonſtratis ab Anſelmo ſuprà c. 15. ac 16 & à nobis cum ipſo Diſp. XXV. & XXIX. accidentia, tum materialia, tum ſpiritualia, nullum omnino habere locũ apud Deum, ac proinde relationes in ipſo non eſſe accidentia, ſed ſubſtantiã reipſa, quamvis exprimantur ad modũ relationũ prædicamentaliũ. Non enim propterea continentur verè in Prędicamento communi Relationũ creatarũ: ſicuti nec vllum prædicatũ divinum continetur verè, ac propriè ſub aliquo genere, aut Prædicamento: vt cum eodẽ S. Doct. demõſtratũ fuit Diſp XLVII. Vnde locus eſt, vt in relationibus divinis, præ creatis, intelligamus cum fundamẽto ex parte obiecti duplex munus inadæquatũ vni & eidẽ formæ relativæ; alterũ conſtituendi, capacẽ terminandi actionẽ, motumvè, aut adquiſitionẽ per ſe; alterũ referendi explicitè ad terminũ, qui intelligitur reſultare, ſive quoddammodo advenire termino iam producto pro aliquo priori rationis. AD V. cõceſſa maiore negatur minor. Vt enim ex profeſſo ſtatuimus in Metaphyſica, omnis relatio terminatur ad relativũ formaliter: idq; nominatim etiã

de

de relationibus divinis oſtendimus ibidē ſect. 3.num.44.Quin etiam ex dictis ibidem num. 50. quidquid ſit de relationibus creatis,& permiſſo gratis quòd terminentur ad abſolutum, quoniam diſtinguuntur reipſa ab omni abſoluto prædicato; negari id debet in divinis ob rationem oppoſitam. Fide enim ſanctum eſt, prædicata Dei abſoluta non diſtingui ſecundùm rem à relativis : vt vidimus Tomo I. Diſp.XXV ac proinde nequeunt relationes divinæ terminari ad abſolutum: quoniam reſpectus,ſeu relatio vera & realis debet eſſe alia ſecundùm rem à termino.

66 EX Dictis colligitur planè,perſonam Spiritus ſancti pariter conſtitui relatione ſpirationis paſsivæ, non ſub vltimo & inadæquato munere reſpiciendi principium activum ſpirans, ſed ſub alio inadæquato & priori ſecundùm modum intelligendi,quod eſt exercitium formæ hypoſtaticæ. Aſſertio hæc conſtat ex eiſdem principijs, ac proximè præcedens : nec eget vlteriori probatione. Difficultates quoque, quæ contra illam objici poſſent, communes ſunt alijs duabus perſonis, & eandem ſolutionem habent.

SECTIO SEPTIMA.

Corollaria quædam:in quibus obiter dirimuntur aliquot quæſtiones Scholaſticæ huc ſpectantes.

67 EX Doctrina hactenus tradita, licebit nonnulla breviter inferre, aut obi er dirimere,in quibus alij latiùs exſpatiari ſolent. PRIMVM eſt, abſtractis per intelectū relationibus, tolli ſeu de medio auferri conceptum hypoſtaſeon ſive perſonarum divinarum. Ita D. Th. 1.p q.40. art.3. Ratio eruitur ex dictis: nam abſtracta per intellectum forma conſtituente aliquod concretum, auferetur omnino concretum eiuſmodi: quemadmodum abſtracta per intellectū rationalitate,non manet concretū hominis. Atqui oſtenſum eſt, formas, quibus conſtituuntur hypoſtaſes, ſive perſonæ divinæ, eſſe relationes intra formalem rationem generis relativi. Ergo ijs per intellectum abſtractis, tolluntur de medio hypoſtaſes, ſeu perſonæ divinæ.

68 INFERTVR II. Originem activam ſecundùm modum intelligendi eſſe poſteriorem paternitate, prout conſtituente perſonā Patris; priorem verò illa, quatenus referente explicitè ad Filium. Vide ſuprà n.47. & 48 Ratio prioris partis eſt: quia actio, ſive operatio perſonalis, ſupponit pro aliquo priori perſonā conſtitutā. Actiones enim ſunt ſuppoſitorū, & operari ſequitur ad eſſe : vt paſsim Philoſophi aiunt. Atqui origo activa in divinis exprimitur veluti actio aut operatio perſonalis. Ergo ſupponit pro aliquo priori perſonam Patris conſtituram, proindeq; paternitatem,quatenus ipſum perſonaliter conſtituentem. Ratio poſterioris partis eſt: quoniam actio ſive operatio, in creatis ſecundùm rem, & in divinis ſecundùm intelligendi modum,præcedit id,quod ex illa reſultat. Atqui paternitas,quatenus explicitè refert Patrem ad Filium, ſicut in creatis reſultat ſecundùm rem ex actione generandi, ita in divinis ſecundùm intelligendi modum Ergo actio generativa,ſeu origo activa in divinis intelligitur priùs, quàm paternitas prout referens explicitè Patrem ad Filium. Conſonant præterea hæc dictis ſuprà ſect.1.

69 INFERTVR III. Origines paſsivas, ſecundùm intelligendi modum,eſſe priores ſimpliciter proprietatibus relativis conſtituentibus perſonas productas Filij & Spiritus ſancti : origines verò activas eſſe ſimpliciter priores proprietate relativa non conſtituente perſonam. Ita D. Th.q.40. nuper allegata art. 4. Ratio prioris partis eſt : nam origo paſsiva Filij & Spiritus ſancti, concipitur tanquam actio,& via ad filiationem & ſpirationē paſsivam, veluti ad formas hypoſtaticè conſtituētes vtrumque terminum productum ; ac præterea veluti ratio fundandi in vtraque illarum explicitum munus referendi. Atqui via præcedit terminum,ſicuti & ratio fundandi rationem in ipſa fundatā. Ergo origines paſsivæ,ſecundùm intelligendi modum, ſunt priores proprietatibus relativis conſtituentibus perſonas productas Filij & Spiritus ſancti. Ratio partis poſterioris eſt per locum à contrario. Tota enim ratio, cur relatio, quatenus conſtituens perſonam, intelligatur priuſquam origo, eſt, quoniam hæc eſt actio perſonalis, ac proinde ſupponens conſtitutam perſonam. Atqui relatio non perſonalis, ſcilicet, ſpiratio activa, non conſtituit, ſed potiùs ſupponit conſtitutā perſonam,Patris quidem per paternitatem,& Filij per filiationem,vt dictum eſt.Ergo relatio non perſonalis,vt ſpiratio activa, ſub nulla ratione precedit originē activā,ſed potiùs omnino ſubſequitur : atque adeò origo ſub omni ratione antecedit proprietatē relativā, ſeu relationem non conſtitutivam alicuius perſonæ.

7 INFERTVR IV.Perſonam in divinis non eſſe conceptum aliquem communem tribus perſonis reali communitate. Eademque ratio eſt de ſuppoſito,ſive hypoſtaſi. Conſonant hæc dictis ſuprà Diſp.LXXVII præſertim ſect. 1. vbi probatū eſt,in divinis nō eſſe communē aliquam rationē perſonæ,aut ſuppoſiti, quidquid olim aliqui relati & impugnati à Durādo ſenſerint:idque adhuc dato quòd ſit in divinis ſubſiſtentia aliqua abſoluta, & communis tribus perſonis, vt ibidem latè docuimus.

Ratio verò potiſsima in eo conſiſtit, quòd perſona, hypoſtaſis, & ſuppoſitum, ex ſua ratione formali important vltimam terminationem & complementũ intra genus aut quaſi genus ſubſtantiæ; ac proinde incommunicabilitatem omnimodam relatè ad aliud ſuppoſitum, vel perſonam, & multò magis ad plura ſuppoſita vel perſonas. Ergo repugnat in divinis aliquis conceptus perſonæ vel ſuppoſiti communis tribus realiter communitate. Alioqui ſimul eſſet communis & incommunicabilis ſecundùm rem conceptus perſonæ. quod planè involuit contradictionem.

71 VERVMTAMEN Dici poteſt, dari quoddammodo in divinis conceptum perſonæ communem ſecundùm rationem, nõ quidem communitate vnivoca, ſed analoga. Aſſertio hæc eſt trimembris. Prima pars probatur: quia tres perſonæ divinæ verè conveniunt in definitione ac ratione formali perſonæ, quæ in ijs multiplicatur ſecundùm rem. Omne autem prædicatum, in cuius definitione ac ratione formali conveniunt plura ſecundùm rem diſtincta, eſt ijs commune, aut communitate rei, aut rationis. Cùm igitur conceptus perſonæ non ſit communis tribus perſonis divinis cõmunitate rei, ſed ſolius rationis, vt hactenus oſtenſum eſt, ſupereſt vt ſit communis ſecundùm rationem. Secunda pars ſuadetur. Si enim communis ratio perſonæ eſſet vnivocè communis tribus, nihil ipſi deeſſet vt relatè ad illas haberet rationem generis, cùm aliunde *in quid* prædicaretur de ijs, veluti ſpecie diſtinctis. Vnde & componeret metaphyſicè cum ipſis, veluti genus cum differentijs. Hoc autem repugnat iuxta Anſelmum, & alios Patres, vt vidimus latè Tomo I. Diſput. XXX. per totam, & vlteriùs Diſp. XLVII. ſect. 3. Ergo ratio communis perſonæ divinæ non eſt vnivocè communis tribus perſonis. Tertia pars probatur, tũ ab excluſione ſufficienti aliarum communitatum, tum præte ea: quia quemadmodum ratio entis imbibita intimè in perſonis divinis eſt ijs communis, non vnivocè, ſed analogicè, analogiâ illâ, quæ ortum ducit ex tranſcendentia: ita etiam ratio perſonæ, quæ imbibitur intimè in vnaquaque perſonarum divinarum, eſt ijs analogicè communis, analogia illa, quæ eſt tranſcendentium propria.

DISPVTATIO LXXXI.

QVOT SINT RELATIONES IN DIVINIS, ET QVALITER INTER SE diſtinguantur.

QVAMVIS Ex præcedentibus conſtet ſatis, perſonas divinas non conſtitui proprietatibus abſolutis, ſed relativis, quas Concilia & Patres appellant Relationes; nondum tamen examinatum fuit directè, quotnam ſint, aut qualiter inter ſe diſtinguantur. Quæ controverſia habet directè locum apud Magiſtrum in 1. d iſt. 13. vbi tractatur à Durando q. 2. aliiſque Scholaſticis, & diſt. 27. vbi excitatur à D. Thom. q. 1. art. 1. Gabriele q. 1. aliiſque: apud eundem S. Doctorem 1. p. q. 28. art. 3. & 4. ac præterea q. 32. art. 2. & 3. vbi omnes illius Interpretes illam tractant, præſertim conferentes ſpirationem activam cum paternitate & filiatione; inquirenteſque, an & quomodo prima earum à duabus poſterioribus diſtinguatur, vt hac inquiſitione pateat, qualiter, ſeu quo ſenſu ſint quatuor relationes reales in divinis. Porrò quid haberi poſsit ex mente Anſelmi circa totam quæſtionem, conſtabit ex progreſſu, vbi varia eius loca proferemus.

SE-

SECTIO PRIMA.

Realitas diuinarum relationum demonſtretur contra aliquos, etiam ſecundùm eſſe Ad, ex Scriptura Concilijs, Patribus, ac nominatim ex Anſelmo, & rationibus theologicis.

2 DICO I. Relationes reales in Deo exiſtere. Aſſertio hæc communis & certa apud Theologos, imprimis opponitur Ario, qui in Epiſt. ad Alexandrum Alexandrinum apud Epiphanium Hæreſi LXIX. negavit in divinis veras relationes, vt declinaret vim argumentorum, quibus impetebatur à Catholicis, probantibus, Filium eſſe coæternum Patri, quia relativa ſunt ſimul. Deinde adverſatur Guillelmo Pariſienſi: qui, licèt alioqui doctus & pius, in tractatu de Trinitate docuit ex profeſſo, relationes, tam in Deo, quàm in creaturis, non eſſe entia realia, ſed rationis; cuius verba exſcribit, & argumẽta profert Dionyſius Carthuſ. in 1. diſt. 26. q. 2. Denique contradicit alijs Catholicis, qui cum Ochamo in 1. diſt. 30. q. 4. & Gabriele eâdem diſt. q. 4. art. 1 dixerunt, dari poſſe viam negandi omnes relationes reales in divinis & creatis, ſi auferatur, divinas perſonas conſtitui & diſtingui per aliquid abſolutũ. Verumtamen noſtra Aſſertio colligitur ex Scriptura, in qua ſæpe divinæ perſonæ ſignificantur nominibus relativis Patris, Filij, & Spiritus ſancti; vt proinde quemadmodum ex ijs vnus eſt reipſa Pater, alius Filius, alius Spiritus ſanctus: ita etiam in primo ſit verè relatio paternitatis, in ſecundo filiationis, in tertio ſpirationis. Non enim reipſa poteſt eſſe Pater aut Filius in divinis, niſi à forma reali paternitatis & filiationis, quarum vtraque ex ſua ratione formali ſit relatio. Accedit definitio Cõcilij Toletani XI. in Confeſ. Fidei, dicentis: *In relatiuis perſonarum nominibus Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus ſanctus ad vtroſque refertur. quæ cùm relatiuè tres perſonæ dicantur, vna tantùm naturalis ſubſtantia creditur.* Præterea in Concilio Generali Florentino ſupponitur eadem doctrina pluribus locis, quorum aliqua allegavimus Diſp. LXXIX. n. 9. 10. & 11. ibidem conſulenda. Denique id tradunt vnanimiter Patres Eccleſiæ, quos plena manu, vt aſſolet, allegat Ruiz diſp. 9. & inter illos eſt expreſſius Anſelmus ſæpiſsimè in Opuſculo de Proceſsione Spiritus ſancti, ac præterea lib. de Fide Trinitatis & Incarn. Verbi cap. 3. propiùs ad principium, quàm ad medium, vbi inquit: *Non ſic Pater & Filius ſunt duæ res, vt in ijs duabus rebus intelligatur eorũ ſubſtãtia, ſed eorũ relationes.* At profectò niſi relationes ipſæ eſſent reales, Pater, & Filius vt illarũ nõ eſſent duæ res, vt patet. Sunt ergo reales Patris & Filij relationes. Deinde paulo poſt mediũ eiuſdẽ capitis ſubdit: *Relatio nullatenus eſt, niſi ſecundũ hoc, quod alij ſunt ab invicẽ.* Cùm ergo Pater & Filius ſint alij ab invicẽ, non ratione, vt Sabellius dixit, ſed reipſa, vt fides Catholica docet; relationes ijs conveniunt, non ſecundùm rationem, ſed realiter.

3 EX Quibus omnibus demonſtrare licet breviter ſuppoſitionem præiactam hoc ſyllogiſmo. Quælibet proprietates entia realia conſtituentes, & ea realiter diſtinguentes, ſunt entia realia ſecundùm id, quo ea conſtituunt & diſtinguunt. Atqui relationes divinę ſecundùm ſuum eſſe relativũ ſunt proprietates entia realia conſtituentes, & realiter diſtinguentes. Ergo relationes divinæ ſecundùm ſuum eſſe relativũ ſunt entia realia. Conſequentia eſt in figura & modo perfecto. Minor ſupponitur probata vtraque Diſp. præced. ex Scriptura, Concilijs, Patribus, & multiplici ratione theologica. Maior autem videtur ex prima notione terminorum manifeſtata: verùm præterea facilè ſuadetur: quia conſtitutio & diſtinctio ſunt effectus formales provenientes à forma conſtituẽte & diſtinguente: nullus autem realis effectus formalis provenire poteſt, niſi à forma, quæ ſit realis, ſecundùm propriam & formalem rationem: cauſa enim formalis præſtat ſuum effectũ per intimam exhibitionẽ ſui ipſius. Tum præterea, quia forma ſolùm habens eſſe obiectivũ, ſive rationis, ſicuti in ſe ipſa nihil realitatis habet, ſic etiam nullum realem effectũ conſtituẽdi aut diſtinguẽdi præſtare poteſt. Quo ſenſu D. Th. q. 8. de Potent. art. 1 aiebat: *Nulla res conſtituitur, niſi per rẽ.* Tum denique, ac grauiſsimè: quia ſi relationes divinæ eſſent aliquid rationis ſecundũ propriũ eſſe, myſteriũ Trinitatis, ſeu trinitas perſonarum, non eſſet aliquid reale ſimpliciter, ſed ens rationis, qualiter effutiuit Sabellius. Trinitas enim conſtituitur formaliter per diſtinctionẽ triũ perſonarũ, quatenus intra eandẽ numero naturã ſunt tres diſtinctæ. Vnde cùm nõ diſtinguantur, niſi per relationes: ſi hæ ſub cõceptu relationũ nõ ſunt entia realia, ſed rationis, Trinitas perſonarũ in dĩ vinis formaliter nõ eſſet ens reale, ſed rationis.

4 HINC Videtur manifeſtè conſtare, relationes divinas, adhuc ſecundùm eſſe *ad*, quo ſe invicẽ reſpiciunt, & directè opponuntur, eſſe entia realia, ſeu veras realitates: quidquid cõtrà docuerint, aut docuiſſe videantur Paludanus in 3. diſt. 1. q. 2. art. 3. & 4. Capreolus in 1. diſt. 17. q. 1. art. 2. Ferrara 2. contra Gent. c. 2. & lib. 4. cap 14. §. *Dicit ſecundò*, Caietanus 1. part. q. 28. art. 1. §. *Ad has dubitationes*, & alij. Fundamenta enim paulo antè propoſita, ac pla-

nè demonſtrantia realitatem divinarum relationum, ſi ſeriò expendantur, probant planè, illas ſecundùm eſſe *ad*, quo invicem oppoſuntur, eſſe reales. Probant enim directè eſſe reales ſecundùm ſuum conceptum proprium ac relativum. In concepru autem proprio ac relativo illarum clauditur potiſsimùm eſſe *ad aliquid*. nam per id maximè diſtinguitur relatio ab omni ente abſoluto. Ergo probant planè, relationes divinas eſſe entia realia ſecundùm eſſe *ad*. Præſertim verò vrget in ijs, quòd alioqui in divinis non eſſent Pater, & Filius, ac Spiritus ſanctus, vera & realis Trinitas, ſed rationis dumtaxat. Eatenus enim eſt Pater, quatenus eſt relativè *ad Filium*, & ſic de reliquis perſonis invicem comparatis: in quo conſiſtit Trinitas perſonarum. Si igitur Pater non eſt reipſa, ſed ratione tantùm, relativè *ad Filium*, & ſic de reliquis perſonis; Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, non erunt vera & realis Trinitas, ſed rationis dumtaxat. quòd certè conſequens eſt Sabellianum.

5 PRÆTEREA. Paternitas (idemque eſt de filiatione, & proceſsione, ſive ſpiratione paſsiva) ſecundùm formalem rationem paternitatis divinæ eſt entitas realis. Atqui ſecundùm eandem rationem formalem eſt relatio *ad Filium*. Ergo relationes divinæ ſecundùm eſſe *ad* ſunt entitates reales. Conſequentia eſt manifeſta, & minor certa ex definitione relationis, quæ ſecundùm ſuam rationem formalem eſt *ad aliquid*: vt docent, tum Philoſophi, tum Patres, ac Theologi Scholaſtici, cũ Ariſtotele in Categorijs cap. *Ad aliquid*, vbi definit relativa ſecundùm rationem ipſorum formalem, vt ſint, οἷς τὸ εἶναι ταυτόν ἐστι τὸ πρός τι πως ἔχειν. id eſt, *quorum eſſentia nihil aliud eſt, quàm ad aliquid modo quopiam ſe habere*. Maior autem præcipua ſuadetur facilè: quia in divinis Pater verè ac reipſa eſt Pater, ſicuti Filius reipſa Filius: immo & multò veriùs ac perfectiùs, quàm ſint in creatis pater filiuſque: vt conſtat ſatis ex ſacris litteris, Concilijs, & Patribus: quorum teſtimonia videri poſſunt apud Ruizium diſp. 4. ſect. 3. & diſput. 51. ac Petavium lib. 5. de Trinit cap. 4. Atqui Pater conſtituitur in eſſe Patris per paternitatem ſecundùm rationem formalẽ paternitatis. Ergo paternitas divina ſecundũ rationẽ formalẽ paternitatis eſt entitas realis. Patet cõſequentia: quia vbi conſtitutũ eſt reale, forma illud conſtituens debet eſſe vera & realis, vt ſuprà dicebamus. Si igitur in divinis reipſa eſt Pater conſtitutus per paternitatem, ſecundùm formalem reſpectum ad Filium, relatio divina ſecundùm eſſe *ad* eſt forma realis.

6 DICES: Deus revera eſt Dominus & Gubernator creaturarum, quo ſenſu importat relationem quandam ad creaturas, quoniam eiuſmodi denominationes ſunt planè relativæ. Et tamen non propterea eiuſmodi relatio eſt aliquid reale, ſed ſolius rationis, iuxta communem ferè ſententiam Theologorum ac Philoſophorum. Ergo quamvis reipſa Deus ſit Pater ac Filius, eæque denominationes ſint relativæ, poſſunt relationes eſſe ſolius rationis, & non reales.

7 SED Contrà. Quidquid ſit de illa ſententia, quam latè examinavimus Tomo I. Diſp. XXXIV. & eâ nunc permiſſa, aut ſuppoſita, eſt aperta diſparitas. Nam imprimis Deus in tempore reipſa ac verè dicitur Dominus creaturarum, denominatione deſumpta à reali ſervitute & ſubiectione illarum, ſuppoſita libera volitione & actione creandi. Ergo vt eodem modo dicatur verè Pater ad intra, opus eſſet vt ſaltem in Filio exiſtat realis filiatio, à qua denominetur Pater. Cùm verò inter duas perſonas æquales par ſit ratio vtriuſque; ſicut inde convincitur exiſtentia realis filiationis in Filio, ita etiam veræ paternitatis in Patre. Deinde, ſi Deo repugnat vera ac realis ad creaturas relatio, id eſt ratione infiniti exceſſus, & interminæ præſtantiæ ſupra illas. Vnde ita debet dici illarum Dominus reipſa, vt tamen id non habeat ex aliqua reali relatione ad illas, ſed à reali poteſtate coercendi, & vtendi pro libito, quam in ſe abſolutam habet; & à relatione ſervitutis ſubiectioniſque, exiſtente reipſa in creaturis. Atqui nullus eſt exceſſus, nulla præſtantia Patris æterni ſuprà Filium: vt habemus ex Symbolo S. Athanaſij. Ergo dicitur Pater reipſa, ob relationem ad Filium veram & realem. Præterea. Intimior eſt perſonæ generanti in divinis denominatio Patris ad Filium, quã Domini, immo & Dei, in ordine ad creaturas, quarum Deus & Dominus dicitur. Ergo potior eſt ratio vt conſtituatur Pater per intimam & realem relationem ad Filium, quàm Dominus & Deus per realem relationem ad creaturas. Aſſumptum probo eleganti teſtimonio, & ſubtili conſideratione S. Cyrilli lib. 11. in Ioannem cap. 7. pag. 961. editionis Græco-Latinæ, verbis illis: κυριώτερον δὲ πως ὄνομα τῷ θεῷ τὸ πατὴρ, ἢ θεός, &c. id eſt: *Magis propriè autem Deo convenit nomen Patris, quam Dei. hoc enim dignitatis: illud autem ſubſtantiuæ proprietatis notionem continet. Nam qui Deum dicit, vniuerſorũ Dominum indicat: qui autem Patrem nominat, quod ad proprietatem ſpectat, attingit. Oſtendit enim illum genuiſſe.* Vnde & idem S. Doctor lib. 5. Theſauri pag. 39. invehitur contra Anomæos, qui Deo Patri ſolum Dei nomen tribuentes, eripiebant ipſi digniorem quoddammodo appellationem Patris. Quippe hanc illi

præ-

præſtare, ſeu ampliorem ac ſublimiorem eſſe probat, quoniam *cùm dicitur Deus, ad ea cõparatur quæ ſunt ſeruilis conditionis, & creata natura conſtant: Pater verò ad Filium refertur, &c. Eſt autem multò præſtabilius Patrem eſſe germinis: ac tanto quidem, quanto Filius opere eſt præſtãtior.* Quid pulchrius? Vnde Guillelmus ipſe Pariſienſis, alioqui nobis contrarius loco ſuprà indicato, hoc ipſum agnovit lib. de Fide cap. 3. dicens, maiorem facere iniuriam Deo, qui negat illum Patrem vnigeniti, & æterni Filij, quàm qui Creatorem rerum inficiatur. Verba ſunt: *Siquis negaret Deum creaſſe mundum, non eſt dubiũ, quin intolerabiliter blaſphemaret. Cùm igitur incomparabiliter maior ſit gloria ipſe Filius Genitori ſuo, quàm mundus Creatori, & tanto vtique maior, quanto ipſe Filius maior eſt mundo; à parte incomparabilitatis nequiùs blaſphemat, qui negat Deum Patrem genuiſſe Filium, quàm qui negat eum creaſſe mundum.* Hactenus ille. Intimior itaque Deo eſt ratio Patris, quàm Domini, & Creatoris rerum omnium: vt proinde potiùs in eſſe Patris conſtituatur per intimam ac realem relationem ſecundùm eſſe formale ipſius ad Filium, quàm in eſſe Domini, & Creatoris per intimam ac realem relationem ad creaturas.

8 VLTERIVS. Iuxta Concilium Florentinum in litteris Vnionis in medio, *Omnia, quæ Patris ſunt ipſe Pater Vnigenito Filio ſuo gignendo dedit, præter eſſe Patrem.* Quod ipſum ferè definitum fuerat in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. Hinc verò manifeſtè colligitur, aliquid reale eſſe in Patre, quod non fuerit datum Filio per generationem. At quod non fuit datum Filio per generationẽ, eſt eſſe Patrem: vt inquit Concilium ipſum. Ergo eſſe Patrem, prout diſtinguitur ab omni alio prædicato Patris, conuenienter Filio, ipſique dato per generationem, eſt aliquid reale. Cùm igitur per *eſſe Patrem*, exprimatur relatio paternitatis ſecundùm formalem reſpectum ad Filium; planè illa eſt realis ſecundùm eſſe *ad*. Mitto plures alias probationes. nam præiactæ videntur abundè rem demonſtrare.

9 PORRO Relationes eiuſmodi non eſſe tranſcendentales, ſed prædicamentales, probatum iam fuit Diſp. præced. ſect. 2. nam licèt propriè non contineantur ſub Prædicamento Relationis (Deum enim non eſſe in genere quoad aliquod ſui prædicatum, neque abſolutum, neque relativum, oſtenſum fuit latè cum Anſelmo Tomo I. Diſp. XXX. & XLVII.) adhuc tamen in ijs ſecundùm rationem formalem conſideratis, & ſecluſa imperfectione ac limitatione creatarum relationum propria, apparent notæ illæ, ſive peculiares affectiones relationum ſtrictè prædicamentalium: quarum potiſſima eſt, vt per eas relativa conſtituantur ſimul natura, definitione, & cognitione, ac mutuò ſe inferant, & interimant. Hoc autem totum conuenire divinis relationibus, intra formalem lineam relationum, iam oſtendimus ſect. 2. nuper indicata n. 25. ſunt ergo illæ potiùs prædicamentales, quàm tranſcendentales.

SECTIO II.

Statuitur & probatur quaternarius relationum diuinarũ numerus ex Anſelmo, & omnibus Scholaſticis. Verùm variæ & diſſidentes eorum ſententiæ recenſentur circa diſtinctionem ſpirationis actiuæ à paternitate & filiatione.

10 DICO II. Relationes in divinis eſſe quatuor, & non plures, nec pauciores. Aſſertio hæc non legitur in Concilijs, nec invenitur expreſsè tradita à Patribus, immo nec à Magiſtro, & alijs Theologis paulo antiquioribus illo. Traditur tamen ſuboſcurè ab Anſelmo in Epiſtola, ſeu libro de Proceſsione cap. penult. cui initium, *Patet ergo*, vbi poſt medium inquit: *Eſt autem tribus commune ad duos habere relationem. Patet enim ad Filium & Spiritum ſanctum referri, ſicut ad illos, qui de ſe ſunt: Filius ad Patrem & Spiritum ſanctum, quia eſt de Patre, & Spiritus ſanctus de illo: Spiritus ſanctus ad Patrem & Filium, quia eſt de vtroque.* Vbi omnes divinas relationes aſsignat & enumerat ſecundùm originem activam & paſsivam: ac proinde ſolas quatuor, vt videbimus num. ſequenti. Verùm id clarius & ex inſtituto traditur ab ijs, qui poſt Anſelmum, & Magiſtrum ſcripſerunt: præſertim ab Alberto Magno 1. part. quæſt. 39. membro 2. part. 1. ad 2. Alenſi 1 p. q. 68. membro 3. §. 1. & 2. Div. Thoma 1. p. q. 28. art. 4. & q. 32. art. 2. Bonaventura in 1. diſt. 26. q. 4. quos reliqui ferè Scholaſtici, & Theologi poſteriores ad hanc vſque diem communiter ſequuntur, paucis exceptis infrà allegandis. Aſſertio autem bimembris eſt. Imprimis enim negat eſſe in divinis plures quatuor relationibus: & deinde affirmat non eſſe pauciores.

11 PRIOR Pars probatur communi fundamento. In Deo non ſunt plures relationes, quàm originis, tùm activæ, tum paſsivæ. Atqui origines paſsivæ & activæ non ſunt in Deo niſi quatuor, activæ duæ, & reliquæ duæ paſsivæ. Ergo neque ſunt plures, quã

quatuor relationes. Maior eſt explorata apud Patres & Theologos, quorum teſtimonia videri poſſunt apud Ruiz diſp. 1. ſect. 4. ac præterea expreſſa Anſelmi in eadem Epiſtola de Proceſsione Spiritus S. cap. 3. dicentis: *Supradicta relationis oppoſitio, quæ ex eo naſcitur, quia ſupradictis duobus modis Deus de Deo eſt, prohibet, Patrem, & Filium, & Spiritũ ſanctum de invicem dici, & propria ſingulorum aliis attribui.* Ergo oppoſitio relativa, & proinde numerus relationum, quibus opponũtur perſonæ, attenditur ſecundùm numerum originum Dei de Deo, quæ ſunt activæ, & paſſivæ. Deinde idipſum ratione conſtat: quia ſeclusa origine vera ac reali in divinis, non eſt diſtinctio realis vnius ab alio, ac proinde nec relationũ, quas probatum fuit vtraque Diſputatione præcedenti, habere primariam & potiſſimam vim diſtinguendi vnam perſonam ab alia. Iam verò minor præcipui ſyllogiſmi eſt omnino certa. Non enim ſunt poſsibiles in divinis plures origines, quàm generatio Filij, & proceſsio Spiritus ſancti; quarum vnaquæque ex parte principij denominatur activa, & paſsiva ex parte termini. Et quidem in generatione Verbi dumtaxat interveniunt relationes duæ Patris ac Filij: in proceſsione autem Spiritus ſancti aliæ duæ, Spiratoris, & Spirati.

12 CONFIRMATVR I. In divinis enim ex parte principij producentis ſolùm poſſunt eſſe relationes in ordine ad terminos productos, quaſi ſpecie diſtinctos, à quibus eædem relationes ſuam quaſi ſpeciem habeant. Atqui termini producti ſunt duo quaſi ſpecie diſtincti dumtaxat; nempe Filius & Spiritus ſanctus. Ergo ex parte principij producentis ſolùm poſſunt eſſe in divinis relationes duæ. Cumque totidem debeant eſſe relationes ex parte termini producti quot ex parte principij; conſequens omnino eſt, vt in perſonis divinis activè & paſsivè conſideratis non ſint plures, quàm quatuor relationes.

13 CONFIRMATVR Ampliùs & explanatur. Siquod enim eſſet in ſpeciem fundamentum ad excogitandum in divinis plures quatuor relationibus, tantùm deſumi poſſet, vel ex eo quòd relatio ſpirationis activæ eſſet duplex in Patre & Filio: vel quia in Deo admitti debeant præterea relationes Verbi, & imaginis, & doni, & æqualitatis, & ſimilitudinis, & identitatis in eſſentia, ſeu conſubſtãtialitatis, & circuminſeſsionis, & prioris ac poſterioris ſecundùm originem. Neque enim aliud caput, vel apparens, eſſe poteſt ad augendum in Deo relationes ſupra quaternarium numerum. At neutro ex capite debemus admittere plures relationes. Non ex primo: quia ſpiratio activa eſt vnica in Patre & Filio relatio ex conſenſu omnium Scholaſticorum cum Magiſtro in 1. diſt. 29. cap. vlt. vbi proponens hunc quæſtionem, An ſit alia notio, qua Pater eſt principium, & alia, qua Filius; Reſponder, *Patrem & Filium eadem relatione vel notione principium dici.* Quod ipſum Durandus in 1. diſt. 13. quæſt. 2. n. 30. monet definitum fuiſſe in Concilio Generali Lugdunenſi: vbi Gregorius Papa X. inquit de Spiritu ſancto, procedente ex Patre & Filio: *Non tanquam ex duobus principijs, ſed tanquam ex vno principio, non duabus Spirationibus, ſed vnica Spiratione procedit.* Præterea Eugenius IV. in Concilio Generali Florentino, conſentientibus omnibus Patribus Latinis & Græcis, quotquot ibi convenerunt, definit in litteris Vnionis in medio, Spiritum ſanctum *à Patre & Filio, tanquam ab vno principio, & vnica Spiratione procedere.* Quam eandem doctrinam longè antea tradiderat, & pulcherrimis rationibus ac exemplis explanaverat Anſelmus in Epiſtola de Proceſsione Spiritus ſancti cap. 10. per totum, præcipuè ab illis verbis, quæ ſunt circa medium capitis: *Sicut non credimus, Spiritum ſanctum eſſe de hoc, vnde duo ſunt Pater & Filius, ſed de hoc, in quo vnum ſunt: ita non dicimus duo eius principia, ſed vnum principium, &c.* Ergo nullum eſt revera fundamentum ad aſſerendam in Patre & Filio duplicem relationem ſpirationis activæ erga Spiritum ſanctum.

14 IAM Verò, nec fundamentum eſſe ad excogitandas in Deo plures illas relationes indicatas in ſecunda maioris propoſitionis parte, ſuadetur excurſione quadam per ſingulas earum. Imprimis enim relatio Verbi, ſive Imaginis, de qua ſuprà diſſeruimus cum Anſelmo cap 31. & ſeqq. non differt à relatione filiationis: ſicuti in ſecunda perſona ratio Verbi, & Imaginis, & Filij eſt eadem, eaque relativa ad Patrem. Quod totum docuit idem Anſelmus hoc ipſo cap. 38. circa finem, dicens: *Verbum, hoc ipſum, quod Verbum eſt, aut imago, ad alterum eſt: quia non, niſi alicuius, Verbum eſt, aut imago.* Idemque colligitur ex doctrina ipſius infrà cap. 34. & 40. &c. vbi inquit: *Verbum, mox vt conſideratur* (id eſt, in ipſa formali ratione Verbi) *ſe prolem eſſe eius, à quo eſt, evidentiſsimè probat, promptam præferendo Parentis imaginem.* Ergo nullum eſt fundamentum ad aſſerendum relationem Verbi, & Imaginis eſſe diſtinctam à relatione filiationis. Vide præterea Ruizium diſp. 6. & 7. vbi latè oſtendit, relationem Imaginis eſſe veluti partem magis explicitam, & quidditativè clauſam in filiatione. Quod præſertim habet locum iuxta ſententiã ferè communem ac veram, quæ docet, Filium

Dei

Dei ex propria ratione procedere per intellectum: atque adeo rationem Filij, & Verbi, ſicuti & Imaginis, eſſe in illo prorſus eandem.

15 DEINDE. Nec relatio doni in Spiritu ſancto addit relationem realem, ſed ſummùm rationis, in ordine ad creaturas, quibus donatur, iuxta communiorem ſententiam Theologorum negantium in Deo reſpectum realem ad creaturas. Immo & iuxta oppoſitam, nihil id intereſt ad præſentem quæſtionem: cũ hoc loci non diſſeratur de relationibus divinis ad extra & liberè Deo conuenientibus, ſed ſolum de ijs, quæ ad intra & prorſus neceſſariò ipſi conueniunt. Quod ipſum intellige de relatione illa, qua Verbum intelligitur in ordine ad creaturas, veluti illas repræſentans in ſe ipſo, & vi proprietatis ſuæ, tanquam ſimilitudo rerum factarum, iuxta opinionem relatam & impugnatam à nobis ſuprà cum Anſelmo Diſp. LXIV. ſect. 1. & 2.

16 DENIQVE. Nec relationes æqualitatis, ſimilitudinis, & identitatis in eſſentia, ſunt reales in divinis, ſed rationis dumtaxat, teſte D. Thom. 1. p. q. 28. art. 4. ad 4. & q. 42. art. 1. ad 4. Immo & permiſſo quòd eſſent reales, adhuc non conſtituerent numerum ſupra quatuor iam enumeratas: quia non fundãtur ſupra rationem producentis & producti, ſeu principij & procedentis à principio. Idem exiſtimari debet de conſubſtantialitate perſonarum, ſi accipiatur ad modũ relationis. Relatio verò circuminſeſsionis, ſeu mutuæ exiſtentiæ vnius perſonæ in alijs, partim reducitur ad illam relationem rationis, quâ explicatur identitas in eſſentia, vt docet D. Thom. in 1. diſt. 19. q. 3. art. 2. partim verò ad ipſas relationes originis: quoniam circuminſeſsio conſiderata ſecundùm rationem originis, eſt relatio realis, & veluti partialis quædam formalitas imbibita in vnaquaque perſonalitate relativa, & diverſa quoddammodo iuxta peculiarem conditionem illius. De quo videſis Ruizium diſp. 18. probatione 3. Tandem relatio prioris ac poſterioris ſecundùm originem, non eſt formaliter alia ab ipſa origine, tum activa, tum paſsiva. Ergo de primo ad vltimum, nullum eſt fundamentum ad excogitandum in Deo plures quatuor relationibus ex aliquo capite eorum, quotquot indicavimus num. 13. initio.

17 POSTERIOR Aſſertionis pars, nimirum, non eſſe in Deo pauciores quatuor relationibus, patet ex hucuſque dictis. Cùm enim certum ſit, in divinis eſſe duas origines; certum quoque eſſe debet, iuxta vnamquamque illarum activè, & paſsivè conſideratam, eſſe duas relationes, alteram producentis, & alteram producti. Ergo neceſſum eſt, vt quemadmodum origo Filij à Patre exigit duplicem relationem, alteram paternitatis, alteram filiationis, quibus ſe invicem reſpiciant, veluti generans & genitum: ita etiam origo Spiritus ſancti ab vtroque exigat duplicem relationem, alteram ſpirationis activæ, alteram ſpirationis paſsivæ, quibus ſe mutuò reſpiciant, tanquam ſpirans & ſpiratum. Quod totum ſatis indicavit Anſelmus verbis num. 10. exſcriptis. Ergo in divinis non ſunt pauciores quatuor relationibus.

18 VERVM Obſervare oportet, quamvis etiam in hac poſteriori Aſſertionis parte conveniant Scholaſtici, aliquos tamen illorum velle, non eſſe locum quatuor relationibus, niſi ſpiratio activa diſtinguatur reipſa à paternitate & filiatione. Quod ex profeſſo docet Durandus in 1. diſt. 13. quæſt. 2. per totam: vbi contendit, ſpirationem activam realiter diſtingui à generatione paternitate, & filiatione; idque, ſive ipſa ſpiratio activa conſideretur in ratione originis, ſive relationis. Quin & licèt idem Author inter eſſentiam & ſingulas relationes divinas conſtituat diſtinctionem ex natura rei, veluti inter rem & modum, vt patet ex ipſo in 1. diſt. 33. q. 1. n. 15. & 27. ac præterea diſt. 35. quæſt. 2. adhuc tamen loco paulo antea indicato maiorem vult eſſe diſtinctionem ſpirationis activæ à paternitate & filiatione, ac proinde realem ſine addito, aut particula diminuente. Quod patet ex toto contextu illius quæſtionis, præſertim verò ex num. 32. vbi inquit: *Nunc reſtat tertium, ſcilicet, vt declaretur veritas quæſtionis. Eſt ergo intelligendum quòd GENERARE ET SPIRARE REALITER DIFFERVNT: ſimiliter generari & ſpirari.* Idipſum tradidit Henricus in Summa art. 60. q. 2. dicens, ſpirationem activam à generatione tum activa, tum paſsiva, diſtingui *realiter re relationis*, qualiter etiam loquitur Durandus loco allegato: vt, nimirum, ſignificent, hanc diſtinctionem non eſſe, quaſi inter duas res abſolutas, vel quarum altera ſit abſoluta, & relativa altera: ſed veluti inter duas relationes. Idem docuiſſe exiſtimantur Albertus Magnus apud Carthuſianum in 1. diſt. 27. quæſt. 1. circa finem, qui videtur ipſi ſubſcribere, ac præterea Bonaventura, in 1. diſt. 13. art. vnico quæſt. 3. corpore collato cum argumentis, & Baſſolis eâdem diſt. quæſt vnica art. 1. Itaque ij omnes aut docent, aut docere videntur, ita eſſe in divinis quatuor relationes, vt quemadmodum tres illarum, paternitas, filiatio, & ſpiratio paſsiva, diſtinguuntur reipſa inter ſe realitatibus relativis: ita etiam ſpiratio activa diſtinguatur reipſa, non ſolùm à paſsiva ſpira-

ratione (quod omnes vt certum ſupponimus) ſed etiam à paternitate & filiatione, penes relativam realitatem.

19 SCOTVS Autem Quodlib. 5. art. 2. fine conſequenter ad illam ſuam diſtinctionem formalem ex natura rei, ſeu mediam, quam ſtatuit inter eſſentiam & relationes divinas, exponit pariter, ſpirationem activam diſtingui à paternitate & filiatione. Quod ipſum ferè docent Gabriel in 1. diſt. 27. q. 1. & Baſſolis indicato loco teſtatur ſuo ipſius ævo fuiſſe ſententiam communem, ac Durandus q. 2. iam citata num. 14. ait, magnis viris placuiſſe: & denique Capreolus eadem diſt. inquit, multos alios præter Durandum illam fuiſſe amplexatos.

20 CONTRARIA Tamen, & communis reliquorum Theologorum, tam Veterum, quàm Recentiorum, præter Scotiſtas, ſententia, negat omnem diſtinctionem actualem, ſive realem ſimpliciter, ſive formalem, ex natura rei, inter ſpirationem activam comparatam cum generatione activa, ſive cum paternitate & filiatione: ſolumque admittit diſtinctionem virtualem in re, & actualem per intellectum. Ita D Thomas 1. part. quæſt. 32. art. 3. ad 3. & in 1. diſt. 27. quæſt. 1. art. 1. quem ſequuntur omnes ferè Interpretes in eundem locum ex 1. part. ac præterea reliqui Theologi in hoc tractatu varijs locis, vt proinde fruſtraneum appareat ſingulorum loca indicare, vbi nemo invenitur, qui hanc ſententiam non doceat. Porrò aliqui ex ijs contrariam, præſertim quatenus à Durando traditur, per realem diſtinctionem abſque vlla ferè reſtrictione, gravi ac multiplici nota inurunt. Molina 1. part. quæſt. 32. art. 2. diſp. 3. §. *Contraria ſententia*, cenſet illam eſſe parum tutam in fide, & poſſe appellari erroneam, prout à Durando traditur: Ruiz diſp. 17. ſect. 4. ſimpliciter periculoſam, minùs verò prout à Scoto defenditur: alij denique à nobis relati Diſput. XXV. num. 15. malè ſonantem in fide, alij non ſatis conſonantem fidei, alij contrariam ſanctis Patribus, alij valde falſam, alij hoc tempore temerariam exiſtimant. Ego verò poſt decretum SS. D. N. Innocentij XI. prohibentis omnem cenſuram quarumlibet opinionum inter Catholicos controverſarum, & reſervantis illam Sedi Apoſtolicæ, non audeo cenſoriam ferre virgã; nec alioqui facilè auderem, præſertim contra clariſsimam Scholam Subtilis Doctoris, quam multis nominibus veneror, quæque S. Doctori Anſelmo plurimum honoris ac celebritatis dedit. Nihilominus quid hic in re verius cenſeam, ſtatim exponam.

(??)

SECTIO III.

Impugnatur ſententia Durandi, diſtinguentis realiter relationem ſpirationis activæ à paternitate & filiatione. Expenditur latè contra illum definitio quædam Concilij Lateranenſis, & plures eius ſolutiones refutantur.

21 DICO III. Spiratio activa non diſtinguitur à relationibus paternitatis & filiationis realiter. Concluſio eſt communis apud Scholaſticos, vt nuper vidimus, & directè contraria Durando. Soletque probari ex Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. verbis relatis in capite *Damnamus* de ſumma Trinit. & Fide Catholica; ſcilicet: *In Deo ſolummodo Trinitas eſt, non quaternitas* Cui doctrinæ oppoſitam blaſphemiam auſus fuit olim effurire Anaſtaſius Imperator, dicens, non Trinitatem, ſed Quaternitatem adorandam eſſe. In cuius ſceleris pœnam fulmine percuſſus interijt: vt alibi obſervavimus ex Paulo Diacono, Pomponio Læto, & Blondo, apud Coccium lib. 1. de Trinit. art. 1. At ſi ſpiratio activa diſtingueretur reipſa à paternitate & filiatione, tanquam vna *res relativa ab alia*, vt loquamur verbis ipſius Durandi, iam eſſet in Deo, non ſolùm Trinitas, ſed & quaternitas Ne igitur hoc conſequens directè contrarium Concilio colligatur; oportet dicere ſpirationem activam non eſſe realiter diſtinctam à paternitate & filiatione, tanquam vnam rem relativam ab alia. Probatur minor, in qua ſola poſſet eſſe diſsidium: quia certum eſt, paternitatem, filiationem, & ſpirationem paſsivam, id eſt, ſingulas relationes proprias ſingularum perſonarum, eſſe *tres res*, ſeu conſtituere Trinitatem realem: ſicuti fide ſanctum eſt tres perſonas eſſe *tres res* ſecundùm propria & perſonalia: vt ex profeſſo docet, & ex conſenſu omnium Catholicorum probat Anſelmus lib. de Fide Trinitatis & Incarnat. Verbi cap. 3. conſtatque planè ex definitionibus Conciliorum adverſus Sabellium relatis ſuprà Diſp. LV. Ergo ſi præterea additur quarta realitas relativa ſpirationis activæ, diſtinctæ realiter ab ijs, dabitur in Deo realis quaternitas.

23 VIDIT Durandus ipſe difficultatem hanc ſtatim in oculos incurrentem, ſibique propterea illam obiecit. Reſpondet tamen num 29. in ijs Concilij verbis damnari directè quaternitatem perſonarum, & ex conſequẽti quaternitatem rerum, quarum numerus conſtet ex eſſentia & perſonis: non verò quaternitatem conſtantem ex quatuor relationibus diſtinctis reipſa. Hanc verò fuiſſe mentem eius

Concilij ſuadere nititur dupliciex capite. Primò: quia decretum illud directè editum fuit contra doctrinam Ioachimi Abbatis aſſerentis, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum non eſſe vnum & idem cum eſſentia, niſi collectivè, ſicut multi homines in eodem oppido habitantes ſunt vnus populus. Secundò: quoniam idem Abbas ex doctrina Catholica Magiſtri ſententiarum, in eâdem Synodo approbata, & teſtata à Patribus, præpoſterè ac ſiniſtrè colligebat, Magiſtrum ipſum aſſeruiſſe in Deo quaternitatem perſonarum. Itaque iudicio Abbatis Ioachimi, Magiſter ſententiarum, inquit Durandus, *Non tam Trinitatem, quàm quaternitatem aſſerebat in Deo: videlicet, tres perſonas, & illam communem eſſentiam, quaſi quartam.* Quod ipſum ferè repetit in 1. diſt. 33. quæſt. 1. num. 36. vbi, inter alia plura inquit: *Ibi non negatur quælibet quaternitas, cùm omnes Doctores Catholici ponant quaternitatem relationum realium in diuinis: ſed ſolùm negatur talis quaternitas, qualem imponebat Ioachim Magiſtro ſententiarum: & illa erat quaternitas perſonarum, quia nec aliam intelligebat, nec intelligere poterat, ſecundùm principia quæ tenebat. Et hic clarus ſenſus Decretalis, quæ in nullo tangit quæſtionem propoſitam, &c.*

24 PROPTER Hanc ſolutionẽ, nos ipſi Tomo I. Diſp. XXV. n. 52. & 53. cenſuimus perperam à quibuſdam Durandum traduci, ſeu poſtulari erroris Ioachimo imputati: cùm toto cœlo diſtet ab illo, vt ibidem oſtendimus palam, & ipſe ſatis eo loco demonſtrat, præſertim verbis nuper exſcriptis. Verumtamen ſolutio ipſa non videtur ſatisfacere pluribus, quæ ex definitione eâdem Synodi Lateranenſis colliguntur. PRIMO enim, neque in eo Concilio erat directè quæſtio an eſſentia divina ſit quarta realitas diſtincta ſecundùm rem à tribus hypoſtaſibus, ſeu perſonis: cùm hæc controverſia iam eſſet ſopita aut extincta multò antea in Concilio Remenſi ſub Eugenio III. contra Gilbertum Porretanum: vt vidimus Diſp. eadem XXV. ſect. 2. & 3. At nihilominus ex ijs verbis Concilij Lateranenſis iam ſuprà allegatis, *In Deo ſolummodo Trinitas eſt, non quaternitas*, admittit Durandus damnari conſequenter, aut *concomitatiuè*, vt ipſe loquitur, quaternitatem rerum, ex eſſentia & perſonis conſtitutam, licèt eſſentia non ſit perſona. Ergo licèt quæſtio, quam præ manibus habemus, non tractaretur directè in eodem Concilio, adhuc tamen in eo dãnata eſt quaternitas relationũ realiter inter ſe diſtinctarũ, quãvis ſpiratio activa inter illas non ſit perſona, ſeu conſtitutiva, perſonæ. SECVNDO: Quoniam, tum in illa, tum in qualibet alia Conciliorum Generalium definitione, non ſolùm debet intelligi damnatum id, contra quod Synodus ipſa directè coacta eſt, ſed etiam quidquid in ſenſu vero & proprio continetur ſub generali damnatione. Quo ſenſu ſæpiſsimè Theologi colligunt plures propoſitiones in Concilijs damnatas fuiſſe, quamvis de ijs directè controverſia non eſſet. Atqui quaternitas rerum diſtinctarum reipſa, ſive omnes illæ ſint perſonæ, ſive aliqua earum non ſit perſona, cõtinetur in ſenſu vero & proprio generalis damnationis: ideoque Durandus ipſe fatetur damnari conſequenter quaternitatem conſtantem ex perſonis & eſſentia, quamvis hæc non ſit perſona. Ergo in illa Concilij definitione cenſendum eſt damnari conſequenter quaternitatem rerum diſtinctarum reipſa, ſive omnes illę ſint perſonæ, ſive aliqua earum, vt ſpiratio activa, non ſit perſona. TERTIO. Concilium ijs verbis tendit directè ad aſſerendam in Deo ſolam Trinitatem, excluſa quaternitate, ac proinde quolibet numero maiori rerum, ſive perſonam conſtituant, ſive non. Alioqui enim non contradiceret Concilio qui aſſereret in Deo plures alias realitates relativas, quàm quatuor, diceretque præterea, relationes æqualitatis, identitatis, conſubſtantialitatis, circuminſeſſionis, & diſtinctionis perſonalis, eſſe revera diſtinctas inter ſe, & ab alijs quatuor relationibus, de quibus diſputamus. Nam ſi impeteretur ijs Concilij verbis, facilè reſponderet, ibidem non excludi numerum realitatum relativarum maiorem ternario, ſed perſonarum dumtaxat. Conſequens autem abſurdum eſſe, patet. QVARTO. Quia iuxta ipſum Durandum non quaternitas dumtaxat rerum, ſed & quinquennitas, verè in Deo erit. Cũ enim ipſe doceat in 1. diſt. 33. quæſt. 1. ex profeſſo, eſſentiam divinam reipſa diſtingui à paternitate, filiatione, & ſpiratione paſſiva, nec loquatur de diſtinctione formali ex natura rei, ſive media, quam eo loco reijcit; opus eſt vt loquatur de diſtinctione realitatum, vt proinde ex ijs tribus relationibus & eſſentia, reſultet in Deo quaternitas rerum. Vnde iam videtur concedere id, quod ſuprà num. 23. fatebatur in ijs verbis Concilij conſequenter, ſive *concomitatiuè*, vt ipſe ait, damnatum. Quin & rebus ijs quatuor addit ſpirationem activam in Deo. Quod non ſolùm opponitur verbis præiactis Concilij Lateranenſis, ſed & definitionibus aliorum omnium Conciliorum præcedentium, & ſubſequentium: in quibus dum ſola Trinitas aſſeritur apud Deũ, omnis quaternitas, quinquennitas, & quilibet alius numerus maior rerum excluditur. Sic certè dum in Sacra Scriptura nũquam aſſeritur, niſi vnus Deus, excluditur omnis deorum pluralitas in quolibet numero: immò

mò tanto magis pluralitas maior, quàm minor, quanto plus illa recedit ab vnitate in ſacris litteris expreſſa. At quinquennitas realitatum illata ex doctrina Durandi magis recedit à Trinitate, quàm quaternitas realitatum eſſentiæ & trium relationum, vt patet: cùm ſuprà illam addat realitatem aliam ſpirationis activæ. Ergo Concilium excludens quaternitatem rerum ex eſſentia & tribus relationibus conſtantem, multo magis excludit quinquennitatem reſultantem ex additione ſpirationis activæ ſupra eaſdem quatuor realitates.

25 OCCVRRES Pro Durando huic vltimæ impugnationi, diceſque, ipſum nullatenus concedere diſtinctionem realem ſimpliciter inter eſſentiam & relationes, ſed modalē dumtaxat: vt patet ex loco nuper indicato illius diſt. 33. quæſt. 1. vbi ſæpe id declarat: & tandem numero 39. qui eſt poſtremus quæſtionis, inquit de ijs: *Differunt ſicut res & modus habendi rem, prout in præcedentibus fuit declaratum. Et cùm hæc differentia ſit ex natura rei, circumſcripto omni actu rationis, neceſſe eſt dicere quòd ſit aliquomodo realiter.* Nunquā ergo Durandus admittit in Deo quaternitatem realitatum, & multo minùs quinquennitatem ex additione ſpirationis activæ; præſertim cùm facilè poſsit dicere, hanc ipſam eſſe modum, non realitatem ſimpliciter, ſicuti ipſe aſſerit de paternitate & filiatione, ac ſpiratione paſsiva. Quaternitas autem, ſeu etiam quinquennitas conſurgens ex realitate eſſentiæ, & modis ſuperadditis trium vel quatuor relationum, non videtur excluſa, adhuc conſequenter, aut indirectè, ijs verbis Concilij Lateranenſis; ſed ſolùm quaternitas realitatum ſimpliciter talium, vel etiam quinquennitas: quarum vtramque negat Durandus.

26 SED Enim nec ſolutione hac occurritur ſatis definitioni præiactæ Concilij Lateranenſis, ſi verba iam relata illius conungantur alijs immediatè procedētibus. Sic quippe habetur ibidem: *NOS, autem, SACRO APPROBANTE CONCILIO, credimus & confitemur cum Petro Lombardo, quòd VNA QVÆDAM SVMMA RES EST, incomprehenſibilis & ineffabilis, QVÆ VERACITER EST PATER, ET FILIVS, ET SPIRITVS SANCTVS, tres ſimul perſonæ, ac ſingillatim quælibet earundem: ET IDEO IN DEO SOLVM. MODO TRINITAS EST, NON QVATERNITAS: QVIA QVÆLIBET TRIVM PERSONARVM EST ILLA RES videlicet, ſubſtantia, eſſentia, ſeu natura diuina, &c.* Itaque iuxta expreſſam definitionem Concilij, eatenus in Deo eſt ſolummodo Trinitas, non quaternitas (& per conſequens, nec quinquennitas) quoniam illa ſumma res, nimirum, ſubſtantia, eſſentia, ſeu natura divina, veraciter eſt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus; ac ſimiliter quælibet earum trium perſonarum, veraciter eſt illa ſumma res, ſive eſſentia. Quod ipſum patet debere intelligi pariter de ſpiratione activa, cum eadem omnino ratio ſit. Atqui ea doctrina Concilij non videtur vllum habere locum iuxta opinionem Durandi, etiam poſt ſolutionem nuper propoſitam. Si enim ſparatio activa diſtinguitur realiter à tribus alijs relationibus, & modaliter ab eſſentia, iam hæc non erit veraciter Spirator, ſicuti nec veraciter erit Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, contra quàm Concilium ipſum aſſerit. Probatur ſequela. Nulla enim res ſeorſim à modo realiter ſibi ſuperaddito, eſt veraciter totum, ſeu concretum ex ipſa & ex modo reſultans. Fac, quæſo, naturam creatam hominis diſtingui à ſubſiſtentia ſive perſonalitate, veluti à modo reipſa ſuperaddito, prout communis ferè ſententia docet, ſuprà Diſp. LXXV. ſtatuta ex profeſſo. Certè iuxta nos, & multo vrgentiùs iuxta Durandum in ea parte nobis contrarium, ſtatuta illa, humanitas non eſt veraciter ſuppoſitum, nec perſona; quia hæc vltra illam addit reipſa modum aliquem: & omnis vera prædicatio exigit, ne prædicatum addat ſuprà ſubiectum aliquid reipſa, vel è contrà, ſive illud ſit res, ſive modus. Alioqui ſicuti in Chriſto eſt humanitas creata, ſic etiam erit perſona creata per identitatem cum ipſa. quod eſt affine errori Neſtorij. Si igitur ſpiratio activa, ſeu ratio Spiratoris, addit modum reipſa diſtinctum ab eſſentia, ſicuti & reliquæ tres relationes Patris, Filij, & Spiritus ſancti; eſſentia divina non erit veraciter Spirator, ſicuti neque Pater, nec Filius, nec Spiritus ſanctus.

27 PRÆTEREA. Si ſpiratio activa, peræquè ac tres reliquæ relationes, non eſt realitas ſuperaddita divinæ eſſentiæ, ſed modus, vt Durandus vult; erit planè aliquid imperfectum, ac Deo prorſus indignum. nam modus propriè dictus, ſeu contradiſtinctus à realitate, eſt entitas quædam incompleta prorſus & imperfecta. Deinde nec quatuor relationes inter ſe comparatæ diſtinguentur realiter ſimpliciter, vt Durandus ipſe affirmat, ſed ſolum modaliter, ſive tanquam plures modi invicem collati. Vlteriùs, nec perſonæ divinæ diſtinguentur verè inter ſe, tanquam res ſimpliciter diſtinctæ: quoniam ratio diſtinguendi illas, etiam iuxta Durandum ipſum in 1. diſt 26 q. 1. n. 18. eſt relatio ſub formali ratione relationis. Ergo ſi relationes omnes ſunt modi, & non res, perſonæ ipſæ non erunt res diſtinctæ ſimpliciter, ſed eadem realitas modaliter di-

distinctæ. Consequens autem absurdum esse patet ex communi Theologorum consensu, & doctrina SS. Patrum, qui docent in divinis esse tres res, & vnam ijs communem: vt vidimus Disp.LXXI sect.1 & sæpe supponit Anselmus, præcipuè lib.de Incarnat. Verbi cap.3. præcipuè non longè à principio eiusdem capitis, vbi ait: *Nemo Christianus confitetur Patrem & Filium, secundùm hæc duo propria, vnam rem esse, sed duas.* Ergo relationes divinæ non sunt modi, sed res, quamvis relativæ. Quare si essentia divina distinguitur verè, ante omnem intellectus considerationem ab ijs, vt vult Durandus, distinguetur planè, veluti vna res ab alia: ac proinde non erit locus definitioni Lateranensis Concilij asserentis, illam rem summam, nimirum, essentiam, vel naturam, veraciter esse Patrem, Filium, & Spiritum sanctu: sed supra illam summam rem, sive essentiam, addent aliquam realitatem: vbi autem prædicatum addit realitatem aliquam supra subiectum, aut è contra, non est vera identitas vtriusque, ac per consequens nec vera prædicatio alterius de altero esse potest.

28 CONFIRMATVR Eadem ferè impugnatio Si enim spiratio activa (idemque est de vnaquâque cæterarum relationum) non est realitas, sed modus, habebit suam rationem formalem, sive essentiam ex natura rei distinctam ab illa summa re, sive essentia divina: atque adeò non erit secundùm rem ipsa Deitas, nec Deus, sed potiùs creatura. Deinde ab eâdem divina essentia procedet, tanquam à causa efficiente, per veram emanationem, sicuti plures modi efficienter emanant ab essentijs creatis. Præterea potiùs erit Trinitas modalis, quàm realis, & potiùs Trinitas modorum, quàm realium personarum: quoniam Trinitas præcipuè denominatur ab ijs, quæ constituunt numerum ternarium, sive penes id, in quo distinguuntur personæ; non autem penes essentiam, in qua sunt vnum & idem. Si ergo numerum ternarium non constituunt in Deo veræ realitates, sed modi, potiùs erit Trinitas modalis, quàm realis, seu modorum, quàm personarum. Nemo autem ex Catholicis, nec Durandus ipse, id dicere auderet. Insuper sæpe numero cõtingit eandem naturam, sive rem creatam, affici pluribus modis ab ipsa distinctis ex natura rei, v.g. duobus aut tribus. Certè non propterea in eo complexo est realis dualitas, aut trinitas sed modalis tantùm Cùm igitur in divinis sit Trinitas realis, immo & personalis, ratione proprietatum relativarum, oportet dicere, has non esse propriè modos, sed realitates veras & relativas. Cumque plures ex ijs rationibus pariter id ipsum evincant de spiratione activa, quoniam nullus intra Deum modus verè & propriè esse potest; colligitur planè singulas quatuor relationes esse veras realitates. Si igitur distinguuntur ab essentia divina, ante omnem intellectus considerationem, distinguũtur planè, quemadmodum vna res ab alia. Ergo non poterunt prædicari veraciter de illa, prout definit Lateranense Concilium: quemadmodũ ob eandem distinctionem realem, nec relationes oppositæ, nec spiratio activa de paternitate & filiatione, quamvis ijs non opponatur, iuxta Durandum, adinvicem prædicari veraciter possunt.

29 DICES, Denominationem realis, seu realitatis in Trinitate, solùm desumi ex essentia, quæ est vera realitas: non autem ex relationibus, quæ sunt modi; ac proinde semper in divinis simpliciter asserendam esse Trinitatem realem; non autem modalem.

30 SED Contrà I. Nam præter plura, quibus iam hæc evasio præoccupata fuit, vrget imprimis quòd, quemadmodum in Deo vnitas in sensu formali solùm attenditur ex essentia, in qua tres personæ sunt idem omnino: ita etiam Trinitas in sensu formali consideratur solùm ex proprietatibus personalibus, in quibus, seu ratione quarum distinguuntur. Vt enim definit Concilium XI. Toletanum in Confessione Fidei: *In relatione personarum numerus cernitur.* Ac præterea: *Hoc solo numerum insinuant, quod ad invicem sunt: & in hoc numero carent, quod in se sunt.* Idemque constat ex pluribus locis Concilij Florentini suprà Dispu. LXXIX. num 9. 10. & 11. expensis. Si ergo proprietates personales, quibus personæ constituuntur & distinguuntur, non sunt res, sed modi, iuxta Durandum, Trinitas in Deo solùm aut potiùs erit modalis, quã realis. SECVNDO. Permilla vltro ea solutione Durandi, sequitur personam Patris esse Trinitatem realem, quod nulli, vt arbitror, Catholico vnquam in cogitationem venit. Assumptionem probo: Quia persona Patris iuxta Durandum, constat realitate essentiæ, & paternitate, ac spiratione activa (licèt hæc sit communis etiam Filio) veluti modis ex natura rei distinctis ab essentia, & inter se. Si ergo realitas essentiæ, & pluralitas modorum ex natura rei distinctorum ab illa, sufficit ad Trinitatem simpliciter, seu potiùs realem, quàm modalem; Pater secundùm omnia quæ habet, erit Trinitas simpliciter, aut realis Trinitas, potiùs quàm modalis. Nec retorqueas eandem obiectionem in nos: quoniam iuxta dicta Tomo I. allegata Disput. XXV. nec spiratio activa, nec paternitas sunt aliquid ex natura rei distinctum ab essentia, aut inter se: vnde nequeunt

queunt cum ea conſtituere trinitatem, vel pluralitatem aliquam, nec realem, nec modalem. TERTIO. Si enim realitas ſolius eſſentiæ adiuncta tribus relationibus perſonalibus, tanquam puris modis, ſufficiens eſt, vt ſimpliciter in Deo aſſeratur Trinitas realis; eadem quoque realitas eſſentiæ adiuncta quatuor relationibus, ex natura rei invicem diſtinctis, iuxta Durandum, ſufficiet vt in Deo aſſeratur ſimpliciter & ſine addito quaternitas, immo & quinquennitas realis. Semper enim, & vtrobique realitas ſolius eſſentiæ ſufficiet, vt quælibet earum pluralitatum denominetur realis. Præiactæ impugnationes novum robur mutuabunt ex dicendis.

SECTIO QVARTA.

Eadem diſtinctio realis actiuæ ſpirationis à paternitate & filiatione refellitur ex doctrina Conciliorum, ac præterea ex celebri axiomate S. Anſelmi confirmato multipliciter teſtimonijs Conciliorum & Patrum. Durandi ſolutiones rejectæ.

31 SECVNDO Præcipuè reijcitur opinio Durandi ex doctrina primorum quatuor Conciliorum Generalium, in quibus aſſeritur ſola Trinitas perſonarum in Deo. Quibus adde teſtimonium valde opportunum ex Quinta Synodo Generali in Confeſsione Fidei Iuſtiniani Imperatoris contraria Capitula pag. 354. iuxta editionem Severini Binij, qua vtor, vbi hæc habentur: *Ideo & ante Incarnationem Dei Verbi, & poſt eius Incarnationem, tres hypoſtaſes dicimus, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. NON ENIM SANCTA TRINITAS QVARTÆ PERSONÆ VEL HYPOSTASEOS ADIECTIONEM SVSCIPIT.*

32 HINC Autem impugnatur diſtinctio realis activæ ſpirationis à tribus reliquis in Deo exiſtentibus relationibus: quoniã ſic neceſsum eſſet, vt ipſa ſpiratio activa, inſtar aliarum, eſſet per ſe ſubſiſtens, ac proinde quartum ſuppoſitum ſeu perſona quarta in Trinitate, contra definitiones eorundem Conciliorum, & prima ferè elementa Chriſtianæ & Catholicæ fidei. Aſſumptio probatur: quoniã nihil videtur deeſſe activæ ſpirationi, vt conſtituat ſuppoſitum vel perſonam, ſi ſemel eſt à cæteris ſecundùm rem diſtincta. Imprimis enim non eſt inhærens, cùm non ſit accidens, quod in Deo locum non habet. Deinde, quòd illa ſit relatio, non obeſt ad perſonam conſtituendam: cùm tres perſonæ divinæ in ratione talium conſtituantur per relationes, iuxta ſententiam communem ferè omnium Theologorum, & ipſius Durandi in 1. diſt. 26. quæſt. 1. Cumque omne quod exiſtit intra Deũ, ſit Deus, conſequens eſt, vt ſit per ſe ſubſiſtens reipſa. Ergo ſpiratio activa intra Deum exiſtens, revera eſt ſubſiſtens per ſe. Omne autem quod eſt realiter ſubſiſtens per ſe intra Deum, ſi diſtinguitur realiter ab alijs etiam per ſe ſubſiſtentibus, eſt ſuppoſitum & perſona à reliquis diſtincta. Si igitur ſpiratio activa diſtinguitur realiter à tribus alijs relationibus divinis, erit verum ſuppoſitum, & quarta perſona à reliquis diſtincta.

33 HANC Quoque impugnationẽ prævidit ipſe Durandus, & ſibi obiecit allegq. 2. diſt. 13. Reſpondet verò n. 22. & ſeqq. negando ſpirationem activam eſſe ſuppoſitum, quamvis reipſa à tribus alijs relationibus diſtinguatur: tum quia, non propterea incommunicabilis eſt, ſed potiùs communis Patri, ac Filio: incommunicabilitas autem eſt de ratione ſuppoſiti & perſonæ: tum præterea; quia ſpiratio activa non ſubſiſtit per ſe, & ratione ſui, ſed tantùm ratione ſubſiſtentiæ communis, & abſolutæ, vi cuius omnes relationes divinæ ſubſiſtunt,

34 VERVM Imprimis, quòd ſpiratio activa non ſubſiſtat, niſi per ſubſiſtentiã abſolutam & communem tribus perſonis, nullatenus impedit vt conſtituat ſeorſim ſuppoſitum ac perſonam diſtinctam: ſicuti id non impedit tres alias relationes, quas ſuprà Diſput. LXXVIII. per totam cum ipſo Durando oſtẽdimus ſolùm ſubſiſtere per abſolutam & communem ſubſiſtentiam, & nullo modo multiplicari in ijs rationem formalem ſubſiſtendi, ſed ſolùm rationes formales ſuppoſitalitatis, & perſonalitatis, vt eo loco explanavimus. Ergo quemadmodum eo non obſtanti, cæteræ relationes ſecundùm propriam & formalem rationem conſtituunt perſonas, adhuc iuxta ipſum Durandum: ita etiam ſpiratio activa, non obſtante eo capite, ſeorſim ſuppoſitum ac perſonam conſtituet. DEINDE. Nec defectu incommunicabilitatis ill. deſinet conſtituere perſonam. nam adhuc illa verè eſt incommunicabilis Spiritui ſancto; ac ſimpliciter eſt incommunicabilis, non ſolùm ſpirationi paſsivæ, ſed etiam paternitati & filioni, iuxta Durandum: cùm ratione ſingularitatis ſuæ, iuxta ipſum, ab ijs realiter diſtinguatur: omne autem quod in divinis diſtinguitur realiter ab altero, nequit ipſi commune eſſe per identitatem, ſed potiùs incommunicabile. Si autem ſpiratio activa ex ſua ſingulari ratione eſt incommunicabilis tribus alijs relationibus, ſive hypoſtaſibus tribus, nihil videtur ipſi deficere, vt inſtar earum conſti-

conſtituat ſuppoſitum vel perſonam incommunicabilẽ. Denique nec obſtare poteſt quòd ſpiratio activa dicatur non differre ab eſſentia vt res, ſed tanquam modus. nam & hac ſola ratione cæteræ relationes diſtinguuntur ab eſſentia ex mente Durandi: & tamen conſtituunt ſingulæ earum perſonam propriam.

34 DICES Adhuc, de ratione formæ conſtituentis perſonam, ſive ſuppoſitum, eſſe, ne ſit communis pluſquam vni ſuppoſito aut perſonæ: quoniam ſi communis eſt duobus, neutrum eorum conſtituet prorſus incommunicabile alteri ſecundùm eam rationem formalem. Et ſanè nec nos ipſi videmur poſſe aliam rationem aſsignare, cur ſpiratio activa non conſtituat ſeorſim aliquam perſonam, niſi quia eſt relatio communis duobus ſuppoſitis, ſeu perſonis, quamvis communis non ſit, ſed potiùs incommunicabilis tertiæ in Trinitate perſonæ.

36 SED Contrà. Præter impugnationes enim propoſitas, vrget diſparitas manifeſta, cur in noſtra & communi ſententia ſpiratio activa non conſtituat perſonam, potiùs quàm in opinione contraria. Cùm enim nos aſſeramus, ſpirationem activam non eſſe diſtinctam ex natura rei à paternitate & filiatione, poſſumus meritò dicere, illam eſſe cõmunem per identitatem Patri & Filio, ſicuti eſſentia eſt ijs communis per identitatem: ac proinde neutrum eorum conſtituere in ratione perſonæ, ſed potiùs pro aliquo priori rationis ſupponere vnumquemque eorum perſonaliter conſtitutum per relationem ſingularem ac propriam. In contraria verò opinione nullus eſt locus vt ſpiratio activa ſit communis Patri & Filio. Nullum enim prædicatum in divinis poteſt eſſe commune Patri & Filio, niſi ratione identitatis realis cum vtroque, ſive cum eſſentia vtriuſque. Omnis quippe alia communitas non conſiſtens in eiuſmodi identitate, ſed in vnione, eſt inaudita inter divina prædicata: vtpote ſimilis vnionibus rerũ ſimpliciter diſtinctarum & finitarum, quæ ſine identitate vlla ſuperveniunt perſonis iam conſtitutis ſubſtantialiter. Ergo ſpiratio activa nequit eſſe commune Patri & Filio, ſive paternitati & filiationi, per vnionem cum ijs, ſed ſolùm per identitatẽ realem cum vtroque, aut cum eſſentia ambobus communi. Atqui iuxta Durandum ſpiratio activa nullam habet realem identitatem cum Patre & Filio, nec cum eſſentia ambobus communi. Ergo nullo modo eſt communis Patri & Filio. Quare ſupereſt vt ſit prorſus incommunicabilis ambobus ijs, & non ſolùm Spiritui ſancto. Statim verò redit argumentum propoſitum à num. 32. Omnis enim relatio per ſe ſubſiſtens, & incommunicabis cuilibet alteri ſuppoſito, in divinis, conſtituit ſeorſim ſuppoſitum & perſonam. Atqui ſpiratio activa eſt relatio per ſe ſubſiſtens, vtpote diuina, & habens rationem ſubſtantiæ increatæ in re (alioqui aut eſſet accidens, aut ſubſtantia creata) & aliunde iuxta doctrinam Durandi debet eſſe incommunicabilis cuilibet alteri ſuppoſito in diuinis, vt nuper probatum eſt. Ergo ſpiratio activa, iuxta doctrinam Durandi, debet conſtituere ſeorſim ſuppoſitum vel perſonam. Cumque non conſtituat perſonam Patris, nec Filij, nec Spiritus ſancti, vt ipſe Durandus cum cæteris omnibus docet; ſolùm ſupereſt vt conſtituat quartam aliquam perſonam, quod impium dictu & hæreticum eſt, directeque damnatum ab Eccleſia in Concilijs num. 31. indicatis.

37 TERTIO Impugnatur ex celebri axiomate Sanct. Anſelmi, *In diuinis omnia ſunt vnum, vbi non obuiat relationis oppoſitio.* Quod ille tradit luculenter ac ſæpe in Epiſt. de Proceſsione Spiritus ſancti contra Græcos, præſertim cap. 2. poſt mediũ, & cap. 3. non longè à principio, & cap. 6. poſt medium, ac libro de Incarnat. Verbi cap. 3. non longè à medio, quorum teſtimoniorum verba exhibuimus ſuprà Diſput. LXXIX n. 13. & poſtea num. 25. ac ſequentibus, confirmavimus ex Concilijs Toletano XI. ac Florentino Generali ſeſs. 18. longè poſt medium, §. *Subſtantia diuina*: ſimiliterque ex conſenſu Scholaſticorum cum Magiſtro in 1. diſt. 22. cap. *Secundo*, & cap. *Deus*, ac diſt. 20. & 26. immò ex ſenſu communi PP. Græcorum Latinorumque, apud Manuelem Calecam Græcum Scriptorem, lib. de Proceſſione Spiritus ſancti, cuius verba Græca Latinè reddita in medium attulimus dicto num. 25. nec repetere opus eſt. Indidem verò colligitur planè, ſpirationem activam non diſtingui realiter à paternitate & filiatione. Quod probatur breviter hoc ſyllogiſmo. In divinis omnia ſunt vnum, vbi non obviat relationis oppoſitio. Atqui inter ſpirationem activam compararam cum paternitate & filiatione, nõn obviat relationis oppoſitio, vt patet etiam iuxta ipſum Durandum. Ergo ſpiratio activa non diſtinguitur realiter à paternitate & filiatione.

38 RESPONDET Durandus dicta quæſt. 2. fine, id axioma intelligi debere de ſola identitate quoad ſuppoſitum. Subditque ſtatim: *Inter proceſsiones autem eſt oppoſitio indirectè & concomitatiue; & ideo differunt ſecundùm ſuppoſitum. Sed inter productiones actiuas, vt ſunt generare & ſpirare, non eſt oppoſitio. Propter quod, licèt differant realiter,*

non tamen ſecundùm ſuppoſitum. Hactenus ille: iuxta cuius ſenſum ſpiratio activa, quoniã relativè non opponitur paternitati aut filiationi, poteſt eſſe in eiſdem ſuppoſitis, quamvis ab ijs reipſa diſtinguatur. Hoc ipſum autem ſuperiùs probare ſtuduerat, quoniam alioqui paternitas & filiatio non diſtinguerẽtur à ſpiratione paſsiva, ſiquidem ipſi non opponuntur. Quòd verò quiſquam neget ſequi id abſurdũ, eo quòd iuxta noſtram ſententiam paternitas & filiatio identificantur reipſa cum ſpiratione activa, quæ directè opponitur paſsivæ ſpirationi; inſtat idem Durandus: quoniam ſic etiã Deitas diſtingueretur realiter à filiatione, quoniam eſt eadem entitas cum paternitate, quæ directe filiationi opponitur. Ergo axioma illud ſolùm probat de identitate quoad ſuppoſitum: nimirum: vt in divinis omnia ſint idem quoad ſuppoſitum, vbi non obviat relationis oppoſitio.

39 HÆC Tamen ſolutio reijcitur multipliciter. PRIMO: quia Anſelmus, alijque Patres Græci & Latini, aſſerentes, omnia in divinis eſſe vnum, vbi non obviat relationis oppoſitio, manifeſtè loquuntur, non ſolùm de vnitate ſive identitate ſuppoſiti, ſed etiam de vnitate ſive identitate entitatis. Inde enim probant ſubſtantiam Dei eſſe eandem entitatem cum attributis & relationibus, ſicuti & eadem attributa inter ſe: vt vidimus & ſtatuimus latè Diſp. XXV. præſertim ſect. 7. per totam: quoniam ſubſtantia Dei nullam cum ijs oppoſitionem relativam habet, ſicuti nec attributa inter ſe opponuntur. Quæ ſanè probatio, communis apud Theologos Scholaſticos, immo & apud ipſum Durandum, nullatenus diſtinguentem ex natura rei ſubſtantiam divinam ab attributis, vel attributa inter ſe, præter rem eſſet, ſi axioma illud ſolùm intelligeretur de ſola vnitate, ſive identitate ſuppoſiti. Poſſet enim facilè reſponderi, quamvis eſſentia divina ex natura rei diſtingueretur ab attributis, vel attributa inter ſe, quoad entitatem, ſive realitatem, quia non opponuntur, adhuc non diſtingui ex parte ſuppoſiti: quoniam omnia illa ſunt communia omnibus ac ſingulis ſuppoſitis divinis, & non potiùs vni, quàm alteri. Vt ergo communis illa probatio ex prædicto axiomate ſit ſolida & convincens, prout reverà eſt, axioma præiactum intelligi debet non ſolùm de vnitate quoad ſuppoſitum, ſed etiam de vnitate quoad entitatem, ſive realitatem: ac proinde cùm ſpirario activa non opponatur paternitati aut filiationi, debet eſſe eadem entitas, ſive realitas cum vtraque.

40 CONTRA II. Si enim ſpiratio activa, quamvis non opponatur paternitati aut filiationi, eſt realitas ſive entitas verè ab ijs diſtincta, ſicuti & à Patre & Filio, iam nullatenus eſt vnum cum ijs, iuxta doctrinam Durandi. Quæ enim in divinis diſtinguũtur penes realitatem, ſive entitatem, eatenus ſolùm poſſunt eſſe vnum in aliquo vero ſenſu, quatenus ſunt vna entitas vel realitas cum aliquo tertio: vt patet in paternitate & filiatione, immo & ipſa ſpiratione activa, collata cum paſsiva. Ita enim diſtinguitur ab ipſa quoad realitatem, entitatemve, vt tamen aliunde ſit eadem cum ipſa realitas ſive entitas in eſſentia, cum qua ambæ identificantur. Atqui iuxta Durandum, ſpiratio activa ita diſtinguitur à paternitate & filiatione, vt non ſit eadem cum ijs realitas vel entitas in aliquo tertio. Docet enim in 1 diſt. 33. q. 1. ex profeſſo, omnes relationes divinas diſtingui ex natura rei ab eſſentia, & quidem non diſtinctione media, ſive formali ex natura rei, quam ibidem impugnat ſuppreſſo nomine Scoti, ſed tanquam modum à re, cuius eſt modus. Ergo iuxta Durandum, ſpiratio activa nullatenus, ſive nullo vero ſenſu eſt vnum cum paternitate & filiatione quanquam neutri earum opponatur. Corruit ergo ſimpliciter axioma illud Anſelmi, & aliorum Patrum, atque omnium ferè Scholaſticorum; ſiquidem ſpiratio activa nullatenus eſt vnum cum paternitate, & filiatione, quamvis nulla cum ijs interveniat relationis oppoſitio.

41 CONTRA III. & eſt impugnatio ſolutionis ex ratione à priori: quoniam realitas ſpirationis activæ, ſicuti & alterius cuiuslibet prædicati exiſtẽtis in Deo, eſt verè increata (alioqui eſſet creatura, cùm inter ens creatum & increatum non ſit medium intra totam latitudinem entis) ac proinde eſt ens à ſe, & per conſequens illimitatum ſimpliciter intra latitudinem entis. Enti enim increato, ſive à ſe, repugnat omnis dependentia ab alio, ac proinde omnis limitatio. Ergo ſpiratio activa ex conceptu entis à ſe debet per ſuam entitatem eſſe omne prædicatum divinum, ſive abſolutum, ſive relativm, excepto illo, cum quo habuerit oppoſitionem relativam. Patet hæc conſequentia: quia quòd ex duobus aut pluribus prædicatis intra idem ſubiectum, aut quaſi ſubiectum exiſtẽtibus, quovis modo, vnum non ſit per ſuam entitatem idem cum altero, dumtaxat oriri poteſt, vel ex limitatione intrinſecâ, vî cuius certis terminis coarcetur; vel ex relativa oppoſitione. Atqui ſpiratio activa, vt probatũ eſt, nullam limitationẽ intrinſecâ habet, ſed potiùs eſt ens illimitatũ ſimpliciter intra latitudinẽ entis. Ergo per

ſuam

ſuam entitatem eſt omne prædicatum diuinum, ſiue abſolutum, ſiue relatiuum, excepto illo, cum quo non habet oppoſitionem relatiuam. Sed hanc non habet cum paternitate & filiatione, vt ipſe etiam Durandus fatetur, & per ſe patet. Ergo de primo ad vltimum ſpiratio activa per ſuam entitatem eſt paternitas & filiatio: ac per conſequens non diſtinguitur realiter ab ijs.

42 NEQVE Quidquam momenti habet probatio Durandi in oppoſitum ſuprà num 38. relata: quoniam, vt oſtendimus Diſput. LXXIX. n 27. & 28 paternitas & filiatio verè opponuntur ſpirationi paſsivæ: ſiue quia in ſuo conceptu claudunt ſpirationem activam, vt conſtabit infrà num 69. ſiue quoniam Pater & Filius quidditativè ſunt vnum principium principale *quod* ſpirans Spiritum ſanctum; ac proinde habent oppoſitionem cũ illo, tanquam principium & terminus ab eodem principio procedens. Divina autem eſſentia neque claudit in ſuo formali cõceptu ſpirationẽ activam, neque eſt principiũ *quod* generans, aut ſpirans. Vnde nihil mirum ſi illa non habeat diſtinctionẽ aut oppoſitionem cum ſpiratione paſsiva; quemadmodum nec cum filiatione. Mitto ſolutionem & doctrinam aliam de oppoſitione radicali paternitatis & filiationis cum ſpiratione paſsiva, vtrique illarum conueniente intra lineam ipſam relativam, nullatenus verò eſſentiæ divinæ. Mitto, inquam, ne eandem doctrinam fruſtra repetamus.

43 QVARTO Reijcitur opinio Durandi. Quidquid in divinis non comparatur ad aliud tanquam principium, vel tanquam terminus ab eo procedens, non diſtinguitur realiter ab ipſo. Atqui ſpiratio activa nec comparatur tanquam principium ad paternitatẽ & filiationẽ, nec tanquã terminus ab ijs procedens. Non ergo realiter diſtinguitur à paternitate & filiatione. Minor eſt certa apud omnes Catholicos, qui duas tantùm in divinis proceſsiones agnoſcunt, alteram Filij à Patre, alteram Spiritus ſancti ab vtroque: nullam verò ſpirationis activæ à paternitate & filiatione aut è contra. Maior autem colligitur planè ex conſenſu SS. Patrum, ac Theologorum apud Ruiz diſp. 1. ſect 3. & ſeqq. & diſp 68. ſect. 4. præter plura alia, quæ ex eiſdem Patribus, & nominatim ex Anſelmo dedimus ſuprà Diſput. LXXX. ſect 1. num. 7. & ſeqq. vbi quamvis præcipuam rationem diſtinguendi realiter inter prædicata divina aſſerant ſitam eſſe in oppoſitione relativa, addunt tamen nullam eſſe realem diſtinctionem, vbi non intervenit origo, ſeu habitudo producentis, & producti. Verùm & præterea idipſum ſuadetur ex Concilio Florentino ſeſs. 18. §. *Dixi ecquidem*, vbi ita lõquitur Ioannes Theologus, Concilio ipſo tacitè apprõbante: *Sola relatio, quam principalem habitudinem ſuperiùs nominauimus, apud omnes, tam Græcos, quàm Latinos Doctores, DIVINA PROCESSIONE PERSONAS MVLTIPLICAT: cui etiam duo illa, A QVO, & AD QVOD, de quibus eſt ſupra dictum, conueniunt. Si quidem igitur relationes huiuſmodi perſonas multiplicant, ita vt non vlla ratione, quàm vi relationis, Pater à Filio, ac vna perſona ab alia differat: quem quidem in modum etiam Spiritus ſanctus ab alio eſt.* Hactenus ibi quibus ſimilia docet Cardinalis Beſſarion in Orat. pro Vnione, quæ habetur poſt ipſum Concilium, cap. 6. Iuxta quam doctrinam nulla diſtinctio realis videtur eſſe in divinis, niſi ſecundùm proceſsionẽ vnius ab alio, oppoſitionemque relativam. Cùm igitur inter ſpirationem activam comparatam cum paternitate & filiatione nulla ſit proceſsio, ſicuti nec relativa oppoſitio; nulla etiam realis diſtinctio eſſe poteſt. PRÆTEREA. Iuxta poſtrema verba exſcripti teſtimonij, Spiritus ſanctus ſola relatione *à quo* diſtinguitur à Patre & Filio. Ergo vt ſpiratio activa realiter ab eiſdem diſtingueretur, oporteret vt illa ad vtrumque haberet relationem *à quo*, ſiue *à quibus*. Cùm ergo nullam eiuſmodi relationem habeat ad Patrem & Filium (vtpotè cum ab ijs non procedat) nec ad paternitatem & filiationem, non poteſt realiter ab ijs diſtingui.

44 QVINTO Impugnatur ex eodem Concilio Florentino, allegata ſeſs. 18. poſt medium §. *Diuina ſubſtantia*, vbi ita loquitur idem Ioannes Theologus: *Perſonæ ex ſubſtantia proprietatibuſque conſiſtit: quæ tametſi ratione, ac ſecundùm noſtram intelligentiam (vt ſuprà dictum eſt) differant; ipſa tamen ſubſtantia cum perſonis communicat: proprietates verò nequaquam communicabiles ſunt.* Subdit verò paucis interiectis: *Diuina omnia, proprietatibus perſonarum exceptis, inter ſe communicabilia ſunt.* Ex quibus eruitur hoc dilemma admodum vrgens contra Durandum. Vel ijs verbis re ac nomine proprietatis incommunicabilis comprehenditur etiam ſpiratio activa, vel non. Si primum dicatur; planè ſequitur, ſpirationem activam ſola ratione diſtingui à ſubſtantia divina, quemadmodum in prioribus verbis aſſeritur, proprietatem à ſubſtantia divina ſola ratione differre. Vnde & per conſequens, eadẽ ſpiratio activa à perſonis Patris & Filij ſolũ ratione diſtinguetur, cùm aliunde ab ijs non procedat. Si autem

ibidem re ac nomine proprietatis incommunicabilis non intelligitur activa ſpiratio; hæc erit communicabilis Spiritui ſancto: quoniam iuxta poſteriora verba Concilij, omnia divina, proprietatibus perſonarum exceptis, inter ſe communicabilia ſunt. Cùm verò hoc ſecundum ſit apertè falſum iuxta omnes Catholicos, primum illud illatum, quòd directè opponitur Durando, debet eſſe verum.

SECTIO V.

Vlteriores impugnationes opinionis Durandi, præſertim argumento erudo ex Anſelmo, & multipliciter confirmato ex Concilijs Generalibus, Lateranenſi ac Lugdunenſi. Plura argumenta contra eundem Durandum, & Scotum, in alium locum remiſſa.

45 SEXTO Refellitur opinio Durandi argumento theologico deducto ex Anſelmo in Epiſt. ſeu Opuſculo de Proceſsione Spiritus ſancti contra Græcos cap. 10. præcipuè verbis illis: *Sicut non credimus. Spiritum ſanctum eſſe de hoc, vnde duo ſunt Pater & Filius, SED DE HOC, IN QVO VNVM SVNT: ita non dicimus duo eius principia, SED VNVM PRINCIPIVM.* Ex quibus poſſumus argumentari ſub hanc diſſerendi formulam. Pater & Filius ſunt vnum & idem inter ſe quoad ſpirationem activam. Atqui impoſsibile eſt, Patrem & Filium eſſe vnum & idem in aliquo realiter diſtincto à ſeipſis. Ergo ſpiratio activa non diſtinguitur realiter à Patre & Filio: ac per conſequens nec à paternitate & filiatione. Secunda pars conſequentis ſequitur ex prima, & hæc eſt præmiſsis. Minor propoſitio ex terminis patet. nam repugnans apparet, non ſolùm in creatis, ſed etiam in divinis, duo aliqua identificari in aliquo realiter ab ijs diſtincto. Sic enim ab eo diſtinguerentur realiter & non diſtinguerentur. Maior autem colligitur ex præiactis verbis Anſelmi, iuxta quem Spiritus ſanctus procedit à Patre & Filio, non ſecundùm quod ſunt duo, ſed penes id, in quo ſunt vnum & idem. Atqui procedit ab ijs ſecundùm ſpirationem activam. Ergo Pater & Filius ſunt vnum & idem quoad ſpirationem activam. Vnde & eandem Anſelmi propoſitionem tradunt communiter Patres ac Theologi, quos allegabimus in Scholijs ſupra idem caput. Sufficiat indicare vnum vel alium locum SS. Patrum. Damaſcenus lib. 1. de Fide cap. 11. ait, iuxta interpretationem Iacobi Fabri Stapulenſis, minùs elegantem, quàm Billij, exactam verò ad litteram ferè: *Secundùm omnia vnum ſunt Pater & Filius & Spiritus ſanctus, præter (ſi ita dicamus) ingignentiam, gignentiam, & proceſsionem.* Itaque iuxta Damaſcenum Pater & Filius ſecundùm omnia ſunt vnum, excepto quòd alter eſt Pater & ingenitus, alter verò Filius & genitus. Ergo ambo quoad ſpirationem activam ſunt vnum & idem. Athanaſius quoque Dialogo 1. de ſancta Trinitat. contra Anomæum column. 3. loquens de ijs, in quibus conveniunt ac differunt tres perſonæ, inquit: *Nulla differentia, neque in natura, neque in voluntate, ſed in eo demum aliqua, quod gignere & gigni, emittere & procedere, ſiue emitti, inter ſe differunt.* Igitur nulla eſt differentia realis inter gignere & emittere, id eſt inter activam generationem, & emiſsionem, quarum prior iuxta Durandum eſt ipſa relatio paternitatis, poſterior autem ſpirationis activæ. Denique huc ſpectat illuſtris locus Auguſtini lib. 5. de Trinit. cap. 14. dicentis: *Fatendum eſt, Patrē & Filium, principium eſſe Spiritus ſancti, non duo principia. Sed ſicut Pater & Filius vnus Deus, & ad creaturam relativè vnus Creator, & vnus Dominus: SIC RELATIVE AD SPIRITVM SANCTVM, VNVM PRINCIPIVM: ad creaturam verò Pater & Filius & Spiritus ſanctus, vnum principium, ſiue vnus Creator, & vnus Dominus.* Itaque, iuxta Magnum Auguſtinum, quemadmodum Pater & Filius ſunt vnus Deus, & relatè ad creaturam vnum principium, vnus Creator, ac Dominus, non duplex: ita etiam relatè ad Spiritum ſanctum ſunt ambo vnum atque idem principium, & vnus ſpirator, non duplex.

46 VERVM Quid opus eſt immorandi in exſcribendis SS. Patrū teſtimonijs, cùm res ipſa iam videatur definita à Gregorio X. Papa, ante tempora Durandi, in Concilio Generali Lugdunenſi, cui præfuit idem Pontifex: cuius decretum Græcè redditum, vt mitteretur Conſtantinopolim, & ad alias Eccleſias Orientis, habetur etiam Græcè apud Manuelem Calecam lib. de Proceſsione cap. 39. & incipit: Γρηγόριος ἐπίσκοπος ἐν τῇ κατὰ λατίνων συνόδῳ, &c. Latinè verò ſic illud habemus editum:* GREGORIVS Decimus in Concilio Generali Lugdunenſi: Fideli ac devota profeſsione fatemur, quòd Spiritus ſanctus ex Patre & Filio, non tanquam ex duobus principijs, ſed tanquam ex vno principio, NON DVABVS SPIRATIONIBVS, SED VNA SPIRATIONE PROCEDIT. Hoc profeſſa eſt hactenus, prædicavit, & docuit; hoc firmiter te-

tenet, prædicat, profitetur, & docet ſacroſancta Romana Eccleſia, mater omnium fidelium & magiſtra: hoc habet orthodoxorum Patrum, Latinorum pariter & Græcorum, incommutabilis & vera ſententia, &c. * Hactenus Pontifex. Itaque quod Anſelmus docuit, Patrem & Filium eſſe vnum & idem quoad ſpirationem activam, planè deducitur ex prædicta definitione, quæ prodijt a Concilio illo Generali anno M. CC. LXXIV. Durandus autem quinquaginta circiter poſt annis ſua ſcripta evulgavit, & pariter docuit eandem ſpirationem activam competere Patri & Filio: vt conſtat ex ipſo in 1. diſtinct. 29. quæſt. 2. per totam, præſertim num. 4. quamvis nec alleget, nec meminiſſe videatur eius decreti.

47 DICES: Pontifex ibidem ſolùm definit, Spiritum ſanctum à Patre & Filio procedere, tanquam ab vno principio, & per vnicam ſpirationem: non autem declarat identitatem realem cum ipſa ſpiratione. nam poteſt hæc vna & ſingularis convenire vtrique, & eſſe ex natura rei diſtincta ab ijs, tanquam modus, prout idem Durandus in 1. diſtinct. 33. quæſt. 1. docet ex profeſſo de omnibus relationibus divinis. Ergo non vrget ratio, ex qua procedimus, nec ſatis probatur maior illius propoſitio: cùm poſſit ſpiratio activa eſſe vna in Patre & Filio, aliundeque diſtingui ab ijs tanquam modus, proindeque realiter à paternitate & filiatione, veluti ab alijs relationibus, ſeu modis diverſis.

84 SED Contrà. Imprimis enim quòd ſpiratio activa, & quævis alia relatio divina non diſtinguatur ex natura rei ab eſſentia divina, adhuc tanquam modus à re, eſt certa Theologorum ſententia, quam cum Anſelmo fusè probavimus Diſput. XXV. ſect. 3. & ſequentibus, nec repetere oportet. Deinde, oppoſitum non videtur differre ab errore Gilberti Porretani damnato in Concilio Remenſi ſub Eugenio III. de cuius Actis ibidem latè diſſeruimus. Non enim deprehenditur, Gilbertum diſtinxiſſe divinas relationes ab eſſentia, veluti vnam rem ab alia, ſed ſolùm veluti modum à re, aut veluti rationes formales ex natura rei diſtinctas: vti eo loco probavimus ſatis latè à num. 43. Quin & S. Bernardus, qui eidem Synodo interfuit, & cum Gilberto coràm diſputavit, ipſumque convicit, poſtea Serm. 80. in Cantica denotat, ipſum diſtinxiſſe eſſentiam à perſona veluti rem à modo, idque refellit dicens: *Sola ſumma & increata natura hanc ſibi vendicat meram ſingularemque ſuæ eſſentiæ ſimplicitatem, vt non aliud & aliud, non alibi quoque & alibi, SED NE MODO QVIDEM ET MODO, inveniatur in ea. NEMPE IN SEMET MANENS, QVOD HABET, EST: ET QVOD EST, SEMPER, ET VNO MODO EST.* Ergo eſſentia divina non ſolùm abſque diſtinctione realitatis, vel entitatis, ſed etiam modi cuiuslibet, per ſe ipſam eſt quidquid habet. nimirum, eſt Spirator, ſicuti eſt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus: ſimiliterque eſt ſpiratio activa, paternitas, filiatio, ac paſsiva ſpiratio. Dum ergo Concilium Lugdunenſe, & Anſelmus cum reliquis Patribus docet, Patrem & Filium eſſe vnum principium Spiritus ſancti, & per vnicam ſpirationem; ita intelligi debet, vt ambo identificentur reipſa in ratione principij vnius, & in ipſa ſpiratione activa, non ſolùm abſque additione entitatis aut realitatis, ſed cuiuslibet modi ſuperadditi.

49 CONFIRMATVR Impugnatio hæc. Quia Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. verbis relatis in cap. *Firmiter* de ſumma Trinitat. & Fide Catholic. docet, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, eſſe vnicum principium creaturarum, colligitur planè, non ſolùm tres perſonas operari ad extra per vnicam potentiam activam, quæ ibidem appellatur *omnipotens Virtus*; verùm etiam per potentiam prorſus indiſtinctam ex natura rei ab ijs tribus, inſtar eſſentiæ, & attributorum quorumlibet, quæ ſunt prorſus communia per identitatem tribus, perſonis, etiam ex ſenſu ipſius Durandi in 1. diſt. 2. quæſt. 2 vbi ex inſtituto reijcit diſtinctionem mediam, ſeu formalem ex natura rei à Scoto traditam inter eſſentiam & attributa, & inter hæc invicem collata. Atqui eodem tenore verborum Concilium Lugdunenſe docet, Patrem & Filium eſſe principium vnicum Spiritu ſancti, idque per vnicam ſpirationem activam. Ergo pariter exinde colligitur Patrem & Filium eſſe prorſus indiſtinctos ex natura rei ab eadem ſpiratione activa. Et ſanè eadem vtriuſque ratio eſt: quoniam perſonæ divinæ ratione ſummæ ſimplicitatis, & actualitatis ſummæ, quam non amittunt, ſed retinent in ſuo eſſe perſonali, exigunt omnino, vt per ſuam entitatem, & abſque omni ſuperadditione entitatis, modi, aut formalitatis, ex natura rei diſtinctæ, ſint quidquid habēt, vt nuper ex Bernardo didicimus. Ergo Pater & Filius per ſuam entitatem ſunt ipſa ſpiratio activa atque adeò hæc nec diſtinguitur ex natura rei ab ijs tanquam modus, nec realiter à paternitate & filiatione.

50 SEPTIMO Impugnatur Du-

randus. Si enim ſpiratio activa differret reipſa à paternitate & filiatione, ſicuti & tanquam modus ab eſſentia divina diſtinctus ex natura rei, vt ipſe vult; aut deberet eſſe producta, aut improducta. Neque enim inter hæc duo poteſt eſſe reipſa medium. Atqui vtrumvis eorum apparet impoſsibile. Primum patet: idque, multiplici ex capite. *Primò*, quia ſic in divinis eſſent plures proceſsiones, quàm duæ, contra quàm omnis Antiquitas Chriſtiana, & Theologia tradidit. Nimirum, præter proceſsionem Verbi, & Spiritus ſancti, eſſet proceſsio ſpirationis activæ, realiter diſtinctæ ab vtrâque earum, iuxta opinionem Durandi. *Secundò*: quia nequit ſpiratio activa produci per actum intellectus, aut voluntatis: alioqui illa per ſuam entitatem eſſet, vel ipſum Verbum, vel Spiritus ſanctus. quorũ vtrumq; Durandus negat. Alia verò proceſsio, quàm per actum intellectus, aut voluntatis, in Deo repugnat. DICES. Iuxta Durandum proceſsiones divinæ non conſiſtunt in actibus intellectus aut voluntatis, ſed ſunt emanationes immediatè procedentes à natura divina: atque adeò hæc impugnatio non habet vim iuxta illius doctrinam imprimis verùm ea opinio Durandi pariter exoſa eſt Theologis, ac iſta, quam modò impugnamus. Et adhuc ex illa colligitur evidentiùs, eſſe in divinis plures proceſsiones, quàm duas, vt nuper dicebamus. *Tertiò*: Quoniam, cùm non ſit maior ratio, cur procederet potiùs à Patre, quàm à Filio (vtpote quorum vterque indiviſim eſt vnum principium productivum Spiritus ſancti) deberet indiviſim ab vtroque procedere: ac proinde deberet referri ad eandem ſpirationem activam, veluti principium producens ad terminum productum. Vel ergo ambo ad eam referrentur relatione aliqua à ſe ipſis diſtincta ex natura rei, vel indiſtincta. Si primum, iam erunt quinque relationes in Deo reipſa diſtinctæ. quod ipſe Durandus in 1. diſt. 13. quæſt. 2. cum alijs omnibus negat. Immò & rurſus inquireremur idipſum de Patre & Filio in ordine ad quintam illam relationem ſuperadditam, eſſetque in infinitum progreſsio. Si autem dicatur primum; ergo quemadmodum illa relatio eſt indiſtincta ex natura rei à Patre & Filio, ſic, & multò meliùs idipſum dici debet de relatione ſpirationis activæ. Non ergo hæc vllo modo eſt producta, aut diſtincta à Patre, & Filio.

51 VENIAMVS Ad alterum primi dilemmatis membrum, & oſtendamus impoſsibile eſſe, quòd ſpiratio activa, iuxta doctrinam Durandi, ſit improducta. Imprimis id oſtenditur: quia eſſe improductum omnino, eſt peculiaris & propria notio Patris, iuxta omnes Theologos, quibus ſubſcribit ipſe Durandus ex profeſſo in 1. diſt. 28. quæſt. 1. num. 12. præſertim dum ait: *Dicitur aliquid ingenitum, quia omnino non eſt ab alio: & ſic eſt notio Patris: quia inter omnes perſonas diuinas ſoli Patri conuenit non eſſe ab alio.* Ergo cùm ipſe aſſerat impræſenti ſpirationem diſtingui ex natura rei à Patre, ſicuti & à Filio, qui ſanè productus eſt, nequit eſſe omnino improducta. *Secundò.* Nihil prorſus improductum in divinis eſt origine poſterius genito & producto, vt patet. Atqui ſpiratio activa, iuxta Durandum, eſt origine poſterior Filio genito & producto: vtpote cuius generatio præcedit origine proceſsionem Spiritus ſancti. Ergo ſpiratio activa non eſt prorſus improducta. *Tertiò.* Si enim ſpiratio activa diſtinguitur realiter à paternitate & filiatione, ſicuti & modaliter à natura divina, habebit certè hanc ſibi communicatam à Patre, vel etiam à Filio. Omne autem id, quod habet naturam divinam ſibi communicatam ab aliquo, nequit eſſe improductum, ſed potiùs productum. Quippe productio in divinis, non eſt naturæ productio, ſed communicatio: neque poſsibilis eſt in divinis alius modus communicationis, quàm per realem identitatem prædicati communicati cum termino producto. Ergo ſpiratio activa, iuxta ſenſum Durandi, nequit eſſe improducta. Cumque aliunde nec producta, vt oſtenſum fuit numero præcedenti; planè colligitur, ſuppoſita illius diſtinctione reali à paternitate & filiatione, nec fore productam, nec improductam. quod omnino repugnat divinæ relationi.

52 OCTAVO Denique, ne prolixiores iuſto ſimus, refellitur eadem opinio, ex varijs abſurdis, in quæ abducit, ſolùm ſummatim ac levi manu indicandis, quamvis facilè eſſet fuſiùs ea proſequi & vrgere. *Primò* enim ſequitur, Patrem & Filium, nec diſtingui realiter à Spiritu ſancto, nec ipſi opponi, per ſpirationem activam: quoniam neqneunt ambo diſtingui, ſicut nec conſtitui, per aliquid à ſeipſis deſtinctum ex natura rei, qualis eſt ſpiratio activa in opinione Durandi. *Secundò*, tam Patrem, quàm Filium ſubire compoſitionem veram & realem ex eſſentia, proprietate perſonali vniuſcuiuſque, & ſpiratione activa: vtpote ex natura rei diſtinctis, iuxta Durandum: cuius ſolutionem in ſimili iam propoſuimus, & latè refutavimus Diſput. XXV. num. 58. & ſeqq. *Tertiò*, perſonam Spiritus ſancti eſſe ſimpliciorem reipſa perſonis Patris & Filij. Hæ namque, iuxta Durandum, con-

conſtant ſingulæ non ſolùm eſſentiâ & proprietate perſonali, ſed etiam ſpiratione activa, veluti modo vtrique ſuperaddito, ante omnem intellectus conſiderationem. Spiritus ſanctus verò, adhuc iuxta ipſum Authorem, ſolùm conſtat eſſentiâ, & proprietate perſonali, ex natura rei diſtinctis, veluti re ac modo. Patet verò, ſimpliciorem reipſa eſſe perſonam illam, quæ paucioribus entitatibus, realitatibus, aut modis verè diſtinctis, conſtat, quàm quæ pluribus. Simplicior ergo reipſa erit perſona Spiritus ſancti, quàm Patris & Filij. Patet verò, ea omnia eſſe pluſquam abſurda.

53 MITTO Plurima alia, quæ in eadem Diſput.XXV. ſparſim propoſui adverſus diſtinctionem ex natura rei, ſive modalem Durandi ipſius, ſive formalem aut mediam Scoti, inter eſſentiam, & relationes: quæ omnia ferè eodem impetu proponi poſſent hoc loco ad probandum, ſpirationem activam nulla ex ijs rationibus diſtingui, vel ab eſſentia divina, vel à paternitate & filiatione, vel ab ipſo Patre & Filio: cùm pariter activa ſpiratio, ac eſſentia, ſit communis ambobus, & ibidem oſtenſum multipliciter fuerit, prædicata communia in divinis nullatenus ex natura rei differre à proprijs ſive perſonalibus. Mitto, inquam, ea argumenta, tum quoniam ibi ſedem habent magis propriam; tum ne videamur eandem doctrinam repetere, aut hoc loci eſſe iuſto prolixiores.

SECTIO VI.

Argumenta præcipua Durandi & Scoti obiecta & ſoluta, præter plura alia, quæ Diſput. XXV. ſect.6 & 8. propoſita & enervata fuerunt.

54 PLVRA Sunt argumenta, quibus Durandus & Scotus probare conantur, ſpirationem activam antè omnem intellectus conſiderationem diſtingui à paternitate & filiatione, aut diſtinctione reali ſimpliciter, vt loquitur prior, aut formali vel media, vt vult poſterior. Porrò quædam eorum ferè ſunt eadem cùm ijs, quibus ambo generatim probant diſtinctionem aliquam ex natura rei inter eſſentiam ac relationes divinas, tum ex repugnantia diſtinctionis realis inter paternitatem & filiationem, ſi ſemel identificantur reipſa cum vno tertio, nimirum, ſpiratione activa: tum ex lege contradictoriarum: tum ex conditione propria quorundam prædicatorum convenientium alteri extremo præ altero. Verùm ea omnia iam latè atque in ſimili propoſuimus Tomo I. Diſput.XXV. toties allegata, ſect. 6 & 8. vbi & illa ferè omnia in vtrumq; regreſſimus: ac præterea ſuprà Diſput. LX. per totam obiecimus & ſolvimus argumenta hæreticorum impugnantium identitatem in eſſentia, & diſtinctionem realem in perſonis: ex quorum ſolutione redditur facilior explicatu diſtinctio realis paternitatis filiationiſque inter ſe, & vtriuſque diſtinctio ab eſſentia. Quare ijs prætermiſſis, veniamus ad obijcienda & extricanda ea argumenta, quæ ſpeciatim tendunt ad probandum, activam ſpirationem eſſe diſtinctam ex natura rei à paternitate & filiatione.

55 OPPONVNT I. Perinde ſe habet abſolutum ad abſoluta, ac relativum ad relativa. Atqui in divinis nullus eſt locus, vt vnũ abſolutum, v. g. eſſentia, quamvis infinita, identificet ſibi plura abſoluta realiter diſtincta, ideoque ſuprà Diſput. LXXIX. excluſimus à Deo proprietates abſolutas, quibus conſtituantur perſonæ, quoniam ſic non poſſent habere realem identitatem cum eadem eſſentia abſoluta. Ergo nec vnum relativum, quamvis infinitum, vt ſpiratio activa, poteſt habere identitatem veram cum relationibus paternitatis filiationiſque, diſtinctis realiter.

56 CONFIRMATVR. Repugnat eandem relationem eſſe ſimul producentis & producti, quamvis eadem perſona ſit producens & producta reſpectu diverſorum; quemadmodum in creatis eadem perſona eſt pater vnius, & filius alterius. Atqui ſpiratio activa, & generatio paſsiva, ſeu filiatio, ſunt relationes producentis & producti in eadem perſona Filij reſpectu diverſorum: nimirum, producẽtis relatè ad Spiritum ſanctum, producti verò relatè ad Patrem. Ergo repugnat ſpirationem activam eſſe eandem reipſa relationem cum generatione paſsiva, vel filiatione. Eadẽ quoque ratio videtur evincere vrgentiùs, non eſſe eandem illam cum paternitate & filiatione ſimul: quoniam alioqui identificaret ſimul in vtraque earum relationes realiter diſtinctas, & oppoſitas producentis & producti.

57 RESP. Negando maiorem præcipui argumenti: Quia, vt latè oſtenſum eſt Diſp. illa LXXIX. ſect. 2. & ſeqq. impoſsibilis eſt diſtinctio realis in divinis, niſi oriatur ex oppoſitione relativa. Porrò nullum abſolutum in Deo habet oppoſitionem relativã cum altero abſoluto, vt patet: ac proinde nec poteſt reipſa ab eo diſtingui. Quare nullus eſt locus vt ſint in Deo plura abſoluta realiter diſtincta, cum quibus eadem eſſentia habeat identitatem.

Sunt autem in divinis plura relativa oppoſitionem habentia inter ſe, quæ proinde invicem ac reipſa diſtinguantur: vt paternitas collata cũ filiatione, & ſpiratio activa cum paſsiva. Cæterum eadem ſpiratio activa nullatenus opponitur relativè paternitati aut filiationi, ſicut nec Patri & Filio; vtpotè quorum vtrique indiviſim competit. Quare poteſt illa identificare reipſa relationes paternitatis & filiationis, alioqui inter ſe oppoſitas & diſtinctas: ſicuti eſſentia divina, quia non opponitur cum ijs, pariter cum ambabus identificatur. Non enim, aut iuxta Anſelmum aut in rei veritate, in divinis relatio ſola & nudè ſpectata habet vim diſtinguendi realiter ab omni alia relatione, niſi præterea ſit inter vtramque relativa oppoſitio, aut ſaltem aliqua realis proceſsio; quarum neutram eſſe inter ſpirationem activã cum paternitate & filiatione collatam, patet; & quoad proceſsionem, ſatis probatum eſt ſuprà num. 50.

58 AD Confirm. quamvis maior propoſitio ſit vera in creatis, propter limitationẽ intrinſecam relationum, falſa eſt in divinis: vbi ſicuti eadem entitas poteſt eſſe ſubſtantia & operatio, abſoluta & relativa: ita quoque eadẽ relatio in re poteſt eſſe producentis & producti relatè ad diverſas perſonas. Quare ſpiratio activa poteſt in perſona filij eſſe filiatio, ſeu generatio paſsiva in ordine ad Patrem, & ſimul productio in ordine ad perſonam Spiritus ſancti: ac proinde poteſt realiter eſſe paternitas & filiatio, quãvis hæ aliũde inter ſe diſtinguantur realiter omnino & opponantur, tanquã relationes producentis & producti; quoniam illa neutri earum opponitur.

59 OPPONVNT II. Omnes illæ relationes, quarum termini completi realiter diſtinguuntur, ſunt reipſa diſtinctæ inter ſe: quoniam diſtinctio relationis ſumitur per ordinem ad terminum complerum. Atqui termini completi paternitatis, filiationis, & ſpirationis activæ realiter diſtinguuntur. Quippe terminus completus paternitatis, eſt Filius; filiationis, Pater; ſpirationis activæ, Spiritus ſanctus: quos inter ſe diſtingui realiter, fide ſanctum eſt. Ergo & ſpiratio activa eſt realiter diſtincta à paternitate & filiatione. CONFIRMATVR. Eadem ſecundùm entitatem relatio, debet convenire ſubiecto reſpectu eiuſdem termini: cùm totum eſſe relationis ſit in ordine ad terminum. Atqui generatio & ſpiratio activa non convenit perſonæ Patris reſpectu eiuſdem termini, ſed diverſi; prior quidem relatè ad Filium, poſterior verò ad Spiritum ſanctum. Ergo generatio & ſpiratio activæ, non ſunt eadem relatio ſecundùm entitatem. CONFIRM. II. Omnes relationes verè oppoſitæ relationibus oppoſitis realiter, diſtinguuntur reipſa inter ſe. Atqui relationes generationis & ſpirationis, ſunt oppoſitæ relationibus realiter inter ſe oppoſitis. Ergo etiam relationis & ſpirationis activæ diſtinguuntur realiter inter ſe.

60 RESP. Negando maiorem. Nam licèt fortaſſe in creatis ſit vera, propter limitationem entitatis relativæ, quæ reſtringitur ad purum reſpectum in ordine ad vnum terminũ completum, falſa eſt in divinis: vbi quemadmodum relatio quælibet, ratione infinitatis & actus puri, tranſcendentaliter clauſa, eſt ſimul entitas abſoluta & illimitata ſimpliciter; ita etiam eſt vnum & idem cum omni prædicato divino, ſive abſoluto, ſive relativo, ſibi nõ oppoſito relativè, ſeu in ratione producentis & producti. Cùm ergo certum ſit, ſpirationem activam non opponi relativè paternitati aut filiationi, nec ad eas comparari vt producens ad productum, vel è contrà; certum quoque eſſe debet, illam realiter ab ijs diſtingui. AD Confirmationem vtramque patet ex eadem doctrina. quidquid enim ſit de relationibus creatis, ac finitis, vnica entitas relationis divinæ, prout habet rationem filiationis, poteſt reſpicere Patrem, & ſub munere ſpirationis activæ Spiritum ſanctum ab illo realiter diſtinctum: quia reſpectus ad Patrem in Filio, & reſpectus ad Spiritum ſanctum, non opponuntur relativè inter ſe, atque adeò nec diſtinguuntur: cùm omnis diſtinctio in divinis ex ſola oppoſitione relativa proveniat, non ex limitatione, quẽadmodum in creatis. Indeque etiam eſt, vt duæ relationes non diſtinctæ realiter inter ſe, nimirum, generatio activa, & activa ſpiratio, poſſint reſpicere terminos reipſa oppoſitos, & diſtinctos, quales ſunt generatio, & paſsiva ſpiratio, nimirum Filius & Spiritus ſanctus.

61 DICES: Ab vna realiter actione relativa, nequeunt immediatè procedere duæ paſsiones, ſive emanationes paſſivæ. Atqui generari & ſpirativæ, quæ ſunt duæ paſsiones, ſeu emanationes paſsivum prior procedit immediatè à generatione activa, & poſterior ab activa ſpiratione. Ergo generatio activa, & activa ſpiratio, nequeunt eſſe vna actio relativa realiter.

62 RESP. Similiter, ſi in creatis ab vna actione nequeunt duæ paſsiones realiter diſtinctæ provenire, ideo eſſe, quia actio & paſsio prædicamentalis ſunt vnum & idem realiter: vt docuimus in Phyſica diſp. 19. Aut iuxta ſententiam, quæ alteram ab altera diſtinguit ſecundùm rem, ideo eſt, quoniam actio prædicamentalis eſt finita & limitata, quæ adæquatur & exhauritur per vnicum terminũ.

Cæ-

Cæterum actio productiva in divinis eſt illimitata, & nullam diſtinctionem realem admittens, niſi ſecundùm relativam oppoſitionẽ. Cùm ergo hæc non interveniat inter activam generationem & ſpirationem activam, poſſunt ambæ realiter identificatæ, & ſola ratione diſtinctæ, producere terminos ſecundùm rem diſtinctos, quales ſunt generari & ſpirari.

63 OPPONVNT III. Generare poteſt eſſe in Patre per locum ab intrinſeco ſine ſpirare: quia dato per impoſsibile quòd Pater & Filius non ſpiratent; adhuc Pater generaret, & Filius generaretur. At id falſum eſſet, ſi generare & ſpirare eſſent realiter vnum & idem: quoniam vbi duo aliqua ſic identificantur, neutrum poſſet eſſe ſine altero per locum ab intrinſeco, ſicuti nec ſeparari à ſeipſo. Ergo generare & ſpirare non ſunt realiter vnum, & idem. CONFIRMATVR. Generare præcedit per modum principij, & ſpirare ſequitur per modum termini ad ipſum generare, ſicuti ad principium, *ſine quo non*. Atqui principiũ per locum ab intrinſeco poteſt eſſe ſine termino, quia prius nõ depẽdet à poſteriori; & prętera omne principium diſtinguitur realiter à termino. Ergo generare & ſpirare diſtinguuntur realiter. Vnde & conſequens omnino eſt, vt paternitas & ſpiratio activa realiter differant. CONFIRMATVR II. Generatio activa ſeu paternitas, eſt relatio producentis ſe ſolo Filium: ſpirare autem, vel ſpiratio activa, eſt relatio producentis ſimul Filio terminum alium. quæ duo apparent reipſa diverſa, tam ex parte modi, quàm termini Ergo generatio activa, & activa ſpiratio, ſunt relationes ſecundùm rem diſtinctæ.

64 RESP. Permiſſa maiore argumenti, negando minorem: quia quamvis duo aliqua ſint vnum reipſa, ſi tamen ratione ratiocinata alterum præcedat alterum, dicitur prius eſſe poſſe ſine poſteriore, per locum ab intrinſeco. Sic certè in divinis abſoluta prædicata dicuntur eſſe poſſe per locum ab intrinſeco ſine relativis, immò & eſſentia abſque attributis quibuſdam; nec tamen ideo vel abſoluta in re diſtinguuntur à relativis, vel eſſentia ab attributis. Nec ſimiliter ſequitur exinde, poſſe alterũ ab altero ſeparari in re, ſed abſtractione ſola. Porrò generare ſecundùm abſtractionem mentis concipitur priùs, quàm ſpirare, licèt ambo ſint vnum & idem reipſa. AD I. Confirm. dico, generationem activam non præcedere ſpirationem activam, tanquam principiũ reale, ſed rationis dumtaxat. quo etiam ſenſu ipſa generatio activa ſub munere inadæquato originis præcedit munus expreſſum paternitatis ad Filum, nec tamen diſtinguitur à paternitate ſub eo reſpectu conſiderata, niſi ratione, ſolùm, & inadæquata abſtractione: vt dictum eſt Diſp.LXXX. ſect 6. AD II. Confirm. concella maiore, negatur ea duo eſſe ſecundùm rẽ diverſa ex parte actionis, quamvis ſint realiter diſtincta ex parte termini producti. Itaque eadem entitas relationis ſub munere generationis eſt relatio producentis ſe ſolo Filium: & ſub munere ſpirationis activæ eſt relatio producentis ſimul cum Filio Spiritum ſanctum: quia inter hoc quod eſt, Patrem ſe ſolo producere Filium, & ſimul cum Filio producere Spiritum ſanctum, nulla eſt oppoſitio relativa, proindeque nec realis diſtinctio ex parte productionis, ſive actionis.

65 VRG BIS. Duabus relationibus diſparatis inter ſe realiter differentibus ſpecie, aut quaſi ſpecie, reſpõdere debent duæ aliæ relationes diſparatæ, realiter differentes ſpecie, aut quaſi ſpecie. Quippe vnica relatio & ſpecie eadem, nequit opponi pluribus relationibus ſpecie realiter diverſis. Atqui generari & ſpirari ſunt duæ relationes diſparatæ differentes realiter ſpecie, aut quaſi ſpecie inter ſe. Ergo generare & ſpirare, quibus illæ reſpondent, debent eſſe duæ relationes diſparatæ, ſpecie aut quaſi ſpecie realiter differentes. PRÆTEREA. Quemadmodum ſe habet generare ad generari, ita etiam ſpirare ad ſpirari. Ergo permutata proportione, quemadmodum ſe habet generari ad ſpirari, ita etiam generare ad ſpirare. Atqui generari ita ſe habet ad ſpirari, vt realiter differant inter ſe, vt patet. Ergo etiam ita ſe habet generare ad ſpirare, vt inter ſe realiter differant.

66 RESP. Quamvis in creatis duabus relationibus diſparatis inter ſe realiter differentibus debeant reſpondere duæ aliæ diſparatæ & pariter ſpecie differentes, propter limitationem & finitudinem illarum; non tamen in divinis ob rationem oppoſitam. Quippe in divinis nulla eſt diſtinctio ex limitatione orta, ſed ex oppoſitione relativa tantùm. Cùm ergo in divinis generari & ſpirari opponantur relativè, oportet vt diſtinguuntur quaſi ſpecie reater inter ſe; ſecus verò generare & ſpirare, inter quæ duo nulla apparet oppoſitio relativa. Porrò generari & ſpirari, invicem relativè opponi, patet: quoniam ſunt proprietates perſonales, quibus conſtituitur vtraque perſona, Filij, & Spiritus ſancti. Perſonæ autem conſtituuntur proprietatibus relativè oppoſitis, vt ſuprà vidimus Diſp.LXXIX. & LXXX. idque aſſerente ibidem Durando. Inſuper ſpirari, ſive ſpiratio paſsiva, quæ eſt ipſe Spiritus ſanctus, procedit à generatione paſsiva, quæ eſt Filius: ac propterea nihil mirum quòd generatio paſsiva differat realiter à paſsiva ſpiratio-

tione. Spirare autem, ſive ſpiratio activa non procedit à generatione activa, vt principio producente: ac proinde nihil mirum quòd ab ea non diſtinguatur realiter. AD Inſtantiam vlteriorem, conceſſo antecedenti, negatur conſequentia, ob rationem dictam. Permutata enim proportione illa, variatur argumentum, & fit præpoſtera collectio ab oppoſitis relativè in antecedente, ad non oppoſita relativè in conſequente. Sic certè illegitima eſſet collectio, ſiquis ita argueret mutando proportiones: Quemadmodum ſe habet ignis ad calorem, ita etiam aqua ad frigus. Ergo pariter ſicut ſe habet calor ad frigus, ita ignis ad aquam. Atqui calor & frigus ita ſe habent, vt ambo cohæreãt in gradibus remiſsis intra idem ſubiectum. Ergo etiam aqua & frigus ita ſe habent, vt poſsint ſimul in gradibus remiſsis eidem ſubiecto cohærere. Mala, inquam, collectio, præſertim iuxta veram & frequentiorem ſententiam, quæ docet, elementa non eſſe formaliter in in miſto; vt vidimus diſput. 62. de Generatione.

SECTIO SEPTIMA.

Obſervantur aut colliguntur plura ex dictis, quibus & obiter profligantur quæſtiones aliquot huc ſpectantes.

67 VERVM Vt præoccupentur plures difficultates, quæ circa hanc controverſiam occurrere poſſent, & breviter dirimantur quæſtiones nonnullæ huc ſpectantes, quibus immorari non vacat, nonnulla obſervare oportet.

68 PRIMVM Eſt, Relationes quatuor divinas non eſſe diſtinctas ſpecie propriè loquendo, ſed impropriè, & per analogiam quandam ad relationes creatas. Ratio præcipua deſumitur ex Anſelmo ſuprà cap. 14. & 27. atque ex latè traditis Diſp. XXX. & XLVII. ſect. 3. vbi cum ipſo ſtatuimus, Deum nullatenus admittere compoſitionem metaphyſicam, nec ſub vllo genere contineri, ratione illimitationis ſuæ, & ſummæ ſimplicitatis. Vnde & conſequens eſt, vt nullum eius prædicatum, nec abſolutum, nec relativum, conſtituat ſpeciem propriè dictam. Hæc enim deberet contineri ſub aliquo genere, & metaphyſicè componi ex genere relationis, & differentia propria illius. Quare ſolùm ſupereſt vt divinæ relationes diſtinguantur quaſi in ſpecie, quia in ipſo peculiari modo reſpiciendi alium & aliũ terminum pariter quaſi ſpecie diſtinctum videntur ſe habere inſtar relationum prædicamẽtalium ſpecie diverſarum: vt patebit conſideranti ſingulas earum. Hoc ſenſu Tertullianus lib. contra Praxeam pag. 3. ait, perſonas divinas eſſe tres, *non poteſtate, ſed ſpecie*. Ac Baſilius lib. 2. contra Eunomium relationes divinas appellat *ſpecies proprietatũ*. Subſcribunt Scholaſtici cum D. Thom. in 1. diſt. 27. q. 1. art. 1. & 1 p. q. 28. art. 4. Vnde & ſpiratio activa, quamvis non diſtinguatur realiter à paternitate & filiatione, vt hactenus probatum eſt, differt ab ijs ſecundùm rationem, quaſi ſpecies altera relationis. Nimirum, eandem entitatem, ſecundùm aliam & aliam rationem formalem poſſe ad diverſas ſpecies, aut quaſi ſpecies pertinere, patet in ipſis attributis divinis; immo & in creatis: vt de potentia & impotentia, paſſione & paſsibili qualitate, &c. diximus in Metaph. diſp. 13.

69 SECVNDVM Eſt, Spirationem activam differre à paternitate & filiatione, non quaſi ſpecie completa, quemadmodum ambæ illæ, inter ſe differunt; ſed veluti incompleta. Ratio eſt: quoniam ſpiratio activa ſpectat ad complementum & diſtinctionem paternitatis & filiationis, continenturque implicitè in ijs, ad eum ferè modum, quo ſuprà Diſp XXVI. ſect. 3. per totam oſtendimus, naturam divinam claudi in conceptu implicito relationum. Alioqui enim præſcinderetur ab ijs obiectivè, ac ſubinde componeret metaphyſicè cum vnaquaque earum, veluti ratio communis aut generica cum differentijs. quod eſſe impoſsibile iam indicavimus numero præced. Immo ſi non clauderetur ſpiratio activa implicitè in paternitate & filiatione, compoſitio eſſet indignior Deo, quàm ex genere & differentia: quia eſſet per modum accidentis & ſubiecti, quoniam ſpiratio ſuperveniret perſonis iam conſtitutis. *Deinde*, in paternitate & filiatione continetur quidditativè plena conſtitutio ac diſtinctio mutua duarum perſonarum: vt dictum eſt Diſp. LXXX. ſect. 6. & 7. Atqui plena conſtitutio & diſtinctio duarum perſonarum continet quidditativè & implicitè diſtinctionem à tertia perſona. Cùm ergo ratio diſtinguendi duas perſonas à tertia, ſit ſpiratio activa, hæc continetur quidditativè & implicitè in paternitate & filiatione. *Vltiùs*. Ex paternitate & filiatione, veluti radicali principio, intelligitur emanare ſpiratio activa, veluti poſterior ordine rationis. Omne autem quod in divinis intelligitur emanare ab alio, ſecundùm ordinem rationis ſolius, clauditur in conceptu implicito illius: quia id eſt de ratione actus puri, vt implicitè claudat quidquid ordine ſolius rationis intelligitur emanare ab illo. Et propterea Diſp. illa XXVI. per totam probavimus latè eſſentiam divinam in ſuo conceptu quidditativo implicito claude-

dere attributa ac relationes. Ergo eodem modo, & ob rationem eandem ſpiratio activa claditur in paternitate ac filiatione. *Denique.* Cùm per proceſsionem Filij à Patre per intellectum infinitum repræſentetur perfectiſsimè ratio ſummi boni, infiniteque amabilis, in eadem debet implicitè & quidditativè contineri virtus, ſeu poteſtas ad producendum terminum, qui ſit nexus amborum. Vide Ruiz diſput. 17. ſect. 6. n. 10. & ſeqq.

70 TERTIVM Eſt, Quamvis ſpiratio activa ſit eadem entitas cum paternitate, & filiatione, vt dictum eſt, non propterea poſſe illas adinvicem prædicari in ſenſu theologico & Scholarum proprio, nec veras eſſe propoſitiones has abſolutè prolatas: *Spiratio activa eſt paternitas, aut filiatio: Paternitas aut filiatio eſt ſpiratio activa.* Ita D.Thom. 1 p. q. 32. artic. 3. ad 3. quem alij communiter ſequuntur. Ratio eſt: quia eiuſmodi propoſitiones in abſtractis relativis ex communi vſu Scholaſticorum accipiuntur in ſenſu formali, & explicito: veluti cùm dicimus, ratione miſerendi in Deo eſſe miſericordiam, non iuſtitiam. Cùm ergo ſpiratio activa non includatur in ſenſu explicito ac formali in paternitate & filiatione, aut è contrà, ſed dumtaxat in implicito, vt dictum eſt; prædicationes eiuſmodi ſunt falſæ, quoniam per eas ſignificatur identitas extremorum in ſenſu formali.

DISPVTATIO LXXXII. LITTERALIS.

DE PROCESSIONE VERBI DIVINI, ADVERSVS Sabellianos, Arianos, & Iudæos.

AD SPLENDIDISS. HEROEM, ET LITERATISS. D. D. AEGIDIVM FEDERICVM DE CASTREXON, Graccarẽſis nobilitatis delibatum florem, Alcantarenſis Ordinis Equitem, olim in Salmanticenſi Academia Primarium ac doctiſsimum Pontificij Iuris Anteceſſorem, & Togatum D. BARTHOLOMAEI; iam pridem Supremi Iuſtitię Senatus ſpectatiſsimum Conſiliarium, ac celeberrimum Scriptorem Alphabeti Iuris vtroque iuſto volumine, &c.

QVAMVIS Capite XXXVIII. & præcedentibus plura tradiderit Anſelmus ſpectantia ad generationem divini Verbi, noſque aliquot circa illam Diſputationes excitaverimus, quales ſunt LXI. & octo ſequentes; adhuc tamen omnia fuerunt veluti Prolegomena quædam ad ea quæ ſequuntur: in quibus S. Doctor æternam illam Verbi à Patre proceſsionem ſummè admirandam & ineffabilem, exponere via & ratione tentat, ſi quoquo modo id fieri poſsit. Porrò Diſputatio hæc, & duæ aliæ ſequentes, ſolùm erunt contextæ ex capitibus S. Doctoris, & Scholijs noſtris: vt poſtea locus ſit excitandi opportunas controverſias ſupra eandem litteram.

CA-

CAPVT XXXIX. Aliàs XXXVIII.

QVOD IDEM VERBVM SIT A SVMMO Spiritu naſcendo.

QVOD Ipſum nullo vtique videtur familiariùs verbo poſſe proferri, quàm ſi dicatur, proprium eſſe vnius naſci ex altero; & proprium alterius naſci alterum ex ipſo.

3 CERTVM Namque iam conſtat, quia Verbum ſummi ſpiritus non ſic eſt ex eo, quemadmodum ea quæ ab illo facta ſunt; ſed quemadmodum Creator de Creatore, & ſummum de ſummo. Et vt plena brevitate omnimoda abſolvatur ſimilitudo, penitus idem ipſum eſt de eodem ipſo, & ita vt nullatenus ſit, niſi ex eo.

4 CVM Igitur pateat, Verbum ſummi ſpiritus ſic eſſe ex ipſo ſolo, vt perfectam eius, quaſi proles parentis, teneat ſimilitudinem; nec ſic eſſe ex ipſo, vt fiat ab eo; profectò; nullo modo conuenientiùs cogitari poteſt ex illo eſſe, quàm naſcendo.

5 NEMPE Si innumerabiles res indubitanter dicuntur naſci ex quibus habent vt ſint, cùm nullam eorũ, de quibus naſci dicuntur, teneant ſimilitudinẽ, ſicut proles parentis (dicimus enim capillos naſci de capite, & poma ex arbore, licèt nec illi capitis, nec iſta arboris ſimilia ſint) ſi, inquam multa huiuſmodi non abſurdè dicuntur naſci: tantò congruentiùs dici poteſt, Verbum ſummi ſpiritus ex illo exiſtere naſcendo, quantò perfectiùs, quaſi proles parentis, trahit ſimilitudinem ex illo exiſtendo.

SCHOLIA IN CAPVT XXXIX.

SECTIO PRIMA.

Oſtenditur contra Sabellianos, Verbum accipere eſſe a Patre; & contra Arianos, naſci ab illo, non vtcumque, ſed propria ac perfectiſsima natiuitate, ſeu generatione ſecundùm eandem naturam. Doctrina Anſelmi ex Symbolo Nicæno, & variis Patrum teſtimonijs, illuſtrata.

6 TRACTATIONEM De ęterna diuini Verbi generatione in ſuperioribus inchoatam, ſed à nobis interruptã quæſtionibus variis ad litteræ ſenſum ſpectantibus, proſequitur S. Doctor operoſiùs ab hoc capite: cuius ſumma ferè eſt, Verbum ſummi ſpiritus, ſive Dei, id eſt, Patris loquentis (de quo in præcedentibus diſſeruerat) ſic ex eo eſſe, quaſi idem ipſum procedat de eodem ipſo; hoc eſt, idem ipſum in eſſentia, ſed diſtinctum in perſona, oriatur ex altera perſona eiuſdem omnino eſſentiæ. Porrò ſubdit, Verbum non ita habere eſſe ex ſummo ſpiritu, quemadmodum res creatæ: ſed veluti Creatorem de Creatore, & ſummum de ſummo: ac proptereà non tanquam factum, ſed natum: & quidem magis propriè, quàm quædam alia naſci dicantur ex ijs, cum quibus nullam ſimilitudinem habent: Verbum autẽ perfectam ſimilitudinẽ habet ad ſummum Spiritũ, ſive Patrẽ, à quo oritur: ideoque magis propriè naſci de illo dicitur. Veniamus modò ad ſingulas litteræ partes diſtinctè & ordine ſuo exponendas.

QVOD

7 *QVOD IPSVM, &c.* Referenda hæc ſunt ad ſenſum capitis præcedentis, in cuius fine dixerat S.Doctor de ſummo ſpiritu, eiuſque Verbo: *Proprium eſt vnius eſſe ex altero: & proprium eſt alterius, alterum eſſe ex illo.* Quamvis enim ex illius ſenſu perſonæ divinæ primariò ac potiſsimùm conſtituantur & diſtinguantur relationibus ſub munere relativo hypoſtaſeon, vt dictũ fuit Diſp.LXXX. præcipuè verò ſect.6. & 7. ibidem tamen ſect. 1. num.12. monuimus ex Anſelmo, alijſque Patribus Latinis, & Græcis, originem actiuam & paſsivam plurimum conferre ad diſtinctionem perſonarum divinarum, quamvis minùs præcipuè, quàm relativas hypoſtaſes, & illarum oppoſitiones. Quare in hoc capite, iuxta ibidem dicta, monet S. Doctor, eam cõditionem propriam originis activæ & paſsivæ inter Patrem & Filium, non poſſe meliùs explicari, quàm aſſerendo, *proprium eſſe vnius, naſci ex altero*; & alterius, vt alterum naſcatur ex illo. Nimirum, apud Patres Eccleſiæ naſci idem eſt, ac gigni, ſeu generari: vt propterea ijs promiſcuè vocibus vtantur ad explanandam originem Verbi divini à Patre, ſecundùm propriam rationem generationis. Quod ſpeciatim videre eſt apud Cyrillum lib.1. Theſauri cap 9. fine, & toto lib.2. ac lib.3. cap.1. lib.8. cap.1. lib.14. cap. 2. 3. & 5. vbi promiſcuè vſurpat, ſeu pro eodem accipit in Filio Dei, *naſci, gigni, ac generari*, contra Paulum Samoſatenum, qui divinitatem Chriſto negans, inficiabatur conſequenter æternam illius nativitatem, ſeu generationem: vt vidimus Diſp.LIV. num.3. Alij quoque hæretici, inquit Hilarius lib.4. de Trinitate col.2. aiebant, *Filium non ex Pater natum, neque Deum ex natura, ſed ex conſtitutione eſſe: adoptionem, ſcilicet, eius eſſe in nomines: quia ſicut plures Deo filij, ita & hic filius ſit.*

8 *CERTVM NANQVE IAM CONSTAT, &c.* Supponit ex ſtatutis ſuperiùs, Verbum divinum non ſic à ſummo ſpiritu, ſeu Deo Pater procedere, quemadmodum ea, quæ ab illo facta ſunt: ſed quemadmodum Creatorem de Creatore, & ſummum de ſummo. Quibus verbis S. Doctor reijcit impietatem Arij aſſerentis, Filium Dei, inſtar reliquarum rerum, fuiſſe factum ἐξ οὐκ ὄντων, id eſt, *ex non entibus*, ſive ex nihilo. Cui perfidiæ adverſatur directè Symbolum Nicænum, dum profitetur Filium Dei *ex Patre natum vnigenitum, id eſt, ex ſubſtantia Patris.* Quod certè procul eſt ab omni creatura, ſeu re facta ex nihilo. Itaque Filius Dei, non factus fuit, ſed *natus*; non ex nihilo, ſed ex Patre: non filius voluntate gratuita, inſtar aliorum iuſtorum, ſed *vnigenitus.* Quamvis verò hac tam luculenta profeſsione divinitas ſolida Filij, eiuſque nativitas ſeu generatio ſingularis, videretur ſatis expreſſa, *Euſebius eiuſque fautores* (inquit Athanaſius in Epiſt. ad Epiſcopos Africanos) *perverſa ſua opinione à vero abducti dixere inter ſe: Hiſce conſentimus. etenim nos quoque ex Deo ſumus: vnus nempe Deus, ex quo omnia.* Præterea & vocem *Vnigenitus* ſubdola interpretatione acceperunt, vt idem Athanaſius teſtatur in Epiſt. de Nicæno decreto, inquiens de ijs: *Per ſummam impudentiam dixerunt, ſe ad iſtum modum putare Filium prærogatiuam præ alijs habere, Vnigenitumque appellari, eo quòd vnus ille à ſolo Deo conditus ſit; cætera verò omnia à Deo per ipſum.* Verùm, vt idem Athanaſius refert in paulò antè citata Epiſtola ad Epiſcopos Africanos, *Epiſcopi eorum aſtutia cognita, plenius explicarunt illud, EX DEO eſſe*, & ſcripſerunt, *Filium eſſe*, ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς, id eſt, *EX SVBSTANTIA PATRIS.* Quod certè nulli creaturæ, quamvis aliqua ſola fingatur immediatè procedere à Deo Patre, convenire poteſt.

9 QVARE Statim Nicæni Patres in eodem Symbolo addiderunt, Θεὸν ἐκ Θεοῦ, id eſt, *DEVM EX DEO.* Quibus adhuc apertiùs exprimitur, illum ipſum vnigenitum naſci ex ſubſtantia Patris, tanquam verum Deum, ex Deo vero. Quod ipſum exponit hoc loco Anſelmus verbis illis: *Quemadmodum Creator de Creatore, ſummum de ſummo.* Nimirum, Creatorem eſſe, eſt propria veri Dei notio, & cuilibet creaturæ repugnans: vt latè explanatum fuit Tomo I. Diſp. XVI. XVII. & XVIII. cum Anſelmo ſuprà cap.6. dicente de ſumma eſſentia: *Nihil omnino facere potuit per aliud, vel inſtrumentum, vel adiumentum, quàm perſeipſam.* Et paulo pòſt concludit: *Nihil apertiùs, quàm quòd illa ſumma eſſentia tantam rerum molem, tam numeroſam multitudinẽ, tam formosè formatam, tam ordinatè variatam, ſola per ſeipſam produxit ex nihilo.* Idem igitur eſt, Filium Dei naſci, tanquam Creatorem de Creatore, & ſummum de ſummo, ac *Deũ ex Deo.* Quæ formula loquendi, ſicuti exoſa fuit Arianis, ſic etiam dura apparuit Calvino lib. contra Valentinum Gentilem pag.67. Sed quid, quòd impio hæreſiarchæ dura ſit vox, quæ grata & opportuna viſa eſt ſanctiſsimis Patribus Concilij Nicæni, ad ſolidam divinitatem Verbi aſſerendam? Sanè duritiei non eſt in locutione illa, ſed in palato Calvini ad eam deglutiendam: vt hìc locum habeat quoddammodo verus illud: *Pedes tui non ſpinas calcant, ſed habent.*

ET

10 *ET VT PLENA BREVITATE, &c.* Non ſatis viſum S. Doctori aſſerere, Verbum longè aliter ex ſummo ſpiritu eſſe, quàm creaturas, & de illo naſci tanquã Creatorẽ de Creatore, & ſummũ de ſummo: & addit, totum id breviter ſignificari dicendo, *idem ipſum eſſe ex eodem ipſo, & ita, vt nullatenus ſit, niſi ex eo.* Quibus exprimit opportunè adverſus omnes hæreticos Trinitatis hoſtes, præſertim Arianos & Sabellianos, Verbum verè ac reipſa procedere ex ſummo ſpiritu, ſive Deo Patre; & præterea ipſi conſubſtantiale eſſe. quoniam priùs negavit Sabellius, poſterius verò Arius. Id enim denotat ſatis Anſelmus dicens *idem ipſum eſſe ex eodem ipſo*: quoniam licèt Filius ſit alius à Patre, non tamen *aliud* à Patre, ſed vnũ & idem ipſum cũ illo, iuxta illa verba Chriſti: *EGO ET PATER VNVM SVMVS.* Nimirum, hæc eſt veluti teſſera Religionis Catholicæ, quã expreſſerunt ijdem Patres Nicæni in Symbolo, addentes ſtatim. Verbum ſive Filiũ Dei eſſe, γεννηθέντα, ϗ' ϖοιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ ϖατρὶ id eſt, *genitum, non factum conſubſtantialem Patri.* Scilicet, HOMOVSII, ſive CONSVBSTANTIALIS vocabulum, diſtinxi. à tempore Nicænæ Synodi Catholicos ab Arianis illud execrantibus, quo exprimitur eadem numero Divinitas, ſubſtantia, natura, ſive eſſentia, in Patre & Filio. Quippe Patres eam vocem, omnium Arianorũ, ãn varijs ſectas ab eunctium, iugulauricẽ, edidерunt, vt inquit Athanaſius lib. de Synodo Ariminenſi, veluti ὁ ϖλοκράφιον κατὰ τῆς ἀσεβείας αὐτῶν, id eſt, *columnam triumphalẽ inſcriptam aduerſus impietatem eorum.* Vide plura huc ſpectantia ſuprà Diſp. LV. ſect. 3.

11 *CVM IGITVR PATEAT, &c.* Refutavit doctrinam à ſe traditam ſuperioribus capitibus, in quibus docuerat Verbum eſſe imaginẽ perfectiſsimã ſummi ſpiritus loquẽtis, & exprimentis illud: præſertim c. 33 vbi dixit: *Sed vtique Verbum, quo ſe dicit ſumma ſapientia, conuenientiſsimè dici poteſt Verbũ eius ſecundùm ſuperiorem rationẽ: quia eius perfectam tenet ſimilitudinem.* Hinc autẽ, & ex paulo antè ſtatutis, colligit S. Doctor, nulla alia ratione ſignificari meliùs poſſe, Verbum exiſtere, ſeu habere eſſe ex ſummo ſpiritu, quàm naſcendo. Formula autem probationis hæc ferè eſt: Quidquid ab aliquo habet eſſe ſecundùm perfectam ſimilitudinem cum ipſo, & citra efficientiam vllam; id certè ex eo naſcitur: quoniã nativitas, ſeu generatio viventiũ, ſecundũ ſuam rationem formalem, ſita eſt in origine viventis à vivente, vt principio coniuncto, ſecundùm ſimilitudinem naturæ. Atqui Verbum habet eſſe à ſummo ſpiritu, ſive à Deo Patre, ſecundùm perfectam ſimilitudinem cum ipſo, & ſine efficientia vlla. Ergo Verbum naſcitur ex ſummo ſpiritu, ſive ex Deo Patre. Hæc ratio & conſideratio Anſelmi plurimum ponderis ac myſterij habet: ut conſtabit ex progreſſu, miniſtrabitque nobis materiam ampliſsimam diſſerendi.

12 *NEMPE SI INNVMERABILES RES, &c.* Confirmat eandem doctrinam argumẽto, quod appellant à fortiori. Plura enim quoniam habent eſſe ex alijs, dicuntur ex ijs naſci, quamvis nullam aut exiguam cum ijs ſimilitudinem habeant: vt patet in capillis, quĩ dicuntur naſci de capite, ſicuti & poma ex arbore, quin principio ſuo evadant ſimilia. Ergo multo veriùs ac propriùs dicetur de aliquo naſci, quod ita habet ex illo eſſe, vt perfectam cum eo, quaſi proles parentis, obtineat ſimilitudinẽ. Nimirum, quò maior fuerit ſimilitudo prolis ad principiũ ex quo habet eſſe, eò perfectior ac proprior erit nativitas. Atqui Verbũ ita exiſtit ex ſummo ſpiritu, ſive Deo Patre, vt perfectiſsimam cum eo ſimilitudinem habeat: vtpote non habens eſſe ab illo inſtar rerum ex nihilo factarum (vt à principio capitis dictũ fuit) quæ exiguam & prope nullam ad Deum ſimilitudinem habent: ſed tanquam Creator de Creatore, ſummum de ſummo, & eiuſdem omnino naturæ cum ſuo principio. Ergo Verbum divinum habet eſſe à ſummo ſpiritu ſive à Deo Patre, propriè ac perfectè naſcendo. Quo argumento Anſelmus perſtringit Arianos, ſicuti illos olim refutavit Auguſtinus lib. contra Sermonem Arianorum c. 36. dicens: *Si quis iſtorum, qui nos Homouſianos vocant, filiũ ſuũ, non cuius ipſe eſſet, ſed diuerſæ diceret eſſe naturæ, exhæredari ſe ab eo mallet filius, quàm hoc putari. Quanta itaque impietate iſti cæcantur, qui cùm confiteantur Vnigenitũ Dei Filium, nolunt eiuſdẽ naturæ, cuius eſt Pater, confiteri, ſed diuerſæ atque imparis, & multis modis rebuſque diſſimilis, TANQVAM NON DE DEO NATVS, SED AB ILLO DE NIHILO SIT CREATVS: ac per hoc & ipſe creatura ſit, gratia filius, non natura. Ecce qui nos, quaſi maculã noui nominis, vocant Homouſianos, ne ſe ipſos, cùm ita ſentiunt, intuentur inſanos.* Hactenus ille. Itaque ratio Anſelmi probans in Verbo, ſeu Filio Dei perfectam nativitatẽ, perſtringit Arianos: quoniam pariter probat, eſſe Filium Dei, non adoptione aut gratia, inſtar rationalium creaturarum, quæ ex nihilo fiunt; ſed naturâ, tanquam Vnigenitum & homoũſion, ſive eiuſdem naturæ cum Patre, cuius perfectam ſimilitudinem habet.

(?)

CA-

CAPVT XL. Aliàs XXXIX.

QVOD VERISSIME ILLE SIT PARENS, ILLVD verò proles.

QVOD SI convenientiſsimè dicitur naſci, & tam ſimile eſt illi, de quo naſcitur: cur æſtimetur ſimile, quaſi proles parenti; & non potiùs aſſeratur? Quia tantò verior eſt ille parens, & iſtud proles, quantò magis & ille ad huius nativitatis perfectionem ſolus ſufficit; & quod naſcitur, eius ſimilitudinem exprimit.

14 NANQVE In rebus alijs, quas parentis proliſque certum eſt habitudinem habere, nulla ſic gignit, vt omnino nullius indigens ſola per ſe ad gignendum prolem ſufficiat; nulla ſic gignitur, vt nulla admiſta diſsimilitudine omnimodam ſimilitudinem parentis exhibeat. Si ergo Verbum ſummi ſpiritus ſic eſt ex ſola ipſius eſſentia, & ſic ſingulariter eſt illi ſimile, vt nulla proles ſic ſit omnino ex ſola parentis eſſentia, aut ſic ſimilis parenti: profectò nullis rebus tam convenienter videtur aptari habitudo parentis & prolis, quàm ſummo ſpiritui, & Verbo eius. Quapropter illius eſt proprium, veriſsimum eſſe parentem; iſtius verò, veriſsimam eſſe prolem.

CAPVT XLI. Aliás. XL.

QVOD ILLE VERISSIME GIGNAT, ILLVD veriſsimè gignatur.

AT Hoc conſtare non poterit, niſi pariter ille veriſsimè gignat, & iſtud veriſsimè gignatur. Sicut igitur illud eſt perſpicuum, ita hoc eſſe certiſsimum eſt. Quare ſummi ſpiritus eſt veriſsimè gignere, & Verbi eius veriſsimè gigni.

SCHOLIA IN CAPVT XL. ET XLI.

SECTIO SECVNDA.

Rationem parentis & prolis verè eſſe in diuinis, ac longè veriùs & ſublimiùs, quàm in rebus creatis. Digeritur per partes doctrina Anſelmi, & illuſtratur opportunis teſtimonijs & conſiderationibus Patrum.

16 VERITATEM Nativitatis Verbi divini probatam ſuperiori capite, cõfirmat S. Doctor in his duobus, quæ eodèm planè ſpectant, & in editione Gerberonis ita dividuntur: in alijs verò poſterius illorum coniungitur cum ſequenti, tanquam eius initium. Summa verò amborum eſt, ſummum ſpiritum veriſsimè eſſe parentem & genitorẽ; Verbum autem veriſsimè exiſtere illius prolem & genitum. Quæ doctrina Catholica directè premit Sabellium & ſequaces, veram generationem in Deo negantes, ſicut & pluralitatem perſonarum genitoris & geniti, quorum perfidiam ita exponit Epiphanius Hæreſi LXII.

LXII. *Dogmatizat autem hic, & qui ab eo dicti ſunt Sabelliani, eundem eſſe Patrem & Filium & Spiritum ſanctum: vt ad eandem hypoſtaſim tres appellationes conveniant, aut perinde atque in vno homine corpus, & anima, & ſpiritus ineſt: ita, vt corporis ſit inſtar Pater, animæ Filius, Spiritus denique in ipſa diuinitate humani ſpiritus inſtar habeatur.* Vel, vt teſtatur Athanaſius in Orat. contra Arianos de illo dicto, *Deus de Deo*, Sabellius ita errorem ſuum exponebat: *Quemadmodum diuerſa ſunt genera gratiarum, idem autem Spiritus: ita quoque Pater, cùm idem ſit, dilatatur in Filium.* Vnde Baſilius Magnus Epiſt. 64. aiebat: *Iudaiſmus eſt Sabelliſmus ſub ſpecie Chriſtianiſmi in Euangelicam prædicationem inuectus. Qui enim rem vnam pluribus nominibus appellatam dicit eſſe Patrem, ac Filium, & Spiritum ſanctum, & vnam trium hypoſtaſim exponit, quid aliud facit? Nonne ſempiternam Vnigeniti, quæ ſæcula anteceſſit, exiſtentiam negat?* Negat planè, ſicuti & generationem ipſius. Itaque Sabellius negans veram ac ſolidam diſtinctionẽ perſonarum in diuinis, negabat conſequenter veram ac ſolidam nativitatem generationemque vnius ex alia: quoniam lumine naturæ eviden eſt, vnam & eadem rem, ſive perſonam, nõ poſſe eſſe ſimul parentem & prolem ſui ipſius, nec ſeipſam verè generare. Quare probando in divinis eſſe verum parentem, & prolem veram, genitorem quoque & genitum, ſtatuitur contra Sabellium vera perſonarum diſtinctio. Circa quam vide quæ latè diximus ſuprà Diſput. LIV. ſect. 3. & Diſput. LV. ſect. 4.

17 *QVOD SI CONVENIENTISSIME, &c.* Semel probato aut ſtatuto ex capite præcedenti, Verbum naſci perfectè ſimile ſummo ſpiritui, ſive Deo Patri; colligitur ſtatim, naſci ab illo, non tanquam ſimilitudinariam, ſed tanquam veram prolem. Formula probationis hæc ferè eſt. Tantò verior eſt aliqua poles parentis, quantò veriùs parens ſolus ſufficit ad perfectam nativitatem, & quò proles ipſa perfectiùs ſimilitudinem illius exprimit. Atqui hoc modo contingit in ſummo ſpiritu eiuſque Verbo. Ergo ſummus ſpiritus eſt veriſsimè parens, & Verbum veriſsimè illius proles. Maior conſtat ratione generali, quâ probatur, omnes perfectiones, omniaque prædicata in Deo exiſtentia, tantò veriùs & excellentiùs in ipſo eſſe, quantò ſimpliciùs & independentiùs. Ideoque Anſelmus ipſe ſuprà cap. 36 probavit omnem perfectionem creatam tantò veriùs eſſe in Deo, quàm in ſeipſa, quantò veriùs exiſtit creatrix eſſentia, quàm creata. Ergo cùm rationes parẽtis & prolis ſint prædicata in Deo exiſtentia, vt in ſuperioribus probatum eſt, tantò veriùs habere debent proprietatem parentis & prolis, quantò veriùs ſolus parens, ſive independens ab alio, in divinis ſuffici tad proferendam prolem, & hæc ad exprimendam ſimilitudinem parentis.

18 *NANQVE IN REBVS ALIIS, &c.* Hiſce verbis Anſelmus probat aſſumptionem, ſive minorem propoſitionem ſyllogiſmi præcedentis. Probat verò excurſione quadam in alijs omnibus rebus, ſive ſubſtantijs, quæ dicuntur quoddammodo habere rationem parentis & prolis. Nulla enim earũ eſt, quæ per ſe ſolam, & ſine vllo alterius adiutorio, habeat rationem parentis: nulla etiam ſobcles, ſive proles, quæ perfectè omnino, & abſque diſſimilitudine vlla, ſimilitudinem parentis exprimat. Quod generatim aſſertum ab Anſelmo, noſtræ curæ eſt inductione quadam oſtendere. Imprimis ſiqua parentis & prolis infra Deum eſt propria ratio, nullibi certè veriùs invenitur, quàm in duobus hominibus, quorũ alter parens, alter proles ad invicem eſt. Neque enim aut reipſa, aut cognitione poteſt inveniri alia verior aut proprior generatio & nativitas, quàm humana. In ea verò nullus eſt, qui ſolus, & ſine adminiculo alterius, poſſit habere rationem parentis. Non enim poteſt vir ſine muliere, aut hæc ſine viro, eſſe parens alicuius prolis. Idem patet in generatione quorũlibet aliorum animantum, quotquot ex marẽ & fœmina prodeunt. Præterea eadem viventiũ generatio dependet à cauſis, tum internis, tum externis, tum particularibus, tum præterea vniverſalibus: vt proinde nullum vivens, nullum animal per ſe ſolum ſufficiat edendæ proli. Rurſus neque vlla eſt in ijs omnibus proles, quæ omnino perfectè, ſive abſque vlla diſſimilitudine exprimat parentem ſuum. Præter differentiam enim proprietatum individualiũ, quarum congeries inveniri non poteſt ſimul, æquè in parente & prole creata, differunt aliũde quòd parens eſt duplex, in maſculum ac fœminam perfectè & adæquatè diſtinctus; proles autem determinata ad alterutrum ſexuum. Immo ſi contingat fœtum eſſe hermaphroditum, adhuc in eo non eſt duplex individuum, quẽadmodum in vtroque parente, ſed vnicum. Itaque vel ex ijs capitibus aliquam intercederẽ diſſimilitudinem inter prolem & parentem infra Deum, neceſſe eſt. Verùm ſinamus gratis, aut fingamus hypotheſim in qua vnum aliquod individuum vivens ſolum proferat aliud ſibi ſimile ſecundum ſexum, & ideò in omnibus, tum partibus, tum lineamentis ſimile, vt nec ovum, quod aiunt, ſit magis ſimile alteri ovo. Certè tunc nõ erit adhuc perfecta omnino

vtriuſque ſimilitudo: quoniam ſaltem natura vtriuſque erit adhuc diſtincta, & proles quidem verè producta ſeu facta à parente: in hoc verò non producta ſeu facta à ſua prole: cùm repugnet planè eiuſmodi efficientia mutua in eodem genere cauſæ. Patet igitur, rationem parentis, & prolis infra Deum nuſquam ita inveniri, vt parens ſolus omnino ſufficiat ad prolem edendam, vel proles ipſa exprimat ſimilitudinem parentis ſui perfectè prorſus, & ſine diſſimilitudine vlla. At verò in divinis omnia alia videre licet. Imprimis enim ſummus ſpiritus, ſive Pater, ita concipit & parit prolem, ſive Verbum, vt nullius alterius conſortio egeat ad illum generandum, nequidem Spiritus ſancti concurſu: quoniam, vt habemus ex Symbolo Athanaſij, *Filius à Patre ſolo eſt.* Deinde nulla externa ope, nullo ſubſidio, nulla cauſarum activitate adiuvatur ad generandum. Præterea eædem numero proprietates naturæ divinæ individuæ & ſingularis vtrique conveniunt, id eſt, eadem omnino attributa. Nam licèt differant conditionibus peculiaribus hypoſtaſeon, ſeu relationũ, hæ non ſpectant ad rationem naturæ, nec ſunt illius proprietates, vt dictum fuit Diſput LXXV. à num 81. ſed pertinent ad conditionem propriam perſonę. Denique, quod caput eſt omnium, eadem numero natura, ſubſtantia, ſive eſſentia eſt in prole ac in parente increato: vt proinde ſola proles divina perfectiſsimè, & abſque vlla prorſus diſſimilitudine, ſuum parentem exprimat. Ergo de primo ad vltimum in Deo, prout diſtincto ab omnibus creaturis, parens ſolus ſufficit ad perfectam generationem, ſeu nativitatem: & proles perfectam parentis, abſque diſſimilitudine vlla, ſimilitudinem exprimit. Vnde & veriſsima atque optima eſt collectio illa Anſelmi in fine capitis XL. *Quapropter illius eſt propriũ, veriſsimum eſſe parentem; iſtius verò, veriſsimam eſſe prolem.*

19 PORRO Anſelmus ſic ratiocinabatur, & rationem parentis ac prolis, ſeu Patris & Filij in divinis præferebat longè rebus creatis, in quibus etiam eſt ratio parentis proliſque. Verùm id hauſiſſe videtur ex Dionyſio cap. 2. de Divin. nominibus ferè inter medium & finem, vbi eandem doctrinam tradit his verbis: *Pater & filius* (nimirum, in creatis) *a diuina omni Patris Filijque ratione ac natura ſingulari modo ſecreti ſunt. Neque enim perfecta eſt inter effecta & cauſas ſimilitudo; ſed effecta quidem cauſarum, quas poſſunt, præferunt imagines: cauſæ autem ſecretæ ſunt ab effectis, ſuntque principijſui ratione ſuperiores.* Itaque longè plenior & ſublimior eſt inter Patrem & Filium divinum ſimilitudo, quàm in rebus creatis; quoniam in illis eſt ſimilitudo & æqualitas penes ſingularem naturam, in qua ſunt prorſus vnum idemque: in iſtis verò eſt diſcretio naturarum, & inæqualitas ſeu conditio inferior filij ad patrẽ. Ratio autem Dionyſij, ſicuti & Anſelmi, pariter probat exceſſum Verbi divini in filiatione ſuprà illam, quæ creaturis rationalibus contingit ex dono gratiæ, quantò filietas naturalis excedit adoptivam. Vnde Alex. Alexandrinus in Epiſt. ad Alex. CP. in medio aiebat: *Filietas eius* (Verbi) *naturalis exiſtens, paternæ diuinitatis ineffabili ſublimitate differt ab eis, qui adoptati ſunt filij.*

20 *AT HOC CONSTARE NON POTERIT, &c.* Subdit ſtatim Anſelmus in hoc capite XLI. ſeu potiùs in hac particula alterius capitis, conſectarium eſſe ex dictis, vt ſummus ſpiritus veriſsimè gignatur. Ratio eſt: quia veriſsima generatio nihil aliud eſt, quàm origo prolis à parente cum perfecta ſimilitudine ad illum. Atqui probatum eſt ſatis, Verbum divinum oriri tanquam veram prolem à ſummo ſpititu parente, cum perfecta ſimilitudine ad illum: immo probatum eſt, oriri ab ipſo cum ſimilitudine longè maiore ac perfectiore, quàm ſit, in qualibet aliâ prole relatè ad ſuum parentem. Ergo probatum pariter eſt, ſummum ſpiritum, id eſt, Patrem æternum, eſſe veriſsimum genitorem, Verbum quoque veriſsimè genitum ab ipſo. Quippe longè ſublimiùs & excellentiùs eſt in Deo ratio parentis & prolis, ſeu Patris & Filij, ac longè veriùs: vt patet ex dictis. Quapropter Baſilius Tomo II. tract. de vera & pia fide in medio aiebat: *Vocabulum Patris, ſi cum integra eius ſignificatione, ſicut apud nos eſt in vſu, accipiamus in Deo, impiè facimus.* Neque tamen ideo impeditur aut imminuitur veritas generationis divinæ, ſed potiùs extollitur ſupra creatam, & explanatur qua ratione Deo digna eſt, vt idem S. Doctor monet lib. 5. contra Eunomium paulo poſt mediũ, *GENERAT DEVS, NON VT HOMO: GENERAT AVTEM VERE, ET EDIT VERBVM VERE.* Et Nicæna Synodus lib. 2. paulo poſt medium, §. *Sæpe numero*, inquit, *FILIVS NON SOLO NOMINE, VERVS AC PERFECTVS.* Quæ omnia mirè conſonant doctrinæ Anſelmi impræſenti, & vberiùs illuſtrabuntur ex ſequentibus.

(?)

SECTIO III.

An iure meritoque Anſelmus in his capitibus Verbum Dei appellet PROLEM ſummi ſpiritus, ſeu parentis. Vbi de alijs nominibus æquiualentibus, aut affinibus qualiter poſsint aut non poſſint tribui eidem Verbo.

21 CVM Anſelmus in præiactis capitibus 39. & 40. non ſemel Verbum divinum appellet PROLEM ſummi ſpiritus, ſeu parentis, idque dicat veriſimè debere accipi, ac longè veriùs, quàm in rebus creatis inveniatur ratio parentis & prolis; oportet examinare, an eiuſmodi appellatio cõtineat vel præſeferat aliquid abſurdi. Curandũ eſt enim nobis maximè ne Deo, ſive cuilibet ex divinis perſonis tribuamus nomina, aut verba pro libito, ſed iuxta ſacras litteras, ac ſtylum Eccleſiæ, & SS. Patrum. Quam regulam & cautionem tradunt Dionyſius cap. 1. de Divinis nomin. Damaſcenus lib. 1. Fidei cap. 2. alijque cum Baſilio lib. 2. contra Eunomium non longè ab initio, quem idem S. Doctor graviter obiurgat quòd inſolita τῆς γεννήματος, id eſt, *genituræ* voce auſus fuiſſet Filium Dei appellare: *Quia à communi conſuetudine, & à Scripturarum vſu, genituræ vox aliena eſt.* Subditque præterea: *Horrendum eſt autem velle noſtris eum nominibus appellare, cui largitus eſt Deus nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Hoc quippe diſcrimen debet eſſe Theologorum à Philoſophis Ethnicis, præſcriptum ab Auguſtino lib. 10. de Civit. c. 23. vbi ait: *Liberis verbis vtuntur Philoſophi, & in rebus ad intelligendum difficillimis religioſarum aurium non timent offenſionem. Nobis autem ad certam regulam loqui fas eſt, ne verborum licentia de rebus, quæ ijs ſignificantur, impiam gignat opinionem.* Hactenus ille. Videndum itaque, ne fortè vocabulum PROLIS, quo Anſelmus indigitat Verbum, ſeu Filium Dei, ſit inſolens, aut abhorrens ab ſtylo Eccleſiæ, vel SS. Patrum.

22 SED Enim, vel in hoc loquendi modo, Anſelmus inſiſtit communem aut tritã SS. Patrum viam, prout teſtatur ipſe eſt in Præfatione huius Opuſculi, ſeu Tractationis de Deo, dicens: *Quem ego ſæpe tractans, nihil potui invenire me in eo dixiſſe, quod nõ Catholicorũ Patrũ, & maximè B. Auguſtini ſcriptis cohæreat.* Vt autem id luculenter & in ſingulari appareat, oportet proferre in medium teſtimonia aliorum Patrum, qui Verbum æternũ à Patre naſcens, PROLIS vocabulo ſignificarunt. Ac primo quidem Concilium Nicænum in reſponſione tertia, quam dedit per Leontium & Eupſychium Epiſcopos lib. 2. eiuſdẽ Concilij prope medium, Filium Dei *prolem* appellat pag. 386. editionis Binij, S. *Nonita*: vbi Patres aiunt: *Non ita, Philoſophe, non poteris demonſtrare, quæ dixiſti. PROLES enim Dei eſt, non opus, vt pluribus oſtendimus.* Eodem quoque PROLIS vocabulo Filium Dei appellat Athanaſius Orat. 2. contra Arianos, & 3. & 4. alijſque locis frequenter, ac Cyrillus Hieroſol. Catecheſi 7. col. 2. ſicuti & alter Cyrillus, id eſt, Alexandrinus lib. 2. & 3. Dialogorum de Trinit. ſæpe illum *prolem & fructum*, nominat, Græcè γενεὰν καὶ καρπὸν. Sic etiam Theodoretus in Epitome divinorum decretorũ de Filio Dei ſub initium, illum appellat *prolem*: quemadmodum ex Latinis Patribus Fulgentius ab obiectionem ſeptimam Arianorũ.

23 HVC Spectant alia nomina, quorum ſignificatio eadem aut omnino, aut ferè eſt, ac prolis, Verbo divino tributa à Patribus; qualia profectò ſunt nomina *ſobolis, germinis, progeniei, propaginis, & fructus.* Ac primo quidem Verbum Patris *ſobolem* appellant Dionyſius Alexandrinus apud Athanaſium Epiſt. de ſententia ipſius Dionyſ. & ipſe Athanaſius Orat. 1. 2. & 4. vbi Verbum dicit *ſobolem propriam ſubſtantiæ Patris*, Nazienzenus Orat. 35. quæ eſt 3. de Theologia col. 2. num. 10. Chryſoſtomus Orat 9. Sic quippe Latini Interpretes vertunt, quod eſt Græcè in ijs SS. Doctoribus γενεὰ, vel γέννα. Similiter *germen Patris* dicitur apud Athanaſium Orat. 2. pag. 12. 13. & 21. & Orat. 3. & 4. ſicuti & à Nazianzeno vbi paulo antè. Vix autem, niſi litteris quibuſdam diſtat à germine *genimen*, quo vocabulo Verbum ipſum Dei indigitat Cyrillus lib. 1. Theſauri cap. 5. 6. & 7. ſicuti & Epiphanius Hæreſi 73. verſus finem apellat ipſum *genimen non alienum à Patre.* Iam verò *progeniei* vocabulum de Verbo dicitur apud Baſilium Homil. 28. ante medium, & poſt medium, & Athanaſium Orat. 3. propiùs ad medium, quàm ad finem. Quibus conſonant Hilarius lib. 2. 3. 6. & 7. de Trinit. Ambroſius lib. 1. de Fide ad Gratianum cap. 5. fine, Athanagoras apud Biblioth. Aniſſonianam Veterum PP. Tomo II. in legatione pro Chriſtianis propiùs ad mediũ, quàm ad finem, qui Verbum appellant, *primigeniam Patris progeniem*, & Gregorius Bæticus lib. de Trinitat. propiùs ad finem, quàm ad medium, vbi illud nominat *progeniem ſempiternam.* Dicitur etiam *propago* apud Hilarium lib. de Synodis propiùs ad finem, quàm ad medium. *Fructus* quoque *radicis*, & *ſoboles luminis* dicitur à Chryſoſtomo Oration. 9. propiùs ad medium, quàm ad princip.

Dei

Dei fructus à Baſilio lib. 5. contra Eunomium cap. 13. *fructus Dei Patris* à Cyrillo lib. 5. Thesauri cap. 1. & lib. 12. cap. 15. Mitto alia nomina eodèm ſpectantia, vt *fœtum & partum* apud Athanaſium Orat. 2. contra Arian. pag. 11. 20. & 21. *Surculum & florem Diuinitatis*, apud Dionyſium Areopagitam cap. 2. de Divin. nomin. vbi inquit: *Filius & Spiritus ſanctus, fœcundæ diuinitatis (ſi ſic loqui oportet) ſurculi, à Deo producti, & tanquam flores*: ac denique *generationē* apud nuper allegatum Athanaſium Orat. 3. pag. 8. Itaque Patres Eccleſiæ ijs vocabulis vtuntur ad exprimendum Verbum divinum, quæ, vix differunt à nomine *prolis*, impræſenti ſæpe vſurpato ab Anſelmo.

24 VERVM Vt abſque periculo vllo erroris, aut offendiculo loquamur in hac re, quædam obſervare oportet. PRIMVM eſt, Græcè non debere dici γέννημα de Filio Dei, vti fecit Eunomius reprehenſus à Baſilio lib. 2. contra illum pag. 2. & 3. vbi Latinus interpres *genituram* tranſtulit. Nam licèt eius ſignificatio eadem ſit, ac in his nominibus Latinis *geminen*, *germen*, *progenies*, *fructus*, *ac fœtus*, quibus vſos fuiſſe SS. Patres vidimus nuperiùs attamē ij ipſi ad exprimendum Dei Verbū non vtuntur Græcè nomine τὸ γεννήματος, ſicut nec *genituræ* Latinè: nec Scriptura ipſa id vnquam feciſſe invenitur, vt ſuprà num. 21. monuimus. Quin & Ariani Filium Dei *gennema* appellantes, eo nomine opus, ſeu facturam, intelligebant. Quare cùm Arius & ipſius gregales in libro, quem obtulerunt Alexandro Epiſcopo Alexandriæ, dixiſſent, Filium Dei eſſe γέννημα, ἀλλ' οὐχ ὡς ἓν τῶν γεννημάτων, Hilarius Latinè reddidit, *facturam*, *ſed non ſicut vnam ex reliquis facturis*. Nimirum, ita debuit ea verba interpretari S. Doctor ad mentem eorundem hæreticorum, qui Verbum divinum aſſerebant, non tam genitum ex ſubſtantia, Dei Patris, quàm factum, ſive creatum. Eſt præterea ratio alia cavendi ab eo nomine, propter ſummam differentiam vocum duarum penes vnicam litteram, quæ facilè poteſt lectores abducere in hæreticum ſenſum. Nam γεννητὸν duplici ν ſcriptum ſignificat *natum*: è contra verò γενετὸν vnico ν prolatum, ſignificat *factum*. quod ſecundum de Filio Dei dicere, nefas eſt, & teſſera Arianæ perfidiæ. Quare Ariani Verbum appellare ſoliti ſunt γέννημα, ſicuti & ποίημα. id eſt, opus creatum, ſive factum: vt obſervat eorum maſtyx Athanaſius Orat. 3. contra Arianos propiùs ad med. quàm ad princip. Ac præterea idem Dialogo 1. de ſancta Trinitate non longè poſt medium, objicit ſibi argumentum Anomœorum interrogantium, cur ipſe D. N. IESVM Chriſtum non diceret *Agenneton*, cùm tamen appellaret *Ageneton*, per vnicum *n*. Reſpondet verò S. Doctor: *Quoniā GENNETON illud eſt, quod ex hypoſtaſi gignitur, ideoque ex vtero vel vtero dicitur*: GENETON verò illud eſt, *eſt, quod eſt à poteſtate opificis. Quæcumque enim voluit, fecit.* Quaſi diceret, Verbum divinum verè eſſe AGENETON per vnicum N. ideſt, infectum, increatum: non tamen AGENNETON per duplex NN. id eſt, non-genitum, ſive non natum. Quam ob cauſam Damaſcenus lib. 1. Fidei cap. 9. prope medium dixit: χρὴ γὰρ εἰδέναι, &c. id eſt: *Noſſe enim oportet, vocem AGENETON, cùm vnico N. ſcribitur, increatum, ſeu quod minimè factum eſt, ſignificare*: AGENNETON *autem vocabulum duplici NN. ſcriptum reperitur, id quod genitum non eſt, indicare.* Subdit verò poſt pauca, vocabulum id priori modo ſcriptum, convenire cuilibet perſonæ divinæ, cùm quælibet earum ſit increata, ſeu non facta: poſteriori autem modo acceptum, non convenire perſonæ Filij, quia verè à Patre genitus eſt. Quare cùm ea vox ſit homonyma, ſeu æquivoca, quemadmodum & vox GENEMA, aut GENNEMA apud eoſdem Græcos, ſicuti & GENITVRA, apud Latinos, non debet facilè vſurpari de Filio, ſeu Verbo Dei. Vide plura alia huc ſpectantia apud Ruiz diſput. 4. & Petavium lib. 5. cap. 1.

25 SECVNDVM Eſt, tam nomen *prolis*, quo Anſelmus hoc loco appellat Verbum Dei, quàm alia nomina paulo antè ex Patribus obſervata, qualia ſunt, *ſoboles*, *germen*, *progenies*, *propago*, *fructus*, *&c.* non debere à nobis ieiunè ac ſeorſim vſurpari de Filio Dei ſine expreſſa declaratione proprijſſimæ & perfectiſſimæ generationis, prout diſtinctæ à creatione & omni vera efficientia. Ratio eſt: quoniam nomina eiuſmodi ſeorſim & nudè accepta ſunt homonyma, ſeu æquivoca, aut indifferentia ad id quod habet eſſe per generationem aut creationem, vel aliud efficientiæ genus: ideoque accipi poſſent ſenſu Catholico, aut Ariano. Quare ne ſuſpicio aliqua ingeneretur, oportet, vbi ea dicuntur de Filio Dei, addere rationem perfectæ generationis, quatenus diſtinctæ à creatione: vt proinde Verbum divinum aſſeratur genitum, ac Filius Patri conſubſtantialis: non autem factum, vel alterius ſubſtantiæ à Patre. Quod ita obſervarunt SS. Doctores Græci ac Latini, qui ijs vocabulis vſi ſunt, & Anſelmus impræſenti cap. 39. & 40. Ita enim Verbum

Dei appellat PROLEM ſummi ſpiritus, ſeu Parentis, vt addat, *non ſic eſſe ex eo, quemadmodum ea, quæ ab illo facta ſunt: ſed quemadmodum Creatorem de Creatore, ſummum de ſummo, &c.* Et denique totus vtriuſque capitis contextus in id potiſſimum intendit, vt Verbum Dei veriſsimè genitum aſſeratur, & longè ſublimiori ratione, quàm quælibet alia proles dicatur naſci à ſuo parente aut principio in rebus creatis. Quod & vberiùs confirmat cap. ſequenti.

CAPVT XLII. Aliás XLI.

QVOD ALTERIVS VERISSIME SIT ESSE GENITOREM & Patrem, alterius Genitum & Filium.

26 VERVM Iam quidem & fortè poſſem, illum eſſe veriſsimè Patrem, hoc verò veriſsimè Filium, concludere.

27 SED Nec hoc negligendum exiſtimo, an Patris & Filij, an matris & filiæ magis illis apta ſit appellatio, cùm in eis nulla ſit ſexus diſcretio.

28 NAM Si idcirco convenienter eſt ille Pater, & proles eius Filius, quia vterque eſt ſpiritus: cur non pari ratione alteri convenit eſſe matrem, alteri filiam, quia vterque eſt veritas & ſapientia?

29 AN Quia in his naturis, quæ ſexus habent differentiam, melioris ſexus eſt patrem eſſe vel filium; minoris verò matrem vel filiã? Et hoc quidem naturaliter in pluribus; in quibuſdam verò è contrario: vt in quibuſdam avium generibus, in quibus fœmineus ſexus ſemper maior & validior eſt; maſculinus verò minor & infirmior.

30 AVT Certè idcirco magis convenit ſummo ſpiritui dici Patrem, quàm matrem, quia prima & principalis cauſa prolis ſemper eſt in patre. Nam ſi maternam cauſam quolibet modo ſemper paterna præcedit; nimis eſt incongruum, vt illi parenti adaptetur nomen matris, cui ad gignendam prolem nulla alia cauſa aut ſociatur, aut præcedit. Veriſsimum igitur eſt, ſummum ſpiritum Patrem eſſe prolis ſuæ.

31 QVO Si filius ſemper ſimilior eſt patri, quàm filia; nihil eſt autem ſimilius alteri, quàm ſummo Patri proles ſua: veriſsimum eſt, hanc prolem non eſſe filiam, ſed Filium.

32 SICVT Igitur proprium eſt illius veriſsimè gignere, iſtius verò gigni: ſic proprium eſt illius veriſsimum eſſe genitorem, iſtius verò veriſsimè eſſe genitum. Et ſicut alter eſt veriſsimus parens, alter veriſsima proles: ſic alter eſt veriſsimus Pater, alter veriſsimus Filius.

SCHO-

SCHOLIA IN CAPVT XLII.

SECTIO SECVNDA.

Veritas Genitoris & Geniti, Patris ac Filij, ab Anſelmo tradita, aſſeritur ex Scriptura, non ſolùm contra Arianos & Sabellianos, ſed etiam aduerſus Iudæos. Illuſtria Rabbinorum teſtimonia in id confirmandum. Nonnihil de Iudæorum perfidia.

33 IN Hoc capite plura tangit S. Doctor ad Theologiam ſimul & Philoſophiã Naturalem ſpectantia, quibus explanandis aliquantò immorari oportet. Summa verò capitis eſt, ſummum ſpiritum, ſeu parentem, eſſe verè Patrem, non matrem: Verbum autem eius, verè Filium, non filiam. Rationẽ verò eiuſmodi appellationum non in eo ſitam eſſe, quòd in divinis ſit aliqua ſexuum differentia, vel quòd validior ſit plerumque ſexus maſculinus: ſed potiùs in eo, quòd nomen Patris, & non matris, conuenit parentĩ illi, qui ad gignendum non eget alterius cauſæ aut principij conſortio: ſicuti & nomen Filij veriùs, quàm filiæ, convenit Verbo, quoniam ſimilius eſt Patri, & vniverſim filius ſimilior patri ſuo evadit, quàm filia.

34 *VELLEM IAM QVIDEM, &c.* Statuto iam & probato in ſuperioribus ſummum ſpiritum eſſe veriſsimè genitorem, Verbum autem veriſsimè genitum, pergit Anſelmus ad aſſerendum & probandum, alterum ex ijs eſſe veriſsimè Patrem, alterum veriſsimè Filium. Quæ aſſertio Catholica eſt, & expreſſa in Scriptura innumeris locis. Sufficiat pauca quædam indicare, Pſalmo 2. v. 7. *Filius meus es tu: ego hodie genui te.* Lucæ 1. *Filius Altiſsimi vocabitur.* Mathæi 16. *Tu es Chriſtus Filius Dei viui.* 1. Ioannis 5. *Simus in vero Filio eius.* Romano 8. *Proprio Filio ſuo non pepercit.* Verus autem & proprius Filius non ſine vero & proprio Patre eſt. Vnde & in Concilio Nicæno, tam Pater, quàm Filius, exprimitur in ipſo Fidei Symbolo: ac præterea lib. 2. Actorum illius paulo poſt medium, §. *Quomodo*, dicitur. *Natura Filius Dei.* Et §. *Sæpe numero*, legitur: *Ex ſubſtantia Patris genitus Vnigenitus Dei Filius.* Idipſum legitur ſæpe ibidem & in tribus alijs primis Concilijs Generalibus, ac præterea in Symbolo Athanaſij. Cùm enim ibidem aſſerantur in Trinitate tres perſonæ, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, ac præterea generatio Filij ex ſubſtantia Patris, & proceſsio Spiritus ſancti ab vtroque; totũ id in vero & proprio ſenſu accipi debet, prout acceptum fuit ſemper ab Eccleſia: vt propterea nulli Catholico liceat in dubium vocare, ex illis duobus primo loco nominatis, alterum eſſe veriſsimè Patrem, alterum veriſsimè Filium.

35 HÆC Aſſertio Catholica Anſelmi directè contradicit Arianis effutientibus ſterilem eſſe Deum ad intra, nec in eo propriè eſſe generationem, ac per conſequens nec veram & propriam rationem Patris ac Filij. Ita enim de ijs teſtantur Eccleſiæ Patres, qui cum ijs olim differebant. Athanaſius ſermone 3. de geſtis Concilij Nicæni, inquit de ijs hæreticis: *Dicunt ſterilem eſſe, & infructuoſam naturam paternam, quæ omnibus rebus inſitam, & propagatiuam dedit ſimilium naturam*, Cyrillus Alexandrinus Dialog. de Trinit. lib. 1. column. penult. de eiſdem Arianis ait: *Ipſam Dei Patris naturam in hoc ſimul dehoneſtant, quandoquidem dicunt non eſſe fructiferam, & ſpoliant eum gignendi poteſtate: cuius tamen figuras parturiens & fructificans creaturarum natura in ſe declarat.* Quod idem argumentum vrget ampliùs lib. 2. Theſauri cap. 1. nam quòd in divinis non ſit verè Pater aut Genitor, duplici tantùm ex capite cogitari poteſt: vel defectu potentiæ, vel voluntatis. Vtrumque autem eorum, alienum à Deo eſt. *Si non potuiſſe dixerint, impudenter impotentiam Patri attribuent: ſi noluiſſe, turpiſsimam illi pigritiam imponent.* Similiter Baſilius lib. 4. contra Eunomium non procul à principio: *Si Deus non generat, quia non poteſt; minor eſt, quàm generans & perfecta* (fortè, imperfecta) *natura: cùm ad hoc etiam imbecillitas inſit. Quòd ſi poteſt, & noluit; quod natura habet, voluntate retinuit.* Eodèm ſpectans Cyrillus alter Hieroſolymitanus, Catecheſi 7. ſub initium dixit. *Nam qui omnibus vim gignendi impartitur, eum hac facultate priuare, impium ſanè fuerit.* Itaque, præter teſtimonia Scripturæ & Conciliorũ, exinde probatur in divinis eſſe propriè Genitorẽ & Patrẽ, & per cõſequens Genitũ & Filiũ (quod hoc loco directè docet Anſelm.) quoniam ſi ita nõ eſſet, vel oriretur ex defectu poteſtatis ad generandũ, vel ex defectu voluntatis. Vtrumvis verò ex ijs dicatur, impium eſt. Primum quidem, nam qui naturis & agentibus creatis dedit poteſtatem generandi ſibi ſimile; quomodo putandus eſt eâdẽ perfectione carere intra naturã propriã? Secundũ autẽ: quia poſſe naturaliter generare Filium intra propriã naturã, & tamen nolle, alienum eſt à ſummo bono quod eſt ſummè communicativũ ſui, nullamq; libertatem habet ad carendum ijs, quibus propria ipſius bonitas completur & maximè perficitur. Et quidẽ hoc argumentũ Patrũ eſt optimum: ſuppoſitis tamen Scripturæ teſtimonijs

manifeſtis, in quibus traditur generatio divina & propria ratio Patris ac Filij in divinis: aut ſaltem ſuppoſito, generationem ex ſuo conceptu formali eſſe originem ab omni ſim perfectione alienam. quod ſola fide innoteſcit. Vide D. Thom quæſt. 9. de Potentia artic. 9. ad 9. Alioqui probaretur ratione naturali demonſtrativa myſterium Trinitatis, & veritas generationis divinæ. quod eſt planè impoſsibile: vt latè oſtenſum fuit Diſp. LI. per totam, præſertim ſect. 2.

35 EX Eiſdem Scripturæ teſtimonijs reijcitur alius error conſectarius eorundem Arianorum, qui, cùm non poſſent negare in divinis Patrem & Filium, propter aperta loca, in quibus id teſtatum habetur, ea interpretati ſunt de paternitate & filiatione adoptiva. Ita enim de ijs refert Hilarius lib. 4. de Trinitate column. 2. hiſce verbis: *Aiunt hæretici, Filium non ex Patre natum, neque Deum ex natura, ſed ex conſtitutione eſſe: adoptionem, ſcilicet, eius eſſe in nomine, quia ſicut plures Deo filij, ita & hic filius ſit.* Eandem illorum perfidiam & impudentiam memorat lib. 6. eiuſdem Operis column. 2. & 3. ſicuti & Epiphanius Hæreſi LXIX. pagin. 2. ex verbis Arij in Epiſtola ad Alexandrum, atque ex Eunomio Baſilius lib. 2. contra ipſum & medium, Nazianzenus quoque Oration. 35. quæ eſt tertia de Theologia column. 3. Reijcitur, inquam, nam teſtimonia Scripturæ allegata num. 34 planè loquuntur de Chriſto, tanquam vero & proprio Filio atque Vnigenito. quæ omnia ſolùm cadere poſſunt in eum, qui ſingulariter, & præ omnibus alijs, non gratiâ, ſed naturâ, non adoptione, ſed naturali generatione, Filius Dei vivi dicitur & eſt: ſive, vt loquitur impræſenti Anſelmus, veriſsimè genitus & Filius, veriſsimi Genitoris & Patris. Idque luculentis verbis exponunt Patres Nicæni locis ac verbis eodem num. 34. indicatis. Et certè ſi non naturâ, ſed adoptione Filius Dei eſſet, fruſtra atque immeritò dixiſſet Paulus in Epiſtola ad Hebræos cap. 1. verſ. 4. *Sedet ad dexteram maieſtatis in excelſis: tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum: FILIVS MEVS ES TV, EGO HODIE GENVITE? Et rurſum: EGO ERO ILLI IN PATREM, ET IPSE ERIT MIHI IN FILIVM.* Fruſtra, inquam, atque immeritò ita loqueretur Apoſtolus ſi Filius Dei non naturâ, ſed adoptione filius æterni Patris eſt. nam & ſancti Angeli, immo & quilibet homines iuſti, ad adoptionem, ſeu filiationem adoptivam Dei evecti ſunt. Vt ergo ſingularis illa excellentia locum habeat in ſolo Filio Dei ſupra omnes Angelos, nec ſolùm ſupra homines iuſtos, aſſeri debet Filius Dei, non adoptione aut gratia, ſed generatione & naturâ. Mitto innumera alia Scripturæ teſtimonia æquè illuſtria in id probandum contra Arium eiuſque ſectatores, tum veteres, tum recentes, quæ ſuprà indicavimus Diſput. LIV. & ſequentibus, immo & contra Iudæos ſuprà Diſput. LVIII. impugnatos ex Veteri Teſtamento, præter plura alia eius loca à PP. obſervata, præſertim Proverb. 8. *Nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram.* Ac paucis interiectis: *Ante omnes colles ego parturiebar.* Quæ verba de generatione Verbi, ſive Sapientiæ increatæ, non adſcititia, vel adoptiva, ſed naturali, intelliguntur ad litteram, & exponuntur à Patribus, quos plena manu allegant ibidem Cornelius à Lapide, Salazar, & Ruiz diſput. 4. ſect. 2.

36 SED Nec prętereundum eſt, eandem generationem, ſive originem Verbi, nō adoptivam, ſed naturalem ab æterno Patre, ita in eo Proverbiorum loco, & in alijs Veteris Teſtamenti traditam fuiſſe, vt multi ex Rabbinis, ſeu ijs, qui inter Hebræos ſapientes audiebant, illam planè intellexerint, ac ſcripto evulgaverint. Et omiſsis ijs, quos ſuprà Diſput. LVIII. allegavimus ad probandum, Trinitatis myſterium fuiſſe in Veteri Teſtamento traditum, & creditum à ſapientioribus Iudæorum; placet nunc quædam illorum teſtimonia indicare, quibus Patrem & Filium, ac ſubinde huius veram generationem agnoſcunt, & denique Spiritum ſanctum, veluti vnum atque eundem cum ijs Deum. Priùs verò proferendum eſt Oraculum Apollinis Pythij, in quo videtur, dæmonum divina virtute compulſum edidiſſe plura fidei myſteria, atque in ijs generationem Dei Filij ex Deo Patre, eodem ſecundùm divinitatem. Nimirum id exprimunt verſus illi eiuſdem Oraculi.

Μοῦνοι χαλδαῖοι σοφίαν λάχον, ἠδ' ἀρ' ἑβραῖοι
Αὐτογένεθλον ἄνακτα σεβαζόμενοι θεὸν ἀγνῶς.

Soli Chaldæi ſapientiam acceperunt, vti & Hebræi,
Ex ſeipſo natum regem venerantes Deum purè.

37 VENIAMVS Itaque ad proferenda teſtimonia Rabbinorum de generatione Verbi, ſeu Filij, ex æterno Patre, quib⁹ etiã ſæpe Spi-

Spiritum sanctum adiungunt, veluti ab ijs procedentem. Exhibebo autem verba ipsorum Latinè reddita: quæ Hebraicè, qualiter primùm scripta sunt, videri possunt apud Eliam Schedium de Dijs Germanis cap 12. sive etiam apud Galatinum, ac Martinum Raymundi nuper Parisijs editum cura & industria clarissimi & eruditissimi D. Ioseph Voisij. Atque imprimis R. Azariel in Tractatu de Sanctitate ait. *Spiritus producit Verbum & vocem, non labiorum hiatu, aut linguæ sermone, aut hominis sufflamine. Sed hi tres vnus Spiritus sunt, nimirum Deus vnus. hoc autem iuxta illud, quod in libro de hominis creatione legitur: Vnus Spiritus bene viuens, benedictũ nomen eius, qui vnus in sæcula sæculorum, Spiritus, Verbum, Vox; id est, vnus sanctus Spiritus, & ab vno Spiritu, Spiritus duo.* Vbi planè exprimitur generatio Verbi seu Filij à Patre, quem Spiritum nominat, & origo tam eiusdem Verbi, quàm Spiritus sancti ab ipso, tanquam eodem Deo cum ipsis. Nec mirum si non ita exactè rem exponat nominibus proprijs, qualiter apud Catholicos fit. Hoc enim servatum erat populo Christiano, & legi gratiæ, vt monuimus allegata Disp. LVIII. à n. 7. Deinde R. Simeon Ben-Iohai in Zoar profert locum R. Ibba in Deuteronomium ad illa verba capitis 6. v. 4. *Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus vnus est*, Supra quæ ita loquitur: *Per primũ* יהוה (Iehovah) *quod Dei incommunicabile nomen est, intelligit Patrem omnium principium. Per* אלהינו (Elohenu) *Deum nostrum Filium omnium scientiarum fontem Per* יהוה (Iehovah) *secundum* (scil. intelligit) *Spiritum sanctum ex ambobus procedentem, qui quidem Vocis mensura est. Vocat verò VNVM, quia indiuiduus est: nec revelabitur hoc arcanum vsque ad aduentũ Messiæ.* In quibus habemus planè professionem vnius Dei, qui sit Pater, & Filius ab ipso genitus, & Spiritus sanctus procedens ab vtroque. Similiter R. Simeon in cap. 6. Isaiæ ad illa verba, *SANCTVS, SANCTVS, SANCTVS, DOMINVS DEVS SABAOTH*: inquit: *Sanctus Pater, sanctus Filius, & sanctus Spiritus sanctus.*

38 PRÆTEREA R. Iudas Nagid, quem Iudæi Prophetam dicunt, dum rogaretur, quodnam esset nomen duodecim litterarũ mysticum apud Hebræos, respondit *Ab, Ben Ruach Haccadosc.* id est, *PATER, FILIVS, ET SPIRITVS SANCTVS.* Idem R. Iudas quoque, interrogatus, quodnam esset nomen XLII litterarum, respondit: *Ab Elohim, Ben Elohim, Ruach Elohim Haccadosc, Selosa Eechad, Veechad bilsosah.* id est, *Pater est Deus, Filius Deus, Spiritus sanctus est Deus; tres in vno, & vnus in tribus.* Est prætetea aliud nomen XLII. litterarum apud Petrũ Galatinum lib. de arcanis Catholicæ Relig. *Ab El, Ben El, Ve Ruach haccadosc, El, alu lo selosa Elohim ci im Eloha echad.* id est, *Pater Deus, Filius Deus, Spiritus S. Deus: at non tres dij, sed Deus vnus.* Quod ipsum varia combinatione & computatione litterarum exponunt Cabalistæ, & ex ijs referunt R. Bechai in principio Geneseos fol. 5. col. 2. atque Ælias Schedius vbi suprà pag. 228. vbi & plura alia Rabbinorum testimonia exscribit satis opportuna pro mysterio Trinitatis, & generatione Verbi, seu Filij. Additque ijs illustrem locum en Philone Iudæo dicente, *DEVS SVMMA GENERANDI FACVLTATE PRÆDITVS EST, & secundùm eum ὁ τοῦ Θεοῦ λόγος*, id est, *VERBVM DEI.* Ac præterea, nequis Verbum ipsum putaret inferius generãte, vel naturæ inæqualis, inquit: *Duo sunt primi, vnus est Logos diuinus, alter Deus ipse, qui ante hunc Logon. Hic autem Logos principium & finis beneplaciti, seu voluntatis diuinæ.* Vbi dum vtrique primatum tribuit, videtur profiteri æqualitatem amborum.

39 DENIQVE Hanc doctrinã fuisse olim receptam in Scholis Iudæorum, tanquam veram Cabalam, seu traditionem, testatur Philippus Mornæus cap. 6. de Vera Christi Religione. Addit Schedius pag. 230 initio, priscos illos Rabbinos nullatenus impugnasse tres hypostases in vna essentia, sed dumtaxat Incarnationem Verbi, seu personę secundę. Quare illi generationem seu originẽ Filij à Patre ęterno, aut credebant, aut saltem non impugnabant: quippe quę ex pluribus locis Veteris Testamẽti omnino firmiter colligitur, sicuti & ipsum Trinitatis mysterium: vt patet ex dictis tota Disp. LVIII. quamvis recentiores Hebręi, & ipsorum Rabbini, in vindictam horrendi illius sceleris parentum suorum, mente excœcati, id pertinaciter negent, ab ipso ferè Christi tempore. Nec verò in pœnam Christicidij eam solùm erroris caliginem incurrerunt, sed etiam statim ferè ab ipsius morte in profundam vitiorum execrandorum voraginem ruere permissi sunt, vt testatur oculatus testis & concivis ipsorum Iosephus lib. 20. τῆς ἀρχαιολογίας, vbi corruptissimos illorum mores describit hisce verbis: *Erat tunc temporis Iudea latronum, præstigiatorum, & planorum asylum & spelunca. Et certè quia Deus extrema Iudæorum impietate offendebatur, vrbemque ideo & templum abominabatur, Romanorum exercitum induxit, vt tanquam per ignem expurgaret. Quin si Romani vel tantillum eius excidiũ distulissent, proculdubio aut terræ hiatu absorpti*

aut nouo diluuio merſi, aut incendio conſumpti fuiſſent. Hæc enim generatio, Sodomitica ipſa longè ſceleratior & flagitioſior erat. Hactenus ille. tanquam in ijs impletum ſit illud Pſalmi 68. v. 28. *Appone iniquitatẽ ſuper iniquitatem eorum, & non intrent in iuſtitiam tuam, &c.* Quod ibidem ad litteram ijs prædicitur in vindictam occiſionis Filij Dei. Concludamus itaque & dicamus cum Anſelmo impræſenti, in divinis eſſe veriſsimũ genitorem & Patrem, veriſsimum Genitum & Filium. quod non modò Scriptura divina ſæpe prædicat, & Eccleſia Catholica profitetur palam, ſed & ſapientiores Rabbinorum fatentur, veluti antiqua Hebræorum traditione receptum, quidquid perfida illorum propago hodieque diffiteatur & neget.

SECTIO V.

Exponitur littera Anſelmi quoad rationem dubitandi ex repugnantia varietatis ſexuum in diuinis. Referuntur & refelluntur deliramenta hæreticorum quorundam, Gentilium, & Mahumetanorum.

40 SED NEC HOC NEGLIGENDVM, &c. Cùm propoſuiſſet initio S. Doctor, ſe velle probare in divinis eſſe veriſsimum Genitorem & Patrem, ac veriſsimè Genitum & Filium, objicit hanc ferè rationem dubitandi. Inter divinas perſonas nulla eſt ſexuum diſcretio. Atqui ratio patris & filij, ſicuti & matris ac filiæ, eſt iuxta diſcretionem ſexuum. Ergo in divinis nulla potior videtur eſſe ratio cur ſit verè Pater & Filius, quàm mater & filia. Minor propoſitio videtur conſtare, tum inductione facta in omnibus generabilibus: tum præterea ex doctrina Ariſtot. lib. 1. de Generat. Animal cap. 2. initio ferè, vbi ait: *Generationis enim principia, vt retulimus, illa potiſsimùm quis ſtatuerit, marem & fœminam.* Maiorem propoſitionẽ, in quâ ſola apparet eſſe poſſe diſsidium, ſupponit S. Doctor, veluti lumine naturæ notam. Diſcretio enim ſexuum ſolùm habet locum in natura corporea & materiali viventium, quæ iuxta variam materiæ diſpoſitionem temperationemque, producit marem aut fœminam. Cùm ergo natura divina, & quidquid intra Deum eſt, ſit purus & ſimplex ſpiritus, vt ſuprà cap. 15. & 16. demonſtravit idem S. Doctor; ſequitur planè nullã eſſe in Deo ſexuum diſcretionem.

41 HINC Obiter confutantur deliria quorundam hæreticorum, qui in divinis matrem quandam, & alium hermaphroditum, inter Æonas Dei, veluti Deos diſtinctos, commenti ſunt. Ita enim de veteri illo Hæreſiarcha Valentino teſtatur S. Irenæus lib. 1. adverſus hæreſes cap. 5. ſub initium, & in fine, quanquam obſcuriſs ma ſint eius verba, ſicuti & initio capitis 6 quibus tamen lucem afferre conatus eſt Fevardentius ante caput 1. Alphõſus de Caſtro lib. contra Hæreſes verbo *Deus* hæreſi 1. eo ſenſu Valentini inſaniam refert, vt ille dixerit, veritatem & intellectum eſſe Filiũ natum olim ex coniugio profundi, tanquam patris; & silentij, tanquam matris, à quo ortum duxerint plures Æones, id eſt, plura ſæcula, vel ætates, aut multiplex ævum. Vide plura alia circa eam inſaniam ſupra Diſp LXI. n. 30. Idipſum ferè videtur finxiſſe aut probaſſe Marcion apud Epiphanium Hæreſi XLII. non longè à principio, vbi illius ſuperbi, & ſupra modum inſani nebulonis genium ac deliramenta immania refert & refellit latè. Vtriuſque eius Hereſiarchæ & prædicti erroris meminit Nazianzenus Orat. 73 quæ eſt quinta & poſtrema de Theologia, col. 4. num. 19. dum dixit: *Quòd ſi iuxta veteres fabulas hoc quoque modo luſeris, vt dicas Deum voluntate ſua congreſſum, Filium genuiſſe; Marcionis, videlicet, & Valentini, qui nouos Æonas commentus eſt, hermaphroditum quendam Deum induxeris.* Mirum autem eſt, Marcionis *excogitatam mendacitatem, & deliram doctrinam* (ſic eam appellat inibi Epiphanius) in plurima eiuſdem hydræ capita diviſam, adeò fuiſſe graſſatam, vt per aliquot ſæcula celebris extiterit in pluribus & vaſtis regionibus. Sic enim teſtatur initio idem S. Doctor dum ait: *Marcion, à quo Marcioniſtæ, ex prædicto Cerdone occaſionem accepit, & ipſe magnus ſerpens in mundum proceſſit, & magnam multitudinem per varios modos vſque in hunc diem decepit, ſe Scholamque doctrinæ ſuæ erexit. Hæreſis autem etiam nunc eſt Romæ, & in Italia, in Ægyptoque ac Palæſtina, & in Arabia ac Syria, in Cypro item, atque Thebaide. Quin & in Perſide & alijs locis reperitur. Magnopere enim improbus ille fraude ſua prævaluit.* Mirum, inquam, ideſt, tam immania paradoxa Valentini, & Marcionis, eam celebritatem nacta: quæ, vt meritò inquit Caſtro vbi ſuprà col. 2. *Sunt mera figmenta & meræ fabulæ, quæ nulla prorſus ratione fulciri poſſunt, ſed ex cerebro delirantis aut ſomniantis hominis deriuata.* Statim verò ſubdit: *Has fabulas indoctas ſequuti ſunt Secundus, a quo Secundiani; & Ptolomæus quidam, & Marcus, huius Valentini ſectatores.*

42 CONFVTANTVR, Inquam; facilè eiuſmodi fabulæ: tum quia non ſolùm Scrip-

Scriptura ſacra ſæpe in vtroque Teſtamento, ſed ratio ipſa naturalis excludit apertè plures Deos, vt cum Anſelmo oſtenſum fuit Tomo I. Diſp. XII. & XIII. tum præterea, quoniam Scriptura eadem, quoties recenſet divinas perſonas, non meminit matris aut filiæ inter eas, ſed Patris & Filij, vt patet ex teſtimonijs allegatis ſuprà Diſp. LVII. LVIII. & LIX. tum denique quia diſtinctio ſexuum, vt num. 40. dicebamus, propria viventium materialium & corporeorum eſt: Deum autem purum & prorſus immaterialem ſpiritum eſſe, demonſtratum fuit multipliciter cum Anſelmo Diſp. XXVIII. Fabula itaque eſt, & adipalis error, diſtinguere Deum in varios ſexus, vt proinde in ipſo ſit mater aut filia, quemadmodum Pater & Filius. Vide infrà n. 58 & 59. quoddam argumentum pro ijs hæreticis, obiectum & ſolutum.

43 VERVM Vbi apud Nazianzenum nuper allegatum lego Marcionis & Valentini *hermaphroditum quendam Deum*, ſubit animum memoria eiuſdem fabulę ab Ethnicis confictæ, & ad vtrumque illum Hęreſiarcham derivatæ. Nimirum, illi Venerem, tanquam hermaphroditum Deum aut Deam, colebant & appellabant. Ex ijs Athenæus lib. 5. loquens de illa, Deum maſculino nomine, ſed pronomine fœmineo effert, dum inquit: ἐν ᾧ μαϱμαϱινον ἄγαλμα τ῀ Θεᾶ. *In quo* (templo) *erat marmoreum ſimulacrum Dei.* Quippe de Venere loquebatur. Eandem maſculino nomine Ariſtophanes appellat Ἀφϱόδιτον, Homerus autem Iliados 3. Ἀφϱοδίτην fœmineo caſu, indifferenti tamen, vocat: alibi verò maſculino genere ab ipſo dicitur δαίμων. Nec modò Græci, ſed & Latini Venerem vtriuſque ſexus faciunt. Nam ex ijs Calvus Poeta accinit: *Pollentemque Deum Venerem*: & præterea apud Suidam, Macrobium, ac Servium, ſæpè *Venus barbata legitur*. Quin & Dianam ſimul marem ac fœminam appellat Orpheus in hymno ad Lunam: eamque ex mente Ethnicorum *maſculam* dicit Tertullianus in Apologetico.

44 INSVPER Quòd ijdem hæretici Deam fingerent, ex quâ filius Dei ortum duxerit, ſimiliter ex Ethnicorum fabulis erutũ eſt, iuxta quas Dea quædam Deorum mater aſſerebatur; cui, inter alia vetera monumenta, dicatam aram Lectorij in Gallia fuiſſe inventam teſtatur Auguſtinus Pierſonius, inſcriptione hac poſita:

MATRI. DEVM.
POMP. PHILVMENE.
Q. PRIMA LECTOR.
TAVROBOLIVM. FECIT.

Ipſam autem Deorum matrem Cybelem appellabant. Eiuſque monumentum aliud inventum dicitur Romæ in Æde S. Nicolai in Caſcaria, retro Cæſarinos, in ara grandi, ac fiſſa in duas partes: cuius figuram expreſsit Ianus Gruterus in Opere Inſcriptionum Antiquarũ. In dextro illius aræ latere, Cybele turrita cum tympano, à leonibus vehitur: propè pinus eſt, & infrà taurus. In ſiniſtro latere aræ eſt mitratus Attis, bis cinctus, dextra fiſtulas & crotala, ſiniſtra pedum tenens. Superiùs eſt tympanum. A tergo ipſius ſtat pinus, & ſub ea aries: ſubtus deinde taurus ſeorſum. In parte averſa ſunt tedæ tranſverſæ, lituus, patera, vrceus, & ſympinium. Inſcriptio poſita carminibus Græcis, quæ ſic Latinè reddita ſunt:

Conctorum Cybele genitrici hominumque Deumque,
Excelſoque Atti, quem nihil Orbe latet;
Qui facit, vt pura celebremus mente quotannis
Crioboli feſtos, Taurobolique dies;
Qui cognomen habet de munere Apollinis; aram
Sacrorum Antiſtes marmoream hanc poſuit.

Mitto quod paſsim apud eoſdem Ethnicos legitur de Dijs ex Deabus ortis, quaſi vterque ſexus in natura etiam divina locum habeat. Mitto inſuper quod de Genijs, ſeu Angelis, tum maribus, tum fœminis, ijdem fabulati ſunt. de quo plura obſervavimus in Theologia Florulenta. Mitto denique quod impius ille impoſtor Mahometus dixit in Alcorano Azoara 5. poſt medium: *Quomodo Deus habere potuit Filium, ſi non habuit Vxorem?* Sic enim ab eo Pſeudopropheta dictum teſtatur Petrus de la Cavalleria in aureo libro cui epigrapha, *Zelus Chriſti contra Iudæos, &c.* pag. 131. num. 866. vbi ſic illum refellit: *Iſte ignorans, & inſanus, apud beſtiales gentes credidit, quòd nos capiamus filiationem in divinis ſecundùm formam & modum filiationis humanæ: & non aduertit, quia ignorat, & neſcit quod in Pſalmo 2. Deus dixit Meſſiæ: FILIVS MEVS ES TV, EGO HODIE GENVI TE.* Hæc ille, & plura alia, quæ ex ipſo obſervat doctiſsimus Magiſter Thyrſus tomo 3. diſp. vltim. quæ tota eſt adverſus Mahumetanos & Iudæos. Vide etiam Noſtrum eruditiſsimum Genebrardum lib. 1. de Trinitat. pagin. 50. vbi & allegat tam eundem Mahometum Azoara 27. & ſeqq. quàm Avicenam ipſius errori ſubſcribentem; & vtrumque reſpuit. Denique in eum ſcopum lege quæ potiùs Deo afflante, quàm humani ingenij viribus, ſcripſit de hoc myſterio contra eoſdem Mahumetanos, clariſsimus Doctor, & Martyr S. Petrus Paſchaſius Epiſcopus

pus Gienenſis, ex Ordine clariſs. B. Mariæ à Mercede aſſumptus, Titulo XV. qui eſt de SS. Trinit. myſterio: cuius Opera primùm prælo edidit Reverendiſs. iuxtà ac ſapientiſsimus Generalis eiuſdem Ordinis Magiſter Fr. Petrus de Salazar, communi plauſu, dum hæc ſcribo, electus Epiſcopus Salmanticenſis, ob inſignem nobilitatem, pietatem, & doctrinam.

45 ITAQVE Iuxta omnes prædictos errones ratio Patris & Filij, nequit eſſe, niſi vbi eſt varietas ſexuum: ac proinde tum hæretici ſuprà notati, tum Ethnici, vti aſſeruerunt in divinis Patrem & Filium, matrem quoque Deam & filiam adſtruebant: Mahumetani è contrà varietatem ſexus in divinis negantes, inficiabantur Patrem & Filium eſſe intra divinam naturam. Anſelmus verò, immo tota Chriſti Eccleſia, profitetur nullam intra Deum eſſe ſexuum varietatem: & tamen aſſerit in divinis Patrem & Filium verè ac propriè, immo multò magis propriè, quàm ſit in natura corporea & capaci vtriuſque ſexus. Cuius Catholicæ doctrinæ rationem poſtea reddemus & explanabimus cum eodem S. Doctore. In hac enim ſectione ſolùm propoſuimus cum ipſo rationem dubitandi in oppoſitum à num. 40. cui nunc breviter occurrendum eſt, conceſſa maiori propoſitione, negando minorem: quia licèt ratio matris & filiæ arguat varietatem ſexuum, non tamen ratio Patris & Filij: vt poſtea patebit.

46 *NAM SI IDCIRCO, &c.* Vrget S. Doctor verbis num. 28 exſcriptis rationem eandem dubitandi, ſeu difficultatem à principio poſitam, ne in divinis ſit ratio Patris & Filij, potiùs quàm matris & filiæ. Si enim propterea aſſeritur in Deo eſſe Patrem & Filium, quia vterque eſt ſummus ſpiritus, qui Latinè non fœmineo, ſed maſculino, vt ita loquamur, genere & caſu profertur: cur non etiã ſit mater & filia, cùm eædem duæ perſonæ divinæ ſint veritas & ſapientia, quæ fœmineo genere proferuntur? Et hæc ſatis fuerint circa rationem dubitandi.

SECTIO SEXTA.

Cur in diuinis non ſit mater, ſed Pater in ordine ad generationem æternam? Doctrina Anſelmi illuſtratur pluribus ad Philoſophiam Naturalem, & Theologiam ſpectantibus.

47 *AN QVIA IN HIS NATVRIS, &c.* Vt ſolvat S. Doctor rationem dubitandi à principio capitis obiectam, velitat, & examinat ſolutionem quandam eius nodi, quæ fortè alicui occurrere poſſet. Ac primò quidem inquit hoc loco Anſelmus *in ijs naturis, quæ maris & ſexus habent differentiam* (in aliquibus enim nullã eſſe ſexuum diſtinctionem docent Phyſici cum Ariſt. lib. 1. de Generat. Animal. cap. 1.) poſſet aliquis dicere, propterea eſſe in divinis Patrem & Filium, non matrem & filiam, quia in Deo aſſerendum eſt quod præſtantius ac melius exiſtit; non autem quod deterius aut inferioris notæ. Quippe, vt ipſe in Proslogio exponit latè tribus primis capitibus, Deus eſt quo nihil melius excellentius cogitari poteſt; ac proinde in eo locum habere dumtaxat poteſt, quod maioris perfectionis eſt. Ergo in Deo ſolùm habet locum ratio Patris & Filij, quæ ſpectare videtur ad ſexum virilem: non autem ratio matris ac filiæ, quæ ſexum fœmineum præſefert.

48 VERVM Reſponſionem hanc reijcit Anſelmus ſtatim: quia licèt vt plurimũ ita contingat, vt ſexus maſculinus prævaleat fœmineo, interdum tamen cernitur oppoſitũ, vt in quibuſdam avium generibus, quorum fœminæ maribus validiores, & præſtantiores ſunt. Ratio autem Patris & Filij, potiùs quàm matris & filiæ, non eſt aſſerenda in Deo per analogiam ad aliquid contingens, ſive ex accidenti conveniens viventibus inferioribus: ſed ſolùm iuxta ea quæ per ſe ac neceſſariò rebus conveniunt. Ergo ratio Patris & Filij, potiùs quàm matris & filiæ, non eſt in Deo aſſerenda, eo quòd ſexus maſculinus validior & præſtantior fœmineo ſit. Maiorem propoſitionẽ, in qua ſola poteſt eſſe difficultas, ſupponit Anſelmus: veluti qui doctrinam in ea traditam legerit apud Philoſophos Naturales. Noſtræ verò curæ ac laboris eſt illam ex ijs probare, atque oſtendere, quinam, ac quibus locis doceant, in nonnullis animantum generibus fœminas præſtantiores & validiores eſſe quàm mares.

49 PORRO Ariſt. lib. 5. Hiſtoriæ Animalium cap. 5. cui epigrapha, περὶ τῆς ὀχείας τῶν ἰχθύων, id eſt, *de coitu piſcium*, paulo poſt initium ait: *Fœmina in omni cartilagineo genere maior quàm mas eſt. quod idem fere vel in cæteris generibus piſcium eſſe conſtat. Cartilaginea verò, præter ea quæ enumeravimus, ſunt bos, lamia, aquila, torpedo, rana, omneque genus muſtelorum.* Porrò cùm aves ſint *ex aquis ortum genus*, fieri facilè potuit, vt quemadmodum in omnibus ferè piſcium generibus fœminæ ſunt maiores aut præſtantiores maribus, ſic etiam in quibuſdam generibus avium. Adhuc tamen nihil de ijs in ſpecie invenire potui, quod ad

rem

rem ſit, in toto Ariſtotele, præter verba nuper exſcripta. Nam alijs locis, vt in Problematis ſect.10. num.10. & lib.1. Oeconomiæ cap.3. & in libris de Hiſtoria, Generatione, & Partibus Animaliũ, vbi ſæpe de maribus & fœminis agit, & de avibus, tum in genere, tum in ſpecie, nunquam inveni ab ipſo traditum, in quibuſdam avium generibus fœminas eſſe maribus maiores aut præſtantiores: quin potiùs mares fœminis præſtare aſſerit. Vnde & loco nuper indicato ex Problematis ait: *Cur mares corpore maiori ex toto pene ſunt, quàm fœminæ? Vtrum quòd mares calidiores fœminis ſunt: quæ res vim obtinet augendi. An quòd mares præditi natura integra ſunt, fœminæ manca, oblæſaque deſciſcunt. An quòd mares longo temporis ſpatio perficiuntur, fœminæ brevi.* Neque oppoſitum vnquam indicaſſe videtur in vberrimo Ariſtotelis Indice eruditiſsimus eius compilator, Græcè ac Latinè pariter doctiſsimus, Magiſter Fr Franciſcus Ruiz de Valladolid, huius quondam Collegij Profeſſor, qui aurea illa duo volumina edidit totam Ariſtotelis doctrinam alphabetico & miro ordine complectentia. Sed nec Conradus Geſnerus in toto volumine de Avibus ſatis vaſto, nec Plinius in Hiſtoria Naturali, cuius magna pars de Avibus eſt, id vnquam obſervaſſe inveniuntur, quantum in ijs deprehendere potui. Quin potiùs poſtremus ex allegatis lib.XI.cap.49. fine generatim ait: *In omnibus animalium generibus mares fœminis fortiores, præter vrſum & pantheram.* Denique nec Laurentius Beyerlinch in Theatro Magno, ſub varijs titulis, in quibus plura congerit de Avibus, Animalibus, & vario eorum ſexu, quidquam ad rem noſtrã obſervaſſe invenitur. Quod ſi de cætero forſan occurrerit quidquam in confirmationem eius præſtantiæ avium fœminarum quarundam ſupra mares, curabimus vt in alia editione, vel loco huius Operis, exhibeatur. Verùm dubitãdum non eſt, Anſelmum id legiſſe in aliquo probato ſcriptore, aut experimento peculiari didiciſſe.

50 *AVT CERTE IDCIRCO MAGIS, &c.* vt habes ſuprà n. 30. Expoſta iam ratione deſumpta ex præſtantia marium ſuprà fœminas, S. Doctor aliter exponit cur parens in divinis potiùs dicatur Pater, quàm mater: quoniam, nimirum, *prima & principalis cauſa prolis ſemper eſt in patre:* minùs aut præcipua in matre. Cùm ergo parens in divinis ita generet prolem ſuam, vt ſolus omnino ſit cauſa aut principium adæquatum ipſius, potior eſt ratio vt dicatur Pater, quàm mater.

51 HÆC Ratio, ſeu congruentia, quâ vtitur Anſelmus, plura continet ad Phyſicam & Theologiam ſpectantia. Primò enim in ea traditur, patrem eſſe præcipuam cauſam generationis fœtûs, ſive filij potiùs, quàm matrem. Quod generatim de maribus relatè ad fœminas, tradit, probat, & exponit latè Ariſtoteles lib.1. de Generatione Animalium cap.2. Mas enim eſt cauſa efficiens motus & originis: fœmina verò quaſi materialis cauſa dumtaxat. quod ille eo loco, ac ſæpe aliàs explicat. Patet verò inſtituta comparatione inter cauſas, longè potiorem eſſe efficientem, quàm materialem. Ergo mas potior cauſa eſt ac præſtantior ad generandam prolem, quàm fœmina. Vnde & ſubdit ex communi Philoſophorum ſenſu: *Quamobrem in vniverſo quoque naturam terræ, quaſi fœminam matremque ſtatuunt: cœlum autem, & Solem, & reliqua generis eiuſdem, nomine genitoris patriſque appellant.* Sicuti ergo cœlum præſtantior eſt cauſa generationis rerum ſublunarium, quàm terra: ita etiam pater potior & præſtantior eſt cauſa prolis, quàm mater. Quare ex hoc capite in divinis parens debet appellari Pater & non mater prolis, ſeu Verbi: quoniam perfectiſsimo modo & valde ſublimi ſe habet ad illam generandam, veluti principium præſtantiſsimum & adæquatum, cum quo maiorem affinitatem videtur habere pater, quàm mater.

52 QVOD Autem ſubdit Anſelmus, incongruum eſſe, *vt illi parenti adaptatur nomen matris, cui ad gignendam prolem nulla alia cauſa aut ſociatur, aut præcedit;* theologicũ eſt, & ſupra omnem Ariſtotelis Philoſophiam. Quippe ſola fides docet, ſola etiã Theologia ſupponit, Patrem dumtaxat in divinis eſſe Filij, iuxta Græcos αἴτιον, ideſt, cauſam; iuxta Latinos verò, principium. Ita enim exprimitur in ſacris litteris, & in quatuor primis Concilijs Generalibus, ac denique in Symbolo S. Athanaſij, verbis illis: *Filius à Patre ſolo eſt.* Et ſanè, præter plura alia teſtimonia Scripturæ, id ſatis oſtenditur ijs locis, in quibus Filius Dei appellat VNIGENITVS. Quippe hoc vocabulo non modò ſignificatur, vnum & ſolum eſſe Filium Dei, non plures, ſed etiam à ſolo Patre, veluti vnico & adæquato principio, naſci. Vnde Damaſcenus lib.1. Fidei cap.9. aiebat: *Vnigenitus* (dicitur) *quia ex ſolo Patre ſingulariter eſt genitus.* Et Cyrillus Alexandrinus lib.10. Theſauri c.4. in medio: *Quòd ſolus ex Patre naturaliter naſcitur, idcirco vnigenitus appellatur.* Vnde & Symbolum Nicænum expreſsit *Filium Dei vnigenitum ex Patre natum*: tanquam idem ſit in Filio Dei vnigenitum eſſe, ideſt, ſolum, & ſine fratre, ac naſci ex Patre ſolo, ſive nullũ habente conſortem ad illum generandum. Et alter Cyrillus, id eſt Hieroſolym. Catecheſi 11.

in

in principio ſuprà eadem verba Symboli inquit: *Non exiſtimes eſſe adoptiuum, ſed naturalem, Vnigenitum Filium, qui fratrem alium habet nullum. Propterea enim vocatur Vnigenitus, quoniam in dignitate Deitatis, & generatione ex Patre, fratrem non habet.*

53 ITAQVE Parens in divinis non eſt mater: quoniam hæc non ſola, ſed in alterius principalioris cauſæ conſortio, prolem generat. In divinis autem parens ſolus generat prolem ſuâ longè ſublimiori modo, quàm mulier, immo & vir in humanis. Hic enim licèt ſit potior ac præſtantior cauſa fœtus, non tamen vnica & adæquata; cùm adhuc egeat conſortio mulieris, veluti concauſæ, quanquam inferioris. Parens autem in divinis nullius alterius conſortio eget ad generandum ſibi ſimile: ideoque prolis ſuæ eſt cauſa ſive principium, idque non modò præcipuum, vt pater in creatis; ſed vnicum & adæquatum. Quippe in hoc exprimitur per analogiam ad patrem creatum, quod non paſsivè, ſed activè, citra efficientiam tamen, generat ſibi ſimile. In eo verò longiſsimè ſuperat, quòd ſine conſortio alterius principij, adhuc minùs principalis, aut paſsivi, generat prolem ſibi coeſſentialē. Quare nomen Patris non perinde in Deo, ac in nobis, per omnia accipiendum & intelligendum eſt, ſed longè ſublimius & excellentiùs, vt Anſelmus ſuprà cap. 40. initio monuit, poſt Baſilium Tomo II. Tractatu de vera & vt pia fide in medio, dicentem: *Cùm ad omnes de Deo ſimul notiones explicandas, omnemque pariter depromendam gloriam, non vnicum nomen ſufficiat, at neque ſingula, ſi cum integra ipſorum ſignificatione ſerventur, ſine periculo aſſumuntur.* Rem verò ipſam declarat exemplo ipſo, quod præ manibus habemus. *Vocabulum PATRIS, ſi cum integra eius ſignificatione, ſicut apud nos eſt in vſu, accipiamus in Deo, impiè facimus.* Et hæc videtur fuiſſe ratio, inter alias, cur Ioannes Apoſtolus initio Evangelij ſui æternam prolem, non Patris Filium, ſed Dei Verbum appelaverit. Nam, vt inquit S. Tho. ibid. in comment. *Ne aliquis audiens nomen Patris & Filij, carnalem generationem ſuſpicaretur, ſecundum quam apud nos pater dicitur & filius; Ioannes Euangeliſta, cui revelata ſunt ſecreta cœleſtia, loco Filij poſuit Verbum, vt generationē intelligibilem cognoſcamus.* Hucuſque S. Doctor, opportunè reſpondens ſtultæ & carnali Mahumetanorum obiectioni, quam ſupra n. 44. circa finē indicavimus. Vide plura alia huc ſpectantia apud eundem Opuſc. 3. c. 3. Addo illuſtre teſtimoniū Theodoreti in Epit. div. decr. de Filio fere inter mediū & finē, aientis: *Vnigenitus Filius ex Patre quidem eſt genitus: eſt autem vnà cum mente, vt Verbum cum eo, qui genuit.* Et paulo inferiùs: *Neque enim mens noſtra verbum parturiens opus habet coniunctione fœminæ, aut ſectionem, fluxionemve ſuſtinet: ſed vt quæ perfecta ipſa eſt, perfectum Verbum efficit.* Si hoc, vel in nobis accidit, quantò meliùs ac perfectiùs in Deo?

SECTIO VII.

Cur proles æterni Patris, non ſit, nec appelletur filia, ſed Filius? Illuſtratur poſtrema pars capitis, tum ex Philoſophia Naturali, tum ex Theologia ad mentem Concilio-rum & Patrum.

54 QVOD SI FILIVS, &c. Poſtquam oſtendit S. Doctor, parentem in divinis non eſſe matrem, ſed Patrem, nunc procedit ad probandum, prolem æternam ipſius non eſſe filiam, ſed Filiū. Id autem probat ferè ſic. Semper filius evadit ſimilior patri, quàm filia. Ergo proprium eſt filij evadere, ſeu naſci perfectè ſimilem patri. Atqui proles æterni Patris evadit, ſeu naſcitur perfectè illi ſimilis. Ergo proles æterni Patris, non filia, ſed perfectè & veriſsimè Filius illius eſt. In hac ratione Anſelmi duo aſſumūtur. Alterum eſt, filios ſemper naſci ſimiliores patri, quàm matri. Alterum, prolem æterni Patris naſci perfectè & veriſsimè ſimilem ipſi.

55 PRIOR Pars, comprobatur experimento communi, quo cernimus filios omnes evadere ſimiliores patribus, quàm matribus, in membris, figura, ac cæteris lineamentis externis, & præcipuè in ſexu, quamvis cætera alia deeſſent. Vnde inſtar patrum ſuorum calidiori temperamento ſunt, & maiori firmitate atque integritate membrorum, quàm filiæ; ideoq; maiori ſpatio temporis opus eſt ad illorum perfectionem, ſeu ſtatum perfectum: vt ſuprà num. 49. obſervavimus ex Ariſtotele in Problematis. Porrò in eundem exceſſum caloris revocandum eſt, quòd priùs elaboretur fœtus virilis intra vterum matris, quàm fœmineus; id eſt, ille intra quadraginta vt plurimū dies, hic verò intra octoginta, vt ex communi ferè ſententia diximus diſput. 82. de Generatione ſect. 4. Mitto plures alias rationes, quibus oſtendi forſitan poſſet, filios patribus evadere magis ſimiles, quàm filias.

56 POSTERIOR Pars, quæ magis

gis ad theologicum inſtitutum attinet, ſupponitur probata ab Anſelmo ſuprà cap. 40 vbi docuit, Verbum divinum præ omnibus alijs rebus, quæcumque ſimilia ſunt principio ſuo, evadere ſimile ſuo parenti, ſeu Patri æterno, ſecundùm eandem omnino naturam, & tanquã ipſi ὁμοούσιον, ſeu conſubſtantiale. Quæ ſimilitudo eſt ſumma, & infinitè maior, quàm eſſe poſsit in quolibet alio filio relatè ad patrẽ ſuum: cùm ſalem ab eo diſtingui debeat numero penes ſingularitatem naturæ, ſubindeque penes illius proprietates. Præterea ex capitibus 36. 37. & 38. conſtat, Verbo divino convenire propriè ac perfectiſsimè rationem imaginis exprimentis totam perfectionem ſui parentis. Quod ex profeſſo oſtendimus Diſp. LXX. per totam: nec opus eſt hoc loco vberiùs confirmare. Et infrà cap. 55. alias 53. inquit: *Verbũ, mox vt conſideratur, ſe prolem eſſe eius à quo eſt, evidentiſsimè probat, promptam referendo Patris imaginem.* Ideoque Baſilius lib. 2. contra Eunomium loquens de Filio Dei aiebat: *Eſt imago Dei inviſibilis: imago non inanima, nec manu fabricata, nec artis vel commentationis opus. ſed imago viuens: immo verò ipſa vita, non in figuræ ſimilitudine, ſed in ipſa ſubſtantia identitatem retinens.* Vnde à S. Clemente Papa Epiſtola ad Iacobum dicitur *ſpeculum, & character, & imago Patris, in omnibus Patris ſimilis.* Gregorius quoque Nazianzenus Orat. 4. de Theologia ſimiliter: *Brevis & compendioſa, facilisque paternæ naturæ declaratio eſt Filius. Omne enim quod genitum eſt, genitorem ſuum tacita quadam voce definit.* Patet igitur, prolem æterni Patris, ſeu Verbum, evadere ipſi veriſsimè & perfectiſsimè ſimile: ac proinde potiùs eſſe & appellari debere ipſius Filium, quàm filiam.

57 VERVM Vt ipſum penitiùs intelligatur, & clariùs innoteſcat (quantum finit obſcuritas fidei) quomodo proles æterni Patris habeat rationem Verbi, ſimul & Filij verè ac propriè, vt Anſelmus impræſenti docet; recolere oportet ex ipſo ſuprà cap. 32. verba illa notatu digniſsima, in quibus probat, ſummum ſpiritum, ſive Deum, ſeipſum dicere coæterno Verbo, & concludit caput dicens: *Si æternè ſe intelligit, æternè ſe dicit. Si æternè ſe dicit, æternè eſt Verbum eius apud ipſum. Siue igitur ille cogitetur nulla alia exiſtente eſſentia, ſiue alijs exiſtentibus; neceſſe eſt Verbum illius coæternum illi eſſe cum ipſo.* Eam ipſam Anſelmi rationem videbatur præ oculis habere S. Thom. 1. part. quæſt. 27. art. 1. dum dixit: *Quicumque autem intelligit, ex hoc ipſo quod intelligit, procedit aliquid intra ipſum, quod eſt conceptio rei intellectæ, ex vi intellectiua proueniens, & ex eius notitia proueniens. Cum autem Deus ſit ſuper omnia, ea quæ in Deo dicuntur, non ſunt intelligenda ſecundùm modum infirmarum creaturarum, quæ ſunt corpora; ſed ſecundùm ſimilitudinem ſupremarum creaturarum, quæ ſunt intellectuales ſubſtantiæ, à quibus & ſimilitudo accepta deficit à repræſentione diuinorum. Non ergo accipienda eſt proceſsio ſecundùm quod eſt in corporalibus, vel per motum localem, vel per actionem alicuius cauſæ in exteriorem effectum, vt calor à calefaciente in calefactum: ſed ſecundùm emanationem intelligibilem, vtpote Verbi intelligibilis à dicente, quod manet in ipſo. Et ſic fides Catholica proceſsionem (Verbi) ponit in diuinis.* Hucuſque S. Doctor, mirè conſonans rationi & Verbis Anſelmi.

58 DICES. Ratio hæc ſolùm videtur probare exiſtentiam Verbi in divinis, non tamen Filij potiùs, quàm filiæ ab intellectu naſcentis. Nam, vt idem D. Thom. ait Opuſc. 2. ſeu in Compendio Theologiæ cap. 38. proles mentis oritur ab intellectu fœcundato, veluti ex mare & fœmina: ac proinde videtur debere eſſe in eo fœtu non minùs ratio filiæ, quã filij intellectualis. Aſſumptio ſuadetur prolatis in medium hiſce verbis eiuſdem S. Doctoris ibidem. *Id autem quod in intellectu continetur, vt interius verbum, ex communi vſu loquendi conceptio intellectus dicitur: nam corporaliter quidem aliquid concipi dicitur, quod in vtero animalis viuificatur virtute formatur, mare agente, & fœmina patiente, in qua fit conceptio, ita quod ipſum conceptum pertinet ad naturam vtriuſque, quaſi ſecundùm ſpeciem conforme. Quod autem intellectus comprehendit, in intellectu formatur, intelligibili quaſi agente, & intellectu quaſi patiente. Et ipſum quod intellectu comprehenditur, intra intellectum exiſtens, conforme eſt, & intelligibili moventi, cuius quædam ſimilitudo eſt, & intellectui quaſi patienti, ſecundùm quòd eſſe intelligibile habet. Vnde id, quod intellectu comprehenditur, non immeritò conceptio intellectus vocatur.* Hactenus Angelicus Doctor. Ergo ſicuti generatim loquendo in intellectu concipiente & pariente verbum eſt aliquid quod ex parte principij habeat rationem maris, aliquid quod fœminæ: ita in ipſo verbo parto & concepto. Quare etiam in Verbo divino erit pariter ſuo modo ratio fœminæ ac maris, ſive filiæ ac Filij contra quàm hactenus diximus, & fides docet adverſus Hæreſiarchas illos ſuprà num. 41. notatos.

59 SED Huic obiectioni occurritur ex doctina eiuſdem D. Thom. cap. 39. ſequen-

quen-

quemi vbi inquit: *Cùm id quod intellectu cõcipitur, ſit ſimilitudo rei intellectæ eius ſpecie repræſentans, quædam proles illius eſſe videtur. Quando igitur intellectus intelligit aliud à ſe, res intellecta eſt ſicut pater verbi in intellectu concepti: ipſe autem intellectus magis gerit ſimilitudinem matris, cuius eſt, vt in ea fiat conceptio. Quando verò intellectus intelligit ſeipſum, verbum conceptum comparatur ad intelligentem, ſicut proles ad patrem. Cùm igitur de Verbo loquamur, ſecundùm quod Deus ſeipſum intelligit, OPORTET QVOD IPSVM VERBVM COMPARETVR AD DEVM, CVIVS EST VERBVM, SICVT FILIVS AD PATREM.* Itaque dato aut permiſſo quòd verbum, ſeu conceptio mentis creatæ cogitantis alia à ſe oriatur ex obiecto, vt fœmina; non tamen verbum mentis cogitantis ſeipſam, quod ſolùm oritur ex intellectu, tanquam filius ex patre. Cùm ergo Verbum divinum iuxta Anſelmum verbis ſuprà num. 57. exſcriptis oriatur à ſummo ſpiritu, ſive Deo, ſeipſum intelligente, conſequens eſt, vt ex illo procedat, non veluti filia ex matre, ſed tanquam verus Filius ex veriſſimo Patre.

60 QVAPROPTER Anſelmus meritò concludit hoc caput 42. dicens: *Sicut igitur proprium eſt illius veriſſimè gignere, iſtius verò gigni: ſic proprium eſt illius veriſſimum eſſe genitorem, iſtius verò veriſſimè eſſe genitum. Et ſicut alter eſt veriſſimus parens, alter veriſſima proles: ſic alter eſt veriſſimus Pater, alter veriſſimus Filius.* Quæ omnia iam in ſuperioribus ſatis ſuperque explanata ſunt, & reſpondent teſtimonio primæ Epiſt. Ioannis cap. 5. *Simus in vero Filio eius.* Cui conſonat Synodus Nicæna lib. 2. paulo poſt medium §. *Sæpe numero*, dicens: *Filius non ſolo nomine verus, ſed & perfectus.* nimirum, etiam in ratione Filij. Præmiſſerat verò propiùs ad principium, quàm ad mediũ: *Verè Filium veri Patris.* Quare Nazianzenus Tractatu de Fide Nicæna, qui numeratur inter ipſius Orationes quinquageſimo loco, ex verbis eiuſdem Concilij colligit *Patrem verum, qui genuit Filium verum.* Præmiſſerat verò Orat. 49. iterum atque iterum, *Patrẽ verè & propriè eſſe Patrem*: ſimiliterque, *Filium verè & propriè eſſe Filium.* Hilarius ſimiliter lib. 3. de Trinitate propiùs ad medium, quàm ad principium, exponens verba illa Ioannis 12. *Pater, clarifica Filium tuum*, ita loquitur: *Non ſolùm nomine conteſtatus eſt eſſe ſe Filium, ſed & proprietate, qua dicitur TVVM. Multi enim nos filij Dei: ſed non talis hic Filius eſt. Hic enim eſt verus, & proprius eſt Filius origine, non adoptione; veritate, non nuncupatione; natiuitate, non creatione.* Quibus aureis verbis claudo & cõſigno commentarium huius capitis. Cur autem potiùs Verbum, quàm Spiritus ſanctus, ſit Filius, examinabimus latè infrà cap. 55.

(?)

DIS-

DISP. LXXXIII. LITTERALIS.

DE IIS, IN QVIBVS CONVENIVNT ET DIFFERVNT PATER ET FILIVS.

ADVERSVS HÆRESES SABELLII, ET ARII.

AD NOBILISSIMVM ET CLARISS. D. D. IOSEPHVM DE SALAMANCA ET FORCALLO AC RIAñO, Illuſtriorum familiarum Burgenſis vrbis eximium decus, Alcantarenſis Ordinis Equitem, olim Veteris Collegij D.BARTHOLOMAEO ſacri meritiſsimum Togatum, & in Salmanticenſi Academia Iuris Cæſarei Profeſſorem, poſt alia ampliſsima munera digniſsimum & ſpectatiſsimum Supremi Iuſtitiæ Senatus Conſilium, &c.

STATVTA Veritate Genitoris & Geniti, Patriſque & Filij, in præcedentibus capitibus, progreditur S. Doctor ad exponendum in quo ambo ij conveniant & differant. Capita verò quibus id explanat, & ipſius Scholia, diſtribuemus per partes, quemadmodum præcedenti Diſputatione, vt alia pariter integra ex ijs omnibus coaleſcat.

CAPVT XLIII. Aliás XLI.

RETRACTATIO COMMVNIS AMBORVM, ET proprietatum ſingulorum.

1 INVENTIS Tot & tantis ſingulorum proprietatibus quibus mira quædam tam ineffabilis, quàm inevitabilis, in ſumma vnitate probatur eſſe pluralitas; valde mihi videtur delectabile retractare ſæpiùs tam impenetrabile ſecretum.

3 Ecce enim cùm ſit impoſsibile, *eundem* eſſe qui gignit, & eum qui gignitur, atque *eundem* eſſe parentem & prolem, vt neceſſe ſit *alium* eſſe genitorem, *alium* genitum, & *alium* eſſe Patrem, *alium* Filiũ: ſic tamen neceſſe eſt *idem* eſſe illum qui gignit, & illum qui gignitur, necnon parentem & prolem, vt impoſsibile ſit *aliud* eſſe genitorem, quàm *quòd* eſt genitus, *aliud* eſſe Patrem, quàm *quod* eſt Filius.

4 ET Cùm ita ſit *alius* ille, & alius *ille*, vt omnino pareat quòd

duo

duo ſint: ſic tamen *vnum & idem ipſum* eſt, id quod eſt ille, & iſte, vt penitus lateat qui duo ſint. Nam ſic eſt alius Pater, alius Filius, vt cùm ambos dixerim, videam me duos dixiſſe: & ſic eſt idipſum quod eſt, & Pater, & Filius, vt non intelligam quid duos dixerim.

5 QVAMVIS Namque ſingulus Pater ſit perfectè ſummus ſpiritus, & ſingulus filius ſit perfectè ſummus ſpiritus, ſic tamen *vnum idemque* eſt ſpiritus Pater, & ſpiritus Filius, vt Pater & Filius non ſint duo ſpiritus, ſed vnus ſpiritus: vt ſicut ſingula propria ſingulorum nō recipiunt pluralitatem, quia non ſunt duorum; ita id, quod commune eſt amborum, individuam teneat vnitatem, quamvis totum ſit ſingulorum. Nam ſicut non ſunt duo Patres, aut duo Filij, ſed vnus Pater, & vnus Filius, quoniam ſingula ſunt ſingulorum propria: ita non ſunt duo, ſed vnus ſpiritus, quamvis & ſinguli Patris, & ſinguli Filij, ſit perfectum eſſe ſpiritum.

6 SIC Sunt oppoſiti relationibus, vt alter nunquam ſuſcipiat proprium alterius: ſic ſunt concordes natura, vt alter ſemper teneat eſſentiam alterius. Sic enim diverſi ſunt per hoc, quod alter eſt Pater, & alter Filius, vt nunquam dicatur, aut Pater Filius, aut Filius Pater: & ſic idem ſunt per ſubſtantiam, vt ſemper ſit in Patre eſſentia Filij, & in Filio eſſentia Patris. Eſt enim non diverſa, ſed eadem; non plures, ſed vna vtriuſque eſſentia.

SCHOLIA IN CAPVT XLIII.

SECTIO PRIMA.

Explanatur convenientia & differentia Patris à Filio, ſecundùm identitatem ſubſtantiæ, & diſtinctionem realem perſonæ. Vbi de ijs quæ admittunt, aut non admittunt pluralitatem in amborbus.

7 SCOPVS Anſelmi in hoc capite eſt, explanare qualiter Pater & Filius ſint vnum & duo: vnum in eſſentia, ſive ſubſtantia, aut natura: duo autem in perſonis: & qualiter de ea amborum diſtinctione, atque identitate, ſentiendum ac loquendum ſit. In cuius littera ſi intentè legatur, recognoſces minutatim obſervatas regulas illas loquendi circa myſteriū Trinitatis, quas ſuprà Diſp LVII. per totam præſcripſimus ad mentem Conciliorum, ac Patrum, & præſertim ipſius Anſelmi.

8 *INVENTIS TOT ET TANTIS, &c.* Poſtquam probavit S. Doctor, alteram ex duabus perſonis, de quibus hactenus diſſeruit, eſſe verè parentem, genitorem, & Patrem; alteram prolem, genitum, ac verum Filium; in ijſque invicem differre, quamvis alioqui in eâdem omnino ſubſtantia conveniant, & ſint vnum prorſus atque idem: nunc ait, ſibi valde delectabile eſſe ſæpiùs tractare idem myſterium. Sic ſuprà cap. 5. cùm demonſtraret, ſummam Dei naturam exiſtere independenter ab omni alio dixit: *Ad magnum & delectabile quoddam me ſubitò perduxit hæc mea meditatio.* Et eò forſan reſpiciens Eadmerus lib. 1. Vitæ ipſius col 10. dum refert, quātum meditationis impenderet S. Doctor die ac nocte ad demonſtrandum vnico argumento omnes perfectiones divinas, & quàm anxiè laboraret ad illud inveniendum, ſubdit: *Et ecce quadam nocte inter nocturnas vigilias, DEI GRATIA ILLVXIT IN CORDE EIVS, ET REC PATVIT INTELLECIVI, IMMENSOQVE GAVDIO ET IVBILATIONE REPLEVIT OMNIA INTIMA EIVS.* Nec mirum quòd vivida contemplatio rerum divinarum, & aded ſublimium, præſertim ſpectantium ad ineffabile Trinitatis myſterium, tantam delectationem pepererit Anſelmo: ſiquidem vel naturalium, aut matheticarum veritatum adinventio mirā parere ſolet menti iucunditatem. Ideoque

de

de Archimede, ſummo in Matheſibus viro, teſtatur Plutarchus in Marcello, *à ſua quadam familiari perpetuò demulcetum Sirene, & cibi obliuiſci, & corporis curam relinquere ſolitum; cumque raperetur ſubinde invitus ad vngendum corpus, & ad balneum, in foco figuras geometricas exarare; & dum vngeretur, ducere digito lineas; tanta illum artis dulcedine captum, & revera inflammatum fuiſſe.* Itaque Anſelmus plurimum delectationis & gaudij in his meditationibus rerum divinarum experiebatur.

9 *ECCE ENIM CVM SIT, &c.* Miratur inacceſſam ſublimitatem myſterij Trinitatis, in quo ſolo cohæret cum diſtinctione perſonarum identitas & vnitas in natura. Et quidem diſtinctionem perſonarum Patris & Filij ait neceſſariò cõſtare ex eo, quòd impoſsibile ſit, eundem eſſe prorſus qui gignit, & qui gignitur, parentem & prolem, genitorem & genitum, Patrem & Filium. Poteſt quidem contingere, & ſolet, vt idem ipſe qui gignitur ab vno aliquo, eſtque filius ipſius, ſit genitor & pariter alterius: vt patet in quolibet homine generante alium. Ita enim generat illum, vt tamen ipſe ab alio genitus fuerit. At nunquam contingere, nec intelligi quidem poteſt, vt qui gignit & eſt pater alicuius, non diſtinguatur reipſa ab eo: cùm evidens ſit diſtinctio realis inter producens & productum. Sicuti enim evidens principium eſt illud, *Omne quod eſt factum, ab alio eſt factum*, vt vidimus cum ipſo Anſelmo Tomo I. Diſp. XII. ſect. 6. ita etiam manifeſtum eſt aliud ipſi æquivalens: *Omne quod eſt productum, ab alio eſt productum.* Quare idem S. Doctor ſuprà cap. 28 differens de locutione Dei demonſtravit, illam non poſſe eſſe cauſam aut principiũ ſuiipſius, dicens: *Illa per ſe fieri non potuit. Nihil quippe per ſe ipſum fieri poteſt: quia quidquid fit, poſterius eſt eo, per quod fit: & nihil eſt poſterius ſeipſo.* Vnde & ex eodem principio Patres Eccleſiæ demonſtrant contra Sabellium, Noetum, & Praxeam, realem diſtinctionem Patris æterni à Filio. Atque ex ijs nominatim Athanaſius in Oratione de dicto illo, DEVS DE DEO, ita premit Sabellium: *Verus Filius exiſtit, non animi imaginatione formatus. Vt enim verus eſt Pater, ita quoque verè eſt ſapientia. Atque ita fit, vt duo ſint, non autem ſecundum Sabellium idẽ Pater & Filius.* Alioqui enim *eadem res erit gignens & genitum. quæ abſurditas in Sabellianis reſidet.*

10 SED Cum hac diſtinctione reali perſonarum cohærere vnitatem & identitatem in natura docet Catholica fides: quoniam alioqui eſſent plures Dij. Si enim quemadmodum quælibet ex perſonis divinis eſt reipſa diſtincta ab alijs duabus, ita etiam diſtincta natura ſeu Deitate conſtaret; neceſſum eſſet, vt quemadmodum ſunt in divinis plures perſonæ, ita etiam eſſent plures Dei. Pluralitas autem Deorum non ſolùm eſt contraria fidei, ſed etiam rationi naturali, qua multipliciter demonſtratur illius repugnantia: vt cum Anſelmo oſtenſum fuit Tomo I. Diſp. XIII. per totam. Neceſſum igitur eſt, vt cum diſtinctione reali perſonarum cohæreat vnitas ſive identitas naturæ aut eſſentiæ. Porrò eam vnitatem identitatemq; naturæ ſignificat S. Doctor impræſenti verbis illis: *Vt impoſsibile ſit, ALIVD eſſe genitorem, quàm QVOD eſt genitus, ALIVD eſſe Patrem, quàm QVOD eſt Filius.* Non dixit ALIVM, ſed ALIVD: quia alius ſignificat diſtinctionem perſonæ: *aliud* verò diverſitatem eſſentiæ, quæ in divinis prorſus eſt vna & eadem. Sic Auguſtinus Tract. 36. in Ioannem aiebat: *Aliud non eſt Pater, Filius aliud. Alius eſt, rectè dicis: aliud, non rectè. Alius enim eſt Filius, quia non eſt ipſe, qui Pater: & alius Pater, quia non eſt ipſe, qui Filius. Non tamen aliud, ſed hoc ipſum eſt & Pater & Filius.* Similiter Sophronius Patriarcha Hieroſolym. in Epiſt. ad Sergium, quæ habetur in Sexta Synodo Generali Act. 11. ait: ὡς δὲ πατὴρ, καὶ υἱὸς, καὶ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἕτερον, καὶ ἕτερον, καὶ ἕτερον, οὐ λέγεται. id eſt, *Pater verò, & Filius, & Spiritus ſanctus, non dicuntur alterum, & alterum, & alterum.* Denique Concilium Generale Lateranenſe ſub Innocentio III. prout habetur in cap. *Damnamus* de Summa Trinitat. & Fide Catholic. rem ipſam definit, dicens: *Licèt igitur ALIVS ſit Pater, ALIVS Filius, ALIVS Spiritus ſanctus, non tamen ALIVD: ſed id QVOD eſt Pater, eſt & Filius, & Spiritus ſanctus.* Nimirum pronomen *QVOD*, tum in verbis Concilij, quàm Anſelmi, ſignificat τό τι ἦν εἶναι, *quod quid erat eſſe*, vt loquitur Ariſtoteles; id eſt eſſentiam, quæ in tribus perſonis eſt vnica.

11 *ET CVM ITA SIT ALIVS, &c.* Addit S. Doctor, ita vnumquemque ex ijs eſſe alium ab altero, vt verè ſint duo; ſic tamen ambos eſſe duos, vt ſint VNVM ET IDEM-IPSVM, id eſt, eadem omnino eſſentia. Nimirum, nomen plurale *duo*, refertur ad perſonas: *vnum* autẽ, ſicuti & *idem*, ac *ipſum*, neutrali ſignificatione, refertur ad vnicã eſſentiã. Quæ locutio deſumitur ex verbis Chriſti Ioann. 15. *Ego & Pater, vnum ſumus.* Supra quæ aureus & cedro dignus eſt locus S. Cyrilli Alexandrini lib. 7. in Ioannem c. 10. aientis:

Vtrumque audi: VNVM, & SVMVS: & à Charybdi & Scylla liberaberis. Quod dicit VNVM, liberat te ab Ario ſeparante Filium à ſubſtantia Patris. Quod dixit, SVMVS, liberat te à Sabellio, confundente perſonas Patris & Filij ſine diſcretione. Si VNVM; non ergo diuerſum. Si SVMVS; ergo Pater & Filius.

12 ADDIT Præterea Anſelmus, Patrem & Filium ita eſſe vnum, ac præterea duos, vt penitus lateat *qui duo ſint*. Ita enim eſt alius Pater à Filio, & ita non eſt aliud à Filio, ſed vnum & idem cum ipſo, vt quamvis illos dicamus duos, non tamen percipiatur qui duo ſint, aut quid duo dicantur. Etenim præmiſit ſuprà cap. 38. loquens pariter de Patre & Verbo. *In eo verò, quod ille non eſt ex iſto, hoc autem eſt ex illo, ineffabilem admittunt pluralitatem: ineffabilem certè. Quamvis enim neceſsitas cogat, vt ſint duo; nullo tamen modo exprimi poteſt, quid duo ſint.* Et paucis interiectis: *Quippe nec ſunt duo patres Creatores, nec duo aliquid, quod ſignificet eorum eſſentiam, aut habitudinem ad creaturam: ſed nec duo aliquid, quod deſignet propriam habitudinem alterius ad alterũ, quia nec duo Verba, nec duæ imagines.* Itaque quamvis neceſſum ſit, Patrem & Filium eſſe duos, non tamen apparet qui duo, aut quid duo ſint. Non enim facilè occurrit nomen aliquod ſubſtantivum, ſive maſculinum, ſive neutrum, quod verè prædicari poſsit numero plurali de Patre & Filio, ſi proprietas linguæ Latinæ ſpectetur: quamvis Scholaſtici poſt tempus Anſelmi iam excogitaverint nomen *ſuppoſiti*, quod numero plurali prædicatur de Patre & Filio. Ambo enim ſunt *duo ſuppoſita*, ſicuti & duæ perſonæ: vt ſupra obſervatũ fuit Diſp. LXXVII. ſect. 1. Similiter ambo ſunt duo entia relativa: vt probatum fuit Diſp. LXXI. ſect. 3. Verùm ea nomina non ſunt Latina, ſed Scholaſtica; eaque vix in vſu erant apud Theologos tempore Anſelmi, ſed poſtea iure ac meritò & neceſsitate cogente introducta ſunt, nec vllo modo vitanda, præſertim in diſputationibus publicis: quamvis nonnulli plus nimio delicati, & vbique affectantes Latinitatem exquiſitam, id crimi nentur, poſt Laurentium Vallam, quẽ meritò irriſit propterea quidam Poetarum ipſius tempore ita ludens:

Poſtea quã Manes defunctus Valla petiit.
Non audet Pluto Verba Latina loqui.
Iuppiter hunc ſupero dignatus honore fuiſſet:
Cenſorem linguæ ſed timet eſſe ſuæ.

Legeſis quæ circa id obſervavimus in Introductione ad Philoſophiam Moralem c. 1. fine.

13 *QVAMVIS NANQVE SINE GVLVS PATER, &c.* Non ſatis conſtare, *qui duo*, aut *quid duo* ſint Pater & Filius, cõfirmat S. Doctor: quoniam ratio ſummi & perfecti ſpiritus ita vnicuique amborum convenit, vt tamen non propterea ſint ſpiritus duo, ſed vnus. Etenim ratio communis ſpiritus quoad non ſubeundam pluralitatem perinde ſe habet, ac ratio propria Patris, vel Filij: vt quẽadmodum in divinis non ſunt duo patres aut filij, ſed vnus Pater, & vnus Filius (teſtante id Symbolo S. Athanaſij) ſic etiam non ſint in ambobus duo ſpiritus, ſed vnus. Itaque quemadmodum prædicata propria ſingulorum, vt ratio Patris, vel Filij, nullam eiuſdem rationis pluralitatem admittunt: pariter prædicata communia vtriuſque, veluti ratio ſpiritus, individuam vnitatem retinent, nec vllam pluralitatem ſubeunt. Quod idem intelligendum eſt de omnibus perfectionibus abſolutis & communibus ſive eſſentialibus Dei, quas Patres Græci τέλεια κατηγορήματα, id eſt, *perfecta prædicata*, Latini proprietates divinæ naturæ, Scholaſtici demum Attributa appellant. Vnde ratio ſummæ ſimplicitatis, actus puri, entis increati, immutabilitas, æternitas, immenſitas, omnipotentia, intellectus, voluntas, virtuteſque, tum intellectuales, tum morales, quæ ex ſua formali & præciſa ratione important perfectionem ſimpliciter puram, nullam omnino ſubeunt pluralitatem in divinis perſonis. Quod ſæpe in decurſu Operis explanatum & probatum relinquimus.

14 *SIC SVNT OPPOSITI RELATIONIBVS, &c.* Addit, perſonas divinas habere oppoſitionẽ relativam inter ſe. Quod hoc loco ſolùm indicat, aut ſupponit: ſed latiùs tradit libro, ſeu Epiſt. de Proceſsione Spiritus S. c. 2. 3. & 6. ac lib. de Fide de Trinitatis & Incarn. Verbi c. 3. quorum locorum verba ſuprà Diſp. LXXIX. n. 13. exhibuimus, & expendimus. Eodemque ſenſu ſæpe docet, *in diuinis omnia eſſe vnum vbi non obviat relationis oppoſitio.* Quod Anſelmi effatum ab ipſius tẽpore celebritatẽ obtinuit apud Theologos, etiã Græcos: ex quibus Manuel Galecas lib. de Proceſs. c. 39 inquit: πάντα τὰ ἐπὶ θεοῦ λεγόμενα, κοινῶς, καὶ ἀπαραλλάκτως τοῖς προσώποις ἀποδίδοται, ὁπου γε κωλύει τὴν ἀντιθέσεως ἀντίθεσις. id eſt. *Omnia quæ de Deo dicuntur, communiter, & ſine vlla differentia, prædicantur de perſonis, vbi non obviat relationis oppoſitio.* Ait verò nunc Anſelmus, eam oppoſitionẽ relativam ita debere intelligi inter Patrẽ & Filium, vt alter nunquam ſuſcipiat proprietatem perſonalem alterius; & neuter amittat id, quod eſt ambobus commune. Quemadmodum enim diſtinguuntur in eo, quòd alter eſt Pater, & alter Filius, vt perinde

nec

nec Pater dicatur Filius, nec Filius Pater: ita etiam ſunt vnum & idem in ſubſtantia ſive eſſentia, vt eadem quæ eſt in vno, ſit etiam in alio, abſque vlla ſui pluralitate. [Quæ omnia continentur in ipſo Symbolo Nicænæ Fidei, exprimente conſubſtantialitatem & diſtinctionem perſonarum Patris ac Filij: vt vidimus latè ſuprà Diſput. LV. ſect. 1. nec repetere oportet.

CAPVT XLIV. Aliás XLIII.

QVOMODO ALTER ALTERIVS SIT eſſentia.

15 VNDE Etiam ſi alter alterius dicatur eſſentia, non erratur à veritate: ſed ſumma vnitas ſimplicitaſque commendatur communis naturæ. *Non enim quemadmodum* intelligitur ſapientia hominis, per quam homo ſapiens eſt, qui per ſe non poteſt eſſe ſapiens: ita intelligi poteſt, ſi dicatur Pater eſſentia Filij, & Filius eſſentia Patris: vt eo modo ſit Filius exiſtens per Patrem, & Pater per Filium, quaſi non poſſit alter exiſtens eſſe, niſi per alterum, ſicut homo non poteſt eſſe ſapiens, niſi per ſapientiam.

16 SICVT Nanque ſumma ſapientia ſemper ſapit per ſe, ita ſumma eſſentia ſemper eſt per ſe. Eſt autem perfectè ſumma eſſentia Pater, & perfectè ſumma eſſentia Filius. Pariter ergo perfectus Pater per ſe eſt, & pariter perfectus Filius per ſe eſt, ſicut vterque ſapit per ſe.

17 NON Enim idcirco minus perfecta eſt eſſentia vel ſapientia Filius, quia eſt eſſentia nata de Patris eſſentia, & ſapientia de ſapientia: ſed tunc minùs perfecta eſſentia vel ſapientia eſſet, ſi non eſſet per ſe, aut non ſaperet per ſe.

18 NEQVAQVAM Enim repugnat vt Filius & per ſe ſubſiſtat, & de Patre habeat eſſe. Sicut enim Pater habet eſſentiam, & ſapientiam, & vitam in ſemetipſo, vt non per alienam, ſed per ſuam eſſentiam ſit, per ſuam ſapientiam ſapiat, & per ſuam vitam vivat: ita gignendo, dat Filio eſſentiã habere, & ſapientiã, & vitam, in ſemetipſo, vt non per extraneam, ſed per ſuam eſſentiam, ſapientiam, & vitam, ſubſiſtat, ſapiat, & vivat. Alioquin non erit idem eſſe Patris & Filij, nec erit par Patri Filius, quod quàm falſum ſit, liquidiſsimè ſuperiùs perviſum eſt.

61 QVARE Non repugnat, Filium & ſubſiſtere per ſe, & eſſe de Patre: quia hoc ipſum, id eſt, per ſeipſum poſſe ſubſiſte-

re, neceſſe eſt illum de Patre habere. Nam ſiquis ſapiens ſuam me ſapientiam, cuius priùs expers eſſem, doceret; hoc vtique ipſa ſapientia eius facere non incongruè diceretur: ſed quamvis mea ſapientia ab illius ſapientia haberet eſſe, & ſapere; tamen cùm iam eſſet, non niſi ſua eſſentia eſſet, nec ſaperet, niſi ſeipſa. Multò igitur magis æterni Patris coæternus Filius, qui ſic habet à Patre eſſe, vt non ſint duæ eſſentiæ, per ſe ſubſiſtit, ſapit, & vivit.

2 NON Igitur ſic intelligi poteſt, quòd Pater Filij, aut Filius Patris ſit eſſentia, quaſi alter non poſsit ſubſiſtere per ſe, ſed per alterum: ſed ad ſignificandum quam habent communionem ſummè ſimplicis, ſummeque vnius eſſentiæ. Sic congruè dici & intelligi poteſt, quia ſic eſt alter idipſum quod alter, vt alter habeat eſſentiam alterius.

21 HAC Itaque ratione, quoniam vtrique non aliud eſt habere eſſentiam, quàm eſſentiam eſſe; ſicut habet alter alterius eſſentiam, ita eſt alter alterius eſſentia: id eſt, idem eſſe eſt alteri, quod alteri.

SCHOLIA IN CAPVT XLIII.

SECTIO II.

Exponitur littera Anſelmi, & oſtenditur Filium eſſe Patris eſſentiam, ſapientiam, & vitam, ac per ſe eſſe, ſapere, & ſubſiſtere: quoniam ea ita accipit a Patre, vt eadem omnia per identitatem ipſi Filio conveniant. Doctrina Anſelmi ex Conciljs & Patribus illuſtrata.

22 EXPLANATA Identitate Patris & Filij in eſſentia, & diſtinctione reali in proprietatibus relativis, ac præſcripto modo loquendi de ijs, pergit S. Doctor ad exponendum in hoc capite, quomodo alter illorum ſit eſſentia alterius, ſive quo ſenſu poſsit aut non poſsit id affirmari. nam ita attendere debemus ad identitatem amborum & ſummam ſimplicicitatem in natura, vt nullatenus impediatur vera diſtinctio vtriuſque ſecundùm relativas proprietates, nec origo vnius ab altero per veram & propriam generationem, iam in ſuperioribus ſtatuta, præſertim cap. 42.

23 *VNDE ETIAM SI ALTER, &c.* Docet, nihil eſſe abſurdi ſi dicatur, Patrem eſſe eſſentiam Filij, aut è contrà: quoniam eadem omnino natura, ſive eſſentia vtriuſque eſt, eaque ſummè vna & ſimplex: ac proinde indiviſim de vtroque prædicatur ſecundùm veram identitatem cum quolibet eorum. Quæ doctrina, omnino cohærens ſacris litteris, in quibus ſumma Dei ſimplicitas traditur, expreſsè definita fuit contra Gilbertum Porretanum in Concilio Remenſi ſub Eugenio III. triginta circiter annis poſt obitum S. Anſelmi: vbi poſt editos quatuor canones à Patribus Provinciarum, id eſt, Epiſcopis, & S. Bernardo, qui ibidem aderat, & præcæteris Gilbertum vrgebat, Pontifex primum ex illis canonibus definivit hiſce verbis: *Ne aliqua ratio inter naturam & perſonam diuideret: neve Deus diuina eſſentia diceretur in ſenſu ablatiui tantùm, ſed etiam nominatiui. Hoc eſt, ne ſolùm dicatur, PATER DEITATE EST PATER; ſed, EST IPSA DEITAS.* Hæc ibi. Poſtea idipſum generatim ac ſpeciatim de ſingulis perſonis divinis fuit definitum in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. prout habetur in cap. *Firmiter* de ſumma Trinit. & Fide Catholic. vbi dicitur: *Pater & Filius & Spiritus ſanctus, tres quidem perſonæ: ſed vna eſſentia, ſubſtantia, ſeu natura ſimplex omnino.* Et præterea idipſum eo loci latiùs atque vberiùs declaratur, dum dicitur: *Nos autem, ſacro approbante Concilio, credimus & confitemur cum Petro Lombardo, quod VNA QVÆDAM SVMMA RES EST (nimirum eſſentia, na-*

natura, vel ſubſtantia diuina, vt ibidem habetur) incomprehenſibilis quidem & ineffabilis, QVÆ VERACITER EST PATER, ET FILIVS, ET SPIRITVS SANCTVS, tres ſimul perſonæ, ac ſingillatim quælibet earundem, &c. Huc ſpectant plura alia ſimilia, quæ habentur in Concilio Florentino ſub Eugenio IV: ex communi Latinorum & Græcorum conſenſu, præſertim ſeſsione 17. & 18. & 25. Itaque verè & Catholicè ac ſecundùm realem identitatem dicitur Pater eſſentia Filij, & Filius eſſentia Patris, propter vnitatem & ſimplicitatem ſummã ipſius eſſentiæ, quæ veraciter & indiviſim eſt Pater, eſt Filius, eſt Spiritus ſanctus.

25 *NON ENIM QVEMADMODVM, &c.* His verbis S. Doctor præcaret errorem paucis pòſt annis excogitatũ à Gilberto, qui hanc propoſitionem abſurdam & hæreticam tradidit: *Quòd natura diuina, quæ Diuinitas dicitur, Deus non ſit, ſed forma, qua Deus eſt: quemadmodum humanitas homo non eſt, ſed forma, qua eſt homo.* Inſuper & hanc: *Quòd cùm Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, vnum eſſe dicuntur, non niſi vna diuinitate eſſe intelligantur; nec conuerti poſsit, vt vnus Deus, vel vna ſubſtantia, vel vnum aliquid, Pater, & Filius, Spiritus ſanctus, eſſe dicantur.* Ita enim teſtantur de Gilberto omnes ſcriptores qui Acta Concilij Remenſis evulgarunt, præſertim verò S. Bernardus ſerm. 80. in Cantica, Otho Friſingenſis lib. 1. de Geſtis Frederici Imperatoris cap. 57. Mathæus Pariſienſis in Hiſtoria Anglicana ad Annum Chriſti M.C. XIX. ac præterea ex Recentioribus Vazquez 1. p. diſp. 116 Ruiz diſp. 11. & Petavius Tomo I. Theologic. Dogm. de Deo lib. 8 cap. 2. Præcidit, inquam, eum errorem Anſelmus, quatenus hoc loco ait, non perinde eſſentiam Filij prædicari de Patre aut è contra eſſentiam Patris de Filio, ac ſapientia prædicatur de homine ſapiente. Hic enim non per ſeipſum, ſive non per ſuam entitatem eſt ſapiens, ſed per formam ſapientiæ ſibi ſuperadditam, ſeu à ſe diſtinctam. Deus autem Pater per ſeipſum, ſive per ſuam entitatem eſt eſſentia Filij, ſicuti & Filius per ſuam entitatem eſt eſſentia Patris, & vterque per eandem eſſentiam ab vnoquoque eorum indiſtinctam exiſtit, non autem per aliquid diſtinctum aut ſibi ſuperadditum. Quæ eſt eadem doctrina definita ab Eugenio III. contra Gilbertum, & numero præcedenti relata: vt, nimirum, *NON SOLVM DICATVR, PATER DEITATE EST PATER; SED, EST IPSA DEITAS.* Eadem verò ratio eſt de Filio, vt patet.

26 *SICVT NANQVE, &c.* Colligit ſtatim Anſelmus, tam Patrem, quàm Filium, eſſe per ſe perfectum, ac ſapientem per ſe. Probat verò id ſub hac ferè formula. Sicuti ſumma eſſentia ſemper eſt per ſe, ita etiam ſumma eſſentia ſapit per ſe. Quippe vnaquæque earum ratione ſummæ perfectionis ſuæ debet habere per ſe exercitium exiſtendi & ſapiendi. Ideoque Dionyſius cap. 5. de Divinis nominibus, aiebat, οὐκ ἄλλο τὸ ὄν, καὶ ἄλλο τὸ ζῶν, καὶ ἄλλο τὸ σοφὸν. id eſt, *non aliud* (ſcilicet, Deo eſſe) *id quod exiſtit, aliud vitam, & ſapientiam.* Atqui tam Pater, quàm Filius per ſeipſum, eſt perfectè ſumma eſſentia, ſicuti & ſumma ſapientia, vt nuper probatum eſt. Ergo tam Pater quàm Filius, eſt per ſe perfectus, & ſapiens per ſe.

27 *NON ENIM MINVS, &c.* Poterat quiſquam obijcere, Filium eſſe minùs perfectam eſſentiam aut ſapientiam, quàm Patrem: quia eſt eſſentia & ſapientia nata de eſſentia & ſapientia Patris. Quæ locutio non ſic accipitur ab Anſelmo, quaſi ipſa eſſentia & ſapientia Filij verè naſcatur de eſſentia & ſapientia Patris. nam idem Sanct. Doctor ſuprà cap. 5. & ſæpe in libro de Proceſsione Spiritus ſancti docet, manifeſtum eſſe naturæ lumine, nullam rem poſſe ex ſeipſa procedere, ſive naſci. Eſſentia autem & ſapientia eadem omnino eſt in Patre & Filio, vt hactenus ipſe tradidit, & paulo pòſt in hoc ipſo capitè palam docet. Non ergo ipſa eſſentia Filij aut ſapientia verè naſcitur de eſſentia aut ſapientia Patris. Vnde & Theologi cum Div. Thom. 1. part. quæſt. 29. articul. 5. ad 2. dicunt, falſam omnino eſſe propoſitionem hanc, *Deitas generatur.* Similiter cum eodem 1. part. quæſt 41. articul. 3. reijciunt has propoſitiones: *Deitas eſt ex Deitate: Eſſentia eſt ab eſſentia: Sapientia eſt de ſapientia.* Quin & Sanct. Auguſtinus, qui alicubi dixerat, *Patrem eſſe ſapientem ſapientia genita*, poſtea eam locutionem correxit. Itaque dum impræſenti Anſelmus, aut aſſerit, aut ſupponit, Filium eſſe eſſentiam natam de eſſentia Patris, ſicuti & ſapientiam natam de ſapientia Patris, non loquitur de eiſdem formis, quaſi in abſtracto, ſed in concreto: vt Filius, qui eſt eſſentia & ſapientia, ſit natus de Patre, qui pariter eſt eſſentia & ſapientia. Quæ formula loquendi deſumpta videtur ex Magno Auguſtino, qui lib. 15. de Trinitat. totidem ferè verba habet, dicens: *Filium eſſe Deum de Deo, lumen de lumine, SA-*

PIENTIAM DE SAPIENTIA, ESSENTIAM DE ESSENTIA: & Filium vnum eſſe Deum, vnum lumen, VNAM SAPIENTIAM, VNAM ESSENTIAM. Lege Petavium lib. 6. de Trinitat. cap. 10. vbi rem hanc eruditè tractat. Eodem ſenſu Fulgentius lib. de Fide ad Petrum cap. 2. dixit: *Subſtantiam de ſubſtantia*: ac præterea *naturam genitam.* Athanaſius quoque Oration. 5. οὐσίαν ἐξ οὐσίας γαρίεσαν, id eſt, *eſſentiam eſſentiæ Patrem.* Hoc etiam ſenſu, tam iuxta Symbolum Nicænum, quàm eiuſdem Sanct. Doctoris in allegato lib. de Proceſsione, Filius dicitur *Deus de Deo*: non quaſi Deitas Filij de Patris Deitate nata fuerit: ſed quoniam Filius Deus natus eſt de Patre Deo, & eodem Deo cum ipſo. Iam itaque, ſuppoſita hac explanatione, docet, Filium non eſſe minùs perfectam eſſentiam, aut ſapientiam, quàm ſit ipſe Pater eſſentia & ſapientia: quoniam licèt illam habeat communicatam ſibi à Patre, eſt tamen per ſeipſum, ſive per ſuam entitatem, vnum & idem cum ipſa eſſentia, & ſapientia ſibi communicata à Patre, ſive per ſe exiſtens, & ſapiens per ſe. Vide infrà n. 29.

28 *NEQVAQVAM ENIM REPVGNAT, &c.* Confirmat eandem doctrinam: quoniam optimè cohæret, vt Filius per ſe ſubſiſtat, & de Patre habeat eſſe. Quemadmodum enim Pater habet eſſentiam, & ſapientiam, & vitam in ſemetipſo, vt non per aliam, ſed ſuam eſſentiam, ſapientiam, & vitam, ſit, ſapiat, & vivat: ita etiam per generationem dat Filio habere eſſentiam, ſapientiam, & vitam in ſemetipſo, vt non per extraneam, ſed ſuam eſſentiam, ſapientiam, & vitam, ſubſiſtat, ſapiat & vivat. Idque præterea colligit ab abſurdo: quoniàm alioqui non eſſet idem *eſſe* Patris & Filij, nec Filius æqualis Patri, contra quàm in ſuperioribus probatum fuit. In quibus verbis notanda ſunt plura *Primum*, ab Anſelmo abſurdiſsimum reputari, quòd non ſit idem omnino *eſſe* Patris & Filij, atque adeò quòd alter habeat *eſſe*, ſive exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia alterius. Quod conſonat noſtræ ſententiæ ſuprà Diſput. LXXIV. ſtatutæ de vnica exiſtentia, eaque abſoluta in divinis perſonis. *Secundum*, ſubſiſtentiam ex mente Sanct. Doctoris convenire Deo ratione ſuæ eſſentiæ, ſicuti vivere & ſapere convenit ipſi ratione ſuæ vitæ: atque adeò in divinis eſſe ſubſiſtentiam abſolutam & communem tribus perſonis, quemadmodum eſſentiam, & ſapientiam, & vitam. Quod ſuprà Diſput. LXXVII. ex profeſſo ſtatutum fuit. *Tertium*, eandem prorſus eſſentiam, ſive *eſſe*, convenire Filio, ac Patri: eo ſolùm diſcrimine, quòd Pater illam habeat à ſeipſo, & independenter à quolibet ſibi illam dante, veluti fontale principium exiſtens in Trinitate, vt aliàs ferè exponit idem Anſelmus libro de Proceſsione cap. 17. Filius verò non, niſi communicatam à Patre per æternam generationem. *Quartum*, ſubſiſtentiam Filij eſſe eandem cum ſubſiſtentia Patris, ſicuti & eſſentia vtriuſque vna eſt. Propterea enim Anſelmus hoc loci ait, Filium non aliter, quàm per eſſentiam ſuam ſubſiſtere: ſicuti non aliter vivit aut ſapit, quàm per vitam & ſapientiam ſibi à Patre communicatam. Sicuti ergo non ſunt in Patre & Filio plures eſſentiæ, vitæ, ac ſapientiæ, ſed vnica & communis tribus: ita etiam vnicum *eſſe* ſubſiſtentiæ. Quæ omnia conſonant traditis ſuprà Diſp. LXXVIII. per totam, vbi excluſimus à Deo tres ſubſiſtentias relativas, & aſſeruimus vnicam abſolutam, cum veritate trium hypoſtaſeon, ſive ſuppoſitorum aut perſonarum cohærentem.

29 *QVARE NON REPVGNAT, &c.* Indicat ſubobſcurè difficultatem quandam, quæ occurrere poſſet adverſus doctrinam præcedentem. Videtur enim repugnare, vt Filius ſubſiſtat per ſe, & ſimul ipſum eſſe ſubſiſtendi à Patre habeat. Quidquid enim per ſe habet aliquid, non habet illud ab alio: nam eſſe per ſe, & ab alio, pugnant invicem. Si igitur Filius à Patre habet *eſſe*, ſive ſubſiſtere, non habet id per ſe. Reſpondet tamen Sanct. Doctor, vtrumque id optimè cohærere, vt Filius à Patre habeat eſſe, & ſimul per ſe ſubſiſtat: quia hoc ipſum, quod eſt, poſſe ſubſiſtere per ſe, habet Filius à Patre. Nimirum, habet illud ſibi identificatum, quamvis communicatum à Patre. Rem exponit hoc ferè exemplo. Si aliquis ſapiens ſuam me ſapientiam, cuius antea eram expers, doceret; quidquid ego ſaperem, per illius ſapientiam fieri non incongruè diceretur. Verùm licèt mea ſapientia ab illius ſapientia haberet eſſe & ſapere, ex hypotheſi tamen exiſtentiæ ſuæ, iam eſſet mihi ratio ſapiendi, non per aliud, ſed per ſeipſam. Multò ergo magis Filius æterni Patris per ſeipſum ſubſiſtit, vivit, & ſapit: quia licèt accipiat eſſe, ſapere, & vivere à Patre; ita tamen accipit, vt ambo ſint vna & eadem eſſentia, ac proinde eadem ſapientia, & vita. Ergo Filius per ſe eſt eſſentia, & vita & ſapientia, quamvis totum

id

id accipiat à Patre. Hoc eodem modo loquitur Athanaſius in fine libri contra Græcos, vbi divinitatem Filij demonſtrat, quia non ſolùm dicitur in concreto potens, ſapiens, aut verus; ſed etiam in abſtracto veritas, ſapientia, & potentia Patris appellatur. Vnde ita loquitur de eodem Filio: *Potentia eſt Patris, & ſapientia, & ratio; non ſic, vt participatione iſta ſit, aut hæc aliunde ipſi accidant; quemadmodum ijs evenit, qui ipſius participes ſunt, & per ipſum imbuuntur ſapientia, ac potentes & rationales ab ipſo fiunt: SED EST IPSA PER SE SAPIENTIA, IPSA POTENTIA PROPRIA PATRIS, IPSA LVX, IPSA VERITAS, IPSA IVSTITIA, IPSA VIRTVS.* Hactenus ille.

30 *NON IGITVR SIC, &c.* Concludit, iuxta dicta, non ita Patrem eſſe eſſentiam Filij, aut Filium eſſentiam Patris, vt vtè que illorum non ſubſiſtat per ſe, ſed per alterum. Nimirum, dum alter dicitur eſſentia alterius, ſolùm ſignificatur communio, ſive ſumma identitas & vnitas eiuſdem numero eſſentiæ ſummè ſimplicis in vtroque, quâ alter eſt ὁμοούσιος, id eſt, conſubſtantialis alteri, vt in ſuperioribus ſæpe dixit Sanct. Doctor, & ſuprà Diſput. LV. ac ſequentibus ex Scriptura, & Concilijs ſtabilitum fuit. Quippe hoc ſenſu alter eſt *id ipſum*, quod alter, quia vnuſquiſque illorũ habet eſſentiam alterius. nam Deus quidquid habet, eſt, nec in eo diſtinguere reipſa poſſumus id, quod habet, & quod habetur. Quare Gregorius Magnus lib. 10. Moral. cap. 20. aiebat: *Deus hoc eſt, quod habet: æternitatem quippe habet, ſed ipſe eſt æternitas: lucem habet, ſed lux ſua ipſe eſt. Non ergo ego eſt aliud eſſe, & aliud habere.* Vide plura alia huc ſpectantia Tomo I. Diſput. XXVIII. & XXIX. vbi de ſimplicitate Dei cum Anſelmo diſſeruimus.

31 *HAC ITAQVE RATIONE, &c.* Colligitur demum, quod nuper explicuimus, Patri ac Filio convenire non aliud, ſed idem omnino eſſe, vt quilibet eorum eſſentiam divinam habeat, & ipſa eſſentia ſit; ac proinde alterum eſſe alterius eſſentiam, quatenus idem *eſſe*, ſeu eadem eſſentia eſt vniuſcuiuſque. Quæ doctrina, veluti certa ſecundùm fidem, etiam quoad prædicationem eſſentiæ de Patre & Filio per identitatem cum vtroque eorum, definita fuit in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. vt ſuprà num. 23. vidimus.

(?)

DISPVTATIO LXXXIV.

AN FILIVS DEI SIT AVTOTHEOS, SIVE DEVS A SEIPSO.

CONTRA HÆRETICOS QVOSDAM.

AD ILLVSTRISSIMVM ET ERVDITISSIMVM D. D. BENEDICTVM DE TRELLES VILLAAMIL, Iacobæum Equitem, Supremorum Senatuum Iuſtitiæ, & Cameræ Conſiliarium, Virum mentis ampliſsimæ, & ad ſumma natum, &c.

HVIC Diſputationi anſam præbuerunt quidam ex Heterodoxis recentibus poſtea notandi: qui Filium Dei AVTOTHEON ſimpliciter appellant, & eo quidem ſenſu, vt videantur negare æternam ipſius ex Patre generationem. Quare illos confutare, & Catholicam in hac re ſententiam exponere, ac confirmare oportet, ad mentem Anſelmi.

SECTIO PRIMA.

Expenditur noua quædam hæreſis Autotheanorum, & oſtenditur, illam quam maximè differre a doctrina Anſelmi in hoc capite. Impugnantur Caluinus, & quidam alij Filium Dei ſimpliciter appellantes, Deum à ſeipſo.

1 POSSET Cuiquam ſuboriri ſcrupulus aut ſuſpicio, ne fortè dum Anſelmus in hoc capite docet, Filium per ſe eſſe, ſapere ac vivere, dediſſet anſam quibuſdam hæreticis ſæculi præcedentis, quos noſter doctiſsimus Archiepiſcopus Genebrardus lib. 1. de Trinitate inter medium & finem pag. 54. & ſeq. nominat *Autotheanos*, quoniam aſſeruerunt, Filium eſſe *Autotheon*, ideſt, Deum à ſeipſo. Eam verò hæreſim adſcribit Calvino, eiuſque diſcipulo & ſectatori Theodoro Bezæ, quamvis poſtea in progreſſu eiuſdem Operis ſuſpicetur, primum eius auctorem fuiſſe Franciſcum Stancarum. Similiter Gulielmus Lindanus in Dialogo, cui epigrapha, *Dubitantius*, ac Venerabilis Petrus Caniſius in præfatione libri de Ioanne Baptiſta, eundem errorem Calvino tribuunt. Et certè ſi accipiatur, vt ſonat, Filium à ſe eſſe Deum, abſdubio colligitur ipſum eſſe Deum per omnimodam negationem principij: ac proinde Filius non erit reipſa diſtinctus à Patre; quæ eſt hæreſis Sabelliana: aut erit alius Deus principio carens; quæ hæreſis non differt à Polytheiſmo, aut Manichæiſmo. Manichæi enim duo prima principia ſtatuerunt prorſus ingenita, ſicuti & Polytheitæ plures deos. Circa quod plura præmiſimus Tomo I. Diſp. XIII.

3 PORRO Calvinum eam hæreſim tradidiſſe confirmant ex varijs ipſius teſtimonijs, quorum aliqua indicabo. Lib. 1. Inſtitut. cap. 13. §. 19. inquit: *Nunc Scriptores Eccleſiaſtici Patrem Filij principium eſſe tradunt: nunc Filium à ſeipſo & diuinitatem & eſſentiam habere aſſeverant.* Atque inferiùs: *Ergo cùm de Filio ſine Patris reſpectu ſimpliciter loquimur, bene & propriè Filium à ſe eſſe aſſerimus.* Præterea §. 23. loquens de eodem Filio ait: *Quomodo Creator, qui omnibus eſſe dat, non erit à ſeipſo, ſed aliunde eſſentiam mutuabitur?* Denique in Epiſtolis ad ad Polonos, & libro contra Valentinum Gentilem, paſsim ait, Filiũ eſſe *Autotheon*, id eſt,

à ſeipſo Deum. Quin & locutionem illam in Symbolo Fidei contentam, qua Filium profitemur DEVM DE DEO, criminatur veluti duram & impropriam. Hæc ferè ſunt teſtimonia, quibus moti Genebrardus, Lindanus & Caniſius, Autotheanorũ hæreſim Calvino tribuunt. Mitto plura alia ipſius loca, in quibus plurimùm adhæſiſſe videtur Arianis, iam in ſuperioribus obſervata Diſp LIV.n.18. & Diſput. LVIII.n 34. & Diſp.LXXIII.n.32. & ſeq vt propterea Huanius librum ediderit Calvino-maſtygẽ, cui epigrapha: CALVINVS ARIANIZANS. Mitto, inquam. nam hæreſis Autotheanorum, de qua nunc agimus, cum Sabellianiſmo aut Polytheiſmo videtur habere commercium potiùs, quàm cum Arianiſmo.

4 VERVNTAMEN Sapientiſsimus Bellarminus, quâ erat integritate ac pietate, evolutis diligenter eiuſdẽ Calvini ſcriptis, non audet eam hæreſim ipſi penitus adſcribere: quoniam videtur docere, Filium eſſe à ſe quoad eſſentiam, quatenus hæc non eſt genita aut producta, ſed à ſeipſa: non verò quoad perſonam, quam alijs atque alijs locis, præſertim lib.1. Inſtitut.cap.13.§.13 fatetur à Patre genitam. Quin & poſtea §.23. ait, eſſentiam Filio à Patre communicatam eſſe: ac rurſus §.25. Filium appellat ſapientiam genitam, & Patrẽ ait eſſe fontem Deitatis. Cùm hac verò doctrina patet, minimè cohærere quòd Filius Dei ſit Autotheos quoad perſonam. quoniam evidens eſt, genitum, vt genitum, ſeu habentem eſſentiam ab alio communicatam, ſub ea ratione formali non eſſe à ſe, ſed ab alio. Non itaque videtur Calvinus docuiſſe, Filium Dei eſſe Autotheon quoad perſonam, ſed quoad naturam, quatenus hæc non eſt genita, vel vllo alio modo producta, ſed à ſe Quo eodem ſenſu loquitur Ioſias Simlerus Calvinianus in Epiſtola ad Polonos, & Theodorus Beza ex eodem Calvini grege, axiomate 14. de Trinitate, qui duo pariter autuſian Filij cum ſuo anteambulone tuentur. Illos ſequutus fuit Lambertus Danæus in Reſponſione ad laudatum Genebrardum, addens pagina 40. niſi Filius & Spiritus ſanctus habeant à ſe eſſentiam, ſolum Patrem fore verum Deum; illos autem duos, *fictitios, emendicatos, deificatos, precariò ac mutuatitiè Deos; neque à ſeipſis Deitatem, neque omnipotentiam, neque omniſcientiam habere.* Abſurda profectò & ſtulta Danæi collectio: vt infrà n.45. patebit in ſolutione ad idem ferè argumentum Calvini. Dum autem Bellarminus recuſat tribuere ipſi eam hæreſim, profitetur meritò, ſe nolle illum defendere aut excuſare: vtpote, qui indignum ſe reddiderit defenſione, & communione Eccleſiæ: ſed tantùm oſtendere velle, quæſtionem hoc loci potiùs videri de nomine, aut modo loquendi, quàm de re ipſa. Ita ferè ille Tomo I. lib. 2. de Chriſto cap 19.

5 SED Certè dum conſidero varium & inconſtans Calvini ingenium, ſicuti & aliorum Heterodoxorum, etiam circa myſterium Trinitatis, potiùs exiſtimo, illum in hac ipſa re non conſtitiſſe ſibi, & varijs locis pugnantia docuiſſe. Nam teſtimonia illius exſcriptæ num.3. denotant ſatis, Calvini iudicio Filiũ Dei ſimpliciter & propriè eſſe Deum à ſeipſo, & non aliunde eſſentiam mutuari: alia verò indicata num.4 proximè præcedenti indicant, Filium à Patre gigni, & communicatam ab ipſo Deitatem habere. Quæ duo inter ſe pugnare, patet. Sic certè in eodem Calvino ſimilis contradictio invenitur, dum quibuſdam locis profitetur vnam numero Deitatem in tribus perſonis diſtinctis, in quo directè contradicit Ario & Sabellio: alibi verò non ſemel videtur evertere, ac ſolo æquare fundamenta præcipua Eccleſiæ Catholicæ contra eoſdem duos Hæreſiarchas: vt vidimus locis num. 3. indicatis. Quid ergo mirum erit, ſi ſimili ingenij vertigine aut inconſtantiâ, modò aſſeruerit Filium eſſe Deum à ſeipſo; modò negaverit, dicens fuiſſe à Patre natum, & Deitatem ab ab ipſo communicatam habuiſſe? Accedit quòd ipſe alijs præterea locis videtur diſertè negare, Filium habere eſſe à Patre, vel vel ab illo eſſentiam accipere. Etenim in Opuſculis lib. de impietate Gentilis pag. 672. ait: *Sermo ſemper fuit Deus. Vnde ſequitur, non ei datum fuiſſe, vt eſſet. Similiter quum pronuntiat Chriſtus ipſe*, Antequam fieret Abraham, ego ſum; *ſibi profectò eſſentiam abſque principio vendicat.* Similiter in Admonitione ad fratres Polonos pag. 685. inquit: *Si Pater habet ſuum eſſe à ſeipſo, Filius ſuum eſſe habet à Patre, Spiritus ab vtroque; an non tres eſſentiæ emergunt, atque vna diſcerpitur?* In quibus locis videtur planè ita dicere Filium eſſe Autotheon, ſive Autoûſion, vt non à Patre, ſed à ſe divinitatem, ſive eſſentiam habeat, quæ certè eſt hæreſis manifeſta, & propria eorum, qui Autotheani dicuntur.

6 SED Quidquid ſit, an alicubi Calvinus docuerit, Filium eſſe Deum à ſeipſo per negationem principij, à quo generetur, & recipiat eſſentiam; modus tamen loquendi ipſius, quo aſſerit, Filium à ſe habere eſſentiam ſimpliciter, abſurdus eſt valde, & reijcitur diverſimodè. *Primò* ex ſacris litteris, in quibus planè docemur, Filium eſſentiam ſuam, & quidquid in ſeipſo eſt, habere à Patre. Propterea enim Ioannis 5. *Pater dedit Filio vitam habere in ſemetipſo.* Et cap.6. *Ego vivo propter Patrem.* Et cap.7. *Ego ſcio eum, quia ab ipſo ſum,*

ſum. Et cap. 8. v. 29. *Sicut docuit me Pater; hæc loquor.* Atque inferiùs v. 42. *Ego enim ex Deo proceſsi, & veni. neque enim à me ipſo veni, ſed ille me miſit.* Hæc autem omnia, & plura alia, quæ omittimus, planè ſignificant, quidquid Filius eſt, quidquid habet, non à ſe ipſo eſſe, aut habere, ſed à Patre, tanquam à principio. Nullaergo ratione Filius poteſt ſimpliciter dici Autotheos, ſive Deus à ſeipſo. *Secundò* ex Symbolo Concilij Nicæni, in quo Filius dicitur DEVS DE DEO: atque adeò non Deus à ſe ipſo, ſed à Patre, ſive ex Patre procedens. Quæ locutio, licet viſa fuerit dura Calvino, grata fuit toti Eccleſiæ Catholicæ, & probata in Concilijs ſequentibus, nominatim verò ac ſpeciatim in Sardicenſi, Conſtantinopolitano I. & Epheſino: quibus dum obſiſtit Calvinus, ac ſuum iudicium ea in re præfert, intolerabilem ſuperbiam ſuam prodit: qualiter ij duo hæretici Ariani, quos S. Ambroſius in Concilio Aquileienſi nunquam allicere potuit, vt cum eodem Nicæno Symbolo Filium Dei, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ, id eſt, Deum verum de Deo vero, faterentur: ſed dumtaxat, verum vnigenitum, & veri Dei Filium, aliaque plura huiuſmodi, de quibus non erat Catholicis præcipuum diſſidium cum Arianis. Quare videtur eos imitatus Calvinus eandem locutionem fugiens: præſertim cùm ipſe in Concilio Lauſanenſi nunquam in id adduci potuerit, vt Filium Deum de Deo profiteretur: vti refert oculatus teſtis Petrus Carolus, qui eidem Concilio aderat, in Epiſtola ad Cardinalem Lotharingiæ. *Tertiò* ex Patribus, non ijs ſolùm qui Synodo Nicæno, & cæteris nuper memoratis interfuerunt, & numero plurimi, & ſanctitate ac doctrina ſpectatiſsimi; ſed alijs quoque antiquioribus. Nam S. Iuſtinus Philoſophus & Martyr, qui duobus circiter ſæculis ante Nicænam Synodum floruit, initio libri de recta Fidei confeſsione, ait: *Pater innaſcibiliter habet eſſentiam, Filius naſcibiliter.* Similiter S. Gregorius cognomento Thaumaturgus, ob magnitudinem, & multitudinem miraculorum, qui integro circiter ſæculo eandem Synodum anteceſsit, in ſuo Symbolo Filium appellat, Θεὸν ἐκ Θεοῦ, id eſt, *Deum ex Deo.* Ergo negat, ipſum eſſe Autotheon, ſive Deum a ſeipſo. Mitto plurimos alios Patres, qui eodem modo loquuntur. *Quartò* denique reijcitur ex aperta contradictione, vt Filius generetur à Patre, eſſentiamque ab illo communicatam ſibi per generationem habeat, & tamen ſit Deus à ſeipſo. Dum ergo Calvinus fatetur primum ex his, immeritò prorſus, & non, niſi pugnantia inter ſe docendo, negat ſecundum. Quod autem ille ait, Patres interdum dicere, Filium eſſe Deum à ſeipſo, falſum eſt, & nullo modo hactenus probatum.

7 DICES I. Anſelmus hoc loci videtur ita loqui. Ait enim de Filio, *eſſe perfectum per ſe.* Deinde ſubdit: *Nequaquam enim repugnat, vt Filius & per ſe ſubſiſtat, & de Patre habeat eſſe.* Vlteriùs addit: *Non repugnat, Filium & ſubſiſtere per ſe, & eſſe de Patre.* Quod ipſum poſtea confirmat. Vnde poteſt quiſquam ſub hac formula differere in gratiam Calvini. Non minor videtur eſſe contradictio in eo, vt Filius ſit perfectus ac ſubſiſtat per ſe, & ſimul id à Patre habeat, quàm in eo, vt ſit Deus à ſe, & id à Patre habeat. Atqui iuxta Anſelmum, Filius eſt perfectus & ſubſiſtit per ſe, quamvis totum id habeat à Patre. Ergo pariter eſt Deus à ſe, quamvis id habeat à Patre.

8 RE P. Negando maiorem obiectionis: quoniam aliud eſt eſſe *à ſe*, aliud verò *per ſe*. Prius nanque illud importat negationem principij, tam producentis, quàm communicantis eſſe. Cùm verò Filius habeat principium productivum ſui, & communicativum Deitatis, quod eſt Pater, nequit eſſe Deus *à ſe*. Poſterius autem ſolùm denotat, convenire per identitatem Filio formam illam, quâ perfectus eſt, & ſubſiſtit, & vivit, & ſapit, quamvis illam à Patre acceperit. Quod totum verificatur de Filio Dei, qui ita accipit à Patre eſſentiam, vt tamen per identitatem ſit ipſa eſſentia Patris, & idem eſſe cum ipſo habeat: prout Anſelmus ipſe in toto capitis contextu docet, & expreſsiùs adhuc in ſequenti. Quare dici poteſt Filius per ſe perfectus, ſubſiſtens, & Deus: non tamen à ſe. Sic certè quilibet hominum ab Adamo procedentium eſt homo per ſe, ſive ratione entitatis ſuæ: non autem à ſe, quoniam habet eſſe ab alio homine, vt principio producente.

9 DICES II. Iuxta noſtram ſententiam latè traditam iuxta mentem Anſelmi Tomo I. Diſp. XXV. per totam, eſſentia divina conſtituitur in ſenſu formali per rationem entis à ſe, quatenus excludit omne ſui principiũ, non ſolùm reale, ſed virtuale. In hoc enim differt ab omnibus alijs rebus, immò & ab attributis, & relationibus intra Deum exiſtentibus: vt explicuimus ibidem num. 34. & 91. Atqui Filio communicatur perfectè eſſentia Dei. Alioqui non eſſet Deus omnino perfectus, contra quam in Symbolo S. Athanaſij edocemur. Ergo communicatur Filio ratio entis à ſe, quatenus excludit omne ſui principium, non ſolùm reale, ſed & virtuale. At Filius eſt totũ id, quod ſibi communicatur à Patre. Ergo Filius verè & propriè eſt ens à ſe, atque adeò Autotheos, ſive Deus à ſeipſo.

VE-

10 VERVM Obiectio hæc, ſiquam vim habet, pariter ſolvi debet ab ijs etiam, qui nolunt eſſentiam Dei conſiſtere in ratione formali entis à ſe, ſed in quopiam alio prædicato. Omnes enim Catholici, dum negamus Filium Dei eſſe creaturam, fateri debemus, illum eſſe ens increatum: quoniam ens reale in prima ſui diuiſione dividitur penes creatum & increatum, veluti per membra adæquatè illud exhaurientia. Ideoque Auguſtinus lib.1. de Trinit. cap.6. ita differebat contra Arianos pro divinitate Filij: *Si factus non eſt, creatura non eſt. Si autem creatura non eſt, eiuſdem cum Patre ſubſtantiæ eſt. Omnis enim ſubſtantia, quæ Deus non eſt, creatura eſt, & quæ creatura non eſt, Deus eſt.* Cùm igitur Filius Dei non ſit ens creatum, fateri debemus eſſe ens increatum: immo vnum & eundem Deum increatum cum Patre, iuxta illud Symboli S. Athanaſij: *Non tres increati, ſed vnus increatus.* Porrò quemadmodum ens creatum eſt ab alio, quia eſſentialiter dependet ab aliqua cauſa: ita è converſo ens increatum eſt à ſe, quia nullam habet cauſam, à qua dependeat. Ergo cùm Filius ſit ens increatum iuxta fidem, eſt ens à ſe, quatenus nullam habet cauſam, à qua dependeat. Omnes itaque fateri debemus, Filium eſſe ens à ſe, *aſeitate*, vt ita loquamur, excludente omnem ſui cauſam, præſertim efficientem, à qui dependeat. Ergo pariter omnes hanc doctrinam componere debemus cum eo, vt Filius habeat eſſe per generationem à Patre.

11 DICENDVM Itaque eſt, quamvis eſſentia divina conſiſtat in ratione entis à ſe, prout excludentis omnem cauſam, tum realem, tum virtualem ſui, non propterea Filium eſſe Autotheon, ſive Deum à ſeipſo quia ad hoc requiritur habere à ſe naturam, ea *aſeitate*, quæ excludit omne principium realiter communicativum eiuſdem naturæ quo ſenſu ſolus Pater eſt Deus à ſe, quoniam Deitatem habet à nullo principio ſibi communicatam. Itaque quamvis Filius habeat eandem numero naturam, non ideo illam à ſe habet. Quare ſolùm ſequitur vt ſit ens à ſe, quatenus ens à ſe eſt idem, ac ens increatum, ſive non factum. Præterea ex eo quòd eſſentia Filio communicata ſecundùm ſuam rationem formalem conſiſtat in ente à ſe, prout excludente omne principium productivum ſui, tam reale, quàm virtuale, ſolùm colligitur, Filium quoad eſſentiam (idemque eſt de Spiritu ſancto) non habere aliquod principium productivum, nec reale, nec virtuale. Quippe licèt Pater communicet verè eſſentiam Filio, non propterea illam producit, nec realiter, nec virtualiter: cùm illa præſupponatur vt radix, ſeu ratio à priori omnis actionis & productionis divinæ. Quare in eo ſenſu Filius (idemque eſt de Spiritu ſancto) eſt ens à ſe ratione naturæ, ſive ſecundùm naturam, eâ *aſeitate*, quæ excludit omne principium productivum ipſius naturæ, tam reale, quàm virtuale: non tamen eâ aſeitate quæ excludit omne principium communicativum naturæ, vel productivum perſonæ. Vt autem Filius diceretur ſimpliciter Autotheos, id eſt, Deus à ſeipſo, deberet habere Deitatem à nullo principio ſibi communicatam. quod ſolî Patri convenit in divinis: ideoque ſolus ipſe Autotheos eſt, & appellari debet.

12 DICES III. Auguſtinus in Pſalmum 109 & Cyrillus lib.7. de Trinit. aiunt, Patrem & Filium eſſe vnum principium. Ergo vterque illorum caret principio: ac proinde non ſolùm Pater, ſed & Filius à ſeipſo eſt. Præterea idem Auguſt. in Pſalmum 68. initio, & Tract. 39. in Ioannem ait, Filium ad Patrem dici, Deum autem ad ſeipſum, ſicut Pater ad Filium dicitur Pater, Deus autē ad ſeipſum. Ergo Filius potiùs dici debet Autotheos, ſive Deus à ſe, quàm Deus de Deo. Denique Epiphanius Hæreſi 69. Filium Dei appellat Autotheon: quo ipſo denotat, illum à ſe Deitatem habere. Ita ferè argumentantur Autothea, ni num. 3. indicati.

13 RESP. Non modò Auguſtinum & Cyrillum, verùm omnes reliquos Patres, immo & totam Eccleſiam Catholicam, præſertim in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. in cap, *Firmiter* profiteri, Patrem & Filium & Spiritum ſanctum eſſe vnum primum principium omnium creaturarum, tam viſibilium, quàm inviſibilium. Cum hoc tamen cohæret quòd Filius ſit principium de principio, vt idem Auguſtinus ait in ipſo Tractatu 39. allegato à Calvino: vbi S. Doctor exponens verba illa Evangelij Ioannis, *Tu quis es? Principium, qui & loquor vobis*, continuò addit, Filium eſſe quidem principium, ſed de principio ſicuti eſt Deus de Deo, & lumē de lumine. Quare Calvinus nihil magis contrarium ſibi allegare potuit, quàm locum illum Auguſtini. Iam quod ex ipſo addit, Filium dici Filium ad Patrem, Deum verò ad ſe; præter rem eſt: cùm planè differant, eſſe *ad ſe* Deum, & Deum *à ſe*. Nam prius illud, ſolùm ſignificat, nomen Dei non eſſe relativum, ſed abſolutum, & tamen convenire Filio. Quamvis enim Filius, vt Filius, relativè ad Patrem dicatur, eſt tamen ſubſiſtens divinum, eſſentialiter includens naturam, ſeu Deitatem, quæ abſoluta eſt, ſive *ad ſe*: ac proinde quatenus includens illā, ſive quatenus Deus, dicitur *ad ſe*. Cæterum eſſe Deum *à ſe* importat negationem omnimodam principij, quam nullibi Auguſtinus tri-

tuit Filio Dei. Conſonant Auguſtino omnes Patres Græci: qui licèt Filium appellent ἀγέννητον per vnicum ν. id eſt, infectum, ſive increatũ, in quo convenit cum Patre; nemo tamen audet ipſum appellare ἀγέννητον, per duplex νν. id eſt, ingenitum, ſeu expertem omnis prorſus principij, quoniam hæc eſt propria & peculiaris notio Patris, vt vidimus Diſput. LXXXII num. 24. Filius verò non caret omni prorſus principio. nam Pater eſt principiũ productivum illius quoad perſonam, & communicativum quoad eſſentiam. Denique ad authoritatem Epiphanij dicimus S. Doctorem non vſurpare vocem *Autotheos*, quaſi Filius habeat eſſentiam à ſeipſo, vt Calvinus & Beza volunt: cùm eodem loco, & in Ancorato, & alijs locis ſæpiſsimè aſſerat, Filium Dei eſſe genitum à Patre, & ipſum appellet fontem ex fonte, ac lumen de lumine; Patrem quoque authorem, ac principium Filij. Quare dum ſemel aut iterum appellat ipſum Autotheon, ſolùm denotat, ipſum habere Deitatem, non participatam, aut alienam, vel indebitam, ſed ſolidam, connaturalem, ac per ſe, ſive per identitatem ſibi convenientem. Nimirum, vt obſervat Genebrardus ſuprà laudatus, αὐτὸ apud Græcos, ſive in compoſitione, ſive extra illam, nihil ferè aliud ſignificat, quàm proprie, aut per ſe. Quod ipſe ex Platone & Ariſtotele cõfirmat. Itaque longè alio ſenſu Epiphanius vocem *Autotheos* vſurpat, quàm Calvinus & alij. Vide Diſp. ſeq. n. 56. plura alia huc ſpectantia.

14 INSTAT Calvinus. Si Filius verè non habet à ſe Divinitatem, erit precariò Deus, immo & Deus titularis, ac reipſa ſimilis creaturis, quæ accipiunt eſſe ab alio. RESP. Negando ſequelam: quia licèt Filius non habeat à ſe Deitatem, ſed à Patre, adhuc tamen illam habet ex vi naturalis & neceſſariæ communicationis, non autem liberæ. Quare in Concilio Syrmienſi Canone 21. dicitur: *Siquis conſilio (ſive voluntate*, vt legit Hilarius libro de Synodis Anathematiſmo 34.) *Dei factum Filium Dei aſſerit, anathema ſit.* Et in Concilio Toletano XI. in Confeſsione Fidei definitur, *non eſſe credendum quòd Pater voluntate Filium genuerit, nec quòd voluntas ſapientiam prævenerit.* Vide plura alia huc ſpectantia Tomo I. Diſput. XXVII. n. 38. & ſeqq. Quare nullatenus ſequitur, Filium eſſe precariò Deum, ſive ſecundum gratuitam Dei voluntatem; multò autem minùs inſtar creaturarum, quibus nulla ratione communicatur Deitas ipſa. Immò & quamvis humanitati Chriſti communicetur Deitas, ſicuti & perſona Verbi, non tamen per naturalem ac neceſſariam generationem, cuius illa eſt incapax: ſed per gratuitam vnionem, ac prorſus liberam Deo. Denique Filius Dei à Patre non accipit Deitatem quandam participatam, aut accidentariam, inſtar Angelorum, aut hominum iuſtorum; ſed increatam, ſubſtantivam, & eandem omnino cum ipſa Patris Deitate. Quare ne in ſpeciem quidem colligi poteſt, Filium Dei eſſe precariò Deum, ſive inſtar creaturarum.

15 CONCLVDIMVS Itaque, tum in re, tum ex mente Anſelmi, Filium Dei nec eſſe, nec dici poſſe ſimpliciter Autotheon, ſive Deum à ſeipſo: ſed dumtaxat Deum de Deo, Deum verum de Deo vero, iuxta Symbolum Nicænum: quia licèt per ſe ſubſiſtat, ſapiat, & vivat, vt loquitur Anſelmus in hoc capite, quatenus per identitatem eſt ipſa eſſentia, ſapientia, & vita Patris; tamen totum id habet à Patre ſibi communicatum, tanquam à vero principio: non autem à ſeipſo per omnimodam negationem principij. Quod totum luculentiſsimè exponit, & ab obiectionibus quibuslibet vindicat Anſelmus capite ſtatim ſequenti.

CAPVT XLV. Aliás XLIV.

QVOD APTIVS DICI POSSIT, FILIVS ESSENTIA Patris, quàm Pater eſſentia Filij: & quòd ſimiliter ſit Filius Patris virtus, & ſapientia, & ſimilia.

QVOD, Licet ſecundùm perſpectam rationem verum ſit, valde tamen magis congruit, Filium dici eſſentiam Patris, quàm Patrem eſſentiam Filij: quoniam namque Pater à nullo habet eſſentiam, niſi à ſeipſo, non ſatis aptè dicitur ha-

habere eſſentiam alicuius, niſi ſuam: quia verò Filius eſſentiam ſuam habet à Patre, & eandem quam habet Pater, aptiſsimè dici poteſt habere eſſentiam Patris.

17 QVARE Quoniam neuter aliter habet eſſentiam, quàm exiſtendo eſſentia; ſicut aptiùs intelligitur habere Filius Patris eſſentiam, quàm Pater Filij: ita convenientiùs dici poteſt Filius Patris eſſentia, quàm Pater Filij. *Nam hæc vna* ſi fiat prolatio ſatis acuta brevitate commendat Filium, non ſolùm eandem eſſentiam habere cum Patre; ſed hanc ipſam habere de Patre: vt hoc ſit dicere; Filius eſt eſſentia Patris, quod eſt; Filius eſt non differens eſſentia de Patris eſſentia, immo de Patre eſſentia. *Similiter ergo* eſt Filius, Patris virtus, & ſapientia, ſive veritas & iuſtitia: & quidquid ſummi ſpiritus convenit eſſentiæ.

SCHOLIA IN CAPVT XLV.

SECTIO PRIMA.

Illuſtratur littera Anſelmi, & iterum reijcitur error Autotheanorum, atque oſtenditur longiſsimè alienus à ſenſu S. Doctoris, & aliorum Patrum, quorum variæ locutiones explanantur.

18 CONFIRMAT Anſelmus hoc loco, quæ in ſuperiori capite tradidit, & à nobis confirmata ſunt ſectione præcedenti contra Autotheanos. Docet enim, quomodo meliùs poſsit dici Filius eſſentia Patris, quàm Pater eſſentia Filij: quoniam Filius habet a Patre eſſentiam, Pater autem à nullo. quo directè Autotheanis contradicit, & arrianam Filij excludit. Addit præterea, Filium eſſe Patris virtutem, ſapientiam, veritatem, & iuſtitiam.

19 *QVOD, LICET SECVNDVM, &c.* Quamvis probatum ſit ſuperiori capite, vbi ſermo fuit de Patre & Filio, alterum habere alterius eſſentiam, idque ſimpliciter de vnoquoque eorum dici poſsit propter æqualem cum ipſa identitatem: addit S. Doctor, multò congruentius eſſe, vt Filius dicatur habere eſſentiam Patris, quàm Pater eſſentiam Filij. Ratio eſt: Quia ſi loquamur iuxta ſenſum magis proprium, dum aliquis dicitur habere eſſentiam alterius, denotatur non habere illam à ſe, ſed ab alio. Atqui Filius habet eſſentiam ſibi à Patre communicatam: Pater verò à ſeipſo illam habet, nullo modo ſibi cõmunicatam à Filio, vel à quopiam alio. Ergo potiùs dicendus eſt Filius habere eſſentiam Patris, quàm Pater Filij. Maior propoſitio, in qua ſola poſſet eſſe diſsidium, conſtat ex communi modo loquendi. Quoties enim quiſpiam communicat alteri bonum aliquod, vt veſtem, domum, fundum, vt ab ambobus indiviſim poſſideatur, non ita propriè ille qui dedit, dicitur habere veſtem v.g. alterius, quàm qui ab eo accipit. Similiter quamvis Verbum per Incarnationem dederit ſuam ſubſiſtentiam ſive pernalitatem, humanitati Chriſti, vt indiviſim per illam ſubſiſtat & terminetur, non tam propriè dicitur Verbum ſubſiſtere per ſubſiſtentiam humanitatis Chriſti, quàm hæc per ſubſiſtentiam Verbi: quoniam humanitas illam accipit, Verbum verò dat, veluti propriam ſibi. Hoc igitur ferè modo, ſi loquendum ſit iuxta ſenſum magis proprium, dum aliquis dicitur habere eſſentiam alterius, denotatur, non habere illam à ſe, ſed ab alio communicatam.

20 *QVARE QVONIAM NEVTER, &c.* Subiungit, quemadmodum magis propriè dicitur Filius habere eſſentiam Patris, quàm Pater eſſentiam Filij: ita etiam magis propriè dici, Filium eſſe Patris eſſentiam, quàm Patrem eſſentiam Filij. Ratio eſt: quia in neutro amborum eſt aliud habere eſſentiam, quàm eſſe eſſentiam. Quidquid enim vnuſquiſque eorum habet, totum id per identitatẽ eſt: vt ſuprà num. 25. & 30. probatum fuit. Deo quippe idem eſt aliquid in ſeipſo habere, ac eſſe, propter ſummam ſimplicitatem. At quoniam Filius habet eſſentiam communicatam ſibi à Patre, Pater verò à nullo, magis propriè dicitur Filius habere eſſentiam Patris, quàm Pater eſſentiam Filij. Ergo ob eandem rationẽ, magis propriè dici debet Filius eſſentia Patris, quàm Pater eſſentia Filij.

NAM

21 *NAM HAEC VNA, &c.* Ipſe modus ſic loquendi breviſsimè & ſubtiliter ſignicat, non modò Filium eſſe ὁμοούσιον, ſive eiuſdem omnino eſſentiæ cum Patre, verũ etiam illam à Patre communicatam habere: vt propterea perinde ſit dicere, *Filius eſt eſſentia Patris*, ac ſi dicatur, *Filius eſt non diffe-rens eſſentia, de Patris eſſentia, immò de Patre eſſentia.* Quod intellige in concreto, non in abſtracto, quemadmodum iam ſuprà num. 27. Auguſtino duce, expoſuimus verba illa, *ESSENTIA DE ESSENTIA, & SAPIENTIA DE SAPIENTIA.* Nam ſi in abſtracto vſurparetur, ſenſus eſſet, eſſentiam Filij procedere ab eſſentia Patris, veluti productam à producente, quemadmodum Filius à Patre procedit: ac proinde diſtinctam eſſe reipſa vtriuſque eſſentiam, ſicuti Filius reipſa diſtinguitur à Patre producente. Id autem non modò eſt contra Catholicam fidem, ſed etiam contra Anſelmum in hoc capite & præcedentibus tertio quoque verbo aſſerentem, vnam omnino & eandem eſſe Patris eſſentiam. Non ergo dicendus eſt Filius *eſſentia de Patris eſſentia*, in abſtracto, quaſi eſſentia Patris eſſentiam Filij produxerit: ſed in concreto, quatenus Filius, qui eſt eſſentia ipſa Patris, ſit de Patris eſſentia ſibi per generationem perſonalem communicata: præſertim iuxta ſatis frequentem modum loquendi Theologorum, dum aiunt, eſſentiam divinam in Patre eſſe principium *quo* generationis Filij, & ſubinde communicationis ſuiipſius ad eundem Filium.

22 DICES: Qualitercumque aſſeratur cum Anſelmo, poſt Auguſtinum, Filium eſſe eſſentiam de Patris eſſentia, adhuc in concreto, videtur ſequi, Patrem eſſe *eſſentiatorem*, Filium verò *eſſentiam.* Conſequens autem eſt abſurdum, & à Theologis refertur inter errores Valentini Gentilis, qui auſus fuit dicere, *ſolum Patrem eſſe immenſæ ſubſtantiæ, & eſſentiatorem, & eminentiorem cæteris; Filium verò circumſcriptibilem, & eſſentiatũ*, licèt non in tempore, ſed ab æterno: vt teſtantur de illo Genebrardus lib. 2. de Trinit. Bellarminus lib. 1. de Chriſto cap. 2. & Benedictus Aretius in Hiſtoria eiuſdem Valentini Gentilis. Quod ipſum amplexi ſunt aliqui è Tranſylvanis, qui Trinitarij, aut Tritheitæ è ſuæ ſectæ conditione propria cognominantur. Non ergo dicere debemus aut poſſumus cum Anſelmo & Auguſtino, Filium eſſe eſſentiam de Patris eſſentia, adhuc in concreto.

23 RESP. Imprimis, voces illas, *eſſentiator* & *eſſentiatus*, ſi acciperentur ita, vt prior ſignificaret principium communicativum eſſentiæ, & poſterior terminum, cui illa communicatur, tolerabiles fore: quemadmodum & tolerabile eſt verbum *eſſentiandi*, ſi ſignificet communicare eſſentiam. Hoc ſenſu doctiſsimus Genebrardus vbi ſuprà pag. 56. non renuit ea vocabula admittere, illorumque vſum comprobat ex Græcis. Nam Euſebius Cæſarienſis lib. 1. Hiſtor. Eccleſ. cap. 4. ait, Chriſtum ante Luciferum à Deo genitum, πρὸ τῆς κόσμου συστάσεως ὑποστάντα. id eſt, *ante mundi conſtitutionem eſſentiatum.* Similiter à Pachymere, antiquo S. Dionyſij Interprete, pag. 221. legitur de Spiritu ſancto: υἱὸς δὲ πνεῦμα, ὡ συνυποστάμενον καὶ ἴδιον αὐτοῦ. id eſt, *Filij verò Spiritus eſt, quòd ſimul eſſentiatus, propriuſque ipſius exiſtat.* Quin & ipſe Dionyſius lib. de Divin. nomin. cap. 2. dum agit de hoc myſterio, vſurpat vocabulum τοῦ ὑποστάντος, id eſt, *eſſentiandi*; adiungens præterea, Patrem eſſe αἴτιον, id eſt, cauſam: Filium verò & Spiritum ſanctum αἰτιατὰ, nimirum, cauſata. Monet itaque Genebrardus, ſi in ijs vocabulis *Eſſentiatoris* & *Eſſentiati*, nihil veneni lateat, ſed ſenſus ſit, Patrem communicare ſuam eſſentiam Filio, & hunc illam ab eo accipere, veluti à principio generante perſonam, & communicante eſſentiam, tolerari ea poſſe. Adde verò, laudatum Dionyſium eodem loco accipere ὑπόστασις, & ζωώσεις, & σοφοποιήσεις, vt nihil aliud ſignificent, quàm *eſſentiæ, vitæ, ac ſapientiæ communicationes*, ſeu transfuſiones, vt Petavius vertit. Porrò dum eo ſenſu dicimus nihil abſurdi continere vocabulum *eſſentiare*, & *eſſentiari*, idem quoque cenſendum de vocabulo *ſubſtantiare*, & *ſubſtantiari*, iuxta voces activam & paſsivam; nam vtrumque id ſignificatur per vocabula Græca ὑπόστασιν, & ὑποστῆναι. Quapropter ſic accepto vocabulo *eſſentiandi*, ſicuti & *Eſſentiatoris*, non eſſet damnandus Valentinus Gentilis dum Patrem dixit *Eſſentiatorem Filij*: nec meritò invidiam ei facit Calvinus pag. 672. dum ita eum impugnat: *Quid eſt eſſentiare, niſi creare? Actus enim eſſentiandi neceſſariò id ſecum trahit, vt qui antè non erat, incœperit eſſe. Vnde ſequitur, Chriſtũ non alio iure Deum cenſeri, niſi quòd donò accepit, quod non habebat.* In oppoſitum enim eſt, quod *eſſentiare* poſsit accipi pro eodem, ac communicare eſſentiam, quamvis ſine creatione, aut vllo veræ efficientiæ genere. Quapropter iuxta ſenſum hunc, poteſt concedi maior propoſitio obiectionis, & negari abſurditas conſequentis. nam quidquid ſit de ſenſu Valentini Gentilis ea vocabula vſurpantis, poſſunt illa accipi in ſenſu Catholico, qualiter in laudatis teſtimonijs Græcorum vſurpata leguntur.

VE-

24 VERVM Quoniam seu vitio Valentini, seu siniſtra interpretatione Calvini, aliorumque, factum eſt, vt vocabula *eſſentiatoris* & *eſſentiati* accipiantur eo ſenſu, vt ſignificent diſtinctam eſſentiam in Patre ac in Filio, quaſi huius eſſentia ab illa, vt cauſa efficiente vel creante, prodierit, & aliunde nunquam leguntur apud PP. Latinos, ſed quoſdam è Græcis tantùm nuper indicatos; conſultius erit abſtinere ab ijs vocibus, & negare ſequelam initio obiectionis propoſitam. Non enim apud Anſelmum, vel Auguſtinum, aut alium ex Latinis Patribus leguntur eæ voces *Eſſentiatoris*, & *Eſſentiati*. Aut certè ſiquando viſum fuerit eas admittere, fieri debet ſub aperta diſtinctione: vt per eas ſolùm ſignificetur, Patrem Filio communicare eſſentiam ſuam, & Filium eam ipſam à Patre accipere. quod certè Catholicum, & fide certum eſt: non autem indicatur, Patrem quoad eſſentiam differre à Filio, vel eſſentiam Patris eſſe cauſam eſſentiæ Filij, vel hanc vllatenus produci à Patre. Id enim planè ad Arianiſmum, aut Polytheiſmum ſpectat. Ac certè Valentinus verbis in obiectione relatis, potiùs videtur ad Arianiſmum, quàm ad Polytheiſmum accedere. cùm Patrem dicat eminentiorem & immenſæ ſubſtantiæ; Filium verò inferiorem & circumſcriptum. quo ipſo Filium inter creaturas collocat, vti olim Arius fecit.

25 DENIQVE Vt omnino corruat non ſolùm modus loquendi, ſed ſenſus quoque Autotheanorum planè erroneus, obſervandum eſt, præter dicta num. 14. non modò Cyrillum ibidem explicatum, ſed & nonnullos alios è Patribus Græcis, Filium Dei appellaſſe vocabulis æquivalentibus Autotheo; ſed alio planè ſenſu, quàm ab ijs hæreticis accipiatur. Etenim Athanaſius in fine Protreptici Filium Dei appellat *Autoſophina*, *Autologon*, *Autodynamin*, *Autozoen*, &c. id eſt, *Perſe-ſapientiam*, *Perſe-Verbum*, *Perſe-virtutem*, *Perſe vitam*: non autem *à ſe*, vt Autotheani loquuntur. Theodoretus perinde, atque Athanaſius, alicubi Filium *αυτοσοφιαν*, *Perſe-ſapientiam* vocat: ſicuti & Nazianzenus Spiritum ſanctum (in quo eſt eadem ratio quantum ad hoc) Orat. 44 dicit *Autoagathon*, id eſt, *Perſe-bonum*. Perinde autem eſſet, ac planè æquè liceret ijs Patribus Filium appellare *Autotheon*. id eſt, *Perſe Deum*: non precariò, non ex accidenti, aut gratuito dono: ſed vî naturæ, & eiuſdem numero Deitatis ſubſtantivæ, ſibi à Patre per æternam & neceſſariam generationem communicatæ. Id enim ſolũ ſignificat *αυτο* ijs appellationibus præpoſitum: nimirum, *per ſe*, ſive *propriè*: non autem *à ſe*. Vide plura apud Petavium lib. 6. de Trinit. cap 6.

26 *SIMILITER ERGO EST*, &c. Concludit Anſelmus, quemadmodum Filius meliùs & magis propriè dicitur eſſentia Patris, quàm è contrà; ita etiam meliùs dici eundem Filium virtutem, ſapientiam, veritatem, iuſtitiam, &c. Patris, quàm è converſio. Cuius collectionis rationem initio huius capitis indicavit, & nos ſuprà Diſp. præc. explicuimus. Itaque Autotheani obmuteſcant, qui nullo in ſacris litteris, aut Patribus, fundamento ducti, Filium Dei appellant *Autotheon*, quaſi à ſeipſo Deum: cùm certè ſolùm liceret eam vſurpare, quatenus ſignificat, Filium eſſe propriè, ac per ſe Deum, ex vî ſuæ ſubſtantiæ, & Deitatis à Patre per æternam generationem acceptæ. quo dum axat ſenſu Patres allegati, & cum ijs Anſelmus, Filio Dei per ſe Deitatem tribuunt, profitentes palam, illam eſſe ipſi communicatam à Patre.

(?)



DIS-

DISPVTATIO LXXXV

AN FILIVS SIT VERE DEVS, ET HOMOVSIOS, SIVE CONSVBSTANTIALIS Patri.

CONTRA ARIANOS VETERES AC RECENTES.

AD PERILLVSTR. ET CLARISS. D.D. ANDRAEAM DE ANGVLO, ob hæreditariam nobilitatem, comitatem, pietatem, doctrinamque, nuper electum Salmanticenſis Academiæ Cancellarium, à Conſilijs Catholicæ Maieſtatis, olim Togatum in Maiori S. Crucis Valiſoletano Collegio, deinde meritiſsimum Fidei Inquiſitorem in Regno Valentiæ, atque in Hiſpalenſi Tribunali, &c.

ANSELMVS *Sæpiſsimè in hoc Opuſculo probat rationibus, Verbum divinum eſſe conſubſtantiale Patri, ac proinde verum Deum: vt cap. 29. 31. 32. 33. 35. 37. 38. 39. & octo ſequentibus: in quorum Scholijs nos ea tradidimus, quæ fortè videantur ſufficere ad ipſius probationes illuſtrandas, aut veriùs confirmandas. Quoniam verò in ijs ipſis ſupponitur doctrina Catholica de eodem myſterio, qua non præeunte nulla illius ratio ac demonſtrativa eſſe poteſt, vt oſtenſum fuit Diſput. LI. per totam; oportet nunc eam ipſam divinitatem, & idemtitatem Filij cum Patre in eſſentia aut natura demonſtrare ex Scriptura; non quidem contra Iudæos (hoc enim initio Tomi IV. vbi opportunum habebit locum, præſtabimus) ſed contra Arianos veteres ac recentes: qui olim eripiebant, ſicuti & nunc, ſolidam divinitatem Filio Dei, & identitatem in ſubſtantia cum Patre. Nec tamen omnia, quæ à SS. Patribus, & alijs eximijs Theologis in hunc ſcopũ obſervata ſunt, afferemus, aut coacervabimus, ſed pauca quædam & ſelecta (præter ea, quæ iam ſuprà Diſput. LIV. LV. LVII. LVIII. & LIX. diximus, nec oportet repetere) atque opportuna huic capiti 45. in quo S. Doctor eandem Catholicam doctrinam tradit.*

SECTIO PRIMA.

Diuinitas Filij, non quælibet, ſed ſumma, aſſeritur ac demonſtratur ex ſacris litteris. Euaſiones Origenis, & Arianorum, præcluduntur variis conſiderationibus S. Anſelmi, & aliorum Patrum.

2 NVLLA Ferè pagina eſt Novi Teſtamenti, quæ luculenter non probet ſolidam Filij Dei divinitatem, & vnitatem ſubſtantiæ cum Patre. Quare ſi res hæc plenè tractanda eſſet, oporteret totum illud tranſcribere. Verùm cùm id ſupervacaneum appareat, ſufficiet pauca quædam ex innumeris delibare. Vel duo illa teſtimonia, alterum ex initio Evangelij Ioannis, *In principio erat Verbum* &c. alterum ex cap. 10 v. 30 *Ego & Pater, vnum ſumus*, ſatis eſſent ad redar-

guen-

guendos omnes hæreticos Arianos, divinitatem Filij Dei, & vnitatem ſubſtantiæ cum Patre negantes. Sed vtrumque eum locum iam ſatis expendimus locis nuper indicatis: ideoque ad alia pergimus, quibus probetur planè Filij divinitas: idque, omiſsis etiam plurimis ex ijs, quæ habẽtur in Concilio Epheſino part. 1. pag. 81. editionis Binij & ſeqq. ex libro S. Cyrilli ad Reginas, §. ὁ τί Θεὸς ὁ χριστός. *Quòd Chriſtus ſit Deus.*

3 PRIMO Igitur percurram breviter loca quædam, in quibus apertè traditur, aut ſupponitur Filium eſſe Deum ſimpliciter, ſive abſque reſtrictione vlla. Etenim Ioannes Apoſtolus in Epiſt. 1. Canon. cap. 3. v. 16. ait. *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniã ille animam ſuam pro nobis poſuit.* Cùm ergo Filius ſit qui animam ſuam pro nobis poſuit, ille ipſe eſt Deus cuius charitatem nobis Ioannes commendat. Et cap. 5. v. 20. *Scimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum, vt cognoſcamus verum Deum & ſimus in vero Filio eius. HIC EST VERVS DEVS, & vita æterna.* Similiter Actorum 20. v. 28. inquit Apoſtolus: *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit regere Eccleſiam Dei, quam adquiſiuit ſanguine ſuo.* Ecce Deus ipſe dicitur, Eccleſiam adquiſiviſſe ſuo ſanguine. quod certè de ſolo Filio conſtat dici poſſe. Filius ergo eſt verus Deus. Idem Paulus 1. Corinth. 11. v. 8. inquit: *Quam nemo principum huius ſæculi cognovit. Si enim cognoviſſent, nunquã Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Dominus autem gloriæ ſolus dici poteſt, qui verus Deus eſt. Idque ampliùs denotat vis vocabuli *gloriæ*, Græcè τῆς δόξης, cui in Hebræo reſpondet כבוד, *cabod*, id eſt, *maieſtas*: ideoque nonnunquam à Iudæis accipitur pro ſummo Deo, quem ipſi יהוה dicunt. Itaque Filius Dei dicitur ab Apoſtolo Dominus gloriæ, vel maieſtatis. quod epitheton ſoli ſummo Deo convenire poteſt.

4 SECVNDO Idipſum evincitur ex Apoſtolo ad Hebræos cap. 1. vbi præferens Chriſtum Angelis, quòd Filius ſit, ac Deus, vtitur teſtimonio Davidis Pſalmo 44. v. 7. dicens: *Ad Filium autem, Thronus tuus, Deus, in ſæculum ſæculum ſæculi.* Quod argumentum latè expendit Hilarius lib. 4. de Trinit. & Cyrillus lib. 34. Theſauri. *Deinde* c. 3. eiuſdem Epiſtolæ Chriſtum anteponit Moyſi, tanquam Dominũ & fabricatorem ſervo & domui, dicens: *Amplioris enim gloriæ iſte præ Moyſe dignus eſt habitus, quanto ampliorem honorem habet domus, qui fabricavit eam. Omnis nanque domus fabricatur ab aliquo. qui autem omnia creavit, Deus eſt.* Quem locum obſervavit idem Cyrillus lib. 32. Theſauri, & libro ad Reginas, qui eſt in Concilio Epheſino cap. 40. Præterea 1. Corinth. cap. 8. ait: *Nobis tamen vnus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum: ET VNVS DOMINVS IESVS CHRISTVS PER QVEM OMNIA, ET NOS PER IPSVM.* Quem locum ad probandam Chriſti divinitatem vrget in Arianos Athanaſius paſſim, ſed præcipuè in libro de Decretis Nicænę Synodi, Cyrillus lib. 9. Theſauri, & Chryſoſtomus Homilia 5. de Incomprehenſibili contra Anomæos: vbi oſtendit vocabulum *Domini* perinde eſſe in Scripturis, ac Dei, & æquè vſurpati deſumma maieſtate. Vnde reijcitur obiter mendacium & impudentia Iuliani Imperatoris, infami cognomento Apoſtatæ, qui, teſte Cyrillo lib. 10. contra ipſum, dicere auſus fuit, præter Ioannem Evangeliſtam, neminem Apoſtolorum, ne Paulum quidem, auſum fuiſſe Chriſtum appelare Deum. Oppoſitum enim planè conſtat ex præiactis locis, & pluribus alijs obſertis ab eodem Cyrillo ibidem.

5 ACCEDIT Alter illuſtris locus ipſius Roman. 9 verſ 5 verbis illis: *Quorum patres, & ex quibus eſt Chriſtus ſecundùm carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula. Amen.* Quibus reſpondet ad litteram, quod in Græco eſt, ὧν οἱ πατέρες, καὶ ἐξ ὧν ὁ χριστὸς τὸ κατὰ σάρκα, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν. Cùm verò is locus adeò illuſtris ſit ad divinitatem Chriſti probandam, Eraſmus non fuit veritus dicere, *qui contendunt ex hoc loco evidenter evinci, Chriſtum apertè dici Deum; aut videri alijs Scripturæ teſtimonijs parum fidere, aut nihil ingenij tribuere Arianis, aut parum attentè contemplari ſermonem Apoſtoli.* Sanè verba hæc Eraſmi temeritatis aut impudentiæ plena ſunt. Sic enim habetur locus ille apud vetuſtiſsimos quoſque codices, & Græcè ac Latinè extat invariatus ab ipſo tempore Apoſtolorum. nam ſic legerunt & de divinitate Filij intellexerunt, ex Græcis antiquiſsimus Irenæus lib. 3. contra Hereſes cap. 18. Athanaſius Oration. 2. & 5. contra Arianos, & lib. de communi eſſentia, Gregorius Nyſſæ Antiſtes lib. 10. contra Eunomium, Cyrillus lib. 1. Theſauri: ex Latinis Tertullianus, & ipſe antiquiſsimus lib. contra Praxeam capit. 13. & 15. Cyprianus lib. 2. Teſtimon. contra Iudæos, Hilarius libro 4. & 8. de Trinitate, Ambroſius libro 1. de Spiritu ſancto capit. 3. & lib. 4. de Fide cap. 6. Auguſtinus lib. 2. de Trinitate, cap. 3. &

lib. 1. contra Fauſtum cap. 3. & 6. Caſsianus initio lib. 3. de Incarn. Gregorius Magnus Homilia 8 in Ezechielem, Iſidorus Hiſpalenſis lib. de Differentijs num. 2. Marius Victorinus lib. 1. contra Arium, Idacius Clarus lib. 1. contra Varimadum, Tomo V. Magnæ Bibliothecæ, ac denique omnes fere alij Patres. Qui certè omnes non ſunt vſi hoc teſtimonio, quòd diffiderent alijs pluribus ad divinitatem Chriſto demonſtrandam, quæ & innumera & vrgentiſsima ſunt: ſed quòd illud ſit valde illuſtre, & in codicibus antiquiſsimis habeatur eiſdem verbis, ac modò in Vulgato legitur, quamvis fortè in aliquo id aliter expreſſum inveniatur ex oſcitantia aut incuria ſcriptoris, cui Eraſmus maiorem fidem præſtare non eſt veritus, quàm primis Eccleſiæ luminibus, aliter legentibus & intelligentibus. Vnde vel Theodorus Beza, quamquam hæreticus, eam ob cauſam invehitur contra ipſum.

6 VIDERVNT Ariani ea loca, & ijs victi, Chriſtum diſertè Deum profitebantur, atque exprimebant in omnibus fidei ſuæ formalis: cæterum eo ſenſu, vt vnum dicerent eſſe Deum ſummũ, quem τὸν ἐπὶ πάντων Θεὸν, id eſt, *ſuper omnia Deum*, appellabant, & eundem ſolum aſſerebant verum, bonum, immutabilem, æternum, cæteriſque perfectionibus præditum, quas frequenter Scriptura videtur tribuere Deo Patri, veluti ſolidæ divinitatis notas. Quare ſolum Patrem abſolutè & ſimpliciter Deum profitebantur; Filium verò dumtaxat ὁμωνύμως, & ſecundo gradu dignitatis. Huius nefariæ doctrinæ ſemina iecerat Origenes, vt præmiſsimus Diſput. LIV. ſect. 1. Qui & præterea Tomo ſecundo in Ioannem, paulo poſt initium, ait, Patri convenire vocem Θεὸς, vbi habet adiunctum ſibi articulum, vt, vt dicatur ὁ Θεὸς. tanquam ipſe ſit verus Deus, & αὐτοθεος, id eſt, Deus à ſeipſo. quod ſi vero ſine articulo proferatur vox Θεὸς, eam Filio convenire. Quin præterea vult, id diſcriminis obſervatum fuiſſe ab Evangeliſta Ioanne: quoniam initio ſui Evangelij, vbi ſignificat Patrem, articulum adhibet. Etenim vbi Latinè legimus, *Verbum erat apud Deum*; ac præterea, *Hoc erat in principio apud Deum*, Græcè exprimit cum articulo, τὸν Θεὸν. Dum autem de Filio loquitur, omiſſo articulo inquit καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος. *Et Deus erat Verbum* Quare iuxta eundem Origenis ſenſum Ariani non renuebant profiteri vnum Deum, vt teſtatur Sœbadius, aliàs Phœbadius libro contra eoſdem, noviſsimè recuſo in Bibliothec. Magna Tomo IV. Sæculo IV. quoniam nomine Dei vnius ſimpliciter ſolum Patrem accipiebant: non autem Filium, quem dumtaxat ἀναλόγως, ſeu proportione quadam, exiſtimabant Deum, quatenus eſſet imago Dei. Proindeque ſicuti imago Cæſaris non eſt propriè Cæſar, ſed longè diſtat ab illo: ita etiam volebant, Filium Dei non eſſe propriè Deum, ſed in infinitum ab eo diſtare. Ita exponit Euſebius Cæſarienſis eorundem Arianorum fautor lib. 3. contra Marcellinum cap. 20. & ſequentibus. Eidem verò errori, tam Origenis, quàm Arianorum, anſam præbuiſſe Platonem, iam monuimus ſuprà Diſput. LII. num 32. & ſequentibus, vt propterea Tertullianus non dubitaverit dicere, *Omnes hæreſes à Philoſophia ſubornari, & Platonem omnium hæreticorum condimentarium factum.*

7 SED Contra I. Innumera enim ſunt Scripturæ loca in quibus ſermo eſt de Deo ſimpliciter & ſine addito, quin adhibeatur articulus nomini Θεὸς, ſive Dei, in ipſa Græca lectione. Dum enim hæc ſcribo, aperire Scripturam volui prout primùm ſors ſe obtulit, & occurrente Græcâ Epiſtola 1. Apoſtoli ad Corinthios cap. 1. & 2. ſæpe inveni nomen Θεὸς abſque articulo τοῦ. Quod credo in alijs innumeris locis ita etiam extare. E contrà vero in teſtimonio illo ſuprà num. 3. indicato, vbi Ioannes inquit de Filio Dei, *Hic eſt verus Deus*, Græcè eſt cum articulo, & quidem in caſu nominandi, οὗτός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς Θεὸς. Quod miror non obſervaſſe Petavium lib. 2. de Trinitat. alioqui virum Græcè iuxta ac Latinè eruditiſsimum, dum obiecto ſibi eo Origenis cavillo, aut ſophiſmate, non occurrit directè, ſed divertit ad alia. Ergo ſive præponatur articulus, ſive omittatur in Græco, nomen Θεὸς, ſive Dei, ſolùm tribuitur Deo vero, ac proinde Deo abſolutè & ſimpliciter. Cùm igitur in alijs atque alijs Scripturæ locis tribuatur Filio Dei nomen Θεὸς, ſive Dei, tum abſque articulo, tum præpoſito illo, convincitur planè, Filium Dei eſſe verè ac ſimpliciter Deum.

8 CONTRA II. Vt enim demonſtrat Anſelmus ſuprà tribus primis capitibus huius Monologij, idem prorſus eſt eſſe Deum, ac ſummum magnum. Nam ſi ſummum magnum non eſt, ſed infra illud, iam non eſt Deus, ſed creatura infinitè à Deo diſtans. Quod ipſum iam longè antea obſervaverat Tertullianus lib. 1. contra Marcionem cap. 6. hiſce verbis: *Quia Deus non erit dicendus, quia nec credendus, niſi ſummum magnum. Cùm ergo ſummum magnum cogatur agnoſcere, quem Deum*

non

non negat ; non poteſt admitti vt ſummo magno aliquam adſcribat diminutionem, qua ſubijcitur ſummo magno. Definit enim ſi ſubijciatur. Præterea vt idem Anſelmus aſſerit in Proslogio, tribus etiam primis capitibus, omninum animis inſitum eſt, vt Deus ſit id, quo nihil melius & excellentius cogitari poteſt. Ergo repugnat Filium Dei Deum in ſacris litteris appellari, ſi habet aliquid excellentius & ſublimius ſupra ſe. Quare ſi ſecundum dignitatis gradum habet, vt loquitur Origenes, & poſt ipſum Ariani, non eſt Deus, ſed creatura ſimpliciter, contra teſtimonia Scripturæ.

9 CONTRA III. Nequit enim intelligi quo pudore Ariani ſubijciant, ſeu inferiorem faciant Filium Dei alteri maiori ac ſummè magno, dum Deum illum in ſuæ fidei formulis profitentur. Id enim eſt non Chriſtiano ritu, ſed iuxta Ethnicam ſuperſtitionem ſentire & loqui. Gentilium enim inanis religio fuit ſub vno aliquo maiore ac ſummo Deo plures alios Deos inferiores colere ac venerari. Quod ſuperſtitionis genus à ſe & ab omnibus Chriſtianis repellit idem Terrullianus lib. contra Hermogenem cap. 17. dum ait: *Neque enim proximi erimus opinionibus nationum, quæ, ſi quando coguntur Deum confiteri, tamen & aliòs infra idipſum volunt. Diuinitas autem gradum non habet, vtpotè vnica.* Et Irenæus ante illum dixerat lib. 4. cap. 5. *Qui ſuper ſe habet aliquem ſuperiorem, & ſub alterius poteſtate eſt, hic neque Deus, neque magnus rex dici poteſt.* Auguſtinus quoque Tract. 18. in Ioannem opportunè admodum ita contra Arium invehitur: *Sequere, & hoc fortiùs tene, quia Deus erat Verbum. Et hoc, inquit, teneo: ſed ille Deus maior, ille minor. Iam neſcio quid paganum redolet: cum Chriſtiano me loqui arbitrabar.* Similiter Baſilius Seleucienſis Arianos, veluti Ethnicorum more ſentientes ac loquentes perſtringit, dum ait: Μεγας Θεὸς, καὶ μικρὸς, παρ' ἐκείνοις εὑρίσκεται, id eſt, *Magnus Deus & parvus apud illos invenitur.* Quare dum Filium inferiorem Deo ſummo faciunt, iam nequeunt illum cenſere aut dicere Deum, niſi æquivocè & appellatione tenus, quemadmodum homo pictus dicitur æquivocè homo: vt obſervant ex impia illorum perfidia Nazianzenus Orat. 35. & Cyrillus Alexandrinus Dialogo 4. de Trinitate. Quomodo autem *verus Deus*, iuxta teſtimonium Ioannis, ſi ſolùm æquivocè Deus, & nomine tenus? Quis hominem pictum dicat verum nominem? Egregiè porrò Hilarius, & opportunè admodum. *Quæro quid ſignificationis habeat Deus, & non Deus verus. Non enim verbi huius apprehendo rationem, ſi dicatur mihi, Ignis eſt, ſed non verus ignis, aut, Aqua eſt, ſed non vera aqua: & quæro, in quo eiuſdem generis veritas à generis eiuſdem veritate diſſentiat. Quod enim ignis eſt, non poteſt eſſe ne verus ſit: nec natura manens poteſt eo carere quod vera eſt. Prima aquæ quod eſt, & per id poteris abolere ne vera ſit: cæterum ſi aqua maneat, etiam in eo neceſſe eſt perſiſtat, vt vera ſit. Poteſt demum ita natura perire, ſi non ſit: verùm non poteſt non vera eſſe, ſi maneat. Aut Deus verus eſt Filius Dei, vt Deus ſit: aut ſi non eſt verus Deus, non poteſt id etiam eſſe, quod Deus eſt: quia ſi naturæ non ſit, non naturæ competit nomen: ſi autem naturæ in eo nomen eſt, non poteſt ab eo veritas abeſſe naturæ.* Hactenus ille Gallicæ eloquentiæ Rhodanus, vt cum Hieronymo loquar. Denique Ambroſius quemlibet ex eadem Arianorum fœce ita reijcit: *Dicis interdum Deum Chriſtum. Sed ita dic Deum, vt Deum verum, vt plenitudinem ei paternæ diuinitatis aſſignes, &c. Non enim perfunctoriè nuncupandus Deus: ſed ita, vt eandem diuinitatem prædices de Filio, quam habet Pater.* Verùm eandem perfidiam vberiùs confutabimus in progreſſu.

SECTIO II.

Diuinitas eadem Filij ſuadetur ex proprietatibus naturæ diuinæ, quæ ipſi conveniunt, iuxta expreſſa Scripturæ teſtimonia. Excurritur per præcipuas illarum, obſervatas ab Anſelmo.

10 TRITVM Eſt inter Philoſophos omnes, & naturæ lumine demonſtratum, cuicumque conveniunt alicuius rei proprietates, & notiones peculiares, etiam ipſius eſſentiam veritatemque convenire. Quare quiſquis intelligendi ac volendi facultate præditus verè ac propriè, is neceſſe eſt ſubſtantia aliqua ſpiritali conſtet, cuius eæ ſint proprietates. Vis etiam admirandi ac ridendi eſt propria naturæ humanæ notio, nec niſi vero homini, convenire poteſt. Quare nec proprietates Dei, ſive divinæ naturæ, poſſunt competere alicui, niſi vero Deo, & ſolida divinitate prædito. Atqui profectò illæ omnes conveniunt Filio Dei. Ergo eſt verus Deus, & ſolida divinitate præditus, contra quàm Ariani ſuprà numer. 6. effutiebant. Aſſumptionem probat Anſelmus infrà capit. 45. aliàs 44. concludens:

Similiter ergo Filius eſt Patris eſſentia, virtus, & ſapientia, ſiue veritas, & iuſtitia, & quidquid ſummi ſpiritus conuenit eſſentiæ. Quæ verba ampliſsimam nobis occaſionem præbent diſſerendi hoc loco. Porrò Ariani aſſumptionem negabant, vt conſtat ex Patribus, qui cum ijs diſſuerunt; ac nominatim ex Cyrillo in libro contra Anthropomorphitas cap. 19 dum inquit: *Si verè credant, Deum eſſe, & ex Deo Patre ſecundùm naturam ortum eſſe Filium, cur non illi quæ naturæ diuinæ conſentanea ſunt accommodant? Quòd ſi nomen ipſi quidem affingunt Dei, diuinitatis autem inſignibus ipſum ſpoliant, neſciunt ſe ad creaturarum ſortem earum Conditorem demittere, & in earum, quæ facta ſunt, conditione collocari à ſe Creatorem vniuerſorum & Dominum.* Verùm vt ijs mutis eſſe liceat, oſtendendum erit illuſtribus Scripturæ teſtimonijs, non omnibus, quæ plurima ſunt, ſed quibuſdam, peculiares ſolidæ divinitatis notas, ſeu proprietates, verè Filio Dei convenire.

11 AC Primò quidem æternitatem eſſe proprietatem Dei, videtur naturæ lumine manifeſtum, atque omnium animis inſitum: ideoque Cicero, Gentilis licèt, aiebat lib. 1. de Natura Deorum: *Sed nos Deum, niſi ſempiternum intelligere, quomodo poſſumus?* Deinde Tertullianus lib. contra Hermogenẽ cap 4. *Quis enim alius Dei cenſus, quàm æternitas? quis alius æternitatis cenſus quã ſemper fuiſſe, & futurum eſſe, à prærogatiua nullius initij, & nullius finis? Hoc ſi Dei eſt proprium, ſolius Dei erit, cuius eſt proprium.* Quod ipſum luculenter probat Anſelmus ſupra cap 15. & deinde confirmat cap. 27. dicens: *Vel hoc ſolo veram æternitatem ſoli ineſſe illi ſubſtantiæ, quæ ſola non facta, ſed factrix eſſe inuenta eſt, aperte percipitur: QVONIAM VERA ÆTERNITAS PRINCIPII FINISQVE METAM CARERE INTELLIGITVR. QVOD NVLLI RERVM CREATARVM CONVENIRE, EO IPSO QVOD DE NIHILO FACTÆ SVNT, CONVINCITVR.* Vide plurima à nobis circa id obſervata tota Diſput. XLII. Atqui æternitas verè competit Verbo, ſive Filio Dei. Ergo & proprietas aliqua Dei, ſive divinæ naturæ. Aſſumptio ſuaderur illuſtri teſtimonio Ioannis aientis initio ſui Evangelij: *In principio erat Verbum.* Vbi τὸ *erat*, æternitatem deſignat planè: vt vidimus ſuprà Diſput. LVII. num. 22. Similiter in Epiſtol. Canon cap. 1. verſ. 20. dicitur Chriſtus, ſive Verbum Dei, *vita æterna.* Quin & ipſe Dominus de ſe inquit ad eundem Ioannem Apocalyps. 1. verſ. 2. *EGO SVM A. ET Ω. PRINCIPIVM ET FINIS, dicit Dominus Deus, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt.* Quin & Pſalmo 118. verſ. 89. dictum longè antea fuerat: *In æternum Domine, Verbum tuum permanet in cœlo.* Mitto teſtimonia Patrum in ea loca, cùm non habeant opus interprete, ſed per ſe clariſsima ſint. Æternitas igitur convenit Filio Dei.

12 DEINDE Omnipotentiã quam Anſelmus verbis num. 10. allegatis *virtutem* Dei appellat, manifeſtum eſt Filio Dei convenire: non ſolùm quia in teſtimonio nuper indicato Apocalypſis dicatur ſtatim *omnipotens*: ſed etiam quia ab Apoſtolo 1. Corinth. 1. verſ. 4 vocatur *Dei virtus, & Dei ſapientia.* Sed & ipſe Dominus eandem ſibi potentiam, immo & operationem cum Patre tribuit Ioannis 5. verſ. 19. *Non poteſt Filius à ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem ſic facientem. Quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit.* In quæ verba vide illuſtre teſtimonium Hilarij infrà ſect. ſeqnent. Atqui omnipotentiam eſſe propriam divinitatis notam, adeò apertum eſt, vt non, niſi fruſtra, in eo probando tempus impendam Ergo Filius Dei hanc quoque propriam habet ſolidæ divinitatis notam.

13 PRÆTEREA Sapientia, nimirum ſumma, & quæ ad omnia extendatur, propria eſt Dei: cui ſoli æquè cognatum & peculiare eſt omniſcium eſſe, ac omnipotentem. Atqui illam Filio Dei convenire ſatis declarat Apoſtolus verbis nuper allegatis, dum illum appellat Dei virtutem, & Dei ſapientiam. Non ait, Filium Dei habere ſapientiam. Nam qui ſapientiam habet, ſed tamen per ſe ipſum ſapientia non eſt, poteſt illam habere limitatam, quemadmodum omne accidens limitatur ex ordine ad ſubiectum. Ait itaque, Filium eſſe *ſapientiam*; & non qualemcumque ſapientiam, ſed *Dei*: quæ ſanè ſumma eſſe debet, & extendi ad omnia: tum quia eſt ſapientia identitatem habens cum ſubſtantia ſeu perſona ipſius ſapientis, quod planè arguit infinitam perfectionem: tum quoniam eſt ſapientia Dei, quem non decet ſapientia, niſi ſumma, & cui nihil non ſit planè notum. Hæc igitur etiam nota divinitatis competit Filio Dei.

14 IAM Quòd ipſum Dei Verbum ſit veritas, & iuſtitia ſive ſanctitas (quod Anſelmus ſuprà ſecundo loco poſuit) idem Dominus de ſeipſo profert Ioannis teſtimonio, dum

dum ait: *Ego ſum Via, Veritas & Vita.* Similiter Apocal 3. v. 7 *Hæc dicit Sanctus, & Verus, qui habet clavem Dauid.* Deinde v. 14. *Hæc dicit: Amen, teſtis fidelis, & verus, qui eſt principium creaturæ Dei.* Denique, vt plurima alia omittam, ipſe ait Math. 24. & Lucæ 21. *Cœlum & terra tranſibunt: Verba autem mea non tranſibunt.* Atqui eſſe veritatem ipſam, ſive eſſe ſummè veracem, eſt proprietas Dei in ſacris litteris expreſſa. Propterea enim Apoſtolus ait Rom. 1. *Eſt autem Deus verax, omnis autem homo mendax, ſicut ſcriptum eſt.* Et certè quemadmodum ſolius Dei proprium eſt, vt ſit ſummè bonus, & ſapiens, qui proinde nec fallere nec falli poſsit: ita etiã, vt ſit ſummè verax.

15 RVRSVS Inter proprietates Dei cenſetur quòd ſit ἀθάνατος καὶ ἀόρατος, id eſt, *immortalis & inuiſibilis*, iuxta illud 1. Timoth. 1. v. 17. *Regi autem ſæculorum immortali, & inuiſibili, ſoli Deo, honor & gloria.* Vtrumque autem id competit Filio Dei iuxta ſacras litteras. Primum patet ex ijs teſtimonijs, quibus probata fuit n. 11. æternitas Filij. Quidquid enim æternum eſt, caret initio & fine (in quo ſitam eſſe rationem æternitatis demonſtravit ſuprà Anſelmus cap. 17. & nos cum ipſo Diſp. XLI.) Quidquid autẽ caret initio ac fine, id planè eſt immortale, vt patet. Huc ſpectat quòd de eodem Filio legitur Apocal. 1. v. 8. *Qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt.* quâ loquendi formulâ ſignificatur æternitas, ſeu omnimoda immortalitas Dei penes tempus præteritum, præſens, & futurum. Lege Athanaſiũ Orat. 2. contra Arianos, & Cyrillum lib. 4. Theſauri, vbi ex ijs verbis æternitatem & diuinitatem Filij probant.

16 QVOD Autem ἀόρατος, ſeu *inuiſibilis* ſit Filius, negatum fuit ab Arianis pertinaciter: vt teſtantur Ambroſius lib. 1. de Spiritu ſancto cap. 4. Auguſtinus Tract. 3. in Ioannem, & lib. 8. de Geneſi ad litteram cap. 27. ac Sœbadius, aliàs Phœbadius, lib. cõtra Arianos apud Biblioth. Magnam Tomo IV. Sæculo IV. Nimirum, putabant, vt inquit Auguſt. poſteriori loco ex allegatis, *Subſtantiam Filij Dei, nullo aſſumpto corpore, per ſeipſam eſſe viſibilem: & ideo antequam ex Virgine corpus acciperet, ipſum viſum eſſe Patribus: tanquam de ſolo Patre dictum ſit: Quem nemo hominum vidit, nec videre poteſt: quia Filius viſus ſit ante acceptam Dei formam, etiam per ſubſtantiam ſuam.* Sed enim non magis viſibilem eſſe Filium Dei quoad ſubſtantiam & perſonam ſuam, quam Patrem, immo & vtrũque ſimul videri, vbi alter videtur, conſtat planè ex ijs Chriſti verbis Ioannis 14. verſ. 9. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem.* Vbi Chriſtus non loquitur de viſione ſui materiali, ſive quoad lineamenta externa, quæ oculis & alijs ſenſibus percipiuntur: ſed de intellectuali, & attingente ſubſtantiam perſonæ ipſius. Nimirum, id refertur ad verba paulo antè prolata: *Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognouiſtis me.* Ergo loquitur de perſona ac ſubſtantia ſua divina, quam eouſque diſcipuli non cognoverant: nullatenus verò de ſpecie externa, quam toties viderant. Itaque tam ſubſtantia divina & perſona Filij, quàm Patris, eſt ἀόρατος ſive inviſibilis. Quò ſpectant verba illa eiuſdem Chriſti Math. 11. num. 27. *Nemo nouit Filium, niſi Pater: neque Patrem quis nouit niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Habemus ergo vtramque illam proprietatem veræ divinitatis probatam in Filio.

17 DENIQVE, Et ipſe habet *quidquid ſummi ſpiritus conuenit eſſentiæ*, vt loquitur Anſelmus verbis num. 10. allegatis. Omnes enim perfectiones, quas Theologi agnoſcunt in divina natura, & Græci dicunt τέλεια κατηγορήματα, Scholaſtici verò Attributa, competere Filio Dei, conſtat generatim ex illis ipſius verbis Ioannis 16. v. 15. *Omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt.* Nimirum, quidquid ad naturam ſive ſubſtantiam Patris ſpectat, æquè indiviſim, & per identitatem competit Filio Dei: vti per ſe patet, atque copioſè exponit Cyrillus lib. 9. Theſauri, inde prætereà colligens: ὁ δὲ τῆς πατρικῆς οὐσίας ἔχων τὰ ἴδια, εἴη πάντως ἂν καὶ ὁμοούσιον. *Qui paternæ ſubſtantiæ propria habet omnia, neceſſariò eiuſdem eſt cum illo ſubſtantiæ.* Patet itaque luculentis Scripturæ teſtimonijs, Filio Dei veram divinitatem convenire, ſicuti patet ipſi competere proprietates illas, quæ ſoli divinitati conveniunt.

(*)

CAPVT XLVI. Aliàs XLV.

QVOMODO QVAEDAM EX HIS, QVAE SIC PROFERUNTUR, aliter quoque poſsint intelligi.

27 VIDETVR Tamen, quædam ex his, quæ ſic proferri, & intelligi poſſunt, aliam quoque non incongruã ſub hac ipſa pronuntiatione intelligentiam ſuſcipere. Liquet enim Filium eſſe verum Verbum; id eſt, perfectam intelligentiam, ſive perfectam totius paternæ ſubſtantiæ cognitionem, & ſcientiam, & ſapientiam: id eſt, quæ ipſam Patris intelligit eſſentiam, & cognoſcit, & ſcit, & ſapit. Si igitur hoc ſenſu dicatur Filius Patris intelligentia, & ſapientia, & ſcientia, & cognitio, ſive notitia; quoniam intelligit, ſapit, & ſcit, & novit Patrem; nequaquam à veritate diſcedituꝛ.

28 VERITAS Quoque Patris aptiſsimè dici poteſt Filius; non ſolùm eo ſenſu quia eſt eadem Filij veritas, quæ eſt & Patris (ſicut iam perſpectum eſt) ſed etiam hoc ſenſu, vt in eo intelligatur non imperfecta quædam imitatio, ſed integra veritas paternæ ſubſtantiæ: quia non eſt aliud, quam quod eſt Pater.

SCHOLION IN CAPVT XLVI.

SECTIO TERTIA.

Filium eſſe perfectam intelligentiam, ſiue cognitionem, ſcientiam, & ſapientiam paternæ ſubſtantiæ, ſimilit erque Veritatem Patris. Doctrina Anſelmi ex Conciliis & Patribus illuſtrata.

29 PROSEQVITVR Anſelmus tractationem inchoatam, & ſummatim docet in hoc capite, cohærenter ad duo proximè præcedentia, Filium etiã dici poſſe perfectam intelligentiam, & cognitionem, & ſcientiam, & ſapientiam Patris: quoniam perfectè intelligit, & cognoſcit, & & ſapit ipſam Patris eſſentiam. Inſuper appellari poſſe veritatem Patris eodem ſenſu: quoniam non eſt quædam eius imperfecta imitatio, ſed integra veritas, atque ipſa eſſentia paternæ ſubſtantiæ, & non aliud, quàm quod eſt ipſe Pater. Quæ omnia breviter percurremus, quoniam iam ſatis in ſuperioribus explanata ſunt.

30 *VIDETVR TAMEN, &c.* Quod hactenus dictum & probatum eſt, Filium dici poſſe verè ac propriè eſſentiam Patris, manuducit facilè, vt eadem proprietate dicatur, verum Patris ipſius Verbum eſſe, id eſt, perfectam intelligentiam, cognitionem, ſcientiam, & ſapientiam paternæ ſubſtantiæ: quoniam perfectè, id eſt, non eſt accidenti, aut per gratiam, ſed per ſe, ſive per naturam ſibi communicatam à Patre, intelligit, & cognoſcit, & ſcit, & ſapit, ipſam Patris naturam, ſeu eſſentiam & ſubſtantiam. Nimirum, hoc ipſum eſt, quod præcedenti ſectione audivimus ex Athanaſio in fine Protreptici, Filium Dei eſſe αὐτολόγον, αὐτοσοφίαν, id eſt, *perſe-Verbum*, *perſe-ſapientiam*; non μετοχὴ, *participatione*, aut tanquam ἕξιν, vel σχέσιν, id eſt, *habitum*, ſive *affectionem*, vt in nobis contingit noſſe Deum: ſed tanquam Verbum conſubſtantiale Patri, quod eandẽ omnino naturã, & intelligentiam & cæteras ſubinde perfectiones, cum illo communes habet. Verũ exhibeamus idipſum planiùs ab Athanaſio ibidẽ explicatũ hiſce verbis Latinè redditis:

Fi-

Filius non participatione eſt omnia iſta, nec extrinſecus aduenientia poſsidet, quemadmodum ij, qui ipſius ſunt participes, & per ipſum ſapientes fiunt, ac potentes, & rationales in ipſo redduntur. SED EST IPSISSIMA SAPIENTIA, IPSISSIMA RATIO, VEL VIRTVS, AC PATRIS PROPRIA. &c. Hoc nimirum, ſenſu, ac titulo ſpeciali Filius præ omnibus creaturis rationalibus, dicitur ſapientia, ratio, Verbum, & virtus propria Patris.

31 CONSONAT Athanaſio, ſicuti & Anſelmo, Catena Græca calamo ſcripta apud Regiam Bibliothecam Pariſienſem, in Evangelium Ioannis ad illud capitis primi, *De plenitudine eius omnes accepimus.* ſuprà quæ verba ſic loquitur, iuxta verſionem Petavij, de Filio Dei: *Non habet participatum donum; ſed ipſiſsimus fons, ipſiſsima radix omnium eſt bonorum; ipſiſsima Vita, ipſiſsima lux, ipſiſsima Veritas; non in ſeipſo continens diuitias; ſed etiam etiam in alios omnes effundens; & cùm effuderit, plenus nihilominus manens.* Itaque peculiari excellentia, & longiſsimè ſuperante omnem creaturam rationalem, Filius Dei eſt intelligentia & ſapientia Patris. Quin & Dionyſius Alexandrinus diſſerens contra Paulum Samaſotenum eripientem Chriſto divinitatem, probat illum eſſe verum Deum, quia non ex accidenti, inſtar aliorum iuſtorum, ſed per ſe & natura ſua iuſtus ac ſanctus eſt, immo ipſa iuſtitia & ſanctitas: ſubditque de ipſo: *Naturalis enim iuſtitia & diuina virtus eſt.* Patet verò, eandem prorſus rationem eſſe de ſapientia & ſcientia, ac de ſanctitate & iuſtitia, vt vtraque per ſe conveniat Filio Dei, & pariter ſit Patris ſapientia & ſcientia, ac ſanctitas & iuſtitia. Præterea Origenes, quamvis hæreſeos Arianæ ſemina iecerit varijs locis, vt vidimus Diſp. LIV. ſect. 1. alibi tamen oppoſitum tradidiſſe videtur, nimirum, in præfatione ad Evangelium Ioannis, vbi probat, Chriſtum eſſe bona omnia, ac proinde Deum. Eſt enim vita, & lux, & ſapientia, & iuſtitia, non qualitercumque, ſed αὐτοσοφία, & αὐτοδικαιοσύνη, id eſt, *perſe-ſapientiam*, & *perſe iuſtitia.* quod ſolius Dei proprium eſt. Clariùs Gregorius Nyſſæ Antiſtes ait: κατὰ τὴν ἑαυτῆς φύσιν, ἀληθείας τε, καὶ σοφίας, καὶ δυνάμεως ἰδία ἐστί. id eſt, *natura ſua Veritatis & ſapientiæ, & Virtutis eſt ſubſtantia.*

32 *VERITAS QVOQVE PATRIS, &c.* Quemadmodum nuper oſtenſum fuit, Filium verè & propriè eſſe intelligentiam & ſapientiam Patris: ita nunc addit Sanct. Doctor, eundem quoque eſſe Patris veritatem; idque duplici ratione. *Prima* eſt; quoniam Pater & Filius eſt eadem omnino veritas, vt iam ſuprà docuit; nimirum, cap. 38. dicens: *Licet enim ille* (ſcilicèt Pater) *ſingulatim & perfectè ſit ſumma Veritas & Creator, & Verbum eius ſit ſumma Veritas & Creator: non tamen ambo ſimul ſunt duæ Veritates, & duo Creatores.* Quod ipſum nos cum S. Doctore ex inſtituto probavimus ſuprà Diſput. LXXII. per totam. Ergo Filius propriè ac per ſe eſt veritas Patris. Patet conſequentia. Propterea enim propriè ac per ſe eſt eſſentia & ſapientia Patris, quia accipit ab eo eſſentiam, & ſapientiam eandem omnino, qua Pater exiſtit & ſapit. Si ergo pariter ab eo accipit eandem omnino veritatem Patris, profectò per ſe ac propriè Patris veritas eſt. Sed de hoc ibidem latiùs egiſſe ſufficiat. *Secunda* ratio, qua vtitur impræſenti eſt: quia Filius non eſt veritas quædam participata aut delibata à veritate Patris, quemadmodum aliæ veritates extra Deum: ſed eſt integra veritas paternæ ſubſtantiæ, vtpote cum qua vnum prorſus & idem eſt, tanquam Verbum ὁμοούσιον, *conſubſtantiale* Patri. Ergo ſicuti propterea dicitur eſſentia ſive ſubſtantia Patris, ita etiam veritas Patris per ſe ac propriè dici debet. Sic etiam in Proſlogio cap. 2. Patrem alloquitur dicens: *Verbum tuum ſic eſt Verum, quomodo tu Verax. Et idcirco eſt ipſa Veritas ſicut tu, non alia.* Denique, vt plura alia omittam, eadem proprietate, qua de Filio Dei prædicatur Deitas, & reliquæ perfectiones abſolutæ, abſque multiplicitate aut partitione vlla, prædicatur etiam veritas, indicto anathemate contrà loquentibus, à Sanct. Damaſo Papa apud Theodoretum lib. 5. cap. 10. in Anathematiſmis contra hæreſes Arij, Apollinaris, & aliorũ, his verbis: *Si quis non dixerit, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti Vnam Deitatem poteſtatem, imperium Vnum, gloriam, dominationem Vnam, regnũ Vnum, Voluntatem*, & ΑΛΗΘΕΙΑΝ, id eſt, *VERITATEM, anathema ſit.* Eſt igitur Filius veritas Patris, quemadmodum & eſſentia, & poteſtas, & cæteræ perfectiones abſolutæ.

33 QVOD Autem vltimo loco ſubdit Anſelmus de Filio, *non eſt aliud, quàm quod eſt Pater*, pertinet ad regulam ex ipſius doctrina toties explanatam, quòd licèt alius ſit & dicatur Pater à Filio, non tamen *aliud.* Vnde in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. prout refertur in cap. *Firmiter* de Summa Trinitate, dicitur: *Licèt igitur alius ſit Pater, alius Filius, alius Spiritus ſanctus, non tamen ALIVD: ſed id quod eſt Pater, eſt & Filius, & ſpiritus ſanctus.* Verùm longè

antea in VI. Synodo Generali cautum fuerat Actione 11. vbi Sophronius Patriarcha Hieroſolym. in Epiſt. ad Sergium ait: *Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, non dicuntur alterum, & alterum, & alterum.* Rationemque ſubiungit, paucis interiectis. *Non enim alius Deus Pater, neque alius rurſum* (Deus) *Spiritus ſanctus: quoniam nec alia natura eſt Pater, nec alia natura Filius, neque alia natura rurſus Spiritus ſanctus.* Nimirum ex cõmuni ſenſu Conciliorum, & SS. Patrum; *aliud* ſignificat diſtinctionem in natura, *alius* in perſona. Cùm igitur fide ſanctum ſit, naturam ſive eſſentiam Patris & Filij, ſicut & Spiritus ſancti, eſſe prorſus vnam & eadem, perſonas verò reipſa diſtinctas, conſequens eſt vt Filius non ſit *aliud*, ſed *alius* à Patre. Vnde meritò ac ſapienter concludit hoc caput Anſelmus dicens de Filio: *Non eſt aliud, quàm quod eſt Pater.*

CAPVT XLVII. Aliàs XLV.

QVOD FILIVS SIT INTELLIGENTIA intelligentiæ, & veritas veritatis.

34 AT Si ipſa ſubſtantia Patris eſt intelligentia, & ſcientia, & ſapientia, & veritas; conſequenter colligitur, quia ſicut Filius eſt intelligentia, & ſcientia, & ſapientia, & veritas paternæ ſubſtantiæ; ita eſt intelligentia intelligentiæ, ſcientia ſcientiæ, ſapientia ſapientiæ, & veritas veritatis.

SCHOLION IN CAPVT XLVII.

35 HOC Caput non eget ſpeciali explanatione ſupra tria præcedentia. Quemadmodum enim in ijs probatum fuit, Filium eſſe intelligentiam, ſcientiã, ſapientiam, & veritatem Patris; ita etiam nunc oſtenditur, eundem Filium eſſe intelligentiam intelligentiæ, ſcientiam ſcientiæ, ſapientiam ſapientiæ, & veritatem veritatis. Ideo enim primum illud dicitur, quia ipſa ſubſtantia Patris, eſt intelligentia, & ſcientia, & ſapientia, & veritas: ac proinde Filius, qui eſt eadem ſubſtantia, ſive eſſentia Patris, debet eſſe, ſicut illa, intelligentia, ſcientia, ſapientia, & veritas ipſius Patris. Ergo ob eandem rationem debet eſſe eiuſdem intelligentiæ intelligentia, ſcientiæ ſcientia, ſapientiæ ſapientia, & veritas veritatis.

36 NEQVE Inde colligas, aut in re, aut ex mente S. Doctoris, Filium Dei eſſe intelligentiam, aut ſapientiam &c. diſtinctam ab intelligentia, vel ſapientia Patris. Id enim falſum omnino eſt, & non modò contrarium Anſelmo in ijs capitibus, ſed etiam fidei Catholicæ, quæ nullam multiplicitatem admittit in divinis perſonis quoad eiuſmodi perfectiones, vt vel ex dictis ſuperiùs patet, quamvis alia teſtimonia deeſſent. Quare Filius non dicitur *intelligentia intelligentiæ, &c.* quaſi per intelligentiam ſuam conſideret, vel ſpeculetur aliam omnino intelligentiam Patris, qualiter contingit in nobis, qui per habitũ Theologiæ, v. g. in nobis reſidentem conſideramus alium diſtinctum habitum Theologiæ exiſtentem in quopiam alio: ſed ita accipiendum eſt, vt Filius ſit ipſa intelligentia, quæ eſt Pater, & per illam intelligat Filius ipſam intelligentiam, quæ eſt intelligentia Patris, vt ipſe Anſelmus exponit in fine capitis ſequentis: tum quoniam intelligentia divina in qualibet perſona eſt intelligentia ſuiipſius, & trium perſonarum: tum præterea, quia Filius ſpeciatim procedit per intelligentiam, ſapientiam, & ſcientiam Patris, tanquam ipſius propriam locutionem: vt Sanct. Doctor ſuprà latè expoſuit cap. 29. & ſeqq. ac nos ibidem in Scholijs vberrimè explavimus.

CAPVT XLVIII. Aliás XLVI.

QVOD ET QVOMODO FILIVS SIT INTELLIGENTIA, vel ſapientia memoriæ, & memoria Patris, & memoriæ.

37 DE Memoria verò quid ſentiendum eſt? An æſtimandus eſt Filius intelligentia memoriæ, ſive memoria Patris, aut memoria memoriæ? Equidem cùm ſumma ſapientia ſui memor eſſe negari non poſsit, nihil competentius, quàm in memoria Pater, ſicut in Verbo Filius intelligitur: quoniam de memoria naſci Verbum videtur.

38 QVOD Clariùs in noſtra mente percipitur. Quoniam namque mens humana non ſemper ſe cogitat, ſicut ſui ſemper meminit: liquet cùm ſe cogitat, quòd verbum eius naſcitur de memoria. Vnde apparet, quia ſi ſemper ſe cogitaret, ſemper verbum eius de memoria naſceretur. Rem etenim cogitare, cuius memoriam habemus, hoc eſt, mente eam dicere. Verbum verò rei eſt ipſa cogitatio ad eius ſimilitudinem ex memoria formata. Hinc itaque liquidò animadverti poteſt de ſumma ſapientia, quæ ſic ſemper ſe dicit, ſicut ſemper ſui memor eſt: quia de æterna memoria eius coæternum Verbum naſcitur.

39 SICVT Igitur Verbum congruè intelligitur proles: ita memoria, parentis nomen aptiſsimè ſuſcipit. Si ergo proles, quæ omnino de ſolo ſummo ſpiritu nata eſt, proles eſt memoriæ eius; nihil conſequentius, quã quia memoria ſua eſt idem ipſe. Quippe non in eo, quod ſui memor eſt, id eſt, in ſui memoria, velut alia res in alia, quemadmodum ea, quæ ſic ſunt in humanæ mentis memoria, vt non ſint ipſa noſtra memoria: ſed ſic eſt memor ſui, vt ipſe memoria ſua ſit.

40 CONSEQVITVR Itaque, vt quomodo Filius eſt intelligentia, ſive ſapientia Patris; ita ſit & paternæ memoriæ. At quidquid Filius ſapit, aut intelligit, eius ſimiliter & meminit. Eſt igitur Filius memoria Patris, & memoriæ; id eſt, memoria memor Patris, qui eſt memoria: ſicut eſt ſapientia Patris, & ſapientia ſapientiæ, id eſt, ſapientia ſapiens Patrem ſapientiam.

41 ET Quidem Filius memoria nata de memoria, ſicut ſapientia nata de ſapientia: Pater de nullo nata memoria vel ſapientia.

SCHO-

SCHOLIA IN CAPVT XLIII.

SECTIO IV.

Verbum diuinum eſſe intelligentiam & ſapientiam memoriæ, quoniam naſcitur ex vi memoriæ fœcundæ, & indiſtinctæ ab ipſo Patre. Illuſtratur doctrina Anſelmi, & reijcitur quædam recens opinio aliquorum Theologorum.

41 STATVTO Iam capite præcedenti, Verbum eſſe intelligentiam intelligentiæ, pergit S. Doctor ad inquirendum, An Filius etiã exiſtimandus ſit intelligentia memoriæ, ſive memoria Patris, aut memoria memoriæ. Vt verò quæſtionem hanc dirimat, præmittit initio, negari non poſſe quòd ſumma ſapientia, ſive Deus ſummè ſapiens, ſit ſemper memor ſui; id eſt obiectivè præſens ſuo intellectui, neceſſariò exiſtenti in actu perfectiſsimo cognitionis ſui ipſius Eſt enim Deo eſſentialis ſumma felicitas, quæ potiſsimùm ſita eſt in actuali & perfectiſsima contemplatione ipſius Dei: vt latè expoſuimus in Opere de Virtutibus & Vitijs diſp. 3. præſertim quæſt. 10. per totam. Idem autem eſt, Deum ſemper contemplari ſeipſum perfectè, ac ſemper & ſumma perfectione ſui memorem eſſe. Ergo Deus ſemper, ac ſummè perfectè, ſui ipſius memor eſt. Rurſus præmittit, *nihil competentiùs quàm in memoria Patrem, in Verbo Filium intelligi: quoniam de memoria naſci Verbum videtur.* Nimirum. ſenſus eſt, cùm iuxta S. Doctorem, Verbum divinum dicatur, ſeu exprimatur à Patre per intellectum fœcundum notitia comprehenſiva omnium eorum, quæ in Deo ſunt formaliter & eminenter, vt vidimus ſuprà Diſp. LXIV. & LXV. per totas; conſequens eſt, vt oriatur ex memoria fœcunda ipſius. Memoria enim intellectualis (vt nihil interim dicam de ſenſitiva) non differt ab intellectu quatenus fœcundato per ſpecies repræſentativas rerum: vt colligitur ex D. Thom. 1. p. q. 79. art. 7. & cum ipſo diximus diſput. 83. de Anima ſect. 3. Quare Patri æterno exprimenti ac generanti Verbum, ſive Filium, per intellectum fœcundatùm eſſentia divina, veluti ſpecie infinita, & comprehenſivè repræſentante omne verum, ſaltem neceſſarium; tribuitur ſpeciatim memoria fœcunda, ſicuti & Filio ratio propria Verbi: vt Diſp. LXII per totam traditum eſt. Imperfectiones verò illæ, quas memoria in nobis comites habet, procul à Deo ſunt.

42 *QVOD CLARIVS IN NOSTRA MENTE CERNITVR, &c.* Verbum divinum naſci de memoria Patris, probat S. Doctor ex analogia mentis creatæ ad increatam & paternam. Probat autem ferè ſic. Quoties mens humana cogitat ſeipſam (quod non ſemper facit) aliquod interius verbum naſcitur ex memoria hominis. Atqui ſumma ſapientia, id eſt, Pater æternus, ſemper ac neceſſariò ſeipſum cogitat, ſive intelligit: vtpotè actus purus in intelligendo. Ergo ſemper ac neceſſariò Verbum aliquod interius naſcitur ex illius memoria. Quæ ratio Anſelmi qualiter accipienda ſit, & quomodo non demonſtret exiſtentiam Verbi diſtincti reipſa à perſona dicente in divinis, niſi ſupponatur doctrina revelata, ſeu fides Trinitatis, iam explicuimus ſuprà Diſp LI.

43 *SICVT IGITVR VERVM, &c.* Ex eadem doctrina colligit, quemadmodum Verbum divinum congruè dicitur proles, ita etiam memoriam fœcundam, per quam oritur, poſſe convenienter appellari parentem. Nimirum, rationem parentis & prolis conſentaneam eſſe Deo, ac dici de illo poſſe, ablatis imperfectionibus proprijs rerum creatarum, iam ſuprà tradidit S. Doctor cap 40. & nos cum ipſo Diſp. LXXXII. ſect. 2. cuius doctrina hoc loci potiùs ſupponenda, quàm probãda eſt. Si autem proles de ſummo ſpiritu ſeu parente nata, oritur ex memoria eius profectò ipſe parens eſt memoria ſui ipſius. Quippe parens æternus non ita ſui memor eſt, ſive non ita eſt in memoria ſui, quemadmodum in memoria hominis ſunt plures res ab ea diſtinctæ: ſed ita, vt ipſe ſit memoria ſui, ſicuti eſt intelligentia & ſapientia ſuiipſius: iuxta doctrinam generatim traditam ab Anſelmo ſuprà cap. 14 & 15. & à nobis cum ipſo Diſp. XXVIII. & XXIX. vbi de ſimplicitate ſumma Dei ſermo fuit. Ergo ſummus ſpiritus, ſive Pater, generans Verbum per memoriam fœcundam ſui, eſt ſua ipſius memoria.

44 *CONSEQVITVR ITAQVE, &c.* Indidem rurſum colligit Anſelmus, quemadmodum ſuprà oſtenſum fuit, Filium eſſe intelligentiam & ſapientiam Patris; ita etiam eſſe intelligentiam paternæ memoriæ. Colligit vlterius, Filium eſſe memoriam memoriæ: id eſt, memoriam memorem Patris, qui eſt memoria ipſa ſui: ſicuti præcedenti capite probatum fuit, Filium eſſe intelligentiam & ſapientiam paternæ intelligentiæ; quatenus eſt intelligentia & ſapientia Patris, qui eſt ipſiſsima intelligentia & ſapientia. Hoc igitur ſenſu Filius congruè dici poteſt memoria paternæ memoriæ.

45 *ET QVIDEM FILIVS, &c.* Concludit, Filium eſſe memoriam natam de memoria, ſicut & ſapientiam natam de ſapien-

pientia;non quidem in abſtracto,ſed in concreto.Cùm enim S.Doctor præmiſerit tribus aut quatuor capitibus præcedentibus vnam omnino & eandem eſſe, tum eſſentiam, tum intelligentiam, ſapientiam, & ſcientiam Patris ac Filij, idem profectò exiſtimandus eſt cenſere de memoria amborum. Ergo ſicuti propterea nunquã ait, Filium eſſe ſapientiam natam de ſapientia in abſtracto (quoniam alioqui eſſet duplex ſapientia in divinis,ſecundùm rationem producẽtis & producti, quod Theologi abſurdum exiſtimant poſt Auguſtinum in Retractationibus lib.1.c.26.& lib.15.de Trinit.c.7. vbi docet, Patrem non eſſe ſapientem ſapientia genita)ſed in concreto tantùm:ita etiam non in abſtracto, ſed in concreto dumtaxat dicendus eſt Filius memoria nata de memoria.id eſt,memoria nata de Patre,qui eſt memoria : ſicuti nuper idem S.Doctor dixit,Filium eſſe memoriam memoriæ;ſcilicet,memoriam Patris,qui eſt ſua ipſius memoria.Eam formulam loquendi vſurpavit S. Doctor ſuprà cap.44.n.17. & nos confirmavimus n.27. expreſſo teſtimonio Auguſtini, qui lib.15.de Trinit.pariter ait,*Filium eſſe ſapientiam de ſapientia,eſſentiam de eſſentia: & tamen Patrem & Filium Vnum eſſe Deum, Vnum lumen, Vnam ſapientiam, Vnam eſſentiam.* Nimirum,vt ibidem explicuimus,ea formula loquendi non eſt accipienda in ſenſu formali & abſtracto,ſed in concreto.

46 NON Tamen deſunt Recentiores aliqui exiſtimantes, Verbum ſecundùm rationem peculiarem ac ſibi propriam,& prorſus relativam,eſſe ſapientiam genitam, ac proinde realiter diſtinctam à Patre,ſicuti ab illo diſtinguitur reipſa quidquid relativum accipit ex ſuę proceſſionis.Id autem difficile eſt.PRIMO quia ſapientia ex ſua ratione formali eſt perfectio abſoluta,ſicuti & cæteræ virtutes intellectuales ac morales, quæcumque in Deo locum habent;& attributa quælibet de genere entis,vt immutabilitas,æternitas, & immenſitas. Ergo quemadmodũ eiuſmodi perfectiones, quoniam ex ſua ratione formali ſunt abſolutæ,nequeunt eſſe relativæ in Filio,nec ipſi convenire ſecundùm hypoſtaſim, quâ differt reipſa à Patre, ſed dumtaxat ſecundùm eſſentiam eandem & vnicam in tribus perſonis:ita etiam exiſtimari debet de ſapientia. RVRSVS. Sicuti Auguſtinus, & Anſelmus,ac cæteri Patres,aiunt, vnam eſſe in tribus perſonis eſſentiam, ita etiam vnam ſapientiam. Ergo ſicuti propterea nemo audebit dicere,Filio ſecundùm hypoſtaſim peculiarem convenire eſſentiam aliquam relativam,& diſtinctam reipſa à Patre : ita etiam nec dici poteſt, ipſi competere ſecundùm hypoſtaſim aliquam ſapientiam relativam, & reverà à Patre diſtinctam.VLTERIVS. Si Filius vltra ſapientiam abſolutam habet præ Spiritu ſancto, vt ſit præterea ſapientia relativa;erit quoddammodo ſapientior illo,ſaltem extenſivè. quod videtur abſurdum. INSVPER. Si ex eo Verbum eſt relativa ſapientia, quia procedit ſpeciatim per intellectionem,quæ eſt ſapientia cùm Spiritus S. etiam procedat per amorem ſpeciatim, etiam erit relativus amor,iſque realiter diſtinctus ab alio amore relativo Patris &Filij,ſe habente vt principio productivo illius. Hoc au ẽ videtur falſum,& contrarium VI. Synodo Generali Act.4. vbi in tribus perſonis dicitur eſſe ſolùm *Vna naturalis Voluntas,& Vna naturalis operatio Voluntatis.* Eadem autem videtur eſſe ratio de duplici volitione relativa,ac de duplici operatione voluntatis. Vide Diſputat. LXXXVI.num.48.& ſeqq.DENIQVE,vt alia omittam,eo gratis permiſſo,ſemper reſtat difficile explicatu, qualiter iuxta Auguſtinum & Anſelmum Filius dicatur ſapientia nata de ſapientia. Quamvis enim ſinamus gratis, Filium ſecundùm propriam hypoſtaſim eſſe ſapientiam relativam in ſenſu formali,ac proinde diſtinctã reipſa à Patre ; adhuc Catholicè profiteri debemus, ſapientiam eiuſmodi eſſe realiter indiſtinctam à ſapientia Patris abſoluta, & communi tribus perſonis.ſicuti Catholica doctrina eſt,nullum prædicatum perſonale ſeu relativum diſtingui reipſa à Deo,vel ab aliquo prædicato abſoluto ipſius: vt latè tradidimus Tomo I. Diſp XXV. & conſtat ex definitionibus Conciliorum Rementis,Lateranenſis,& Florentini, quas ibidem expendimus. Si autem ſapientia perſonalis & relativa Filij non differt reipſa à ſapientia abſoluta Patris ; quomodo Filius erit propriè ſapientia nata de ſapientia ? Quidquid enim propriè naſcitur de aliquo, diſtinguitur reipſa ab illo.Supereſt igitur, vt eæ Auguſtini, & Anſelmi, ſive aliorum etiam Patrum locutiones, accipiantur ſolùm in concreto, ſive in ſenſu identico, vt aiunt; non in abſtracto, ſive in ſenſu formali : ac proinde ex ijs nullatenus colligere licet, Filium ratione ſuæ hypoſtaſeos peculiaris eſſe ſapientiam relativam.

47 QVOD Si verò ijdem Recentiores addant, etiam in Patre eſſe peculiarem ſapientiam relativam, quæ ſit principium productivum alterius ſapientiæ relativæ Filij ; tenebuntur admittere in divinis plures ſapientes ſubſtantivè. Quod certè non minùs abſurdum apparet, quàm admittere tres æternos, & tres omnipotentes ſubſtantivè.DEINDE,in oppoſitum eſt Anſelmus infrà cap. 63 aliàs 60. vbi probat,Deum omnia vnico Verbo dicere,quia per vnicam ſapientiam omnia ſciuntur. PRÆTEREA, Adverſarij idem profectò dicere poterunt,immo & à pari debebũt fateri,de eſſentia,ſive natura,quâ Pater eſt principium produ-

ci-

ctivum Filij: ac proinde tenebuntur admittere in divinis plures eſſentias, ſeu naturas relativas ſecundùm rem diſtinctas. quod hactenus in auditum eſt in Theologia, & abſdubio malè audiet, veluti novum, & minimè cohærens cum modo loquendi Conciliorum ac Patrum, apud quos vnica eſſentia, ſeu natura in divinis tertio quoque verbo aſſeritur. Pariter quoque in Patre tenebuntur aſſerere peculiarem ac relativum intellectum, qui ſit principium productivum alterius intellectus relativi in Filio; & in vtroque relativam voluntatem; & amorem, qui ſit pariter principium productivum alterius relativæ voluntatis & amoris in Spiritu ſancto. Hæc autem omnia eſſe paradoxa, & contra communem ſenſum Theologorum in re graviſsima, nemo non viderit. Quod verò poſtremò addit Anſelmus, Patrem non eſſe memoriam natam, vel ſapientiam, ſed id ſoli Filio convenire, apertè pugnat cum hæreſi Autotheanorum ſuprà reiecta Diſp. LXXXIV.

CAPVT XLIX. Aliàs XLVII.

QVOD SVMMVS SPIRITVS SE AMET.

1 SED Ecce dum huius Patris Filijque proprietates communionemque delectabiliter intueor, nihil delectabilius in illis contemplandum invenio, quàm mutui amoris affectum.

2 QVAM Enim abſurdè negetur ſummus ſpiritus ſe amare, ſicut ſui memor eſt, & ſe intelligit! cùm & rationalis mens & ſe, & illum amare poſſe convincatur ex eo, quia ſui & illius memor eſſe, & ſe & illum intelligere poteſt. Otioſa namque, & penitus inutilis eſt memoria & intelligentia cuiuslibet rei, niſi, prout ratio exigit, res ipſa ametur aut reprobetur. Amat ergo ſeipſum ſummus ſpiritus, ſicut ſui meminit, & ſe intelligit.

DISPVTATIO LXXXVI.

QVALITER SPIRITVS SANCTVS SIT AMOR PATRIS ET FILII.

AD CLARISS. ET SAPIENTISS. D. D. ALPHONSVM DE OLEA, in Supremo Iuſtitiæ Senatu ſpectatiſsimum Conſiliarium, in Valliſoletana Academia Iuris Canonici Anteceſſorem Primarium iam pridem Emeritum, atque olim Præceptorem noſtrum, Virum eximiæ pietatis, integritatis, & modeſtiæ, ac Scriptorem celeberrimum Operis de Iure Ceſsionum & Actionum, &c.

HVCVSQVE *Anſelmus de ſolo ſummo ſpiritu, ſive Patre, eiuſque Filio aſſeruit. Nunc verò incipit agere de vtroque nominatim in ordine ad Spiritum ſanctum, quem in hoc capite auſpicatur ab amore mutuo Patris & Filij. Probat verò in Deo exiſtere amorem,*

quo-

quoniam in ipſo eſt memoria & cognitio ſui, ac proinde amor. Nulla enim natura eſt capax intelligendi, quin etiam amandi. Quam Anſelmi collectionem examinabimus infrà Diſp. LXXXVII. Itaque in hiſce capitibus Anſelmus Spiritum ſanctum appellat Amorem Patris & Filij. Quare diſputamus, quonam ſenſu id verum ſit. Quæ controverſia non differt ab illa, in qua Scholaſtici cum Magiſtro in 1. diſt. 32. inquirunt: An Pater & Filius diligant ſe Spiritu ſancto. *Quod ibid. præcipuè tractant, Durandus quæſt. 1. Scotus quæſt. 2. & D. Thom. 1. p. q. 37. art. 2.*

SECTIO PRIMA.

Anſelmum meritò auſpicari tractationem de Spiritu ſancto ex conſideratione diuini Amoris. Huius multiplex acceptio apud Græcos, & Latinos. Quo ſenſu Anſelmus, & reliqui Patres Spiritum ſanctum appellent Amorem, ſeu Dilectionem Patris & Filij.

4 ORDITVR S. Doctor tractationem de Spiritu ſancto ex amore mutuo, quo Pater & Filius ſe diligunt: ac præmittit, nihil ſibi delectabilius eſſe conſideranti communionem ac proprietates vtriuſque, quàm contemplationem eius mutui amoris. Nimirum, mens Anſelmi de cœlo tacta, diuinarum rerum conſiderationi frequenter intenta, & ſtimulis amoris acta, ingentem experiebatur delectationem in ijs contemplandis; præſertim vbi detegebat aliquid arcanum, & quod ſibi antea nondum patuerat. Vide quæ circa hoc diximus Diſp. LXXXIII. n 8. Nec ſanè aliunde meliùs auſpicari potuit myſteria exiſtentiæ ac proprietatum Spiritus ſancti, quàm ex conſideratione amoris. Sicuti enim Filius peculiari titulo denominatur Verbum, quoniam proles eſt intellectus paterni: ita etiam Spiritus ſanctus ſpeciatim denominatur Amor, quoniam terminus & quaſi ſoboles eſt Patris & Filij, invicem ſe amantium.

5 PRÆTEREA Sicuti ab Anſelmo in his capitibus, ita ab alijs Patribus Spiritus ſanctus ſpeciatim appellatur, Amor Patris & Filij. Et quidem Græci parciùs ea appellatione vſi inveniuntur, apud quos Spiritus ſanctus dici ſolet quidem Patris Amor aut Charitas; non autem Patris & Filij, quamvis alioqui ferè omnes ij fateantur, Spiritum ſanctum ex ambobus procedere, vt ſuo loco videbimus. Quapropter Athanaſius Epiſt. 1. ad Serapionem, allegato Apoſtolo 2. Corinth. 13. v. 13. Spiritum ſanctum appellat τὸν τῆς πατρὸς ἀγάπην, id eſt, *Patris charitatem*. Theodorus quoque Studita in Hymno quodam ita Spiritum ſanctum alloquitur: Σὺ ζωὴ, ἔρως, φῶς. *Tu Vita, amor, lumen.* Vbi ἔρως, vt interpretatur Emmanuel Calecas lib. de Spiritu ſancto cap. 35. eſt idem, ac ἀγάπη, idque confirmat teſtimonio S. Ignatij Martyris in Epiſt. 12. ad Romanos aientis de Chriſto: ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται. id eſt, *Amor meus crucifixus eſt.* Veruntamen τῆς ἔρωτος nomen Dionyſius Areopagita excludit à Deo in libro de Divin. nomin cap. 4. Etenim plerumque non de amore puro & innoxio, ſed de fœculento accipitur ea vox à Græcis, vt libidinem, aut cupidinem ſignificet: vnde & Cupido, Deus fabuloſus ac pennatus, paſſim à Græcis Poetis ἔρως dicitur. E contra verò amor purus & caſtus dici ſolet ἀντέρως, veluti contrarius præcedenti. Qua de re plura vide apud eruditiſsimum Claudium Minoem in Commentarijs ad Emblemata 108. & 109. & 110. Andrææ Alciati. Nonnunquam tamen accipitur ab ab ipſis Ethnicis ἔρως, quemadmodum ab Ignatio Martyre & Theodoro Studita, pro amore honeſto. Quare Phocylides ait: Σεμνὸς ἔρως ἀρετῆς. id eſt, *Honeſtus amor virtutis.* Cæterum meliùs ac ſecuriùs dicetur Græcè Spiritus ſanctus ἀγάπη, quæ charitatem ſignificat, id eſt, amorem divinum, ac purum ab omni labe; quàm ἔρως, qui frequentiùs pro impuro atque inconceſſo amore vſurpari ſolet. Latinè autem Spiritus ſanctus abſque periculo vllo dici poteſt Amor Patris & Filij: quoniam vox Amoris ex communi vſu SS. Patrum Latinorum loquentium de Spiritu ſancto, congrua omnino ipſi eſt, immo & propria, quæ ſummam ſanctitatem divinæ illius dilectionis inter Patrem & Filium ſignificat.

6 VNDE Auguſtinus lib. 15. de Trinit. cap. 19. inquit: *Etſi charitas, qua Pater diligit Filium, & Patrem diligit Filius, ineffabiliter communionem demonſtrat amborum; quid convenientius, quàm vt ille charitas dicatur propriè, qui Spiritus eſt communis ambobus? Hoc enim ſaniùs creditur, vel intelligitur, vt non ſolùm Spiritus ſanctus charitas ſit in illa Trinitate, ſed non fruſtra charitas nuncupetur, propter illa, quæ dicta ſunt.* Hæc ille. Quòd ſi verò quiſquam obijciat, amorem, ſive charitatem, eſſe aliquid commune per identitatem tribus perſonis di-

vi-

vinis; tum quia *Deus charitas eſt*, vt dicitur 1. Ioannis cap. 4. tum præterea quia amor Dei eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, quæ proinde convenit indiviſim tribus perſonis divinis: ac proinde Spiritum ſanctum fruſtra appellari amorem, vel charitatem: Reſpondet S. Doctor ſtatim, non eſſe fruſtraneam eiuſmodi appellationem, idque exponit dicens: *Sicut non ſolus eſt in illa Trinitate, vel ſpiritus, vel ſanctus, quia & Pater ſpiritus, & Filius ſpiritus; & Pater ſanctus, & Filius ſanctus; quod non ambigit pietas: & tamen iſte non fruſtra proprie dicitur Spiritus ſanctus: QVIA ENIM EST COMMVNIS AMBOBVS, ID VOCATVR IPSE PROPRIE, QVOD AMBO COMMVNITER.* Similiter libro in Symbolum Apoſtolorum cap. 1. inquit: *Licet Pater ſit ſpiritus, & Filius ſit ſpiritus, & Pater ſit ſanctus, & Filius ſit ſanctus, ſola tamen tertia perſona propriè SPIRITVS SANCTVS nuncupatur. Quia ergo coæterna, & communis ambobus, id ipſa vocatur, quod ambo ſunt.* Hucuſque Auguſtinus. Quapropter Anſelmus ſimiliter, tam in hoc capite, quàm in plurimis præcedentium, SVMMVM SPIRITVM appellat, ſive Deum ipſum indefinitè, ſive Patrem: quoniam ratio ſummi ſpiritus eſt communis tribus perſonis. Vbi autem nominatim loquitur de tertia, illam ſpeciali nomine appellat *Spiritum ſanctum, vel Amorem.* Itaque pariter, licèt Pater ſit amor & charitas, ac Filius amor & charitas; Spiritus ſanctus tamen ſpeciali titulo denominatur Amor, & Charitas Patris & Filij, ita vt ipſe ſit & dicatur ſpeciatim ac propriè, quod ambo communiter.

7 SIMILITER Alij Patres Latini loquuntur, quorum aliquot teſtimonia proferre oportet, in quibus Spiritum ſanctum, modò dilectionem, modò amorem mutuum Patris & Filij dicunt. Ambroſius in Symbolum Apoſtolorum cap. 1. Spiritum ſanctum *dilectionem* Patris & Filij appellat, dicens: *Vnus eſt diligens eum, qui ab ipſo eſt; vnus eſt dilectus ab eo, à quo eſt: Vna eſt DILECTIO, vtriuſque Spiritus ſanctus; idem tamē Deus.* Quæ Ambroſij verba videtur præ oculis habuiſſe Noſter Cardinalis Petrus Damiani Opuſculo primo capite ſecundo dicens de Spiritu ſancto: * Et hæc ſumma illa charitas eſt, qua genitus à gignente diligitur, ſuumque diligit genitorem. Ideoque non ampliùs, quàm tria, ſunt, & eſſentialiter indiviſa, & tripartita proprietate diſtincta: vnus diligens eum (recole verba Ambroſij) qui de illo eſt; & vnus diligens eum, à quo eſt; & ipſa dilectio, de qua dicitur: Deus charitas eſt. * Hieronymus quoque in Pſalmum quartum-decimum, allegatus ab Hugone Eteriano lib. 1. cap. 14. ait: *Spiritus ſanctus, nec Pater eſt, nec Filius; ſed dilectio, quam Pater habet ad Filium, & Filius ad Patrem.* Mitto alios, qui eodem dilectionis vocabulo vtuntur ad Spiritum ſanctum ſpeciatim ſignificandum. Alij verò amorem aut charitatem Patris & Filij dicunt. Bernardus Sermone in Cantica octavo, *Si*, inquit, *rectè Pater oſculans, Filius oſculatus accipitur, non erit abs re oſculum Spiritum ſanctum intelligi: vtpote qui Patris, Filijque imperturbabilis pax ſit, gluten firmum, indiuiduus amor, indiuidua vnitas.* Laurentius quoque Iuſtinianus libro de Obedientia eundem Spiritum appellat, *charitatis indiſſolubile vinculum, & pacis ſuaviſsimum oſculum, mutuique amoris amplexū ſuaviſsimum.* Similiter alij plures loquuntur.

8 VERVM Obſervare oportet amorem, dilectionemque, dupliciter à Patribus & Theologis Scholaſticis vſurpari, tum pro amore & dilectione communi & eſſentiali, tum pro peculiari & perſonali. Priori ſenſu eſt actus divinæ voluntatis, indiviſim communis tribus perſonis, quarum quælibet reliquas duas & ſe ipſam neceſſariò atque infinitè amat, ſive diligit: & hac ratione non conſtituit perſonam aliquam, immo nec producit. Alioqui Spiritus ſanctus ſeipſum produceret per amorem ſui ipſius. Poſteriori autem ſenſu poteſt accipi activè & paſsivè. Activè ſumptus eſt ipſa dilectio, prout in Patre & Filio ſolo, qua vterque per modum vnius principij producit Spiritum ſanctum: diciturque ſpiratio activa. Paſsivè autem eſt terminus, ſive impulſus amoris mutui, quo ſe diligunt Pater & Filius: ſicque conſtituit tertiam in Trinitate perſonam. Non enim eſt impulſus accidentarius, inſtar illius ponderis, quod ſequitur, aut comitatur amorem noſtrum veluti illius terminus, aut propia affectio. Impulſus enim amoris noſtri eſt accidens quoddam ſicuti & amor ipſe: & vterque differt prorſus ac reipſa à ſubſtantia, ſive eſſentia amantis. Cæterum amor perſonalis divinus ita habet rationem impulſus ſeu termini relatè ad Patrem & Filium ſe invicem diligentes, & ipſum producentes, vt non ſit accidens, ſed perſona ſubſiſtens inſtar vtriuſque illorum, vt ſuprà Diſput. LVII. ex profeſſo probatum & explanatum fuit; nec differat reipſa ab vtriuſque eſſentia, ſive ſubſtantia, vt vidimus Diſput. LV. immo neque ab actu immanente dilectionis amborum, qui etiam communis eſt ipſi Spiritui ſancto quoad omnia prædicata eſſentialia amoris divini.

9 HOC Poſteriori ſenſu Anſelmus

in

in capitibus ſequentibus, ſicuti & Patres allegati, atque alij ſæpe, Spiritum ſanctum appellant Amorem, Dilectionem, Charitatemque, immo & Vinculum: ac Coniunctionem, quatenus diſtinguitur à Patre & Filio, veluti terminus ab vtroque invicem ſe amante productus. Vnde Noſter Rathramnus, aliàs Bertramus, Monachus Corbeienſis, libro tertio cõtra Græcos (quod Opuſculum miror non fuiſſe editum in Magna Bibliotheca Aniſioniana anni M.DC. LXXVII. Tomo XV. ſæculo IX. vbi tamen habentur libri duo ipſius de Prædeſtinatione Dei; nec etiam Tomo XXVII. in quo ſupplentur Opuſcula, quæ p oprijs locis omiſſa fuerant) allegatis quibuſdam verbis S. Athanaſij, Spiritum ſanctum appellantis coniunctionem divinæ virtutis, & vnitatem Trinitatis, ſic illa exponit: * Hæc dicens Athanaſius oſtendit, Spiritum ſanctum charitatem eſſe Patris & Filij. Neque enim aliud eſt, quo potentiùs & convenientiùs vnitas ſanctæ Trinitatis perficiatur. Non tamen hic accipiendam ſic charitatem, quæ eſt Spiritus ſanctus, vt qualitas ſit, & non ſubſtantia: cùm vna ſit perſona (nimirum, vna ex perſonis) ſanctæ Trinitatis. Coniunctionem autem appellat Spiritum ſanctum, vel vnitatem Patris & Filij, quoniam de vtroque procedens, vtrumque coniungit, manens ipſe non diviſus, non ſeparatus, & conſubſtantialis. * Hactenus ille, doctè quidem, & vt gravem Theologum decuit. Videtur tamen octavus liber Athanaſij, *De proprijs perſonis*, quem allegat, iniuria temporum perijſſe: quoniam inter Opera illius Tomo II. dumtaxat ſunt ſeptem libri de eo argumento. Itaque dum Anſelmus in hiſce capitibus Spiritum ſanctum appellat Amorem, intelligendus præcipuè eſt de amore notionali, ſive perſonali, qui procedit ex Patre & Filio ſe invicem amantibus, vt impulſus, & perſona ſubſiſtens, atque vtrique conſubſtantialis.

SECTIO SECVNDA.

Confirmatur eadem doctrina Anſelmi ex Patribus, iuxta quos, Pater & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto. Referuntur & refelluntur variæ opiniones, tum Veterum, tum Recentiorum, circa intelligentiam germanam eius propoſitionis.

10 VERVM Præter ea, quæ hactenus diximus, doctrina ipſa Anſelmi Spiritum ſanctũ appellantis Amorem, ſeu dilectionem Patris & Filij, confirmatur ex Patribus, apud quos ſolemnis eſt eadem locutio, præcipuè dum aiunt, Patrem & Filiũ ſe diligere Spiritu ſancto. Et quidem imprimis Hieronymus ita loquitur in Pſalm. 17. vbi ait: *Spiritus ſanctus, nec Pater, nec Filius: ſed dilectio, quam habet Pater in Filio, & Filius in Patre.* Auguſtinus quoque lib. 6. de Trinit. cap. 5. initio inquit: *Quapropter etiam Spiritus ſanctus in eadem vnitate ſubſtantiæ & æqualitate conſiſtit. Siue enim vnitas ſit amborum, ſiue ſanctitas, ſiue charitas, ſiue ideo vnitas, quia charitas, & ideo charitas, quia ſanctitas; manifeſtum eſt quod non aliquis duorum eſt, quo vterque coniungitur, QVO GENITVS A GIGNENTE DILIGATVR, GENERATOREMQVE SVVM DILIGAT, &c.* Hæc ille: iuxta quæ Pater diligit Filium, & Filius Patrem Spiritu ſancto, idque tam apertè, mirum vt ſit, Eximium virum Franciſcum Suarez lib. 11. de Trinit cap 3. dicere, propoſitionem illam in titulo ſectionis propoſitam, non legi expreſſam apud SS. Patres. Præterea Bernardus Sermone de Amore Dei ait: *Amas te, amabilis Domine, cùm à Patre & Filio procedit Spiritus ſanctus, AMOR PATRIS AD FILIVM, ET FILII AD PATREM, & tantus amor, vt ſit vnitas.* Denique, vt alios omittam, Ricardus à S. Victore, in Epiſtola ſeu Declarationibus ad ipſum Bernardum, capite, cui epigrapha, *Quomodo Spiritus ſanctus eſt amor Patris, & Filij*, inquit: *Si rectè diceris amare amore, qui à te procedit; cur nõ Pater & Filius dicẽtur amare amore qui ab ipſis procedit?* Ac rurſus: *Si Spiritus ſanctus eſſet amor cordis tui, & Patris, Filij; quis, quæſo, poſſet negare, Spiritu ſancto, hoc eſt amore tuo, te diligere?* Itaque conſtans eſt & expreſſa ea locutio apud Patres: ideoque Anſelmus iure ac meritò, tum in hoc capite, tum in ſequentibus Spiritum ſanctum appellat amorem Patris & Filij, tanquam ij Spiritu ſancto ſe diligant.

11 VERVM Quamvis tot & tanti Patres tam diſertè & perſpicuè tradant illam propoſitionem, *Pater & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto*; negare non poſſumus, difficilem eſſe illus intelligentiam. Ratio dubitandi præcipua eſt: quoniam caſus ablativi preſsè loquendo importat habitudinem cauſæ formalis vel efficientis. Prius patet in hac propoſitione: *Paries albedine eſt albus.* Poſterius in hac: *Homo intellectu intelligit.* Atqui Spiritus ſanctus, qualitercumque accipiatur, non eſt forma, nec principium activum Patri aut Filio ad diligendum; ſed dumtaxat terminus dilectione notionali vtriuſque productus. Non ergo Pater & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto, in caſu ablativi, preſsè loquendo. Ideoque quoſdam ex Scholaſticis illam reſpuiſſe, quoſ-

dam

dam verò diverſimodè explanaſſe. Illorum autem opiniones, ſive varios dicendi modos refert D. Thom. 1. p. quæſt. 37. art. 2. vbi directè inquirit: *Vtrum Pater & Filius diligant ſe Spiritu ſancto.* Et propoſitis rationibus dubitandi, ſive argumentis pro parte negante, vt accedat ad ſtatuendam affirmantem, in argumento, *Sed contrà*, allegat verba Auguſtini num. præcedenti exſcripta, quibus perſpicuè docet, Spiritum ſanctum eſſe, quo genitus à gignente diligitur, generatoremque ſuum diligit.

12 DEINDE Verò idem Angelicus Doctor in corpore articuli accedit ad referendas aliorum circa hoc opiniones, & ſuam explanandam confirmandamque. Licèt autem teſtimonium ipſum ſit aliquantò longius, quia tamen in eo præſtringuntur excurſione quadam plures aliorum ſententiæ, iam tunc in Scholis celebres, placet illud ad litteram hoc loco exſcribere. Itaque in corpore artic. ait: *RESPONDEO dicendum quòd circa hanc quæſtionem, difficultatem affert quòd cum dicitur, PATER DILIGIT FILIVM SPIRITV SANCTO, cùm ablatiuus conſtruatur in habitudine alicuius cauſæ, videtur quòd Spiritus ſanctus ſit principium diligendi Patri & Filio quod eſt ommino impoſsibile. Et ideo quidam dixerunt, hanc eſſe falſam: PATER ET FILIVS DILIGVNT SE SPIRITV SANCTO. Et dicunt, hanc eſſe retractatam ab Auguſtino lib. 1. Retract. cap. 26. ſub ſimili; cùm, ſcilicet, retractauit iſtam: PATER EST SAPIENS SAPIENTIA GENITA. Quidam verò dicunt quòd eſt propoſitio impropria, & ſic eſt exponenda: Pater diligit Filium Spiritum ſanctum, id eſt, amore eſſentiali, qui appropriatur Spiritu ſancto. Quidã verò dixerunt, quod ablatiuus iſte conſtruitur in habitudine ſigni: vt ſenſus ſit: Spiritus ſanctus eſt ſignum quòd Pater diligat Filium, in quantum procedit ab eis Spiritus ſanctus, vt amor. Quidam verò dixerunt quòd ablatiuus iſte conſtruitur in habitudine cauſæ formalis: quia Spiritus ſanctus eſt amor, quo formaliter Pater & Filius ſe diligunt.* Hucuſque S. Doctor refert aliorum opiniones, quas deinde deſerit, vt poſtea videbimus, dum aliam omnino ſequitur & confirmat. Nunc verò nos illas aliquantò magis diſtinctè referemus & impugnabimus, etiam prout à Theologis quibuſdam Angelico Doctore poſterioribus, vel etiam nuperis Scriptoribus, traditæ ſunt.

13 PRIMA Itaque opinio relata à D. Thom. fuit Gotfredi Pictavienſis, aſſerentis, propoſitionem illam, *Pater & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto*, eſſe falſam in ſenſu proprio, & æquivalenter aut in ſimili retractatam ab Auguſtino: qui cùm in libro LXXXIII. QQ. quæſt. 23. dixiſſet, *Patrem eſſe ſapientem ſapientia genita*, poſtea lib. 1. Retract. c. 26. & lib. 6. de Trinit. cap. 1. ac 2. & lib. 7. c. 3. & lib. 15. cap. 7. illam expreſsè retractavit. Videtur autem eſſe par ratio in illa alia propoſitione: *Pater diligit Spiritu ſancto*, ſive etiam *amore procedẽte*. Eandem verò opinionem Gotfredi poſtea alij ſequuti ſunt, præſertim verò Canarienſis 1. part. quæſt. 37. art. 2. dicens, ſe neſcire prorſus quomodo ea Auguſtini propoſitio iuxta ſenſum proprium defendi poſsit.

14 SED Enim prædictus Author fallitur in aſſerendo, Auguſtinum vnquam retractaſſe propoſitionem, de qua eſt quæſtio. Si enim illa diſpliceret S. Doctori, palam eam alicubi retractaſſet. quod tamen nullibi feciſſe legitur. Nec credibile eſt, Anſelmum, Bernardum, & Ricardum à S. Victore, prorſus Auguſtinianos, illam tradidiſſe, ſi in Auguſtino retractata legeretur. Deinde S. Thom. in prædicto articulo diſparitatem vtriuſque propoſitionis aſsignat: quia *eſſe ſapientem vel intelligentem, in diuinis, non ſumitur, niſi eſſentialiter. Et ideo non poteſt dici quòd Pater ſit ſapiens vel intelligens Filio. Sed diligere ſumitur, non ſolùm eſſentialiter, ſed etiã notionaliter. Et ſecundùm hoc poſſumus dicere, quòd Pater & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto.* Deinde oportet vt propoſitiones ſimpliciter à SS. Patribus traditas ſtudeamus exponere in ſenſu vero ac proprio, quantum patitur materia de qua agunt. Qualiter verò hæc propoſitio in ſenſu proprio explicari poſsit, apparebit ex progreſſu.

15 SECVNDO Alij opinantur, veram quidem eſſe eam opinionem, dummodo Spiritus ſanctus in ea accipiatur pro amore eſſentiali, qui appropriari ſolet Spiritui ſancto. Allegatur pro hoc dicendi modo Alenſis: verùm certiùs & luculentiùs illam tradit ex profeſſo Durandus in 1. diſt. 32. q. 1. vbi & ſententiam D. Thom. ſectione ſequenti explanandam reijcit multipliciter: additque (quod neceſſariò & conſequenter dicere debuit) propoſitionem ipſam eo ſenſu explanatam, quamvis vera ſit, eſſe impropriam. Ita etiam Arriaga 1. p. diſp. 53. ſect. 2. & alij.

16 VERVM Refellitur vel ex eo capite, quòd tot & tantorum Patrum propoſitionem accipiat Durandus ſolùm in ſenſu improprio, idque nulla neceſsitate cogente, vt poſtea apparebit in explanatione verioris intelligentiæ illius propoſitionis. Præterea breviter & efficaciter reijcitur. Quia ſi illa ſolùm vera eſt,

in-

intellecta de dilectione eſſentiali,quæ nonnunquam appropriatur Spiritu ſancto; pariter vera erit hæc altera propoſitio': *Pater & Filius ſunt boni Spiritu ſancto* : ſiquidem boni ſunt bonitate eſſentiali, quæ etiam Spiritui ſancto appropriari ſolet. Atqui hæc poſterior propoſitio improprijſsima eſt , ideoque nunquam à SS.Patribus tradita. Ergo & prior, prout accipitur à Durando,eſt improprijſsima,ideoque nunquam ab ijs vſurpari debuit.

17 TERTIO Simon Tornacenſis, quem allegant Scotus in 1. diſt. 32. quæſt. 2. Bonaventura art. 1. quæſt. 3. & Capreolus q. 1. art. 2. illam propoſitionem eatenus ſolùm admiſsit, quatenus Spiritus ſanctus eſt ſignum mutuæ dilectionis Patris ac Filij; ac propterea dicatur , vtrumque ſe diligere Spiritu ſancto.

18 HIC Verò dicendi modus facilè refellitur: quoniam eâdem ratione licuiſſet Patribus dicere , Patrem & Filium ſe diligere creaturâ aliquâ , præſertim charitate ſeu dilectione infuſa , quam in cordibus noſtris efficiunt: ſiquidem illa etiam eſt ſignum illius divinæ dilectionis. Quòd ſi verò dicas, eiuſmodi charitatem non ſignificare ſolùm dilectionem Patris & Filij , ſed etiam Spiritus ſancti, id eſt, communem toti Trinitati ; non effugies vim argumenti. nam ſaltem dici poterit , tres perſonas ſe diligere charitate creata , quæ eſt ſignum illius communis & eſſentialis dilectionis increatæ. At id non , niſi per ſummam improprietatem ,diceretur. Ergo & admodum impropriè dixiſſent SS. Patres, Patrem & Filium ſe diligere Spiritu ſancto. *Vlterius*. Iuxta eam interpretationem liceret dicere , ignem comburere fumo : quoniam fumus eſt ſignum combuſtionis. Nemo autem eam locutionem vſurpare poteſt , niſi nimis abſurdè , vt patet.

19 QVARTO Denique alij apud D.Thom. verbis iam allegatis num. 12. ita tuentur propoſitionem illam , vt in ea ablativus *Spiritu ſancto*, conſtruatur ſecundùm habitudinem cauſæ formalis , quatenus Spiritus ſanctus ſit amor,quo formaliter Pater & Filius ſe diligunt. Quamvis verò D.Thom.immediatè poſt eam opinionem deferat,& longè alium dicendi modum ſequatur , non defuere poſtea, qui illam amplecterentur. Etenim nonnulli è Recentioribus, quemadmodum aiunt, Verbum ratione proprietatis perſonalis & relativæ eſſe ſapientiam genitam & formalem , quâ Pater denominetur , ſapiens: ita etiam conſequenter volunt Spiritum ſanctum ratione proprietatis perſonalis & relativæ eſſe amorem procedentem & formalem , quo Pater, ſicuti & Filius, denominetur diligens. Itaque quemadmodum iuxta illum dicendi modum , Pater eſt ſapiens ſapientiâ abſolutâ & communi tribus perſonis, ac præterea ſapientiâ relativâ Filij, ab ipſo genitâ: ita etiam Pater ipſe , & Filius, eſt diligens ſive amans dilectione abſoluta & communi tribus perſonis , ac præterea dilectione relativa procedente ex vtroque.

20 CÆTERVM Hanc opinionem iam ſuprà Diſput. LXXXIII. num.78. & 79. impugnavimus multipliciter quoad vtramque partem: vnde plura huc advocari poſſent , quæ pariter huic loco congruunt Præſertim verò ex verbis VI. Synodi Generalis Actione quarta, vbi ſæpe ſupponitur aut traditur in divinis perſonis vna voluntas , & vna naturalis operatio voluntatis. Immo paſsim ferè ibidem ex duabus Chriſti naturis in vna perſona coniunctis, colligitur duplex voluntas, duplexque voluntatis operatio, altera divina , humana altera in ipſo Chriſto , contra Monothelitas hæreticos. Legatur præcipuè Epiſtola S.Agathonis Papæ, quæ eſt maior aut potior pars eius Actionis quartæ,ſpeciatim verò columna decima-ſexta , quæ in editione Pariſienſi Conciliorum Severini Binij habetur pag.46. vbi ſæpe ſermo eſt περὶ τ φυσικῶν ἐνεργιῶν τ̃ς χριστ̃ῦ. id eſt, *de duabus naturalibus operationibus Chriſti.* Quo ipſo ſatis indicatur, quemadmodum in tribus perſonis eſt vnica voluntas, ita etiam eſſe vnicam in ijs voluntatis operationem , ac proinde dilectionem , ſive amorem vnicum increatum , diſtinctumque ab alia operatione voluntatis humanæ Chriſti. Non ergo Spiritus ſanctus vi relativæ proprietatis ſuæ eſt formalis amor , ſive dilectio relativa , diſtincta realiter à Patre & Filio. Præſertim quia ſic oporteret agnoſcere in eiſdem Patre & Filio aliam relativam dilectionem, eamque vtriuſque propriam, & activè ſe habentem in ordine ad Spiritum ſanctum,eiuſque relativam dilectionem ex parte termini producti. Vnde opus eſſet in eâdem voluntate divina agnoſcere duplicem operationem realiter diſtinctam: nimirum, dilectionem Patris & Filij , & dilectionem propriam Spiritus ſancti , priore illa ſe habente per modum principij , & poſteriore per modum termini. Repugnat autem , voluntatem divinam , quæ eſt vnica in tribus perſonis , & actus purus , habere duas operationes , ſive dilectiones , aut amationes realiter diſtinctas. Ergo repugnat quòd Spiritus ſanctus ratione proprietatis perſonalis ac relativæ , ſit formalis dilectio , ſive amor Patris & Filij.

21 VLTERIVS. Si ſemel in Spiritu ſancto admittitur peculiaris operatio relativa adæquatè diſtincta ſecundùm rem à peculiari

operatione ſeu dilectione Patris & Filij, quâ ipſum producunt; difficilè oſtenditur abſurditas aliqua in eo, vt in ordine ad extra vna perſona divina præ alia exerceat peculiarem aliquam operationem. Quin & iuxta Adverſarios tribuentes Filio ratione formalem ſapientiæ relativæ penes propriam hypoſtaſim, ac proinde peculiarem operationem relativam & adæquatè diſtinctam ab operatione perſonali Patris, poterit dici, Filium ipſum exercere peculiarem aliquam operationem ad extra, præſertim circa Incarnationem. Si enim quælibet perſona divina habet peculiarem operationem relativam, diſtinctam adæquatè realiter ab operatione relativa alterius perſonæ, cur non poterit illam exercere in ordine ad extrà? Conſequens autem abſurdũ eſt iuxta omnes pene Theologos; vt latè diximus tract. de Incarn. & ſuprà Diſp. 68. ſect. 5. Ergo abſurdum etiã eſt adſcribere vnicuique perſonæ peculiarẽ operationẽ adęquatè reipſa diſtinctã ab operatione alterius. Adæquatè, inquam. nam inadæquatè neceſſariò admitti debet diſtinctio aliqua operationum notionalium, ſive originum activarum, in divinis: ſiquidem generatio activa debet aliquomodo differre à ſpiratione activa: cùm illa ſit propria ſolius Patris, hæc verò communis ipſi & Filio. Non ergo in Spiritu ſancto eſt propria ac peculiaris operatio relativa amoris diſtincta adæquatè ab alia operatione relativa amoris, & propriâ Patris ac Filij.

20 PRÆTEREA. Vt optimè probat Anſelmus infrà cap. 52. æqualis debet eſſe in divinis ſcientia & amor: ac proinde Spiritus ſanctus tantundem amoris habere debet, ſive eſſe, ac ſcientiæ; & non magis aut minùs. Atqui non habet rationem ſcientiæ relativæ ſive formalis, ſecundùm ſuam peculiarẽ & relativam hypoſtaſim; ſed dumtaxat ſecundùm perfectionem communem & abſolutam eſt ſcientia eadem cum Patre & Filio formaliter. Ergo nec habet rationem amoris relativi, ſive formalis, ſecundùm ſuam peculiarem & relativam hypoſtaſim; ſed ſolùm ſecundùm perfectionem communem & abſolutam eſt idẽ amor cum Patre & Filio. Non igitur Pater & Filius amant ſe Spiritu ſancto, tanquam amore ipſorum formali.

21 DENIQVE Difficilè intelligi poteſt quòd Pater & Filius diligant ſeipſos Spiritu ſancto, tanquam amore formali; idque ex multi plici capite. *Primo* enim inde ſequeretur, illos accipere aliquid ab ipſo Spiritu ſancto, veluti à forma realiter ſibi ſuperaddita. Quod videtur abſurdum omnino: cùm certum ſit, quidquid habet Spiritus ſanctus, habere ipſum à Patre & Filio; hos verò ab illo nihil accipere. Nec vitatur abſurditas huius illationis per hoc, vt ipſe amor formalis indiſtinctus à Spiritu ſancto, procedat ab ambobus. Nam licèt procedat ab ijs activè, aut quaſi activè, perficiet reipſa vtrumque ſeu communicabit vtrique perfectionem amantis relativè in actu ſecundò, veluti cauſa aut ratio formalis. Ergo ambo recipient à Spiritu ſancto eam perfectionem in genere aut quaſi genere cauſæ formalis. *Secundò*: quia repugnat Patrẽ & Filium conſtitui in exercitio diligentes ſe per aliquid reipſa ab ijs diſtinctum: ſicuti & intelligentes, & decernentes, immo & operantes ad extra: vt latè oſtendimus Tomo I. Diſp. XIX. per totam. Quilibet enim eorum, & ambo ſimul, ſunt actus purus in omni genere perfectionis & exercitij eiuſmodi: atque adeò cuilibet eorum, & ambobus ſimul, debet convenire exercitium diligendi, ſicuti & intelligendi, & durandi, & decernendi, immo & operandi, per aliquid reipſa ab ijs indiſtinctum. Atqui proprietas perſonalis & relativa Spiritus ſancti, eſt reipſa diſtincta à Patre & Filio, vt fide ſanctum eſt. Ergo repugnat Patrem & Filium conſtitui in exercitio diligentes ſe per proprietatem perſonalem & relativam Spiritus ſancti; atque adeò hæc non eſt dilectio illorum formalis. *Tertiò*. Si ambo ij conſtituerentur in exercitio diligentes ſe per proprietatem perſonalem & relativam Spiritus ſancti, veluti per amorem formalem, illa eſſet ſimul & non eſſet proprietas perſonalis ipſius. Eſſet: quoniam ita aſſeritur ab Adverſarijs. Non eſſet autem: quoniam per illam conſtitueretur ipſe Spiritus ſanctus pariter diligens, immò & præcipuè. Si enim proprietas perſonalis Spiritus ſancti, iuxta illos, poteſt conſtituere in exercitio diligentes ſe Patrem & Filium, reipſa ab ea diſtinctos; quanto magis ipſum Spiritum ſanctũ, quem conſtituit in propria perſona? Hinc autẽ ſequitur, eam dilectionem non eſſe perſonalem proprietatem: quia nullum exercitium commune tribus perſonis eſt proprietas perſonalis, aut relativa; ſed potiùs eſt prædicatum eſſentiale, & abſolutum. Ergo de primo ad vltimum dilectio illa eſſet & non eſſet ſimul proprietas perſonalis & relativa. Quare ne duo pugnantia & contradictoria ſequantur, dicendum eſt, Patrem & Filium non diligere ſe Spiritu ſancto, tanquam dilectione formali. Mitto, vt iam dixi, plures alias impugnationes, quas propoſui Diſp. præced. n. 78. & 79. contra aliã ſimilem opinionem aſſerentium, Verbum Dei, ſive Filium ratione ſuæ perſonalis proprietatis eſſe ſapientiam formalem genitam, qua Pater ſit ſapiens.

(?)

SE-

SECTIO TERTIA.

Eligitur ſententia frequens aſſerentium, eam locutionem SS. Patrum eſſe veram ſecundùm proprietatem ſermonis, prout à D. Thom. accipitur. Cæterum varij modi illam explanandi & probandi, reijciuntur.

22 EXPLOSIS Itaque aliorum opinionibus circa eam doctrinam & propoſitionem Anſelmi, & aliorum Patrum, videamus quid ſentiat D. Thom loco allegato ex 1.p. q 37. art. 2. Porrò ibi poſt memoratas opiniones, quas hactenus impugnavimus, ſic accedit ad ferendum ea de re ſuum iudicium, ✻ Quidam verò dixerunt quòd (ablativus. *Spiritu ſancto*) conſtruitur in habitudine effectus formalis. ET ISTI PROPINQVIVS AD VERITATEM ACCESSERVNT. Vnde ad huius evidentiam ſciendum eſt quòd cùm res communiter denominatur à ſuis formis, ſicut album ab albedine, & homo ab humanitate; omne illud, à quo aliquid denominatur, quantùm ad hoc habet habitudinem formæ. Vt ſi dicam, *Iſte eſt indutus veſtimento*; iſte ablativus conſtruitur in habitudine cauſæ formalis, quamvis nõ ſit forma. Contingit autem aliquod denominari per id, quod ab ipſo procedit, non ſolùm ſicut agens actione, ſed etiam ſicut ipſo termino actionis, qui eſt effectus, quando ipſe effectus in intellectu actionis includitur. Dicimus enim quòd ignis eſt calefaciens calefactione, quamvis calefactio non ſit calor, qui eſt forma ignis; ſed actio ab igne procedens. Et dicimus quòd arbor eſt florens floribus, quamvis flores non ſint forma arboris, ſed quidam effectus ab ipſa procedentes. Secundùm hoc ergo dicendum quòd cũ diligere in divinis dupliciter ſumatur; eſſentialiter, ſcilicet, & notionaliter; ſecundũ quòd eſſentialiter ſumitur, ſic Pater & Filius non diligunt ſe Spiritu ſancto, ſed eſſentiâ ſuâ. Vnde Auguſtinus lib. 15. de Trinit. cap. 7. (ait) *Quis audet dicere, Patrem nec ſe, nec Filium, nec Spiritum ſanctum diligere, niſi per Spiritum ſanctum?* Et ſecundùm hoc procedunt primæ opiniones. Secundùm verò quod notionaliter ſumitur, ſic diligere nihil eſt aliud, quàm ſpirare amorem: ſicut dicere eſt producere verbum, & florere eſt producere flores. Sicut ergo dicitur arbor florens floribus: ita dicitur Pater dicens Verbo vel Filio ſe & creaturam: & Pater & Filius dicuntur diligentes ſe Spiritu ſancto, vel amore procedente, & ſe; & nos. ✻ Hucuſque Angelicus Doctor non ſolùm exponens locutionem illam, *Pater & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto*: verum etiam aliam Anſelmi ſuprà cap. 32. & 33. docentis, Patrem *Verbo dicere ſe & creaturas*. quam etiam tradiderat Auguſtinus lib. 11. Confeſſ. cap. 7. ita Deum alloquens: *Verbo tuo, Deus, coæterno ſimul & ſempiterno dicis omnia, quæ dicis.* Nimirum, eadem omnino, aut par ferè circa vtramque locutionẽ difficultas occurrit: ſiquidẽ æqualis difficultas apparet in eo, vt Pater Verbo à ſe reipſa & perſonaliter diſtincto dicat, aut ſapiat, ac in eo vt diligat Spiritu S. quoniã dicere, ſicut & ſapere, & diligere, videtur pariter actus eſſentiales, aut convenientes immediatè cuilibet perſonæ divinæ per ſe ipſam, & non mediante altera.

23 IVXTA Teſtimoniũ nuper exſcriptum D. Th. & attentis pluribus alijs quæ docet ibidem in ſolutione argumentorum, ſententia illius eſt, propoſitionẽ illam SS. Patrum, *Pater & Filius diligunt ſe Spiritu S.* eſſe veram ſecundùm proprietatẽ ſermonis, ſi Spiritus S. accipiatur pro tertia perſona, dilectio verò pro amore, non quidẽ eſſentiali, ſed notionali, quo Spiritus ſanctus procedit. Quam ſententiã tuentur non modò Thomiſtæ omnes, tum Veteres, tum Recentiores, quos allegant & ſequuntur Ioannes à S. Th. Carmelitani Salmant. & Godoy eo loco; verùm etiam Bonavent. in 1. diſt. 32. art. 1. q. 1. & 2. Scotus q. 2. *§. Ad aliã quæſtionem*, quem ſequuntur communiter diſcipuli cum Smiſing diſp. 3. q. 14. n. 234 & ex PP. Societatis Vazquez 1.p diſp. 151. cap. 2. Suarez lib. 11. de Trint. cap. 3. Arrubal diſp. 153. Alarcon tract. 5. diſp. 8. cap. 5. Granadus tract. 10. diſp. 10.

24 VERVM Adhuc eſt diſſidium non leve in exponẽdo & probando ſententiã ipſam. Primò enim Scotus ſit ferè illam probare nititur. Pater & Filius producunt Spiritum S. quĩ eſt amor vtriuſque, vel vtrumque diligit. Ergo diligunt ſe principiativè, quamvis non formaliter, Spiritu ſancto. *Cæterum* ratio hæc non ſatis probat, niſi aliquid præterea addatur. Nam eodem ſenſu dici poſſet, Patrem & Filium ſe diligere creaturis rationalibus inſtructis habitu charitatis. Sunt enim principium productivum illarum, & ab ijs diliguntur. Atqui non, niſi ſummâ improprietate dici poteſt, Patrem & Filium ſe diligere creaturis rationalibus inſtructis habitu charitatis. Ergo ſimiliter non, niſi impropriè admodum, dici poſſet, Patrem & Filium ſe diligere Spiritu ſancto, ſi id ſolùm nititur in eo, vt Spiritum ſanctum producant à quo diliguntur. Vt ergo propoſitio illa SS. Patrum verificetur iuxta proprietatem ſermonis, alia expoſitio & probatio quærenda eſt, vel ſaltem oportet aliquid aliud addere. nimirũ; quòd Spiritus ſanctus non vtcumque habeat eſſe à Patre & Filio, ſed ex vi dilectionis: & quòd vi originis ex ipſa habeat Spiritus ſanctus

amare Patrem ac Filium. Hoc autem non eſt iuxta mentem Scoti: conſonat verò maximè iis, quæ dicemus poſtea, ſect. 4. præſertim. *Præterea.* Eadem probatio non ſatis cohæret doctrinæ ipſius Scoti & ſequacium. Ipſi enim aiunt, vt ea propoſitio ſit vera, vocabulum *diligere* nec debere intelligi purè eſſentialiter, nec purè notionaliter. Si autem ſolùm accipiatur *principiatiuè*, vt ij Authores loquuntur, iam diligere accipitur purè notionaliter. Quippe productio Spiritus ſancti, quæ propriè ſpectat ad principium ipſius, veluti origo activa, eſt purè notionalis. Non ergo ea probatio cohæret doctrinæ Scoti.

25 IDEO Alij probant exinde, quòd principium poſsit denominari propriè agens à termino actionis immanentis, ſicuti & ab ipſa actione: cùm eadem appareat ratio vtriuſque. Atqui Spiritus ſanctus eſt terminus actionis immanentis; nimirum, dilectionis, qua Pater & Filius ſe diligunt. Quippe certum eſt, eam actionem eſſe immanentem. Ergo Pater & Filius poſſunt denominari propriè diligentes ſe à Spiritu ſancto, vt termino, non minùs, quàm ab ipſa dilectione. *Verumtamen* probatio hęc multipliciter peccat. *Primò*: quia principium non ſolùm poteſt denominari propriè à termino actionis immanentis, ſed etiam tranſeuntis. ignis enim & aqua non ſolùm denominatur calefaciens aut infrigidans manum calore vel frigore ſibi inhærente, ſed etiam producto per tranſeuntem actionem, & inhærente manui. Ergo denominatio propria principij à termimino non eſt reſtrigenda ad terminum actione immanenti productũ. *Secundò* quia vt vidimus num. 14. ex D. Thoma allegata quæſt. 37. art. 2. Pater æternus non poteſt propriè dici intelligens aut ſapiens Verbo à ſe producto. Et tamen intellectio eſt actio immanens, Verbumque eſt illius terminus, ac verè intelligens & ſapiens. Ergo non ab omni termino actionis immanentis poteſt principium denominari propriè. *Tertiò* Etiam denominatio producẽtis ad intra & generantis Filium, oritur in Patre æterno, ſeu deſumitur ab actione immanenti. Et tamen non propterea licet dicere in aliquo ſenſu proprio, Patrem ſe producere aut generare Verbo. Quin potiùs ea locutio, eſt prorſus abſurda: cùm Pater ſit omnino improductus & ingenitus ex propria & peculiari notione. Ergo non ex eo ſolùm quòd denominatio diligentis ſumatur ab immanenti actione, poteſt dici propriè, Patrem & Filiũ ſe diligere Spiritu ſancto. Quòd ſi verò reſpondeas, denominationẽ producentis aut generantis eſſe quidem immanentem in re, tranſeuntem verò ex modo ſignificandi aut concipiendi; contrà eſt: quoniam etiam dicere & diligere notionaliter acceptum ex modo ſignificandi aut accipiendi eſt aliquid tranſiens: cùm dicere ſit producere verbum, & in eo producto contemplari obiectum; diligere autẽ notionale ſit producere impulsũ, & medio illo obiectũ amare. At nihilominus, iuxta ſententiã, quã proſequimur, præeuntibus Auguſtino, Anſelmo, & D. Th. Pater æternus verè & propriè dicit ſe & omnia Verbo, ſicuti ipſe Pater & Filius diligunt ſe Spiritu S. Ergo quòd denominatio Patris producẽtis & generantis Verbũ, ſignificetur ſeu concipiatur ad modũ actionis tranſeuntis, non obſtat vt principiũ, ſive Pater, denominetur propriè à termino producto, ſi id tantũ oritur ex eo quod ſit terminus actionis immanentis. Cùm igitur Pater nõ poſsit in aliquo vero aut proprio ſenſu dici producens ſe aut generans Verbo, quamvis actione immanenti producto; nec etiã dici poteſt vniversè, principiũ poſſe denominari à termino producto per actionem immanentem.

SECTIO QVARTA.

Præmotatis quibuſdam, explanatur & confirmatur aliter Verior ſententia. Vbi obiter nonnulla circa intelligentiam illius propoſitionis traditæ ab Auguſtino & Anſelmo: Pater dicit ſeipſum Verbo, & omnem creaturam.

27 EXPLOSIS Itaque, tum opinionibus contrarijs, tũ explanationibus aut confirmationibus verioris ſententiæ, oportet illã aliter ſtabilire & probare. Præmittendũ autẽ primò eſt, verbũ *diligere*, dũ in divinis accipitur eſſẽtialiter, ſolũ ſignificare idipſum quod *amare*; & eſſe commune nõ ſolùm Patri ac Filio, ſed etiã Spiritui S. Dum verò *diligere* accipitur notionaliter, ſignificat quidẽ *amare*, non tamẽ abſolutè, ſed prout affectũ notione peculiari producẽtis per amorẽ: ac proinde ſignificat exercitiũ amandi ſpeciale, quo Pater & Filius producunt tertiam perſonam: non autẽ commune tribus perſonis. Porrò diligere ſeu amare notionaliter acceptum, importat duplicẽ habitudinem quoddammodo, ſive expreſſionẽ: alterã ad terminũ productũ, qui eſt Spiritus S. alteram ad obiectum amatũ quod eſt bonũ increatũ. Ratione prioris expreſsionis *diligere* notionale diſtinguitur à *diligere* eſſentiali: quia in ſolo illo eſt habitudo ad terminũ productũ, in hoc verò dumtaxat ad obiectũ amatũ. Ratione autem poſterioris expreſsionis diſtinguitur à ſpiratione activa, vt tali: quæ ſolũ exprimitur in ordine ad terminũ productũ, non autem ad obiectum amatum. Itaque diligere & amare ſimpliciter loquendo important actũ eſſentialem & communem tribus perſonis: di-

diligere & amare notionaliter ſignificant actũ peculiarem Patris & Filij in ordine ad producendum Spiritum ſanctum, & ſimul in ordine ad bonum dilectum vel amatum: *ſpirare* autem dumtaxat exprimitur per ordinem ad terminum productum ipſa dilectione notionali Patris & Filij.

28 PORRO Iuxta triplicem conſiderationem prædictam poſſumus conferre actus ſpectantes ad voluntatem in divinis cum actibus, qui ad intellectum pertinent. Hi verò ſunt, ſeu exprimuntur per *intelligere, dicere, & generare*: quorum primo reſpondet in voluntate diligere eſſentialiter vſurpatum: ſecundo, diligere notionaliter; tertio, ſpirare. Quemadmodum enim diligere abſolutè & eſſentialiter eſt actus naturæ divinæ communis indifferenter tribus perſonis, ita etiam intelligere, cui æquivalet ſcire, ac ſapere. Similiter, quemadmodum diligere notionaliter importat habitudinem, tum ad terminum per amorem productum, tum ad obiectum amatum: ita etiam dicere notionaliter exprimit habitudinem ad verbum productum, & ad obiectum intellectum, ſeu dictum. Denique ſicuti ſpirare dumtaxat exprimitur per ordinem ad terminum per dilectionẽ productum, nullatenus verò per habitudinem ad obiectum: ita etiam generare ſolùm exprimitur per ordinem ad terminum genitum, non verò ad obiectum aliquod intellectum vel conſideratum. Itaque ſibi mutuò reſpondent in ſenſu eſſentiali intelligere & diligere: in ſenſu notionali dicere & diligere producendo: & tandem generare ac ſpirare: quæ duo poſtrema ſolùm important exercitium producendi, vel per intellectum, vel per voluntatem.

29 VNDE Iam apparet, quonam ſenſu D. Thomas accipiat in ſenſu proprio ac ſtricto propoſitiones illas Sanctorum Patrum: quarum prior eſt: *Pater & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto*: poſterior verò, *Pater dicit ſeipſum Verbo ſuo*: & hæc ſæpiùs profertur ab Anſelmo ſuprà cap. 32. 33. & 34. poſt Auguſtinum, vt ſuprà n. 22. monuimus. Prior enim non debet accipi de dilectione eſſentiali, ſed de notionali. Ratio eſt manifeſta: quia ſi de dilectione eſſentiali acciperetur, ſummùm eſſet vera in ſenſu valde improprio: iuxta quem pariter dici poſſet: *Pater diligit ſe Filio*: ac præterea: *Spiritus ſanctus diligit ſe Patre ac Filio*. Nimirum, dilectio abſoluta & eſſentialis æquè identitatem habet cum vnaquâque perſonarum divinarum. Ergo ratione eius identitatis non magis vna ex ijs propoſitionibus poteſt eſſe vera iuxta proprietatem ſermonis, quã alia. Cùm igitur duæ poſtremæ propoſitiones non ſint veræ iuxta ſenſum proprium, ſic nec vera eſſet illa alia, *Pater & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto*; niſi impropriè admodum. Supereſt ergo vt in ea *diligere* accipiatur notionaliter: id eſt, quatenus habet exprimere non ſolùm productionem termini, ſed etiam amorem obiecti. Nam ſi acciperetur diligere penes ſolam expreſsionem producendi terminum, idem ſignificaret in illa propoſitione, ac ſpirare, ac per conſequens, ſicuti Pater & Filius dicuntur ſe diligere Spiritu ſancto, ita etiam dicerentur ſe ſpirare. quod eſt manifeſtè abſurdum & falſum. Non ergo in illa propoſitione diligere accipitur pro ſpirare, ſicut nec pro diligere eſſentiali, ſed pro diligere, ſeu amare notionali, quod intelligitur quaſi medium inter vtrumque, & veluti participans de vtroque extremo: de priori quidem, vt exprimatur in ordine ad obiectum amatum: de poſteriori autem, in habitudine ad terminum productum. Sic pariter dum Auguſtinus & Anſelmus aiunt, *Pater dicit ſeipſum Verbo*, accipiendi ſunt, non de dictione eſſentiali & communi tribus perſonis (alioqui etiam ſe diceret Spiritu ſancto) ſed de dictione notionali, quæ exprimitur tum in ordine ad Verbum productum, tum in ordine ad obiectum intellectum: & penes hoc ſecundum differt à generatione, quæ ſolùm exprimit ipſum exercitium producendi; ac penes illud primum ab intellectione, in qua non exprimitur origo vel productio aliqua. Quare licèt in ſenſu proprio ſit vera illa propoſitio: *Pater dicit ſeipſum Verbo*: hæc tamen abſurda & falſa ſimpliciter: *Pater generat ſe Verbo*. Quæ doctrina præ oculis habenda eſt ad extricandum plures cavillos à Durando & alijs obiectos contra ſententiam, quàm tuemur.

30 DENIQVE Obſervare oportet, ſubiecto aut quaſi ſubiecto poſſe denominationem aliquam convenire quatuor modis. Primò, veluti à forma intrinſecùs inhærente, quo ſenſu album denominatur intimè ab albedine in ſe recepta. Secundo, à forma exteriùs adiacente: ſicuti homo dicitur indutus à veſte, quam induit. Tertio tanquam ab actione: veluti intelligens & amans ab intellectione & amore. Quarto denique tanquam à termino per illius actionem producto. quo ſenſu, vt vidimus ſuprà num. 22. ex D. Thom. arbor dicitur florens floribus, & ignis calefaciens calore à ſe producto: idemque eſt de Sole, qui dicitur illuminare lumine ipſo, quod producit in aere. Hoc igitur ſenſu intelligenda eſt propoſitio illa: *Pater & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto*. Cùm enim ambo ſint vnum principium Spiritus ſancti, quem actione ſua dilectionis notionalis producunt; dicuntur verè & propriè ſe diligere eodem Spiritu, veluti termino ſuæ actionis.

31 VERVM Id adhuc dupliciter intelligi & probari poteſt. Primò, quoniam tunc agens denominatur propriè à termino producto, quando terminus ipſe, ſive effectus claudituꝛ in intellectu ſeu conceptu ipſius actionis. Hoc ſenſu Thomiſtæ frequenter exponunt & confirmant ſententiã Angelici Doctoris, vt videbimus ſect. 6. Secundò ita, vt agens propriè denominetur à termino producto, quoties actio ſignificata per verbum, cum quo debet conſtrui terminus ipſe per modum denominantis, & in caſu ablativi, non ſolùm exprimit habitudinem ad terminum productũ, verùm ad aliquid aliud, tanquam ad obiectum, vel ſubiectum. Quippe tunc denominatio vera & propria convenit principio ſive agenti in ordine ad illud aliud, quod, præter terminum, exprimitur ab ipſa actione. Sic certè, vt perſiſtamus in exemplis indicatis, ignis dicitur verè & propriè calefacere manum calore à ſe producto: quia actio ignis, vltra productionem caloris, importat habitudinem ad ſubiectum calefaciendum. Similiter Sol dicitur propriè illuminare lumine: quoniam actio ipſius non ſolùm reſpicit lumen, veluti terminum productum, ſed etiam aerem, tanquam ſubiectum in quo eſt excitenda illuminatio. Quare in ijs propoſitionibus ſenſus eſt, quod ignis calore calefacit manum, & Sol lumine ſuo aerem illuminat. Denique eodem ſenſu dicitur propriè arbor florens floribus; florens, inquam, veluti infloridans activè, vt ita loquamur: quoniam actio florendi ſeu infloridandi non ſolùm importat habitudinem ad flores, tanquam ad terminum vel effectum productum, ſed etiam ad ſubiectum, ſive ramos, qui floribus ornantur. Sic igitur, Pater & Filius propriè dicuntur ſe diligere Spiritu ſancto: quoniam dilectione ſua notionali habent producere Spiritum ſanctum dilectiorem vtriuſque, ſeu habentem illos redamare ex vi originis per dilectionem; & aliũde dilectio ipſa non ſolùm exprimit ordinem ad terminum productum, ſed etiam ad obiectum dilectum.

32 HOC Eodem poſteriori ſenſu vera & propria eſt illa propoſitio Auguſtini & Anſelmi, quos D. Thomas pariter imitatur: *Pater dicit ſeipſum Verbo.* Etenim *dictio*, vti antea indicavimus, non ſolùm exprimit ordinem ad verbum productum, ſed etiam ab obiectum Verbo ipſo dictum ſeu repræſentatum. Ac propterea ſenſus illius propoſitionis eſt, Patrem Verbo ſeipſum dicere, tanquam obiectum cognitum & manifeſtatum, non autem tanquã terminũ productum. Sub hac enim expreſſione dictio dumtaxat terminatur ad Verbum. Alioqui Pater ſeipſum produceret, vel eſſentiam ſuam, quod planè repugnat.

33 IVXTA Hunc poſteriorem ſenſum facilè explanatur & confirmatur ſententia communis ſub hac differendi formula. Quoties actio principij alicuius non ſolùm exprimitur in ordine ad terminum productũ, ſed etiam ad obiectũ vel ſubiectũ; principium ipſum verè & propriè denominatur à termino in caſu obliquo, ſignificante ipſam actionẽ. Atqui actio, ſeu dilectio notionalis Patris & Filij ad Spiritũ S. non ſolùm exprimitur in ordine ad ipſum, tanquã ad terminũ productum, ſed etiã in ordine ad principiũ ipſum; nimirũ, ad eoſdẽ Patrẽ ac Filium, tanquã ad obiectũ dilectum. Ergo Pater & Filius verè & propriè denominantur ſeipſos diligentes Spiritu S. tanquã termino in caſu obliquo ſignificante ipſam actionẽ diligendi. Igitur vera & propria eſt illa propoſitio in dicto ſenſu: *Pater & Filius ſe diligunt Spiritu ſancto.* Vtraque conſequentia eſt perſpicua, & minor ſimiliter. Maior autem probatur facilè exemplis iam iudicatis. Etenim veræ & propriæ ſunt illæ propoſitiones, quibus dicitur ignis calefacere calore manum, Sol illuminare lumine aerem, arbor florere, ſeu infloridare ramos floribus, in caſu obliquo, ſignificãte actionem ipſam. At hoc ideo eſt quoniã actio ignis, Solis, & arboris, nõ ſolùm habent reſpicere terminum, tanquã effectum productum, ſed etiam aliquid aliud tanquã ſubiectum: idem verò ferè eſt reſpicere aliud tanquam obiectum, nec in hoc apparet diſcrimen aliquod. Ergo quoties actio principij, vltra productionem termini exprimit ordinem ad aliquid aliud, tanquam ad obiectum aut ſubiectum, principium ipſum verè & propriè denominari poteſt à termino in caſu obliquo, ipſam actionem ſignificante. Et hoc quidem vrgentiùs verificatur in Spiritu ſancto, qui ita producitur dilectione notionali, vt ab ea accipiat impulſum, & vim amandi ſuum principium.

SECTIO QVINTA.

Difficultates nonnullæ aduerſus noſtrum dicendi modum obiectæ & ſolutæ.

34 DICES I. Iuxta præcedentem ſententiæ verioris expoſitionem etiam tres perſonæ divinæ dicetur in proprietate ſermonis ſe diligere charitate creata, quam producunt & infundunt per actum voluntatis ſuæ. Hic enim non ſolùm habet producere in nobis charitatem, ſed etiam diligere obiectum increatum, ſeu bonum divinũ, à quo nullus actus divinæ voluntatis poteſt abſtrahere. Aliunde verò ipſa charitas in nobis producta ſignificat in nobis ipſam dilectionem di-

vi-

vinam, velùti cauſam ſui efficientem: ſicuti omnis effectus proprius cuiuslibet efficientis cauſæ habet illam eſſentialiter connotare & ſignificare. Atqui conſequens eſt abſurdũ: quia, vt ſuprà diximus num 24 contra Scotum, non poteſt dici, niſi admodum impropriè, Deum diligere ſe aliquâ creaturâ. Ergo quòd dilectio, qua producitur Spiritus ſanctus, non ſolùm reſpiciat terminum productum, ſed etiam obiectũ, non ſufficit vt Pater & Filius dicantur ſe diligere Spiritu ſancto. Quòd ſi verò reſpondeatur, diſparitatem eſſe, quòd Spiritus ſanctus producatur, à Patre & Filio per actum ipſum dilectionis, quem ſignificat ſecundùm ſuam proprietatem telativam; charitas verò creata non per actum ipſum dilectionis, qua ſe amant tres perſonæ, ſed per actum potentiæ executricis & operatricis ad extra, quem ſolùm immediatè ſignificat quilibet effectus à Deo productus: ſi, inquam, ita reſpondeas; contrà eſt. Omnis enim actio, qua Deus efficit aliquid extra ſe, eſt indiſtincta à ſubſtantia divina, & ab operationibus immanentibus intellectus voluntatiſque Dei, vt ſtatuimus Tomo I. Diſput. XIX. per totam. Ergo actio illa, qua Deus infundit ſeu producit in nobis charitatem, eſt indiſtincta reipſa ab actu immanente voluntatis, quo tres perſonæ divinæ ſe invicem diligunt: ſicuti actus, ſeu origo activa, qua Pater & Filius producunt Spiritum ſanctum, eſt reipſa indiſtinctus à dilectione mutua vtriuſque. Si igitur Pater & Filius diligunt ſe propriè Spiritu ſancto, vt termino producto denominante & ſignificante actionem ipſam diligendi; etiam tres perſonæ dicentur propriè ſe diligere charitate creata, vt termino producto denominante & ſignificante ipſam dilectionem increatam. Quæ obiectio adhuc vrgeri poteſt, loquendo de charitate creata, prout expreſsè terminata ad tres perſonas per modũ vnius obiecti dilecti. Sic enim videtur certè ſignificare aut connotare explicitè ipſam mutuam charitatem ſeu dilectionem increatam trium perſonarum divinarum, cuius eſt formalis participatio.

35 RESPONDEO Negando ſequelam obiectionis. Quamvis enim operationes quibus Deus efficit aliquid ad extra, & ipſam charitatem infundit, ſint indiſtinctæ reipſa à ſubſtantia divina, & ab actibus immanentibus mentis ac voluntatis increatæ; adhuc tamen in ſenſu formali non ſunt operationes immanentes, ſed virtualiter & æquivalenter tranſeuntes, quatenus aliquid extra ſe efficiunt: vt latè expoſuimus Diſp. illa XIX. Itaque actio divina prout efficiens aliquid, vel prout infundens in nobis charitatem, vel dilectionem ſupernaturalem, etiam illam, qua explicitè diligimus tres perſonas; ſolùm de materiali habet vt ſit immanens dilectio & mutua trium perſonarum: de formali verò dumtaxat exprimit munus actionis virtualiter tranſeuntis, & efficientis creaturam, ſive dilectionẽ creatam, ſub tatione primæ cauſæ, vel Authoris ſupernaturalis. Quare illa actio nullatenus reflectit ſupra Deum denominationẽm aliquam, diligentis ſeipſum per illam, cùm non exprimat munus dilectionis; nec ſeipſum efficientis, cùm id Deo repugnet. Sic etiam, vt ſuprà num. 29. diximus, ſpiratio activa, ſive generatio, nullatenus reflectit ſupra perſonam Patris, vt dicatur in aliquo vero aut proprio ſenſu, Patrem ſe generare Verbo, aut Patrem & Filium ſe ſpirare Spiritu ſancto. Nimirum, tam generatio, quàm ſpiratio activa, ſecundùm ſuam rationem formalem ſolùm exprimit ordinem ad terminum productum; non verò præterea ad obiectum, vel ſubiectum nec termini ab ijs producti habent generare aut ſpirare. Pariter ergo ſuo modo, quælibet operatio Dei ad extra ex ſua ratione formali ſolùm exprimit efficientiam termini virtualiter tranſeuntem, non autem munus operationis formaliter immanentis, ſive dilectionis: atque adeò nullo ſenſu poteſt in Deum ipſum reflectere denominationem ſeipſum amantis, & multo minùs efficientis ſe. quod planè repugnat Deo. Operatio autem ſive actio, qua producitur Spiritus ſanctus, non ſolùm eſt productio illius in ſenſu formali, ſed etiam dilectio: quoniam vi proceſsionis ſuæ oritur ex dilectione mutua: & ab ipſa, veluti origine activa, habet in ſenſu formali vt mutuò diligat Patrem & Filium. Quare nihil deeſt vt Pater & Filius ſe diligant propriè Spiritu ſancto, vt termino per dilectionẽ producto, & habente illos diligere vi ſuæ productionis, quæ non eſt pura productio, ſed etiã dilectio formalis totius boni increati, quãvis modificata per principiũ ſpirãs.

36 DICES II. Quamvis dilectio mutua ac notionalis Patris & Filij habeat non ſolùm producere Spiritum ſanctum, ſed etiam tendere in obiectum increatum diligendo illud, adhuc nunquam iuxta proprietatem ſermonis verificatur, Patrem & Filium diligere Spiritu ſancto. Ad hoc enim opus erat, vt ipſe Spiritus ſanctus ſecundùm propriũ & peculiarẽ conceptũ eſſet, vel voluntas, vel formalis amor aut dilectio Patris & Filij. Id enim denotare videtur ablativus ille *Spiritu ſancto*, ſi propriè ſumatur. Sic certè in propoſitionibus ſuprà obſervatis, *Sol lumine illuminat aerem, ignis calore calefacit manũ, Arbor floret floribus*, ablativi caſus ſignificant formam, ſeu rationẽ formalem illuminandi, calefaciendi, & florendi; id eſt, lumen, calorem, & flores. Atqui Spiritus ſanctus

ſecundùm proprium & peculiarem conceptũ non eſt voluntas, vel dilectio formalis, Patris & Filij, vt nos ipſi probavimus latè num. 18. & ſeqq. Ergo nunquam verificatur in ſenſu proprio, Patrem & Filium ſe diligere Spiritu ſancto, adhuc loquendo de dilectione notionali.

37 RESP. Negando antecedens: quia ad verificandum in ſenſu proprio illam propoſitionem, non eſt opus vt Spiritus ſanctus ſecundùm peculiarem conceptum ſuum ſit formalis dilectio vel amor: ſed ſolùm id oporteret ad verificandam illam in ſenſu formali: quod eſt planè repugnans, vt eo loco ſatis oſtenſum eſt. Itaque non in ſenſu formali, ſed in alio ſenſu, proprio tamen, ſalvatur veritas illius propoſitionis, quatenus dilectio illa non ſolùm habet producere Spiritum ſanctum, ſed etiam tendere in bonum increatum, ſive in obiectum amatum, tam per ſeipſam, quàm ratione ſui termini ex dilectione orti. Quod autem opponitur de lumine, calore, & floribus, præterrem eſt: quoniam ea tria non habent rationem formæ, ſed effectus, relatè ad Solem, ignem, & arborem. Itaque ſolùm ijs exemplis vtimur, quatenus actio productiva luminis, caloris, & florum, non ſolùm reſpicit eos terminos, ſed præterea ſubiectum, quod illuminatur, calefit, & floret: propterea què in ſenſu proprio verificatur, Solem lumine producto illuminare aerem, ignem calore manum, arborem ramos floribus infloridare, ſeu induere. Cùm igitur notionalis dilectio ex ſua ratione formali non ſolùm habeat producere Spiritum ſanctum dilectorem Patris & Filij, ſed etiam reſpicere vtrumque, veluti obiectum amatum; cur non licebit pariter dicere in ſenſu proprio, Patrem & Filium ſe diligere Spiritu ſancto?

38 DICES III. In nullo ex ijs exemplis, quibus vſi ſumus, terminus actionis reflectit ſupra ipſum principium agens, ſed tendit in aliquid aliud. Neque enim Sol lumine producto illuminat ſeipſum, ſed aërem; nec ignis calore ſeipſum calefacit, ſed manum; nec denique arbor floribus ſeipſam infloridat, ſed ramos. Ergo nec Pater & Filius dici poſſunt ſeipſos diligere Spiritu ſancto: quoniam ſic oporteret vt Spiritus ſanctus in ipſos reflecteret tanquam formalis amor. quod iam diximus eſſe falſum.

39 RESP. In exemplis adductis nec lumen reflectere ſuprà Solem, nec calorem ſupra ignem: flores autem reflectere quoddammodo ſupra arborem, quoniam licèt ab ea vt cauſa efficiente procedant, aliunde illam ipſam infloridant, ſeu exornant, & veſtiunt, inſtar formæ extrinſecæ. Quæ ſatis idonea ſimilitudo eſt, vt probetur, poſſe interdum actionis terminum tribuere denominationem principio agenti iuxta proprietatem ſermonis, vbi actio ipſa non ſolùm exprimit habitudinem ad terminum productum, ſed præterea ad aliquid aliud, tanquam ſubiectum vel obiectum. Id autem maximè locum habet in re, de qua diſputamus. Dilectio enim notionalis, quâ Pater & Filius producunt Spiritum ſanctum, non ſolùm exprimit habitudinem ad illum, vt terminum productum; ſed etiam ad ipſum principium productivum. quin & præterea Spiritus ſanctus vî eiuſdem dilectionis notionalis in ſenſu formali accipit impulſum, non quemlibet, ſed ſubſiſtentem, & capacem redamandi, immo redamantem ſui principium. Quare demum concluditur, Patrem & Filios ſe diligere Spiritu ſancto, iuxta proprietatem ſermonis.

40 DICES IV. Hæc propoſitio, *Pater intelligit ſe Verbo*, adhuc accepta de intellectione notionali, non eſt vera in ſenſu proprio. Et tamen intellectio notionalis, præter productionem Verbi, habet vt ſit cognitio totius obiecti divini. Ergo nec propoſitio hæc, *Pater & Filius ſe diligunt Spiritu ſancto*, eſt vera in ſenſu proprio, quamvis intelligatur de dilectione notionali, & hæc vltra productionem termini habeat, vt ſit dilectio totius obiecti divini.

41 RESP. Priorem propoſitionem abſolutè prolatam eſſe falſam: quia intelligere ex communi vſu & ſignificatione apud Patres & Theologos, dumtaxat accipitur de intellectione eſſentiali. quo ſenſu propoſitio illa ſolùm impropriè poteſt eſſe vera, quatenus Verbum eſt reipſa vnum & idem cum intellectione eſſentiali. Dilectio verò apud eoſdem Patres ac Theologos promiſcuè aut indifferenter accipitur, tum de eſſentiali, ſive abſoluta, tum etiam de notionali. Quare hoc poſteriori ſenſu accepta propoſitio poſterior, eſt vera in proprietate ſermonis. Quòd ſi verò illa prior expreſsè accipiatur de intellectione notionali; quæ à Scholaſticis cum Auguſtino & Anſelmo appellatur dictio; concedo eſſe veram in ſenſu proprio inſtar poſterioris: atque adeò licebit æquè dicere, *Pater ſe intelligit notionaliter Verbo*; ac, *Pater & Filius ſe diligunt Spiritu ſancto.*

42 INSTABIS. Æquè falſum eſt dicere, *Pater & Filius ſpirant ſe Spiritu ſancto*, ac dicere, *Pater generat ſe Verbo.* Atqui diligere notionaliter eſt ſpirare, quemadmodum intelligere notionaliter eſt generare. Ergo æquè falſum eſt dicere, *Pater & Filius diligunt ſe notionaliter Spiritu ſancto*, ac dicere, *Pater intelligit ſe notionaliter Verbo*: ac proin-

proinde neutra earum propoſitionum admitti debet. Ratio autem vtriuſque eſt: quoniam actio notionalis nequit reflecti ſupra ſuum principium, cùm tota eius habitudo exprimatur in ordine ad terminum per eam productum, qui debet eſſe diſtinctus adæquatè à principio producente. Ergo actiones notionales intelligendi & diligendi, ſicuti & generandi & ſpirandi, nequeunt reflecti ſupra ſuum principium: ac proinde neutra ex ijs propoſitionibus eſt vera.

43 RESP. Conceſſa maiori propoſitione, diſtinguendo minorem: Diligere notionaliter eſt ſpirare (idemque eſt de intelligere notionaliter ac generare inter ſe collatis) quoad rem ipſam, concedo; quoad modum ſignificandi, & ſignificationem adæquatam apud Theologos, nego minorem, & conſequentiam quoad vtramque partem. Itaque licèt tam dilectio notionalis, quàm ſpiratio activa, ſit eadem actio in re, modus tamen ſignificandi & accipiendi vtramque apud Theologos differt. Spirare enim accipitur pro pura productione, ſeu habitudine ad Spiritum ſanctum, tanquam ad terminum productum: ideoque nullo vero ſenſu reflecti poteſt ſupra principium ſpirans, cui apertè repugnat produci à ſeipſo. Dilectio autem notionalis, vltra expreſsionem producendi comparatam ad terminum, addit explicitam habitudinem ad obiectum amoris, quod complectitur tam principium ſpirans, quàm quidquid intra Deum eſt. Quare ratione eius inadæquati conceptus poteſt reflecti ſupra ſuũ principium. Quin &, vt non ſemel monui, vt propoſitio de qua præcipuè procedit quæſtio, ſit vera & propria, confert plurimum, quòd Spiritus ſanctus vi dilectionis notionalis producatur, non vt ſpiret, ſed vt viciſsim diligat ſuum principium. Quare, vel ex hoc capite potior ratio eſt vt Pater & Filius dicantur ſe diligere, quàm ſe ſpirare Spiritu ſancto. Immo hoc ſecundum eſt omnino falſum, illud autem verum.

SECTIO VI.

Alius modus exponendi & confirmandi communem ſententiam, indicatur breviter, plenius conſulendus apud Thomiſtas. Corollaria quædam.

44 POTEST Aliter explanari eadem communior ac verior ſententia, iuxta expoſitionem frequentem Thomiſtarum, quam poſt plures alios latè tradit Godoy diſp. 95. §. 3. & ſeqq. vbi Lector illam conſulere poterit. Summa verò illius ferè hæc eſt, ex D. Thom. citata num. 22. allegato. Quoties actionis terminus eſt de conceptu illius, vt ſignificatæ verbo, vel nomine, poteſt principium à termino ipſo denominationem accipere propriè in caſu ablativo. Atqui Spiritus ſanctus eſt de conceptu actionis productivæ, ſeu dilectionis notionalis, prout ſignificatæ verbo diligendi, tanquam terminus illius. Ergo principium Spiritus ſancti, nimirum, Pater & Filius poſſunt propriè capere denominationem diligentium ſe à Spiritu ſancto, vt termino. Conſequentia eſt optima. Maior ſuadetur exẽplis ipſis antea propoſitis. Quia enim flores ſunt de conceptu floritionis, & calor de conceptu actionis calefaciendi, rectè dicitur ac propriè, arborem florere floribus, & ignem calefacere calore producto atque inhærente paſſo. Idemque apparet in hac propoſitione, *Pater dicit ſe Verbo*, quoniam Verbum elauditur in conceptu dictionis, ſeu intellectionis notionalis, prout ſignificatæ verbo dicendi. Ergo vera eſt illa maior propoſitio. Minor autem ſuadetur: tum quia diligere notionaliter, eſt idem, ac ſpirare Spiritum ſanctum. Patet verò, Spiritum ſanctum eſſe de conceptu huius complexi; vtpote quod nequit eſſe aut intelligi, Spiritu ſancto non intellecto. Tum præterea: quia quoties terminus non clauditur in intellectu actionis, quatenus ſignificatæ verbo, vel nomine, poteſt cum illa conſtrui in caſu accuſandi. Propterea què rectè dicitur, *Pater generat Filium*; & ſimiliter, *Pater & Filius ſpirant Spiritum ſanctum*: quoniam termini productionum non includuntur in conceptu iſtarum actionum, prout ſignificantur his verbis *generare*, & *ſpirare*. Cæterum incongruè conſtruitur Spiritus ſanctus in caſu accuſandi cum dilectione, prout ſignificatæ verbo diligendi notionaliter accepto: ac proinde minùs benè dicitur: *Pater diligit Spiritum ſanctum*, ſi τὸ *diligit* notionaliter vſurpetur. quemadmodum & minùs congrua locutio eſt, *Pater dicit Verbum*: congruentior autem: *Pater dicit ſe & omnia quæ intelligit, Verbo à ſe genito*. Quæ locutio frequens eſt apud Anſelmum ſuprà cap. 32. 33. & 34. poſt Auguſtinũ. Ergo Spiritus ſanctus eſt de conceptu dilectionis notionalis, quatenus hæc per verbum *diligo*, ſignificatur.

45 HOC, Inquam, modo Thomiſtæ confirmant veriorem opinionem, & obiectionibus contrarijs reſpondent. Quod quia apud illos videri poteſt, nominatim verò apud laudatum Godoy, noluimus hoc loci ad nectere, ne actum agere videremur.

46 COLLIGITVR I. Patrem & Filium non modò ſeipſos, ſed etiam Spiritum ſanctum, & creaturas omnes dilectionis capa-

ces, ipſo Spiritu ſancto diligere. Quod perſpicuè docet D. Thom. in 1 diſt 32. quæſt. 1. 2. & 3. Ratio eſt eadem ac in præcedentibus. Ideo enim Pater & Filius ſe propriè dicuntur diligere Spiritu ſancto, quia hic eſt terminus productus per dilectionem, & quatenus talis ſignificatus per verbum diligere. Hæc autem ratio æquè aut magis probat de termino ipſo per dilectionem producto, & vi illius habente vt amet ſe, & creaturas ſecum connexas, quotcumque ſunt capaces dilectionis Dei, iuxta doctrinam traditam ſupra Diſput. LXVI. & LXVII. præſertim ſect. 5. Deinde, iuxta Anſelmum locis nuper indicatis, poſt Auguſtinum, Pater non ſolùm dicit Verbo ſeipſum, ſed etiam omnia quæ intelligit. Ergo idem Pater & Filius non ſolùm diligunt ſe Spiritu ſancto, ſed etiam omnia quæ diligunt. Par enim ratio vtriuſque eſt. Notandum verò in hac propoſitione, *Pater diligit creaturas Spiritu ſancto*, verbum *diligit* ſumi, tum eſſentialiter, tum notionaliter, iuxta D. Thomam allegatum, quod optimè exponit Godoy num. 34. & 35. Vide etiam Petavium lib. 6. de Trinit. cap. 10. n. 4. & ſeqq.

47 COLLIGITVR II. Patrem non poſſe dici ſapientem ſapientia genita. Quamvis enim aliquando Auguſtinus docuerit oppoſitum, poſtea id apertè retractavit lib. 1. Retract. cap 26. & alijs locis, vt obſervat Sanct. Thom. loco nuper indicato. Vide quæ ſuprà diximus à num. 19. & Diſput. LXXXIII num. 78. & 79. Nimirum, ſapientia eſt prædicatum ſeu perfectio Dei abſoluta, cui repugnat generari, quemadmodum & eſſentiæ divinæ. Deinde ex traditis eo loco conſtat, Filium Dei ſecundum proprietatem perſonalem & relativam nõ eſſe ſapientiam in ſenſu formali. Quomodo autem Verbum divinum dici poſsit ſapiens ſapientia ingenita, & ſimul ſapientia genita, vide apud eundem S. Doctorem quæſt 1. & 2. allegata.

DISPVTATIO LXXXVI.

VTRVM ANSELMVS RECTE PROBET IN DEO AMOREM EX INtelligentia.

AD PERILLVSTREM ET REVERENDISS. D. D. LVDOVICVM DE MONSERRATE, Benedictinum, in Sacra Theologia Magiſtrum, olim Magni Sanctuarij Deiparæ Virginis Monti-Serrati Abbatem, nunc Regia electione, atque iterato iuſſu, Inſignis Monaſterij S. Petri de Biſalduno Perpetuum Antiſtitem: Virum antiquis moribus, pietatis ac magnanimitatis eximiæ.

COLLIGIT *S. Doctor in hoc ipſo cap.* 49. *exiſtentiam Amoris in Deo, quoniam ſui memor eſt, & ſeipſum intelligit: vt præmiſſa hac doctrina progrediatur ad diſſerendum de Spiritu ſancto, quem hiſce capitibus indigitat nomine Amoris. Veſtigandum itaque eſt, an rectè amorem in Deo colligat ex intelligentia, ſive cognitione. Quæ controverſia à Theologis tractari ſolet cum Magiſtro in* 1. *diſt.* 45. *vbi illam excitat D. Thomas (ac præterea* 1. *p q.* 19. *art.* 1.) *Bonaventura q.* 1. *Durandus q.* 1. *& communiter Recentiores tractatu de Voluntate Dei. Nos breviter illam dirimere ſtudebimus.*

SE-

SECTIO PRIMA.

Anſelmus impræſenti rectè probat, Deum ſe amare, quoniam ſe intelligit. Refellitur multipliciter opinio quorundam aientium, poſſibilem eſſe ſubſtantiam intelligentem, omnino incapacem amandi.

2 QVAM ABSVRDE, &c. His verbis Anſelmus probat exiſtentiam divini amoris, ex cognitione, qua Deus ſeipſum intelligit, ac ſui memor eſt. Probat autem ferè ſic. Quiſquis, cognoſcit aliquod bonum, eo ipſo capax eſt amandi illud, prout recta ratio & ordo exigit. Atqui Deus perfectiſsimè cognoſcit ſeipſum, veluti ſummum bonum. Ergo capax eſt amandi ſeipſum. Conſequentia eſt optima, & minor propoſitio ſupponitur demonſtrata, tum generatim ſuprà cap. 15 & 32. tum ſpeciatim cap. 48. præcedenti. Maiorem autem probat, tum ratione generali, tum exemplo. Ratione quidem: nam otioſa eſt & fruſtranea cognitio, ſeu memoria boni cuiuslibet, ſine facultate amandi illud prout recta ratio exigit. Exemplo verò: quoniam animus rationalis, quemadmodum ſeipſum cognoſcit, ac ſui memor eſt, ita etiam ſeipſum poſſe amare convincitur. Ideoque Athanaſius tract. de Definitionibus col. 4. generatim aiebat: *Quidquid intelligit, conſtat quòd etiã voluntate ducatur.* Et Damaſcenus lib. 2. Fidei cap. 3. inquit: πᾶν λογικὸν ἀυτεξούσιον. id eſt, *omne rationale, poteſtate liberum.* Abſurdiſsimum autem eſt dicere, vel in Deo, vel in qualibet alia natura rationali, otioſam & fruſtraneam eſſe cognitionem & memoriam ſui ipſius. Ergo tam Deus, quàm quælibet natura ſeipſam intelligens, & ſui memor, etiam eſt capax vt ſe amet.

3 VRGETVR I. Ratio eadem. Repugnat enim omnino, ſeu contradictionem involvit natura aliqua vel ſuppoſitum capax intelligendi, & eſſentialiter incapax volendi. *Eſſentialiter*, inquam. nam ex accidenti, ſive pro ratione liberi arbitrij Dei, non videtur repugnare, vt aliqua natura vel ſuppoſitum capax intelligendi, ſit de facto incapax volendi; vel negante Deo omnem concurſum ad actum volendi, vel radicitus avellente potentiam voluntatis, veluti realiter diſtinctam à ſubſtantia animæ, & ab intellectu: vt latè diximus diſput. 83. de Anima. Cæterum omnino repugnat, vt natura aut ſuppoſitum capax intelligẽdi, ſit ab intrinſeco & eſſentialiter incapax volendi. Eo namque ipſo, vt ſit capax intelligendi, eſt etiam capax intelligendi bonum, prout eſt bonum, & conveniens, & conforme rectæ rationi. Cognitio autem boni, vt boni, & conuenientis, & conformis rectæ rationi, eſſentialiter importat ordinem ad volitionem, quam dirigit. Ergo & natura ſive ſuppoſitum debet eſſe capax alicuius volitionis, quæ eiuſmodi cognitione dirigatur.

4 VRGETVR II. Cognitio enim convenientiæ aut diſconvenientiæ, quæ apparet in obiecto apprehenſo, dum non impeditur aliunde, aut per accidens, inclinat naturam vel ſuppoſitum intelligens in amorem boni, aut fugam mali. Fac enim in ſuppoſito intelligente eſſe notitiam aliquam, quæ ſolam bonitatem obiecti repræſentet, nec attingat in ea malitiam vllam, vel impedimentum, certè cognitio eiuſmodi vi repræſentationis ſuæ inclinat & determinat ad amorem eiuſdem obiecti: propterea què homo tunc ſubit neceſsitatem amandi. Atqui omnis natura rationalis, omneque ſuppoſitum intelligens, eſt capax cognitionis alicuius boni, per notitiam ſolius bonitatis in illo, abſque malitia vel impedimento vllo. Neque enim apparet caput aliquod repugnantiæ ad capacitatem eiuſmodi cognitionis. Ergo omnis natura rationalis, omneque ſuppoſitum intelligens, eſt capax volendi, ſive amandi. Eadem verò ratio eſt, vbi cognitio repræſentat in obiecto puram malitiam & diſconvenientiam. Tunc enim per ſe loquendo cognitio inclinat in odium & fugam mali, quę pariter eſt actus voluntatis. Quæ eſt ferè conſideratio S. Thom. in 1. diſt. 45. quæſt. 1. art. 1. corpore, mirè concinentis Anſelmo impræſenti, ac dicentis generatim: *Omne quod habet virtutem cognoſcitiuam* (nimirum, intellectivam) *poteſt iudicare conueniens, aut repugnans, id, quod apprehendit vt conueniens, aut repugnans; ideoque oportet eſſe volitiuum.*

5 VRGETVR III. Omnis natura omneque ſuppoſitum de facto cognoſcens aliquid ſibi conveniens aut diſconveniens, eo ipſo, & quovis alio ſublato, inclinatur, quantũ eſt ex vi cognitionis, in amorem aut odium illius. Dato enim quòd Deus per miraculum avellat à ſuppoſito voluntatem, aut omnem cõcurſum deneget ad volendum, adhuc cognitio illa obiecti conuenientis aut nocivi, inclinat per ſe ad amorem boni, aut fugam mali apprehenſi. Quæ ratio non ſolùm habet locum in cognitione intellectuali, de qua hoc loci diſſerit Anſelmus, ſed etiam in ſenſitiva. Cognitio enim illa, quâ bruta quælibet apprehendunt aliquid, tanquam ſibi conveniens aut nocivum, per ſe, & quovis alio ſublato, inclinat ad appetitionem elicitam, aut fugam obiecti, ſi-

ſive hæc per miraculum à Deo impediatur, ſive non. Non enim cognitio eiuſmodi habet inclinare ad appetitionem, fugamve, per aliquid ſibi ſuperadditum, aut accidentale; ſed ratione ſuæ eſſentiæ: ſicut nec facultas cognitiva de facto exiſtens in rationalibus aut irrationalibus creaturis infert de facto appetitivam facultatem per aliquid ſibi accidentale; ſed per ſuam eſſentiam & rationem formalem, ſive appetitus ipſe impediatur à Deo per miraculum, ſive non. Ergo repugnat omnino facultas cognitiva, & cognitio boni convenientis, ac mali diſconvenientis, quæ non inferat per ſe loquendo capacitatem appetitivæ facultatis, & appetitionis cuiuſdam, ſive hæc per miraculum à Deo impediatur, ſive non.

6 VNDE Refelluntur plures Recentiorum, poſt Arriagam diſp. 1. de Voluntate Dei ſect. 1. & diſp. 11. de Anima n. 27. exiſtimantes, poſsibilem eſſe ſubſtantiam capacem intelligendi, & incapacem volendi. Cuius oppoſitum longè verius exiſtimo ad mentem SS. Anſelmi & Thom. cum Ruiz de Volunt diſput. 1. ſect. 1. n. 29. Oviedo contr. 5. de Anima puncto 6. & alijs plurimis. Etenim in omni ſubſtantia capaci intelligendi, tam exiſtente, quàm poſsibili, locus eſt cognitioni repræſentanti bonum, aut purum ab omni malitia, & diſconvenientia, aut miſtum; aut etiam obiectum purè diſconveniens. Ergo etiam in illa ſubſtantia debet eſſe capacitas ad prædicata eſſentialia eiuſmodi cognitionis. Atqui prædicatum eſſentiale eiuſmodi cognitionis eſt inclinare, quantum eſt ex ſe, ad amorem aut fugam obiecti repræſentati, vt boni convenientis, vel mali & diſconvenientis. Neque enim cognitio eiuſmodi habet inclinare ad id ratione alicuius prædicati ſibi ſuperadditi. Alioqui de illo alio prædicato, quod planè ſpectare deberet ad lineam vel genus cognitionis, poſſet fieri idem argumentum, eſſetque in infinitum progreſsio. Ergo in omni ſubſtantia capaci intelligendi, tam exiſtente, quàm poſsibili, debet eſſe capacitas ad cognitionem inclinantem, quantum eſt ex ſe, ad amorem aut odium obiecti repræſentati, vt boni convenientis, vel mali & diſconvenientis: ac proinde in illa debet eſſe capacitas ad eiuſmodi amorem vel odium. Nimirum cognitio ipſa nequit per ſe inclinare ad aliquem affectum ab intrinſeco repugnantem & impoſsibilem naturæ, & ſuppoſito cognoſcenti: vt per ſe patet. Quapropter chimærica omnino eſt ſubſtantia intellectiva, quæ ſit ab intrinſeco incapax volendi, dato quòd ſit poſsibilis, quæ diuinitus & ab extrinſeco reddatur incapax volendi.

7 VRGETVR IV. Etenim quid præſtat ſtrictus amor boni convenientis, & cognitio eius boni prout abſentis, vt ſequatur deſiderium eiuſdem boni; idipſum præſtat cognitio boni convenientis ad amorem. Atqui repugnat prorſus creatura rationalis amans ſtrictè bonum, & cognoſcens illud abſens, quæ habeat intrinſecam repugnantiam deſiderandi tale bonum. Ergo pariter repugnat creatura rationalis cognoſcens aliquod bonum conveniens, quæ ſit ab intrinſeco incapax amoris eiuſdem boni. Maior conſtat: quoniam per ſe loquendo non minùs cognitio boni convenientis inclinat ad amorem, quàm amor ſtrictus & cognitio boni abſentis ad illius deſiderium. Sic certè cognitio intuitiva Dei prorſus neceſſariò infert amorem ipſius: & cognitiones illæ, quibus excitamur ad motus, qui primò primi appellari ſolent, inducunt neceſſitatem aliquam ad amandum. Quin & cognitiones indifferentes, quibus ſæpe tangimur in ordine ad ea, quæ noſtræ ſaluti conveniunt, neceſſariò in nobis inferre aliquos motus, ſeu complacentiam quandam, ſimplicem ſaltem, in bono propoſito, eſt doctrina Theologorum in Tractatu de Gratia. Cognitio etiam cuiuſlibet boni convenientis, dum non apparet in eo aliqua ratio mali, per ſe ac neceſſariò inclinat in eius amorem. Atqui non alia maior colligatio eſt inter ſtrictum amorem boni convenientis, & cognitionem eius vt abſentis, cũ deſiderio ipſius: vt patet. Ergo quod præſtat ſtrictus amor boni convenientis, & cognitio abſentiæ illius, vt ſequatur deſiderium, hoc ipſum præſtat cognitio boni convenientis in ordine ad amorem. Minor autem illius ſyllogiſmi ſuadetur: Quoniam aperta videtur eſſe repugnantia in eo, vt creatura aliqua rationalis, amans ſtrictè bonum aliquod, & cognoſcens illud eſſe abſens, ſit ab intrinſeco incapax deſiderandi illud. Sic etiam repugnat omnino rationalis creatura videns aliquod bonum ſibi conveniens, & iam à ſe poſſeſſum, quæ tamen intrinſecam repugnantiam habeat gaudendi & complacendi ſibi in illius poſſeſsione.

8 VRGETVR V. Vt enim inquit Anſelmus infrà cap. 69. aliàs 67. initio: *Dubium non eſt, animam humanam eſſe rationalem creaturam. Ergo neceſſe eſt eam eſſe factam ad hoc vt amet ſummam eſſentiam.* Quæ quidem doctrina & collectio mirè conſonat Auguſtino, tum lib. de Prædeſtin. SS. cap. 5. tum libro de Spiritu & littera cap. 33. tum denique contra Iulianum probanti capacitatem naturæ humanæ vt per gratiam eleve-

tur ad Deum ſupernaturaliter amandum, quia rationalis natura eſt. Vnde ita Iulianum ipſum alloquitur: *Bonam dicis hominum naturam, quæ talis gratiæ opitulationem meretur.*

Quod

Quod gratanter audirem, ſi hoc propterea, quia rationalis natura eſt, diceres. Neque enim gratia lapidibus, aut lignis, pecoribuſque præſtatur, ſed quia imago Dei eſt, meretur homo gratiam; non tamen, vt eius bona voluntas poſſit præcedere ſine gratia. Auguſtinum, ſicuti in alijs, ita in hoc ſequitur Fulgentius lib. de Incarn. & Gratia Chriſti cap. 22. & 24. vbi ſolùm excludit bruta, & quaſlibet irrationales creaturas à capacitate videndi & amandi Deum. Hinc autem videtur erui argumentũ inuictũ, quod Græci ἀναντίῤῥητον dicunt, ad probandum repugnare prorſus creaturam rationalem incapacem volendi & amandi Deum. Nam iuxta Anſelmum, Auguſtinum, & Fulgentium, neceſſe omnino eſt, vt natura humana ſit capax tum videndi, tum amandi ſupernaturaliter Deum, quia rationalis eſt. Atqui omnis ſubſtantia intelligens, ſiue exiſtens, ſeu poſsibilis, debet eſſe rationalis, vt patet. Ergo neceſſe omnino eſt, vt omnis ſubſtantia intelligens, ſiue exiſtens, ſeu poſsibilis, ſit capax tum videndi, tum amandi ſupernaturaliter Deũ. Aliunde verò patet, ſubſtantiã capacem amandi ſupernaturaliter Deum, etiã eſſe capacem volendi, ſeu amandi bonum ſibi propoſitum naturaliter. Omnis ergo ſubſtantia intelligens, ſiue exiſtens, ſeu poſsibilis, eo ipſo eſt capax naturaliter & ab intrinſeco amandi bonum conueniens ſibi propoſitum.

9 RATIO Autem à priori, quæ ſubobſcurè continetur in ipſis teſtimonijs Anſelmi, & aliorum Patrum, in eo ſita eſt, quod quòd omnis ſubſtantia immaterialis, ſiue intelligens aliquod verum, neceſſariò debeat habere vim capacem intelligendi omne verum; ſiue naturaliter, ſi ſit verum proportionatum; ſiue ex elevatione, ſi ſit verum ſupernaturale. Cùm enim ſubſtantia eiuſmodi, & intellectus illius, ſit purus ſpiritus, totius materiæ expers, nullum eſt caput, quo limiretur ad cognoſcendum vnum verum, potiùs quàm aliud. Alioqui poſſet dari ſubſtantia intelligens, quæ eſſet ab intrinſeco incapax cognoſcendi v. g. ſecundam aut tertiam Hierarchiam ſpirituum cœleſtium; ſimiliterque alia ſolùm capax cognitionis abſtractiuæ illorum, non autem intuitiuæ, adhuc per elevationem; ac denique poſsibilis eſſet rationalis creatura capax intelligendi obiecta vnius generis, & non alterius; vel imperfectiora intra vnum genus, & non ea quæ ſublimiora aut perfectiora ſunt. Hæc autem omnia ſunt planè abſurda. Ergo omnis ſubſtantia intelligens, eo ipſo debet eſſe capax intelligendi omne verum, proportionatum ſibi, naturaliter: improportionatum autem, ex elevatione. Ergo repugnat ſubſtantia intelligens quę non ſit capax cognoſcendi naturaliter Deum à poſteriori & abſtractiuè per effecta naturalia (prout dictum fuit & probatum latè Tomo 1. Diſp. V. per totam) & ex elevatione ſupernaturaliter. Cùm verò cognitio Dei, præſertim ſupernaturalis, per ſe ac proximè ducat in amorem illius, & ſpecialim cognitio intuitiua Dei inferat neceſſariò ipſius amorem in exercitio; conſequens eſt, vt omnis ſubſtantia intelligens, ſiue exiſtens, ſiue poſsibilis, debeat eſſe ab intrinſeco capax amandi, aut naturaliter, aut ex elevatione ſupernaturali Deum. Cumque elevatio ipſa, vt inquit Auguſtinus, nequeat competere irrationali naturæ, ſed dumtaxat rationali; conuincitur demum, hanc debere eſſe ab intrinſeco capacem amandi bonum naturaliter, vt eleuetur ad amandum bonum ſupernaturale. Ita Anſelmus iure ac merito, tam in hoc capite, quàm infrà cap 69 verbis num. 16. ex ſcriptis, docet, neceſſarium omnino eſſe, vt creatura rationalis ſit capax videndi & amandi Deum, generatimque, vt omnis ſubſtantia intelligens bonum, ſit capax amandi. Cumque Pater & Filius ſe invicem ac neceſſariò intelligant, ſuamque bonitatem perfectiſsimè cognoſcant, neceſſum eſt, vt invicem ſe ament.

10 ET Sanè, vt ſubdit idem S. Doctor, otioſa & fruſtranea eſſet cognitio & memoria boni, ſine capacitate ad amandum: cùm omnis cognitio boni debeat per ſe manuducere in illius amorem, prout recta ratio exigit. Quare dato quòd poſsibilis eſſet ſubſtantia intelligens, & ab intrinſeco incapax volendi, vt contendit Arriaga, & alij (quamvis immeritò, vt ex dictis conſtat) illa certè eſſet manca, & miſera: vtpotè cui deeſſet, immo & repugnaret appetitus boni cõuenientis ſibi; & quies ac delectatio in eo, cùm vel brutis animantibus ea qualiſcumque felicitas à natura tribuatur.

11 IVXTA Rationem Anſelmi hactenus explanatam intelligi facilè poſt ratio illa, qua D. Thom. 1 part. quæſt. 19. artic. 1. probat, in Deo eſſe voluntatem. Omnem enim formam ſequitur appetitus proportionatus: ideoque formam naturalem ſequitur appetitus naturalis; formam verò cognitam, appetitus vitalis. Iam ſi forma ſit cognita per ſenſum, ſequitur illam appetitus ſenſitivus. Ergo ſi forma ſit cognita per intellectum, neceſſariò ſequitur appetitus rationalis, qui eſt voluntas. Cùm igitur Dei eſſentia ſit forma ab ipſo cognita per intellectum, neceſſe eſt vt in ipſo ſit voluntas: ac proinde cùm cognitio, quam de ſeipſo habet, ſi perfectiſsima, etiam debet in ipſo eſſe perfectiſsimus amor ſui ipſius. Hoc, inquam, ſenſu facilis & expedita eſt ratio D. Thomæ; & explicata aliter, vt ferè ſolet, plurib⁹ irretitur difficultatibus in quibus

ex-

extricandis opus eſt plurimum temporis impendere, vtilitate pene nulla.

SECTIO SECVNDA.

Quædam difficultas celebris obiecta, & multipliciter ſoluta.

12 OPPONVNT Recentiores difficultatem celebrem, tam in hac, quàm in alijs materijs. Poteſt aliqua cognitio ex ſe & ab intrinſeco eſſe connexa cum negatione omnis actus voluntatis. Ergo ex cognitione intellectuali non ſequitur volitio: atque adeo nec ex natura capaci intelligendi ſequitur capacitas ad volendum. Conſequentia patet quoad vtramque partem. Antecedens autem ſuadetur. Poteſt Deus efficaciter decernere ſe nunquam concurſurum cum Petro ad vllum prorſus actum voluntatis, & ſimul id decretum revelare ipſi Petro. Tunc autem cognitio ſupernaturalis, qua Petrus præſtaret ſenſum eidem revelationi, eſſet vera ab intrinſeco, ac proinde ex ſuis prædicatis eſſentialibus exigens ne vllus vnquam in voluntate Petri affectus ſive actus ſequeretur. Ergo dari poteſt, & daretur in ea hypotheſi cognitio ex ſe & ab intrinſeco exigens negationem omnis actus voluntatis.

13 MIRVM Eſt quot ſolutiones excogitatæ fuerint in alijs atque diſputationibus ad occurrendum huic difficultati, aut æquivalenti, circa actus viſionis beatificæ, ſcientiæ infuſæ, fidei, &c. De quo plura dedimus Tomo I. Diſput. XXI. ſect. 4. & 5. Nunc autem, omiſsis reſponſionibus aliorum, tripliciter occurri poteſt. *Primò*, ſi admittatur illa hypotheſis, conſequenter dici debet, Deum revelatione illa veritatis obiectivæ nullam bonitatem in ea manifeſtaturum homini, neque hunc habiturum vllam cognitionem bonitatis aut malitiæ in obiecto. Cognitio autem per ſe inclinans in amorem, ſolùm eſt illa quæ repræſentat bonum, quatenus bonum eſt. Sic certè de facto nonnulla iudicia in nobis excitantur, quę ex ſe non inferunt affectum aliquem voluntatis, quoniam non repræſentant obiectum ſuum, vt malum aut bonum, ſed ab vtroque præciſum: vt quando hæc veritas cognoſcitur ab intellectu: *Duo & tria conſtituunt quinque*: vel etiam hæc: *Angulus conſtat duabus lineis*. Quæ doctrina conſonat Doctori Angelico 1. contra Gent. cap. 12. vbi videtur ſupponere, interdum eſſe in nobis actus cognitionis & iudicij, quos non ſequatur amor per ſe, quia non terminantur ad obiectum ſub ratione boni. Contrà verò in Deo omnem actum intelligendi ait per ſe conferre ad affectum voluntatis: quoniam *Deus, cùm ſit perfectè intelligens, intelligit obiecta ſimul cum ratione boni. Eſt igitur volens.* Itaque ſi cognitio illa, ſive iudicium, quo Petrus aſſentiretur Deo revelanti, ſe nunquam cum eo concurſum ad actum aliquem voluntatis, non attingeret in obiecto expreſsè rationem boni aut mali, ſed ab ea præſcinderet; nullatenus per ſe inclinaret in actum voluntatis, ſed potiùs ab intrinſeco inferret illius negationem. E contrà verò dicendum de alijs actibus, quibus proponitur obiectum ſub ratione boni aut mali, & multò magis de natura intelligente, & habente vim cognoſcendi omne bonum: quæ eo ipſo debet eſſe capax amandi illud, quoties ſibi proponitur veluti bonum conveniens.

14 SECVNDO Reſpondetur, repugnare omnino vt Deus revelet eam veritatem ipſi perſonæ, cui decernit efficaciter denegare concurſum ad omnem affectum voluntaris: quia repugnat omnino iudicium ex natura rei inclinans ſeu dirigens ad volendum, & tamen ab intrinſeco exigens negationem volendi. Sic non poſſet Deus revelare decretum efficax, quo ſtatuerit apud ſe nunquam concurrere ad actum aliquem creaturæ: quoniam revelatio ipſa ſecum affert actum cognitionis in creatura, cui fieret talis revelatio: atque adeò ſi Deus eam veritatem revelaret, decretum eſſet contrarium ſibi. Porrò eadem ferè contradictio eſt in hypotheſi obiectionis: nam cognitio cuiuslibet veritatis obiectivæ, nequit eſſe incapax ab intrinſeco inclinandi in amorem ipſius, tanquam convenientis ſeu conformis intellectui: & aliunde cognitio, ſeu aſſenſus præſtitus illi revelationi eſſet incapax inclinandi aut dirigendi in amorem, vel affectum aliquem voluntatis. Iuxta quam ſolutionem negandum eſt antecedens obiectionis, & ſimiliter maior propoſitio, quæ in eius confirmationem aſſumitur.

15 TERTIO Denique reſpondere poſſumus conſequenter ad dicta Diſp. XXI. allegata, præſertim à num. 76. hypotheſim obiectionis eſſe chimæricam: quoniam omnis aſſenſus ſupernaturalis præſtitus revelationi divinæ eſt diſpoſitio per ſe concurrens aut præparans ad gratiam iuſtificationis & beatitudinem; atque adeò per ſe diſponens ad actus voluntatis, quibus paratur iuſtificatio, & conſummatur beatitudo ipſa. Nequit autem actus aliquis per ſe diſponere ad id, cuius ille repugnantiam exigit ab intrinſeco. Cùm igitur aſſenſus præſtitus revelationi propoſitæ in argumento, ex ſe & ab intrinſeco exigeret repugnantiam, ſeu non eſſe omnium actuum voluntatis, & aliunde ad illos natura ſua præpararet; abſque dubio includeret duo prædicata repugnan-

nantia aut contradictoria. Quare hypotheſis ipſius obiectionis debet cenſeri repugnans & chimærica.

16 HINC Obiter colliges, repugnare omnino, vt alicui reveletur decretum efficax ſuæ æternæ reprobationis ita, vt ipſe per aſſenſum ſupernaturalem eius obiectivæ veritati fidem indubiam præſtet: quoniam aſſenſus eiuſmodi haberet connexionem eſſentialem cum damnatione, ſubindeque cum negatione æterna gratiæ & gloriæ. Repugnat autẽ eiuſmodi connexio aſſenſui ſupernaturali in revelationem Dei: quoniam ille ex natura ſua eſt diſpoſitio præparans ad gratiam & gloriam adquirendam. Nequit autem diſpoſitio natura ſua præparans ſubiectum ad aliquam formã exigere eſſentialiter æternam negationem illius in eodem ſubiecto. Alioqui ſimul exigeret cõ-naturaliter ex ſe formam, & eſſentialiter illius negationem. quæ duo manifeſtè repugnant.

17 POSSENT Præterea plures aliæ rationes erui ex doctrina Anſelmi ad demonſtrandum, Deum ſeipſum amare perfectiſsimè, ex ijs quæ docuit ſuprà cap. 14. & 15. vbi omnes ferè perfectiones, quas in Deo novimus, demonſtrat ex eo quòd ſit à ſe, & independenter ab omni alio: inſuper & ex eo, quòd Deus ſit id, quo nihil melius & excellentius cogitari poſsit, vt exponit S. Doctor infrà in Proslogio cap. 1. 2. & 3. Verùm illas facilè exinde poterit doctus quiſque Theologus & eruditus eruere, atque in methodum redigere. Nos hoc loci illam ſolùm explanavimus, quæ ad litteram præſentis capitis ſpectat.

CAPVT L. Aliàs XLVIII.

QVOD IDEM AMOR PARITER PROCEDAT à Patre & Filio.

18 PALAM Certè eſt rationem habenti, eum non idcirco ſui memorem eſſe, aut ſe intelligere, quia ſe amat: ſed ideo ſe amare, quia ſui meminit, & ſe intelligit: nec eum ſe poſſe amare, ſi ſui non ſit memor, aut ſe non intelligat. Nulla enim res amatur ſine eius memoria aut intelligentia: & multa tenentur memoria & intelliguntur, quæ non amantur.

19 PATET Igitur, Amorem ſummi ſpiritus ex eo procedere, quia ſui memor eſt, & ſe intelligit. Quod ſi in memoria ſummi ſpiritus intelligitur Pater, in intelligentia Filius; manifeſtum eſt, quia à Patre pariter, & à Filio, ſummi ſpiritus Amor procedit.

SCHOLIA IN CAPVT L.

SECTIO TERTIA.

Omnem amorem cuiuslibet boni, ſupponere neceſſariò ipſius notitiam: ac proinde Amorem perſonalem, ſiue Spiritum ſanctum, per ſe ſupponere memoriam in Patre, & intelligentiam in Filio, vt ex vtriuſque amore procedat.

20 ACCEDIT S. Doctor ad diſſerendum de proceſsione Spiritus ſancti ex Patre & Filio: quæ poſtea occaſionem ipſi dedit ampliſsimi triumphi è Græcis in Concilio Barenſi ſub Vrbano II. vt vidimus Tomo I. Prologomeno 3. num. 22. & ſeq. ac tandem doctiſsimæ Epiſtolæ, ſeu libri contra eoſdem: vt videbimus in progreſſu Operis. Verùm in eo longe alia methodo probat Anſelmus proceſsionem ex Patre & Filio, quàm impræſenti. Ibidem enim eam veritatem ex ſacra Scriptura, & multiplici illius conſideratione, ac ratione theologica colligit. Nunc autem, nullo Scripturæ, aut Conciliorum teſtimonio allegato (vt ipſe profitetur in Prologo huius. Opuſculi) ſuppoſita tamen eiuſdem myſterij fide, tentat ſi quoquo modo poſsit oſtendere ratione naturali, Spiritum ſanctum ex Patre & Filio procedere. Suppoſita, inquam, fide. nam alioqui, & attento ſolùm lumine naturali mentis humanæ, immò & Angelicæ,

iam

iam ſuprà cum eodem S. Doctore initio huius Tomi I. diſp. 11. oſtenſum fuit, veritatem huius myſterij demonſtrari non poſſe. Quare audiendus non eſt Aureolus in 1. diſt. 9. parte 1. art. 4 vbi tradit, ex communi & præciſa ratione intellectionis probari demonſtrativè proceſsionem Verbi divini; & per conſequens proceſsionem Spiritus ſancti ex præciſa ratione amoris. Id enim videtur contrarium communi doctrinæ SS. Patrum vt vidimus ibi ſect. 2. & præterea nimis deprimit inacceſſam ſublimitatem huius myſterij: ac denique nullo fundamento innititur, cùm omnis ea probatio ducta ex intellectione & amore creato, facilè ſolvi poſsit à quolibet Philoſopho Gentili, admittente in Deo intellectionem & amorem eſſentialem dumtaxat, ſimiliterque verbum & impulſum voluntatis communiter dictum reipſa indiſtinctũ ab intelligente & amante, ac nihil omnino intra ſe producente. Quare ratio Anſelmi ex intellectione & amore deducta, ſolùm eſt coniectura probabilis, attentâ nudâ ratione. Lege D Thom in 1. diſt. 1. quæſt. 1. art. 4. Quin & hunc modum differendi, ac probandi ratione res divinas, & multa fidei myſteria, teſtatur lib. 1. Cur Deus homo cap. 1. fuiſſe ſibi à diſcipulis iniunctum, *non vt per rationem ad fidem accedant: ſed vt eorum, quæ credunt intellectu, delectentur contemplatione; & vt parati ſint, quantum poſsint, ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti rationem de ea, quæ in nobis eſt, ſpe.* Vide plura huc ſpectantia Tomo I Diſp I. ſect. 3. vbi latè diſcuſsimus, an iure & meritò Anſelmus in hoc Opuſculo differuerit de rebus & myſterijs divinis, ex ratione naturali; & qualiter accipiendæ ſint eiuſmodi probationes. His iunge nonnulla alia infrà n. 25.

21 *PALAM CERTE EST, &c.* Ad probandum proceſsionem Spiritus ſancti ex Patre & Filio, præmittit initio, Deum ideo ſe amare, quia ſe intelligit, ac ſui memor eſt, vti docuit cap. præcedenti: non autem ideo ſe intelligere, & memorem ſui eſſe, quia ſe amat. Hoc præmiſſum probat S. Doctor ex effato illo communi, ſeu potiùs principio omnibus manifeſto: *Nemo poteſt amare ignotum.* Quod olim quidam Poetarum Gentilium eleganter expreſsit, dicens: *Ignoti nulla cupido*: Scholaſtici autem, tum Philoſophi, tum Theologi, exponunt ijs verbis: *Nihil volitum, quin præcognitum.* Ideo Plato dixit, ἀρχὴν ἔρωτος ὄρασιν εἶναι, *principium amoris eſſe viſum.* Et Plutarchus lib. 5. Sympoſij aiebat, *amores, quibus nullus vehementior animi motus accidit, ab aſpectu principium ducere.* Nimirum, mens appetitui eſt veluti oculus, quo non præeunte ac ducente, nequit cognoſci bonum, ac proinde nec amari: cùm ad appetitum, ſive ſentientem, ſive rationalem, qui eſt voluntas, non ſpectet cognoſcere bonum, ſed amare, quia ſibi proponitur à ſenſu, aut ratione, quatenus bonum, ſeu conveniens eſt.

22 SVBDIT Anſelmus, nec Deum ſe amare poſſe, ſi ſui non ſit memor, aut ſe non intelligat. Et meritò ita loquitur. nam cognitio boni conſtituit actum primum potentiæ ad amandum. *Quis enim amare valeat, quod ignoret?* inquit Sapiens quidam. Et ſanè in creatis ſtatutâ reali diſtinctione intellectus à voluntate, ordine prioris ac poſterioris potentiæ, iuxta exigentiam naturæ, vti ſtatuimus diſp. 83. de Anima; faciliùs & planè intelligitur, cognitionem debere omnino præcedere, & volitionem ſequi, ſicuti intellectus ordine naturæ antecedit voluntatem. Iuxta ſententiam autem, quæ vtramque potentiam vult eſſe reipſa vnam in creatis, non ita facilè explicatur, cur cognitio debeat ordine naturæ præcedere omnem volitionem: vt ibidem monuimus num. 6.

23 SVBDIT Præterea rationem, vt cognitio debeat præcedere amorem ordine naturæ, non è contrà. Quoniam nulla res amatur ſine eius memoria aut intelligentia: è converſo autem multa memorantur & intelliguntur, quin propterea amantur. Ergo memoria & intelligentia rei præcedit, ſeu ducit ad illius amorem: amor autem non præcedit, ſed ſequitur. Si enim amor præcederet rei cognitionem, nullatenus eſſe poſſet cognitio ſine amore præcedenti. quod experimento communi patet eſſe falſum in ijs qui plura cognoſcũt, nec tamen amant. Vnde ſubducitur hæc formula. Illud eſt prius naturâ & ſubſiſtendi conſequentiâ, vt aiunt, quod poteſt eſſe ſine alio, poſterius verò quod nequit eſſe ſine illo. Atquī cognitio boni poteſt eſſe ſine eius amore; non verò amor ſine cognitione. Ergo cognitio eſt prior natura & ſubſiſtendi conſequentia, amor verò poſterior.

24 *PATET IGITVR, &c.* Statuto & probato, Deum Patrem & Filium ſe amare, quoniam ſui memor eſt, & ſeipſum intelligit, pergit S. Doctor ad colligendum ſtatim proceſsionem Amoris, ſive Spiritus ſancti ex Patre & Filio Amor enim, vt hactenus oſtenſum fuit, procedit ex præcedente memoria & intelligentia boni. Atqui memoria tribuitur Patri, & intelligentia Filio: vt patet ex dictis cap. 45. 46. 47. & 48. Ergo Amor, ſive Spiritus ſanctus, ex Patre Filioque procedit. Neque tamen ideo exiſtimes, Spiritum S. iuxta mentem Anſelmi procedere per intellectum à Patre & Filio in ſenſu formali. Hoc enim & falſum eſt, & nullatenus traditur à S. Doctore.

So-

Solùm enim ait, *Amorem ſummi ſpiritus ex eo procedere, quia ille ſui memor eſt.* Vbi cauſalis *quia* non exprimit originem activâ Amoris perſonalis, ſed ſolùm conditionem præviâ & prorſus prærequiſitam. Nimirum, origo activa Amoris perſonalis, ſive Spiritus ſancti, eſt activa ſpiratio communis Patri & Filio, eaque ſita in exercitio voluntatis, quo ambo invicem ſe amant: non autem conſiſtit in exercitio mēris, quo ſummus ſpiritus, id eſt, Pater & Filius, dicitur ſui memor eſſe, & ſe intelligere. Itaque Pater ſimul cum Filio ſe intelligens & amans producit Spiritum ſanctum, verùm ita, vt memoria & intelligentia ſui ſit conditio præſuppoſita per ſe dumtaxat; exercitium verò perſonale amandi ſe invicem ſit origo activa, per quam Spiritus S. in ſenſu formali producitur: ideoque hic perſonaliter & ſpeciatim ac relativè appellatur & eſt Amor, ſeu voluntas, itidem relativè accepta. Quamvis enim Pater & Filius illum producant ſcientes & intelligentes quid producant, non tamen illum producunt per exercitium intelligendi in ſenſu formali, ſed per mutuum exercitium ſe amandi, tanquam per originem activam. Quod ipſum paſsim Theologi Scholaſtici diſtinctè exponunt, & allegato Athanaſio ſatis indicat Emanuel Calecas lib. de Proceſsione Spiritus S. cap. 36. illis verbis. ὅτω καὶ αὐτὸς (Θεὸς) ἑαυτὸν καὶ ἀγαπῶν, καὶ θελῶν, καὶ ἑαυτὸ ἐρῶν, &c. id eſt. *Sic & idem (Deus) ſeipſum & diligens, & volens, & ſeipſum amans, (ipſe enim ſibi deſiderabile eſt, & ſummum, & bonum) ex ſeipſo ſuam ipſe producit voluntatem, vel dilectionem, vel amorem: quæ Spiritui ſancto relativè Doctores attribuunt. Non enim aduerſus eos, qui Filium, & Spiritum ſanctum negabant, ita contenderent, vt eos confiteri cogerent Deum rationis, aut ſermonis, aut voluntatis expertem fuiſſe; niſi & Patrem mentem eſſe, & Filium Verbum, Spiritum ſanctum verò voluntatem relativè vellent dicere.* Hactenus ille.

25 PORRO S. Doctor in hoc capite ſolùm obiter aſſerit probatque Spiritus ſancti proceſsionem ex Patre & Filio ſimul, prout ſuaderi poteſt ratione naturali ſupponēte fidem de eodem myſterio. Nam, vt initio ſectionis dixi, rem ipſam latè & operoſiùs confirmat libro, ſeu Epiſt. de Proceſsione Spiritus S. contra Græcos: vbi & nos plura proferemus in Commentarijs eodēm ſpectantia, quæ facilè huc advocari poſſent, niſi poſtea eſſent repetenda. Sufficiat nunc dicere, rationem, quâ vtitur S. Doctor in hoc capite, eſſe ſatis probabilem: non autem demonſtrativam. Eſt quidem probabilis valde: Quia Spiritus ſanctus habet eſſe ex vi amoris, quo ſe diligit Deus relativè, ſeu notionaliter. nam eſſentialis amor Dei erga ſeipſum abſtrahit ab omni productione. Amor autem relativus, ſeu notionalis Dei, ſupponit per ſe loquendo memoriam & intelligentiam notionalem, quarum prior adſcribitur Patri, poſterior autem Filio, ſeu Verbo. Ergo Spiritus ſanctus habet eſſe ex vi amoris ſupponentis per ſe Patrem & Filium, ſive Verbum: ac proinde per ſe ab vtroque procedit. *Deinde* Amor notionalis, per quem procedit Spiritus ſanctus, ſupponit per ſe cognitionem notionalem, ac proinde terminum illius, qui eſt Verbum divinum propriè & perſonaliter dictum, iuxta doctrinam traditam ſuprà Diſp. LXIII. Ergo ſupponit per ſe terminum eiuſdē cognitionis; ſicuti amor eſſentialis per ſe ſupponit cognitionem eſſentialem, eiuſque terminum, qui eſt verbum communiter dictum. Ergo Spiritus ſanctus habet eſſe ex vi amoris per ſe ſupponentis cognitionem notionalem, & Verbum propriè dictum; ac proinde Patrē & Filium. Sic etiam in nobis omnis amor, ſicuti ſupponit cognitionem, ita etiam verbum expreſſum, quoad aut ratione, aut reipſa diſtinctum ab ea eſt, tanquam affectio, vel terminus ipſius cognitionis. Non tamen eſt demonſtrativa hæc ratio: quoniam aliqua ſupponuntur in ea, quæ adhuc inter Theologos nondum omnino explorata ſunt.

26 SOLIDIOR Itaque ratio, & planè vrgentior eiuſdem veritatis eſt, quâ S. Doctor vtitur alijs locis, præſertim in allegata Epiſtola, ex diſtinctione reali Spiritu ſancti à Patre & Filio, quæ certa eſt ſecundùm fidem: vt vidimus ſuprà Diſp. LVII. per totam. Inde verò facilè onſtenditur, Spiritum ſanctum ex vtroque procedere: Quia in divinis nullus eſt locus diſtinctioni reali perſonarum, niſi ſecundùm productionem vnius ab alia: vt latè confirmabitur Diſp. XCIII. Cumque nec Pater, nec Filius producantur à Spiritu ſancto, vt fides docet; debet hic produci, ſeu procedere ab vtroque ſimul. Plura circa proceſsionem Spiritus ſancti ex Patre & Filio, examinabimus in progreſſu.

(?)



CA-

CAPVT LI. Aliàs XLIX.

QVOD VTERQVE PARI AMORE DILIGAT, SE, & alterum.

27 SED Si amat ſummus Spiritus, proculdubiò ſe amat Pater, amat ſe Filius, & alter alterum: quia ſingulus Pater eſt ſummus Spiritus, & ſingulus Filius ſummus Spiritus, & ambo ſimul vnus Spiritus. Et quia vterque pariter ſui & alterius meminit, & ſe & alterum intelligit, & quoniam omnino idipſum eſt quod amat, vel amatur in Patre, & quod in Filio; neceſſum eſt, vt pari amore vterque diligat ſe, & alterum.

CAPVT LII. Aliàs L.

QVOD TANTVS SIT ISTE AMOR, QVANTVS eſt ipſe ſummus Spiritus.

28 QVANTVS Ergo eſt Amor iſte ſummi Spiritus, ſic communis Patri & Filio? Sed ſi ſe tantùm diligit, quantùm ſui meminit & ſe intelligit; tantùm autem ſui memor memor eſt & intelligit ſe, quanta eſt eius eſſentia; quod aliter eſſe non poteſt: profectò tantus eſt Amor eius, quantus ipſe eſt.

SCHOLIA IN CAPVT LI. ET LII.

SECTIO QVARTA.

Demonſtratur amor Patris & Filij, tam ad ſe, quàm adinvicem, & æqualitas in amando. Complacentia mutua alterius in altero explicata, & realis pluralitas perfectionum excluſa à Deo obiter, iuxta dicta Diſp. LXXIII.

29 *SED SI SE AMAT, &c.* Demonſtrato iam in præcedentibus capitibus, ſummum ſpiritum, ſive Deum, amare ſeipſum, quoniam ſe perfectè intelligit; colligitur planè ac demonſtrativè, tam Patrem, quàm Filium, amare ſeipſum, & invicem alterum. Formula probationis hæc ferè eſſe poteſt. Omnis perfectio ſimpliciter ſimplex conveniens ſummo ſpiritui, ſive Deo, convenit etiam Patri & Filio: cùm vnuſquiſque eorum ſit ſummus ſpiritus, ſive Deus perfectus, iuxta fidem. Atqui amare ſeipſum, ſicuti & intelligere ſe, eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, conveniens ſummo ſpiritui, ſive Deo: vt in præcedentibus oſtenſum eſt. Ergo amare ſeipſum, ſicuti & intelligere ſe, convenit Patri, & Filio. Cumque ambo præterea ſint vnus & idem Spiritus; ex eodem principio convincitur, vnumquemque eorũ pariter amare alterũ, ac ſeipſum. Alioqui ſummus Spiritus non ſe amaret, contra hypotheſim iam demonſtratam.

CON-

30 CONFIRMAT Idipſum S. Doctor. Amor oritur ex cognitione boni, vt oſtenſum fuit cap. 50. ac proinde vbi par eſt cognitio boni, par ſive idem debet eſſe amor. Atqui Pater & Filius pariter ſe invicem cognoſcunt: cùm ſint æquales in intelligentia, ſicuti & in eſſentia. Ergo pariter invicem & æqualiter ſe amant.

31 CONFIRMAT Iterum eam amoris æqualitatem: quia vbi bonum, quod amatur, eſt omnino idem, & æqualiter cognitum, æquali prorſus amore diligitur: præſertim ſi amor ſit divinus, & neceſſarius, qualis eſt de quo loquimur. Atqui bonum amatum à Patre & Filio, ſive in ſeipſis conſiderentur, ſive adinvicem, eſt idem bonum, & æqualiter cognitum. nimirum, eadem eſſentia ſummè perfecta, & æqualiter vtrique nota per cognitionem ſummam, ac planè comprehenſivam. Ergo Pater & Filius, tam vnuſquiſque ſeipſum, quàm alter alterum, æqualiter amat.

32 PORRO Amor perfectiſsimus, quo ſe invicem Pater & Filius æqualiter diligunt, colligitur potiſsimùm ex illa ineffabili complacentia, quâ alter gaudet de bono neceſſario alterius pleniſsimè & comprehenſivè noto. Id, nimirum, ſignificant verba illa Patris æterni ad Apoſtolos in Thaboris montis vertice: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Eandem Patris complacentiam in Sapientia Genita, ſeu Verbo, atque huius in ipſo, indicat Salomon, dum nomine Sapientiæ ipſius ait Proverb. 8. v. 30. *Cum eo eram cuncta componens, & delectabar per ſingulos dies, ludens coram eo omni tempore.* Septuaginta legunt: ἥμην παρ' αὐτῷ, ἁρμόζουσα ἐγὼ ἤμην, ᾗ προσέχαιρεν. καθ' ἡμέραν δὲ εὐφραινόμην ἐν προσώπῳ αὐτοῦ, ἐν παντὶ καιρῷ. id eſt, *Eram penes illum diſponens: ego eram cui ad gaudebat. Quotidie autem iucundabar in facie eius, in omni tempore.* Sive, vt legit aut vertit Tertullianus libro contra Praxeam cap. 6. ſub initium, de Sophia aut Sapientia divina: *Ego eram cum illo compingens, ego eram ad quam gaudebat: quotidie autem oblectabar in perſona illius.* Vnde Athanaſius Orat. 2. contra Arianos ex hoc ipſo loco probat generationem æternam Verbi conſubſtantialis & æqualis Patri, dicens: *Deus ipſe eius Imaginis Genitor eſt, quam contuendo exhilaratur, vt ipſe Filius dicit: Ego eram, in quo, gaudebat.* Et non longè poſt mediũ eiuſdem Orationis ait: *Quomodo ſi Filius perfectus non erat, Pater in eo ſibi gratulabatur? Aut ſi nunc tandem melioratus eſt, quomodo antea potuit oblectari coram Patre?* Similiter Orat. 3. contra eoſdem Arianos ex eodem Proverbiorum loco mutuum & æternum Patris ac Filij amorem probat, dicens: *In quo porrò lætatur Pater, niſi cum intuetur ſeipſum in ſuipſius imagine, quod eſt Verbum eius?* Et paucis interpoſitis: *Quomodo Filius exhilarari poſſet, niſi eo modo, qui ſe intuetur in Patre?* Similiter id Proverbiorum teſtimonium de Filio & Verbo Dei accipit Sixtus II. Papa Epiſt. 1. ad Gratum Epiſcopum, quæ habetur poſt Carthaginenſe Concilium Tomo I. ſicuti & Orientales Epiſcopi canone 5. apud Hilarium libro de Synodis col octava. Eadem autem ratio eſt, vt hoc obiter dixerimus, de Spiritu ſancto: in quo Pater & Filius ſibi infinitè & neceſſariò complacent, ſicuti & ipſe in ambobus: vtpote cùm ijs tribus ſit eadem prorſus bonitas eſſentiæ, ſingulis pariter, & æquè comprehenſivè nota. Ergo pariter Spiritus S. ab ijs amatur, & vtrumque amat.

33 EX Præiacta doctrina Anſelmi confirmatur obiter ſententia negans divinis perſonis relativam & peculiarem perfectionẽ, aſſerenſque vnam tantùm communem & abſolutam: vt ſuprà Diſp. LXXIII. per totam probavimus. Ait enim S. Doctor in fine huius capitis de Patre & Filio: *Neceſſum eſt, vt pari amore vterque diligat ſe & alterum.* Non eſſet autem id neceſſe, ſed potiùs κ ἀδύνατον, ſeu repugnans, ſi vnuſquiſque eorum habe ret peculiarem perfectionem relativam, quaſi ſpecie diſtinctam à perfectione relativa & peculiari alterius. Deberet enim vtraque ea perfectio eſſe inæqualis, ac proinde inæqualiter amabilis. Non ergo pari amore ſe invicem diligerent Pater & Filius quoad perſonas. Quam rationem eo loco proſecuti ſumus latè, impugnantes præterea varias ſolutiones plurium contrà opinantium, num. 16 & ſeqq. Nec ſufficiet dicere, Anſelmum hoc loco probare æqualitatẽ amoris inter Patrem & Filium, *quoniam idipſum eſt quod amat, vel amatur in Patre, & quod in Filio.* nimirum, quia bonum eſſentiæ eſt vnum & idem in vtroque. Nam præter impugnationes huius ſolutionis eo loco propoſitas, obſtat quòd Anſelmus impræſenti docet Patrem & Filium invicem & æqualiter ſe diligere, non ſolùm quatenus ſunt vnum in eſſentia, ſed etiam quatenus differunt in perſonis. Loquitur enim expreſsè de amore mutuo alterius ad alterum: qui planè in alteram atque alteram perſonam cadit. Repugnat verò, eiuſmodi amorem eſſe omnino æqualem, ſi præter bonum illud commune eſſentiæ vnuſquiſque eorum habet bonitatem peculiarem relativam per ſe æſtimabilem & inæqualem. nam ambæ illarum exigent inæqualem amorem. Quin & illa ipſa bonitas eſſentiæ, prout reipſa identitatem habens cum altera earum, erit perfectior & æſtimabilior, quàm prout habens cum altera iden-

identitatem. Quare adhuc amor eſſentiæ non erit in Patre & Filio prorſus æqualis & uniformis: ſed ille, ex cuius conſortio vel identitate perfectior evaſerit eſſentia, magis illam diliget, quàm alter, ex cuius identitate illa minùs perficitur: quoniam recta ratio exigere videtur, vt ſi eſſentia divina eſt magis perfecta relativè in Patre, v. g. quàm in Filio, magis ametur prout in Patre, quàm prout in Filio. Nulla igitur ratione erit omnino idem ac par amor Patris & Filij, contra quàm Anſelmus docet hoc loco, & ſuppoſita fide Trinitatis, ipſa naturalis ratio demonſtrat.

34 *QVANTVS ERGO EST AMOR, &c.* In hoc brevi capite, oſtendit S. Doctor, Amorem prædictum, tantum eſſe, quantus eſt Pater & Filius, ſive ſummus Spiritus ſe amans. Aſſertionem probat: Quia ſummus Spiritus tantum ſe diligit, quantum ſui memor eſt, & ſe intelligit; tantum autem ſui memor eſt & ſe intelligit, quanta eſt ipſius eſſentia. Nimirum, quemadmodum perfectio eſſentiæ eſt infinita & ſumma, ita etiam perfectio memoriæ, intelligentiæ, & dilectionis in Deo, infinita & ſumma eſt. Ergo quemadmodum eſſentia, memoria, & intelligentia tanta eſt in Deo, quantus ipſe eſt; ita etiam Amor Alioqui non reſponderent ſibi æqualiter in Deo ea omnia, nec amaretur Deus à ſeipſo, quantum intelligitur. quod manifeſtè repugnat naturali rationi.

35 NOTA, Anſelmum in hoc capite poſſe intelligi, tum de amore ſumpto pro actu dilectionis, quo Pater & Filius invicem & æqualiter ſe amant: tum pro termino producto ab vtroque per exercitium ipſius amoris, qui eſt ipſe Spiritus ſanctus. Et priori quidem ſenſu apertè demonſtratur, amorem tantum eſſe, quantus eſt Deus: ſicuti & ſapientia ſumpta pro actu, quo Deus ſeipſum intelligit, tanta eſt, quantus ipſe Deus. Adæquatur enim tam ſapientia cum veritate divina, quàm dilectio cum bonitate. Poſteriori autem ſenſu, qui planè eſt genuinus, ſermo eſt de Spiritu ſancto, qui eſt & dicitur Amor Patris & Filij, iuxta ſenſum explanatum Diſput. LXXXIV. per totam.

DIS-

DISPVTATIO LXXXVIII.

QVAENAM SINT PRINCIPIA PROCESSIONVM DIVINARVM.

AD PERILLVSTREM ET REVERENDISS. D. D. PLACIDVM DE OROZ, Sacræ Theologiæ Magiſtrum, Regij & Antiquiſsimi Monaſterij S. VICTORIANI in Aragonia Perpetuum & meritiſsimũ Antiſtitẽ, Congregationis S. BENEDICTI Tarraconenſis Præſidem Generalẽ, Virũ pietate, doctrina, ac zelo divini cultus ſpectabilẽ, noſtrũ olim in ſtudijs litterarũ ſocium, ac veterẽ amicũ, &c.

QVPPONIT Anſelmus, aut etiam rationibus probare nititur in his capitibus, quantum fas eſt, proceſsionẽ Spiritus ſancti ex Patre & Filio: ſicuti & ſuprà à cap. 30. probauit proceſsionem Verbi, ſiue Filij, à Patre. Quippe certum fide eſt, duplicem in diuinis tantùm eſſe proceſsionem, alteram Verbi, alteram Spiritus ſancti: quarum prior exprimitur Ioan. 8. vbi Chriſtus ait: Ego ex Deo proceſsi. *Poſterior verò eiuſdem Ioannis 15. vbi dicitur:* Spiritus veritatis, qui à Patre procedit. *Neque aliam præterea in diuinis proceſsionem indicat Scriptura. Veſtigamus itaque, à quonam principio formali eæ proceſsiones ortum ducere exiſtimandæ ſint; an ab ipſa natura diuina immediatè, an verò ab intellectu & voluntate diuina, an denique à relationibus.*

SECTIO PRIMA.

Obſeruantur quædam ad dirimendam controuerſiam, præſertim circa rationem principij, quæ diuerſimodè vſurpatur, etiam circa perſonas, & proceſsiones diuinas. Varia Theologorum placita.

1 PRÆMITTERE Initio oportet, ne in ipſo limine offendamus, notionẽ principij valde ambiguã eſſe, quæque multis & diſsidentibus modis vſurpari ſoleat. Ariſt. lib. 3. Metaph. c. 1. monet, rationem τοῦ ἀρχῆς, id eſt, principij, ſeptẽ modis accipi. Primò pro initio, vnde fit motus, veluti principio viæ: quod ſola hominũ inſtitutione conſtat, vt ibid. monet Aſclepius in Comment. nam idem poteſt eſſe initiũ & finis viæ: vt in itinere, quod Athenis Thebas, aut Thebis Athenas ducit. Secundò principiũ dicitur, vnde rem opportunè auſpicari poſſumus: qualia in diſciplinis ſunt aliqua veluti rudimẽta vnde artũ ſtudiũ inchoatur, quod etiã ex inſtitutione & vſu hominũ pendet. Tertiò principij nomẽ habet pars illa rei, à qua fieri incipit, qualis eſt in navi carina, & cor aut cerebrũ in animali. Quartò id, vnde primũ fit res aliqua, quin ſit eius pars: ſive, quod perinde eſt, id à quo motus, vel mutatio oritur, quo ſenſu gignens eſt principium geniti, & diſcordia pugnę. Quintò illud cuius nutu ac volũtate movetur ac mutatur mobile, quales ſunt in R. P. Magiſtratus, & Principes. Sextò principia diuinantur artes, præſertim architectonicæ, quæ imperant alijs inferioribus. Septimò denique, ex quibus primùm cognoſcitur res: quo in genere ſunt potiſsimũ ea, quę communiter appellamus principia demonſtrationũ, ſicuti & definitiones & hypotheſes quędã. Omnia verò principia ijs ſeptẽ modis explanata poſſunt cõmodè revocari ad duo veluti ſumma capita: vt quędã ſint naturalia & propriè dicta: alia ex placito vel vſu hominũ, & κατὰ συμβεβηκός, id eſt, ex accidẽti. Eorũque ratio cõmunis & valde abſtracta in eo ſita videtur, vt principium vniversè ſit, τὸ πρῶτον ὅθεν ἢ ἔστιν, ὃ γίνεται, ἢ γινώσκεται. *aliquid primum, vnde res aut eſt, aut fit, aut cognoſcitur*, vti concludit Ariſt. eodem loco. Porrò ad primã ex ijs acceptionibus quodammodo referri poteſt illa, quæ temporis initium continet, cùm par fere ſit ratio initij viæ ac temporis.

3 EX Tot ijs notionibus, quibus principiũ vſurpari ſoleat, duæ tantũ ad Catholicã de Trin. ſentẽtiã ſpectant, eęque invicẽ oppoſitæ: alteravt principij nomine accipiatur id, à quo orituraliquid,

quocumque modo id contingat, ſive ex tempore, ſive ex æternitate: altera, ſit, à quo aliquid accipiat initiũ exiſtẽdi, ſeu transferatur ex non eſſe ad eſſe. Priori ſenſu Catholici omnes ſemper aſſeruerunt, Patrũ æternũ eſſe principiũ Filij: poſteriori verò Arius, eiuſque gregales, qui Filium non ex æternitate, non ex ipſa ſubſtantia Patris, ſed ἐξ ὀυκ ὀντων, id eſt, *ex non entibus*, extitiſſe dixerunt: vt vidimus ſuprà Diſp. LIV. ſect. 1. & conſtat ex ipſo Symbolo Nicæno, quod ibidem explanavimus. Et quoniã ratio πρωχῆς, ſive principij, hoc præpoſtero & impio ſenſu ab ijs accipiebatur circa Verbum Dei, Patres ipſum ſæpe ἀναρχον appellant, id eſt, expertem principij. Nam Filius æquè, ac Pater, initio exiſtendi caret, itidemque Spiritus ſanctus: cùm ſint tres coæterni, & quilibet eorum in eo ſenſu verè ſit *anarchos*, ſeu initij expers. Sic etiam ſuprà Diſp. LXXXIII. num. 44. monuimus, Filium æquè ac Patrem dici ἀγέννητον, per vnicum *v.* id eſt, infectum, ſeu increatum, contra Arianos oppoſitum ſentiẽtes; quamvis ἀγεννητος per duplex *vv.* ſolus Pater dicatur, tanquam Ingenitus ex propria & peculiari notione. Rem totam exponit diluciḍè Gregorius Nyſſæ Antiſtes lib. 1. contra Eunomiũ iuxta editionem Gretſeri, dicens,* cùm vox ἀρχῆς (principij) in magno ſit ſignificationum ambitu, interdum τοῦ ἀνάρχου (principio carentis) appellationem non abhorrere ab vnigenito Filio. Nam quando in voce ἀνάρχου nihil intelligitur aliud, niſi id, quod ex nullo penitus principio habet vt ſubſiſtat; hoc ipſum eſſe ſolius Patris proprium confitemur. Cùm autem de reliquis principij ſignificatis inquiſitio fit; quoniam & creationis principium eſt, & temporis & ordinis; etiam in ijs vnigenitum Filium omni principio ſuperiorem eſſe teſtamur: vt ſupra omne creationis principium, & temporis notiones, & ordinis conſtitutionem, illum eſſe credamus, per quem omnia facta ſunt. Itaque quem ratione hypoſtaſeos non expertẽ eſſe principij putamus, in reliquis omnibus carere principio fatemur; & Patrem quidem principio carentem & ingenitum, Filium verò principio quidem eo, quem diximus, modo carentem, non tamen ἀγέννητον, id eſt ingenitum. * Hactenus ille. Vide plura alia apud Petavium lib 5. de Trinit. cap 5.

3 ITAQVE Dum in hac Diſputatione inquirimus, quænam ſint principia divinarum proceſſionum, ſupponimus, Patrem relatè ad Filium, ſicuti & vtrumque in ordine ad Spiritum ſanctum, reipſa habere rationem principij accepti pro eo, *a quo aliquid procedit*; non autem pro illo, à quo aliquid accipit initium exiſtendi, ſive tranſfertur ex non eſſe ad eſſe. Hoc enim poſteriori modo Ariani Filium, ſicut & Macedoniani & generatim Pneumatomachi Spiritum ſanctum habere principium contendebant: Catholici contrà priori modo duntaxat. Eſt itaque tum Filius, tum Spiritus ſanctus, *anarchos*, quatenus vnuſquiſque eorum caret initio exiſtendi, ſive quatenus ex omni æternitate exiſtit: non tamen eſt *anarchos* per excluſionem principij à quo ducat originem: cùm verè procedat Filius à Patre, & Spiritus ſanctus ab vtroque, vt fides docet, & Anſelmus palam in hiſce capitibus obſervat. Quare nullus Catholicus dubitat, ſed omnes ſupponimus in præſenti, Patrem, ſive perſonam Patris eſſe principium *quod*, vnde procedit Filius: ſicuti & vtrumque per modum vnius eſſe principium *quod* vnde procedit Spiritus ſanctus. Quæſtio itaque eſt de principio *quo* proceſſionum divinarum.

5 PRÆMITTO Rurſus, diſſidium non eſſe de principio reali proceſſionum divinarum, quaſi hæ conſideratæ reipſa habeant oriri ab aliquo prædicato intra Deum exiſtente, vel ab eo produci. Hoc enim eſt prorſus repugnans, ſuppoſita veritate fidei, quæ docet, in divinis ſolam perſonam Filij procedere reipſa per generationem à Patre: ſolam quoque perſonam Spiritus ſancti procedere à Patre & Filio; cætera autem omnia, ſive quæ ad eſſentiam cõmunem, ſive quæ ad perſonam Patris ſpectant, omni prorſus reali principio ſui carere. Ideo in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III prout habetur in cap. *Damnamus* de Summa Trinit. eſſentia, ſubſtantia, aut natura divina, dicitur ingenita; & Pater ex peculiari notione appellatur *Ingenitus* per excluſionem omnis principij, qualecumque id ſit. Itaque activa proceſſio, quâ Filius accipit eſſe à Patre, id eſt, activa generatio, non oritur revera ab ipſo Patre, ſiquidem non diſtinguitur ſecundùm rem ab illo, & omnis res diſtinguitur verè ab eo principio, à quo ortum ducit. Similiter nec activa proceſſio, per quam Spiritus ſanctus accipit eſſe, id eſt ſpiratio activa, habet in divinis aliquod principium reale productivum ſui: cum ſit revera indiſtincta à perſonis Patris & Filij, vt ſuprà Diſp. LXXXI. latè oſtenſum fuit. Immò licèt perſona Filij generetur à Patre, ſpiratio activa nec gignitur, nec vllo modo producitur, ſed ſolùm communicatur Filio à Patre, inſtar eſſentiæ communis.

6 QVARE Dum inquirimus, quænam ſint principia divinarum proceſſionum, non eſt ſermo de principio reali productivo earundem proceſſionum activarum, quæ ſunt prorſus ingenitæ, & improductæ: ſed de principio ſolùm virtuali ipſarum, & reali perſonarũ procedentium. Porrò ea, de quibus potiſſimùm dubitari poteſt, ſintne virtualia proceſ-

ceſſionum principia, ſunt natura divina, intellectus, voluntas & illarum operationes, atque etiam relationes. Præterea, cùm natura ſecundùm mentis conſiderationem intelligatur præcedere intellectum & voluntatem, atque vtriuſque operationes, ſicuti & relationes omnes; controverſia eſſe poteſt tum de principio radicali, tum etiam de proximo. nam licèt omnia prædicta, ſicuti & quæcumque intra Deum ſunt, habeant identitatem realem cum natura divina, adhuc poſſunt quædam ex ijs cogitari non ab illa immediatè ortum ducere, tanquam à formali principio, ſed à quopiam alio. V.g. operationes intelligendi & amandi, quemadmodum in nobis oriuntur reipſa ab intellectu & voluntate, tanquam à principio proximo, & ab anima vt radice, iuxta veriorem ſententiam quam tradidimus diſp. 83. de Anima: ita etiam cogitari poſſunt in divinis oriri ſecundùm rationem priùs & proximiùs ab intellectu & voluntate divina, à natura verò mediatè ſolùm, & veluti à radice. Inquirimus itaque, quænam ex omnibus prædictis ſint principia divinarum proceſſionum.

7 CIRCA Quod variæ ſunt Theologorum ſententiæ, quaram præcipuas ſolùm hoc loco referam. Prima eſt Durandi in 1. diſt. 6. q. 2. & diſt. 27. q. 3 ex inſtituto aſſerentis, intellectum & voluntatem nullatenus conſtituere in divinis principia proceſſionum, immo & has extituras fore in Deo per locum ab intrinſeco, ſi per impoſsibile non eſſet intelligens & volens: itaque principia prædicta conſiſtere in natura, vt radice; in paternitate autem & ſpiratione activa, vt virtute proxima ad producedum Filium, & Spiritum ſanctum. Hæc ille loco allegato, licèt nonnihil aliter eius ſententia referri ſoleat, quaſi dixerit, ſolam naturam divinam eſſe principium immediatum proceſſionum. Omnes tamen illum ita allegant, vt dixerit, nec Filium procedere propriè per intellectum, nec Spiritum ſanctum per voluntatem: quamvis appropriatione, ſeu accommodatione quadam, proceſsio Filij tribuatur intellectui, Spiritus ſancti verò voluntati. Quare inquit q. 2. allegata n. 11. * Licèt natura Dei ſit in Deo intelligens & volens, ex hoc tamen nulla fœcunditas ineſt ei ad producendum quamcumque perſonam: ſed ſicut calor ignis, ſi eſſet intelligens, cauſaret caliditatem ſibi ſimilem fœcunditate ſuæ naturæ, ſicut nunc facit: nec ad hoc aliquid cooperaretur ſuum intelligere & velle: ſic natura divina, licèt ſit intelligens & volens ex infinitate ſua habet fœcunditatem, quòd virtute eius perſona ſit à perſona, ad quam tamen nihil intelligere aut velle cooperatur. Vnde colligit, nullius omnino roboris eſſe rationem congruentiæ, quâ D. Thom. 1. p. q. 27. art. 5. probat duas in divinis proceſsiones ex duplici ſpiratione, altera ad intellectum, altera ad voluntatem ſpectante. Nullus verò ex Catholicis invenitur qui hanc ſententiam poſtea fuerit amplexus: ſed dumtaxat Hieronymus Zanchius hæreticus, qui ſeculo præcedenti librum Heydelbergæ edidit pro myſterio Trinitatis, & in eo dicere auſus fuit, illud Theologorum axioma, quo aſſerunt, Filium procedere per intellectum, Spiritum ſanctum verò per voluntatem, eſſe prorſus temerarium. Ita ille apud Valentiam Cont. de Trinit. lib. 2. cap. 4. & Vaſquium 1. p. diſp. 111. c. 1.

8 SECVNDA Communiſtam apud Scholaſticos, quàm Theologos recentiores docent, proceſsiones divinas, non eſſe immediatè à natura, quatenus diſtinguitur virtualiter ab intellectu & voluntate; ſed ab eiſdem intellectu & voluntate, vt propterea Filius dicatur verè & propriè per intellectum, ſive per operationem illius procedere; Spiritus ſanctus autem per voluntatem, ſeu per illius operationem. Ita D. Thom. loco nuper indicato, Bonaventura in 1. diſt. 6. ar. 8. q. 2. & diſt. 10. per plures quæſtiones, & d. 27. p. 2. q. 1. Scotus in 1. diſt. 2 q. 1. illius diſtinctionis q. 4. quæ eſt in ordine 7 ac poſtea diſt. 27. q. 1. & 2 vbi illum ſequuntur omnes Diſcipuli. Capreolus in 1. diſt. 9. 10. & 27. q. 2 alijque plures ex Scholaſticis in eaſdem diſtinctiones Magiſtri Similiter omnes Interpretes D. Thom. 1 p. q. 27. art. 5. præſertim verò Recentiores, vt Carmelitani Salmaticenſes, & Ioannes à S. Th. diſp. 12 a. 5 n. 17. Godoy diſp 22. Ruiz diſp. 2. Vazquez diſp. 111. c. 2 Arriaga diſp. 44. ſect. 2. Amicus diſp. 18. Lumbier q. 6. de Trinit. a. 1. alijque innumeri ex omnibus Scholis: quorum plerique opinionem contrariam Durandi cenſura gravi notant: alij quidem temeritatis, quoniam in re gravi opponitur communi ſententiæ Patrum ac Theologorum: alij erroris, aut errori proximę, quia contrariatur proprię locutioni ſacræ Scripturæ: alij doctrinæ ſapientis hæreſim, quoniam in modo loquendi favet Alogianis Verbum in Deo negantibus, alijſque hæreticis, quos ſuprà Diſp. LIV. & LVII. notavimus.

9 QVAMVIS Verò omnes aut penè omnes Doctores Catholici conveniant in reſpuenda opinione Durandi, & contrariam nuper relatam tradant, adhuc circa hanc exponandam & probandam dividuntur in plures dicendi modos, quorum præcipuos expendemus in progreſſu.

SECTIO SECVNDA.

Impugnatur opinio Durandi argumento ineluctabili, ſuprà Diſp. LXII. propoſito & nunc ſolùm obiter indicato. Confirmatio illius ex doctrina communi PP. Græcorum & Latinorum.

10 IN Hac re, certa imprimis haberi debet ſententia communis Theologorum contra Durandum aſſerentium, Filium procedere per intellectum à Patre, Spiritum ſanctum verò per voluntatem ab vtroque; neutrum verò per naturam divinam immediatè, prout ab intellectu & voluntate virtualiter diſtinctam. Ita colligitur ex Anſelmo tam impræſenti & capite præcedenti, vbi proceſsionem Spiritus ſanct. ex Patre & Filio probat ex amore mutuo vtriuſque, quàm ſuprà cap. 29. & ſequent. exiſtentiam & proceſsionem Verbi à ſummo ſpiritu, ſive Patre, quoniam ſe intelligit ac ſui memor eſt. Vnde ibidem diſſerens de loquutione, per quam procedere Verbum divinum docet, ſubiungit: *Locutio nihil aliud poteſt intelligi, quàm eiuſdem ſpiritus* (id eſt, Patris) *intelligentia, qua cuncta intelligit.* Et præterea cap. 48. aliàs 47. ait: *Verbum rei eſt ipſa cogitatio, ad eius ſimilitudinem ex memoria formata. Hinc itaque liquidò animaduerti poteſt de ſumma ſapientia, quæ ſic ſemper ſe dicit, ſicut ſemper ſui memor eſt: quia DE ÆTERNA MEMORIA COÆTERNVM VERBVM NASCITVR. Sicut igitur Verbum congruè intelligitur proles: ita memoria parentis nomen aptiſsimè ſuſcipit.* Itaque iuxta expreſſam Anſelmi mentem, Verbum per ſe procedit ex memoria fœcunda Patris ſeipſum cogitantis, ſicuti & Spiritus ſanctus ex mutuo amore Patris ac Filij: vt propterea Filius dicatur & ſit propriè Verbum, Spiritus ſanctus autem amborum Amor: prout ſuprà Diſp. LXXXVI. per totam explanatum fuit. Nomine autem memoriæ nihil aliud accipi ab Anſelmo, quàm intellectum fœcundum ibidem explicuimus. Quare certum eſt ex mente S. Doctoris, intellectum & voluntatem, ſicuti & operationes vtriuſque, non ſe habere, comitanter ſolùm, aut per accidens, vt Durandus cenſuit, ſed per ſe omnino ad proceſsiones Verbi & Spiritus ſancti.

11 FVNDAMENTVM Præcipuum & ἀναντιῤῥητον, vt Græci loquuntur, ſeu inexpugnabile ſententiæ communis iam à nobis ſuprà Diſp LXII. latè propoſitum fuit, præſertim ex Scriptura, Concilijs, & Summorum Pontificum definitionibus: ex quibus omnibus conſtat, rationem Verbi propriè & ſimpliciter accipi in divinis de ſolo Filio Dei, quid quid contrà ſenſerit idem Durandus propterea eo loci ab omnibus Theologis reiectus. Quæ omnia hoc loco potiùs ſunt ſupponenda, quàm probanda, ne eandem Doctrinam inculcemus. Deinde ex dictis ſuprà Diſputat. LXXXVI. ferè per totam conſtat iuxta ſacras litteras, & communem Patrum interpretationem, Spiritum ſanctum ſpeciatim ac propriè dici Charitatem, Amorem, Dilectionemque Patris & Filij. Atqui neutrum eorum haberet locum, ſi intellectus & voluntas divina ſolùm de materiali ſe haberent in ordine ad proceſsiones Verbi, & Spiritus ſancti, vt Durandus vult. Verbum enim propriè dictum, ex ſua ratione formali habet oriri ab intellectu, & Amor à voluntate, vt patet. Ergo intellectus & voluntas divina non ſe habent de materiali, ſed de formali in divinis ad proceſsiones Verbi & Amoris, ſeu Filij & Spiritus ſancti. Solutiones autem, ſeu potiùs evaſiones Durandi, iam eo loco indicavimus ſatis, & reiecimus, ac nominatim illam, quâ confugit ad accommodationem ſeu appropriationem quandam, vt ſecundùm illam tantum Scriptura tribuat Filio nomen Verbi, & amoris Spiritui ſancto. Sic enim eluderetur prorſus authoritas Scripturæ detorquendo illam ad ſenſum improprium abſque vrgenti neceſsitate. Immo ex tot teſtimonijs, quibus illa Filium Dei nominat *Verbum*, nihil probari poſſet contra hæreticos Alogianos Verbum in divinis negantes; nec contra Arianos, qui ſolùm admittebant illud in Deo dictum impropriè. Sed ea, vt dixi, ſufficiat eo loco latè tractaſſe, præſertim ſectione 2. & 3.

12 SVPEREST Nunc in eiuſdem doctrinæ confirmationem allegare ſelecta quædam Patrum teſtimonia, quibus luculenter tradunt, Filium ſive Verbum Dei eſſe prolem intellectus vel mentis paternæ. Sanct. Irenæus Theologus antiquiſsimus, & vicinus tempori Apoſtolorum, libr. 2. adverſus hæreſes cap. 48 initio ait: * Deus totus exiſtens mens, & totus exiſtens logos, quod cogitat, hoc & loquitur; & quod loquitur, hoc & cogitat. Cognitio enim eius logos, & logos mens, & omnia concludens mens, ipſe eſt Pater.* Vbi Filium Dei appellat Logon, id eſt, Verbum, quatenus ex cogitatione mentis, id eſt, Patris procedit. Et quamvis id doceat ſubobſcurè ſatis, prout ipſi familiare eſt, rem clariùs exponit in fine capitis dicens: *Quoniam ex cogitatione & ſenſu Verbum emittitur, hoc vtique omnes ſciunt homines.* Quibus ſatis declarat, Verbum ſeu Logon in divinis per cogitationem, ac proinde per operationem intellectus procedere.

13 ACCEDANT Patres Græci Irenæo po-

poſteriores, qui rem ipſam clariùs expreſſerunt. Dionyſius Alexandrinus (cuius opera nuper recuſa ſunt Tomo III. Magnæ Bibliothecæ Anifſonianę anno M. DC. LXXVII.) apud Athanaſiũ in Epiſt. de ſententia eiuſdẽ Dionyſij apertè declarat, Verbum divinum ex mente procedere: atque inter alia, inquit non longè à fine eiuſdem Epiſtolæ: *Eſtque mens, quia per ſe exiſtit Verbi Pater: Verbum autem veluti Filius mentis, quod vt ante mentem extiterit, impoſsibile eſt, ita nequaquam ſine ea, ſed vnà cũ ea extitit, ET AB EA PROGERMINATVM EST. Eodemque modo Pater maximus, & in ſolidum mens, Filium ſuum Verbum, interpretem & nuntium ſui habet.* Ex ijs autem verbis Athanaſius colligit, Dionyſium in ea ſententia fuiſſe, vt *Verbum propriũ ſubſtantiæ Patris eſſe doceat, idque eadem ratione, qua Verbum ex mentis ſubſtantia.* Cõſonat ex proprio ſenſu idem Athanaſius, præſertim Orat. contra gregales Sabellij paulo poſt initium, vbi illos impugnat, veluti exiſtimantes Deum *magis ſterilem, quàm vt gignat viuens Verbum, & Sapientiam veram.* Patet verò ſapientiam veram, non niſi per intellectum gigni. Et Orat. 5. contra Arianos prope medium ait: *Quis ex Patre eſt, niſi Verbum ex corde progreſſum?* Quod confirmat ex verbis Pſalmi 109. *Ex vtero ante luciferum genui te.* Eaque coniungit cum alijs Pſalmi: *Eructauit cor meum verbum bonum.* Vbi Græcè habetur: λόγον ἀγαθόν. Patet verò nomine *cordis*, non naturã Dei nudã, ſed eius potentiam ſeu infinitã cogitandi vim, ſignificari.

14 GREGORIVS Nazianzenus cognomento Theologus, ob miram profunditatem & proprietatem loquendi de rebus divinis, lutulenter id ipſum exponit Orat. 36 quæ eſt 4. de Theologia num. 81. vbi ait, λογον nominari Filiũ, διὰ τὸ ἐξαγγελτικὸν, quę eſt *Vis enuntiatrix*, planè ad mentem ſpectans. Quare ait: *Verbum dicitur, quia ita ſe habet ad Patrem, vt ſermo ad mentem; non modo propter generationem paſsionis omnis expertem, verùm etiam propter cõiunctionem ipſius cum Patre, vimque enuntiatricem. Fortaſſe etiam, quia eodem modo ſe ad Patrem habet, quo definitio ad definitum, &c.* Si autem Verbum dicitur, quia ad Patrem ſe habet, ſicut ſermo ad mentem, planè per intellectum procedit: maximè cum oriatur tanquam vis enuntiatrix, & ſicut definitio ad definitum: quæ omnia certè ſpectant ad opus intellectus. Succedat alter Gregorius, id eſt Nyſſæ Antiſtes, Epiſt. contra Apollinarem, quæ eſt de imagine & ſimilitudine, dicens: * Generatur in corde verbũ generatione quadam incomprehenſibili, atque incorporea: manetque intus incognitum: ac ſecunda generatione corporea per labra generatur, tunc que omnibus innoteſcit: ſed ab anima tamen que ipſum genuit, non avellitur: vt per duplicẽ verbi noſtri generationem manifeſtè duas Dei Verbi generationes, ſecundũ imaginem & ſimilitudinẽ, ediſcamus. Genitus eſt enim indiviſibili, & inexplicabili, atque incomprehenſibili ratione, ex Patre ante ſæcula: eratque incognitus, tanquam in anima quadam, apud Patrem. * Vbi cum exponat generationem Verbi increati, inſtar noſtri & creati; planè colligitur, quemadmodũ hoc per mentẽ ad anima concipitur, ita & illud per intellectũ à Deo Patre generari.

15 BASILIVS Magnus Homil. 16. ad illud, *In principio erat Verbum*, poſt medium interrogat, *Cur Verbum?* Et reſpondit: *Vt quod ex mente procedit, oſtendatur.* Quin & idipſum pleniùs ediſſerit, inquiens: μένων ὅλος ὁ νοῦς ἐν τῇ ἰδίᾳ συστάσει, ὅλον τὸν λόγον καὶ ἀπαρτισμένον ὑφίστησι. καὶ προελθὼν ὁ λόγος πᾶσαν γεννήσαντος νοῦς τὴν δύναμιν ἐν ἑαυτῷ περιέχει. id eſt: *Manens tota mens in proprio ſtatu, Verbum totum & perfectum emittit, ac procedens Verbum totam mentis, à qua gignitur, vim in ſeipſo complectitur.* Quibus verbis ac præcedentibus, S. Doct. nec in Deo, nec in nobis agnoſcit Verbum, quod à mente non procedat, ſeu emittatur. Quo igitur iure Durandus inquit, de materiali omnino ſe habere in Patre mentẽ, ſive intellectũ ad generationẽ ęterni Verbi? Similiter Damaſcenus lib. 1. Fidei c. 6. cui epigrapha, *De Verbo Dei & Filio Dei*, declarat, Verbũ divinum à Patre generari, ὥσπερ ὁ ἡμέτερος λόγος ἐκ τοῦ νοῦ, *quemadmodum noſtrum Verbum ex mente.* Et c. 18. propè finem loquens de Filio Dei ait: *Verbum eſt naturalis mentis motio, ſecundũ quam mouetur, intelligit, & cogitat, veluti lux ipſius exiſtens, atque ſplendor. Verbũ rurſus eſt quod internum, & in corde promitur: & iterum* ἄγγελος νοήματος id eſt, *nuntius intelligentiæ.* Quid clarius ad oſtendendum, Verbum generatim, prout abſtrahit à creato, eſſe ſobolem aut fętũ mentis?

16 CYRILLVS Alexandrinus ſæpe eandem doctrinam tradit, ſed clariùs lib. 1. in Ioan. c. 1. poſt mediũ, dicens: *FILIVS APPELLATVR VERBVM AC SAPIENTIA, QVONIAM EX INTELLECTV IMMEDIATE ATQVE INVISIBILITER EST; & propter iſtarũ rerũ, vt ita dixerim, reciprocã immiſsionẽ. Mens enim & intellectus in Verbo, ſapientia eſt, & Verbũ rurſus ac ſapientia in intellectu conſpiciuntur.* Quod ipſum confirmat toto eo capite, ac ſequenti, & Dialogor. de Trinitat. lib. 2 inter medium & finem, ac longè inferiùs. Theodoretus quoque in Epitome divin decret c. 2. de Filio ferè inter medium & finem ait: *Vnigenitus Filius*

ex parte quidem eſt genitus: eſt autem vna cum mente, vt verbum cum eo, qui genuit. Rationemque reddit aliquanto inferius, dicens: *Neque enim mens noſtra ſermonem parturiens, opus habet coniunctione fœminæ: aut ſectionem fluxionemve ſuſtinet: ſed vt quæ perfecta ipſa eſt, perfectum ſermonem effiçit.* Vbi non ſolùm idoneam rationem tradit, vt Filius Dei ſit Verbum, tanquam ſoboles mentis; ſed etiam vt eius generatio ſit pura, & procul ab omni contagione generationum materialium. Denique Theophylactus in cap. 1. Ioannis non longè à principio ait: *Sicut Verbum gignitur ex mente ſine paſſione; ita & hic* (Filius) *à Patre natus eſt abſque vlla affectione.* Et paucis interiectis: *Sicut dici nequit mentem aliquando eſſe abſque Verbo: ita neque Patrem & Deum abſque Filio.* Itaque ij Patres Græci, & plures alij quorum loca omittimus, communiter docent, Verbum divinum, quemadmodum & creatum, eſſe ſobolem mentis, ſive intellectus: ac proinde cenſent, intellectum in Patre ad generationem Verbi per ſe omnino ſe habere.

17 ACCEDANT Patres Latini, quorum aliquot ſolùm teſtimonia in medium proferre ſufficiat, alijs pluribus prætermiſſis: ſed ea tamen, vt in pleriſque illorum non modò aſſeratur Verbum, ſive Filium Dei procedere per intellectum, ſed etiam Spiritũ ſanctum per voluntatem, tanquã Amorem vtriuſque vel Charitatem Ducat cæterorum agmen Magnus Auguſtinus lib. 15 de Trinit c. 6 prope finem, dicens: *Illic* (nempe, in animo noſtro) *conſpicimus tanquam micentem, & Verbum eius, id eſt, Patrem, & Filium, atque inde procedentem Charitatem vtrique communem, ſcilicet, Spiritum ſanctum. An trinitates iſtas adſenſus noſtros, vel ad animos pertinentes, videmus potiùs, quam credimus?* Et paucis interiectis concludit: *Ecce ergo Trinitas, ſapientia, ſcilicet, & notitia ſui, & dilectio ſui. Sic enim & in homine inuenimus trinitatem, id eſt, mentem & notitiam, qua ſe nouit, & dilectionem, qua ſe diligit.* Quam eãdem ſimilitudinem trinitatis creatæ ad increatam proſequitur poſtea cap. 13 & 14. & 27. eiuſdem libri. Quemadmodum ergo in trinitate creata, notitia ſeu verbum per ſe oritur ex mente, & dilectio ſive amor, ex voluntate; ita & in increata Verbum divinum, atque Amor, ſive Spiritus ſanctus. Vnde Fulgentius eiuſdem Auguſtini diſcipulus lib. 3 ad Monimum cap. 7. circa medium, eodem ferè Magiſtri ſui ſtylo aiebat: *Sic eſt Verbum apud Deum, ſicut eſt in mente verbum.* Et paucis interpoſitis: *Nihil aliud eſt apud ſe dicere, quam apud ſe cogitare. Cum ergo mens cogitat, cogitando Verbum generat, &c.* Quæ mirè conſonant dictis Anſelmi ſupra c. 29. & 30. ac præterea c. 49. vbi pariter exiſtentiam Verbi & Spiritus ſancti probat ex eo, quòd Deus ſeipſũ intelligat & ãmet. *Otioſa nãque* (ait) *& penitus inutilis eſt memoria, & intelligentia cuiuslibet rei, niſi, prout ratio exigit, res ipſa ametur, aut reprobetur. Amat ergo ſeipſum ſummus ſpiritus, ſicuut ſui meminit, & ſe intelligit.*

18 DENIQVE Huc ſpectant teſtimonia eorũ Patrũ, quos ſupra Diſp. LXXXVI. allegavimus præſertim ſect. 1 & 2. Aiunt enim, Spiritum ſanctum ex dilectione mutua Patris ac Filij procedere: & propterea ipſum appellant Charitatem, Vinculum, Dilectionem, & Amorem vtriuſque. Addunt præterea, Patrem & Filium ſe diligere Spiritu ſancto. Quod ibidem explanatũ & confirmatũ fuit late per plures ſectiones. Quis autem dicat, voluntatem ſe habere ſolùm de materiali, aut comitanter ad dilectionem, ſive amorem? Patet igitur, tam Spiritum ſanctum per ſe procedere ex voluntate, quàm Verbum ex intellectu: ac proinde principium immediatum proceſsionis vtriuſque non eſſe naturam divinam, prout virtualiter ab ijs diſtinctam. Idemque eſt de paternitate relatè ad Filium, & de relatione Spiratoris in ordine ad Spiritum ſanctum. Nihil enim eorum, prout virtualiter diſtinctum ab intellectu & voluntate divina, eſt ſufficiens principium proceſsionis Verbi, aut Spiritus ſancti, iuxta mentem expreſſam SS. Patrum.

SECTIO TERTIA.

Solutio Durandi ad argumentum ex Patribus propoſitum, refutatur multipliciter. Varia inſuper abſurda ex illius opinione colliguntur.

19 VIDIT Durandus difficultatem ſuæ opinionis, ob teſtimonia Patrum, quæ Filium Dei toties appellant Verbum mentis divinæ, ac ſoboleṁ intellectus paterni; & Spiritum ſanctum Charitatem, Dilectionem, vel Amorem. Vidit certè multa ex ijs, & ſibi obiecit diſt. 6. citatã, q. 2. Reſpondet tamen præſertim n. 18 fine, id à Patribus dictum fuiſſe ſolùm *per adaptationem & accommodationem*: non autem quia Verbũ divinum, ſeu Filius propriè ac perſe procedat per intellectum, nec Spiritus ſanctus per voluntatem. Hac eadẽ ſolutione vſus fuit poſtea diſt. 27. eiuſdẽ lib. primi Sententiarum q. 3. n. 6. & 10. vbi negat Filium Dei eſſe Verbũ propriè & ſimpliciter: ſolũque id admittit *ex appropriatione*. Quod ipſum tradit de Spiritu ſancto, quoties appellatur amor. Nimirũ, vtraque ratio-

tionē Verbi & Amoris, propriè dictā & ſimpliciter, vult eſſe in Deo eſſentialem, non autem perſonalem.

20 SED Contrà I. Etenim Scriptura ſæpe Filiū Dei appellat Verbum ſecundū perſonam, & id nomen ipſius eſſe docet Apoc. 19. dum ait, *Nomen eius Verbum Dei*; quod non poteſt ad ſenſum metaphoricū ſive impropriū detorqueri, niſi temerè, ſive abſque fundamento vllo: vti expendimus Diſp. illa LXII. ſect. 2. Eadēque ferè ratio eſt de nomine Amoris, vel Dilectionis, ſeu Charitatis, quod Scriptura Spiritui ſancto tribuit. Alioqui ex ijs Scripturæ locis non poſſet omnino firmiter & efficaciter cōcludi exiſtentia perſonarū Verbi & Amoris diſtinctarum à Patre & inter ſe: quoniā Verbum & Amor communiter ſive eſſentialiter ſolùm vſurpata, etiā eſſent in Deo ſolitario quoad perſonam, qualem Sabellius finxit, & Iudæi ac Mahumetani colunt, atque Ariani voluerunt. Quare fruſtrà Concilia & Patres ex ijs locis tētaſſent colligere in divinis Trinitatē perſonarum, quarum vna eſſet Verbū ſive Filius, & alia Amor ſeu Spiritus ſanctus. Vide ibidem n. 14. & ſeqq. Et ſanè Filium Dei eſſe Verbum, non propriè, ſed per quandam appropriationem, eſt pars erroris Alogianorum, ſic propterea dictorum, quòd Logon, ſeu Verbum in Deo negarent: quos ideo refutavimus ſuprà Diſp. LVII ſicuti & alios hæreticos negantes Verbum in divinis eſſe perſonam ſubſiſtentem.

21 CONTRA II. Patres enim allegati non ſolùm tribuunt Filio, prout diſtincto ab alijs duobus perſonis, rationem Verbi, ſicuti & Amoris Spiritui ſancto; ſed etiā aiunt, ideo ſenſu vtrique competere, vt alter procedat per intellectum, alter per voluntatem. At hoc non eſt loqui per accōmodationem, vel adaptationem quandam, ſed propriè & in ſenſu formali, vt patet. Nimirum, loquuntur de Verbo divino & Amore ſecundùm ea, quæ vniversè conveniunt Verbo & Amori abſtrahendo à divinis & creatis, ex propria ratione formali: iuxta quam Verbum generatim eſt ſoboles intellectus; & Amor, ſive impulſus eſt terminus productus per voluntatem. Ergo Patres allegati non loquuntur de Filio & Spiritu ſancto per adaptationem vel accōmodationem quandam, ſed in ſenſu proprio & formali.

22 CONTRA III. Si enim Verbum divinum propriè ac per ſe non procedit per intellectum, nec Spiritus ſanctus per voluntatem, nulla eſt ratio cur alter ſit Verbum, alter Amor, adhuc per adaptationem, vel accommodationem. Vterque enim immediatè procedet à natura divina abſque interventu mentis aut voluntatis, quarum eſt in creatis parere Verbum, & amorem generatim. Ergo pro libito ſolùm, & abſque fundamento Scriptura tribuiſſet, ſeu adaptaſſet Filio nomen Verbi, & Amoris Spiritui ſancto. Vnde adhuc in noſtra ſententia, vt nomen Sapientiæ, quod ex ſe commune eſt in divinis, adaptetur ſeu approprietur Filio, ac Bonitas Spiritui ſancto, recurrimus ad proceſſionem alterius per intellectum, cuius eſt parere Verbum, & alterius per voluntatem, cuius eſt reſpicere bonum. Neque aliter rationem reddere poſſemus, cur Sapientia appropriatur Filio, & Bonitas Spiritui ſancto, præ reliquis perſonis. Ergo ratio Verbi & Amoris, adhuc permiſſo gratis, quòd ſolùm per appropriationem conveniant Filio & Spiritui ſancto, exigunt omnino, vt alter procedat per intellectum, alter per voluntatem.

23 CONRA IV. Non magis Scriptura tribuit ſecundæ perſonæ rationem Filij, quàm Verbi. Quin immo Ioannes Apoſtolus initio ſui Evangelij, vbi potiſsimùm myſterium generationis divinæ explanat, ſæpiùs vtitur nomine Verbi, quàm Filij, vt patet ex toto cap. primo. Deinde Epiſt. 1. cap. 5. ait: *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres vnū ſunt.* Similiter Apocal. 19. v. 13. loquens nominatim de Filio inquit: *Et veſtitus erat veſte aſperſa ſanguine: ET VOCATVR NOMEN EIVS, VERBVM DEI* Quibus alijsque ſimilibus teſtimonijs ductus Auguſtinus lib. 7. de Trinit. c. 2 dixit. *Eo Filius, quo Verbum: & eo Verbum, quo Filius.* Atqui nomē Filij non per adaptationem, vel accōmodationem convenit ſecundæ perſonæ, ſed propriè ac ſimpliciter. Quis enim Catholicus id negare audeat? Vide plura quæ ſuprà Diſp. LXXXII. circa hoc ex profeſſo tradidimus cum Anſelmo cap 40. 41. & 42. docente ac probante, proprijſsima in divinis eſſe nomina parentis & prolis, genitoris & geniti, Patris & Filij, immo & lōgè magis propria, quàm in rebus creatis. Quod ibidem ex Concilijs & Patribus confirmavimus. Ergo & nomen Verbi, non per accommodationem, vel adaptationem convenit ſecundæ perſonæ, ſed propriè & ſimpliciter. Atqui de ratione Verbi propriè & ſimpliciter talis eſt, vt per intellectū procedat, veluti propria ipſius ſoboles. Ergo Filius Dei per intellectam procedit, veluti propria ſoboles ipſius.

24 CONTRA V. Si enim Filius non procedit per intellectum nec Spiritus ſanctus per voluntatem, propriè loquendo; nulla erit ratio cur Catholici omnes Filium appellent ſecundā perſonam, Spiritum ſanctum verō tertiam; neque cur omnes Theologi aſſerant, proceſsionem Verbi in ſenſu formali eſſe priorem, quàm Spiritus ſancti, quod nec ipſe Durandus diffiteri audet loco allegato dum inquit,

quemadmodum in creatis Verbum præcedit amorem, & operatio intellectus operationem voluntatis: ita in divinis Filium quodammodo priorem eſſe Spiritu ſancto, & proceſſionem Filij proceſſione Spiritus ſancti. Sequelam probo. Nam ſi Filius non procedit per intellectum, & Spiritus ſanctus per voluntatem, ſed vterque immediatè à natura; nullum eſt fundamentum Catholicis adtribuendam Filio appellationem ſecundæ perſonæ, & Spiritui ſancto tertiæ; nec Theologis ad aſſerendum alteram proceſſionem in ſenſu formali eſſe priorem altera, cùm par omnino ſit ratio vtriuſque. Nec Durandus videtur vnquam aſſignaſſe rationem competentem eius diſcriminis. Quare vt aliqua reddatur opportuna, neceſſum eſt fateri, Filium procedere per intellectum, & Spiritum ſanctum per voluntatem: vt quemadmodum intellectus eſt prior voluntate, & intellectio amore, ita etiam proceſsio Filio ſit quoddammodo prior proceſsione Spiritus ſancti. Quam doctrinam ſatis ſignificavit Anſelmus ſuprà cap. 49. dum probavit amorem in Deo ex intelligentia: & cap. 50. dum tradidit, intelligentiam vniverſè ſupponi pro priori ad amorem, ac proinde Verbum pro priori ad Spiritum ſanctum.

25 CONTRA VI. Proceſsiones divinæ non ſunt ſimplices emanationes, ſed operationes vitales potentiarum. At non aliarum potentiarum, quàm intellectus & voluntatis. Ergo proceſsiones divinæ ſunt operationes intellectus & voluntatis. Minor conſtat: tum quia in divinis non eſt aliqua potentia præter eas duas, ſaltem in ordine ad intrà: tum quia potentia generandi & ſimiliter ſpirandi, in Deo debent eſſe omnium perfectiſsimæ: conſtat autem, duas omnium perfectiſsimas potentias eſſe intellectum & voluntatem. Si igitur proceſsiones divinæ non ſunt ſimplices emanationes, ſed operationes vitales potentiarum; profectò debent eſſe operationes intellectus & voluntatis. Maior autem probatio eſt bimembris: & quoad priorem partem, ſeu negativam, ſuadetur: quia quidquid procedit per emanationem ſimplicem à natura, eſt mera ipſius proprietas, non autem perſona: vt patet inductione facta in omni ſimplici emanatione, non ſolùm in creatis, ſed etiam in Deo, vbi proprietates omnes abſolutæ, quæ dicuntur attributa, intelliguntur ſimplici emanatione oriri ex natura ſecundùm rationem. Atqui divinæ perſonæ non ſunt proprietates naturæ divinæ, nec attributa, vt patet: quin potiùs ſunt quædam ſuppoſita, vel perſonæ eadem natura eſſentialiter conſtantes: quibus, vel ex hoc capite, quivis nullum aliud eſſet, repugnaret oriri ab eadem natura per ſimplicem emanationem. Non ergo divinæ proceſsiones ſunt ſimplices emanationes à natura. Iam verò poſterior pars, in quâ aſſumebatur, illas eſſe operationes vitales potentiarum, conſtat ex ipſa probatione prioris partis. Nullus enim eſt modus excogitabilis procedendi à natura viuente & intellectuali, qualis eſt divina, niſi per emanationem ſimplicem, vel per vitalem & intellectualem operationem, qualis eſt ſola mentis & voluntatis.

26 CONTRA VII. Ex naturis, proprietatibus, potentijs, & operationibus creatis, aſcendimus ad conſiderationem divinarum, ſalvâ harum eminentiâ & exceſſu: quoniam cognitio noſtra de Deo non eſt quidditativa, ſed abſtractiva; nec à priori, ſive per cauſam; ſed à poſteriori & per effecta: iuxta illud Apoſtoli ad Romanos 1. v. 20. *Inuiſibilia enim ipſius* (Dei) *à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque eius virtus & diuinitas.* Atqui nulla natura creata eſt ratio generandi aut producendi, niſi interventu alicuius potentiæ proximæ, per quam agens agat ſibi ſimile: vt inductione conſtat, & probatum à nobis fusè eſt, tum in Phyſica diſp. tum diſp. 83. de Anima. Ergo nec natura divina eſt ratio generandi, aut qualitercumque producendi, niſi interveniente aliqua virtute proxima. Erit verò diſcrimen, quòd in creatis virtus proxima agendi ſit qualitas & accidens reipſa ſuperadditum naturæ: in divinis autem proprietas reipſa indiſtincta à natura, & ſolùm ab ea diſtincta ſecundùm rationem: quoniam cùm Deus ſit actus purus & ſummè ſimplex, quidquid intra ipſum exiſtit, eſt Deus. Cùm igitur in Deo, ſaltem ad intra conſiderato, nequeat eſſe aut cogitari alia potentia activa, aut productiva, quàm intellectus & voluntas; conſequens eſt, vt non, niſi interventu vtriuſque, natura divina poſsit eſſe principium vel ratio generandi aut ſpirandi.

27 CONRA VIII. Quoniam ex doctrina & ſolutione illa Durandi colliguntur plurima abſurda, quæ ſufficit breviter indicare. *Primum* eſt, præcludi viam ad reddendum rationem aliquam congruentiæ, cur proceſsio Verbi, potiùs quàm Spiritus Sancti, ſit generatio. Niſi enim, aliquomodo ſaltem, recurratur ad proceſsionem alterius per intellectum, alterius per voluntatem, nulla omnino reddi poteſt ratio diſcriminis: vt conſtabit Diſp. XCIV. quoniam à natura immediatè idem omnino & vniformis debet eſſe modus producendi. Quòd ſi verò dicas, naturam divinam ſub ratione virtualiter diverſa eſſe principium ambarum proceſsionum; Contra eſt, quòd hæc diverſitas ſolùm poſsit eſſe ſita in eo, quòd prioris proceſsio

ceſsionis ſit principium, quatenus intellectiva; poſterioris autem quatenus volendi facultate prædita. SECVNDVM, nullam poſſe aſsignari à Theologis rationem cur ſolus Filius procedat vt imago, ſigillum, character, & ſpeculum Patris: vt ſacræ literæ docent, & nos ſuprà Diſp.LXX. cum Anſelmo obſervavimus. TERTIVM, nullam fore rationem aut fundamentum, cur in Concilio Lateranenſi definitum fuerit cap. *Damnamus*, de Summa Trinit. & Fide Cathol. Deitatem non generare. Quippe ibidem dicitur de natura divina nominatim: *Et illa res non eſt generans, nec genita, nec procedens.* Sequelam probo: Quia nulla ratio veroſimilis eſt, vt negetur, ſeu non prædicetur de natura divina ſimpliciter exercitium illud, quod convenit ipſi immediatè, & pro priori ad omnem potentiam virtualiter ab ea diſtinctam: ideoque de illa prædicatur verè & ſimpliciter exercitium durandi, replendi locum, & radicãdi intellectum ac voluntatem. Si igitur exercitia generandi & ſpirandi ſunt immediatè à natura divina, & pro priori ad omnem potentiam virtualiter ab ea diſtinctam; nulla erit ratio cur illa non ſit & dicatur generans, ac pariter ſpirans. QVARTVM, proceſsiones divinas fore plures duabus; aut vnicam, aut nullam eſſe debere. Niſi enim ex duabus potentijs intellectus & voluntatis reddatur ratio, nulla erit ad præſcribendum duas ſolùm proceſsiones. Quare nec poterimus reſpondere ratione aliqua veroſimili Sabellianis negantibus vtramque; nec Macedonianis vnicam Verbi proceſsionem admittentibus; nec alteri cuiquam contendenti, plures eſſe, quàm duas. Cùm enim divina natura ſit ſimpliciter infinita, nullis limitibus coerceatur nec exhauritur ad plures & plures proceſsiones perſonarum, niſi præſcribatur illarum numerus, iuxta numerum duarum potentiarum, quæ ſunt intellectus & voluntas QVINTVM: quoniam alioqui Filius & Spiritus ſanctus nõ haberent eſſe ex vî alicuius operationis omnino & perfectè immanentis: quoniam nulla eſt, nec cogitari poteſt in Deo operatio perfectè & omnino immanens, niſi intellectûs & voluntatis. Vnde quamvis iuxta ſententiam noſtram Tomo I. Diſput. XIX. traditam cum Anſelmo, operationes Dei ad extra ſint immanentes reipſa, ſunt virtualiter & æquivalenter tranſeuntes, ac de ijs, veluti temporaneis, eſt paſsim ſermo in Scriptura. Contrà verò de generatione Verbi, tanquam æterna & immutabili, ſermo eſt, iuxta illud Pſalmi 1. *Ego hodie genui te.* Mitto plura alia abſurda & incommoda, quæ videntur omnino ſequi ex eâdem opinione Durandi.

(.2.)

SECTIO QVARTA,

Præcipua argumenta Durandi obiecta, ac plerumque in ipſum regeſta & ſoluta.

28 OPPONIT I. Durandus. Proceſsiones, ſeu productiones perſonarum, nequeunt conſiſtere in actibus eſſentialibus, & indiviſim communibus tribus perſonis. Alioqui ſingulæ tres perſonæ producerent, ſeu eſſent principia proceſsionum. Quod eſſe falſum patet in Spiritu ſancto. Atqui operationes intellectûs & voluntatis ſunt actus eſſentiales & communes tribus perſonis, vt pater. Ergo proceſsiones ſeu productiones divinæ nequeunt conſiſtere in operationibus intellectûs & voluntatis.

29 RESP. Durandum ipſum pariter innodari eodem argumento: quoniam natura divina eſt communis tribus perſonis non minùs, quàm operationes intellectûs & voluntatis: immo hæ ſunt communes tribus ratione vnius & eiuſdem communis eſſentiæ. Quomodo ergo omnes & ſingulæ perſonæ non ſunt principia proceſsionum, ſi in omnibus clauditur naturæ eadem, quæ iuxta Durandum eſt principium proceſsionum immediatum? Quod ſi verò ille reſpondeat, principium immediatum illarum non eſſe naturam nudam, ſed prout affectam cõditione aliqua ſeu relatione, paternitatis quidem ad producendum Filium; ſpirationis verò activæ ad producendum Spiritum ſanctum: ſimiliter nos reſpondemus, operationes intelligendi & volendi non eſſe productiones præſcindendo ab aliqua conditione aut modificatione relativa, quam habent potiùs in vna perſona, quàm in alia, vt apparebit infrà: atque adeò non colligi tres perſonas pariter eſſe principia proceſsionum, ſed illas ſolùm, quibus adeſt eiuſmodi conditio.

30 DICES: Naturæ divinæ nullatenus repugnat vt ſit principium producendi, cùm hoc ſit commune omnibus naturis. Cæterum operationes intelligendi & volendi generatim, ſive abſtrahendo à Deo & creaturis, ſunt prorſus ſteriles, ſive ex quibus nihil aliud ſequitur: vt docet Ariſt. 9. Metaph. Quin & ſi fortè creaturæ intelligentes habent vim producendi, ſeu propagandi, vt in hominibus accidit; id non conveniat ijs ratione intellectûs aut voluntatis, ſed alterius potentiæ ſenſitivæ & longè diverſæ ab ijs. Ergo Deus non habet vt ſit principium proceſsionum ratione intellectûs voluntatiſque, ſed ſolius naturæ, vel potentiæ generandi & ſpirandi, ab ijs diſtinctæ.

31 RESP. Naturæ divinæ immediatè, prout natura eſt, repugnare vt ſit principiũ pro-

producendi : cùm fide ſanctum ſit ex Concilio Lateranenſi, illam non generare, ac proinde non eſſe principium immediatum generandi, nec ſpirandi, vt diximus num. 27 Neque etiam alijs naturis competit vllo pacto vt ſint principium immediatum producendi, ſed mediatum & radicale dumtaxat, media qualitate interiectâ, vt virtute proximâ : qualiter etiam dictum fuit n. 26. Quare nec natura divina immediatè ſecundùm ſuum conceptum expreſſum & formalem poteſt eſſe principium producendi, ſed mediante potentia aliqua; non quidem realiter diſtincta, vt in creatis; ſed virtualiter aut per rationē, qualis certè eſt in Deo ſolus intellectus & voluntas, ſaltem circa operationes ad intra. Iam quod additur de ſterilitate operationum intelligendi & volendi iuxta Ariſtotelem, ſolùm debet accipi de intellectione & amore in rebus creatis: ſecus verò in Deo, in quo ſolo ex duabus perſonis productis, altera eſt propriè Verbum, altera Amor : ideoque exigunt oriri per operationes longè diverſas ab ijs, quibus perſonæ creatæ producuntur aut fiunt. Sic certè omnis intellectio & amor in creatis eſt aliquod verum accidens reipſa diſtinctum à ſubſtantia operantis, immo & ab intellectu & voluntate ipſius : in divinis autem tam vtraque potentia, quàm operationes vtriuſque, ſunt indiſtinctæ à ſubſtantia ipſa Dei in re : ac proinde ſuppoſita fide docente Trinitatis myſterium, & veritatem proceſſionum ad intra, debemus neceſſariò dicere, operationes intelligendi & volendi in Deo non eſſe ſteriles, ſed fœcundas, quatenus modificantur aut coniunguntur perſonæ alicui habēti capacitatem ad producendum. Neque hoc fœcunditatis genus potuit ſubodorari Ariſtoteles, nec quiſquam alius Gentilium Philoſophorum, ſaltem abſque revelatione aliquâ Dei mediata aut immediata: vt latè oſtendimus ſuprà Diſp. LI & LII. Verùm & adhuc ex ijs quæ Philoſophi Naturales docent circa intellectionem & amorem noſtrum, ſumitur coniectura aut congruentia quædam. nam iuxta ſententiam quæ docet, intellectionem in nobis eſſe productionē verbi, veluti termini in quo mens contemplatur obiectum; & amorem eſſe productionem impulſūs, in quo voluntas amat bonum; redditur opportuna ratio, cur Pater æternus ſe intelligēs producat Verbū, ſive Filium; & vterque ſe invicem diligens, Amorem, ſive Spiritum ſanctum. Quod iam fusè explanatum fuit ſuprà cum Anſelmo cap. 29 30 31. & 32.

32 INSTABIS. Natura divina eſt ſecundùm rationem prior intellectu & voluntate, atque aliunde ſimpliciter infinita. Ergo pro priori ad vtrumque, & independenter ab ambobus eſt potens proximè producere, tam generando, quàm ſpirando.

33 RESP. Quemadmodum natura divina, licèt ſit infinita, nequit proximè intelligere aut velle pro priori rationis ad intellectum & voluntatem: ita etiam, quamvis ſit infinita, nō poſſe proximè gignere aut ſpirare pro priori rationis ad vtramque eam potentiam. Ratio autem à priori eſt: quia natura divina, quamvis infinita, ſecundùm ſuam rationem formalem nō exprimit, niſi omne id quod ſpectat ad omnimodam naturæ perfectionem. Ad hanc autem non ſpectat vt ſit principium proximum operandi, ſed mediatum & remotum, medijs potentijs, aut reipſa diſtinctis, vt in creatis contingit; aut ratione ſola, vt in Deo.

34 OPPONIT II. Productiones Filij & Spiritūs ſancti differunt realiter, inſtar terminorum ab ijs procedentium. Atqui operationes intellectūs & voluntatis non differunt realiter, ſed ſunt vna res, cùm non opponantur relativè, nec ratione termini, quod eſt eadem eſſentia divina. Ergo productiones Filij & Spiritūs ſancti non ſunt operationes intelligendi & volendi.

35 RESP. Productiones Filij & Spiritūs ſancti non eſſe ipſas operationes intelligendi & volendi abſolutè conſideratas, quo ſenſu ſunt communes tribus perſonis, & adæquatè reipſa indiſtinctæ inter ſe : ſed eſſe eaſdem operationes, prout includunt relationem peculiarem principij *quod* generantis, aut ſpirantis, & relationem productionis paſſivæ. quo ſenſu diſtinguuntur realiter inter ſe, inſtar terminorum procedentium.

36 DICES. Statuta identitate reali inter intellectionem & amorem divinum, nequit verificari in re, Filium procedere per intellectum, & non per voluntatem; & è contrà Spiritum ſanctum per voluntatem, & non per intellectum: quia de eâdem entitate intellectionis & amoris divini nequeunt in re verificari eiuſmodi prædicata contradictoria. Ergo nullo vero & reali ſenſu intellectio & amor divinus ſunt productiones Filij & Spiritūs ſancti.

37 HÆC Obiectio tangit difficultatem à nobis iam profligatam Tomo I. Diſp. XXVII. de diſtinctione virtuali intrinſeca quorundam prædicatorum divinorum inter ſe, ac nominatim intellectionis volitionisque divinæ: vt videre licet ibidem ſectione quinta per totā. Nunc igitur iuxta dicta eo loco num. 44. reſponderi poteſt, vt propoſitiones affirmantes & negantes, quæ in obiectione referuntur, ſint veræ in ſenſu reali, eſſe opus diſtinctione virtuali intrinſeca inter intellectionem & amorem, ſicuti & in omnibus ijs prædicatis quæ proximè conferunt ad myſterium Trinitatis. Præterea, independenter ab ea doctrina, & negata di-

diſtinctione virtuali intrinſeca inter intellectionem & amorem ſecundùm ſe conſideratos, poteſt in ſenſu reali affirmari, Filium procedere per intellectum, & non per voluntatem; quoniam procedit per intellectum, vt modificatum paternitate, quo ſenſu differt virtualiter à voluntate propter relationem paternitatis adiunctam: ſimiliterque dici reipſa poteſt, Spiritum ſanctũ procedere ſolùm per voluntatem, quatenus modificatam relatione ſpiratoris; quo etiam ſenſu voluntas ratione relationis adiunctæ differt virtualiter intrinſecè ab intellectu. Et hæc poſtrema ſolutio eſt conformior doctrinæ à nobis traditæ in quatuor primis ſectionibus illius Diſputationis, quâ & facilius ſolverentur difficultates ibidem propoſitæ ſectione quinta.

38 OPPONIT III. Intellectio divina nequit ſe habere per ſe ad proceſsionem Filij. Hæc enim eſt generatio vera & naturalis, quâ phyſicè ipſi communicatur Deitas. Ad generationem autem veram & naturalem non ſe habet per ſe intellectio: quoniam hæc ſolùm poteſt parere aut producere ſimilitudinem intentionalem, vt in nobis videre eſt. Neque ad rem eſt, quòd intellectio divina ſit infinita; quoniam hinc ſummùm probatur vis eius ad communicandam termino ſimilitudinem infinitam in linea aut genere intentionali; non autem in naturali, quæ ſola ſpectat per ſe ad veram & naturalem generationem. Non ergo proceſsio Verbi eſt immediatè per intellectum. Idem autem argumentum fieri poteſt ne Spiritus ſanctus cenſeatur procedere per voluntatem: quia hæc, licèt infinita ſit, ſummum poteſt parere vnionem affectivam, aut impulſum infinitum; non autem communicare naturam, aut producere perſonam ſubſiſtentem. Supereſt igitur vt ſola natura ſit principium *quo* immediatum divinarum proceſsionum.

39 HVIVS Argumenti difficultas maxima eſt, quæque nobis in progreſſu Operis non parum laboris afferet, quemadmodum & cæteris Theologis: quoniam ex eius ſolutione pendet diſcrimen vtriuſque proceſsionis. Nunc autem breviter occurrendum eſt obiectioni, dicendumque, intellectionem divinam intra limites ſuæ perfectionis infinitæ, prout in Patre, habere vim ad producendum terminum infinitum, non modò in linea intelligibili, ſed etiam naturali. Voluntas quoque divina, prout in Patre & Filio, habet vim infinitam inclinandi, & producendi impulſum infinitum realiter diſtinctum ab vtroque; qui proinde non ſit impulſus accidentarius, vt in nobis, ſed ſubſtantialis in re, & perſona ſubſiſtens: vt iam ſuprà Diſp.LVII.ſect.4 probatum fuit. Obiter tamen obſerva, Durandum ipſum æquali ferè nodo irretiri dum proceſsiones divinas conſtituit in ſimplicibus emanationibus. Nulla enim ſimplex emanatio habet vim producẽdi perſonam, ſed ſummùm proprietatem aliquam naturæ, aut quoddam illius accidens. Quod non minùs vniverſali inductione patet, quàm nullum actum intelligendi & volendi habere vim ad ſubſtantiam producendam: quoniam in rebus creatis, ex quibus ſolis inductio fieri poſſet ad divinas, æquè generatim invenitur alienum à ſimplicibus emanationibus, atque ab operationibus mẽtis & voluntatis, vt producant ſubſtantiam. Si ergo Durandus nequit percipere, qualiter operationes mentis & voluntatis divinæ habeant vim producendi perſonas; quomodo non inveniet eandem difficultatem, immo & maiorem, in emanationibus ſimplicibus?

40 OPPONVNT IV. Alij, quaſi pro opinione Durandi, teſtimonia quædam Patrum aientium, Filium Dei à Patre procedere naturâ, non autem voluntate. Ergo proceſsio Verbi eſt immediatè à natura. Aſſumptio ſuadetur imprimis ex Hilario lib. de Synodis poſt medium aientis: *Omnibus creaturis ſubſtantiam Dei Voluntas attulit: ſed naturam dedit Filio ex impaſsibili ac non nata ſubſtantia, perfecta nativitas.* Conſonat Auguſtinus lib. 15. de Trinit. cap. 20. dicens: *Verbum eſſe Filium naturæ, non voluntatis.* Cyrillus quoque Alex. lib. 1. Theſauri cap 8 prope medium probat, Filium non fuiſſe voluntate genitum: *Quia nullum medium inter Patrem & Filiũ intelligitur, & quia quæ per voluntatem facta ſunt, ſecundùm naturam diſtant.* Ergo Pater produxit Filium non mediante aliqua potentia; & vterque Spiritum ſanctum, non media voluntate. Alioqui ſecundùm naturam diſtarent à Spiritu ſancto quod impium dictu eſt.

41 RESP. Patres allegatos, & complures alios, dum aiunt, Filium Dei à Patre procedere naturâ, non voluntate, ſolùm tradere filiationem naturalem, neceſſariam, & æternam, ipſi convenientem ratione eiuſdem numero naturæ, quam à Patre accipit: ac ſimiliter ijs verbis excludere à Filio aliud genus filiationis gratuitæ, ſive ſecundùm adoptionem, quæ non eſt penes naturam, ſed iuxta voluntatis affectum. Itaque non eſt ſenſus, Filium Dei immediatè ex natura Patris procedere, per excluſionem virtutis ſeu potentiæ productivæ ſecundùm rationem ab ea diſtinctæ: ſed dumtaxat, Filium Dei naturalem eſſe, non voluntariâ adoptione. De hoc enim ſolo erat Patribus diſputatio cum hæreticis Arianis oppoſitum aſſerentibus, præſertim Anomœis, omnium peſsimis. Nimirum teſte Epiphanio Hæreſi IX. numer. 6. Arius in quadam epiſtola effutire auſus fuit de Filio Dei,

ὅτι βουλήματι καὶ βουλῇ ὑπέστη τῷ πατρὶ τὸν, id eſt, *voluntate & conſilio* (nimirum, Patris) *ante tempus ſubſtitiſſe.* Contrà verò Patres Catholici negabant, Patrem genuiſſe Filium voluntate, nimirum, libera, ſeu indifferenti, quæ conſilio & arbitrio vtatur. Hoc enim ſolùm Deo competit in ordine ad creaturas: non verò in ordine ad Filium ſuum, vtpote naturalem, neceſſarium, & coæternum: immo neque in ordine ad Spiritum ſanctum: quia licèt hic procedat per voluntatem, non tamen liberam, aut indifferentem, ſed ex impetu & fœcunditate naturæ producẽtem neceſſariò impulſum coæternum ſuo principio. Vide plura quæ circa hoc argumentum, & ſenſum eorum atque aliorum Patrum, obſervavimus Tom. I. Diſput. XXVII. num 38 & 39.

42 OPPONES V. Si intellectus & voluntas divina, atque operationes vtriuſque ſe haberent per ſe ad proceſsiones, veluti earum principia, Spiritus ſanctus eſſet principium *quod* alicuius proceſsionis ad intrà: cùm & ipſe, inſtar Patris ac Filij, ſit prædituſ intellectu ac voluntate, & vtriuſque operationibus, nimirum, cognitione & amore. Conſequens autem eſt apertè falſum, & contrarium fidei. Ergo, &c.

43 AD Solvendam hanc difficultatem Theologi diviſi ſunt in varias ſententias, quas examinare non vacat. Quidam cum Scoto in 1. diſt. 2. q. vlt. & d. 12. q. 1. aiunt, intellectum quidem & voluntatem, prout important actum primum intelligendi & volendi, concurrere per ſe ad proceſsiones divinas; non tamen quatenus important actum ſecundum intellectionis & amoris, ſed dictionis & ſpirationis, quarum vtramque volunt diſtinctam ex natura rei ab actibus intelligendi & volendi. Hic dicendi modus plures contra ſe difficultates habet: quæ videri poſſunt præcipuè apud Interpretes Div. Thom. 1 p. q 27. & latè apud Godoy diſp. 72. §. 3. & ſeqq Verùm quidquid ſit de veritate aut falſitate eius opinionis, iuxta illam reſponderi poteſt, principia proceſsionum non eſſe intellectum & voluntatem nudè ſumptam, vel in actu ſecundo intelligendi & amandi; ſed dumtaxat dicendi & ſpirandi: quæ duo exercitia non ſunt eſſentialia & communia, ſed notionalia, & propria; primum quidem ſolius Patris ad generationem Filij; poſterius verò amborum dumtaxat in ordine ad productionem Spiritûs ſancti. Vnde non colligitur, Spiritum ſanctum habere virtutem activam ad generandum aut ſpirandum.

44 SECVNDO Alij exiſtimant intellectionem & amorem eſſe quidem principia proceſsionum, non autem actiones quibus procedant Filius & Spiritus ſanctus. has enim voſunt conſiſtere in alijs actionibus, ſeu emanationibus adæquatè virtualiter diſtinctis generandi & ſpirandi. Ita Molina in locum allegatum D. Th. diſp. 2. Suarez lib. 1. de Trin. c. 8. & alij. Iuxta illos pariter dici debet, intellectionẽ & volitionem, non abſolutè, ſed prout in certa perſona, aut perſonis, eſſe principia dictionis, & ſpirationis, quæ duæ nullatenus ſunt communes Spiritui ſancto.

45 TERTIO Denique alij, quibus libenter ſubſcribo, rem ita exponunt, vt natura ſit principium radicale proceſsionum divinarũ; intellectus & voluntas (ſi in Deo exprimũt rationem formalem actûs primi) principium proximũ; intellectio verò & amor, ſint ipſæ actiones quibus producuntur Filius & Spiritus ſanctus; non quidem abſolutè, & ſecundùm ſe cõſideratæ, prout ſunt meræ operationes intelligendi & volendi (hoc enim evidenter impugnatur argumento præiacto num 42.) ſed prout involvunt aut connotant relationem aliqua m; paternitatis quidem ad producendum Verbu m; eiuſdemque paternitatis & filiationis ſimul, & per modum vnius principij ſpirantis, in ordine ad productionem Spiritûs ſancti. Hoc enim ſenſu ſunt operationes notionales, & nullatenus communes omnibus perſonis. Quæ ſententia eſt conformior Anſelmo, tam in ijs capitibus, quam ſuprà cap. 29. & ſequentibus nullam aliã agnoſcenti productionem Verbi, quàm cognitionem, ſive locutionem intellectualem Patris; nec Spiritus ſancti, niſi dilectionem mutuam Patris & Filij. Eſt etiam hæc ſententia frequentior apud Theologos extra Scholam Scoti; cuius plenior tractatio videri poteſt apud AA. n 8. allegatos.

(!)(.?.)(!)
(?)

DIS-

DISPVTATIO LXXXIX.

DE DIVINITATE SPIRITVS SANCTI, CONTRA PNEVMATOMACHOS.

AD NOBILISSIMVM ET DOCTISSIMVM D.D. ANTONIVM SEVIL DE SANTELICES, Iacobæum Equitem, in Supremo Iustitiæ Senatu dignissimum Consiliarium, olim Veteris Collegij Divo BARTHOLOMAEO sacri Togatum, *tenacem recti, & servantissimum æqui*, ac Iustinianæi Codicis in Salmanticensi Academia præstantem Antecessorem, &c.

DISSERIT *Anselmus cap. sequenti, statim subijciendo, de Divinitate Spiritus sancti, & consubstantialitate ad Patrem & Filium: circa quas iam suprà non semel contra hæreticos Trinitatis hostes disputavimus, sed sparsim. Nunc illas operosiùs aliquantò probare oportet, contra Macedonium, Apollinarium, & cæteros hæreticos, qui generatim dicti sunt Pneumatomachi, quòd Spiritum sanctum impugnarent.*

CAPVT LIII. Aliàs LI.

Quòd idem Amor sit idipsum, quod est summus spiritus; & tamen ipse sit cum Patre & Filio vnus spiritus.

2 VERVM Quid potest esse par summo spiritui, nisi summus spiritus? Iste itaque Amor est summus spiritus.

3 DENIQVE Si nulla vnquam creatura, id est, si nihil vnquam aliud esset, quàm summus spiritus, Pater & Filius; nihilominus seipsos, & invicem Pater & Filius diligerent. Consequitur itaque, hunc Amorem non esse aliud, quàm quod est Pater & Filius, quod est summa essentia.

4 AT Quoniam summæ essentiæ plures esse non possunt; quid magis necessarium, quàm Patrem & Filium, & vtriusque Amorem, esse vnam summam essentiam?

EST

5 EST Igitur idem Amor ſumma ſapientia, ſumma veritas, ſummum bonum, & quidquid de ſummi ſpiritus ſubſtantia dici poteſt.

SCHOLIA IN CAPVT LIII.

SECTIO PRIMA.

Spiritus ſancti ſolida Deitas probata ab Anſelmo, negata diuerſimodè à plurimis hæreticis priſcis & recentibus, aſſeritur imprimis ex varijs locis Veteris Teſtamenti, præſertim collatis cum quibuſdã Teſtamenti Noui.

6 LITTERA Capitis huius commodè ſecari poteſt in duas partes. In prima oſtenditur Amorem, ſive Spiritum ſanctum, eſſe ſummum ſpiritum. In ſecunda, eſſe independentem à creaturis: ac proinde eiuſdem eſſentiæ cum Patre & Filio, ſive vtrique ὁμοούσιον, id eſt conſubſtantialem, & prædictum omnibus ijs perfectionibus, quas exigit ſubſtantia ſummi ſpiritus. Singula itaque membra illuſtrare & confirmare curabimus.

7 PRIMVM Eſt, Spiritum ſanctum non eſſe creaturam, ſive ſpiritum creatum: vti docere auſi ſunt Apollinaris, Macedonius, & generatim omnes hæretici Pneumatomachi, damnati potiſsimùm in II. Synodo Generali, quæ fuit CP. I. Illorum hæreſim latè narravimus & reiecimus ſuprà Diſp. LIV. ſect. 4. Diſp. LV. ſect. 4. Diſput. LVII. ſect. 4. & 5. atque alibi ſæpe. Formula autem, quâ Anſelmus hoc loco demonſtrat, Amorem, ſive Spiritum ſanctum eſſe ſpiritum ſummum, id eſt increatum, hæc ferè eſt: Quidquid eſt par ſummo ſpiritui, ſive increato, eſt etiam ſummus ſpiritus, ſive increatus. Atqui Amor eſt par ſummo ſpiritui, ſive increato. Ergo Amor eſt ſummus ſpiritus, ſive increatus. Minor propoſitio ſupponitur probata ex capite immediatè præcedenti, cuius epigrapha erat: *Quòd tantus ſit iſte Amor, quantus eſt ipſe ſummus ſpiritus.* Maior autem eſt manifeſta, & demonſtrabilis lumine naturæ: quia ſicut ens creatum nequit eſſe par enti increato; ita nec ſpiritus non ſummus, ſive creatus poteſt eſſe par ſummo & increato ſpiritui. Quis enim audeat comparare creaturam Creatori, ſive ſpiritui increato ſpiritum, qui per creationem habet eſſe? Omne igitur quod eſt par ſummo ſpiritui, id eſt, increato, debet eſſe ſummus ſpiritus & increatus.

8 EST Quidem ſuppoſitâ exiſtentiâ Amoris ſubſiſtentis intra Deum, diſtincti reipſa à Patre & Filio, ac paris vtrique, apertiſsimè demonſtratur, ipſum Amorem eſſe ſummum ſpiritum, vt nuper aiebam. Verùm ipſa hypotheſis eiuſmodi Amoris ſubſiſtentis, & paris Patri ac Filio, quam ſupponit Anſelmus probatam cap. LI. præcedenti, nec ratione illa, nec vlla alia ex ſolis principijs naturalibus eruta demonſtrari ſatis poteſt, ſed ſolùm veroſimiliter ſuaderi, prout factum fuit ab Anſelmo, & iam ſæpiùs obſervavimus. Quare ad convincendum Apollinarem, Macedonium, & generatim Pneumatomachos, tam veteres, quàm recentes, opus eſt recurrere ad ſacras litteras, & ijs probare ſolidam divinitatem Spiritûs ſancti. Quod, præter ea quæ ijs locis in eundem ferè locum allata ſunt, poteſt vlteriùs ac multipliciter demonſtrari ex varijs Scripturæ teſtimonijs. Ne tamen actum agere videar, moneo, quæſtionem impræſenti non eſſe cum ijs hæreticis, qui fatebãtur Spiritum ſanctum eſſe aliquid intra Deum exiſtens; negabant tamen eſſe perſonam ſubſiſtentem. Nimirum, eam hæreſim ſatis refutavimus alijs locis, præſertim Diſp. LVII. allegatâ, ſect. 4. & 5. Nunc itaque differendum eſt contra illos, qui Spiritui ſancto divinitatem eripiebant, quamvis alioqui faterentur, aut non negarent, illum eſſe perſonam ſubſiſtentem. Neque inter illos annumero ex veteribus Montanum, & ex recentioribus hæreticis Mathiam Steimbach, quorum prior, teſte Nicephoro lib. 4 cap. 22 & poſterior teſte Coccio lib. 1. de Trinit. ar. 6. anno 1550 dicere auſus fuit, ſe eſſe Spiritum ſanctum. Quæ impudentia & inſania potiùs debuiſſet helleboro curari, quàm ſeria confutatione reijci: vt mirum ſit, Tertullianum divino pene virum ingenio, adeò miſerè lapſum, vt Montano aſſenſum præſtitiſſe videatur, dum ipſum nominat Paracletum lib. de Reſurrectione carnis cap. 11. & cap. vlt. prope finem, & lib. de velandis Virginibus cap. 1. num. 6. & lib. de Anima cap. 55. num. 613. & lib. 1. contra Marcionem cap. 29. num. 203. alijſque locis obſervatis à Pamelio in proœmio ad Tertulliani paradoxa, antidoto 26. Ac præterea magis mirandum in eo, qui antea eandem inſaniam refutaverat lib. de Præſcriptionibus adverſus hæreſes cap. 52. hæreſi 21. & ſæpe de Spiritu ſancto Catholicè locutus fuerat. Sed in quos hæreſum & inſaniarum infames ſcopulos non incurret mens humana, niſi divino & congruenti protegatur auxilio?

9 LIS Itaque præcipua eſt cum alijs, qui non adeò immaniter delirárunt; ſed tamen dixerunt, Spiritum ſanctum eſſe creaturam, & miniſtrum, poſt Patrem & Filium dignitate atque

que honore tertium, & ijs fortitudine inferiorem. Quam hæreſim Origeni adſcribit Hieronymus Epiſt. ad Avitum, & Epiphanius Epiſt. ad Ioannem Hieroſolym. circa medium. Eundē ferè errorem amplexi ſunt priores Ariani, qui aiebant Spiritum ſanctum non eſſe Deum, ſed creatum a Filio, teſte Athanaſio in Diſp contra Arium. Addebant tamen ipſi hanc prærogativam Eunomius, & Ætius, *quod ante alias creaturas fuerit à Filio fabricatus*, vt refert Theodoretus lib. 4. hæreticarum fabularum col. 4 & Baſilius lib. 2. contra eundem Eunomium circa finem. Poſtea Macedonius, eiuſque gregales dixerunt, Spiritum ſanctum nihil habere cum Filio commune, ſed eſſe miniſtrum Patris & Filij, tanquam creaturam. Quod ipſum placuit Airanis, ſive Airaniſtis, ſic denominatis à quodam Aira, prout ex Nicephoro colligit Prateolus lib. 1. Alphaberi hæreſi 21. Sed & præcedenti ſæculo impiſſimus Trinitatis impugnator Michael Servetus, propterea vivus exuſtus Genevæ anno M. D. LV. videtur, inter plurimos alios errores, tradidiſſe, Spiritum ſanctum eſſe quendam Angelum, prout colligi videtur ex eius Dialogo 2. de Trinit. apud Valentiam 1. p. q. 1. de proceſſione perſonarum puncto 1. §. 24. col. 2. Similiter ex recentioribus Sectarijs illum eſſe creaturam aiunt, Petrus Goniezius apud Alphonſum Piſanum Tomo I. Conciliorum Præfatione in Acta Concilij Nicæni, Lucas Sternberger apud Prateolum lib. 10. Alphaberi cap. 10. Chriſtianus Francus & Tranſylvani apud Bellarminum tom. 1. lib. 1. de Chriſto cap. 13. §. 1. & Cocceium lib. 1. de Trinit. art. 6. § 2. Fortaſſe quibuſdam illorum occaſionem errandi dedit, vel auxit Eraſmus Roterodamus in Præfatione ad libros Hilarij, vbi inquit: *Audemus Spiritum ſanctum nominare Deum, quod Veteres auſi non ſunt* Cuius propoſitionis falſitas eſt manifeſta, & ab eo ſolùm effutiri potuit, qui aut teſtimonia Veterum Patrum non legiſſet, aut noluiſſet intelligere. Nam licèt initio aliquot ex Catholicis veriti fuerint illum palam Deum nominare, cæteri id fecerunt, & tota Eccleſia id ſemper ab ipſo Chriſti tempore perſuaſum habuit, vt poſtea conſtabit.

10 IGITVR Divinitas vera Spiritûs ſancti poteſt imprimis ſuaderi ex ijs locis, tum Veteris, tum Novi Teſtamenti, quibus ſuprà Diſp LVIII. & LIX. probatum fuit myſterium Trinitatis, ſeu Dei vnius in eſſentia, & trini in perſonis, quarum altera ſit Pater, altera Filius, altera Spiritus ſanctus. Sed ijs nunc omiſſis, veniamus ad quædam alia eiuſdem Veteris Teſtamenti loca, ex quibus nominatim divinitas Spiritûs ſancti colligitur. PRIMVM, alijs prætermiſſis, habetur 2. Reg. 23. initio, vbi ita legimus: *Hæc autem ſunt verba Dauid nouiſſima. Dixit Dauid filius Iſai: Dixit vir, cui conſtitutum eſt de Chriſto Dei Iacob, egregius Pſaltes Iſrael: Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo eius per linguam meam. Dixit Deus Iſrael mihi, locutus eſt Fortis Iſrael, Dominator hominum.* Quibus verbis idem ipſe Spiritus Domini, qui per Davidem fuerat locutus, aperte dicitur Deus Iſrael, & Fortis Iſrael, & Dominator hominum. Verè ergo Spiritus ſanctus eſt Deus. SECVNDVM habetur Iudicum 13. v. 25. vbi de Sampſone dicitur: *Cœpitque Spiritus Domini eſſe cum eo.* Et cap. 14. v. 19. *Irruit itaque in eum Spiritus Domini.* Poſtea verò cap. 16. v. 21. cùm iam amiſſiſſet fortitudinem, dicitur de illo: *Neſciens quòd receſſiſſet ab eo Dominus* Ergo Spiritus ipſe Domini, qui cœpit eſſe cum Sampſone, & irruit in eum, eſt etiam idē Dominus, ac proinde verus Deus. Sic quippe denotat littera ipſa, & obſervant S. Athanaſius libro de communi eſſentia, &c. col. 3. Cyrillus in libro argumentorum, quòd Spiritus ſanctus ſit Deus, propiùs ad medium, quàm ad principium, & latiùs Ambroſius lib. 2. de Spiritu ſancto in Prologo poſt medium, & cap. 1. ac 2.

11 ACCEDANT Quædam alia loca eiuſdem Veteris Teſtamenti, cum quibuſdam Novi collata, quæ faciunt pleniſsimam fidem divinitatis Spiritûs ſancti. TERTIVM itaque teſtimonium eruitur ex cap. 16. Levitici vbi verus Deus alloquitur Moyſem, vt patet ex toto contextu capitis, præſertim à principio, vbi dicitur: *Loquutuſque eſt Dominus ad Moyſem.* Deinde v. 2. additur: *Et præcepit ei, dicens: Loquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur Sanctuarium, quod eſt intra velum coram propitiatorio, quo tegitur arca,* &c. Atqui eorum verborum author fuit Spiritus ſanctus. Ergo hic eſt verus Deus. Aſſumptio probatur manifeſto teſtimonio Apoſtoli ad Hebræos 9. vbi exponit præceptum illud, & ſubdit v. 8. *Hoc ſignificante Spiritu ſancto, nondum propalatam eſſe ſanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente ſtatum,* &c. Itaque ex vtroque loco, Levitici, & Apoſtoli, conſtat manifeſtè, Deum ipſum, qui id præceptum impoſuit Aaroni, fuiſſe Spiritum ſanctum. QVARTVM habetur Pſalmo 94. v. 8. vbi de vero Deo ac Domino vniverſorum dicitur: *Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione ſecundùm diem tentationis in deſerto, vbi tentauerunt me patres veſtri.* Ea autem verba ſunt Spiritûs ſancti, teſte eodem Apoſtolo ad Hebræos 3. v. 7. dum inquit: *Quapropter ſicut dicit Spiritus ſanctus: Hodie ſi vocem eius audieritis,* &c. Ergo Spiritus ſanctus eſt verus Deus, ac Dominus

vni-

vniverſorum. Huc etiam ferè ſpectat quod dicitur Pſalmo 76. v. 40. & Pſalmo 105. v. 14. *Tentauerunt Deũ in inaquoſo.* Quæ verba de Spiritu ſancto intelligit Apoſtolus eodem loco. Ergo Spiritus ſanctus eſt ille Deus. QVINTVM deſumitur ex cap. 6. Iſaiæ v. 1. *Vidi Dominum ſuper ſolium excelſum*, &c. Deinde v. 9. *Et dixit: Vade, & dices populo huic: Audite audientes & nolite intelligere: & videte viſionem, & nolite cognoſcere. Excæca cor populi huius*, &c. Hæc ibi verus Deus loquebatur. Atqui ille ipſe erat Spiritus ſanctus, vt habetur in Actis Apoſtolorum cap. 28. v. 26. illis verbis: *Bene Spiritus ſanctus loquutus eſt per Iſaiam Prophetam dicens: Vade ad populum iſtum, & die ad eos: Aure audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non perſpicietis.* Vnde ex hoc ipſo teſtimonio divinitatem Spiritûs ſancti probant Ambroſius lib. 3. de Spiritu ſancto cap. 22. & 23. Baſilius lib. 5. contra Eunomium ſect. 5. Gregorius Nyſſæ Antiſtes Orat. in Pentecoſtem poſt medium, & Paſchaſius lib. 1. de Spiritu ſancto cap. 5. SEXTVM habetur Hieremiæ 31. v. 33. *Dicit Dominus: Dabo legem meam in viſceribus eorũ, & in corde eorum ſcribam eam.* Id verò pactum fuiſſe à Spiritu ſancto ſcriptum teſtatur Apoſtolus Hebræorum 10. v. 16. dicens: *Conteſtatur nos Spiritus ſanctus. Poſtquam enim dixit, Hoc autem teſtamentum, quod teſtabor ad illos, poſt dies illos, dicit Dominus, dando leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum ſuperſcribes eas.* Ergo Spiritus ſanctus eſt ille ipſe Deus, qui ſcripſit illud pactum. Vnde Athanaſius in diſputatione contra Arium habita Laodiceæ col. penul. hoc teſtimonio vſus fuit ad probandam Spiritus ſancti divinitatem. Mitto locum alium Ioelis cap 2. v. 28. & 29. qui de Spiritu ſancto accipitur à Petro Apoſtolo Act. 2. v. 17. eiuſque immenſitatem & divinitatem probat. Vide Petavium lib. 2. cap. 16. num. 7.

12 DENIQVE Idipſum generatim probari poteſt ex omnibus ferè Prophetis, quoties aiunt tertio quoque verbo: *Hæc dicit Dominus*, quod certè non, niſi de Deo ipſo profererebant. Vnde Zacharias pater Baptiſtæ in ſuo Cantico ait: *Benedictus Dominus Deus Iſrael*, &c. *Sicut locutus eſt per os ſanctorum, qui à ſæculo ſunt, Prophetarum eius.* Atqui ille ipſe erat Spiritus ſanctus. Ita enim patet ex teſtimonio Petri Apoſtoli 2. cap 1. aientis: *Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines.* Paulus quoque Actorum 10. ait: *Spiritus ſanctus per omnes ciuitates mihi proteſtatur, dicens*, &c. Ac denique Chriſtus D. Marci 12. v. 36. inquit: *Ipſe enim Dauid dicit in Spiritu ſancto*, &c. Igitur Spiritus ſanctus eſt ille ipſe Deus, qui locutus fuit per Prophetas. Nec obeſt quòd etiam Pater & Filius locuti fuerint ijs locis. nam locutio Dei & revelatio creaturis facta, ſicuti & quodlibet opus ad extra, eſt commune tribus perſonis: Spiritui ſancto autem appropriatur quoddammodo, quatenus eſt inſpiratio quædam, & ſpeciale donum creaturis collatum. Vnde ex illa communi apud Prophetas loquendi formula potiſsimum fundamentum ſumit Athanaſius lib. de humana natura ſuſcepta, & in diſputatione paulo antè allegata, ad probandum divinitatem Spiritûs ſancti. Quod etiam ij PP. obſervant, & in ijs Paſchaſius lib. 1. de Spiritu ſancto c. 6. dicens: *Cum per Moyſem, ac Dauid & Eſaiam, vel alios Prophetas, ſpecialiter Spiritus ſanctus loquutus eſſe referatur, Deum locutum eſſe diuina profitentur Oracula.*

SECTIO SECVNDA.

Diuinitas eadem Spiritus ſancti demonſtratur multipliciter ex varijs locis Noui Teſtamenti, in triplicem claſſem diſtributis. Illuſtria Patrum Græcorum & Latinorum loca in idem confirmandum.

13 QVAMVIS Divinitas vera Spiritûs ſancti videatur ſatis probata teſtimonijs præcedentibus, adhuc multò illuſtriora ſunt ad idem probandum innumera Noui Teſtamenti loca: quorum aliqua ſolùm excerpam, eaque ſufficientiſsima, vt Sectarijs recentibus, quibus exoſa eſt Deitas Spiritus ſancti, mutis eſſe liceat, pudeatque eam inſaniam ab Orco ſuſcitâſſe, quæ tot retro ſæculis ab Eccleſia Catholica in pleriſque Concilijs Generalibus proſcripta & fulgurita fuerat. Porrò loca ipſa poſſunt ad tres claſſes reduci. Prima eſt eorum, in quibus Spiritus ſanctus dicitur ſimpliciter Deus, & Dominus. Secunda illorum, in quibus id ipſi tribuitur, quod propriũ eſt veri Dei. Tertia denique eorum, in quibus ipſi adſcribitur operatio & efficientia Dei propria. Panca quædam ex vnoquoque genere delibabo: nec tam colligam, quàm ſeligam.

14 AD Primam claſſem ſpectat obiurgatio Petri Apoſtoli contra Ananiam ſacræ pecuniæ depeculatorem, ita illum alloquentis Actorum 5. v. 3. *Anania, cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui ſancto, & fraudare de pretio agri?* Statim verò declarat, cuinam mentitus fuerit: *Non es mentitus hominibus, ſed Deo.* Quæ verba manifeſtè denotant, Spiritum ſanctum, cui mentitus fuit Ananias, eſſe verum Deum. Quod omnes Eccleſiæ Pa-

Patres, tum Græci, tũ Latini, eo loco obſervant, atque in illis nominatim Epiphan. Hæreſi 74. n.6. colligẽs: ἄρα θεὸς ἐκ θεοῦ, καὶ θεὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ᾧ ἐψεύσαντο οἱ τοῦ τιμήματος τοῦ χωρίου νοσφισάμενοι. id eſt, *Ergo Deus de Deo eſt, & Deus Spiritus ſanctus, cui mentiti ſunt, qui de agri pretio interuerterant.* Quid clarius?

15 PRÆTEREA. Apoſt. 1. Corinth. 3. v. 6 fideles appellat templum Dei, dicens: *Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Deinde verò cap. 6. v 19 ſubdit: *An neſcitis quia membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt?* Itaque fideles ſunt templum Dei, quatenus ſunt templum Spiritus ſancti: & Deus in ijs habitare dicitur, quatenus Spiritus ſanctus in ijs eſt. Qui contextus doctrinæ manifeſtè ſignificat, Spiritũ ſanctum eſſe Deum. quod Patres communiter obſervant: ſpeciatim verò Athanaſius de humana nat. ſuſcepta, Cyril. lib. 13. Theſauri c. 3. & lib. 14. cap. 1. Paſchaſ. lib. 1. de Spir. S. cap 11. Quin & Auguſtinus alio modo idipſum ferè expendit lib. 1. contra Maximinum num. 11. dicens: ✻ Si ſacrilegi eſſemus faciẽdo templum cuicumque creaturæ; quomodo non eſt Deus verus, cui non templum facimus, ſed nos ipſi templum ſumus? ✻ Nota autem obiter Eraſmũ ibidem ad marginem hanc notam poſuiſſe: *Hoc nunc fit quibuslibet Diuis.* quo planè videtur redarguere morem Eccleſiæ Catholicæ ædificantis Baſilicas in memoriam Sanctorum. Sed aut turpiter ignoravit ille, aut noluit advertere, quod vel Catholicis è media plebe notum eſt, iuxta antiquiſsimum Eccleſiæ morem, ab ipſo etiam Auguſtino probatum, Templa & Baſilicas vni ac ſoli Deo dicari, etiam dum in memoriam Martyrum, vel aliorum Sanctorum erigũtur PRÆTEREA. Idem Apoſtolus cap. 12. eiuſdem Epiſtolæ recẽſens opera & beneficia nobis collata, ea promiſcuè tribuit Deo ac Spiritui ſancto, tanquam auctori, dicens: * Diviſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus, &c. Et diviſiones operationum ſunt: idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. ✻ Iam verò, ijs enumeratis, concludit: ✻ Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult ✻ Quibus verbis Apoſtolus luculentiſsimè tradit, Deum illum, qui operatur omnia in omnibus eſſe ipſum Spiritum ſanctum, qui dona ſua dividit ſicut vult. DENIQVE idem Paulus 2. Corinth. 3. v. 16. ait: * Quum autem converſi fuerint ad Dominum, auferetur velamen: Dominus autem Spiritus eſt: vbi autem Spiritus Domini, ibi & libertas. ✻ Vbi pro eodem accipitur Deus, ſive Dominus, ad quem ij convertentur, ac Spiritus ſanctus: de cuius perſona ibidem eſſe ſermonem clariùs in Græco oſtenditur per articulum adiunctum, ὁ δὲ κύριος τὸ πνεῦμά ἐστιν. ac præterea, dum de eodem Spiritu ſubiungitur: πᾶ δὲ τὸ πνεῦμα κυρίου ἐκεῖ ἐλευθερία.

16 AD Secundam claſſem pertinent teſtimonia plura, in quibus id aſſeritur Spiritui ſancto, quod ſolius Dei proprium eſt. PRIMO enim proprium eſt Dei, vt in ſolum ipſum credamus, eiuſque fidem profiteamur: cùm fides ſit virtus theologica, quæ Deum immediatè reſpicit, veluti proprium obiectum. Credimus autem non in Patrem & Filium dumtaxat, ſed etiam in Spiritum ſanctum, eiuſque fidem profitemur in ipſa formula Baptiſmi: iuxta præceptum Chriſti Math vltimo: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* De quo ipſo vberior erit ſermo ſect. 3. Ergo Spiritus ſanctus non minùs, quàm Pater & Filius, eſt verus Deus. DEINDE Infinita ſcientia rerum omnium, etiam profundorum Dei, eſt propria veræ Deitatis nota, quæ ſoli Deo convenire poteſt. Ea verò planè competit Spiritui ſancto, teſte Apoſt. 1. Corin. 2. v 3 aiente: ✻ Nobis autem revelavit Deus per Spiritum ſuum. Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum ſcit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? Ita & quę Dei ſunt, nemo cognovit, niſi Spiritus Dei. ✻ Ergo Spiritus ſanctus eſt verus Deus. Quod planè ex eiſdem Apoſtoli verbis colligunt Athanaſius, Epiphan. Theodor. & Ambroſ. lib. 2. de Spir. S. c. 12. alijque complures Patrum.

17 RVRSVS. Dignitas ſumma & infinita maieſtatis offenſæ per peccatũ, eſt nota manifeſta divinitatis, præſertim vbi peccatũ ratione perſonæ offenſæ eſt sũmè atrox & prorſus indignũ veniâ. Atqui eâ eſſe maieſtatẽ & dignitatẽ Spir. S. dũ directè offenditur, teſtatur Chriſtus D. Math 12. v 31 Lucę 12. v. 10. & Mar. 3. v. 28. dũ ait: ✻ Omnia dimittentur filijs hominum peccata, & blaſphemiæ quibus blaſphemaverunt: qui autẽ blaſphemaverit in Spir. S. non habebit remiſsionem in æternum, ſed reus erit æterni delicti. ✻ Divinitas ergo vera & ſolida ineſt Spir. S. Vnde Ambr. in ea verba lib. 1. de Spir. S. c. 3 inquit: ✻ Quomodo inter creaturas audet quiſquam Spiritum computare? Aut quis ſic ſe obligat, vt ſi creaturæ, non putet ſibi hoc aliqua venia relaxandũ? * Optima certè & ineluctabilis ratio: quòd nullius creaturæ offenſio ſit prorſus venię incapax, ſeu remiſsione indigna. Cùm ergo offenſio Spir. S. per peccatum blaſphemiæ ſit veniæ incapax, ſeu remiſsione prorſus indigna; conſequens eſt vt ille non ſit creatura, ſed verus Deus. Eodem ferè ſenſu expendit Cyrillus verba eadem libr. 34. Theſauri, obſervans, blaſphemiam in Spiritum ſanctum graviùs puniri, quàm blaſphemiam in Deum ſimplici-

ter. Hæc enim vindicatur inflictâ præſenti morte, vt patet Leuitici 24. v. 17. vbi dicitur: *Qui blaſphemauerit nomen Domini, morte moriatur.* Cæterũ longè grauior pœna iudicitur blaſphemantibus in Spiritum ſanctum. nimirum, æternæ mortis, & reatûs nunquam condonandi. Videtur autem omnino abſonum à recta ratione, vt ſit Deo minor ille, in quem nequiùs & inexpiabiliùs blaſphematur, quàm in Deũ. Non ergo Spir. S. eſt Deo minor, ſed verus Deus.

18 DENIQVE. Immẽſitas ſolius Dei propria eſt: qui propterea de ſeipſo aitquodã loco: *Cœlum & terram ego impleo.* Vnde D. Th. in 4. diſt. 10. q. 1. ar. 1. aiebat: *Ponere quòd corpus Chriſti vbique poſsit eſſe, eſt hæreticum, quia hoc aliuinitatis eſt proprium.* Atqui immenſitas competit Spiritui ſancto. Propterea enim dicitur de illo Sapient. 1. v. 7. *Spiritus Domini replenit orbem terrarum*, &c. Præmiſſum autem fuerat v. 5. præced. *Spiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet fictum.* Quibus planè denotatur, ibidem de perſona Spiritus ſancti ſermonẽ eſſe. Deinde Pſal. 138. v. 7. dicitur: *Quò ibo à Spiritu tuo, & quo a facie tua fugiam? Si aſcẽdero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero in infernũ, ades.* Quare ex ijs locis diuinitatem Spiritus S. colligunt Athanaſ. lib. de natura hum. ſuſcepta, & lib. de communi eſſentia, &c. alijſque locis, Baſil. lib. 5. contra Eunom. ſect. 14. & 16. Ambroſ. lib. 1. de Spir. S. c. 7. per totum, Auguſt. lib. 2. de Trinit. cap. 5. & alij.

19 AD Tertiam claſſem ſpectant loca illa, in quibus Spiritui ſancto adſcribitur efficientia atque operatio Dei propria. Porrò inter eas operationes, quæ propriè Dei ſunt, notiſsima eſt & præcellentiſsima, ſanctitatis, gratiæ, iuſtitiæque largitio: quam ſacræ litteræ, Concilia, & Patres, ſanctificationem, iuſtificationemque appellant. Ideoque Iob c. 14. v. 4. aiebat: *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptũ ſemine? Nonne tu, qui ſolus es?* Et Pſal. 83. v. 12. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Eam verò operationem ſæpe Scriptura ipſa tribuit nominatim Spiritui ſancto, dum ipſum appellat Roman. 1. v. 4. *Spiritum ſanctificationis* & c. 8. v. 15. *Spiritum adoptionis*, & Hebræor. 11. v. 29. *Spiritũ gratiæ.* Ergo Spiritus ſanctus eſt propriè Deus. Vnde his locis vtuntur Patres in id probandum: inter quos Paſchaſ. lib. 1. de Spiritu ſancto inquit: *Sanctificare nulla creatura aliam penitus poteſt. Largitio ſanctificationis, munificentia ſolius eſt maieſtatis.* Ambroſ. quoque lib. 1. de Spir. S. c. 5. eleganter ait: *Cùm omnis inuiſibilis, præter Trinitatem, reliqua natura, cuius rationabilem, & incorpoream iure quidẽ ſubſtantiam putant, non impertiat ſpiritualem gratiam, ſed adqui rat, nec participet, ſed aſſumat; ſeparanda vtique eſt à ſocietate Spiritus ſancti communitas creaturæ.* Breviùs Baſilius Magnus lib. 5. adverſus Eunomium: ἡ κτίσις οὐκ ἁγιάζει κτίσιν. id eſt, *Creatura nequit ſanctificare creaturam.* Atqui Spiritus ſanctus creaturam ſanctificat. Non ergo ille eſt creatura.

20 CONFIRMATVR Idipſum ex alijs Scripturæ locis, in quibus Spiritui ſancto adſcribitur gratiæ, ſanctitatis, adoptionis, iuſtitiæque largitio. Etenim Actor. 10. v. 45. dicitur: *In nationes gratia Spiritus ſancti effuſa eſt.* Roman. c. 5. v. 5. *Charitas Dei effuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Et c. 15. v. 16. *Vt fiat oblatio Gentiũ accepta, ſanctificata in Spiritu ſancto.* Ac 1. Corinth. 6. v. 11. *Et hæc quidẽ fuiſtis, ſed ablauti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis in nomine Domini noſtri IESV CHRISTI, & in Spiritu Dei noſtri.* Vbi æquiparantur Chriſtus Dominus & Spiritus ſanctus quoad gratiam & ſanctitatem largiendam proprio nomine, quod ſolius Dei proprium eſt. Sed & ipſe Chriſtus D. iuſtificationem & ſanctitatem ampliſsimam Diſcipulis promittens, Actor. 1. v. 8. dixit: *Accipietis virtutem ſuperuenientis Spiritus ſancti in vos.* Apoſtolus quoque Petrus eodem capite ita Iudæos alloquitur: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine IESV CHRISTI in remiſſionem peccatorum veſtrorũ; & accipietis donum Spiritus ſancti.* Denique Apoſtol. 1. Corinth. 12. omnium chariſmatum & donorũ Dei, quibus creaturæ rationales evehuntur ad ordinem gratiæ, & ſanctificantur, largitionem Spiritui ſancto adſcribit, tanquam auctori, cuius eſt ea impertiri pro libito. Quis autem vel adeò plumbeo, vel ita obſtinato ingenio ſit, vt in eo non deprehendat propriam diuinitatis notam? Vnde Athanaſius ex ijs ipſis teſtimonijs ita colligit Spiritûs ſancti diuinitatem in Epiſt. ad Serapionem: Τὸ μὴ ἁγιαζόμενον παρέτερῳ, μηδὲ μέτοχον ἁγιασμοῦ, ἀλλ' αὐτὸ μεθεκτὸν ὂν, ἐν ᾧ καὶ τὰ κτίσματα πάντα ἁγιάζεται, πῶς ἂν εἴη ἓν τῶν πάντων, ἢ ἴδιον τῶν μετεχόντων αὐτοῦ; Id eſt: *Quod enim non ſanctificatur ab altero, neque particeps eſt ſanctificationis, ſed ipſum participari poteſt, in quo & creaturæ omnes ſanctificantur; quomodo vnum ex omnibus poteſt eſſe, aut proprium illorum, qui ſunt eius participes?*

21 QVIN Vel nomen ipſum *Spiritus ſancti* non adſcititium, non extraneũ, non metaphoricũ, ſed propriũ, apertiſsimè denotat, ipſũ ſanctitatẽ alijs largiri virtute propria, tãquã qui ſanctus eſſentialiter & per naturã ſit, ac nullo modo exuere ſanctitatẽ poſſit inſtar creaturarum, quibus illa adventitia eſt, & gratuìtò accidit. Id verò eſt argumentum inuictum diuinitatis, iuxta illud 1. Regum 2. v. 2. *Non*

eſt

eſt ſanctus, vt eſt Dominus: neque enim eſt alius extra te. Vt enim optimè argumentatur Ambroſius in hunc ſcopũ lib.3.de Spir.S.c.19. *Omnis creatura peccatorũ capacitati obnoxia eſt: ſola autẽ eſt à peccato immunis & immaculata ſempiterna diuinitas.* Quòd ſi verò quiſquã ex Pneumatomachis auſus fuerit dicere, ſanctitatem Spir.S.non competere per naturã, ſed *κατὰ συμβεβηκὸς*, ſiue *ex accidenti*, ſic eam blaſphemiam refellit Cyril. lib. 34. Theſauri: *Quod enim per participationem alicui datur, auferri etiam ab eo poteſt. Sola enim quæ naturaliter inſunt, inſeparabilia ſunt. Si ergo, quaſi accidens, Spir.S.ſanctificatio acceſsit, poterit, ſecũdum ipſos, ipſa ſanctitate Spir.S.privari: quod impium omnino eſt. Nõ igitur participatione ſanctitatis ſanctus eſt Spiritus, ſed quia ex Deo naturaliter eſt.*

22 PRÆTEREA. Effundi & illabi intra arcanos animæ ſinus, propriũ eſt Dei. Non enim vel Angeli boni aut mali, vel anima quæpiã alterius hominis, poſſunt penetrare intimam alterius animæ ſubſtantiam, & intra eam habitare. Atqui Spiritus ſanctus effunditur, & illabitur intra arcanos animarũ ſinus, earumque ſubſtantiam intimã penetrat, & in ea habitat. Eſt igitur verè & propriè Deus. Aſſumptio habetur expreſſa in ſacris litteris Ioelis 2.v.28. & 29 *Effundam ſpiritum meum ſuper omnẽ carnem*, &c. quod teſtimoniũ allegat Petrus Apoſtolus Act. 2.v.17. & interpretatur de adventu Spiritus S. in Apoſtolos. Paulus quoque ad Titum c.3.v.5. inquit: *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis Spiritus ſancti, QVEM EFFVDIT IN NOS ABVNDE.* Vnde ex ijs locis Didymus colligit veram Spiritus ſancti diuinitatem lib.2.dicens: *Ipſum EFFVSIONIS nomẽ increatam Spiritus ſancti ſubſtantiam probat. Neque enim Deus cùm Angelum mittit, aut aliam creaturam, Effundam dicit de Angelo meo, aut Principatu, aut Throno, aut Dominatione. In ſolis quippe his, quæ ab alijs participantur, hic ſermo conſentit.* Ambroſius quoque lib.1. de Spiritu ſancto, eodem argumento vtitur dicens: *De qua creatura Deus ita loquutus eſt, quòd aut Dominationes, aut Poteſtates effundat, aut Angelos?* Nimirum, effuſio Spiritus ſancti eſt, vt repleat animas fidelium, iuxta illud Act.2. *Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto.* Anima verò non alio ſpiritu, quàm divino, repleri poteſt. Vnde idem Didymus ſubdit: *Nemo autem, ſiue in Scripturis, ſiue in conſuetudine, plenus creatura dicitur. Neque enim aut Scriptura ſibi hoc vendicat, aut ſermo cõmunis, vt dicas plenum eſſe quemquam Angelo, Throno, Dominatione. Soli quippe diuinæ naturæ hic conuenit ſermo.*

23 NEQVE Obſtat ſiquis obijciat, iuxta Scripturam ſacram dici etiam Satanam in aliquos ingredi, veluti in Iudam ipsũ proditorem, Ioannis 13.v.27. aut implere cor alicuius, quẽadmodum de Anania legitur Act.5.v.3. vbi iuxta Græcam lectionem inquit Petrus Apoſtolus: Ἀνανία, διὰ τί ἐπλήρωσεν ὁ σατανᾶς τὴν καρδίαν σου; *Anania, cur impleuit Satanas cor tuum?* Reſpondet enim idem Didymus, ijs locis nullatenus exiſtimari debere, *mẽtem ipſam, & principale cordis ingredi Satanam, aut in ſenſum eius, atque, vt ita dicam, adytũ cordis introire, ſiquidem hæc poteſtas ſolius eſt Trinitatis. Sed quaſi callidus quidã, & nequam, ac fallax, fraudulentuſque deceptor, in eos animã humanam malitiæ affectus trahit per cogitationes, & incentiua vitiorum, quibus ipſe plenus eſt.* Vnde hoc ſolùm modo *in Iudã introiuit, non ſubſtantia, ſed operatione: & per fraudulentiam, & deceptionem, & malitiã inhabitare in eo creditur, quẽ repleuit.* Itaque perſiſtit Didymus in ea ſententia, quam initio amplexus meritò fuerat *animam, vel mentem hominis, nullam creaturam iuxta ſubſtantiam poſſe implere, niſi ſolam Trinitatem: quamuis ſecundum operationem, & voluntatis errorẽ, ſiue virtutem, animus de ijs, quæ creata ſunt, impleatur.* Conſonat eidem doctrinæ Paſchaſ. lib.2.de Spir.S.c.1.dicens de dæmonibus: *Corporis latebras intrare poſſunt: animæ verò interiora adire non poſſunt. Sciendum ergo eſt quòd ſpiritualium nequitiarum doloſa ſubtilitas illa membrorum loca ſuo turbat incurſu, quæ interdum vino nimio, vel febrino fatigãtur accenſu. In animæ itaque ſenſus inimica tentatio per malitiam ſcit irrepere: in animæ verò receſſus per naturam neſcit influere. Et ideo huiuſmodi ſpiritus immundos humanæ mentes, ac pectora, non naturarũ infuſione capiunt, ſed voluntatũ prauitate concipiunt.* Hactenus ille, ſapienter quidẽ & opportunè. Porrò Opera eiuſdẽ S.Paſch.Cardin. invenies in Bibliotheca Magna Aniſsionana anni M.DC.LXXVII. Tom.VIII Sæculo Quinto: Didymũ autem Alexandrini (qui præceptor S.Hieronymi fuit) Tom.IV. Sæculo Quarto. Patet itaque, ijs Scripturæ locis, quibus Spir.S. dicitur replere animos, & effundi in cordibus hominũ, divinitatem ipſius demonſtrari: quoniã creaturæ omnes, cuiuslibet perfectionis & immaterialitatis ſint, allicere, pulſare, tentare, circumcurſare, aut immittere cogitationes vel incentiva pravarum operationum poſſunt: interiora autem animæ, ac ſubſtantiam ipſam, & adyta cordis, inhabitare vel replere nullatenus poſſunt.

SECTIO TERTIA.

Illuſtratur ſecunda pars capitis de conſubſtantialitate Spiritus ſancti cum Patre & Filio probata ab Anſelmo. Eadem demonſtratur illuſtribus Scripturæ locis, & ſelectis interpretationibus Patrum.

24 PROBAT Anſelmus in ſecunda huius capitis parte, Spiritum ſanctum non eſſe aliud, ſive alterius eſſentiæ à Patre & Filio, ſub hanc ferè diſſerendi formulam. Quidquid ita neceſſariò exiſtit, vt quãvis nulla creatura exiſteret, adhuc haberet eſſe, non eſt alterius eſſentiæ à Patre & Filio, ſed omnino eiuſdem. Atqui Spiritus ſanctus ita neceſſariò exiſtit, vt quamvis nulla creatura exiſteret, adhuc haberet eſſe. Ergo Spiritus ſanctus non eſt alterius eſſentiæ à Patre & Filio, ſed omnino eiuſdem: ac per conſequens eſt vtrique ὁμοούσιος, ſive conſubſtantialis. Conſequentia eſt evidens quoad vtramque partem. Maiorem propoſitionem probat S. Doctor: *Quoniam ſummæ eſſentiæ plures eſſe non poſſunt*: prout iam ſupra cap. 3. & 4. demonſtravit latè, & nos cum ipſo, tum in Scholijs vtriuſque eius capitis: tum præterea Diſp. XIII. per totam. At quidquid ita exiſtit, vt quamvis nulla creatura exiſteret, adhuc haberet eſſe, planè habet eſſentiam ſummã: vtpotè diverſam ab omni creatura, vt patet, ac proinde increatam & ſummam. Ergo non eſt alterius eſſentiæ à ſumma eſſentia Patris & Filij, ſed omnino eiuſdem. Minor autem præcipua pariter ſupponitur probata ab eodem Anſelmo ſuprà cap. 49. & ſeqq. vbi exiſtentia Spiritus ſancti probata fuit ex amore ſive dilectione mutua Patris & Filij. Atqui amor ſeu dilectio eiuſmodi ita neceſſariò exiſtit, vt quamvis nulla creatura exiſteret, adhuc haberet eſſe. Quod enim Deus amet ſeipſum eſt perfectio ſummè neceſſaria, quam nullatenus exuere poteſt, ſive creaturæ vnquam exiſtant, ſive non. Ergo Spiritus ſanctus ita neceſſariò exiſtit, vt quamvis nulla creatura exiſteret, adhuc haberet eſſe. Nota autem obiter, quidquid hoc loco, & capitibus præcedentibus differit S. Doctor, ſolùm procedere de Spiritu ſancto, quoad prædicata ipſius neceſſaria; quo ſenſu non procedit ex cognitione futurorum, nec vllo modo ab eâ pendet: ſecus verò quoad terminationem liberam, qua extenditur ad futura. Quod hoc loci adnotare placuit ob cohærentiam doctrinæ à nobis traditæ ſuprà Diſp. LXVII. ſect. 6 præſertim num. 76.

25 DEINDE Conſubſtantialitas ipſa ſive identitas Spiritûs S. cum Patre & Filio quoad ſubſtantiam ſeu eſſentiam, demonſtrari poteſt ex plurimis Scripturæ locis. Nos autem pauca ſolùm expendemus, quæ abundè ſufficiãt ad convincendos Pneumatomachos recentes, niſi inſanire & prorſus deſipere velint. Mitto autem loca illa Veteris Teſtamenti, ex quibus, ſaltem ſimul ſumptis, aperte colligitur myſterium Trinitatis, ſive identitas trium perſonarum in eâdem eſſentia: quæ latè propoſita & expenſa fuerũt ſuprà Diſp. LV. II. Mitto vlteriùs alia ex Novo Teſtamẽto, quæ allata fuerunt Diſp. LIX. in idem probandum. Mitto, inquam, ne actum agam: quãvis ea directè huc etiam ſpectent. Mitto denique ea ipſa, quæ vtrâque ſectione præcedenti propoſuimus pro vera divinitate Spiritûs ſancti: quæ pariter evincunt, eius ſubſtantiã eſſe prorſus eandẽ, ac Patris & Filij: cùm plures ſubſtantiæ eſſentiæ, & naturæ divinæ repugnẽt, ſicuti & plures dij. Venio itaque ad alia, quæ nominatim ad identitatẽ Spiritûs S. in ſubſtantia cum Patre & Filio ſpectant.

26 PRIMO itaque probatur ex verbis Chriſti apud Ioan. c. 15. v. 16. de Spir. S. dicẽtis: *Cùm autem venerit Paraclitus, quẽ mittã vobis à Patre, Spiritũ veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me.* Quemadmodũ verò ex eo quòd Filius dicatur *exire à Patre*, Ioan. 16. v. 27. & 28. concluditur, Filium oriri ex ſubſtantia Patris, ac proinde eſſe ipſi ὁμοούσιον, ſive conſubſtantialem: ita etiam idipſum de Spiritu ſancto probatur; cùm pariter ille dicatur à Patre procedere. Quoad identitatem enim ſubſtantiæ probandam perinde eſt à Patre exire, & procedere à Patre. Vnde Ambroſius eleganter, vt aſſolet lib. 1. de Spir. S. c. 7. aiebat: *Sicut creata dici nõ poteſt ſapientia, quæ ex ore Dei procedit; nec Verbum, quod eructatur ex corde; nec virtus, in qua plenitudo maieſtatis æternæ eſt: ita etiam creatus non poteſt Spiritus æſtimari, qui ex ore Dei funditur, cùm ipſe Deus tantam oſtenderit vnitatem, vt effundere ſe de Spiritu ſuo dicat.* Quibus verbis reſpexit Ambroſius ad illud Ioelis 2. v. 28. & 29. ſuprà n. 22. expenſum: *Effundam Spiritũ meũ ſuper omnem carnem.* Verùm & idem S. Doct. Tract. in Symbolum Apoſt. col. 94. & lib. 1. de Spir. S. enucleatiùs exponit verba illa Chriſti, atque ita ea interpretatur: *Inquit, A PATRE PROCEDIT propter originẽ. Inquit, QVEM MITTAM; propter ſocietatem, vnitatẽque naturæ.* Paſchaſ. quoque Cardin. lib. 1. de Spir. S. c. 12. in eadem verba ait: *Non dixit, qui à Patre creatus eſt, ſed, QVI A PATRE PROCEDIT: id eſt, de paternæ ſocietate potẽtiæ & de proprietate naturæ.* Et paucis interiectis: *Quia ergo Spir. S. a Patre procedit, tria in eo privilegia Deitatis oſtendit id eſt. Vt in perſona ſua ſubſiſtere, & ſine vllo temporis ſpatio permanere, & omnino ex ſubſtãtia Patris probetur exiſtere.* Quod autẽ ex ſubſtantia

Pa-

Patris exiſtit, proculdubiò eſt ὁμοούσιον, ſive conſubſtantiale Patri.

27 SECVNDO Demonſtratur ex formula Baptiſmi à Chriſto Domino præſcripta, dũ ait Mathæi 28 v. 20. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Quibus planè ſupponitur, eandem eſſe & æqualẽ triũ maieſtatem dignitatemque: ac proinde eandem omnino ſubſtantiam. Neque enim vlla, vel apparẽs ratio eſſe poſſe videtur, vt ſimul & æquè cum nominibus Patris & Filij proferatur in ſolemni & præcipua fidei formula nomẽ alicuius perſonæ, quæ ſit diverſæ ab vtroque ſubſtantiæ, & proinde diſtantis in infinitum. Quę enim ratio, vel apparens, eſſe poteſt, vt præcipua fidei profeſsio eodẽ contextu ſermonis dirigatur in perſonas adeò diſparis & inæqualis conditionis, quales ſunt Deus & creatura, & quales eſſent Pater Filiuſque collati cũ Spiritu ſancto, ſi hic eſſet alterius ab ijs ſubſtantiæ, & per conſequẽs creatæ ac finitæ? Hanc rationẽ indicavit Athanaſius Orat. 3. contra Arianos, dicens: ποία γὰρ κοινωνία τῷ κτίσματι πρὸς κτίσην; διὰ τί τὸ πεποιημένον συναριθμεῖται τῷ ποιήσαντι εἰς τὴν τῶν πάντων τελείωσιν. id eſt: *Qualis enim communio eſſe poteſt creaturæ cum Creatore? Cur quod factum eſt, cum factore connumeretur ad perfectam omnium abſolutionem?* Profectò nulla ratio eſſe poſſet ad id faciẽdum. Dũ igitur Spiritus ſanctus connumeratur Patri & Filio in Baptiſmo, non comparatur ad illos veluti creatura ad Creatorem: ſed tanquam eiuſdẽ omnino cum ijs ſubſtantiæ & naturæ.

28 CONFIR. Patres multipliciter idem argumentum contra Arianos, & Macedonianos. Ac primò quidem ipſe Athanaſ. Epiſt. ad Serapionem, dicens: * Qui de Trinitate aliquid eximit, & in ſolo Patris nomine baptizatur, aut in ſolo nomine Filij, aut ſine Spiritu in Patre & Filio; nihil accipit: ſed inanis, ac ſine initiatione manet, tã ipſe, quàm qui tribuere videtur. Nã in Trinitate initiatio perfecta conſiſtit. Ita qui Filium à Patre dividit, aut Spiritum ad conditionem creaturarum detrahit; neque Filium habet, neque Patrem; ſed atheus eſt, & infideli deterior, & quidvis potiùs, quàm Chriſtianus. Et quidem meritò. Vt enim vnicus eſt baptiſmus, qui in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto confertur; & vna fides eſt in ipſum, vt ait Apoſtolus: ſic ſancta Trinitas in ſeipſa conſiſtens, & in ſe vnita, nihil habet in ſe factarum rerum. HÆC EST TRINITATIS INDIVIDVÆ VNITAS, ET IN EAM FIDES VNA. * Sed & Didymus reſpiciens in eadem verba Apoſtoli ab Athanaſio indicata ſic argumentum ipſum illuſtrat lib. 2. de Spiritu S. * Vnus eſt Dominus, vna fides, vnum baptiſma. Quis non ex ipſa cogetur veritate ſuſcipere indifferentiam ſanctæ Trinitatis, dum vna ſit fides in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, & lavacrum detur, atque firmetur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: Nõ arbitror quemquam tam vecordem, atque inſanum futurũ, vt perfectum baptiſma putet, quod datur in nomine Patris & Filij ſine aſſumptione Spiritus ſancti: aut rurſus in nomine Patris & Spiritus ſancti, Filij vocabulo prætermiſſo; aut certè in nomine Filij & Spiritus ſancti, nõ præpoſito vocabulo Patris. Licèt enim quis poſſit exiſtere ſaxei, vt ita dicam, cordis, & penitus mentis alienæ, qui ita baptizare conetur, vt vnũ de præceptis nominibus prętermittat (videlicet, contrarius legislator Chriſti) tamen ſine perfectione baptizabit: immo penitus à peccatis liberare non poterit, quos à ſe baptizatos exiſtimaverit. * Hactenus ille, egregiè quidem. Vnde Idacius Clarus lib. contra Varimadum (nuper recuſo in Magna Bibliotheca Tom. V. ſæculo IV.) ſic Pneumatomachos vrget: * SI SPIRITVS SANCTVS DEITATIS SVBSTANTIA PATRI ET FILIO NON COPVLATVR; CVR IN SACRAMENTO SACRI BAPTISMATIS NIHIL ABSQVE ILLO COMPLETVR? * Nulla certè ratione imperfectus eſſet irrituſque Baptiſmus, prætermiſſo Spiritus ſancti vocabulo, niſi ille æquè ac Pater & Filius ad eandem ſpectaret divinitatis ſubſtantiam.

29 SED Et Ambroſius, quâ pollebat ſubtilitate, obſervavit, Chriſtum D. præſcripſiſſe formulam ſacri Baptiſmi, non *in nominibus, ſed in nomine* Patris, Filij, & Spiritus ſancti, ad ſignificandum, vnum nomen eſſe tribus commune, ac proinde vnam ſubſtantiam, ſive deitatem. Ait enim lib. 1. de Spiritu S. cap. 14. *In nomine dixit, non, in nominibus. Non ergo aliud nomen Patris, aliud nomen Filij, aliud nomen Spiritus ſancti: quia vnus Deus: non plura nomina, quia non duo dij, non tres dij.* Fortaſſe ex Ambroſio eandem conſiderationem mutuavit, aut potiùs illuſtravit Auguſtinus Tract. 6. in Ioannem dicens: * Iſte vnus Deus, quia non in nominibus Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: ſed in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Vbi vnum nomen audis, vnus eſt Deus. Sicut de ſemine Abrahæ dictum eſt, & exponit Paulus Apoſtolus: IN SEMINE TVO BENEDICENTVR OMNES GENTES. Nõ dixit, in ſeminibus, tanquam in multis: ſed tanquam in vno, in ſemine tuo, quod eſt Chriſtus. Sicut ergo quia ibi non dicit, in ſeminibus, docere te voluit Apoſtolus, quia vnus eſt Chriſtus: ſic & hic, cũ dictũ eſt, in nomine, nõ in nominibus, quomodo ibi in ſemine, non in ſeminibus; probatur vnus Deus Pater, & Filius, & Spir. S. * Quid illuſtrius, aut dignius ingenio Auguſtini? Idem ipſum ferè colligunt ex formula Baptiſmi Fauſtinus in fine libri contra Arianos (To-

mo V. Magnæ Bibliothecæ) Baſilius lib. 5. contra Eunom. c. 10. Gregorius Nazianzenus Carmine 3. Arcan. & alij Patres.

30 TERTIO Suadetur ex identitate operationum ad extra communium Spiritui ſancto indiviſim cum Patre & Filio: quæ planè evincit in tribus eandem potentiam, ac proinde eandem omnino ſubſtantiam ſeu naturam. Nam, vt optimè argumentatur Didymus lib. 1. de Spiritu S. *quorum vna eſt operatio, vna eſt & ſubſtantia: quia quæ eiuſdem ſunt ſubſtantiæ, & ὁμοούσια ſunt, eaſdem habent operationes: & quæ alterius ſubſtantiæ, & ἑτερούσια ſunt, diſſona atque diuerſa ſunt.* Atqui eædem operationes indiviſim tribuuntur Spiritui ſancto, ac Patri & Filio. Ergo in ijs tribus eſt identitas potentiæ, ſeu virtutis activæ, proindeque & naturæ, ſive ſubſtantiæ. Aſſumptio, ſive minor propoſitio, in quâ ſolâ videtur eſſe poſſe diſſidium cum hæreticis, conſtat planè ex plurimis Scripturæ locis, in quibus operationes quælibet Dei, etiam præſtantiſſimæ, nominatim Spiritui ſancto adſcribuntur. Et imprimis de iuſtificatione, ſanctificatione, & collatione quorumlibet donorum gratiarumque, quas ſupernaturales appellamus, conſtat eſſe opus Dei præſtantiſsimum, omneſque naturæ vires & exigentiam ſuperans. Atqui iuſtificatio & eorum donorum largitio, aſſeritur ab Apoſtolo nominatim Spiritui ſancto locis ſuprà num 20. indicatis. Quibus adiungo aliud teſtimonium ipſius ad Titum 3. v. 5. dicentis de Deo Patre: *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abundè per IESVM-CHRISTVM Saluatorem noſtrum.* Vbi æquè & indiviſim tribus perſonis adſcribitur regeneratio & renovatio noſtra ſpiritualis. Idipſum apparet in iuſtificatione, quæ confertur virtute Baptiſmi: nam & hic fit indiſcriminatim nomine trium perſonarum: vt paulo antè expendimus. Sed & creatio cœlorum, virtutumque eius, & quarumlibet rerum aliarum (quæ ſanè eſt operatio propria Dei, vt latè oſtenſum fuit cum Anſelmo Tomo I. Diſp. XVI. & duabus ſeqq.) tribuitur in ſacris litteris æquè Spiritui ſancto, ac Patri & Filio, iuxta illud Pſalmi 32. v. 6. *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Et Pſalmo 103. v. 30. dicitur: *Emittes Spiritum tuum, & creabuntur.* Vide quæ circa eum locum obſervavimus ſuprà Diſp. LVIII. n. 25. Ad hæc omniſcientia, vt ita dixerim, & cognitio ſecretorum Dei, quam ſæpe Scriptura ſoli intellectui Dei, veluti propriam perfectionem, ſive operationem aſſerit, nominatim tribuitur Spiritui ſancto 1. Corinth. 2. v. 10. vbi inquit Apoſtolus: *Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiã profunda Dei. Quis enim hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? Ita & quæ Dei ſunt, nemo nouit, niſi Spiritus Dei.* Mitto plurima alia huius generis, ſatis enim fuerit generatim oſtendiſſe, potiſſimas Dei operationes, quas novimus, quæque ipſi vni adſcribuntur, indiviſim tribui Spiritui ſancto æquè ac Patri & Filio. Ergo ſicuti eadem trium operatio, eadem quoque virtus operatrix, eadem demũ natura & ſubſtantia eſt.

31 CONFIR. Moliri & agere aliquid ſublime ac divinum *αὐθεντικῶς*, ſive auctoritate propria, ac præferẽte maieſtatem ſummam, non eſt, niſi perſonæ habentis eandem cũ Deo ſubſtantiam, dignitatemque. At id perſpicuè tribuitur Spiritui ſancto Act. 13. v. 2. dũ dicitur: *Miniſtrantibus autem illis Domino, & ieiunantibus, dixit Spiritus ſanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod aſſumpſi eos.* Ac ſtatim: *Et ipſi quidẽ miſſi à Spiritu ſancto, abierunt*, &c. Quod enim maius opus, aut magis divinũ, quàm converſio mundi ad veram fidem, & ſalutẽ æternam? Ad id verò operis ac negotij adeò ſublimis, Spiritus ſanctus ſe auctorem profitetur. Similiter c. 10. v. 20 Spiritus ſanctus hiſce verbis Apoſtolum Petrum mittit ad Corneliũ: *Vade cũ eis, nihil dubitans, quia ego miſi illos.* Et c. 20. v. 28. *Attẽdite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos.* Certè hæc omnia ita ſunt, niſi perſonæ auctoritate propria decernentis & exequẽtis ſalutem hominum æternam, ac proinde conſubſtantialis Deo. *Denique* Paulus 1. Corinth. 12. enumerans præſtantiſſima donorum genera, quibus Deus Eccleſiã ſuam locupletavit, ac ſupra modum evexit, ſtatim v. 11. ſubdit: *Hæc autẽ omnia operatur vnus atque idẽ Spiritus, diuidens ſingulis prout vult.* Ecce operationem Dei propriam, Spiritui ſancto adſcriptam, veluti auctori, pro libito diſtribuenti divina & cœleſtia dona. quod certè alieniſsimum eſt à perſona, quæ ſit *ἑτερούσιος* ſeu alterius ſubſtantiæ à Deo. Vnde antiquus ille Breviarij adverſus Arianos ſcriptor (extat apud Bibliothecam Magnam Tom. VII. ſæculo V.) inquit: *Qui diuina munera prout vult, diſpenſat, legem ſuperioris ignorat. Agnoſce tandẽ, quia qui prout vult diuidit, nulli ſubditus eſſe probatur. ſed ſuæ poteſtatis eſſe dignoſcitur. De ſumma enim poteſtate deſcendit voluntas, cui nulla contradicit auctoritas.*

32 VLTIMO Suadetur ex myſterio Incarnationis, quod Spiritus ſancti virtute peractum eſt. Vnde ad Mariam Virginẽ dicitur Lucæ 1. v. 35. *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſsimi obumbrauit tibi: ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei.* Apud Mathæum quoque cap. 1.

v. 20.

v. 20. *Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.* Itaque ſummum Dei opus ad extra, & quo maius nec illa ſumma ſapientia moliri, nec ſumma potentia exequi potuit (quæ ferè ſunt verba Ambroſij) qualis fuit Incarnatio Verbi, adſcribitur nominatim Spiritui ſancto, tanquam qui virtute ſua illam peregerit. Nemo autem videtur eſſe poſſe tam vecors aut impudens, qui velit tantum opus factum eſſe virtute propria alicuius perſonæ aut ſubſtantiæ creatæ: cùm vel opera longè inferiora creationis & iuſtificationis in ſacra Scriptura, ſoli Deo, vt principali agenti, adſcribantur. Ergo Spiritus ſanctus non eſt perſona aut ſubſtantia aliqua creata, ſed divina & increata: ac proinde ὁμοούσιος, ſive conſubſtantialis Patri & Filio. nam, vt monet Anſelmus in hoc capite, & iam antea à ſe demonſtratum ſupponit, plures ſummæ eſſentiæ ſive ſubſtantiæ eſſe non poſſunt. Vnde Auguſtinus lib. 3. contra Maximinum cap. 17. ait: *Mundus per Filium factus eſt, & Creator eſt Filius. Caro eius, quæ data eſt pro mundi vita, per Spiritum ſanctum facta eſt; & non eſt Creator Spiritus ſanctus?* Optima argumentatio à minori ad maius. Filium eſſe Creatorem & conſubſtantialem Patri, convincitur ex eo, quòd mundus per ipſum factus fuerit. At longè maius eſt quòd per Spiritum ſanctum facta fuerit caro Filij pro ſalute mundi. Ergo multò magis convincitur, Spiritum ſanctum eſſe Creatorem, & proinde conſubſtantialem Filio ac Patri.

33 ACCEDIT, Chriſtum à Spiritu ſancto vngi, ac mitti, vt ipſe confirmat Lucæ 4. v. 18. & Actorum 10. v. 38. ex teſtimonio Iſaiæ cap. 61. initio: quin & per Spiritum ſanctum prædeſtinari Roman. 1. & ab eo repleri Lucæ 4. vbi plenus Spiritu ſancto dicitur. In quæ verba inquit Cerealis lib. contra Maximinum cap. 11. *An non Deus eſt, qui implet Deum?* Sed & Roman. 8. v. 11. dicitur Spiritus ſanctus ſuſcitaſſe Chriſtum à mortuis, ſicuti & alijs locis plurima in Chriſto ac per Chriſtum effeciſſe, quæ non, niſi in perſonâ increatam & conſubſtantialem Deo, cadere poſſunt. Quæ omnia in idem probandum ſummatim præſtiterunt Nazianzenus Orat. 37. quæ eſt de Spiritu ſancto, Ambroſius in Symbolum cap. 6. & ſeqq. ac tandem Fulgentius lib. 3. ad Traſimundum, hiſce verbis: ❧ Dicatur igitur, ſi cœlorum virtutem potuit firmare, qui non eſt Deus: ſi poteſt vivificare, qui non eſt Deus: ſi poteſt in Baptiſmatis regeneratione ſanctificare, qui non eſt Deus: ſi poteſt charitatem tribuere, qui non eſt Deus: ſi poteſt in credentibus habitare, qui non eſt Deus: ſi poteſt dare gratiam, qui non eſt Deus: ſi poteſt templum membra Chriſti habere, qui non eſt Deus; & dignè Spiritus ſanctus negabitur Deus. Rurſus dicatur ſi ea, quæ de Spiritu ſancto commemorata ſunt, poteſt aliqua creatura facere; & dignè Spiritus ſanctus dicetur creatura. Si autem hæc creaturæ poſſibilia nunquam fuerunt, & inveniuntur in Spiritu ſancto, quæ tamen ſoli competunt Deo, nõ debemus diverſum à Patre Filioque dicere, quẽ in operum potentia non poſſumus diverſum invenire: AC SIC EX VNITATE OPERIS VNITAS EST AGNOSCENDA VIRTVTIS: nec quiſquam dubitet, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum perſonarũ Trinitate ſervata, vnum Deum naturaliter dicere, qui potuit vniverſa ſua voluntate condere; qui cuncta poteſt virtutis omnipotentiâ gubernare; qui omnia poteſt immẽſitate divinitatis implere. ❧ Hactenus ille: in cuius verbis habetur epilogus totius noſtræ Diſputationis. Meritò itaque Anſelmus in hoc capite concludit, Amorem, ſive Spiritum ſanctum, eſſe vnam cum Patre & Filio ſummam eſſentiam: & per conſequens ſummam ſapientiam, ſummam veritatem, ſummum bonum, ET QVIDQVID DE SVMMI SPIRITVS SVBSTANTIA DICI POTEST.

34 NEC Subiungimus hoc loci teſtimonia Conciliorum Generalium, in quibus eadem divinitas Spiritûs ſancti, & conſubſtantialitas cum Patre & Filio, definita fuit generatim contra omnes Pneumatomachos. Id enim iam præſtitum fuit latè à nobis ſupra Diſput. LV. ſect. 4. per totam.

DISPVTATIO XC.

DE SPIRITVS SANCTI PROCESSIONE EX PATRE ET FILIO.

CONTRA GRAECOS, OLIM SCHISMATICOS, POSTEA HAERETICOS.

AD NOBILISS. ET DOCTISSIMVM D. D. IOANNEM DE ANDICANO, poſt plures alias Præfecturas ritè & cum eximia laude geſtas, Supremi Iuſtitiæ Senatus digniſsimum Conſiliarium, olim Maioris Collegij Archiepiſcopalis IACOBO Apoſtolo ſacri Purpuratum Sodalem, & in Salmanticenſi Academia Iuris Cæſarei Veſpertinũ ac præſtantẽ Anteceſſorẽ, &c.

QVAMVIS Anſelmus ſuprà cap. 50. probaverit, Amorem, ſive Spiritum ſanctum procedere pariter à Patre & Filio, nunc eandem doctrinam confirmare pergit cap. 54. ſtatim in medium exhibendo. Et certè oporteret, nos plurimùm in eius explanatione immorari, niſi res eadem tractanda eſſet latè Tomo ſequenti cum ipſo S. Doctore, in Commentarijs ad Epiſtolam, ſeu librũ de Proceſsione Spiritus ſancti contra Græcos. Quare nunc ſolùm breviter idipſum diſcutiemus. Priùs tamen exhibere oportet litteram S. Doctoris, eiuſque brevem commentarium.

CAPVT LIV. Aliàs LII.

Quòd totus procedat à Patre, totus à Filio; & tamen non ſit niſi vnus Amor.

ANTVENDVM Eſt diligenter, vtrùm ſint duo amores, vnus à Patre procedens, alter à Filio: an vnus, non totus ab vno procedens, ſed partim à Patre, partim à Filio: an nec plures, nec vnus partim procedens à ſingulis; ſed vnus totus à ſingulis, & idem totus à duobus ſimul.

8 SED Huiuſmodi dubitationis certitudo hinc indubitanter cognoſcitur, quia non ex eo procedit, in quo plures ſunt Pater & Filius: ſed ex eo, in quo vnum ſunt. Nam non ex relationibus ſuis, quæ plures ſunt (alia enim eſt relatio Patris, alia Filij) ſed ex ipſa ſua eſſentia, quæ pluralitatem non admittit, emittunt Pater & Filius tantum pariter bonũ.

SICVT

4 SICVT Ergo singulus Pater est summus spiritus, & singulus Filius est summus spiritus; & simul Pater & Filius non duo, sed vnus spiritus: ita à singulo Patre manat totus Amor summi spiritus, & à singulo Filio totus: & simul à Patre & Filio non duo toti, sed vnus idemque totus.

CHOLIA IN CAPVT LIV.

SECTIO PRIMA

Ratio dubitandi ab Anselmo proposita, & à Græcis obiecta, soluitur. Doctrina Anselmi in hoc capite, postea definita in Concilijs Generalibus Lugdunensi & Florentino.

5 PLVRIMA, Vt Paulo ante monui, dicenda erant ad exornandam litteram Anselmi in hoc capite, & confirmandam doctrinam in eo traditam. Sed cùm id propriam sedem habiturum sit Tomo III. in Commentarijs ad librum de Processione Spiritûs sancti, quæ iam plenè scripta habemus, & propediem edenda, satis erit nunc percurrere litteram Sanct. Doctoris, & breviter exagitare controversiam, quam dirimit in hoc capite.

6 *INTVENDVM EST DILIGENTER, &c.* Proponit subtiliter, & solita mentis præcisione, dubitationem, seu difficultatem, quæ occurrere alicui posset, ne Spiritus sanctus procedat à Patre & Filio. Id enim solùm potest contingere ita, vt vel sit duplex in Deo Amor, quorum alter procedat à Patre, alter à Filio: aut solus vnus Amor, non totus ab vno procedens, sed partim ab vnoquoque eorũ: aut denique vnus & idem totus à singulis, & idem totus ab ambobus simul. Neque enim præter tria hæc videtur esse aut cogitari posse modum alium, quo Amor, sive Spiritus sanctus in divinis procedere dicatur. Quoties enim aliquid procedit à pluribus, necessum est, vt vel illud sit multiplex: vel vnum, partim ab vno principio, partim ab alio procedens: vel denique vnũ indivisim & ex toto à singulis & pluribus simul. Atqui nullo ex his modis videtur procedere Spiritus sanctus, sive amor à Patre & Filio. Non primo modo. Alioqui essent quatuor personæ in Trinitate, contra quàm docet Fides, & declarat V. Synodus Generalis in confess. Fidei Iustiniani Imperatoris pag. 354. editionis Parisiensis Conciliorum Binij verbis illis, τ̃ ἁγίας τριάδος τετάρτης ὑποστάσεως ἤτοι προσώπου προσθήκην μὴ ἐπιδεξαμένης. id est, *sancta Trinitate quartæ hypostaseos vel personæ adiectionem non suscipiente.* Non etiam secundo modo. Aliàs Spiritus sanctus esset aliquid compositum ex partibus, quarum altera procederet ex Patre, altera ex Filio. Id autem absurdum est, & pariter hæreticum: cùm Deus, & quælibet persona divina, sit summè simplex: vt definitur in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. prout habetur in cap. Firmiter de Summa Trinit. Non denique tertium: quia videtur repugnare, vt idem effectus, aut terminus procedat totus indivisim àduobus principijs, & à singulis eorum. Nullo igitur modo Amor, sive Spiritus sanctus, videtur procedere à Patre & Filio: nam duo principia in divinis nullum habent locum.

7 NOTANDVM Verò est, hanc ipsam difficultatem ab Anselmo propositam, quasi rationem dubitandi contra suam, immo & Catholicæ Ecclesiæ sententiam, fuisse postea à quibusdam Græcorum obiectam Patribus Latinis. Præsertim verò Episcopus Nicomediensis apud Hugonem Etherianum lib. 2. cap. 3. obijciebat Spiritum sanctum processurum à duobus principijs, si procedit ex Patre & Filio. *Quod enim* (aiebat) *ab aliquibus prouenit, illa habet principia, à quibus prouenit.* Similiter ex eisdem Græcis Gemisthus Pletho colligebat contra sententiam Catholicam Latinorum, *vel non esse simplex quippiam Spiritum sanctum, si ex duplici productione existit. Vel si vnica productione ambo illum emittunt, si quidem vt personæ sunt; contractio quædam erit personarum, & confusio, & ad duas personas redacta erit Trinitas. Sin est, vt secundùm communem essentiam procedere dicatur, non erit eiusdem, atque illi, essentiæ Spiritus sanctus.*

8 *SED HVIVSMODI &c.* Vt occurrat S. Doctor difficultati propositæ, & confirmet Catholicam sententiam de processione Spiritus sancti ex Patre, Filioque, præmittit, ipsum non procedere ab vtroque secundùm id, in quo sunt duo: sed penes id, in quo sunt vnum idemque. Non enim procedit ab ambobus secundùm relationes paternitatis & filiationis, quibus invicem distinguuntur, & plures sunt: sed secundùm essentiam, in qua sunt vnum & idem omnino. Quam eandem doctrinam exponit lib. de Processione suprà indicato, cap. 11. aliàs 10. exemplo operum ad extra provenientium à tribus personis divi-

pis,

nis, non penes id in quo ſunt tres, ſed ſecundũ illud in quo ſunt vnum. Vnde quemadmodum res creatæ non procedunt à Trinitate, tanquam à triplici principio, ſed vno: ita Spiritus ſanct. non procedit ex Patre & Filio, veluti ex duobus principijs, ſed tanquam ex vno, ratione vnius eiuſdemque eſſentiæ. Quam ipſam doctrinam tradiderat Magnus Auguſtinus lib. 5. de Trinit. cap. 14. hiſce verbis: * Si ergo & quod datur, principium habet eum, à quo datur, quia non aliunde accipit illud, quod ab ipſo procedit; fatendum eſt, Patrem & Filium, principium eſſe Spiritus ſancti; NON DVO PRINCIPIA. Sed ſicut Pater & Filius vnus Deus, & ad creaturam relativè vnus Creator, & vnus Dominus: SIC RELATIVE AD SPIRITVM SANCTVM VNVM PRINCIPIVM: ad creaturam verò Pater & Filius & Spiritus ſanctus vnum principium, ſicut & vnus Creator, & vnus Dominus. * Hucuſque Auguſtinus.

9 HANC Ipſam SS. Auguſtini & Anſelmi doctrinam definivit poſtea tum Innocentius III. in Concilio Lateranenſi IV. cap. 1. de quo infrà num. 18. tum plenuùs ac diſtinctè Gregorius X. Papa in Concilio Generali Lugdunenſi, cui ipſe præfuit. Decretum fuit miſſum Conſtantinopolim, & ad alias Orientales vrbes Græcè redditũ, prout habetur apud Manuelem Calecam lib. contra Græcos cap. 39. verbis illis: Τρηγόριος Δέκατος, ἐν τῇ ἁγίᾳ Λουγδούνου συγκροτηθείσῃ καθολικῇ συνόδῳ, &c. Latinè autẽ ſic habetur in cõmunibus Conciliorum editionibus * GREGORIVS Decimus in Concilio Generali Lugdunenſi: Fideli ac devota profeſsione fatemur, quòd Spiritus ſanctus æternaliter ex Patre & Filio, NON TANQVAM EX DVOBVS PRINCIPIIS, SED TANQVAM EX VNO PRINCIPIO, NON DVABVS SPIRATIONIBVS, SED VNA SPIRATIONE PROCEDIT. Hoc profeſſa eſt, hactenus prædicavit & docuit, hoc firmiter tenet, prædicat, profitetur, & docet Sacroſancta Romana Eccleſia, mater omnium fidelium & magiſtra: hoc habet orthodoxorum Patrum, atque Doctorum, Latinorum pariter ac Græcorum, incommutabilis & vera ſententia. Sed quia nonnulli, propter irrefragabilis præmiſſæ ignorantiam veritatis in errores varios prolapſi ſunt; Nos huiuſmodi erroribus viam præcludere cupientes, ſacro approbante Concilio, damnamus, & reprobamus omnes, qui negare præſumpſerint, æternaliter Spiritum ſanctum ex Patre & Filio procedere; ſive etiam temerario auſu aſſerere, quòd Spiritus ſanctus ex Patre & Filio tanquam ex duobus principijs, & non tanquam ex vno, procedat. * Hactenus Pontifex. Quod autem ait, eam fuiſſe Patrum Latinorum pariter ac Græcorum ſententiam, oſtendemus ſingillatim in Commentarijs eius Opuſculi: ex quibus palam conſtabit, neminem ex Patribus Latinis oppoſitum docuiſſe: neminem quoque ferè ex Græcis, ſaltem ſi Theodoretum excipias, qui ſolus ea in parte erraſſe deprehenditur, cùm res nondum fuiſſet ab Eccleſia definita.

10 EADEM Definitio Lugdunenſis Concilij longè poſtea maiore celebritate confirmata fuit in Concilio Florentino Generali ſub Eugenio IV. poſt longiſsimam diſputationem inter Patres Latinos & Græcos, quotquot ibidem interfuerunt cum Ioanne Paleologo Orientis Imperatore, anno Chriſti M.CD. XXXIX. Atque in vltima eius ſeſsione præcipuè Græcis, id eſt, Gregorius Scholarius, vir doctiſsimus, Ioſephus Patriarcha Conſtantinopol. Epiſcopus Ruthenus, Cardinalis Beſſarion, Theologus præcellentiſsimus, & Epiſcopus Mytilenenſis, alijque multi, palam profeſsi ſunt proceſsionem Spiritus ſancti ex Patre & Filio, *non tanquam ex duobus principijs, ſed vno*, prout ſemper eouſque à Latinis omnibus, traditum fuerat. Teſtati etiam ſunt, eam doctrinam eſſe cohærentem Sacræ Scripturæ, & Sanctis Patribus: ideoque omnes, non Latini modo, ſed Græci quoque, admiſerunt in Symbolo particulam *Filioque*, excepto Marco Epheſio, qui pertinaciter reſtitit, ſed incaſſum.

SECTIO SECVNDA.

Marcum Epheſium, adhuc poſt Concilium Florentinum, inſtauraſſe errorem præcedentium quorundam Græcorum. Quinam ijfuerint, & quo tempore ſcripſerint.

11 QVAMVIS Verò ſit vetus Ariſtotelis effatum in Ethicis ad Nicomachum, μία χελιδὼν ἔαρ οὐ ποιεῖ τὸ ἔαρ, *Vna hirundo non facit ver*; vnus ille Marcus Epheſius in fide Græcorum iam calente ex Concilio Florentino hyemem fecit, eoſque ad veterem ac toties abiuratum errorem revocavit. Nimirum, Spiritum ſanct. à Filio nullatenus procedere olim aliqui ex ipſis Græcis tradiderant, quorum primum fuiſſe Neſtorium, aut quempiam aliquem ex ipſius ſequacibus, cenſet D. Thom. 1. p. q. 36. art. 2. ad 3. & alij plures. Nam circa annum Chriſti CD. XXX. Neſtoriani in quodam Symbolo, ſeu confeſsione Fidei, quæ extat in Actis Concilij Epheſini Tomo II. cap. 37. vel etiam 31. iuxta Recentiores editiones, poſtquam profitentur Spiritum ſanct. ex Patre procedere, ſubdunt: *Filium tamen non nominamus; neque*

per

per Filium ſubſiſtentiam ſuam (alij vertunt, *ſubſtantiam*, vel *eſſentiam*) *eſſe dicimus.* Vſque adeò antiqua eſt origo eius erroris, quem præalijs initio ferè amplexatus fuit Theodoretus in gratiam Neſtorianorum contra S.Cyrillũ Alexandrinum, eiuſque Anathematiſmos, in quibus hæreſes Neſtorij proſcribebat. Quoniã verò Cyrillus in nono illorum Spiritum ſanct. appellabat, ἴδιον αὐτοῦ τὸ πνεῦμα, id eſt, *proprium illius* (Filij) *Spiritum*, Theodoretus ſic in oppoſitum ſcripſit: *Proprium Spiritum Filij, ſiquidem vt eiuſdem naturæ, & à Patre procedentem dixit* (Cyrillus) *ſimul & nos cõfitemur, & vt piam vocem amplexamur. Si verò tanquam ex Filio, vel per Filium ſuam habere eſſentiam dicit, vt blaſphemiam hanc, & ſicut impiam abijcimus.* Quamvis verò poſtea Theodoſio Iuniore imperante idẽ Theodoretus Conſtantinopolim evocatus cum alijs Epiſcopis, Neſtorio Hæreſiarchæ anathema dixerit, & propterea à Concilio Calchedonenſi Actione octava in communionem admiſſus fuerit cum honorificis acclamationibus Catholici Paſtoris, & Orthodoxi Eccleſiæ Doctoris; nullibi tamen poſtea invenitur retractaſſe eam opinionem, aut perſpicuè dixiſſe, Spiritum ſanctum procedere ex Filio, vel per Filium: ſed dumtaxat *à Patre procedere & per Filium dari.* Ita enim habet ad illa verba Rom.8 *Propter inhabitantem Spiritum eius in nobis*: & ſimiliter ad illud 1. Corinth. 2. *Spiritum qui ex Deo eſt.* Itaque iure ac meritò error ille adſcribitur Theodoreto, veluti qui illum ex profeſſo tradiderit, & nunquam retractaſſe inveniatur in reliquo vitæ progreſſu, ac pluribus ſcriptis, quæ poſtea edidit. Sed de hoc plura Diſp. ſequenti.

12 DEINDE Ruſticus Diaconus Romanus Diſputatione contra Acephalos (noviſsimè recuſa in Biblioth. Magna Aniſſoniana VV. PP. Tomo X. Sæculo VI.) circa annũ Chriſti D. LXXX. dixit de Spiritu Sancto: *Vtrum à Filio eodem modo, quo à Patre procedat, nondum perfectè habeo ſatisfactum.* Refertur verò is Scriptor inter Schiſmaticos. Quòd autem aliqui volunt S. Ioannem Damaſcenum Theodoreto in ea parte ſubſcripſiſſe, reijciemus ſæpe in progreſſu, & nominatim Diſp. XCII. num. 30. quidquid, præter alios, ſuſpicatus fuerit eruditiſsimus Petrus Pithœus, qui illum arbitratur eundem cum Ioanne quodam Monacho Hieroſolymitano, inſtauratore eiuſdem erroris circa annum Chriſti octingentiſimum octavum aut nonum. Certum quippe eſt, Damaſcenum plurimis antè annis clauſiſſe ſanctiſsimæ vitæ periodum, vt ibidem oſtẽdemus. Mitto quæ eodem loco dicemus circa Concilium Aquiſgranenſe celebratum ſub Pontificatu Leonis III. & Imperio Caroli Magni. Similiter in Gentiliacenſi Concilio circa annum Chriſti DC. CLXVII. vt inquit Ado in Chronico, fuit *ventilata quæſtio inter Græcos & Romanos de Trinitate: & vtrum Spiritus ſanctus, ſicut procedit à Patre, ita etiam procedat à Filio.* Id enim non in Concilio aliquo Generali, ſed Provinciali, in villa Gentiliaco prodè Lutetiam, diſputatum fuiſſe, Regino auctor eſt. Quinam verò nominatim fuerint ij Græci, non ſatis conſtat.

13 POSTEA Circa annum Chriſti DCCC.LXIX. Photius dictus Patriarcha Conſtantinopolitanus, ſubtili vir ingenio, & varia eruditione, ſed pietate nulla, & inſolenti audacia in Romanam Eccleſiam, inter multa quæ contra illam machinatus eſt, præſertim in Cõciliabulo quodam, docuit pertinaciter, & libro edito diſſeminavit, *Spiritum ſanctum à ſolo Patre, non à Filio procedere.* Ita referunt plurimi Scriptores, & præſertim Hugo Etherianus lib. de Hæreſibus, quas Græci devolvunt in Latinos cap. 15 (vide Bibliothecam nuperè laudatam Tomo XXII. Sæculo XI. vbi Opuſcula eius auctoris habentur) atque ex multiplici Hiſtoricorum veterum obſervatione Chriſtianus Lupus ſæpiſsimè Tomo II. in Scholijs ad Synodum Octavam Generalem, in qua Photius damnatus fuit, ſicuti & poſtea in Synodo Romana degradatus, immo & Chriſtiani nomine exutus. Lege laudatum ſcriptorem, præſertim pag. 1288. & 1494. ac præterea Baronium ad annum Chriſti DCCC.LXIX. cum ſequentibus.

14 POST Photium vivis ereptum, quadraginta circiter annis, id eſt, circa Chriſti nongentiſsimum, Theophylactus eundem errorem continuaſſe creditur. Etenim in cap. 3. Ioannis propè finẽ reprehendit Latinos, quòd dicerent, *Spiritum ſanctum à Filio procedere.* Quin & addit: *Cæterum eſſe ex Filio nulla Scriptura teſtatur: vt ne duo principia introducamus Patrem & Filium.* Nimirum præcipuum fundamentum, cui innitebantur Græci vt aſſererent Spiritum ſanctum ex ſolo Patre procedere, non etiam ex Filio, in eo ſitum erat, quòd ex oppoſito colligeretur, Patrem & Filium non eſſe vnum principium, ſed duplex Spiritus ſancti: vt conſtat ex ipſorum Græcorum ſcriptis, & ex Actis Concilij Florentini. Circa idem verò tempus Græcos in ſuam linguam traſtuliſſe libros Dialogorum S. Gregorij Magni, prætermiſſa particula *Filioque* in ijs extante, ſcribit Ioannes Diaconus lib. 4. Vitæ eiuſdem S. Doctoris cap. 75. Vnde evincitur, errorem illum eo tempore receptiſsimum apud Græcos, aut etiam popularem fuiſſe.

15 VENIAMVS Ad ſæculum vndecimum

cimum, in quo floruit S. Anſelmus & in eo videbimus plures acriter in ea parte pro Theodoreto & Photio decertaſſe. Imprimis Michael Patriarcha CP. circa annum Chriſti M.L. non modò publicè negabat proceſsionem Spiritus ſanct. ex Filio; ſed etiam impudenter *Pontificem Romanum cum ſuis excommunicatum eſſe proclamare cæpit, eo quòd in Symbolo addidiſſent illud, FILIOQVE.* Ita enim in Epiſt. ad Conſtant. teſtatur qui eodem tempore ſanctiſsimè regebat Eccleſiam, Leo IX. ex Monacho Benedictino & Epiſcopo Tullenſi creatus Pontifex anno M.XLVIII. Vt autem appareat, in quantum & qualem Eccleſiæ Dei Præſulem debacharetur Græcus ille, accipe quæ de eo, inter plura alia, habet Hariulphus in Chronico ſui Monaſterij S. Richarij Centulenſis lib. 4. cap. 20. * Leo Papa, natione Teutonicus, parentum excellentiſsima nobilitate præfulgens, & cœleſti viſione deſignatus antequam natus, in Lotharingia mundo proceſsit. Qui ſacris litteris, atque liberalibus ſtudijs accuratiſsimè eruditus, & per omnem pueritiam, iuventutemque & adoleſcentiam, timoratæ mentis honeſtatem conſervans, electione Cleri & populi Eccleſiæ Tullenſi ordinatus eſt Epiſcopus, cùm iam propinqui viri Imperiales de Romano Apoſtolatu ei conferendo tractarent. Sanè non recuſavit homo inclytus pauperculæ civitatis curam ſuſcipere: immo obtentu maioris evitandi honoris, ad hanc facilè eſt deductus.* Similiter Richerius in Chronico Monaſterij Senonenſis lib. 2. cap. 10. de illo inquit, multa divinitus ſigna oſtendiſſe, *Cuius ſanctitatis poſtea futurus eſſet Bruno.* (ſic enim appellabatur Leo IX. antequam Summus Pontifex eligeretur) *In quãcumque ciuitatem, vel caſtellum, vel vicum, aut villam intraret, galli earundem villarum lingua eius patriæ, per quã tranſibat, denſis clamoribus eum Papam futurum clamabant, Leo Papa, Leo Papa; cum ei nomen imponendum omnes ignorarent. Et iterum atque iterum hoc nomen reciprocabant, Leo Papa, Leo Papa. Quo audito qui cum eo erant, eum in ſumma veneratione habere cæperunt.* Denique, vt plurima alia omittam in laudem eius ſanctiſsimi Pontificis, cuius præconijs Hiſtorici pleni ſunt, Sigebertus Gemblacenſis, ſcriptor eiuſdem ferè temporis, inquit: *Leo, cùm ad capeſſendam Sedem Apoſtolicam tenderet Romam, audiuit voces Angelorum concinentium: Dicit Dominus: Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis.* Quin & memoriæ proditum eſt, cùm Romam perveniſſet hyemis tempore, ſingulis noctibus, antequam à Clero ritè Pontifex eligeretur, nudis pedibus atque humili habitu cũ paucis quibuſdam Clericis Eccleſias vrbis viſitare ſolitum pietate mira. In huñc itaque talem & tantum Pontificem Eccleſiæ Dei Michael Patriarcha CP. ſuum virus evomuit.

16 MICHAELEM ſecutus fuit Petrus Antiochiæ Patriarcha in litteris adverſus Latinos, quorum partem exſcribemus Diſput. XCII. num. 39. Summa illarum eſt, criminari Eccleſiam Romanam, quòd eo tempore crederet Spiritus ſancti proceſsionem ex Filio, & multò magis quòd particulam FILIOQVE addiſſet Symbolo. Quod ille contendit fuiſſe ſummum ſcelus, & veluti novam fidem cudere, præter vllum in Evangelio fundamentum: ideoque Latinis anathema dicit. Poſtea verò illos quoddammodo excuſare videtur ob barbariem aut ruditatem, quæ talis ſit, vt magnum cenſeri debeat ſi fidem Trinitatis & Incarnationis integram ſervent. Hæc ferè ille, aut riſu prætereunda, aut acri reprehenſione digna: quæ loco indicato num. 40. & 41. refutabimus. Itaque prædictus Patriarcha Antiochenus cum Michaele apertè negavit proceſsionem Spiritus S. ex Filio, indicto præterea anathemate, quamvis inani, oppoſitum aſſerentibus. Ex hoc tempore palam Græci contra Eccleſiam Romanam in eo errore verſati ſunt: ideoque Nicetas paucis pòſt annis, ſcilicèt, circa milleſsimũ & ſexageſsimum Chriſti, librum edidit contra Latinos ad probandum, Spiritum ſanctum ex ſolo Patre procedere. Succeſſerunt alij eodem ſæculo vſque ad annum nonageſsimum octavum, in quo plures Græci, quorum nomina neſcimus, coram Vrbano II. Bari in Apulia ad Concilium convenerunt. Cumque plura pro ſua opinione in medium proferrent, S. Anſelmus, qui aderat, ab ipſo Pontifice iuſſus, adeò eruditè & eloquenter contra illos diſputavit, vt omnium iudicio actum penitus fuerit de illorum errore. Mitto Nicephorum Calliſtum CC. pòſt annis ſcribentem: qui in Synopſi de Trinitate laudat Andronicum Seniorem Palæologum, *quòd liquidò declaraſſet Spiritus ſancti proceſsionem à ſolo Patre, & non à Filio.* Vnde & Nicephorus ipſe inter Schiſmaticos reputatur.

17 DENIQVE Adhuc poſt rem latè controverſiam, & definitam ab Eccleſia in tribus Generalibus Concilijs, Laterenanſi, Lugdunenſi, & Florentino, vt ſupra dicebamus, idque ex conſenſu communi Patrum Occidentalium Orientaliumque; Græci, duce Marco Epheſio, errorem veterem inſtaurarunt, ſcriptis ea de re libris, quos tamen alij, etiam ex Græcis ipſis, doctiſsimè confutarunt. Eandem perfidiam amplexi ſunt paulo poſt Florentinum, id eſt, anno M.CD.LX. quidam hæretici: vt Ioannes de Vveſalia, ſive Vveſtphalia, apud Prateolum lib. 9. cap. 22. & Ioannes Cazonovius,

ac

ac Ioannes Sommerus, & Petrus Martyr apud Iodocum Coccium lib. 1. de Trinitate art. 7. Hæc itaque libata ſint circa eos, qui vſque hodie inveniuntur negaſſe proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio.

18 CVM Verò eum errorem latè impugnaturi ſimus Tomo III. ſequenti cum Anſelmo in Commentarijs libri ipſius de Proceſsione Spiritus ſancti contra Græcos, ſufficiet nunc aliquantò breviùs id præſtare: ne hęc doctrinæ pars adeò præcipua in hoc Tomo, qui de myſterio Trinitatis ſolùm agit, extoto conſideraretur. Oſtendemus itaque Eccleſiam Catholicam Scripturæ teſtimonijs innixam, & communi ſenſui Patrum Latinorum ac Græcorum, proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio definiſſe. Nec hoc loco proferam omnia Scripturæ loca obſervata ab Anſelmo, ſed pauca quædam.

SECTIO TERTIA

Proceſsio Spiritus ſancti à Filio oſtenditur illuſtri Chriſti Domini teſtimonio, ſpeciatim obſervato ab Anſelmo, & ex doctrina communi Patrum Græcorum Latinorumque explanato, iuxta Catholicam ſententiam. Obiectiones aliquot ſolutæ.

19 PRIMVM Scripturæ teſtimonium ſit, quod Anſelmus lib. de Proceſsione cap. 7. aliàs 11. vrget contra Græcos ex verbis Chriſti Ioannis 17. v. 13. *Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à ſemetipſo: ſed quæcumque audiet, loquetur, & quæ ventura ſunt, annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt. Propterea dixi: quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Hæc ibi: ex quibus luculenter conſtat, Spiritũ ſanctum docere omnem veritatem; non tanquam loquentem à ſeipſo, ſive habentem ſcientiam à ſe; ſed accipientem à Chriſto. Quemadmodum enim omnia quę habet Pater, Filij ſunt: ita quęcumque habet Filius, ſunt Spiritus ſancti. Hic enim à Filio accipit ſcientiam, & quidquid perfectionis in eo eſt, quemadmodum ipſe Filius accipit ſcientiam & reliquas perfectiones à Patre. Quemadmodum ergo Filius eam ob cauſam verè procedit à Patre: ita etiam Spiritus ſanctus à Filio. Vnde Anſelmus loco allegato, inquit: *Quid eſt, Ab alio habebit quod loquetur, niſi ab alio habebit ſcientiam eorum quæ loquetur? Vnde poſtquam dixit, NON LOQVETVR A SEMETIPSO, addidit, SED QVÆCVMQVE AVDIET, LOQVETVR. Quid eſt audire Spiritui ſancto, niſi quaſi diſcere? Et quid eſt diſcere, niſi ſcientiam accipere? Si ergo ſcientia eius non eſt aliud, niſi eſſentia eius; ab illo habet eſſentiã, à quo audit ea, quæ loquitur, & quæ docet; quoniam eſt illi loqui, quod docere. Non habet autem eſſentiam ab alio, niſi aut à Patre, aut à Filio. Verùm ſi habet eſſe à Patre, ſecundùm ſupradictam rationem, habet etiam à Filio. Vnde & idem Filius dicit: ILLE ME CLARIFICABIT, QVIA DE MEO ACCIPIET, ET ANNVNTIABIT VOBIS. Quippe quid eſt aliud hoc dicere, quã à me audiet, hoc eſt, à me ſciet quod annuntiabit vobis? Cùm dixit, QVÆCVMQVE AVDIET, LOQVETVR, non determinauit à quo audiet. Cùm verò ait, DE MEO ACCIPIET, nequis ſoli Patri attribuat quod ab alio audit, aperte ſe eſſe, à quo, ſicut à Patre, ſcientiam, ſive eſſentiam accipiat, demonſtrat. Sicut enim cùm dicitur, Non loquetur à ſemetipſo, ſed quæcumque audiet, loquetur, & annuntiabit vobis, ſignificatur eſſe & procedere, à quo audit: ita, cum profert Filius, DE MEO ACCIPIET, ET ANNVNTIABIT VOBIS, palam oſtendit, eum de ſuo, hoc eſt, de ſua eſſentia eſſentiam habere & procedere. Quod enim diuina eſſentia non eſt, ſub Spiritu ſancto eſt; nec eſſe accipit aliquid de hoc, quod ſub ſe eſt. Quare cùm Filius dicit, DE MEO ACCIPIET, non aliud ibi ſuum ſignificat, quàm ſuam eſſentiam.*

20 HIC Eſt genuinus ſenſus eorum verborum, obſervatus à Patribus, tum Græcis, tum Latinis, longè ante Anſelmum: quorum aliquot teſtimonia in medium proferre oportet. Ac primum quidem ex Græcis audire pat eſt Didymum, ſcriptorem eruditiſsimum, magiſtrumque Hieronymi, qui libros ipſius de Spiritu ſancto Latinè reddidit. Is ergo in ſecundo illorum ſic exponit prædictum teſtimonium: * Non enim loquetur à ſemetipſo: Hoc eſt, non ſine me, & Patris arbitrio: quia inſeparabilis à me & Patris eſt voluntate. QVIA NON EX SE, SED EX PATRE ET ME EST. HOC ENIM IPSVM, QVOD SVBSISTIT, A PATRE, ET ME, ILLI EST.* Poſtea verò exponens, quid ſit, vnam perſonam loqui alteri, vel ab alia audire, inquit: * Spiritus quoque ſanctus, qui eſt Spiritus veritatis, Spirituſque ſapientiæ, non poteſt, Filio loquente, audire quæ neſcit; cùm hoc ipſum ſit, quod profertur à Filio, id eſt, procedens à veritate, conſolatore manens de conſolatore, Deus de Deo Spiritus veritatis procedens. * Denique accedens ad poſteriora illa verba, DE MEO ACCIPIET, ſubiungit: * Rurſum hic accipere

pere, vt diuinæ naturæ conueniat, intelligendum. Quomodo ergo Filius dans non priuatur ijs, quæ tribuit, nec cum damno ſuo impertit aliis: ſic Spiritus non accipit, quod antè non habuit. Si enim quod priùs non habebat, accepit; tranſlato in alium munere vacuus largitor effectus eſt, ceſſans habere quod tribuit. Quomodo igitur ſuprà de naturis incorporalibus diſputantes intelleximus: ſic & nunc Spiritum ſanctum à Filio accipere id quod ſuæ naturæ fuerat, cognoſcendum eſt; & non dantem, & accipientem, ſed vnam ſignificare ſubſtantiam. Siquidem & Filius eadem à Patre accipere dicitur, quibus ipſe ſubſiſtit. Neque enim quid aliud eſt Filius, exceptis ijs, quæ ei dantur à Patre: NEQVE ALIA SVBSTANTIA EST SPIRITVS SANCTI, PRÆTER IDQVOD DATVR EI A FILIO.* Hactenus ille Græcus & doctiſsimus ſcriptor: qui apertè in ijs Chriſti verbis contineri cenſuit proceſsionem Spiritus ſancti quoad ſuam ſubſtantiam à Filio.

21 SIMILITER Cyrillus Alexandrinus eadem Chriſti verba intellexit lib 10. in Ioannem reddens rationem cur Spiritus ſanctus dicatur non loqui à ſemetipſo, & dicens: *οὐ γὰρ ἀλλότριον τοῦ μονογενοῦς οὐσίας τὸ ἅγιον φαίτο πνεῦμα*, &c. *Non enim alienus ab Vnigeniti ſubſtantia Spiritus ſanctus intelligitur: procedit verò naturaliter ex ipſo, cùm nihil præter illum aliud ſit, quod ad naturæ identitatem attinet: quamuis in propria fortè ſubſiſtentia intelligatur exiſtens.* Subdit præterea, explanans reliqua verba eiuſdem teſtimonij. *Propterea addidit, QVÆ VENTVRA SVNT, NVNCIABIT VOBIS: tantùm non ita dicens: Id ſignum erit vobis, OMNINO EX MEA ESSE SVBSTANTIA SPIRITVM SANCTVM, ac velut mentem eſſe meam, quod ventura dicat vobis, quemadmodum & ego.* Sunt & alia plura loca eiuſdem Cyrilli, in quibus docet Spiritus ſancti proceſsionẽ de Filio. Vide Diſp. XCI. num. 4. 5. & 13. Conſonat Epiphanius in Ancorato num. 67. eodem teſtimonio vtens, ac dicens: *Iam verò cùm Chriſtus ex Patre credatur Deus de Deo, & Spiritus ex Chriſto, ſiue ab ambobus; vt Chriſtus his verbis aſſerit: QVIA A PATRE PROCEDIT: & præterea: HIC DE MEO ACCIPIET.* Deinde num. 32. & Hæreſi 74. id teſtimonium cõiungit cum alio Chriſti apud Mathæum cap. 11 dicentis: *Nemo nouit Filium, niſi Pater: neque Patrem quis nouit, niſi Filius, aut cui voluerit Filius reuelare.* Supra vtramque verò ita loquitur de Spiritu ſancto: *Si igitur à Patre procedit, & de meo, vt ait Dominus, accipiet, quemadmodum nemo nouit Patrem, niſi Filius, neque Filium, niſi Pater: ita dicere audeo, neque Spiritum, niſi Pater, ET FILIVS, A QVO PROCEDIT, ET A QVO ACCIPIT: & neque Filium ac Patrem, niſi Spiritus ſanctus, qui verè glorificat, qui docet omnia, qui teſtatur de Filio, QVIA PATRE ET FILIO.* Quid clariùs? Vide alia eiuſdem Epiphanij loca infrà num. 24.

22 EODEM Senſu verba illa Chriſti interpretatur Athanaſius, perſpicuè docens, Spiritum ſanctum *à Patre procedere, & de Filio accipere*: idque pluribus locis obſervatis à Ruizio diſp. 67. ſect. 2. Sufficiat tamen vnum ex ijs in medium proferre ex Epiſtol. ad Serapionem, cui initium, *Litteræ*, multo propiùs ad medium, quàm ad finem, vbi comparat proceſsionem Spiritus ſancti à Filio, proceſsioni Filij à Patre dicens: * Filius à Patre mittitur. Ita enim inquit: ſic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum Vnigenitum daret. Filius porrò ſpiritum emittit, cùm ſic loquitur: Ego autem ſi abſceſſero, mittam Paraclitum. Et Filius Patrem glorificans, Pater, inquit, ego glorifi cavi te. Spiritus verò glorificat Filium: Ille enim, prout ait, me glorificavit. Filijque verba ſunt: Quæ audivi à Patre, hæc loquor ad mundum. Spiritus porrò à Filio accipit: DE MEO ENIM, inquit, ACCIPIET, & annuntiabit vobis. Et Filius in nomine Patris venit. De Spiritu verò ſancto legitur: QVEM MITTET PATER IN NOMINE MEO. Quem igitur iſtiuſmodi ordinem & naturam habeat Spiritus ad Filium, qualem Filius habet ad Patrem, &c. * Atqui Filius non alium ordinem ad Patrem habet, quàm originis, vi cuius ab eo accipit, & mittitur, & venit in eius nomine. Similiter ergo ex mente Athanaſij ad eum locum, Spiritus habet ordinem originis ad Filium, vt proinde de eo accipiat, mittatur, & veniat ipſius nomine. Eandem doctrinam repetit S. Doctor in alia Epiſt. ad Serapionem, quæ incipit, *Admirabere*, ſub initium: vbi allegatis eiſdem verbis Chriſti, *Ex me accipiet* (ſic enim ibidem legit) inquit: *Qualem proprietatem cognouimus Filium habere cum Patre, eundem comperiemus Spiritum ſanctum habere cum Filio. Et quemadmodum Filius dicit, Omnia quæ habet Pater, mea ſunt: ſic hæc omnia comperiemus eſſe per Filium in Spiritu ſancto.*

23 NEQVE Appareat mirum, tam apertè tradi ab Athanaſio eam veritatem: ſiquidem in ipſius Symbolo legitur, & Eccleſia palam profitetur Dominicis diebus: *Spiritus ſanctus à Patre & Filio.* Quidquid enim eſutiat Cazanovius apud Noſtrum Genebrardum lib. 3. de Trinitat. pag. 186. poſt Græculos Romanæ Eccleſiæ hoſtes, ita olim extabat Latinè,

Latinè, ſicuti & Græcè, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον παρὰ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ. vt conſtitit ex libro Græco manuſcripto de Proceſsione Spiritus ſancti, quem Lazaro Baiffio Oratori Regis Franciſci I. apud Venetos obtulit Dionyſius Græcus Epiſcopus Zienenſis & Firmienſis anno M.D.XXXIII. ſimiliterque ex editionibus, Baſileenſi apud Nicolaum Bryling, & Pariſienſi anni 1565. apud Henricum Stephanum, vt proinde ſiqua Græca exemplaria non habent particulam illam καὶ τοῦ υἱοῦ, *& Filio*, cenſeantur depravata ab ipſis Græcis. Ac certè in exemplaribus Symboli ipſius extabant tempore Gennadij Maſſilienſis (id eſt, circa annum Chriſti CD. XC.) nam, vt ille inquit lib. de Spiritu ſanct. cap. 1. Græci ſequaces contrariæ opinionis eo Athanaſij teſtimonio in rabiem agebantur. Deinde vt minimùm temporibus D. Thomæ in tota Eccleſia Latina legebatur cum illa particula, neque vnquam conſtat ab alio quopiam additam fuiſſe. Verùm eo gratis permiſſo, & vltro conceſſo Adverſarijs, Eccleſiam Latinam Symbolo Athanaſij adieciſſe particulam *Filioque*, quemadmodum & ſymbolo Conſtantinopolitano addidit particulam *Filioque*; adhuc abundè manifeſta eſſet Athanaſij mens pro ſententia Catholica, ex locis iam indicatis.

24 CONSONANT Alij Patres præcipui Græcorum, pariter intelligentes id teſtimonium. Nazianzenus antonomaſticè Theologus Oratione 49. de Fide propè finem ita loquitur de Chriſto Domino: *Miſsit nobis Spiritum ſanctum de propria ſua, & ex vna eademque ſubſtantia.* Et paucis interiectis: *Ipſe Dominus Saluator noſter, DE MEO, inquit, ACCIPIET: ex eo vtique, quod eſt Filius, quia & Filius de eo quod Pater eſt.* Ergo quemadmodum Filius accipit quidquid eſt à Patre, ita etiam Spiritus ſanctus à Filio. Epiphanius quoque in Ancorato coluna 7 inquit: *Spiritus ſanctus in medio Patris & Filij, ex Patre & Filio.* Ac præterea propiùs ad medium quàm ad finem eiuſdem Ancorati ait: *Si verò Chriſtus ex Patre creditur Deus ex Deo, Spiritus ex Chriſto, aut ab vtriſque, ſicut Chriſtus dicit, QVI EX PATRE PROCEDIT: & HIC DE MEO ACCIPIET, &c.* Ac longè inferiùs ſemel atque iterum ait: *Spiritus ſanctus ab vtriſque.* Rurſus longè poſtea, in idem Chriſti teſtimonium, *De meo accipiet*, inquit: *Spiritus ſanctus, qui ex Patre & Filio, ſolus eſt dux veritatis.* Deinde Hæreſi 57. 62. 69. & 74. id repetit: *Spiritus ſanctus à Patre procedit, & à Filio accipit.* Nimirum vt idem exponit, *ex eadem eſſentia, ex eadem Deitate, ex Patre & Filio.* Cyrillus Hieroſolymit. ſimiliter Catechęſi 16. propiùs ad medium, quàm ad finem, inquit: *Pater dedit Filio, Filius autem tradit Spiritui ſancto.* Id verò probat: quoniam Matthæi 11. inquit Filius: *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo*: ac Ioannis 16. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Patet itaque, in hoc teſtimonio Chriſti ad literam tradi proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio, iuxta interpretationem communem Patrum Græcorum: quibus adiunge Gregorium Nyſſæ Antiſtitem lib. 1. contra Eunomium ſeorſim edito a Iacobo Grethſero, Ioannem Chryſoſtomum Tomo VI. Homil. quadam de Spiritu ſancto, cui initium, χθὲς ἡμῖν, ὦ φιλόχριστοι, Baſilium Magnum multis locis in Concilio Florentino examinatis, quæ videri poſſunt apud doctiſsimum Cardinalem Beſſarionem lib. de Proceſsione Spiritus ſancti, Emanuelem Calecam lib. de eadem re pro Latinis contra Græcos, & Demetrium Cydonem idem argumentum tractantem contra errorem Gentis ſuæ: vt omittam quæ circa idipſum obſervarunt ex Recentioribus Bellarminus Tomo I. lib. 2. de Chriſto cap. 20. & ſeqq. Ruiz diſp. 67. Petavius lib. 8. de Trinit. cap 3. & 5. ac Chriſtianus Lupus noviſsimè in Scholijs ad Synodum VIII. Generalem cap. 5.

25 VENIAMVS Ad Patres Latinos, qui non minùs perſpicuè in ijs verbis Chriſti exponunt proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio. Imprimis Ambroſius lib. 5. de Fide ad Gratianum cap. 6. prope initium, ait: *Non enim loquetur a ſemetipſo, ſed quæcumque audiet loquetur. Filius loquitur & Pater: quia vna ſententia & operatio Trinitatis eſt.* Verùm hæc coniũgere oportet cum ijs quę docet lib. 2. de Spiritu ſancto cap. 12. ſub initium dicens: *Præſcientiam habet omnium Dei Filius futurorũ. Quæ Filio cognita putas, ea de Filio Spiritus S. accipit. Accipit autẽ per vnitatem ſubſtantiæ, ſicut accepit à Patre Filius.* Quibus denotat S. Doct. verba illa, *De meo accipiet*, ita intelligi debere, vt Spiritus S. acceperit à Filio per vnitatem ſubſtantiæ quidquid habet, ſicuti Filius ipſe omnia ſua à Patre accipit. Subſcribunt eidem interpretationi Hilarius lib. 8. de Trinit. Leo Magnus Serm. 1. in Pentecoſtem, Beda in Commentarijs ad cap. 16. Ioannis, & Auguſtinus Tract. 99. in Ioannem prope finem inquiens: *A quo habet Filius, vt ſit Deus, ab illo habet vtique, VT ETIAM DE ILLO PROCEDAT SPIRITVS SANCTVS*: ac *per hoc Spiritus ſanctus, vt etiam de Filio procedat, ſicut procedit à Patre, ab ipſo habet Patre.* Præterea non minùs apertè lib. 3. contra Maximinum cap. 14. ſub initium inquit: *Qui talem Filium genuit, gignendo dedit, vt etiã de ipſo procedat Spiritus ſanctus.* Quæ verba vide-

videtur præ oculis habuiſſe Eugenius IV. dum in Concilio Florentino, in litteris Vnionis poſt medium dixit: * Quoniam omnia quæ Patris ſunt, ipſe Pater vnigenito Filio ſuo gignendo dedit, præter eſſe Patrem; hoc ipſum, quòd Spiritus ſanctus procedit ex Filio, ipſe Filius à Patre æternaliter habet, à quo æternaliter etiã genitus eſt. * Itaque de primo ad vltimum vel ex vno illo Scripturæ teſtimonio, quod hactenus explicuimus, colligitur manifeſtè proceſſio Spiritus ſancti ex Filio, ſicut ex Patre; idque non modò iuxta communem Latinorum ſenſum, ſed etiam Græcorum Patrum: vt pudeat Græculos poſteriores tritam maiorum ſuorum viam deſeruiſſe, & *velut agmine facto*, criminationibus atque opprobrijs Eccleſiam Latinam impugnaſſe.

26 VT Autem veritas ipſa illuſtrior appareat, poſſunt obijci nonnulla contra doctrinam ex Patribus traditã in hac ſectione. PRIMVM eſt, quòd licèt plerique Patrum, & cõmuniter Recentiores Interpretes intelligant verba illa Chriſti, *De meo accipiet*, vt æquivaleant his, *A me procedit*; alij tamen exponunt, ac ſi dicat, de mea ſcientia, de meis donis, ac meo nomine veniet, mea mandata exponẽs, & myſteria annuntians, verè quidem, & longè aliter, quàm pſeudoprophetæ, qui loquebantur à ſeipſis. Ita enim locum illum exponunt Chryſoſtomus Tomo 3. Homil. 3. de Spiritu ſanct. cui initium, *Heri à nobis*, atque ex ipſo Occumenius, Theophylactus, & Euthymius in cap. Ioan. 16. Non ergo opus eſt, vt intelligatur locus ille de proceſſione æterna Spiritus ſancti à Filio, ſed poteſt congruenter accipi de miſsione temporanea ad creaturas. SECVNDVM. Chriſtus D. in his verbis non ait, *De me accipiet*: ſed *de meo*. Ad hoc autem ſufficit vt accipiat de eſſentia Patris, quæ eſt eſſentia ipſius Filij. Non ergo exigitur vt accipiat ab ipſo Filio TERTIVM. Si id intelligeretur de æterna proceſsione, Chriſtus non diceret de Spiritu ſancto, *De meo accipiet*, ſed potiùs, *accipit*. Quippe proceſsio æterna præceſsit, nõ ſequetur. Cùm ergo dixerit de futuro, *accipiet*; non loquitur de proceſsione æterna, ſed de miſsione temporaria, quæ adhuc futura erat. QVARTVM Chriſtus eo loco agebat de teſtimonio, quod Spiritus ſanctus de ipſo redditurus erat & quo illum erat glorificaturus. Id verò oportebat eſſe omnibus conſpicuum ac manifeſtum. Tale autem non poterat eſſe intellectum de proceſsione æterna, quæ arcana eſt, & ſub cortina latet: ſed dumtaxat acceptum de proceſſione aut miſsione æterna, quæ fuit ſenſibilis, & toti mundo conſpicua. Ergo verba illa Chriſti non debent accipi de proceſsione æterna, & ad intra; ſed de miſsione temporanea, & ad extra.

37 CÆTERVM Hæ obiectiones nullatenus infirmant doctrinam traditam. AD I. Idem Chryſoſtomus loco indicato ſuprà n. 24. verba illa Chriſti accipit de proceſsione æterna Spiritus S. à Filio. Neque obſtat quòd alibi etiam illa accipiat de miſsione temporali: nam vtrumque cohæret optimè: immò & miſsio temporanea Spiritus ſancti ſupponit proceſsionem æternam perſonæ miſſæ à mittente: vt communiter Patres & Scholaſtici exponunt. Conſtatque præterea: quia in Evangelio nullibi legitur, vnam perſonam diuinam dare quidquam alteri, vel ab ea accipere, niſi accipiens procedat ſubſtantialiter à dante: ideoque nunquam legitur, Patrem à reliquis perſonis quidquam accepiſſe, ſed potiùs econtrà. Itaque verba illa Chriſti comprehendunt ſub adæquato & proprio ſenſu, tum æternam originem Spiritus ſancti ab ipſo, tum proceſsionẽ ſeu miſsionem temporaneam ad creaturas, apud quas Spiritus ipſe erat redditurus teſtimonium, & Filium ipſum glorificaturus. Et ſanè, vt Anſelmus initio ſectionis allegatus optimè obſervat, dum in ijs verbis perhibetur Spiritus ſanctus accipere ſcientiam à Filio, id ipſum de eſſentia intelligi debet, cùm hæc in Deo non differat à ſcientia. AD II. Quamvis Athanaſius loco num. 22. indicato legat, *Ex me accipiet*; meliùs communis lectio habet, *De meo accipiet*. Quod ad litteram reſpondet lectioni Græcæ: ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται. Nimirum, cùm Spiritus ſanct. non procedat à Patre & Filio tanquam à duobus principijs, ſed tanquam ab vno, vt cum Anſelmo obſervatum fuit ſect. 1. & ab Eccleſia Catholica definitum; oportuit dicere, *De meo accipiet*: vt denotaretur, Spiritum ſanct. procedere à Filio, non ratione filiationis, quâ differt à Patre; ſed ratione eſſentiæ communis, quam ipſe habet à Patre, veluti ſuam. Idque mirè conſonat reliquis ijs eiuſdem teſtimonij verbis: *Omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt.* Itaque ex obiectione ſolùm colligitur vnitas & indiviſio principij ſecundùm eandem eſſentiam & ſpirationem relatè ad Spiritum ſanctum, quam Catholicè profitemur. AD III. RESP. cum Auguſtino Tract 99. in Ioannem poſt medium: *In eo, quod ſempiternum eſt, ſine initio, & ſine fine; cuiuslibet temporis verbum ponatur, ſiue præteriti, ſiue præſentis, ſiue futuri; non mendaciter ponitur.* Verùm præter hanc communem, & ſanè ſufficientem rationem, adeſt alia: quoniam, vt ſuperiùs monuimus, verba illa Chriſti in tota ſua latitudine accepta comprehendunt etiam miſsionem Spiritus ſancti temporaneam ad Diſcipulos, quæ erat futura in die Pentecoſtes. Quare oportuit illam exponi per verbum *Accipiet*, de futuro. AD IV. Ipſa proceſsio Spiritus ſanct. ad

intra,

intra, quamvis arcana & recondita per ſe, manifeſtanda erat per ſenſibilem miſsionem ad Diſcipulos: quoniam, vt paulo antè monuimus in ſolut. ad 1. miſsio temporanea & exterior ſupponit originem æternam & intimam à perſona mittente. Vnde quemadmodum Chriſtus externis ſignis & miraculis oſtendebat ſuam à Patre originem intimam, & perſe arcanam: ita etiam proceſsionem æternam & occultam Spiritus S. ab ipſo teſtatam & manifeſtam voluit miſsione ipſius temporanea ad Diſcipulos.

SECTIO QVARTA.

Ex poſterioribus verbis eiuſdem teſtimonij, & alijs præterea Euangelij locis, demonſtratur multipliciter contra Græcos eadem veritas, iuxta ſenſum Anſelmi, & cæterorum Patrum. Euaſiones & obiectiones aliquot refutatæ. Plura in alium locum remiſſa.

28 SECVNDO Suadetur ex poſtremis illis verbis teſtimonij allegati: *Omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt. Propterea dixi, quia de meo accipiet.* Quod ipſum habet cap. 17. ſequenti Ioannis, ita alloquens Patrem: *Omnia mea, tua ſunt, & tua mea ſunt.* Similiter Mathæi 11. *Omnia mihi tradita ſunt a Patre meo.* Vnde Patres Eccleſiæ, omneſque Theologi, & cum ijs Eugenius IV. in Concilio Florentino, colligunt, totam eſſentiam, omniaque attributa, ſive omnes perfectiones abſolutas, & denique omnia indiſcriminatim eſſe communia Patri & Filio, excepto quòd alter ſit Pater, alter Filius. Quod expreſsit idem Eugenius optimè dicens: *Quoniam omnia, quæ Patris ſunt, ipſe Pater Vnigenito Filio ſuo gignendo dedit, præter eſſe Patrem.* Hinc autem manifeſtè deducitur, Patrem dediſſe Filio ſuo virtutem ſpirandi, ſeu producendi Spiritum ſanctum. Nam, vt effatum commune habet, exceptio regulæ firmat regulam in contrarium. Si ergo Pater omnia ſua Filio dedit, præter eſſe Patrem; dedit planè ipſi virtutem ſpirandi, ſive vt ſpirator ſit: nam eſſe ſpiratorem, propriè ac Theologicè loquendo, non eſt eſſe Patrem. Vnde ſtatim Pontifex poſt verba exſcripta, præmiſſa cauſali *quoniã*, infert: *Hoc ipſum, quod Spiritus ſanctus procedit ex Filio, ipſe Filius a Patre æternaliter habet, à quo æternaliter etiam genitus eſt.*

29 VRGETVR Et explanatur ampliùs ratio eadem: Quia Pater omnia ſua gignendo dedit vnigenito Filio ſuo, præter eſſe Patrem, demonſtratur planè, dediſſe ipſi eandem numero eſſentiam, ſapientiam, omnipotentiam, æternitatem, & omnes denique perfectiones abſolutas, propriaſque diuinitatis: prout ſuprà Diſp. LXXXV. oſtenſum fuit. Nam quãvis omnes illæ in re ſunt vnum & idem cum paternitate, ſive cum hoc quod eſt eſſe Patrẽ (vt definitum fuit in eodem Cõcilio Florentino ſeſs. 18. & 25. ac longè antea in Remenſi ſub Eugenio III. contra Gilbertum Porretanum, ſimiliterque in Lateranenſi ſub Innocentio III.) attamen ratione & conſideratione theologica, differunt: ac proinde locus eſt, vt Pater tribuens Filio eas omnes perfectiones, non dederit ei, vt ſit Pater. Atqui licèt eſſe Spiratorem in Patre, ſit vnum & idem reipſa, ac eſſe Patrem, nihilominùs ratione & conſideratione theologica differunt, vt patet. Pater enim in ordine ad Filium exprimitur. Spirator verò non in ordine ad Filium, ſed ad Spiritum ſanctum. Ergo pariter quia Pater omnia ſua gignendo dedit Vnigenito ſuo, præter eſſe Patrem, manifeſtè colligitur, dediſſe ipſi, vt Spirator ſit: ac proinde, vt in conſortio ipſius ſpiret, ſeu producat Spiritum ſanctum. Quod ex ijs Chriſti verbis longè ante Eugeniũ collegerunt Athanaſius Tomo I. in Epiſt. prior ad Serapionem, cui initium, *Admirabere*, ſub initium, & Dialogo 1. contra Macedoniũ, & Orat. 3. contra Arianos, ac Didymus lib. 2. de Spiritu ſancto inter med. & finem, Cyrillus Alexandrinus lib. 11. in Ioan. c. 2. & Dialogorum de Trinitat. lib. 6. col. 5. & 6. Cyrillus quoque alter, id eſt, Hieroſolymitanus Catecheſi 16 Ambroſius lib. 2. de Spiritu ſancto c. 12. Hilarius lib. 8 de Trinit. Leo Serm. 1. in Pentecoſtem c. 9. ac D. Thom. 4. contra Gent. cap. 24. §. 3. & Opuſculo 1. c. 32. §. 29. Quibus omnibus conſonat Magnus Auguſtinus, tũ verbis num. 25. exſcriptis, tum lib. 15. de Trinit. cap. 14 dum ait: *Filius eſt hoc omnino, quod Pater: non tamen Pater.* Cùm ergo Pater non ſolùm ſit Pater, ſed præterea Spirator; Filius etiam eſt Spirator. Quę ferè collectio eſt etiam apud Nazianzenum Oratione 49 de Fide propiùs ad medium quàm ad finem, Ambroſiũ lib. vnico de Filij Diuinitate cap. 6. circa medium, & Anſelmu in Proſlogio cap. 23. vbi alloquens Patrem æternum de Filio ſeu Verbo, inquit: *Etenim non poteſt aliud, quàm quod es, aut maius vel minus te eſſe in Verbo, quo teipſum dicis: quoniam Verbum tuum ſic eſt verũ quomodo tu verax. Et idcirco eſt ipſa veritas, ſicut tu: non alia, quàm tu &c.* Itaque excepto quòd alter ſit Pater, alter Filius, quidquid alter eſt, eſt etiam alter; & quidquid alter habet, ambo indiviſim habent. Cum ergo Pater, vltra rationẽ Patris habeat, vt ſit Spirator; Filius quoque indiviſim cum eo habet, vt Spirator ſit.

30 TERTIO Probatur ab Anſelmo eadem veritas in libro allegato de Proceſsione c. 7. cui initiũ *Conſideremus*, aliàs 9. iuxta editionem Gerber. ex verbis illis Chriſti Ioan. 14.

ver. 36. *Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo.* Et inſuper cap. 15 v. 26. *Cùm autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre.* Ex quibus patet, Spiritum ſanctum mitti à Patre, & à Filio; & quidem eadem miſsione, tanquam Spiritum vtriuſque proprium, vt ibidem fuſiùs exponit & probat S. Doctor ex verbis ipſis multiplicitèr expenſis. Non mittitur autem, niſi ab eo àquo procedit: nam miſsio temporanea ſupponit proceſsionem æternam perſonæ miſſæ à mittente. Ideoque Pater nunquam legitur miſsus, quia à nullo procedit: nec Filius à Spiritu ſancto, quia non procedit ab eo. Cùm ergo Spiritus ſanctus dicatur miſsus à Patre & Filio; neceſſariò ſupponi debet ipſius æterna proceſsio à Patre & Filio. Placet ex pluribus Anſelmi verbis eo loco, hæc exſcribere: *Quamobrem nimis difficile, immo impoſsibile eſt oſtendere, quomodo non procedat ab vtroque. Vnde enim eſt Filio ſimul cum Patre dare vel mittere Spiritum ſanctum, & hunc eſſe vtriuſque, ſi ſimul non eſt de vtroque? Cur enim magis dat Filius Spiritum ſanctum, quàm Spiritus ſanctus Filium? Aut cur magis Spiritus ſanctus eſt Filij, quã Filius Spiritus ſancti; niſi quia Filius non eſt ita de Patre ſimul & de Spiritu ſancto; ſicut Spiritus ſanctus eſt de Patre ſimul & de Filio? Si ergo Spiritus ſanctus non eſt de Filio; non datur à Filio, nec dicatur eſſe Filij: ſicut Filius non datur à Spiritu ſancto, nec dicitur eſſe Spiritus ſancti, quoniam non eſt de Spiritu ſancto.* Hæc & plura vrgentiſsima ibidem habet S. Doct.

31 SI Autem inquiras, cur miſsio perſonæ alicuius ſupponat eius proceſsionẽ à perſona mittente, hæc congruè reddi poteſt, quòd miſsio, prout abſtrahens à creata & increata, in ſua ratione formali importat collationẽ poteſtatis & authoritatis cuiuſdam, ac veluti motionẽ ad exequendam voluntatẽ mittentis. Eſt autẽ id diſcriminis, quòd inter creaturas nulla mittit aliã ſuo nomine, niſi quæ præcipit ipſi, tanquã ſuperior, vel ſaltem conſiliũ præbet, vt mandata deferat, vel exequatur aliquid. In divinis autem perſonis, cùm ſummè æquales ſint, ſolũ poteſt eſſe locus vt vna perſona mittatur ab alia, quatenus ab ea procedit, ac procedẽdo accipit eandẽ poteſtatem, authoritatẽ, conſiliũ, voluntatemque exequendi quod vult perſona producens & mittens. Hoc enim eſt veluti moveri & quaſi impelli ad mandata deferenda & exequenda. Quæ doctrina eſt cõmunis Theologor. cum Anſelmo loco nuper obſervato, & D. Tho. 1. p. q. 43 a. 1. & 2. ac Magiſt. in 1 diſt. 15. Vide ex Recentior. Ruiz diſp. 108. Vazq. diſp. 170. Suar. lib. 12. c. 1. & apud ipſos plurima Patrum teſtimonia pro eadem doctrina. Quibus adiunge Gregorium Magnum Homil. 26. in Evangelia non longè à principio dicentem: *Spiritus ſancti miſsio eſt ipſa proceſsio, qua de Patre procedit & Filio. Sicut itaque Spiritus mitti dicitur, quia procedit: ita & Filius, &c.* Præiverat verò Auguſtinus lib. 4. de Trinitate dicens, Filium mitti, eſſe Filium naſci; & Spiritum ſanctum mitti, eſſe Spiritum ſanctum procedere. Nazianzenus quoque Oratione 47. multò propiùs ad finem, quàm ad medium, monet verba illa, *Mittam vobis à Patre*, fuiſſe dicta, vt Chriſtus Dominus *propriam authoritatem oſtendat.* nimirum, quòd ille ſit author, ſine principium Spiritus ſancti. Id enim propriè ſignificat *authoritatis* nomen: vt docent communiter Patres, & Scholaſtici cum Magiſtro in 1. diſt. 9. cap. *Dicimus* & ſequenti, ac D. Thom. 1. p. quæſt. 33. art. 1. ad 2. & de Potentia q. 10. art. 1. ad 9. & ad 17. Ergo de primo ad vltimum, dum in ijs Evangelij verbis dicitur Spiritus ſanctus mitti à Filio, ſicut & à Patre, denotatur in vtroque authoritas principij relatè ad Spiritum ſanctum, veluti ab ambobus procedentem.

32 VNDE Iam præoccupata manet ac præcluſa Græcorum evaſio, aientium miſsionem Spiritus ſancti à Filio non debere accipi de interna proceſsione, ſive de emiſsione quoad ſubſtantiam & perſonam; ſed de externa per largitionem donorum. Præoccupata inquam, manet: quia in ijs verbis Chriſti, non tam creata dona, quàm perſona ipſa Spiritus ſancti dicitur mitti & dari à Filio. *Paraclitus autem*, inquit, *Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo.* Ac præterea: *Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre.* Vbi diſtinctè & perſpicuè miſsio cadit ſupra ipſam perſonam Spiritus ſancti prout diſtinctam à perſonis mittentibus Patris & Filij. Ergo non ſolùm externa & creata dona, ſed ipſa quoque perſona increata Spiritus ſancti quoad ſubſtantiam ſuam procedit à Patre & Filio.

33 DICES, Poſſe id commodè exponi abſque proceſsione interna & ſubſtantiali Spiritus ſancti à Filio, per hoc vt Chriſtus meruerit nobis non ſolũ gratiã & dona Spiritus S. ſed etiam vt perſona ipſius mittatur ad nos, veluti iuſtificans & conferens ea dona. SED Contrà. Iuxta hunc ſenſum, etiam Pater à Filio mitteretur. nam & Chriſtus meruit vt perſona Patris veniat, & manſionem faciat apud eos, quĩ diligunt eum: vt conſtat ex cap. 14. Ioannis v. 23. *Siquis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eũ veniemus, & manſionẽ apud eũ faciemus.* At qui Patrẽ à Filio mitti, inauditũ eſt in Scriptura, vt Patres omnes & Theologi obſervarunt. Vt

ergo

ergo verè dicatur, Spiritum S. mitti à Filio non ſufficit quòd hic meruerit miſſionẽ ſive adventum eius ad creaturas; ſed exigitur præterea, vt Spiritus ſanctus ab eo ſubſtantialiter procedat.

34 OPPONIT Sibi Anſelmus cap. 7. allegato, aliàs 9. Filius mittitur à Spiritu ſancto. Et tamen ab eo non procedit ſubſtantialiter. Ergo ex eo quòd Spiritus ſanctus mittatur à Filio, non colligitur quòd ab eo ſubſtantialiter procedat. Minor eſt certa ſecundũ fidem, iuxta illud Symboli S. Athanaſij *Filius à Patre ſolo eſt.* Maior autem probatur duplici teſtimonio Iſaiæ. Alterum habetur cap. 48. v. 16 *Et nunc Dominus Deus miſsit me & Spiritus eius.* Alterum cap 61. v. 1. *Spiritus Domini ſuper me, eò quòd vnxerit Dominus me: ad annuntiandum manſuetis miſsit me, vt mederer contritis corde.* Quibus verbis reſpondent quæ leguntur de Chriſto Lucæ 4. v. 17. *Et traditus eſt illi liber Iſaiæ Prophetæ. Et vt reuoluit librum, inuenit locum vbi ſcriptum erat: Spiritus Domini ſuper me: propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus miſsit me, ſanare contritos corde, &c. Hodie impleta eſt hæc Scriptura in auribus veſtris.* Ergo Spiritus ſanctus verè miſsit Chriſtum Dominum.

35 HVIC Obiectioni reſpondet ſtatim Anſelmus: *Hoc ſecundùm hominem quẽ gerebat, intelligendum eſt, qui Patris & Spiritus ſancti vna voluntate & diſpoſitione mundum redempturus in mundo apparuit.* Quæ ſolutio optima eſt. Etenim prædicta teſtimonia Iſaiæ non loquuntur de Filio Dei ſecundùm perſonam divinam; ſed penes humanam naturam, iuxta quam miſſus fuit ad redimendum mundum ea voluntate & diſpoſitione communi Patri ac Spiritui ſancto, immo & ipſi Filio, quatenus perſona eſt in eâdem cum ijs naturâ divinâ ſubſiſtens. Quippe cùm vna ſit ijs tribus natura, vna etiam voluntas, & diſpoſitio eſt in ordine ad quævis effecta. In Spiritu ſancto autem non eſt duplex natura, ſed vnica, ſicuti & perſona. Quare dum mitti dicitur à Filio, id de perſona ipſius ſubſiſtente in natura divina intelligi debet. Ergo ſupponenda neceſſariò eſt proceſsio ipſius æterna à Filio, vt ab eo mittatur.

36 CONFIRMAT Anſelmus argumentum præcedens: Quia Filius non vtcumque mittit Spiritũ S. ſed tanquã Spiritum ſuum, ſive ipſius Filij. At nequit eſſe Spiritus Filij, niſi ab hoc verè & ſubſtantialiter procedat. Ergo Spiritus ſanctus à Filio verè & ſubſtantialiter procedit. Maior propoſitio conſtat ex varijs Scripturæ locis: quale eſt illud Roman. 8. vt 9. *Vos autem in carne non eſtis, ſed in Spiritu; ſi tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Chriſti non habet, hic non eius.* Similiter ad Galatas 4 v. 6 dicitur: *Miſsit Deus Spiritum Filij ſui in corda veſtra, clamantem: Abba Pater.* Denique huc ſpectat, quòd ſæpe in Evangelio appellatur *SPIRITVS VERITATIS*: Chriſtus autem veritas eſt: ac proinde Spiritus ſanctus eſt Spiritus Chriſti. Quæ eſt conſideratio Cyrilli cum tota Synodo Alexandrina in Epiſtola quadam ad Neſtorium, relata inter Acta Synodorum Tertiæ & Quintæ Generalis: de qua plura in Diſputationibus ſequentibus. Ergo Spiritus ſanctus non vtcumque mittitur à Filio, ſed tanquam Spiritus ipſius Filij. Iam verò quòd nequeat eſſe aut dici propriè Spiritus Filij, niſi ſubſtantialiter ab eo procedat (quæ eſt aſſumptio ſyllogiſmi, in quo verſamur) probat Anſelmus latè in eo capite: quoniam excurrendo per varios ſenſus, in quibus fortè aliquis intelligere velit, Spiritum ſanctum eſſe Spiritum Filij, nullus demum invenitur legitimus, niſi quatenus ab eo procedit. Quare concludit: *Dicitur ergo Spiritus ſanctus Filij Spiritus, non ob aliud, niſi quia ex ipſo eſt.* Conſonat Auguſtinus Tract. 99. in Ioannem inter medium & finem, ex eodem capite probans, Spiritum ſanctum procedere, non ſolùm à Patre, ſed etiam à Filio. Propterea enim Filius dicitur Filius Patris, non autem Spiritus ſancti, quoniam procedit à Patre, non autem à Spiritu ſancto. Ipſe etiam divinus Spiritus appellatur *Spiritus Patris* Mathæi 10. v. 20. quia procedit à Patre. Vt ergo Spiritus ſanctus verè & propriè dicatur Spiritus Filij, debet pariter ab eo procedere. Hic enim modus loquẽdi inter perſonas divinas per caſum genitivi, denotat in ijs ordinem proficientis & producti, ex doctrina communi Theologorum, quæ videri poteſt apud Ruiz diſp. 9. ſect. 4. circa finem.

37 VRGETVR Ampliùs. Nequit enim Spiritus ſanctus in ſacris litteris appellari Spiritus Filij eo ſolùm quòd procedat ab eodem principio à quo proceedit Filius, nimirum à Patre; neque quia ſit ſimilis Filio, ſive eiuſdem naturæ cum ipſo. Alioqui enim Verbum appellari poſſet Filius Spiritus ſancti: quoniam & hic ab eodem illius principio procedit, & ambo ſimiles perfectè ſunt in eadem prorſus natura. Patet verò, contrariũ eſſe Scripturis & Patribus quòd Verbum dicatur Filius Spiritus ſancti. Ergo ſolùm dicitur Spiritus ſanctus eſſe Spiritus Filij, quoniam ab eo procedit. Lege plura circa idem argumentum apud Anſelmum loco allegato cap. 14 aliàs 21. cui initium, *Quamuis*, & D. Thomam 4. cont. Gentes cap. 24. initio,

48 PLVRA Alia Scripturæ loca ab eodem Anſelmo expenſa contra Græcos, prætermitto nunc vſque ad Commentarium illius libri: ſicuti & Græcorũ obiectiones, quæ profectò leves ſunt, & ibidem ſolventur. Rationem verò vrgentiſsimam vt Spiritus ſanctus procedat à Filio, quoniam alioquí non diſtinguereturreipſa ab illo, vide infrà Diſp. XCIII. latè tractatam ſect. 2. & 3. ad mentem Anſelmi. Quare ijs interim relictis, ad Diſputationes alias minùs tritas, & ad eandem rem ſpectantes, accedamus.

DISPVTATIO XCI.

IN QVO CONCILIO GENERALI, AVT PROVINCIALI, PRIMVM DEFINITA FVERIT PROCESSIO SPIRITVS S. EX FILIO.

AD ILLVSTRISSIMVM ET SAPIENTISSIMVM DOMINVM D FRANCISCVM RAMOS DEL MANZANO, Francorum Comitem, Caroli II. Hiſpaniarũ Regis Magiſtrum, & Conſiliarium in Supremis Senatibus Iuſtitiæ & Cameræ, atque olim Indiarum Prætorio Præfectum: Salmanticenſis Academiæ iam pridem in Iure Cæſareo Anteceſſorem Primarium, veriùs Oraculum Hiſpaniæ, & Exterarum Nationum, Scriptorem celeberrimum (inter alia Opera, cedro & immortalitate digna) Commentariorum ad Leges Iuliam & Papiam: in quibus incomparabilis eruditio, iudicij gravitas, & ſtyli ſublimitas, Auctori pene coæva, invicem certant, &c.

QVAMVIS Proceſsio Spiritus ſancti ex Filio fuerit definita in Concilijs Lateranenſi ſub Innocentio III. Lugdunenſi ſub Gregorio X. & tandem Florentino ſub Eugenio IV. non ſatis conſtat, an in aliquo ijs antiquiore, aut Generali, aut Prouinciali, fuerit decreta, & multò minùs quodnam illud ſit. Neque rem hanc ex profeſſo narrant Hiſtorici, aut diſcutiunt Scholiaſtæ Canciliorum, quamuis obiter aliquid indicent; multò autem minùs Theologi, præſertim Scholaſtici, quotquot videre licuit. Quare ad id veſtigandum nobis neceſſum fuit multorum dierum ſpatio, neſcio an & iactura, euoluere ſeriò omnia Conciliorum Acta, in quibus vtcumque ſermo eſt de Spiritus ſancti proceſsione; & quidquid ferè in Scholijs ad illa tradiderunt Interpretes in progreſſu alleganai, & Hiſtorici Eccleſiaſtici: vt ijs perſpectis coniectaremus quod vero ſimilius appareat. nam certè in multis opus eſt diuinandi. Ea verò omnia ſpectant ad ſcopum Operis noſtri, & capitis LIV. in quo verſamur, & inquirimus, vtrum antequam Sanct. Doctor proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio probaret contra Græcos in Concilio Barenſi, coram Vrbano II. res ipſa iam fuiſſet ab Eccleſia definita, necne.

SEC-

SECTIO PRIMA

Propoſitis rationibus dubitandi, excurritur per vndecim priora Concilia Generalia: & oſtenditur, in nullo eorum fuiſſe definitam proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio. Variæ aliorum opiniones reiectæ, & plura obſeruata ad hiſtoriam & chronologiam eorundem Conciliorum ſpectantia.

1 RATIO Præcipua dubitandi oritur ex varijs Concilijs Generalibus longè antiquioribus Lateranenſi ſub Innocentio III. in quibus videtur, Eccleſiam definijſſe Spiritus ſancti proceſsionem ex Filio. Ac primò quidem eruditiſsimus & graviſsimus Loayſa in Notis ad Concilium Tertium Toletanum, verbo *Item fides ſancta*, pagina 237. cenſet, illam fuiſſe definitam in Secunda Synodo Generali, id eſt, Conſtantinopolitana Prima, centum quinquaginta Patrum, quæ novum quoddammodo Symbolum edidit, ſupra Nicænum, ad confutandas hæreſes Macedonij, Apollinarij, & aliorum hæreticorum, qui infami nomine Pneumatomachi dicti ſunt, quòd adverſus Spiritum ſanctum pugnarent. Nititur teſtimonio S. Hieronymi in Symbolo cap. 9. & Tripartitæ cap. 16.

3 VERVM Refellitur hæc opinio: quoniam in nullo exemplari Græco aut Latino eius Synodi, ſive manuſcripto, ſive typis edito, inventum eſt hactenus verbum aliquod circa proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio. Id certè ſolùm habent exemplaria omnia, vt cùm in Symbolo Nicæno ſolùm fuiſſet dictum, καὶ εἰς τὸ πνεῦμα ἅγιον, *Et in Spiritum ſanctum*, id eſt, πιστεύομεν, *Credimus*, poſtea Patres Conſtantinopolitani Symbolo ſuo addiderint, ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον, *Ex Patre procedentem*. Solùm itaque in ea Synodo definita fuit proceſsio Spiritus ſancti ex Patre, quæ nondum expreſſa fuerat in Concilio, & Symbolo Nicæno CCC. XVIII. Patrum, quoniam, vt monet Sanct. Baſilius, & alij Patres, ibidem controverſia præcipua & pene vnica fuit cum Arianis circa ſolidam divinitatem Filij, quamvis indirectè & conſequenter etiam ad Spiritum ſanctum extenderetur. Nec Sanct. Hieronymus favet Loayſæ, cùm id Opuſculum non cenſeatur Sanct. Doctoris fœtus, ſed potiùs Pelagij Hæreſiarchæ ad Innocentium: vt palam oſtendit ſapientiſsimus ac pijſsimus Cardinalis Bellarminus aureo libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis verbo Hieronymus in criſi Tomi IX. allegato in eum ſcopum Sanct. Auguſtino libro de Gratia Chriſti cap. 30. & tribus ſequentibus. Deniqne quidquid dicemus contra aliorum opiniones, fortiùs, & vrgentiùs evertit prædictam Loayſæ coniecturam.

4 SECVNDA Ratio dubitandi eſſe poteſt circa Synodum III. Generalem, id eſt, Epheſinam, quæ coacta fuit anno Chriſti CD. XXX. ſub Cæleſtino Papa, Theodoſio Iuniore imperante. Etenim inter eius Acta habetur Epiſtola Sancti Cyrilli Epiſcopi cum toto Concilio Alexandrino ad Neſtorium, in qua de Spiritu ſancto dicitur: πνεῦμά ἐστι, καὶ οὐχ' υἱός. ἀλλ' ὅτι ἔστιν ὃν ἀλλότριον αὐτοῦ πνεῦμα γὰρ ἀληθείας ὠνόμασται, καὶ ἔστι χριστὸς ἡ ἀλήθεια. καὶ προχεῖται παρ' αὐτοῦ καθάπερ ἀμέλει καὶ ἐκ τοῦ Θεοῦ πατρός. id eſt: *Spiritus eſt, & non Filius; non eſt tamen ab eo alienus, quandoquidem Spiritus veritatis nominatur; Chriſtus autem veritas eſt: ſed & perinde quoque ab illo, atque à Deo Patre procedit.* Ita ad verbum habetur Græcè & Latinè iuxta editionem Pariſienſem Severini, Binij anni M. DC. XXXVI. qua vtor, pagina 212. Atqui ea Epiſtola non ſolùm habetur inter Acta eius Concilij, ſed poſtea ſimul cum alijs Synodicis eiuſdem Sanct. Cyrilli probata fuit triginta annis poſt in Quarta Synodo Generali, id eſt, Calchedonenſi, coacta ſub Sancto Leone Papa, & Martiano Auguſto, anno CD. LI. Actione quinta in poſteriori definitione Fidei, quæ habetur in eadem additione Binij Tomo III. pagina 339. *Præterea* In Sexta Synodo Generali, id eſt, Conſtantinopolit. III. ſub Sancto Agathone Papa, & Conſtantino Pogonato Imperatore, anno DC. LXXX. Actione decima octava probatæ iterum fuerunt eædem Epiſtolæ Synodicæ Sanct. Cyrilli. Cùm igitur in ea, cuius verba nuper exſcripſimus, videatur palam tradere proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio, quemadmodum & ex Patre; id iam cenſeri debet tunc fuiſſe ab Eccleſia definitum. Quare Baronius ad prædictum anum DC. LXXX. cenſet à Sancto Agathone Papa fuiſſe eam controverſiam definitam. Alij verò indicant id factum longè antea in Concilio Calchedonenſi, quatenus probavit eam Epiſtolam S. Cyrilli.

5 VERVM Hæc opinio doctiſsimi Cardinalis, & aliorum, difficilis eſt multiplici ex capite. PRIMO: Quia in verbis allegatæ Epiſtolæ ſolùm habetur Græcè de Spiritu ſancto relatè ad Filium: καὶ προχεῖται παρ' αὐτοῦ, id eſt, *Et effunditur ab eo.* Nec refert quòd Binius, vel quivis alius Interpres in

columna oppoſita verterit: *Et procedit ab eo.* Hoc enim non reſpondet Græcis exemplaribus, quotquot extant. Neque obſtat quòd Peltanus dicatur alium codicem inveniſſe, in quo Græcè exprimeretur proceſsio Spiritus ſanct. à Filio, ſicut à Patre, In oppoſitum enim eſt, maiorem fidem deberi cæteris exemplaribus, quibus tota Eccleſia vtitur, quàm vni ſoli. Quod ipſum confirmo: quia etiam in Synodo V. Generali Collat. ſexta lõgè poſt medium pag. 271. editionis Binij, vbi iterum exſcribitur eadem Epiſt. S. Cyrilli, ſolùm habetur Latinè: *Et effunditur ab eo.* Hæc igitur lectio præferenda eſt. Porrò Spiritum ſanctum à Filio effundi, poteſt non incommodè vſurpari & ſolet in ſacris litteris de miſsione ad creaturas: vt vidimus Diſp. LXXXIX. n. 22. & poſtea dicemus ſectione ſequenti: atque adeò quãvis illa Epiſt. S. Cyrilli eſſet probata ab ijs Concilijs non ſolùm generatim, ſed ſpeciatim quoad omnia & ſingula in ea contenta; non ideo προβολὴν, ſeu proceſsio ad intra Spiritus ſanct. à Filio deberet certò definita cenſeri.

6 SECVNDO. Diſplicet: Quia Concilia generalia non definiunt (certè non ſolent definire) niſi controverſias de quibus in ijs diſputatur: vt præmiſſo accurato examine ſacræ Scripturæ, Conciliorum præcedentium, & doctrinæ SS Patrum, auditis partibus & implorata Spiritus ſanct. ope, decernatur quod antea ſub lite erat. Atqui in nullo ex ſex primis Generalibus Concilijs, neque in ipſorum Actis, neque in Hiſtoricis eorum temporum, legitur vnquam controverſia excitata, An Spiritus ſanctus procedat ex Filio: multò autem minùs examinatum quid circa illam habeatur ex ſacris litteris, aut Concilijs præcedentibus, aut Patribus: nec Baronius, aut alij, vllum ea de re teſtimonium fidedignum proferunt. Ergo quamvis ea Concilia probaverint generatim Epiſtolam illam Sancti Cyrilli, & in ea haberetur palam proceſsio Spiritus ſancti ex Filio (quæ tamen non habetur, vt nuper vidimus) non propterea illa deberet cenſeri definita.

7 TERTIO: Quoniam approbatio Epiſtolarum S. Cyrilli in ijs Concilijs ſolùm fuit quoad præcipuam doctrinam in ijs contentam, & ad novem Anathematiſmos poſtea redactam, adverſus impiiſſimum Neſtorium, diſtinguentem in Chriſto duas perſonas, alteram divinam, humanam alteram, quamvis mirabiliter vnitas; & aſſerentem, Virginem Mariam non eſſe Theotocon, id eſt, Deiparam, ſed Chriſtotocon, id eſt Chriſtiparam. Quare in Calchedonenſi Synodo lectâ Epiſtolâ pacificatoriâ S. Cyrilli ad Ioannem Antiochiæ Patriarcham, duas in eadem Chriſti perſona plenas naturas tradentis, omnes Illyricianæ diœceſeos Epiſcopi alta voce dixerunt: *Sic credimus, ſicut & Cyrillus. Cyrilli æterna memoria.* Tunc verò ne verbum quidem fuit circa proceſsionem Spiritus ſancti. Vide Chriſtianum Lupum in Appendice ad eam Synodum pagina 902. Similiter nec in Epheſina Synodo, cui præfuerat idem Cyrillus anno CD. XXX. & in qua tractabantur res Neſtorij, ſubindeque ſequacium ipſius, inter quos tunc maximè notabatur Theodoretus, quidquam ea de re diſputatum aut definitum legitur. Nec in Anathematiſmis S. Cyrilli contra ipſum Neſtorium aliquid continetur, quod eò ſpectet, vt in ipſis legere eſt parte prima eiuſdem Concilij cap. 26. & 27. apud Binium pag. 213. & 218. ſimiliterque apud Baronium ad annum CD. XXX. & Lupum in Scholijs ad eam Synodum, vbi & ijs alios Neſtorij Anathematiſmos inanes ac blaſphemiæ plenos contraponit. Ergo approbatio Epiſtolarum Sancti Cyrilli teſtata poſtea in Concilio Calchedonenſi, & in nonnullis alijs, ſolùm debet intelligi quoad doctrinam traditam ab ipſo contra Neſtorium, & in Concilio Epheſino maturè diſcuſſam; non verò quoad proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio, quam Cyrillus in nulla illarum docuit, aut ſolùm obiter & ſubobſcurè indicavit, quæque in nullo ex ijs Concilijs examinata aut memorata legitur.

8 QVARTO: Quia approbatio Operum alicuius ex Patribus, facta ab Eccleſia, etiam intra Concilium Generale, non cenſetur extendi ad omnia & ſingula in ijs contenta, tanquam ea habenda ſint certa ſecundùm fidem: vt latè & ex communi Theologorum ſenſu probavimus Tomo I. Diſp. II. ſect. 5. & ſequent. docetque ex profeſſo Hiſpanus Salomon, huius olim Academiæ Oraculũ, & eximiũ Veteris Collegij D. Bartholomæi decus, Alphonſus Toſtatus in Defenſorio parte ſecunda cap. 81. & ſequent. Etenim Gelaſius Papa in Concilio I. Romano cuſtodienda & recipienda decernit Opuſcula omnium ferè Sanctorum Patrum, qui eouſque præceſſerant, indicatis ſingulorum nominibus. Similiterque Quinta Synodus Generalis, aliàs II. Conſtantinopolit. ſub Vigilio Papa & Iuſtiniano Imperatore coacta anno D. LV. Collatione tertia ait: *Super hæc ſequimur per omnia ſanctos Patres & Doctores Eccleſiæ, Athanaſium, Hilarium, Baſilium, Gregorium Theologum, Gregorium Nyſſenum, Ambroſium, Auguſtinum, Theophilũ, Ioannẽ Conſtantinopolitanũ Cyrillũ, Leonem, Proculum.* Ecce vbi Synodus ipſa teſtatur, ſe Patres prædictos ſequi *per omnia*. Quomodo autem

rem per omnia, ſiquidem ipſi Patres ſæpe diviſi ſunt in opiniones contrarias aut contradictorias, etiam circa ſenſum litteralem Scripturæ: duo autem cõtraria aut contradictoria nequeũt eſſe ſimul vera, aut digna aſſenſu Catholicæ Eccleſiæ. Quæ eſt conſideratio laudati Abulenſis. Huic verò difficultati occurrunt verba immediatè ſequentia eiuſdẽ Synodi: *ET SVSCIPIMVS OMNIA, QVÆ DE RECTA FIDE, ET CONDEMNATIONE HÆRETICORVM EXPOSVERVNT.* Itaque per approbationem illam generatim datam, nõ omnia & ſingula à SS. Doctoribus tradita probantur, veluti certa ſecundùm fidem: ſed illa dumtaxat, quæ conſtat ab ijs ſcripta fuiſſe de recta fide & condemnatione hæreticorum: nimirum, ea in quibus continetur doctrina fideĩ tradita & ritè definita ab Eccleſia contra hæreticos. Cæterum reliqua, quæ aliorſum ſpectant, & ab Eccleſia nondum controverſa aut definita ſunt, obtinent aliud genus approbationis longè inferius & à nobis eo loco latè explicatum. Ergo dato quòd S. Cyrillus in illa Epiſt. Synodica obiter expreſsè docuiſſet, Spiritum ſanct. procedere ex Filio; dum tamen conſtat eam rem non fuiſſe in ijs Concilijs examinatam, nec definitam in ſpecie ab Eccleſia, approbatio illius veluti in genere non convincit, vt proceſſio ipſa in ijs definitam cenſeatur.

9 CONFIRMATVR Ratio eadem: Quia vt omnes particulæ illius Epiſtolæ cenſeantur definitæ tunc ab Eccleſia, debuiſſet illa probari ſimili formula, ac Epiſt. S. Leonis Papę ad Flavianum Patriarcham Conſtantinop. de qua inquit Gelaſius Papa vbi ſupra: *Item* (probamus) *Epiſtolam B. Leonis Papæ ad Flavianum CP. Epiſcopum deſtinatam: CVIVS TEXTVM QVISPIAM SIVSQVE AD VNVM IOTA DISPVTAVERIT, ET NON EAM IN OMNIBVS VENERABILITER RECEPERIT, ANATHEMA SIT.* Nec mirum ita decreverit Gelaſius, & tantam venerationem eidem Epiſt. conciliaverit: vtpotè circa quam plura divinitus accidiſſe memorantur in Prato Spirituali cap. 147. & 148. dum S. Leo illam ſcriberet: ideoque ſtatim à tota Eccleſia ſummis laudibus excepta fuit, & à Synodo Calchedonenſi probata Actione ſexta. Quin & teſtante id codice pervetuſto S. Mariæ ad Martyres apud Baroniũ anno Chriſti CD. XLIX. mos fuit Romanæ Eccleſiæ, aliarumque Occidentalium, eandem legere publicè in Eccleſia menſe Decembri ante Dominicam Nativitatem: quoniam in illa continetur & exponitur mirè abſolutiſsima Incarnationis Verbi doctrina. Itaque talis & tantus honos delatus fuit à tota Eccleſia illi Epiſt. antequam Gelaſius Papa ſub formula adeò inſolita vſque ad apices illam approbaret. Cùm igitur Epiſtola illa S. Cyrilli non fuerit à Romano Pontifice, nec ab ijs Concilijs probata ſub ſimili formula, ſed generatim ſolùm; cenſeri non debet, definitam tunc fuiſſe proceſsionem Spiritus ſanct. ex Filio, dato quòd in ea obiter & expreſsè traderetur.

10 DENIQVE Quod ait Baronius loco indiacto numero 4. id definitum fuiſſe à Sancto Agathone Papa in Concilio ſexto Generali, reijcitur. Vel enim ideo eſſet, quia in ea Synodo Actione decima octava, probantur Epiſtolæ S. Cyrilli; & hoc iam relinquimus confutatum: vel quoniam tunc Agatho expreſsè definierit proceſsionem Spiritus ſanctĩ à Filio. At hoc nullo firmo teſtimonio probatur. Quin potiùs in Symbolo prolato ab ea Synodo apud Binium Tomo V. pag. 257. ſolùm exprimitur formula credendi in Spiritum ſanctum, ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον, *ex Patre procedentem*, & nihil præterea. Non ergo in Synodo Sexta Generali id definitum fuit.

11 TERTIA Ratio dubitandi eſſe poteſt circa Concilium Romanum à Damaſo Papa celebratum, in quo probavit Acta Secundæ Synodi Generalis, id eſt, Conſtantinopolitanæ I. Nimirum, in illo ipſo proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio definitam volunt ab ipſo Damaſo, Emanuel Calecas libro adverſus Græcos, Joſephus Methones, alijque quos allegant Noſter Genebrardus lib. 3. de Trinitate, & Staniſlaus Socolovius in Annotationibus ad cap. 1. Cenſuræ Orientalis. Verùm hanc exiſtimationem falſam eſſe, & omni ſolido fundamento carere oſtendemus Diſp. ſequenti numero 10. & ſequentibus: conſtabitque præterea ex dicendis ſtatim. nam quæ ſuperſunt dicenda, vrgentiùs exturbant opiniones præcedentes, quàm ſequentes.

12 IDEO Alij iudicant, aut ſuſpicantur, id definitum fuiſſe in Septima Synodo Generali, id eſt, Nicæna Secunda, coacta anno Chriſti DCC. LXXXII. ſub Adriano I. Papa, imperantibus Cõſtantino, eiuſque matre Irene. Nam ibidem Actione ſeptima in Symbolo legitur addita particula *FILIOQVE*, quâ exprimitur proceſsio Spiritus S. ab illo, iuxta illud vetuſtiſsimum exemplar quod ſe vidiſſe teſtatus fuit Andræas Theologus Latinæ Eccleſiæ coram Patribus Florentini Concilij.

13 SED Enim id refellitur triplicĩ ex capite. *Primò* enim alia omnia exemplaria Græca ſunt in oppoſitum, & illud nominatim quod ibidem habetur in Symbolo ex editione Binij Tomo V. nuper allegato pag. 812. vbi ſolùm legitur, ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον,

ex Patre procedentem; quamvis ipſe Binius in columna oppoſita Latinè expreſſerit, *Qui ex Patre Filioque procedit*. Potior verò & amplior fides habenda eſt, cæteris paribus, lectioni omnium ferè exemplarium, quàm vnius dũtaxat. Nec facile fuit Græcis tot exemplaria eius Synodi apud Latinos extantia corrumpere, quidquid conqueſtus fuerit Iulianus S. R. E. Cardinalis in Concilio ipſo Florentino, allegatus à Baronio. *Secundo*: quoniam in Actis eius Synodi nulla legitur orta circa hoc controverſia: ſed totum pene diſſidium fuit circa cultum ſacrarum Imaginum. *Tertiò* denique & potiſsimùm obſtat, quòd viginti circiter annis poſt eam Synodum Leo Papa III. in lamina argentea exaravit Symbolum Conſtantinopolitanum ſine particula *Filioque*. illamque collocavit Romæ poſt Altare S. Petri ad perpetuam rei memoriam: vt teſtatur Magiſter Sententiarum in 1. diſt. 11. cap. 2. Non ergo paucis antè annis in Synodo VII. Generali addita fuerat particula illa Symbolo Neque enim putari debet Summum Pontificem deleviſſe quod paulo antè Oecumenica Synodus ſcripſerat, & definierat veluti fide certum.

14 QVAPROPTER Non deerunt fortè qui velint, eam controverſiam fuiſſe tandem definitam in Synodo VIII. Generali, id eſt Conſtant. IV. anno Chriſti DCCCLXIX. ſub Adriano II. Papa, imperante Baſilio Auguſto: quæ coacta fuit occaſione ſchiſmatis inducti à Photio, qui contra ius & fas, ac non per oſtium, ſed aliunde, in cathedram Patriarchalem CP. aſcenderat, & totum pene orbẽ Chriſtianum conturbaverat, pulſo ac procul relegato Ignatio, viro optimo, & legitimo Præſule: propterea quæ in eâdem Synodo can. 4. dicitur contra illum: *Amorem principatus, vtpote quandam malam radicem exortorum in Eccleſia ſcandalorum radicitus excidentes, eum, qui temerè & præuaricatoriè, ac irregulariter velati quidam grauis lupus in Chriſti ouile inſiliit, Photium, ſcilicet, qui mille tumultibus & turbationibus orbem terræ repleuit, iuſto decreto damnamus, &c.* Is verò, inter alias calumnias, inde potiſsimùm Eccleſiam Latinam criminabatur, quòd in ea traderetur Spiritus ſancti ex Filio proceſsio. Cùm ergo propter eas calumnias, & alia ſcelera, damnatus fuerit in ea Synodo, atque anathemate inuſtus, videtur ſiniſtram eius opinionem de Spiritus ſanct. proceſsione ex ſolo Patre, damnatam pariter fuiſſe.

15 CÆTERVM Nec in ea Synodo invenio quidquam circa hanc controverſiam tractatum, vel definitum, inter omnes viginti ſeptem canones illius, iuxta verſionem Anaſtaſij Bibliothecarij; nec inter quatuordecim iuxta exemplaria Græca, quorum ſummam noviſsimè prætringit Caballutius in Notis ad eam Synodum, pag. 532. & ſeqq. Illorum plerique editi ſunt contra prædictum Photium; nec in ijs legitur quidquam tractatum, diſputatum, aut definitum circa proceſsionem Spiritus ſanct. ex Filio, aut circa calumniam illam peculiarem Photij contra Latinos ea de re. Mirto Synodum erraticam, ſeu conciliabulum ab ipſo coactum: quod Schiſmatici Græci, lutum pro auro venditantes, auſi ſunt appellare VIII. Synodum Generalem Sive enim in illo res hæc tractata fuerit ab ipſis Schiſmaticis, ſive non, nihil refert ad noſtram controverſiam. Quin etiam adhuc in vera & legitima Synodo Octava, de qua nuper agebamus, nondum fuiſſe additam Symbolo particulam *Filioque*, conſtat ex teſtimonio Andreæ Rhodiorum Epiſcopi in Concilio Florentino ſeſſ. 7. aientis, Patres occidentales in eadem Synodo Octava ad Græcos dixiſſe: *Nos ita legimus & credimus, vt & Vos, abſque vlla additione Symbolum ſanctum, vt ita ſe habens ſit verè Symbolum veræ fidei: ſed & eos qui addunt aut detrahunt aliquid, anathematizamus.* Vnde duo inferuntur, maximè in rem noſtram. Alterum, ſiqua diſputatio in eo Concilio habita eſt, illam non fuiſſe circa proceſsionem Spiritus ſancti, quæ ibidem non legitur tractata; ſed circa additionem particulæ *Filioque* ad Symbolum: de qua latè Diſp. ſequenti. Alterum eſt, in nulla ex Synodis ſeptem Generalibus præcedentibus fuiſſe ab Eccleſia ſtatutam eam additionem: quidquid Baronius & alij ex ſupra memoratis voluerint. Nam alioqui, quo auſu Patres Occidentales Octavæ & legitimæ Synodi anathematizaſſent quoſlibet addentes eam particulam?

16 DEINDE Nulla etiam de hac re diſputatio aut definitio legitur in Concilio IX. Generali, aliàs I. Lateranenſi ſub Calixto II. Papa, imperante Henrico II. anno Chriſti M. C. XXII. vt patet ex illius Actis, & ex Hiſtoricis illius temporis. Lege Caballutium in Notis ad illud cap. 84. Idem dicendum de Concilio X. Generali, aliàs II. Lateranenſi ſub Innocentio II. & de XI. Generali, aliàs Lateranenſi III. ſub Alexandro III. In nullo enim eorum invenio quidquam de hac controverſia ab Eccleſia Catholica definitum. Vnde demum, & maximè ad noſtrum inſtitutum, colligitur, eo tempore quo S. Anſelmus diſputavit contra Græcos in Concilio Barenſi coram Vrbano II. Papa, id eſt, anno Chriſti milleſimo nonageſimo octavo, proceſsionem Spiritus ſanct. à Filio, nondum fuiſſe ab Eccleſia in aliquo Generali Cõcilio definitã: cùm adhuc in Nono, Decimo, & Vndecimo, quæ duo

cele-

celebrata ſunt pluribus annis poſt obitum S. Doctoris, nondum definita inveniatur.

SECTIO SECVNDA.

In quo tandem Concilio Generali primùm fuerit id definitum, & qualiter in ſequentibus confirmatum. Nonnullæ difficultates in oppoſitum obiectæ, & ſolutæ.

17 EXPLOSIS Itaque aliorum opinionibus, cenſeo, proceſsionem Spiritus S. ex Filio, in nullo alio Generali Concilio priùs definitam fuiſſe quàm in Duodecimo, id eſt, Lateranenſi IV. ſub Innocentio III. Papa, anno milleſsimo ducenteſsimo octavo, vt teſtatur Abbas Vſpergenſis, vel quinto decimo, vt alij malunt. Nimirum in eo congregati fuerunt Epiſcopi quadringenti duodecim, tum Latini, tum Græci, & in his Patriarcha Conſtantinop. & Hieroſolym. nam Alexandrinus & Antiochenus, quòd impediti eſſent, Aprocriſiarios miſerunt, ſicuti & Imperatores Orientis & Occidentis, alique Principes eò Legatos ſuos mittendos curârunt. Itaque in ea Synodo Magna, ex communi conſenſu Latinorum Græcorumque definita fuit proceſsio Spiritûs ſancti ex Filio, ſicuti ex Patre: prout conſtat ex ipſius Actis cap. 1. & 4. Vnde & in cap. *Firmiter* de Summa Trinit. & Fide Cathol. ſub initium, iuxta definitionem eiuſdem Concilij dicitur: *Filius à Patre ſolo, ac Spiritus ſanctus pariter ab vtroque.*

18 POSTEA In Concilio XIII. Generali, aliàs Lugdunenſi I. ſub Innocentio IV. præſente Balduino II. Orientis Imperatore, anno milleſsimo ducenteſsimo quadrageſimo quinto, nihil de hac re videtur tractatum. ſed ſolùm in Concilio XIV. Generali, aliàs Lugdunenſi II. ſub Gregorio X. Papa viginti novem annis poſtea, id eſt, Chriſti M.CC.LXXIV. Adfuit Pontifex ipſe cum quingentis Epiſcopis ex toto Orbe Chriſtiano confluentibus, atque vtroque Patriarcha, Conſtantinop. & Antiocheno, & Legatis Michaelis Palæologi Imperatoris Orientis. Tunc verò præcinente Summo Pontifice, decantatum fuit à Cardinalibus, cæteriſque Patribus Latinis, Symbolum Latinè cum particula *Filioque*, mox Græcè à Patriarcha Cõſtantinop. ſuccinentibus cæteris Græcis cum eadem additione. Verba autem definitionis ea de re tranſmiſſæ ad totum Orientem & Occidentem iam exſcripſimus Diſp. præced. n. 9. nec repetere opus eſt.

19 QVAMVIS Verò plerique eorum Patrum, aut etiam ferè omnes, & ipſe Imperator Michael, eam veritatem conſtanter retinuerint vſque ad ſupremum vitæ ſpiritum, multi ex Græcis ad ingenium ſuum redierunt, & negare auſi ſunt proceſsionem Spiritûs ſancti ex Filio. Quare in XV. Concilio Generali ſub Eugenio IV. eadem controverſia ſuſcitata fuit, primùm Ferrariæ, & poſtea Florentiæ, inter Latinos & Græcos, anno M.CD.XXXVIII. Adfuit ibidem cum Summo Pontifice Ioannes Palæologus Imperator Orientis, & Ioſephus Patriarcha CP. cum ampliſsimo comitatu Epiſcoporum Orientalium, præter Occidentales. Exagitata fuit præcipuè diſputatio circa proceſsionem Spiritûs S. ex Filio, ſenis Theologis ex parte Latinorum, & totidem ex parte Græcorũ delectis ad diſſerendum, iiſque in medio Concilij poſitis, quorum vnus ex altera parte proponebat, alter que ex adverſa reſpondebat. Aderant præterea Notarij, qui fideliter exciperent, & ſcripto conſignarent Græcè & Latinè quidquid pro vnaquaque parte dicebatur. In hac potiſsimùm diſputatione fluxit magna pars anni apud Ferrariam, donec ingruente epidemia Synodus Florentiam tranſlata fuit: vbi evolutis præterea ſpatio quatuor menſium codicibus Conciliorum & Patrum, ac relectis diſputationibus Ferrariæ habitis, tandem Græci omnes (excepto Marco Epheſio) cum Latinis convenerunt nonis Iulij anno M.CD.XXXIX. edito communi decreto Latinè & Græcè, quo proceſsio Spiritus ſancti *ex Patre Filioque* ſolemniſsimè, & ingenti omnium lætitia, fuit definita.

20 CÆTERVM Poſtea Græci populares, & nonnulli ex ijs, qui eruditi audiebant, præeunte Marco Epheſio iam memorato, ad vomitum reverſi ſunt, & in ea hæreſi perſtiterunt, donec intra paucos annos, id eſt, quatuordecim, imperante Conſtantino Palæologo, ipſa die Spiritui ſancto ſacra, in pœnam eius ſceleris capta fuit Conſtantinopolis à Mahumeto Turcarum Imperatore, Amurathis filio, prout ijs prædixerat Nicolaus Papa V. adducta illa parabola Evangelica ficûs triennio excultæ, & iuſſu Dei ob ſterilitatem exciſæ. Qui verò Græci è Patribus Florentinis ſuperſtites erant, Gentis ſuæ ac Marci Epheſij errorem doctiſsimè confutârunt: præſertim Cardinalis Beſſarion, Epiſcopus Nicænus, Iſidorus Archiep. Theſſalon. Ioſephus Methonenſis Epiſc. & Gregorius Hieromonachus, qui poſtea Ioſepho Patriarchæ CP. ſucceſsit.

21 EX Dictis videtur ſatis probabiliter conſtare, proceſsionem Spiritus S. ex Filio, in nullo Concilio Generali fuiſſe ab Eccleſia definitam ante Duodecimum, id eſt, Lateranenſe ſub Innocentio III quamvis omnes Patres Græci, aut ferè omnes longè antea, ſicuti & Latini, eandem doctrinam tradidiſſent: vt fusè oſtendemus Tomo III. in Commentarijs

ad

ad librum Anſelmi de Proceſsione Spiritus ſancti contra Græcos.

22 OBIICIES Contra ea, quæ hactenus diximus. Synodus V. Generalis, id eſt, Conſtantinop II. collat. 6. longè poſt medium, non ſolùm approbat Epiſtolam illam Synodicam S. Cyrilli ſuprà memoratam, in qua docet, Spiritum ſanctum procedere à Filio, ſicut à Patre; ſed etiam refert illius exemplar. Ergo videtur totam illam probare quoad omnia & ſingula in ea contenta. Deinde verò Canone XII. anathematizat defendentes ea, quæ Theodoretus Cyri Epiſcopus ſcripſit contra duodecim Capitula eiuſdem Cyrilli, contenta in eâdem Epiſtola. Inter ea verò, quæ Theodoretus ſcripſit contra Capitula Cyrilli, habetur proceſsio Spiritûs S. ex ſolo Patre. Nimirum, Cyrillus Anathem. nono Spiritum ſanctum dixerat ἴδιον τοῦ υἱοῦ πνεῦμα, id eſt, *proprium Filij Spiritum.* Theodoretus verò ſic in oppoſitum ſcripſit: † Proprium Spiritum Filij, ſiquidem vt eiuſdem naturæ, & à Patre procedentem dixit (Cyrillus) ſimul & nos confitemur, & vt piam vocem amplexamur. Si verò tanquam ex Filio, vel per Filium ſuam habere eſſentiam dicit; vt blaſphemiam hanc, & ſicut impiam abijcimus. & Ergo Synodus illa Generalis anathematizat defendentes proceſsionem Spiritus ſancti ex ſolo Patre; atque adeò definit, virtute ſaltem, aut æquivalenter, proceſsionem illius pariter à Filio. Ita poſſet quiſquam arguere ex Ruiz diſput. 67. ſect. 4 num. 4.

23 RESP. Epiſtolam illam S. Cyrilli referri eo loco à V. Synodo Generali, & probari quidem quoad omnia ea, quæ iuxta illam controverſa & definita ſunt in Synodo III. Generali, id eſt, Epheſina, adverſus Neſtorium; ideſt, quoad duodecim Capitula eiuſdem Cyrilli, quæ ſingillatim exprimuntur ad finem eiuſdem Epiſtolæ. In his verò ne verbum quidem habetur circa proceſsionem Spiritûs ſancti; nec in aliquo eorum Conciliorum vlla de hoc diſputatio fuit, quamvis alioqui Neſtorius, & cum ipſo Theodoretus, errarent negantes, Spiritum ſanctum ex Filio procedere. Quare approbatio eiuſdem Epiſtolæ non videtur cadere ſingillatim, ac per modum Catholicæ definitionis, ſupra particulam illam, in qua obiter indicat Cyrillus, Spiritum S. etiam ex Filio procedere. Dixi *indicat*. nam, vt ſuprà monui n. 14. in exemplaribus Græcis eius Epiſtolæ non dicitur Spiritus ſanctus ex Filio *procedere*, ſed *effundi*. Immò & loco ipſo Quintæ Synodi allegato in obiectione, id eſt Collatione ſexta longè poſt medium pag. 271. colum. 2. editionis Binij ita habetur Latinè: *Et effunditur ab eo, ſicut & ex Deo & Patre.* Verbum autem προχεῖται, ſive *effunditur*, poteſt congruenter accipi de miſsione ad creaturas: vt ex plurimis locis Scripturæ conſtat, in quibus dicitur Deus effundere ad homines Spiritum ſuum. Quare adhuc ex ijs Epiſtolæ verbis non evincitur manifeſtè προβολὴ, ſeu proceſsio ad intra Spiritus ſancti à Filio, quantumvis apertè Cyrillus eam tradiderit alijs locis, quod non nego; immo quamvis illa apertè ex varijs teſtimonijs Scripturæ colligatur. Quin & Collatione eâdem ſexta ſex columnis ante finem, id eſt pagina 276. in Symbolo CL. Patrum, quo eadem V. Synodus exprimit formulam credendi, ſolùm dicitur: *Et in Spiritum ſanctum Dominum, & Viuificatorem, EX PATRE PROCEDENTEM.* Si autem in ea Synodo, vel alia ex Generalibus præcedentibus, fuiſſet definita proceſsio Spiritus S. ex Filio; profectò id quoque fuiſſet expreſſum in eodem Symbolo Fidei. Quæ ratio videtur pariter evincere, in nullo Concilio Generali ſaltem vſque ad Duodecimum, id eſt, Lateranenſe IV. vel Quartum decimum, id eſt, Lugdunenſe II. fuiſſe id definitum: quoniam in nullo ex ijs adhibita eſt in Symbolo particula *Filioque*, ſeu formula proceſsionis ex Filio. Denique multi exiſtimant S. Ioannem Damaſcenum apertè illam negâſſe: cùm tamen ipſe ſcripſerit longè poſt V. immo & VI. Synodum Generalem, cùm palam vtramque alleget. Non ergo tempore illarum fuit definita aut fuerat in Concilio aliquo Generali proceſsio Spiritus ſancti ex Filio. Alioqui Damaſcenus in apertam hæreſim incidiſſet. quod de tam ſublimi & ſancto Doctore dicere aut putare impium eſt. Non ergo in aliqua ex ſex primis Synodis Generalibus definita fuit ab Eccleſia proceſsio Spiritus ſancti ex Filio. Iam verò quod in obiectione additur ex eodem Cyrillo ijs verbis Spiritum appellante *proprium Filij*, non ſatis, aut ſaltem nõ omnino evidenter probat, ibidem tradi proceſsionem à Filio, vt patet ex ipſa interpretatione Theodoreti. Quamvis verò damnentur ab Eccleſia quæ hic ſcripſit contra duodecim Capitula Cyrilli, nihil inde convincitur, cùm in ijs non habeatur verbum vllum de proceſsione. Immò licèt quis cõtendat, damnari quæ ille ſcripſit contra Anathematiſmos Cyrilli, ac proindè verba præiacta; reſponderi poteſt, illa damnari propter cenſuram & impietatem, quâ loquitur contra verba illa Cyrilli in ea parte.

24 IAM Quod in obiectione additur de anathemate indicto defendentibus doctrinam Theodoreti contra Capitula Cyrilli, pariter intelligitur quoad ea omnia & ſola, quæ damnata fuerunt in Synodo Epheſina, & reiecta in ijs Capitulis. Porrò verba ipſa Canonis XII. habentur in Fragmentis V. Synodi pagina 357. apud Binium: Græcè quidem: εἴ τις ἀντιποιεῖται τῶν συγγραμμάτων

Θεοδωρήτε, &c. Latinè autem: *Siquis defendit conſcripta Theodoreti, quæ expoſuit pro Neſtorio hæretico aduerſus rectã fidem, & Epheſinam primam ſanctam Synodum, & ſanctum Cyrillum, & duodecim eius Capitula, in quibus ſceleratis conſcriptis idem Theodoretus effectualem dicit vnitatem Dei Verbi ad hominem quendam de quo blaſphemans dixit, quòd palpauit Thomas eum, qui reſurrexit, & adorauit eum qui reſuſcitauit, & propter hoc impios vocat Doctores Eccleſiæ, qui vnitatem ſecundùm ſubſiſtentiam Dei Verbi ad carnem confitentur, & ſuper hæc Deigenitricem abnegat ſanctam & gloriоſam ſemper Virginem Mariam: Siquis igitur memorata conſcripta Theodoreti defendit, & non anathematizat ea, talis anathema ſit. Propter tales enim blaſphemias ab Epiſcopatu detectus eſt, & poſtea in ſancto Calchedonenſi Concilio compulſus eſt omnia cõtraria memoratis ſuis conſcriptis facere, & rectam fidem confiteri.* Hactenus ibi. Ex quibus conſtat, ſcripta Theodoreti nominatim inuſta fuiſſe à Concilio, quatenus contraria erant rectæ Fidei in Synodo Epheſina traditæ, & à S. Cyrillo in duodecim Capitulis, ſeu Anathematiſmis aduerſus Neſtorium. Summa verò eiuſdem doctrinæ in ipſa Synodo & Anathematiſmis traditæ ad hoc reducitur, vt vnica perſona Chriſti, eaque diuina aſſeratur, in duplici natura ſubſiſtens, & proinde Virgo Maria verè Deipara cenſeatur dicaturque: non autem ad hoc, vt Spiritus ſanctus credatur à Filio procedere. De hoc enim ne verbum quidem legitur tractatum, nul ò autem minùs definitum, vel in Synodo Epheſina, vel in Anathematiſmis. Non ergo in eo canone damnantur ſcripta Theodoreti quoad hanc poſteriorem partem, ſed quoad illam priorem, de qua fuit tota diſceptatio in Epheſina Synodo, & cuius mentio expreſſa fit in prædicto Canone.

25 INSTAT Ruiz vbi ſuprà num. 8. quia ſaltem Agatho Papa in Epiſt. 2. quæ etiam eſt Romanæ Synodi (habeturque in VI. Synodo Generali Act. 4.) columna ſecunda eiuſdem Epiſtolæ inquit de Spiritu ſancto: *Ex Patre Filioque procedit.* Ergo ſaltem tunc fuit ea veritas definita. RESP. Negando aſſumptum: quia in ea Epiſtola, ſaltem prout extat in exemplaribus, quibus omnes vtimur, non ita habetur, prout videre eſt in editione ipſius Sextæ Synodi apud Binium p. 62. vbi exhibetur ab Agathone Symbolum, ſeu formula credendi in Spiritum ſanctum, ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον. id eſt, *ex Patre procedentem.* neque quidquam ampliùs. Quod verò Iulianus Cardinalis in ea diſputatione, quam habuit cum Græcis in Concilio Florentino, conqueſtus ſit, locum illum ab ijs depravatum fuiſſe; non facit certam fidem, ſed rem incertam relinquit. Videturque potiùs ſtandum eſſe exemplaribus, tum Latinis, tum Græcis, eius Epiſtolæ, quæ teruntur omnium manibus, & nihil ampliùs quam diximus, vel Græcè, vel Latinè habent.

SECTIO QVARTA.

In quonam ex Concilijs Prouincialibus, ſeu Nationalibus, primum definita fuerit proceſsio Spiritus ſancti ex Filio. Vbi plura obſeruatu digna.

26 OSTENSO Iam in præcedentibus, nullum Generale Concilium ante Lateranenſe ſub Innocentio III. definiſſe proceſsionem Spiritûs ſancti ex Filio, inquiramus oportet in quonam Concilio Prouinciali primùm ea fuerit definita. Eruditiſsimus Ruiz de Montoya diſp. 67. de Trinit. ſect. 4. num. 4 cenſet illud fuiſſe Alexandrinum, cui præfuit S. Cyrillus: qui ſimul cum Patribus ibidem congregatis ſcripſit Epiſtolam illam ſæpe in ſuperioribus memoratam, & in ea palàm profitetur proceſsionem Spiritus ſancti a Patre, ſicut à Filio. Verùm hæc Ruizij coniectura infirma eſt: vt oſtendimus ſuprà num. 14. & 23. cùm iuxta exemplaria Græca, quibus vtimur, quæque omnium manibus teruntur ex editione Binij, non dicatur ibidem Spiritus ſanctus *procedere* ex Filio, ſed *effundi* ab illo, ſicut à Patre. Hoc enim ſignificatur in Græco per verbũ illud προχεῖται. Effuſionem autem Spiritus ſancti in ſacris litteris ſæpe accipi de miſsione illius ad creaturas, potiùs quàm de proceſsione ad intra, iam antè monuimus, & cuilibet Theologo compertum eſt.

27 QVARE Aliter dicendum eſt, primum Concilium Prouinciale, in quo definita vnquam eſt proceſsio Spiritûs ſancti ex Filio ſicut ex Patre, fuiſſe Toletanum I. Epiſcoporum XIX. Era CCCC. XXXVIII. temporibus S. Leonis Papæ, imperantibus Arcadio & Honorio, Stilicone Conſule. Ita habetur in editione Loayſæ: verùm Eram credo accipiendam eſſe ibidẽ pro anno eodẽ Chriſti CCCC. XXXVIII. quo regebat Eccleſiam Leo, & Arcadius Orienti imperabat, quamvis alioqui in Concilijs ipſis Toletanis ſequentibus Era Cæſaris intelligatur, triginta octo annis anterior ibidem ergo in Conſtitutione, ſeu Regula Fidei Catholicæ contra omnes hæreſes (quæ habetur in editione eiuſdem eruditiſsimi Archiepiſcopi Loayſæ pag. 45.) dicitur Spiritus ſanctus, *A PATRE FILIOQVE PROCEDENS.* Si autem diuinare fas eſt, quam ob cauſam prima omnium ea Toletana Synodus proceſsionem Spiritus S. ex Filio publicè teſtata ſit, & abſque exemplo

in alijs Synodis præcedentibus, tum Provincialibus, tum Generalibus; Reſpondeo id forte factum fuiſſe, quoniam SS. Patres Græci ac Latini, tam qui paulo antè præceſſerant, quàm Leo Papa, qui tunc Eccleſiam regebat, conſtanter id ipſum tradiderunt: nominatim verò ipſe Leo in Epiſtola ad Turibium Aſturicenſem Epiſcopũ cap. 1. ait de Spiritu ſancto: *Ex Vtroque proceſſit.* De quo plura in Scholijs ad Opuſculum III. Anſelmi.

28 IDIPSVM Poſtea confirmatum fuit in Concilio III. Toletano LXII. Epiſcoporum, ſub Gelaſio II Papa, anno quarto Reccaredi Regis, Era DC. XXVII. præſentibus, inter alios Antiſtites Hiſpaniæ Galliæque, S. Euphemio Toletano Archiepiſcopo, & S. Leãdro Hiſpalenſi. Ibidem namque in Confeſsione Fidei (quæ habetur apud Loayſam pag 203.) Patres proferunt Symbolum Conſtantinopolitanum CL. Patrum, & teſtantur ſe credere in Spiritum ſanctum, *EX PATRE FILIOQVE PROCEDENTEM.* Deinde in alia Fidei Confeſsione ab Epiſcopis, Præsbyteris, & præcipuis Gothorum edita, inter alia anathemata, hoc indicitur pag. 207. *Quicumque Spiritum ſanctũ non credit, aut non crediderit, à Patre & Filio procedere,* &c. *anathema ſit.* Mirabile profectò vtrumque eo tempore, ſi res non fuerat ab Eccleſia definita. Mirabilius tamen quòd ipſi Conſtantinopolitano Symbolo ij ſancti Patres addiderint particulam *FILIOQVE*, quod nunquam, nuſquam eouſque factum alibi, oſtendemus ſequenti Diſputatione, præſertim à numer. 20.

29 DEINDE Eadem doctrina tradita fuit in Concilio Toletano IV. Epiſcoporũ LXII. Hiſpaniæ & Galliæ, Era DC. LXXI. regnante Siſenando, circa tempora Honorij I. vbi Patres congregati, titulo ſeu cap. 1. cui epigrapha, *De euidente Catholicæ Fidei Veritate*, pag. 331. apud Loayſam aiunt: *Spiritum ſanctum verò, nec creatum, nec genitum, SED PROCEDENTEM EX PATRE ET FILIO profitemur.* Similiter in Concilio VI Epiſcoporum XLVIII. regnante in Hiſpanijs Cinthilano, Era DC. LXXVI. titulo 1. inſcripto, *De plenitudine Fidei Catholicæ*, Patres ſe credere profitentur in Spiritum ſanctum, *DE PATRE FILIOQVE PROCEDENTEM.* Extat apud Loayſam pag. 385. Similiter in Concilio VIII. Epiſcoporum LII. regnante Receceſuinto, Era DC. XCI. circa tempora Martini Papæ, poſt profeſsionem Fidei à Rege ipſo editam & ſubſcriptam, Patres congregati, titulo primo, proferunt Symbolum Conſtantinopolitanum, atque in eo Spiritum ſanctum exprimunt, *EX PATRE ET FILIO PROCEDENTEM*, vt eſt apud Loayſam pag. 422. Denique in Concilio Toletano XI. Epiſcoporũ XVII. anno quarto Regis Vvambæ, Era DCC. XI I. circa tempora Adeodati Papæ, in ipſa Fidei Profeſsione columna quarta, pagina apud Loayſam 544. dicitur de Spiritu ſancto, inter alia: * Nec Patris tantùm, nec Filij tantùm, ſed ſimul Patris & Filij Spiritus dicitur. Nec enim de Patre procedit in Filium, vel de Filio procedit ad ſanctificandam creaturam: SED SIMVL AB VTRISQVE PROCESSISSE MONSTRATVR, quia charitas, ſive ſanctitas amborum agnoſcitur. *

30 NOTANDVM Verò eſt, omnia prædicta Concilia Toletana præceſsiſſe tempore VI. Synodum Generalem. Hæc enim coacta fuit ſub S. Agathone Papa, imperante Conſtantino Pogonato, anno Chriſti DC. LXXX. Ex Concilijs verò Toletanis hactenus memoratis Primum fuit celebratum aliquibus retro ſæculis, & Vndecimum quibuſdam antè annis. nimirum, anno Chriſti DC. LXXV. cui reſpondet Era DC. XIII. Ingentis autem gloriæ eſt Eccleſijs Hiſpaniæ, ac præſertim Toletanæ reliquarum Primati, quòd in ea primùm definita inveniatur proceſsio Spiritus ſancti ſimul ex Patre & Filio. Conſtat enim ex dictis ſect. 2. & 3. in nulla ex ſex primis Synodis Generalibus ſaltem, fuiſſe id definitum: immo neque in alijs quinque poſterioribus: cùm iam ab ipſo tempore S. Leonis Papæ, quo coacta eſt Synodus IV. Generalis, id eſt, Calchedonenſis, id inveniatur definitum à Concilio Toletano I.

31 DICES: Ergo temerè & inconſultò operati ſunt Patres Concilij I. Toletani, & quorundam ſequentium: ſiquidem auſi ſunt in Profeſsione Fidei exprimere proteſsionem Spiritus ſancti ex Filio, quam nondum Eccleſia Catholica definierat in aliquo Concilio Generali, vt ſuprà diximus. RESPOND. negando aſſumptum ex multiplici capite. PRIMO: quoniam proceſsio Spiritus ſancti, ex Filio adeò apertè. colligitur ex locis Scripturæ, præſertim adiuncta interpretatione omnium Patrum & DD. Eccleſiæ, quotquot vſque ad id tempus ſcripſerant, vt viſum fuerit Toletanæ Synodo id eſſe fide divina certum. SECVNDO: quoniam putari debet, id minimè factum ſine conſenſu tacito aut expreſſo Summorum Pontificum, qui nullum abſurdum ſequi putarunt ex eo, quod id pro Regnis & Eccleſijs Hiſpaniæ definiretur in Synodo Nationali aut Provinciali, præſertim contra Arianos tunc potiſsimùm in Hiſpania graſſantes. Quod tamen tunc fortè non viſum eſt conveniens definire in aliquo Generali Concilio, ſive aliàs pro tota Eccleſia. Sic certè in multis Eccleſijs, Academijs, Civitatibuſque ſanctè proponitur aut iuratur profeſsio alicuius doctrinæ non-

nondum ab Eccleſia definitæ : v.g. Conceptionis Deiparæ abſque nævo originalis peccatiſque ipſo Summo Pontifice ſciente & approbante, nihil tamen è cathedra definiente. Vide plura alia huc ſpectantia Diſput. ſeq. à numer. 24.

32 VERVM Quidem eſt, in alijs quoque Synodis Provincialibus, aut Nationalibus, eandem doctrinam fuiſſe traditam priuſquam ab Eccleſia Catholica in aliquo Concilio Generali ſive Oecumenico definiretur. Cæterum eæ Synodi fuere poſteriores Toletanis, & ſaltem longè poſt Primam num. 27. memoratam. Talis fuit Synodus Herfeldenſis allegata à Noſtro Venerabili Beda lib. 4. Hiſtoriæ Anglicanæ c. 17. & coacta anno DC.L. in qua definitum fuit, *Spiritum ſanctum à Patre & Filio* procedere. Nimirum, ducentis circiter annis illam præceſſit Concilium Toletanum I. Talis etiam Synodus Aquiſgrani coacta à Carolo Magno, vt eadem doctrina definiretur, circa annum DCC.VIII. prout refert Ammonius lib. 4. de Geſtis Francor. c. 95. Sed hæc quatuor circiter ſæculis poſt Primam illam Toletanam celebrata fuit. Poſterior adhuc Aquiſgranenſi fuit Vvormacienſis circa annum DCCC.LVIII. in qua Patres eandem doctrinam profitentur.

33 DENIQVE Longè poſt eas omnes Synodos fuit, quam coegit Vrbanus Papa II. Bari in Apulia anno M.XCVII. contra Græcos, præſente S. Anſelmo, qui, iubente ipſo Pontifice, coràm cum ijs diſputavit, ea ſapientia, eruditione, & ſpiritu, vt omnium Patrum iudicio, actum penitus fuerit de opinione Græcorũ. De quo plura præmiſimus in Prolegomenis Tom. I. a n. 22. & dicemus adhuc Tom. ſeq. in Commentarijs ad ipſam Anſelmi cum Græcis Diſputationem. Quamvis verò in ea Synodo ipſe Romanus Pontifex præſens fuerit, illaque ipſius iuſſu coacta ſit, non cenſetur inter Concilia Generalia aut Oecumenica. Quin nec illius Acta extant authenticè, ſed ſola Hiſtoricorum fide conſtant, præſertim Eadmeri, convictoris S. Anſelmi, & ſimul ſcriptoris Vitæ ipſius, qui adfuit eidem Concilio, & veluti oculatus teſtis refert quæ ibidem geſta ſunt; præſertim in Hiſtoria Novorum nuperrimè à Gabriele Gerberone edita lib. 2. c. 53. quod opus hucuſque ferè ignotum, & recèns inventum in Gallijs, vtinam vidiſſet Baronius Tom. XI. ad annum Chriſti M.XCVII. Sic enim maiorem præſtitiſſet fidem Vvillelmo Malmesburienſi lib. 1. de Geſt. Angl. Pontific. cui conſentit Oderic. Vit. lib. 10. Hiſtoriæ ad an. 1098. & Vvillelmus Gemmetic. lib. 6. Hiſtoriæ Normannorum, quos noviter ſequutus fuit eruditiſsimus Vir & πολυγραφώτατος Theophilus Raynaudus Tom. XI. in Syntaxi pag. 7. etiam priuſquam Hiſtoria Novorum prædicta è tineis & blattis veterum bibliothecarum in lucem eruta à Gerberone fuiſſet.

34 ITAQVE Poſt tot Concilia Provincialia, aut Nationalia Hiſpaniæ, & aliorum Regnorum, ac tandem poſt Concilium Barenſe habitum præſentibus Vrbano II. Papa, & Anſelmo, adhuc res videtur non fuiſſe prorſus definita ab Eccleſia Catholica, aut ſaltem non certò deprehenditur definita, donec Innocentius Papa III. in Concilio XII. Generali, aliàs Lateranenſi IV. anno Chriſti M.CC.XVIII. vel vt Hiſtorici aliquot malunt M.CC.XV. præſentibus & conſentientibus Patribus Latinis & Græcis eam controverſiam diremit, & proceſſionem Spiritus ſancti à Filio, ſicut à Patre, omnibus fidelibus credendam propoſuit: vt ſuprà latiùs diximus. Porrò quæ hactenus tradita ſunt, maiorem lucem mutuabunt ex Diſputatione ſequenti.

***



DIS-

DISPVTATIO XCII.

QVANDO PRIMVM ADDITA FVERIT SYMBOLO PARTICVLA, *FILIOQVE.*

AD ILLVSTRISS. PRINCIPEM, D. D. RODERICVM PORTOCARRERO, Excellentiſsimorum Comitum de Medellin, Ducum de Camiña, Filium, primarij Hiſpaniarum & Luſitaniæ ſplendoris delibatum radium; olim Salmanticenſis Academiæ Rectorem, Principemque litterariæ iuventutis, & Veteris Collegij D. BARTHOLOMAEO ſacri eximium decus, publica Profeſsione Cæſarei Iuris excultum: poſtea Equeſtrium Ordinum integerrimum Senatorem, ac demum Supremi Iuſtitiæ Senatus ſpectatiſsimum Conſiliarium, &c.

CIRCA Controverſiam hanc aliquantò plus lucis conferunt Scholiaſtæ Conciliorum, & Hiſtorici ſacri, ac nonnulli ex Theologis, quàm circa præcedentem, in qua toties divinandi opus fuit. Sed & nunc plurimùm coniectura opus eſt, cùm omnes opiniones, quas legere licuit, incertæ prorſus ſint, & difficultatibus multis obnoxiæ, vt ex progreſſu apparebit. Quare poſt illarum impugnationem, noſtrum ea de re iudicium proferemus, & ab obiectionibus, quibus impugnari poſſet, vindicandum curabimus. Habet verò locum Diſputatio hæc apud Anſelmum lib. de Proceſsione cap. 22. & apud Magiſtrum in 1. diſt. 11. cap. 2. quamvis Scholaſtici omnes controverſiam hanc prætermiſſerint.

SECTIO PRIMA.

Particulam Filioque *nunquam hactenus fuiſſe additam Symbolis Apoſtolico, aut Nicæno, ſed ea ſeruari illibata, prout à principio edita ſunt. Diſsidium itaque eſſe de ſolo Symbolo Conſtantinopolitano.*

1 PRÆMITTO I. Symbolum Fidei triplex eſſe, nimirum, Apoſtolicum, ſive ab Apoſtolis prolatum, ac prædicatum per totum Orbem Chriſtianum: & Nicænum, à Patribus CCCXVIII. editum in Cõcilio I. Oecumenico, id eſt, Nicæno I. anno Chriſti CCC. XXV. ſub S. Sylveſtro Papa, & Conſtantino Magno: ac denique Conſtantinopolitanum, quod protulerunt CL. Patres congregati in Concilio II. Generali, id eſt, Conſtantinopolitano I. anno CCC. LXXXI. ſub Damaſo Papa, imperante Theodoſio Maiore. Primum illorum eſt, quo vtimur in Officio divino, ſive Horis Canonicis. Secundum habetur ad litterã Græcè & Latinè Tomo I. Conciliorum inter Acta Nicænæ Synodi, & iam ſuprà à nobis exſcriptum ac per partes explanatum fuit Diſput. LV. ſect. 1. Tertium denique eſt quo vtimur in ſacrificio Miſſæ, & habetur pariter Græcè ac Latinè inter Acta II. Synodi Generalis, id eſt, Conſtantinopolitanæ I. incipiúntque, πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεόν, &c. *Credimus in vnum Deum*, &c. Porrò ex ijs Symbolis, quemadmodum Nicænum eſt plenius Apoſtolico, quoniam jugulat hæreſes Arij & aliorum ortas

vſque

vſque ad annum CCC.XXV. ſic etiam Conſtantinopolitanum eſt vberius Nicæno, quia directè contrariatur hæreſibus Macedonij & Apollinaris, aliorumque, exortis vſque ad annum CCC.LXXXI.

3 PRÆMITTO II. Symbolum Apoſtolorum iam memoratum, & duodecim articulis diſtinctum, ea veneratione fuiſſe receptum ſemper & vbique à tempore ipſo naſcentis Eccleſiæ, vt nihil penitus de eo detractū, aut ipſi additum fuerit. Ideoque S. Ambroſius Epiſt. ad Siricium Papam inquit: *Credatur Symbolo Apoſtolorum, quod Eccleſia Romana intemeratum ſemper cuſtodit & ſeruat.* nimirū, abſque additione aut detractione vlla. Quare ſic retentum fuiſſe in Eccleſijs Romana, Africana, Italica, Gallica, & tandem Latinis omnibus, conſtat ex Ruffino, Auguſtino, Chryſologo, Maximo Taurinenſi, Theodoreto, Socrate, & Sozomeno, varijs locis, præter ea quæ de illo tradunt Tertullianus lib. Præſcriptionum cap 37. Hieronymus Epiſt. 61. ad Pammachium, Leo Magnus Sermone de Nativitate Domini, & 4. de Epiphania, & 11. de Paſsione, atque integra Synodus Generalis Epheſina in Relatione ad Theodoſium Auguſtum. Quemadmodum itaque vſque ad tempus eorum Patrum nihil fuit additum illi Symbolo, ne quidem particula *Filioque*: ita neque à tempore ipſorum vſque ad hūc annum M. DC. LXXX. in quo adhuc tota Eccleſia id Symbolum, vt cum laudato Ambroſio loquar, *intemeratum ſemper cuſtodit & ſeruat.* Quare controverſia noſtra non procedit de Symbolo Apoſtolorum.

4 PRÆMITTO III Nec diſsidium eſſe de Symbolo Nicæno. Quippe quemadmodum à principio fuit prolatum à CCC. XVIII. Patribus in ea Magna Synodo, ſic etiam vbique ſervatum fuit abſque vllo verbo addito, aut detracto. Tunc verò non fuit in eo expreſſa proceſsio Spiritûs ſancti à Filio, immo nec à Patre. Quippe ibi ſolū fuit dictū: καὶ εἰς τὸ πνεῦμα ἅγιον, id eſt, *Et in Spiritum ſanctum.* nimirum, πιστεύομεν, *Credimus*, prout habetur ab initio eiuſdem Symboli Si autem inquiras, cur ij ſanctiſsimi & ſapientiſsimi Patres tam parcè de Spiritu ſancto locuti tunc fuerint, rationem reddit S. Gregorius Nazianzenus Epiſtola ad Cledonium his verbis: *A Patribus illis minùs plenè de Spiritu ſancto dictum eſt, quoniam nondum coorta, atque excitata fuerat hæc quæſtio.* Similiter Baſilius in Profeſsione Euſtatij Sebaſtienſis, *Sententia*, inquit, *de Spiritu ſancto in tranſcurſu ſine omni diligētia poſita eſt, propterea quòd nondum eſſet mota iſta quæſtio, ſed adhuc credentium mentibus ſecurus, & nullis obiectus inſidijs ineſſet de Spiritu ſancto intellectus.*

5 VERVM Adhuc poſtquam excitata fuit controverſia de ſolida divinitate Spiritûs ſancti, & definita ab Eccleſia contra Macedonium, alioſque Pneumatomachos, in eâdem Synodo Conſtantinopolitana I. aliàs II. Generali, cui laudatus Gregorius præfuit, noluerunt ij Patres eidem Symbolo Nicæno addere quidquam, ne quidem proceſsionem Spiritûs ſancti ex Patre; ſed illud, prout à principio editum fuerat, reliquerunt. Ratio autem nihil addendi videtur fuiſſe ſumma veneratio poſteriorū Conciliorum erga Nicænam Synodum, & formulam Fidei ab ea traditam, cui nefas putarunt quidquam addere aut detrahere. Quare in Concilio Generali IV. id eſt, Calchedonenſi Actione II poſt recitatum id Symbolum dicitur: *Reverendiſsimi Epiſcopi clamauerunt: HÆC CATHOLICORVM FIDES. Huic omnes credimus: in hanc baptizati ſumus: in hac baptizamus.* Similiter iidem Patres in Relatione ad Marcianum Auguſtum aiunt de Symbolo ipſo: *Vnam eſſe, veluti principali loco, trecentorū decem & octo Patrum doctrinæ confeſsionem, lex nobis Eccleſiæ præſcribit: quam, VELVT COMMVNE SANCTORVM DECRETVM, ad eorum, qui vocantur in adoptionem filiorum, tradimus firmitatem.* Denique Patribus Conciliorum ſequentiū religio fuit quidquam addere eidem Symbolo: quoniam, vt inquit Pergamius Antiochiæ Epiſcopus in litteris poſt Synodum Calchedonenſem iam memoratam editis ad Leonem Auguſtum, illud *pauciſsimis quidem ſermonibus, ſed perfectis ſenſibus Scripturæ diuinæ, per viros eius ſcientiæ peritiſsimos completum eſt.* Itaque Symbolo Nicæno nunquam vſque in hodiernum diem addita fuit particula proceſsionis Spiritus ſancti à Patre, nec à Filio, quarum neutra à principio in eo expreſſa fuit.

6 OBITER Verò notandum, Chriſtianum Lupum in Notis ad Concilium Nicænum invehi adverſus Gelaſium Cyzizenū quoniam in Præfatione ſua inquit, Arianos nō modò in Filium Dei, ſed etiam in Spiritum ſanctū blaſphemâſſe. Id autem abſurdum putat Lupus; quoniam in Nicæna Synodo nulla fuit diſceptatio contra Arianos circa Spiritum ſanctum, neque controverſia de illius divinitate eo tempore mota fuerat, vt didicimus ſuprà ex verbis Gregorij Nazianzeni & Baſilij Magni. Verùm refellitur Lupus, alioqui eruditus: quoniā Ariani negantes ſolidum Trinitatis myſterium, & eripientes Filio Dei veram divinitatem, eam conſequenter Spiritui ſancto negabant. Quare cohærenter ad ſuam ipſorum perfidiam circa Filium, blaſphemabant pariter adverſus Spiritū ſanctum. Vnde & illorum error, quamvis obiter, confixus fuit in eodem Symbolo verbis illis:

ET

ET IN SPIRITVM S. ANCTVM, ſcilicet, *CREDIMVS*. Nõ autem credimus, niſi in verum Deum, qui ſolus eſt obiectum fidei theologicæ. Ergo in Symbolo Nicæno expreſſa fuit, quamvis obiter, diuinitas ſolida Spiritus ſancti contra Arianos: atque adeò dum ij illam negabant; cohærenter ad ſuam perfidiam, blaſphemierant contra Spiritum ſanctum. Pro hac coniectura habeo illuſtre teſtimonium S. Athanaſij in Epiſt. ad Epiſcopos Africanos impugnantis Macedonianos, qui ſuum de Spiritu ſancto errorem aiebant non eſſe contrarium Symbolo Nicænæ fidei. Quippe ſic illos refellit: *Eadem illa Synodus blaſphematores Spiritus ſancti ſubuertit. Nam cum Patres ſtatuiſſent de fide in Filium, id ſtatim adiectum voluere: CREDIMVS ET IN SPIRITVM SANCIVM: vt perfectam & plenam de ſancta Trinitate fidem, confeſsionemque abſoluentes, formam eius, quæ in Chriſto eſt, fidei, & doctrinã Catholicæ Eccleſiæ exhiberent.* Ergo Ariani indirectè negantes diuinitatẽ Spiritus ſancti, blaſphemabant quoddammodo contra illum. Itaque teſtimonia illa Nazianzeni & Baſilij, quibus innititur Lupus, ſolum probant, controverſiam dè diuinitate Spiritus ſancti non fuiſſe directè excitatam in Concilio Nicæno, quod libenter fatemur. Indirectè verò aut obiter tacta & definita fuit contra Arianos.

7 QVAPROPTER Diſputatio noſtra ſolùm procedit circa Symbolum Conſtantinopolitanum, quo Patres illi CL. in ipſo ingreſſu ad celebrandam II. Synodum Generalem, fidem profeſsi ſunt, & quo à multis ſæculis vtimur omnes in ſacrificio Miſſæ. Certum quippe eſt, à principio in eo expreſſam fuiſſe proceſſionem Spiritus ſancti ex Patre verbis illis, ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον, id eſt, *ex Patre procedentem*. Itaque dubitatio ſolùm eſt circa additionem particulæ *Filioque* in eodem Symbolo.

SECTIO SECVNDA.

Diuerſorum opiniones circa tempus, & Synodum, in qua particula FILIOQVE addita fuerit Symbolo Conſtantinopolitano, referuntur, & refelluntur.

8 PRIMO Aliqui opinantur particulam *Filioque* additam fuiſſe in ipſa Synodo II. Generali, id eſt, Conſtantinop. I. vbi primùm id Symbolum ab ea denominatum fuit à CL. Patribus conceptum & editum. Ita cenſet Illuſtriſs. Loayſa in Notis ad Concil. Toletanum III. verbo, *Item fides ſancta* pag. 237. vbi inquit: * Hoc eſt Symbolum Concilij Conſtantinopolitani, à centũ & quinquaginta Patribus celebrati adverſus Eunomiũ, Photinum, & Macedonium: in quo aliqua explicata ſunt, & poſita in Symbolo, quæ in Nicæno non erant; vt eſt illud, quod ad perſonam Spiritus ſancti ſpectat: Credimus in Spiritum ſanctum, dominum, & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit, &c. Neque exiſtimo, vt alij, poſtea hæc verba, Ex Patre Filioque, addita in Synodo Romana, ſed in ipſa prima Symboli formatione fuiſſe poſita: vt conſtat ex D. Hieronymo in Symbolo, & ex lib. 9. Tripartitæ c. 16. & ex Concilio Florentino. * Hactenus ille ad verbum.

9 SED Enim ſententia hæc ſingularis eſt, & reijcitur: Quia in nullo exemplari Græco aut Latino eius Synodi, quotquot extãt, & manibus omnium teruntur, apparet in Symbolo ipſius ea additio, καὶ υἱοῦ, ſeu, *Filioque*. Quin præterea neque in vllo ex Concilijs Generalibus ſubſequentibus vſque ad XIV. Generale, id eſt, Lugdunenſe II. ſub Gregorio X. Papa, anno Chriſti M. CC. LXXIV. vnquam legitur illa, quamvis in pleriſque legatur Symbolum ipſum Conſtantinopolitanum: vt iam obſervavimus Diſp. præced. ſect. 2. & 3. Non ergo in ipſo Concilio II. Generali CL. Patrum CP. fuit facta illa additio ad Symbolum. SECVNDO Ruiz refellit hanc opinionem: Quia nec in Concilio Toletano III. invenire potuit Loayſa ex Symbolo CP. quod ibidem proferunt Patres, plusquam verba illa, *A PATRE PROCEDENTEM*, prout omnes aliæ editiones habent. Cæterum fallitur Ruizius: quoniam in editione fideliſsima Loayſæ ex antiquiſsimis exemplaribus, legitur ibidem Conſtantinopolitanum Symbolum pag. 203. cum particula, *EX PATRE ET FILIO PROCEDENTEM*. Nec contradicunt aliæ editiones, ſaltem quibus nos vtimur. Nam in ea quæ prodijt Venetijs anno M. D. LXXXV. apud Dominicum Nicolinum, & alterâ Severini Binij Pariſijs anno M. D. LC. XXXVI. non habetur totum CP. Symbolum, ſed ſolùm eius inchoatio, cæteris remiſsis in Symbolum ipſum, prout extat in Synodo Tertia Toletana. Itaque priori impugnationi à nobis propoſitæ adverſus Loayſam inſiſtendum eſt, præter ea quæ contra aliorum opiniones ſubijciemus, & ipſum pariter impugnant.

10 SECVNDO Alij cenſent, particulam *Filioque* additam fuiſſe à Damaſo Papa in Concilio Romano, in quo probavit decreta Concilij II. Generalis, id eſt Conſtantinopolitani prædicti. Ita Emanuel Calecas lib. adverſus Græcos; addens, Damaſum id feciſſe, vt frænaret quandam hæreſim tunc ortam, quam complexo vocabulo τῶν ὑποστάσεων appellat,

quod

quòd Filium Dei affirmaret eſſe Patrem Spiritus ſancti, & hunc Patris nepotem. Idcirco Damaſus Romanus Epiſcopus, collecta Synodo, ad Symbolum adiecit, à Filio procedere Spiritum ſanctum, vt illud refelleret, quod gigni dicebatur à Filio. Porrò Calecas ipſe ad id ſtabiliendum allegat Hiſtoricum quendá Græcè dictum Σκυλιτζην. Sed & Ioſephus Methones citat pro eodem placito Gregorium Ariſtinum, quemadmodum & Noſter Genebrardus lib. 3. de Trinit. Alexium Ariſtinum.

11 DENIQVE Idipſum tuetur Stanislaus Socolovius in Annotationibus ad cap. 1. Cenſuræ Orientalis Eccleſiæ factæ à Hieremia Patriarcha CP. Allegat pro ſe Epiſtolam eiuſdem Concilij CP. ad Damaſum Papam, quæ ponitur in eius principio ferè, Tomo I. editionis Binij pagina 665. & incipit: τὸ μὲν ἀγνοῆσαν τὴν ὑμετέραν ὑπέρβασιν διέλαθεν, &c. Sed enim in tota ea Epiſtola nec verbum quidem indicatur de additione prædictæ particulæ. Deinde appellat Socolovius librum 9. Tripartitæ cap. 14. aut 16. Verùm neutro ex ijs locis habetur aliquid, quod ad rem ſit. Ibidem enim referuntur decreta Concilij Romani, inter quæ nihil ſtatuitur circa proceſsionem Spiritus ſancti à Filio, ſed dumtaxat can. 16. inuritur anathemate qui dixerit, Spiritum ſanctum à Patre non procedere. Vlteriùs id colligere tentat ex Symbolo Damaſi apud Hieronymum Tomo IX. quaſi ibi habeatur particula illa. Sed imprimis iam oſtenſum fuit Diſput. præceden. num. 3. id Symbolum eſſe ſuppoſititium, & Damaſo affictum. Rurſus nec illud eſt Nicænum, aut Conſtantinopolitanum, de quo ſolo diſputamus, quandonam additionem illam ſubierit. Denique non meliori iure appellat Socolovius pro ſe Hugonem Ætherianum lib. 3. de Proceſ. cap. 16. Nam ibidem non exponit, quiſnam fuerit Pontifex eius additionis auctor, ſed ſolùm probat, potuiſſe Romanum Pontificem exponere Symbolum: de quo nunc non eſt controverſia. Itaque opinio hæc videtur omni ſolido fundamento carere.

12 QVIN Et præterea illa reijcitur: quia in nullo exemplari eius Concilij Romani à Damaſo celebrati, quotquot extare inveniuntur, apparet ea additio in Symbolo. Hoc autem inducit moralem certitudinem, quòd tunc facta non ſit. Deinde apud nullum ex Patribus aut Scriptoribus eius temporis, etiam eorum qui ſcripſerunt contra Theodoretum, negantem palam Spiritus ſancti proceſsionem ex Filio, allegatur tale decretum aut definitio Damaſi in oppoſitum: quod certè oporteret, ac ſufficeret ad illius opinionem penitus proſcribendam. Inſuper Theodoretus ipſe in Hiſtoria ſua affert Epiſtolam Conſtantinopolitani Concilij paulo antè memoratam, & inſuper alteram Damaſi ad idem Concilium: in quarum neutra extat aliquid de proceſsione Spiritus ſanct. ex Filio. Non eſt autem veroſimile, Theodoretum anſum id reticere, aut mutilare vtramque eam Epiſtolam, quæ aliquot iam antè annis publici iuris facta fuerat, & vbique circumferebatur. Sic enim argueretur impudentiæ, quaſi manifeſtus temerator earum litterarum.

13 TERTIO Baronius ad annum Chriſti DC. LXXX. docet, proceſsionem Spiritus ſancti à Filio definitam fuiſſe ab Agathone Papa in Synodo Romana contra Monothelitas coacta: conqueritur tamen, eam particulam Pontificiæ epiſtolæ abraſam fuiſſe mala quorundam Græcorum manu, prout in Synodo Florentina conqueſtus fuit Iulianus Cardinalis S. R. E. & longè antea Emanuel Calecas Græcus auctor ſcribens contra errores Gentis ſuæ. Addit idem Baronius ad annum DCC. LXXXVII. particulam *Filioque* fuiſſe Symbolo CP. additam in VII. Synodo Generali, id eſt Nicæno II. Similiter ferè Ruiz de Montoya, vir ſanè eruditiſsimus, & mirè verſatus in lectione Conciliorum ac Patrum, diſput. 67. ſect. 5. opinatur, particulam *Filioque* fuiſſe adiectam Symbolo CP. tempore VI. Synodi Generalis à Romano Pontifice poſt annum Dominī ſexcenteſsimum. Probat primò ex Andræa Theologo Latinorum in Concilio Florentino ſeſsione 7. inter medium & finem, dicente: *Maximo in Gallia & in Hiſpanijs ſchiſmate imminente, cùm iam, EX FILIOQVE paſsim celebraretur, Romano Pontifici fuit neceſſe in multorum Occidentalium amplæ dignitatis, magnoque Concilij Patrum conuentu, addito, EX FILIOQVE, Symbolū magis illuſtrare.* Hæc ille. *Secundò* probat: quia in Concil. Octavo Tolet. recitatur idem Symbolū cum ea particula. Fuit verò id celebratū circa annum Domini ſexcenteſsimum quinquageſimum tertium: ante quod tempus nullibī invenitur Symbolum Conſtant. ita declaratum. Nec enim invenitur in Concilio Toletano Septimo, vt patet, etiam iuxta editionem Loayſæ. *Tertiò* id confirmat ab indicio: quoniam Concilium Gentiliacenſe fuit convocatum à Pipino Galliarum Rege anno ſeptingenteſsimo ſexageſimo ſexto: atque in eo agitata fuit quæſtio inter Græcos & Latinos de ea additione Symboli. *Quartò*: quia in Synodo ſeptima Generali legitur cum dicta additione. Fuit autem illa coacta circa annum Domini ſeptingenteſsimum octogeſimum ſextum. Vnde demum colligitur, quamvis non conſtet

de certo ac determinato anno, conſtare ſaltem, additionem illam fuiſſe factam tempore interiecto vtrique Synodo Sextæ & Septimæ Generali.

14 VERVMTAMEN Sententia hæc, licet veroſimilior præcedentibus, adhuc eſt difficilis ex multiplici capite. PRIMO: Quia in nullo Concilio Generali ex vndecim primis legitur definita proceſsio Spiritûs ſancti ex Filio: vt fusè & ſingillatim oſtendimus Diſput. præcedenti ſect. 2. & 3. multò autem minùs in Symbolo Conſtantinopolitano, prout ab ijs relato, invenitur additio *Filioque*: vt patet iuxta omnes editiones, quæ circumferuntur in Eccleſia. Quod verò ij Auctores aiunt, in Synodo Romana ſub Agathone, fuiſſe id definitum, non conſtat ex exemplaribus, quotquot extant, nec ex vllo hiſtorico gravi illorum temporum, quidquid conqueſti fuerint longè poſtea Iulianus & Calecas. Deinde patet, nec in Septima Synodo Generali legi additionem illam Symbolo factam, vt oſtendimus loco indicato numer. 13. Quippe in omnibus exemplaribus Græcis eiuſdem Synodi, quotquot extant, ſolùm ibi legitur in Symbolo CP. τὸ ἐκ πατρὸς ἐκπορευόμενον. id eſt, *ex Patre procedentem*: quamvis in aliquo exemplari Latino legerit prædictus Andræas particulam *Filioque*. Patet verò, minorem fidem vnico exemplari præſtari debere, cæteris paribus, quàm reliquis omnibus.

15 PRÆTEREA. Vt reſtatur Magiſter Sententiarum in 1. diſt. 11. cap. 2. Leo III. Pontifex Romanus (qui rexit Eccleſiam circa annum Domini octingentesimum, id eſt, quatuordecim annis poſt Septimam Synodum Generalem, ac centum viginti poſt tempus Agathonis Papæ) poſuit in tabula argentea Symbolum Conſtantinopolitanum poſt altare Sanct. Petri, ſine additione illa *Filioque*. Si autem hæc particula fuiſſet adiecta eidem Symbolo, vel ab Agathone Papa, vel in Concilio Generali Septimo, nulla congruenti ratione Pontifex illam omiſiſſet. Quippe nulla ratio eſt omittendi, præſertim in inſtrumento publico, & Pontificio, & pluribus ſæculis manſuro (qualis fuit tabula illa) formulam fidei à Concilio Generali editam.

16 VLTERIVS. Nec tempore Agathonis Papæ, nec in ea Synodo Septima Generali, nec in vlla alia ex quatuor Generalibus ſequentibus, legitur orta controverſia aut diſputatio aliqua inter Latinos, & Græcos, multò autem minùs inter Latinos ipſos, ſive circa proceſsionem Spiritûs ſancti ex Filio, ſivè circa additionem eius particulæ ad Symbolum: vt patet ex ipſorum omnium Actis & Canonibus, quantùm nobis licuit ea evolvere. Neque obſtat quòd ſcribit Ado in Chronico circa annum DCC. L. XVII. *quæſtionem ventilatam fuiſſe inter Græcos & Romanos de Trinitate: & vtrum Spir. Sanct. ſicut procedit à Patre, ita etiam à Filio.* Id enim non fuit diſputatum in Concilio Generali, ſed in Gentiliacenſi prope Lutetiam. Quin & cùm plurimi ex Græcis, ne dicam omnes, circa tempora Septimæ, Octavæ, & trium ſequentium Synodorum Generalium, præeuntibus Theodoreto & Photio, negarent Spiritum ſanctum ex Filio procedere, immo & pro ſe allegarent S. Ioannem Damaſcenum, qui circa tempus inter Sextam & Septimam Synodum floruit; non eſt veroſimile Eccleſiam Catholicam definiſſe eam controverſiam ſine matura diſcuſsione, & auditâ vtrâque partium: multò autem minùs id Symbolo adijcere voluiſſe. Cùm ergo non legatur in vlla ex ijs Generalibus Synodis diſputatio, aut controverſia aliqua de hac re, inter Eccleſias Græcam & Latinam, cenſeri debet, tum controverſiam illam non fuiſſe ab Eccleſia Catholica definitam, tum particulam illam *Filioque*, non fuiſſe ab aliqua Synodo Generali, nec à Romano Pontifice adiectam.

17 DENIQVE, Vt plura alia omittam, ſi proceſsio Spiritûs ſancti à Filio fuiſſet definita ab Agathone Papa anno ſexcenteſimo octuageſimo, vt cenſet Baronius; vel adiecta Symbolo ab Eccleſia Catholica à tempore, vel circa tempus Septimæ Synodi Generalis, vt Ruizius vult; quicumque ex Græcis illam deinceps negârunt vſque ad tempus Duodecimæ Synodi Generalis, id eſt, Lateranenſis ſub Innocentio Tertio, per ſpatium pluſquam quingentorum, vel ſaltem quadringentorum & eo ampliùs annorum (quippe fluxerunt inter eam vtramque Synodum quadringenti triginta duo) fuiſſent hæretici. Cùm ergo omnes Græci, aut ferè omnes, non modò è media plebe, ſed docti & indocti, nobiles & ignobiles, toto eo tempore proceſsionem Spiritus ſancti à Filio negaverint; dicendum eſt, totam Græciam obfirmato animo tandiù perſtitiſſe in aperta hæreſi. Hoc autem dorum dictu, & creditu difficillimũ apparet: immo & omnino falſum: cum interiecto illo tempore toti ſæculorũ Imperatores plerique Orientis, & Patriarchæ, & Epiſcopi, & Græciæ populi, ſubiectionem profiterentur erga Eccleſiam Catholicam, & Pontifices Romanos, ab iiſque benignè exciperentur, neq; vnquã anathemate notarẽtur eã ob cauſam, tanquã hæretici; licèt ſæpe velut ſchiſmatici notarentur. Non ergo particula illa fuit, vel definita

ab

ab Agathone Papa, vel addita Symbolo ab Eccleſia Catholica circa tempora Septimæ Synodi Generalis.

18 NEQVE Obſtant fundamenta Ruizij num. 30 obiecta in oppoſitum. AD I. dicimus, narrationem illam Andreæ Theologi in Concilio Florentino non debere intelligi de additione facta ante VII. Synodum: cùm quatuordecim annis poſt illam Leo Papa Tertius Symbolum ipſum in lamina argentea exarari fecerit ſine particula *Filioque*, & publicè collocaverit in perpetuam rei memoriam poſt altare D. Petri, vt vidimus n. 15. Ergo illa nondũ addita fuerat Symbolo ab Eccleſia in Synodo VII. Generali, vel ab aliquo Romanorum Pontificum. AD II. & III. cõſtabit ex dicendis ſect. ſequenti. AD IV. patet ex dictis n. 14. non ſatis conſtare, an ea additio Symboli facta fuerit in Septima Synodo Generali. Quin potiùs cùm omnia exemplaria Græca & Latina illius, quotquot extare inveniuntur, exprimant Symbolum ſine particula *Filioque*, cenſeri debet poſtea addita: quamvis fortè in aliquo exemplari illa fuerit inventa à quopiam. Adde, videri incredibile, vt tam multa exemplaria Conciliorũ Generalium, quæ Romæ, & in alijs Eccleſijs Latinis ac Monaſterijs extabant, vitiarentur fraudulenta manu Græcorum in Oriente habitantium; quibus non facilè præberetur aditus, vel occaſio vitiandi manuſcripta tanto in pretio habita, & ſolicitè ſervata à Romanis Pontificibus, alijſque Patribus Latinis.

SECTIO TERTIA.

Videri admodum probabile, particulam FILIOQVE primùm additam Symbolo in Concilio Tertio Toletano. Difficultates in oppoſitum obiectæ & ſolutæ, pluraque obſeruata ad hiſtoriam & chronologiam Conciliorum ea de re ſpectantia.

19 QVEMADMODVM Sæpe ac verè dicitur, facilius eſſe deſtruere, quàm ædificare: ita etiam in hac re magis pronum & in aperto eſt aliorum refellere opiniones, quàm propriam ſtabilire. Itaque nobis etiam coniectandi & divinandi opus eſt, quando primùm ea particula fuerit addita Conſtantinopolitano Symbolo, donec alij eruditiores rem maturiùs expendant & deſtiniant.

20 CERTE Si ſtandum omnino ſit exemplaribus Conciliorum Hiſpaniæ editis à Loayſa, viro ſanè graviſsimo, qui tot & tam emaculata illorum manuſcripta vidit ac contulit, proculdubio dicendum eſt, particulam *Filioque*, primùm additam fuiſſe Symbolo Conſtantinopolit. in Concilio Toletano Tertio LXII. Epiſcoporum ſub Gelaſio II. Papa, anno quarto Recaredi Regis, Era DC. XXVII. præſentibus, inter alios Hiſpaniæ Præſules, Euphemio Toletano, & Leandro Hiſpalenſi. Ibidem nanque pagina 203. editionis eiuſdem Loayſæ legitur Symbolum ipſum cum particula: *EX PATRE ET FILIO PROCEDENTEM*. Nullum autem aliud Concilium, ſive Provinciale, ſive Generale, eſt illo antiquius, in quo additio eadem facta Symbolo legatur: vt patet ex omnibus illorum editionibus, & magna ex parte obſervatum relinquimus in ſuperioribus, præſertim facto excurſu per ſingula ex Generalibus. Deinde in Octavo Concilio Toletano Epiſcoporum LII. regnante in Hiſpanijs Receſuintho, Era DC. XCI. circa tempora Martini I. Papæ, poſt Profeſsionem Fidei ab ipſo Rege editam & ſubſcriptam, Patres ibidem congregati titulo primo proferunt Symbolum Conſtantinopolitanum, & in eo Spiritum ſanctum, *DE PATRE FILIOQVE PROCEDENTEM*, vt eſt apud Loayſam pagina 422. Vtrumque verò id Concilium Toletanum abſdubiò præceſsit tempore Sextam Synodum Generalem: vtpotè coactam Conſtantinopoli anno DC. LXXX. ſub S. Agathone Papa, & Conſtantino Pogonato Imperatore. nam Tertium Concilium Toletanum fuit celebratum anno Chriſti D. LXXXIX. in quem incidit Era DC. XXVII. id eſt, nonaginta & vno annis ante Synodum Sextam: Octavum verò Concilium Toletanum anno Chriſti D. LIII. cui reſpondet Era DC. XCI. viginti ſeptem annis ante eandem Sextam Synodum. Cùm igitur nullum aliud Concilium extet, nec Generale, nec Provinciale, in cuius Actis appareat illa additio facta ad Symbolum Conſtantinopolit. ante Toletanum Octavum, & multò minùs ante Tertium, prout ex omnium exemplaribus hucuſque editis conſtat; videtur admodum probabile, eam additionem ad Symbolum fuiſſe primùm in ijs Concilijs Toletanis factam.

21 DICES, Id non cedere in decus Toletanæ vel Hiſpanæ Eccleſiæ, ſed potiùs adſcribi debere ingenti temeritati: quoniam nec Eccleſiæ Toletanæ, nec cuipiam alteri, licuit quidquam addere Symbolo à Concilijs Generalibus Nicæno aut Conſtantin. editis. Quod multipliciter ſuaderi poteſt. *Primò* ex decreto Concilij Sardicenſis relato ab Athanaſio in litteris ſynodalibus ad Eccleſiam Antiochenam, in quo cautum fuit, nihil vlteriùs definiendum eſſe circa res fidei, ſed

cunctos debere eſſe contentos fide Nicæna, vtpote plena & integra, neque aliud Symbolum edi debere, *ne illis, quibus libido eſt ſemper noua ſtatuere, occaſio ſuppeditaretur, vt iterum atque iterum de fide definiant.* Cùm igitur certum exploratumque ſit, decreta Sardicenſis Concilij in ſumma ſemper veneratione fuiſſe apud Romanam Eccleſiam; videtur reprehenſione dignum quòd Patres Concilij Toletani Tertij & Octavi auſi fuerint addere particulam illam Symbolo.

22 SECVNDO In oppoſitum videtur vrgere, quòd cùm Patres CL. Synodi II. Generalis, id eſt, Conſtantinopolitanæ I. condidiſſent ipſum Symbolum, de quo eſt quæſtio, atque in eo expreſsiſſent conſubſtantialitatẽ Spiritûs ſancti cum Patre & Filio, eiuſque à Patre proceſsionem, quæ in Nicæno Symbolo non exprimebatur, poſt quinquaginta annos in Symbolo Calchedonenſi Epiſcopi Ægyptij clamaverunt Actione prima: *Nemo ſuſcipit adiectionem, nemo diminutionem. Quæ in Nicæa conſtituta ſunt, teneant. Catholicus Imperator hoc iuſſit.* Ac præterea: *Adiectionem nullus ſuſcipit. Teneant quæ Patrum ſunt: teneant quæ in Nicæa conſtituta ſunt: teneant quæ de Spiritu ſancto ſunt. Catholicus Imperator hoc iuſſit.* Deinde ijdem Patres in litteris extantibus poſt eandem Synodum Calchedonenſem, Epiſtola 24. ita ſcribunt ad Leonem Auguſtum: *Suggerimus nos trecentorum decem & octo Patrum ſanctorum, qui in Nicæa ciuitate collecti, & per ſanctum Spiritum ſunt locuti, Symbolum tenere atque cuſtodire, ET NEQVE AVGMENTVM ALIQVOD, NEC IMMINVTIONEM RECIPERE. Ea nãque, quæ a ſancto Spiritu dicta atque cõſcripta ſunt, fas non eſt aliquomodo rectractari, NEC AVGMENTVM ALIQVOD, NEC IMMINVTIONEM EIS INFERRE.* Si autem iudicio Epiſcoporum omnium Ægypti non licuit, ne quidem Synodo Generali apud Conſtantinopolim coactæ, addere quidquam vel imminuere traditis in Nicæno Symbolo; multò minùs licere potuit Concilio Tertio Toletano, vtpote Provinciali ſolùm aut Nationali, quidquam Conſtantinopolitano Symbolo addere. Ergo tam procul eſt à vera laude Eccleſia Toletana & Hiſpana ob eam cauſam, vt potiùs reprehenſionem mereatur.

23 TERTIO Idipſum confirmari poteſt ex Actis Synodi Aquiſgranenſis ſub Leone III. Papa, & Carolo Magno Imperatore, circa annum Chriſti octingentiſsimum nonum. Ex ijs enim apparet, additionem Filioque in Symbolo introductam fuiſſe à quibuſdam Eccleſijs Occidentalibus, antequam Romana id probaret, aut exemplo ſuo confirmaret. Vnde poſt longam diſputationem in eo Concilio, & legationem ad ipſum Leonem Tertium, hic reprehendit quòd aliquid ab ijs Eccleſijs Symbolo additum fuiſſet. Quare ſic ad Legatos dixit: * Si priùs quàm ita cantaretur, interrogatus eſſem; ne inferretur, vtique reſpondiſſem. At nunc (quod tamen non affirmando, ſed vobiſcum pariter tractando, dico) quantum menti occurrit, ita mihi videtur poſſe vtrumque fieri: vt paulatim in Palatio, quia in noſtra ſancta Eccleſia non cantatur, cantandi conſuetudo eiuſdem Symboli intermittatur: ſicque fiet, vt quod idipſum vt cantaretur non quælibet imperantis auctoritas, ſed audiendi id fecerat novitas, ſi dimittatur à vobis, dimittetur ab omnibus. Et ita fortaſſe quantum eſſe poteſt, nõ incongruè vtrumque fieri poſsit: vt quod iam nunc à quibuſque priùs ne cientibus rectè creditur, credatur: & tamen illicita cantandi conſuetudo ſine cuiuſque fidei læſione tollatur. * Hactenus Leo III. Ex cuius verbis videntur duo conſtare. Alterum eſt, eo tempore nondum acceptam fuiſſe ab Eccleſia Romana additionem illam Symboli: alterum verò, reprehenſos à Pontifice Leone fuiſſe, qui illam induxerant, tam in Gallia, quàm in alijs Occidentalibus Eccleſijs. Cùm igitur prima iſtarum fuerit Toletana, ſive generatim Hiſpana, vt in Aſſertione dicimus; conſequens apparet, vt illa temerè id egerit, & reprehenſionem Pontificis iure ſubierit. Ne ergo illam hac notâ inuſtam fateamur, opus eſt dicere, additionem prædictam alibi initium habuiſſe.

24 HIS Obiectionibus ſeu difficultatibus, quibus nos ipſi propriam ſententiam vtcumque impugnamus, ad rei veritatem eruendam, reſpondere debent Auctores aliarum opinionum in ſuperioribus reiectarum. Nam ſi nihil omnino licet addere in formula fidei præter ea, quæ in Symbolo Nicæno tradita ſunt, iuxta præſcriptum Concilij Sardicenſis, cuius tenaciſsima vbique ac ſemper fuit Catholica Eccleſia; quomodo vel Damaſus Pontifex in Concilio Romano, vel Synodus II. Generalis, addidit particulam *Filioque*, quorum prius volunt Emanuel Calecas, Ioſephus Methones, & Stanislaus Socolovius; poſterius verò Loayſa? Rurſus, ſi tempore Leonis III. & Concilij Aquiſgranenſis, circa annum Chriſti octingenteſimum nonum additio illa nondum probata fuerat ab Eccleſia Romana; quomodo Baronius & Ruizius volunt iam probatam fuiſſe ab Agathone Papa anno ſexcenteſimo octogeſimo, id eſt, centum

tri-

triginta retro annis, aut etiam longè pluribus? Itaque omnes ij hærent in eâdem ſalebra.

25 RESPONDEO Itaque, difficultates obiectas non eſſe tanti ponderis, vt nos dimoveant à ſententia tradita. AD I. dico, quamvis Concilium Sardicenſe fuerit ſemper in ſumma veneratione apud Eccleſiam Romanam, non propterea huic ademptam fuiſſe poteſtatem declarandi aliquas veritates ad fidem ſpectantes, & virtute aut implicitè contentas, vel in ſacris litteris, vel in Symbolo Nicæno, quoties gravis & iuſta occaſio id exigeret. Hanc vero interveniſſe in Secunda Synodo Generali ad exprimendam proceſsionem Spiritûs ſancti ex Patre, atque identitatem cum ipſo in ſubſtantia vel natura, quarum neutra fuerat expreſſa in Nicæno Symbolo, patet: cùm poſt illud editum ſurrexerit hæreſis Macedonij, & generatim Pneumatomachorum, ſeu impugnatorum Spiritûs ſancti, quam iugulari oportuit in ipſa fidei Catholicæ profeſsione. Quare in venerationem Concilij Nicæni, nihil omnino additum fuit vel detractum ipſius Symbolo, prout in Synodo Sardicenſi cantum fuit. Verùm Patres CL. Concilij II. Generalis ad omnia hæreſum veterum & recèns ortarum monſtra radicitus iugulanda, ediderunt iure ac meritò aliud quoddammodo Symbolum, in quo diſtinctè & vberiùs exprimerentur ea, quæ preſsiùs ac breviùs in Nicæno tradita fuerant. Aliud quoddammodo, inquam. nam reverà idem eſt, & ſolâ maiori expreſsione quarundam veritatum differt Conſtantinopolitanum à Nicæno. Addo, nec Patres Concilij Sardicenſis prohibere quamlibet additionem Symboli Nicæni: ſed qualem continebant tabellæ quædam propoſitæ ibidem per quoſdam Epiſcopos, ab eodem Concilio reprobatæ: de quibus, neſciens earum reprobationem, dixit Hermias Sozomenus libro 3. Hiſtoriar. cap. 11. *Ediderunt Patres* (nimirum, Sardicenſes) *aliam fidei formulam, pluribus quidem verbis ſcriptam, ſed tamen eandem complectentem ſententiam, & verbis non multum ab ea diſcrepantem.* Quamvis verò fallatur Sozomenus tribuens aliam fidei formulam Patribus Sardicenſis Concilij, quam ſoli aliquot Epiſcopi inducere volebant, cæteris diſſentientibus; quod ille dixit de tabellis ijs per inſcitiam prohibitionis illarum, dici iure ac verè poteſt de Symbolo Conſtantinopolitano poſt Nicænum. Quemadmodum enim Symbolum Nicænum contra Sabellianos, Arianos, & multiplicem illorum ſectam, quaſi plura eiuſdem hydræ capita, *certis finibus & verbis Diuinitatis doctrinam circumſcripſit*, vt loquitur Nazianzenus in Encomio Heronis: ita etiam Symbolum Conſtantinopolitanum poſtea nonnihil ampliùs explicata eâdem Nicæni doctrina, Macedonianos hæreticos, Apollinariſtas, & generatim Pneumatomachos vnico fere impetu perſtrinxit & reiecit.

26 VNDE Tam procul fuerè Patres Conſtantinopolitanæ Synodi à reprehenſione Eccleſiæ ob eam additionem, vel maiorem explanationem Nicæni Symboli, vt potiùs exinde laudem & approbationem meruerint, tum à Damaſo Papa, qui eam Synodum CL. Patrum confirmavit; tum præterea à tota Synodo Generali Calchedonenſi, in cuius Actione quarta Legati Sedis Apoſtolicæ ſcriptum Sanct. Leonis Papæ contra Eutychianos definivêre orthodoxum, & ab omnibus recipiendum, quòd prorſus cohærens eſſet Symbolis Nicæno & Conſtantinopolitano, ac decretis Concilij Epheſini. Eamque definitionem poſtea tota Synodus confirmavit. Præterea Actione quinta in Decreto Fidei quoad omnia confirmato à Sanct. Leone Papa, aiunt Patres Calchedonenſes: * Inennarrabilem Patrum renovavimus fidem, Symbolum trecentorum decem & octo PP. (id eſt, Nicænum) omnibus prædicantes. Et eos qui hanc veluti teſſeram pietatis acceperunt, vt proprios Patres etiam adſcribimus: EOS, NIMIRVM, QVI POSTEA IN MAGNA CONSTANTINOPOLI CONGREGATI SVNT CENTVM ET QVINQVAGINTA, ET EANDEM FIDEM IPSI QVOQVE CONFIRMARVNT. * Atque inferiùs addunt: * Decernentes ſervari & ea, quæ apud Conſtantinopolim à ſanctiſsimis centum & quinquaginta Patribus decreta ſunt ad expellendas quidem hæreſes, quæ eo tempore germinaverant, & ad confirmationem eiuſdem Catholicæ & Apoſtolicæ noſtræ fidei. * Denique Pergamius Antiochiæ Epiſcopus ac Piſidiæ Metropolita in Synodalibus litteris ad Leonem Auguſtum, quæ extant poſt eandem Synodum Generalem Calchedonenſem Epiſtola 41. non ſolùm laudat Nicænos, ſed etiam * ſanctiſsimos centum quinquaginta Patres, qui infirmitati languoris Macedonij, ſancti Spiritus divinitatem negantis, ſalutaris auxilij medicinam obtulerunt, apertè firmitatem rectæ fidei docentes, & Divinitatem vnitatis inſeparabiliter adorandam. * Non ergo Patres Conſtantinopolitani reprehenſionem vllam meruerunt, ſed potiùs ſummam laudem, quoniam in ſuo Symbolo, ſeu fidei profeſsione, expreſſerunt vel addiderunt aliquid, quod in

Nicæno expreſſum non erat, ad repellendum hæreſes poſt illud ortas. Potuit ergo ſimiliter Concilium Tertium Toletanum ſine reprehenſione, immo cum laude, adijcere Symbolo ipſi Conſtantinopolitano particulam *Filioque*, ad reijciendum errorem antiquum Theodoreti, & quorundam aliorum è Græcis, qui poſt quinque priores Synodos Generales inficiabantur proceſsionem Spiritûs ſancti ex Filio.

27 VERVM Dices, longè diſsimilem eſſe vtriuſque rationem: nam Synodus Conſtantinopolitana, fuit Generalis, eaque ritè coacta, & poſtea probata à Sanct. Damaſo Papa, qui potuit ſuprema, quam in terris habuit, poteſtate, declarare ampliùs præcedens Symbolum Nicænum, & quædam addere in Conſtantinopolitano opportuna ad hæreſes debellandas: Toletanum verò Tertium fuiſſe dumtaxat Provinciale aut Nationale, cui long⁹ minor auctoritas, ac certè nulla ad Symbolum vicumque variandum, vel ad aliquid in eo addendum; præſertim nullo accedente conſenſu aut approbatione Gelaſij Secundi Papæ, cuius tempore celebratum creditur. Neque enim eiuſmodi approbatio extat, vel legitur, in eius exemplaribus tot diverſarum editionum. Ergo Patres Concilij Tertij Toletani temerè & inconſultò addiderunt Symbolo CP. particulam *Filioque*.

28 RESPONDEO: Quamvis Concilium illud Conſtantinopolitanum fuerit Generale & ritè coactum, iubente aut probante Damaſo Papa; nullum tamen eius decretum, vel definitionem habuiſſe vim & firmitatem omnimodam, vſquedum à Pontifice confirmaretur pro tota Eccleſia. Quare ij Patres ſolùm addiderunt particulas quaſdam in Symbolo fidei ſuæ, ſub correctione Romani Pontificis; idque cum laude ac merito, quoniam ijs expedire viſum ad coercendas hæreſes negantium divinitatem ſolidam Spiritûs ſancti, & æternam ex Patre proceſsionem. Ergo proportione quâdam Patres Concilij Tertij Toletani, quamvis Provincialis, potuerunt pro Eccleſijs Hiſpaniæ addere ipſi Symbolo particulam *Filioque*, ad profligandum errorem contrarium multorum, fortè tunc temporis ad hoc Regnum è Græcis aut Arianis derivatum; idque ſub correctione Summi Pontificis, cui non potuerunt eſſe ignota eiuſdem Synodi Acta: præſertim cùm in eâ adeſſent ſanctiſsimi & doctiſsimi Præſules Euphemius Toletanus, & Leander Hiſpalenſis: qui nullatenus auderent id facere, ſine vrgenti ratione & occaſione, ac ſubiectione debita ad Romanum Pontificem: quamvis huius non extet aliqua expreſſa approbatio, ſed ſolùm tacita, quatenus prudenter cenſetur reſciviſſe decreta eius Toletani Concilij, & permiſsiſſe additionem illam pro Regnis Hiſpaniæ; veluti traditam à SS. Patribus Græcis & Latinis, cohærentemque ſacræ Scripturæ teſtimonijs, quamvis eouſque nondum ab Eccleſia Catholica definitam. Quo ſenſu accipio verba Sancti Anſelmi libro de Proceſsione cap. 21. vbi hanc ipſam Græcorum criminationem obijcit ſibi, ac ſolvit dicens: *Quod autem quæritur, quare hoc* (nimirum, additio Symboli) *Græcorum Eccleſiæ conſenſu factum non eſt: Reſpondemus, quia & nimis erat difficile Latinis, eorum Epiſcopos ad conſulendum de hac re colligere; nec erat neceſſe, vnde non dubitabant hoc in quæſtionem adducere. Quæ enim Eccleſia eſt, quæ vel per amplitudinem vnius Regni dilatatur, cui non liceat aliquid ſecundùm rectam fidem conſtituere, quod in conventu populi vtiliter legatur aut cantetur? Quantò ergo magis licuit Latinis hoc conſtanter proferre, in quo omnes gentes, & omnia Regna, quæ Latinis vtuntur litteris, pariter concordant?* Itaque nulla in eo apparet temeritas Toletanorum Patrum: præſertim cùm eo tempore nulla eius additionis prohibitio ex vî alicuius legis aut decreti Eccleſiaſtici legeretur. Potuit quoque Summo Pontifici fortaſſe eſſe iuſta cauſa ſinendi aut permittendi eam additionem in Hiſpania, vbi non imminebat periculum aliquod: & ſimul ne illam præciperet pro tota Eccleſia, vt plerique ex Græcis negantibus tunc proceſsionem Spiritûs ſancti ex Filio, non acciperent inde anſam recedendi penitus ab Eccleſia. Quod malum pluribus longè ſæculis poſtea incurrerunt, vbi veritas eadem à Generalibus Concilijs Lateranenſi ſub Innocentio III. Lugdunenſi ſub Gregorio X. & Florentino ſub Eugenio IV. definita fuit. Plura huc ſpectantia vide Tomo III. in Opuſculum III. cap. 14.

29 AD Secundam obiectionem numer. 22. propoſitam dico, Epiſcopos illos, qui in Synodo Calchedonenſi criminati ſunt adiectionem illam à Concilio Conſtantinopolitano factam in Symbolo, & poſtea ſcripſerunt ad Leonem Auguſtum, non fuiſſe Catholicos, ſed hæreticos Eutychianos, Eccleſiæ Catholicæ infenſiſsimos, quorum aut calcibus, aut conſilijs iniquis, cæſus fuit Sanctus Flavianus Patriarcha Conſtantinopolitanus (ad quem extat mirabilis illa & cœleſtis Epiſtola Sanct. Leonis Papæ) atque in ipſo Baptiſterio, non ſine horrore, vel Gentilium ipſorum, Sanct. Proterius Alexandrinus fuit in cineres redactus per ignem, & in ventos ſparſus. Quare nulla habenda eſt ratio criminationis illorum con-

contra additiones factas in Symbolo CP. ſupra ea, quæ in Nicæno habebantur. Neque obſtat quòd iidem Epiſcopi videantur in ea Epiſtola profiteri, ſe ſe communicare Synodis apud Epheſum coactis. Non enim id tam dicunt propter legitimam & Generalem Synodũ Epheſinam, quæ certè in omnibus Conſtantinopolitanâ ſecuta ac venerata eſt, quàm propter Conciliabulum quoddam, ſive latrocinium Epheſinum, in quo prædictus S. Flavianus à quodam alio Epiſcopo impijſsimo illorum complice trucidatus fuit. Quare in eâdem Synodo Calchedonenſi cæteri Patres Orientales Orthodoxique contra illorum dicta clamaverunt: *Hæc Eutyches dixit.* Nimirum, Eutyches ipſe, eorum anteambulo, in confeſsione ſuæ fidei exhibita Conciliabulo Epheſino, ſolùm admittebat Synodos Nicænam & Epheſinam, omiſsâ penitus Conſtantinopolitanâ, in qua ipſius hæreſis apertè iugulabatur. Vide Chriſtianum Lupum in Scholijs ad eandem Synodum, vbi plura de hoc. Vnde ex impio clamore eorum Epiſcoporũ, nihil colligitur, vel contra additiones Symboli in Synodo C P. vel contra illam, quæ in Toletano Concilio Tertio facta eſt.

30 AD Tertium dicendum eſt, Concilium illud Aquiſgranenſe fuiſſe quidem celebratum anno Domini octingentiſsimo nono ſub Leone Tertio & Carolo Magno, ob controverſiam quandam tunc temporis excitatam à quodam Ioanne, quem Ado monachum Hieroſolymitanum fuiſſe ait, & Petrus Pithœus ſuſpicatur fuiſſe Damaſcenum illum ſanctitate & doctrina celebrem, quem Græci poſteriores ſubſcripſiſſe Theodoreto contendunt in neganda proceſsione Spiritûs ſancti à Filio. Verùm fallitur Pithœus, alioqui eruditiſsimus: tũ quia Damaſcenus nunquam invenitur reipſa negaſſe proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio: vt oſtendit Barlaamus Epiſcopus Gyracenſis Epiſtola 2. ad ſuos Græcos (apud noviſsimam Bibliothecã PP. Aniſſenianam Tomo XXVI. ſæculo XIV.) & Beſſarion Cardinalis, alique Græci, in Actis Concilij Florentini: ac nos ipſi vberiùs demonſtrabimus in Scholijs ad c. 1 & 10. Anſelmi de Proceſsione: Tum præterea, quia Damaſcenus eo tempore iam deſierat inter mortales eſſe, atque in cœlum migraverat longè antea: cùm eius obitus cõmuniter accidiſſe cenſeatur inter Sextam & Septimam Synodum Generalem, & vltima illius mentio apud Hiſtoricos inveniatur apud Baronium anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo nono, in quo ille teviviſcentem Gnaphei hæreſim auctoritate ſua extinxit: deinde verò quinque pòſt annis in Conciliabulo Iconoclaſtarum, memorato ab eodem Baronio, eiuſdem Damaſceni memoria, ſicuti & aliorum Patrum ſactis Imaginibus faventium, quaſi iam vitâ functorum, inani & phantaſtico anathemate inuratur. Itaque Damaſcenus iam obierat ſexaginta circiter annis ante Concilium illud Aquiſgranenſe. Non ergo congregatum fuit ob controverſiam tunc excitatam à S. Ioanne Damaſceno, ſed à quopiam alio monacho Hieroſolymitano eiuſdem nominis.

31 CÆTERVM Quidquid de hoc ſit, quod ſolùm obiter libatum volo, id certum apparet, controverſiam illam non fuiſſe excitatam circa proceſsionem ipſam Spiritus ſancti à Filio, ſed circa additionem particulæ *Filioque* ad Symbolum, quod eo tempore in quibuſdam Eccleſijs Occidentalibus, ſeu Latinis, cantari ſolemniter cœperat cum eâdem additione. Id patet ex Actis eiuſdem Concilij: in quibus nihil extat circa controverſiam præcipuam Latinorum cum Græcis, procedatne Spiritus ſanctus à Filio, an ſecus: ſed circa additionem eius particulæ in Symbolo. Conſtat præterea ex Adelmo in Annalibus eius temporis teſtante, Carolum Magnum miſsiſſe Romam Legatos ſuos, Bernharium Epiſcopum Vvormacienſem, & Adalardum Benedictini Monaſterij Corbeiæ Abbatem (Virum eo tempore celeberrimum) ad Pontificem Leonem III. vt controverſiam in eo Concilio agitatam definiret. Conſtat verò ex argumento ipſo, & reſponſo eiuſdem Pontificis, quod nobis ſupra num. 23. obiecimus, Pontificem tunc nihil definiſſe circa proceſsionem Spiritus ſancti, an ſit ex Filio: ſed ſolùm fuiſſe hortatum ad vitandam de cætero additionem illam in quibuſdam Galliæ Eccleſijs nuper factam in cantu ſolemni Conſtantinopolitani Symboli. Igitur quæſtio non fuit in eo Concilio circa proceſsionem, ſed circa additionem eius particulæ ad Symbolum in cantu ſolemni. Alioqui Imperatoris Legati non de hac, ſed de illa Pontificem conſuluiſſent: aut certè ipſe Leo Tertius non reſpondiſſet ad rem, nec vllo modo diremiſſet Concilij illius controverſiam. Et quidem ille, vt ſuprà vidimus, non facilè probaret additionem illam Symboli, nec cohærenter ad laminam argenteam in ſuperioribus memoratam, in qua Symbolum CP. ſcribi iuſsit ſine particula *Filioque*, & iuxta altare Sanct. Petri in perpetuam rei memoriam ſervari.

32 DICES: Ergo & idem Pontifex in eo decreto damnat, implicitè ſaltem, aut æquivalenter, additionem Symboli introductam in Hiſpania à tempore Concilij Tertij Toletani, vt nos aſſeruimus. RESP. Leonem imprimis non damnare additionem illam quomodocumque factam, ſed in cantu ſolemni Symboli intra ſacrificium Miſſæ vetare vſum illius. Sic enim noviter in Galijs

introducta fuerat abſque ſufficienti auctoritate; & fortaſſe nondum in Hiſpania Symbolum ita additum cantabatur, ſicuti nec in Concilio Tertio Toletano cantatum legitur, licet omniũ Patrum ibidem congregatorum nomine prolatum extet in editione Loayſæ. Deinde nec Pontifex abſolutè damnat additionem illam Symboli in cantu ſolemni, ſed ſolùm hortatur ad dimittendam illam, veluti nondum convenientem in Gallijs eo tempore, propter controverſiam de ea ortam. Cùm verò nulla circa id in Hiſpania fuiſſe legatur, potuit forſan in eâ eſſe ac vigere conſuetudo cantandi in Miſſa Symbolum ita additum, citra reprehenſionem aliquam. Verùm quo tempore Hiſpanæ Eccleſiæ cœperint cantare ſolemniter in Miſſa Symbolum cum ea additione, non conſtat, neque hactenus invenire potui apud Auctores allegatos.

33 SIMILITER Incertum mihi eſt, quo primùm tempore Eccleſia Romana, cæterarum mater & magiſtra, cœperit addere particulam illam *Filioque* in cantu ſolemni Symboli Conſtantinopolitani ad ſacrificium Miſſæ. Id ſaltem cõſtat, longè poſt tempora prædicti Leonis III introductum fuiſſe: ac præterea in Actis Conciliorum Generalium Octavi, Noni, Decimi, & Vndecimi, nullum eius additionis veſtigium eſſe: vt oſtenſum fuit ſingillatim Diſputatione præcedenti ſect. 2. Deinde quamvis in Duodecimo Generali, id eſt, Lateranenſi IV. ſub Innocentio III. definita fuerit proceſsio Spiritus ſancti ex Filio, conſentientibus pariter Latinis & Græcis (vt conſtat ex cap. 4. ipſius, & habetur in cap. *Firmiter* de ſumma Trinitate & Fide Cathol.) non tamen legitur additio eius particulæ ad Symbolum, ſive intra Miſſam, ſive extra, intra ipſum Concilium. Nam extra Concilium Generale admiſſam fuiſſe eam additionem in Symbolo ab Eccleſia Romana longè ante tempus eiuſdem Innocentij Tertij, poſtea oſtendemus num. 42. & eo tempore communiter admiſſam fuiſſe in omnibus Eccleſijs Latinis teſtatur S. Anſelmus verbis ſuprà num. 28. exſcriptis.

34 SOLVM Itaque legitur ea additio ſolemniter facta in cantu Symboli apud Cõcilium Quartum-decimum Generale, id eſt, Lugdunenſe Secundum, ſub Gregorio Decimo Papa, anno Chriſti M.CC.LXXIV. in quo idẽ Pontifex cum Epiſcopis circiter quingentis, tũ Latinis, tum Græcis, & Patriarchis Conſtantinopolitano & Antiocheno, cecinit publicè, atque ingenti omnium lætitia Symbolum CP. cũ additione *FILIOQVE*. Itaque ab eo ſaltem tempore videtur id in tota Eccleſia receptum cum ea particula in ſacrificio Miſſæ, exceptis pleriſque Græcorum, qui paulo poſt ad ingenium ſuum redierunt; & adhuc longè poſtea eandem doctrinam, iterum confirmatam in Cõcilio Generali Florẽtino, turpiter eiurârunt. digni planè propterea, vt amiſſo Orientis Imperio, quod tandiu retinuerant, ab Othomanis in duram ſervitutem redacti fuerint vſque in præſentem diem. De quo plura obſervavimus Diſputatione XC. ſect. 2.

SECTIO QVARTA.

Examinatur doctrina quẽdam Chriſtiani Lupi, & confirmatur doctrina ſuperioribus tradita, præſertim in gratiam Concilij Tertij Toletani.

35 CVM Hæc iam ſcripta & prælo parata eſſent, incidi in Tomum III. Scholiorum Chriſtiani Lupi in Concilia, Diſſertatione *de S. Leonis Noni Actis*, Crimine ſeptimo, pag. 914 vbi ita loquitur: *Vocem* FILIOQVE *primi addiderunt Hiſpani. Et ipſos dudum & acriter improbavit atque impugnauit Gallicana Eccleſia. Sub Caroli Magni Imperio & hæc admiſit: & grauiter obſtitit, ac duriſsimè tulit Romana Eccleſia. Quòd & ipſa tandem admiſerit, palam hic affirmat Cardinalis Humbertus. Formoſſus Pontifex paſsim creditur admiſsiſſe. Proinde Græci voces iſtas Symbolo non abſtulerunt, ſed nos Latini addidimus. Nam hinc ab illis inuidioſiſsimè clamamur eſſe præuaricati Epheſinam Synodum, & amiſsiſſe veram Chriſtianitatem. Quę omnia ſunt alibi largiùs elucidanda.*

36 ATQVE Imprimis Lupus hiſce verbis confirmat quod fusè in hac Diſputatione tradidimus, præſertim à num. 20. additionẽ *FILIOQVE* primùm factam fuiſſe ad Symbolum in Concilio Tertio Toletano, quamvis ipſe auctor ſolùm generatim dicat, primùm ab Hiſpanis factam. Quòd autem illos dudum & acriter impugnaverit Gallicana Eccleſia, eam ob cauſam, incertum mihi eſt, nec vllum ea de re teſtimonium profert Lupus. Iam verò quòd tandem Gallicana Eccleſia ſub Caroli Magni Imperio exceperit idem additamentum, conſtat ex Actis Concilij Aquiſgranenſis ſuprà memorati num. 30. & 31. ac præterea teſtimonio Vvalafridi Strabonis lib. de Rebus Eccleſiaſticis cap. 22 vbi ait, tempore eiuſdem Caroli Magni, *apud Gallos & Germanos, poſt dejectionẽ Felicis hæretici, ſub glorioſiſsimo Carolo Francorum Rege damnati, idem Symbolum* (ideſt, CP.) *latiùs & crebrius cœpiſſe in Miſſarum Officijs celebrari.* Scilicet, cum additione illa iam memorata ex Actis Concilij Aquiſgranenſis. Extat verò is liber Strabonis nuper recuſus in Bibliotheca VV. PP. Aniſſoniana Tom. XV.

Sæ-

Sæculo IX Neſcio autem vnde Lupus colligat, Romanam Eccleſiam graviter obſtitiſſe, & duriſsimè tuliſſe eam additionem. nam verba Leonis III. ad Legatos Caroli Magni ea de re, mitia ac benigna ſunt: vt patet ex ijs ipſis iam num 23. exſcriptis. Cumque additio ipſa à tempore Concilij III. Toletani introducta fuiſſet in Hiſpania, ducentis viginti annis ante Concilium Aquiſgranenſe, toto eo tempore non legimus indignationem aliquam Romanæ Eccleſiæ, nec Summorum Pontificum contra illam. Quin nec Leo III. in reſponſione dicta ad Legatos Caroli Magni loquitur quidquam de additione vlla prout in Hiſpanijs facta, ſed in Gallijs, vbi noviter induci cæperat: nec præterea videtur loqui de qualicumque additione, ſed in cantu ſolemni ad ſacrificium Miſſæ: qua ratione incertum eſt an tunc temporis eſſet introducta ab Hiſpanis.

37 CONFIRMATVR Hæc ipſa coniectura, ac defenſio Eccleſiæ Hiſpanæ: quoniam Ioannes Beccus Patriarcha CP. electus à Michaele Palæologo Orientis Imperatore, vt exequeretur & firmaret vnionem Græcorum cum Latinis in Concilio Lugdunenſi factã ſub Gregorio X. anno M. CC. LXXIV. circa proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio, aut ex Patre per Filium, vt Græcorum aliqui fuerant loquuti, non ſolùm oſtendit præclarè, vtramque eam locutionem habere eundem ſenſum; ſed etiam fatetur, in additione prædicta ad Symbolum, *ſe vix culpam leuem agnoſcere.* Ita habet lib. 6 cap. 25. & teſtatur Gregorius Pachymeres. Non ergo additioni illi graviter obſtitit, neque eam duriſsimè tulit Romana Eccleſia. Quin nec levem in eo culpam fuiſſe, indicatam à Ioanne Becco, exiſtimabit qui legerit quæ ad excuſandam Synodum illam Toletanam præmiſsimus num. 28 & 32.

38 VRGETVR Amplius ex declaratione Eugenij IV. Papæ in Concilio Florentino anno M. CD. XXXIX. vbi poſt vnionem Græcorum cum Latinis in eo factam, tradit Symbolum CP. Armenis cum additione *Filioque* in vltimo decreto, non longè à fine, dicens: * Imprimis ergo damus eis ſanctum Symbolum à centum quinquaginta Epiſcopis in Oecumenico Conſtantinopolitano Concilio editum, cum illa additione FILIOQVE, ipſi Symbolo, declarandæ veritatis gratia, & vrgente neceſsitate, LICITE ET RATIONABILITER APPOSITA. * Hæc ibi Pontifex. Si autem licitè & rationabiliter facta fuit additio illa; ergo citra culpam, adhuc levem, & multo magis citra gravem Eccleſiæ Romanæ indignationem. Pergit verò Eugenius & ſubdit: * Hoc autem ſanctum Symbolum, SICVT APVD LATINOS MOS EST, ita decernimus per omnes Armenorum Eccleſias intra Miſſarum ſolemnia ſingulis ſaltem Dominicis diebus, & maioribus feſtivitatibus, decantari vel legi. * Quibus verbis teſtatur Pontifex, iam tum temporis in more poſitum fuiſſe Latinis Eccleſijs, vt Symbolum CP. cum prædicta additione diebus Dominicis & in feſtis maioribus cantaretur aut legeretur: quamvis non indicet tempus, à quo id cæperit, ſed indefinitum relinquat.

39 VNDE Refellitur vetus calumnia Photij Schiſmatici & infenſiſsimi hoſtis Latinæ Eccleſiæ, tum quòd crederet, Spiritum ſanctum ex Filio procedere, tum quòd ea additio facta fuiſſet Symbolo. Quam criminationem longè poſtea excitavit Michael Patriarcha CP. circa annum Chriſti M.LIV. ob varios errores anathemate inuſtus ab Eccleſia: atque ex parte ratam habuit eodem tempore, inter alios Græcos, Petrus Antiochiæ Patriarcha, dicens adverſus Latinos: *Sed multũ eſt iſtud, & malorũ peſsimum additio in Symbolo. Si enim Euangelia noſtra ſunt cadẽ cum illorũ Euangelijs, vnde illi, plura quàm nos edocti, huiuſmodi alienam additionem fecerunt?* Vt autem nos quoddam modo excuſet, ſubdit ſtatim cauſam riſu dignam: * Sed vt videtur, amiſſerunt Romani exempla Nicænæ ſanctæ Synodi, cùm Vvandalica gens Romæ Imperio diu potita ſit. Nobis enim ſatis eſt ad perfectã veritatis cognitionem & confirmationem, ſapiens illud & ſalutare divinæ gratiæ Symbolum. Docet enim nos perfectè de Patre & Filio & Spiritu ſancto: Incarnationem præterea Domini fidelibus manifeſtat, qui illam recipiunt. Illos itaque, qui Symbolo aliquid addunt, vel auferunt, anathemate damnamus. Siquis enim, inquit Apoſtolus, evangelizaverit vobis præter id, quod evangelizatum fuit, anathema ſit. Bonum eſt enim ad bonum reſpicere, præſertim cùm neque Deus, nec fides patitur aliquod detrimentum, ad pacem ſemper declinare, & fratrum dilectionem. Fratres enim noſtri ſunt iſti: licèt ruſticitate vel ignoratione contingat, illos ſæpe à recto decedere, propriæ ſervientes voluntati. Nec oportet nos adeò exactam diligentiam quærere inter barbaras gentes, quàm nos quærimus, qui circa litteras verſamur. Magnum erit, ſi apud illos abſque aliquo errore ſanctiſſima Trinitas, vitæ origo & cauſa, prædicetur; & ſi Incarnationis etiam Myſterium iuxta noſtram ſententiam illi confiteantur. * Hæc ille; in quibus, poſtquam criminatus graviſsimè fuerat additionem illam, profert duplicem egregiã excuſationem ſceleris adeò immanis: alteram, amiſsionem exemplarium Symboli C.P. (hoc enim intelligit per Nicænum) ob incurſionem Vvandalorum & dominium diuturnum ſupra Romanum Imperium: alteram verò, barbariem

riem & ruditatem Latinorum, quæ proinde veniam mereatur.

40 SED Enim vtraque excuſatio eſt riſu digna. Prior quidem. nam licèt frequentes fuerint Vvandalorum & aliarum nationum efferatarum incurſiones in Romanum Imperiũ, ſemper & vbique in tota Eccleſia Latina permanſerunt, non chiliades modò, ſed myriades exemplarium Symboli, tam Nicæni, quàm Conſtantinopolitani: immo & data hypotheſi planè chimærica quòd aliquando penitus excidiſſent ſcripto, adhuc in memoria fidelium permãſiſſent, ac rurſus ſcriptis innumeris cõſignata eſſent. Præſertim, cùm Ioannes Abbas Biclarienſis, gravis & antiquiſsimus ſcriptor (cuius Opuſcula miror non fuiſſe edita in magna Bibliotheca PP. Aniſſoniana anni M. DC. LXXVII.) teſtetur Iuſtinum II. Imperatorem anno primo Imperij ſui, qui fuit Chriſti DLXV. *Symbolum Conſtantinopolitanum centũ quinquaginta Patrum in omni Catholica Eccleſia à populo concinendũ intromiſsiſſe priuſquam Dominica diceretur oratio.* Deinde elapſis viginti quatuor annis poſt prædictum Iuſtini decretum, id eſt, anno Chriſti D LXXIX. idem Symbolum CP. in Eccleſijs Hiſpanię receptum fuit ſub Reccaredo ipſarum Rege, iuſſu Concilij Tertij Toletani toties memorati canone ſecundo: in quo Patres congregati ſanxerunt, *vt per omnes Eccleſias Hiſpaniæ & Galliciæ* (Loayſa ſæpiùs *Galloeciæ* exſcribit, iuxta exemplaria vetera) *ſecundùm formam Orientalium Eccleſiarum, Concilij Conſtantinopolitani centũ quinquaginta Epiſcoporum Symbolum recitetur: vt priuſquam Dominica dicatur oratio, voce clara à populo decantetur.* Si autem Symbolum CP. à principio ferè adeò pervulgatum ac ſolemne erat in tota Eccleſia Catholica, & nominatim in Hiſpanijs: qua ſpecie veritatis potuit dicere Petrus Patriarcha Antiochenus, exemplaria eius Symboli apud Latinos non manſiſſe? Nec tamen ideo exiſtimes, Patres eius Concilij ſtatuiſſe, vt Symbolum id voce clara à populo cantaretur cum ea additione. nam quamvis ipſi addiderint particulam *Filioque* intra ipſum Concilium, vt ſuprà num. 28. vidimus; non conſtat, pariter eos ſanxiſſe, vt idem Symbolum cum ea additione à populo cantaretur.

41 POSTERIOR Verò excuſatio, ſeu miſeratio ruditatis Latinorũ, non tam ex charitate aut vera miſericordia videtur proceſsiſſe, quàm ex notiſsimo illo ac pene ingenito Græcorum ſupercilio & faſtu, quo cæteros homines, etiam Romanos & exculiſsimos, Barbarorum appellatione notabant. Ne tamen tẽpus inſumam propulſandæ huic calumniæ, quæ apud plurimos ex Latinis iam antè condignas pœnas dedit; licuerit Græcis iam diu mutis eſſe, vbi toties Catholica Eccleſia proceſſionem Spiritus ſancti ex Filio definivit, veluti contentam in Evangelio (quod iam ſupra ſatis oſtendimus Diſp XC ſect. 3 & 4.) & Eugenius IV. verbis num 38. exſcriptis probavit additionem illam Latinorum ad Symbolum tanquam *declarandæ veritatis gratia, & vrgente neceſsitate, licitè & rationabiliter appoſitam.* Non ergo ex ignoratione aut barbarie Latinorum. Sed & quàm cohærenter ad Evangelij doctrinam vtrumque id factum fuerit ab Eccleſia Latina, oſtendimus ſatis Diſp. illa, ac longè fuſiùs Tomo III. in Commentarijs ad librum Anſelmi de Proceſsione Spiritus S.

42 DENIQVE Quod addit Chriſtianus Lupus, Eccleſiam Romanam tempore Humberti Cardinalis iam admiſsiſſe additionem illam ad Symbolum, eſt omnino certum, loquendo extra Generale Concilium, iuxta dicta num. 33 & 34. quoniam Humbertus ipſe floruit tempore S. Leonis IX. Papæ, qui anno M. LIV. illum miſsit Legatum Conſtantinopolim: vbi inter alia plura, quæ reprehendit in Michaele Patriarcha eius vrbis, vnum memoratur, quòd is negaret Spiritus ſancti proceſsionem à Filio: vt conſtat ex brevi notitia rerum in ea legatione geſtarum, ab ipſo, vt creditur, Humberto conſcripta, cuius meminit Baronius ad eundem annum. Quin & prædictus Michael, fretus Imperatoris patrocinio eò audaciæ pervenit, *vt Pontificem Romanum cum ſuis excommunicatum eſſe proclamaret, eo quòd in Symbolo addidiſſent illud FILIOQVE*: prout refert idem S. Leo IX. in Epiſt. ad Conſt. Monomachum Cumque præterea idem Cardinalis, pijſsimus ſanè ac doctiſsimus (quem propterea ex Noſtris celebrant Cardinalis Leo Hoſtienſis, & Lanfrancus Archiep Cantuarienſis, ac Magiſter Anſelmi, eiuſdem temporis Scriptores) teſtetur, additionem illam iam ſuo ipſius tempore factam in Romana Eccleſia; non poteſt de hoc rationabiliter dubitari. Conſonat eidem teſtimonio Anſelmus in Opuſculo de Proceſſione conſcripto quadraginta ſeptem poſt annis, id eſt, Chriſti MCI. vbi cap. 5. inquit de Græcis: *Nec eſt poſitum in illo Symbolo, in quo reprehenditur ab illis addidiſſe proceſsionem eius* (nimirum, Spiritus ſancti) *de Filio.* Ergo, temporibus S. Anſelmi, immo & Humberti Cardinalis, ac Leonis Papæ IX. Romana Eccleſia iam admiſerat eam additionem in Symbolo.

DIS

DISPVTATIO XCIII.

AN SI SPIRITVS SANCTVS NON PROCEDERET A FILIO, DISTINGVERETVR REIPSA AB ILLO.

AD REVERENDISSIMVM IVXTA AC SAPIENTISSIMVM P. Fr. IOSEPHVM XIMENEZ SAMANIEGO, totius Seraphici Minorum Ordinis digniſsimum Generalem, præſtantem ac iam diù Emeritum Theologiæ Profeſſorem, & Catholicæ Maieſtatis Theologum in Conſeſſu Conceptionis Immaculatæ: Virum illuſtri & antiquiſsima nobilitate, pietate, prudentia, obſervantia, & magnitudine animi ſpectabilem toti Chriſtiano Orbi, cœleſti genio ad ſumma natum, &c.

QVAMVIS *Controuerſia hæc non legatur expreſſa apud Anſelmum, ſicuti nec apud alios Patres antiquiores, plurimum pendet ex doctrina ipſius toto ferè libro de Proceſsione Spiritus ſancti contra Græcos, quam alij atque alij ex Scholaſticis contrariè opinantibus pro ſe afferre ſtudent ingenti contentione, quaſi huius Diſputationis arbiter ſit, cui nemo non aſſurgat. Nos certè illam minùs fusè hoc loco tractabimus, quàm alij Recentiorum: quoniam plura dicenda erunt Tomo III. in Commentarijs eius libri, quæ non oportuit nunc inculcare. Habet verò præcipuè locum apud Magiſtrum in* 1. *diſt.* 11. *vbi tractatur à Scoto, Durando ac cæteris Scholaſticis, & à D. Thom.* 1. *part. quæſt.* 36. *art.* 2. *eiuſque Interpretibus.*

SECTIO PRIMA

Præmittitur vtilitas huius controuerſiæ contra aliquos oppoſitum ſentientes, quorum argumenta refutantur. Contrariæ Theologorum opiniones relatæ.

2 NON Oportet nimis immorari in refellendis ijs, qui quæſtionem hanc, aut nullius vtilitatis, omnino arbitrantur, aut alienam ab inſtituto Theologorum cenſent: fortaſſe vt ſe expediant ab onere & difficultate tractandi illam. Etenim ex progreſſu conſtabit quàm proficua ſit ad oſtendendum contra Græcos proceſsionem Spiritus ſancti à Filio, idque ex vi rationis Theologicæ. nam loquendo iuxta auctoritatem Evangelij, Conciliorumque, factis iam in tribus Diſputationibus proximè præcedentibus dictum eſt de illa, veluti certa ſecundùm fidem & quam olim ſine pertinacia negarunt quidam ex Græcis; poſtea verò non, niſi præfractè, & cum nota hæreſeos manifeſtæ. Deinde vtilis eſt controverſta hæc ad veſtigandum penitiùs cõſtitutionem & diſtinctionem perſonarum diuinarum, iam ſuprà traditam Diſp. LXXIX. & LXXX. Denique cùm tritæ ſint aliæ quæſtiones Theologis ex hypotheſi impoſsibili, ad veſtigandas rationes formales quarundam rerum, etiam divinarum; oportuit quoque hanc diſputationem exagitari ſtatuta impoſsibili ſuppoſi-

tione

rion è, vt appareat, quænam ſit formalis ratio diſtinguendi Spiritum ſanctum à Filio. Et certè quis dicat, inutile eſſe quærere, An tota ratio diſtinctionis realis Spiritus ſancti à Filio, ſit proceſsio ab eo? Nemo ſanè prudens id inutile cenſebit. Atqui id omnino eſt quod in hac Diſputatione quæritur. Hæc enim cathegorica propoſitio, ſive interrogatio, æquipollet illi hypotheticæ, vt conſideranti palam erit. Quin & vtilitatem ipſam huius quæſtionis videntur ſupponere Patres Latini in Concilio Florentino, locis poſtea allegandis, ſicubi contra Græcos indicant, Spiritum ſanctum non fore diſtinguendum reipſa & perſonaliter à Filio, ſi ab eo non procedat. Itaque videntur ij ipſi præ manibus tunc habuiſſe hanc ipſam quæſtionem: quamvis nõ ſub eadem formula, quâ excitatur à Scholaſticis.

3 NEQVE Obſtat quod opponunt aliqui cum Gothfredo Quodlib. 7. quæſt. 4. apud Scotum vbi ſuprà quæſt. 2. ſub initium, ex impoſsibili ſequi quodlibet: ac propterea ex hypotheſi huius quæſtionis, planè impoſsibili, non magis colligi, Spiritum ſanctum fore, quàm non fore diſtinguendum à Filio. Non, inquam, obſtat. nam hæc obiectio æquè impugnat omnes controverſias ex hypotheſi impoſsibili procedentes. Deinde & tollit è medio omnes probationes theologicas, philoſophicas, & mathematicas, quæ ducunt ad impoſsibile: quales paſsim occurrunt in ijs diſciplinis. nam ex qualibet earũ ſequeretur quodlibet, & non potiùs abſurdum illatum ab arguente, quàm eius contradictorium. Patet verò eiuſmodi probationes vtiles eſſe, & vt tales ab Ariſtotele tradi, tum vſu ipſo alijs atque alijs locis: tum generatim lib. 2. Priorum cap. 11. & tribus ſequentibus. Atque initio illius præmittit: *ὁ δὲ διὰ τοῦ ἀδυνάτου συλλογισμὸς, δείκνυται μὲν ὅταν ἡ ἀντίφασις τεθῇ τοῦ συμπεράσματος, καὶ προσληφθῇ ἄλλη πρότασις.* id eſt, *Per impoſsibile autem fit ſyllogiſmus, cùm ponitur contradictio concluſionis, & aſſumitur alia propoſitio.* Deinde ſubdit ſtatim id genus ſyllogiſmi fieri in omnibus figuris. quod fusè demonſtrat in eo capite & ſequentibus. Nimirum, in eo aſſumitur pro Maiori aut Minori propoſitione contradictorium concluſionis illius, quam quis probare vult: vt quando conſtiterit inferri aliquid abſurdum & impoſsibile, quod adverſarius recuſat concedere; cogatur ipſe advertere falſam eſſe propoſitionẽ, ex qua id ſequitur: atque adeò veram eſſe illius contradictoriam. Ideoque Ariſtoteles eo loco contradictoriam conclutionis probandæ appellat hypotheſim: quoniam non aſſeritur ab arguente abſolutè, ſed ſolùm præmittitur, veluti ſuppoſitio quædam, ex qua colligitur aliud impoſsibile.

4 NEQVE Obſtat quod ij Auctores opponunt ex impoſsibili ſequi quodlibet: nimirum quodlibet, ex contradictorijs, ratione quorum eſt impoſsibilis ipſa ſuppoſitio. Reſpondemus enim dupliciter poſſe ex hypotheſi impoſsibili aliquid ſequi. Primò ex terminis, ſive per locum ab intrinſeco, vt aiunt. Secundò in ſenſu materiali, aut identico, quod dici ſolet per locum ab intrinſeco. Priori modo ſequitur aliquid, quoties infertur præcisè ex prima illa hypotheſi impoſsibili. Poſteriori autem modo ſequitur aliquid, quando non infertur præcisè ex illo primo impoſsibili, ſed ex alio adiuncto. Exemplo res illuſtratur, ſi inquiramus, An ſi homo non eſſet animal, ſequatur diſtinguendum adhuc illum fore ab equo, necne. Certè illatione formali, ſive per locum ab intrinſeco ſolùm ſequitur, adhuc fore diſtinguendum ipſum ab equo, propter rationalitatem, quæ ex terminis manere ſupponitur: quamvis collectione materiali, & per locum ab extrinſeco, ſequatur non fore diſtinguendum: quia ex ablatione animalis colligitur ablatio rationalis ſub eo contenti: ac proinde ſi homo non eſſet animal, conſequenter non eſſet rationalis, nec diſtinctus ab equo. Verùm hæc non-diſtinctio hominis ab equo, non colligitur immediatè & præcisè ex illo primo impoſsibili, quòd homo non eſſet animal: ſed ex illo, vt coniuncto cum altero impoſsibili, quòd homo non eſſet rationalis. Hoc ſic explanato dicimus ad obiectionem, hypotheſim impoſsibilem huius quæſtionis non eſſe prioris generis, ſed poſterioris. Etenim quòd Spiritus ſanctus ſupponatur nullatenus procedens à Filio, non eſt aliquid impoſsibile ex terminis, & per locum ab intrinſeco: cùm id non præferat repugnantiã terminorum, vt aiunt: ſed tantùm ab extrinſeco, ſive per conſequentiam materialem. Alioqui certè ſtupidi, & plumbeo ingenio fuiſſent omnes ij Græci, qui tot ſæculis proceſsionem Spiritus ſancti à Filio negarunt: vt potè qui tradidiſſent aliquid repugnans in terminis & per locum ab intrinſeco. Patet verò, eos non adeò hebetes & rudes fuiſſe: immò & multos illorum hodieque ſubtiles & eruditos cenſeri, quãvis alioqui erraverint & errent in negandà Spiritus S. proceſsione à Filio. Ergo negatio illius, & ſuppoſitio in hac quæſtione, non eſt impoſsibilis ex terminis, & per locum ab intrinſeco: ac proinde ex illa non ſequitur quodlibet ex contradictorijs, ſed alterum tantùm, collectione formali, quamvis ex adiuncto, ſive in ſenſu materiali, vtrumque ſequatur.

5 ATTAMEN Fateor, nullam eſſe vtilitatem huius quæſtionis apud eos, qui ita illam excitant, vt ſimul cum ipſa hypotheſi impoſsibili præmittant, adhuc manſurum eundem

dem numéro Filium, qui de facto eſt, ſimiliterque eundem Spiritum ſanctum. Nimirum, hoc ſenſu non vna ſolùm, ſed duplex impoſsibilitas ſupponitur, quarum altera neceſſariò alteram deſtruit: ac proinde ex ambabus ſequitur quodlibet ex duobus contradictorijs. Filius enim de facto exiſtens, per ſuam intimam entitatem eſt ſpirator Spiritus ſancti, & hic pariter ab eo ſpiratus, veluti terminus eſſentialiter eum eo connexus, tanquam principio productivo ſui. Atqui omne principium productivum alicuius termini vel effectus, ex terminis, & per locum ab intrinſeco diſtinguitur realiter ab illo. Ergo Filius de facto exiſtens, per ſuam entitatem intimam diſtinguitur a Spiritu ſancto nunc exiſtente. Quare ſi ſupponatur ſimpliciter & abſolutè manere in hypotheſi quæſtionis, tam Filius, quam Spiritus ſanctus nunc exiſtens, ſupponitur planè duplex impoſsibile, quorum alterum deſtruit alterum: ac proinde ex ea hypotheſi ſequitur quodlibet.

6 SIMILITER Si hypotheſis præſens nullo modo ſupponat exiſtentiam Filij, ſed ſolùm non proceſsionem Spiritus ſancti ab ipſo, nullus eſt locus vt ambo reipſa & poſitivè diſtinguantur: quia eiuſmodi diſtinctio ſolùm verſari poteſt inter extrema poſitivè exiſtentia. Deinde ex eo quòd ſupponatur Spiritum ſanctum à Filio non procedere, infertur planè non exiſtere ſpirationem activam in Filio, ac ſubinde & mediatè, atque à poſteriori ſolùm, non exiſtere hanc numero filiationem, quæ cum illa identitatem realem habet: vt ſuprà Diſp. LXXXI. oſtenſum fuit latè contra Durandum. Non exiſtente autem filiatione hac, nequit exiſtere hic Filius. Quare pariter vt quæſtio locum habeat, ita præmittenda eſt hypotheſis, vt ſupponatur aliquomodò exiſtentia Filij, & ſolùm negetur proceſsio Spiritus ſancti ab illo. Nam quamvis ex negatione proceſsionis Spiritus ſancti à Filio, quæ nunc exiſtit, colligatur planè negatio huius Spiritus ſancti, qui de facto exiſtit; atque ex negatione ſpirationis activæ nunc exiſtentis in Filio, inferatur pariter negatio huius Filij Dei, quem fide divina novimus: adhuc tamen locus eſt, vt in hypotheſi quæſtionis ſupponatur Filius & Spiritus ſanctus exiſtens, non adæquatè, & penes totum id, quod reipſa habet, ſive eſt: ſed inadæquatè ſolùm, quatenus ille accipit eſſe à Patre per intellectum, hic verò per voluntatem, præſcindendo in ſenſu formali à cæteris prædicatis reipſa in vtroque clauſis.

7 ITAQVE Vt quæſtio locum habeat, ſupponendus eſt Filius exiſtens, quà Filius, non quà Spirator; & ſimiliter Spiritus ſanctus vt ſpiratus per voluntatē à Patre, non autem à Filio. Hoc ſenſu veſtigamus, an alter altero diſtingueretur; non ſecundùm rationem, nec diſtinctione formali ex natura rei; ſed diſtinctione reali & perſonali. Quo ſenſu intellecta diſputatio, non eſt levis aut puerilis, vt cenſuit Valentia 1 p. de Trinit. q. 10. puncto 3. probatione 2. Tendit enim ad inquirendum, an Filius & Spiritus ſanctus habeant realiter & perſonaliter diſtingui, non ſolùm ex eo quòd alter procedat ab altero; ſed etiam quatenus alter procedit à Patre per intellectum, & alter per voluntatem: quod adhuc in ea hypotheſi permanſurum ſupponitur. Immo & in opinione Durandi, aientis origines activas Filij & Spiritûs ſancti non eſſe actiones intellectus & voluntatis, ſed emanationes immediatas vtriuſque à natura divina, idipſum ferè ſupponitur, ad veſtigandum in hac quæſtione, An Filius & Spiritus ſanctus non ſolùm diſtinguantur realiter, & in perſonis, quatenus alter procedit de facto ab altero: ſed etiam quatenus habent eſſe à Patre ex vi diſtinctarum originum, immediatè fluentium à natura divina, vt principio *quo*.

8 ET Quidem Anſelmus ipſe in libro de Proceſsione Spiritus ſancti contra Græcos, vt veterum illorum errorem radicitus evellat, non dubitat interdum proferre propoſitiones hypotheticas ex ſuppoſitione impoſsibili. Exemplo ſit quod cap. 5. inquit: *Si Pater haberet Patrem, alius tamen eſſet à Filio.* Ecce vbi ex illa hypotheſi impoſsibili, non vult Anſelmus ſequi quodlibet, ſed alterum extremorum. Et paucis interiectis: *Si Pater de aliquo procederet, non minùs tamen Spiritus ſanctus eſſet alius à Patre, de quo procedit.* Vbi, vt vides, S. Doctor ex hypotheſi impoſsibili non colligit vtrumque contradictionis extremum, ſed affirmativum dumtaxat. Huc etiā ſpectat quòd cap. 4. præcedenti, cum præmiſiſſet diverſitatem originum Filij & Spiritus ſancti penes naſci & præcedere, ſubdit paulo pòſt: *Nam etſi per aliud non eſſent plures Filius & Spiritus ſanctus, per hoc ſolum eſſent diuerſi.* Quæ ſanè propoſitio potiùs affirmat, quàm negat, diſtinctionem vtriuſque ex hypotheſi impoſsibili. Fortaſſe tamen ea verba (quę poſtea fuſiùs explanavimus) intelligi poſſunt de diverſitate abſtrahente à reali & virtuali, ſive perſonali & formali. nam neque aliquid ampliùs debuit Anſelmus prępmittere ad ineundam diſputationem contra Græcos, vt poſtea ex animi ſententia traderet in progreſſu potiſsimum caput perſonalis diſtinctionis inter Filium & Spiritum ſanctum. Verùm hoc miſſo nunc, eæ hypotheſes impoſsibiles nunquam impedimento fuere S. Doctori ad aliquid colligendum præ oppoſito extremo, nec inutiles viſæ ſunt. Diſputamus itaque, An in hypotheſi, qua Spiritus

S. non

S. non procederet à Filio, iuxta ſenſum num. 8. explanatum, eſſet realis & perſonalis diſtinctio inter vtrumque.

9 IN Qua re duplex eſt ſententia extremè contraria. Prior affirmat, data hypotheſi, Spiritum ſanctum fore perſonam reipſa ac ſimpliciter diſtinctam à Filio. Ita Henricus Quodlib. 5. quæſt. 9. Scotus in 1. diſt. 11. q. 2. vbi & Gregorius quæſt. 1 art. 2. Gabriel quæſt. 2. art. 2 Bachon in 1. diſt 13 quæſt. 1. Scotum ſequuntur omnes Diſcipuli, vt Mayron ibid. quæſt. 2. Baſſolis quæſt. vnica art. 2. & 3. Gabatius Opuſculo 2. per totum, Bonaſvienſis q. 2. Similiſingh. diſp. 4. quæſt. 2. Rada diſp. 38. Scherius diſd. 7. quæſt. 4 Vulpes de Trinitate diſp 67 art. 9. Sghemma titulo 18. quæſt. 8. & 9. Brancaſius lib. 3 diſp. 3. quæſt. 22. ac noviſſimè & latiſsimè Maſtrius Tomo I. diſp. 7. q. 4 qui plures alios allegat extra ſuam Scholam, & ſubdit num. 203. *Eamque ex profeſſo docuit ex Patribus Anſelmus.* Quo autem iure id dicat Maſtrius, patebit ex progreſſu. Idem docent ferè Aureolus in 1. diſt. 11. art 3. prop. 4. Cartuſianus quæſt. 2. fine, Palacios diſp. 3.

20 POSTERIOR Negat in ea hypotheſi Spiritum ſanctū fore perſonam reipſe diſtinctam à Filio, quidquid ſit an diſtingueretur virtualiter, vel ratione ſola, aut quovis genere diſtinctionis infra perſonalem ac realē. Ita D. Thom. 1. p. quæſt. 36. art. 2. & lib. 4. contra Gentes cap. 24. ac latiùs quæſt. 10. de Poten ia a. 5. & Opuſculo contra errores Græcorum cap. 32. & §. 30. & 31. Bonaventura in 1. diſt. 11. art. 1. quæſt. 1. Durandus quæſt. 2. Ægidius art. 1 quæſt. 3. Argentina quæſt. 2. art 2. Ita etiam omnes Thomiſtæ, quos allegant & ſequuntur Ioannes à S. Thoma, Carmelitæ Salmanticenſes, Illuſtriſsimus Godoy, & Gonet 1 p. quæſt. 36 art. 2. Similiterque omnes Doctores Societatis, præſertim Valentia diſp. 2. quæſt. 10. punct. 3. Vazquez diſp. 147. cap. 4. Suarez lib. 10. de Trinit. cap. 2. Granado diſp. 7. Zuñiga diſp. 11. dub. 3. Amicus diſp. 27 ſect 3. Ruiz diſp. 68. ſect. 4. Lugus lib. 2. diſp. 17 Quiros tract. 7. diſp. 39. ſect. 3. Arriaga diſp 53. ſect. 4. ſubſect. 2. Elparza lib. 1. q. 43. Ex alijs Lezana, Lumbier, & Averſa in quæſt. 36 Cacheranus tract. 2. Theologiæ. Aſſertivæ cap. 4. § 9. ac cæteri ferè omnes extra Scholam Scoti.

11 ANTE Verò, quàm ad rem ipſam diſcutiendam accedamus, moneo, quoſdam ex Authoribus poſterioris ſententiæ cenſoriam virgam ferre in opinionem contrariam Scoti, ac multiplici nota illam inurere, fortaſſe nimis facilè aut inconſultè. Illa enim non ſolùm pro ſe habet Doctores omnes clariſsimæ ipſius Scholæ, & plures alios paulo antè pro ea allegatos (quod ſufficit ad depellendam omnem cenſuram) ſed etiam à multis Adverſariorum cenſetur ab ea immunis, præſertim à Vaſquio vbi ſupra cap. 3. & Faſſolo 1. p. quæſt. 36. art. 2. dub. 3. poſt Zumelem ibid. diſp. 2. cuius iudicium probat Amicus nuper allegatus num. 60. quibus omnibus libenter ſubſcribo. immo & cenſeo valde probabilem, ſive auctoritate, ſivé ratione ducamur.

SECTIO SECVNDA.

Examinatur penitiùs mens S. Anſelmi in hac controverſia. Porrò Scotum & ſequaces probabiliter allegare pro ſe S. Doctorem: alios verò cum D. Thoma probabiliùs in oppoſitum. Expenduntur varia illius teſtimonia pro priore ſententia, & ſoluuntur in gratiam poſterioris.

12 OMNES Theologi nuperi pro vtraque ſententia relati plurimum defferunt auctoritati S. Anſelmi in hac controverſia, & quilibet ferè eorum volunt pro ſua ipſorum opinione ſtetiſſe in Opuſculo de Proceſsione Spiritus ſancti varijs locis, quæ accuratè legerunt plerique & obſervarunt. Et omnes quidem Scotiſtæ, præſertim verò Gabatius & Maſtrius vbi ſuprà, multipliciter contendunt, S. Doctorem ſuam ipſorum opinionem tradidiſſe, nec vllibi oppoſitam indicaſſe. Quin & Suarez ac Vazquez, quamvis contrariam ſententiam ſequantur locis indicatis, cenſent S. Anſelmum nullibi illam apertè tradidiſſe. Alij verò pro poſteriore ſententia allegati, & in ijs D. Thomas locis num. 10. indicatis, exiſtimant Anſelmum palam docuiſſe illam, & immeritò ab Adverſarijs pro ſe allegari. Quin & nominatim Petavius ac Godoy carpunt Vaſquium, quaſi non legerit id Opuſculum S. Doctoris, & inconſultè protuſus de illius ſenſu iudicaverit. Ego quidem gaudeo de hac celebri contentione inter Theologos, quòd cedat in honorem eximium Anſelmi, quem omnes hoc loci veluti Cynoſuram aut Helicem ſpectant. Cenſeo itaque Auctores prioris opinionis ſatis probabiliter illum pro ſe allegare: probabiliùs tamen eos, qui poſteriorem ſequuntur.

13 PRIOR Pars ſuaderur multipliciter. PRIMO, quia Anſelmus dicto Opuſculo cap. 2. aliàs 1. inquit: *Filius autem (vt interim aliam cauſam dicam, quoniam nondum conſtat quòd Spiritus ſanctus de illo ſit & procedat) ideo non eſt Spiritus ſanctus, nec Spiritus S. eſt Filius, QVIA FILIVS NASCENDO HABET ESSE DE PATRE;*

TRE; SPIRITVS S. VERO, NON NASCENDO, SED PROCEDENDO. Quæ verba obſervavit prio ſe : cotus quæſt. 2. allegata in fine. Atqui in hypotheſi quæſtionis Filius haberet eſſe naſcendo de Patre; Spiritus ſanctus autem procedendo, & non naſcendo. Ergo in eadem hypotheſi Filius non eſſet Spiritus ſanctus, nec Spiritus ſanctus Filius: atque adeò alter ab altero reipſa & perſonaliter diſtingueretur. Quin & eam diverſitatem originum penes naſci & procedere à Patre, ſufficientem eſſe per ſe ſolam, vt Filius & Spiritus ſanctus ab invicem differant, videtur præmiſiſſe S. Doctor paulo antè in eodem capite, dicens: *Hæc itaque ſola cauſa pluralitatis eſt in Deo: Vt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus non poſſint dici deinuicem, ſed alij ſint abinuicem: quia prædictis duobus modis eſt Deus de Deo. Quod totum poteſt dici relatio. nam quoniam Filius exiſtit de Deo naſcendo, & Spiritus ſanctus procedendo; ipſa diuerſitate natiuitatis & proceſsionis referuntur adinuicem, vt diuerſi & alij ſint abinuicem.*

14 COMMVNIS Solutio huius probationis eſt, verba prædicta Anſelmi inducta eſſe magis vt diſputativam ſuppoſitionem, quã vt veritatis definitionem. Quare S. Thom. q. 10. de Potentia art. 5 ad 2. inquit: *Verba prædicta Anſelmi inducta ſunt magis, vt diſputatiua ſuppoſitio, quàm vt veritatis definitio.* Anſelmus enim ibi in principio vtriuſque prioris capitis nihil aliud facit, quàm ſupponere & declarare nonnulla, quæ Græci concedebant: vt ijs poſitis demonſtraret poſtea Spiritus ſancti à Filio proceſsionem. Quod ipſe apertè denotat dum ait: *Filius autem, vt interim aliam cauſam dicam, &c.* ac præterea c. 3. poſt medium dum inquit: *Cùm apparuerit, quia Spiritus ſanctus eſt de Filio, tunc quoque palam erit, quia propter hoc nequit eſſe Filius Spiritus ſanctus, nec Spiritus S. Filius.* Itaque dum verbis numero præcedenti allegatis Anſelmus ait, cauſam diverſitatis ſeu pluralitatis inter Filium & Spiritum ſanctũ eſſe quoniam ille exiſtit naſcendo, hic autẽ procedendo; id non tam aſſerit ex ſenſu proprio, quàm ſumit & proponit, veluti conceſſum à Græcis, qui penes id ſolum agnoſcebant diſtinctionem vtriuſque. Dum verò poſtea accedit S. Doctor ad ferendum iudicium de præcipua controverſia, aſſumit & probat ex profeſſo, non poſſe Filium diſtingui à Spiritu ſancto, niſi alter procedat ab altero. Cumque fide certum ſit, Filium à Spiritu ſancto, non procedere; oportet vt Spiritus ſanctus à Filio oriatur, ad ſalvandam realem vtriuſque diſtinctionem. Quare licèt præmiſiſſet Anſelmus initio eam cauſam diſtinctionis vtriuſque ex diverſitate originum, potiùs eam præmiſit ex Græcorum ſenſu, quàm ſuo. Quod ſignificat ijs verbis: *Vt interim aliam cauſam dicam, &c.* nimirum, alteram cauſam, iuxta Græcos, ab ea, quæ verè eſt cauſa diſtinctionis perſonarum iuxta Latinos, & infrà ex profeſſo tradenda erit. Ità ferè Ruiz Fallolus, Godoy, & noviſſimè Joſephus Cacheranus, politiſsimus ſanè Theologus, vbi ſupra num. 113. ſubdens: *Sicuti Anſelmum in tam graui controuerſia debuit accuratiùs perpendere: ita non potui non aliquantò faſtiùs de legitimo ipſius ſenſu diſſerere, vt tanti Doctoris auctoritati potiſsimum me deferre conſtaret.* Addunt aliqui, Anſelmũ in eo Opuſculo non accedere ad ferendam ſuam ſententiam ex ſenſu proprio vſque ad caput quintum.

15 VERVM Quamvis hæc probabiliter dicta ſint, & cohærenter ad ſenſum, quo D. Thomas interpretatus eſt eadem Anſelmi verba quæſt. 10. de potentia art. 5. ad 2. inſtãt multipliciter & vrgent Adverſarij, præſertim Gabatius, & Maſtrius. PRIMO: quia Anſelmus incipit ſuam ſententiam proferre, ſive ex proprio ſenſu loqui ſtatim ab initio capitis tertij. Ait enim: *Quoniam autem hæc quæ dicta ſunt* (ſcilicet, in primo & ſecundo capite) *pariter credimus indubitanter, & cõfitemur, & nos, qui dicimus Spiritum ſanctum de Filio procedere, & Græci, qui nobiſcum de hac re non ſentiunt; debemus abſque vlla ambiguitate quæ ex ijs neceſſariò conſequuntur vno conſenſu ſuſcipere.* Loquitur ergo Anſelmus deinde non ſolùm ex conceſsis & ſtatutis apud Græcos, ſed etiam apud Latinos. Præterea ſic inchoat caput quartum: *Nunc quærendum eſt per dictas irrefragabiles rationes &c.* Si ergo rationes præcedentibus capitibus propoſitæ ſunt irrefragibiles iuxta Anſelmum; profectò illæ non ſolùm fuerunt diſputativè aut præparatoriè inductæ ab Anſelmo ex ſolo ſenſu Græcorum, ſed etiam ex proprio ſenſu. Deinde verò in eodem capite quarto paulo poſt medium, propoſita ſibi quadam obiectione, reſpondet: *Ad quod ego: Habent vtique à Patre eſſe Filius & Spiritus ſanctus, ſed diuerſo modo: QVIA ALTER NASCENDO, ALTER PROCEDENDO, VT ALII SINT ABINVICEM PER HOC QVOD DICTVM EST.* Vbi verba, *Ad quod ego*, videntur planè evincere, S. Doctorem ex proprio ſenſu loqui. Poſtea verò circa finem capitis ſubdit: *Omnino igitur & inexpugnabili neceſsitate concluditur, quia ſi vera ſunt, quæ ſupra dixi, nos pariter cum Græcis credere, &c.* Vbi apertè denotat ſe non ex Græcorum modò ſenſu, ſed proprio etiam loquutum. Denique adhuc vrgentius apparet, quòd in eodem ca-

capite quarto poſt medium, id eſt, paulo ante præiacta verba dixerat: *Et ideo non habet hic vnitas illam vim conſequentiæ: quia pluralitas obuiat, quæ ex natiuitate naſcitur, & proceſsione. NAM ETSI PER ALIVD NON ESSENT PLVRES FILIVS ET SPIRITVS SANCTVS, PER HOC SOLVM ESSENT DIVERSI.* Ergo iuxta mentẽ expreſſam Anſelmi, quàvis Filius & Spiritus ſanctus non eſſent per aliud plures, (quod eſt plan. impoſsibile) atque adeò quamvis alter ab altero non procederet, adhuc eſſent diverſi per hoc, quòd alter naſcitur, alter procedit. Nihil ergo videtur deeſſe, quominùs opinio ipſa Scoti expreſsè ab Anſelmo tradita fuerit. Nam S. Doctor duplicem cauſam diſtinctionis inter vtrumque, ſive pluralitatis perſonarum aſsignat: alteram, eamque præcipuam, ex capite diverſæ originis, quoniam Filius exiſtit naſcendo Spiritus ſanctus verò procedendo: alteram, & veluti ſecundariam, quòd Spiritus ſanctus procedat ex Filio. Sublata autem per poſsibile aut impoſsibile cauſa ſecundaria alicuius effectûs, & permanente primaria, ac de ſe ſufficiente, profectò effectus in rerum natura eſſet, per locum ab intrinſeco Ergo ſublata per impoſsibile proceſsione Spiritus ſancti à Filio, & manente vtriuſque origine diverſa à Patre, permaneret per locum ab intrinſeco pluralitas & diſtinctio realis amborum.

16 SECVNDO Impugnant ſolutionem præiactam: quoniam S. Doctor non ſolùm in primis quinque capitibus, ſed longè poſtea, & propiùs ad finem, quàm ad medium eiuſdem libri, eandem doctrinam repetit. Etenim cap. 17 aliàs 27 initio ita loquitur: *Patet ergo ſicut ſupra præmiſi* (nimirum, capitibus hucuſque indicatis) *præter hoc quòd Filius exiſtit naſcendo & Spiritus ſanctus procedendo; hac quoque cauſa, quia ſcilicet, Spiritus ſanctus eſt de Filio, eos de inuicem non poſſe dici.* Quibus verbis allegatis & exſcriptis, ſubdit Maſtrius num. 214. *Ex quibus verbis euidentiſsimè claret, Anſelmum vtramque cauſam diſtinctionis agnouiſſe inter Filium & Spiritum ſanctum in toto illius Epiſtolæ progreſſu.* Vnde & cõſequens eſt, vt ablata per impoſsibile proceſsione Spiritus ſancti ex Filio, adhuc maneret ſufficiens ratio pluralitatis & diſtinctionis vtriuſque ex priori illa cauſa diverſitatis originum. Mitto plura alia, quæ idem auctor, & plures alij eiuſdem Scholæ, iam ſuprà allegati, addunt pro eadem exiſtimatione. quæ certè valde probabilis eſt, & nullo evidenti argumento labefactari poteſt ex teſtimonijs Sanct. Doctoris.

17 ADHVC Tamen cenſeo probabilius quod tæteri omnes Theologi cum D. Thoma volunt, Anſelmum nullam agnoviſſe diſtinctionem realem & perſonalem inter Filium & Spiritum ſanctum, independenter à proceſsione vnius ab altero: ac proinde cenſuiſſe, data hypoteſi impoſsibili, quòd Spiritus ſanctus non procederet ab illo, nullam diſtinctionem realem & perſonalem futuram inter vtrumque. Antequam verò id probem teſtimonijs S. Doctoris, veluti fundamentis poſitivis, exhibendis in progreſſu quæſtionis, oportet reſpondere ad ea, quæ Adverſarij nobis obijciunt.

18 AD Obiectionem præcipuam n. 12. propoſitam, optima eſt ſolutio S. Thom. interiecta num. 13. Addendum tamen eſt iuxta dicta num. 8. poſſe nonnulla ex ijs teſtimonijs, quibus Adverſarij fidunt, intelligi de diſtinctione Filij & Spiritûs ſancti vniverſe accepta, ſive abſtrahente à reali & virtuali, aut perſonali & formali, ex vi diſtinctarum originum. nam & ipſæ activæ origines generandi & ſpirandi in Patre erga Spiritum ſanctu & nõ differunt reipſa, ſed virtualiter ſolùm, aut ſecundùm rationẽ, vt latè docuimus ſuprà Diſp. LXXXI. Oportuit autem Anſelmo, non ſolùm ex Græcorum ſenſu, ſed ſuo etiam, initio prẽmittere diſtinctionem aliquam Filij à Spiritu ſancto ex vi diſtinctarum originum, quoniam alter naſcitur, alter procedit; abſtrahendo ab eo, an ea diſtinctio ſit realis & perſonalis independenter à proceſsione Spiritus ſancti ex Filio. Hoc enim diſcutiendum ex profeſſo reſervavit capitibus poſterioribus, nec oportuit in ipſo limine controverſiæ ad decretoria arma devenire, quibus poſtea ex inſtituto Græcorum errorem iugulavit. Quòd ſi verò quiſpiam Adverſariorum contendat, S. Doctorem ijs locis ſolùm loqui de diſtinctione reali inter Filium & Spiritum ſanctum ex vi diverſarum originum; dicendum eſt, tam primo, quàm ſecundo capite, id prætermitti indifferenter, ſeu nõ explicando potiùs ſenſum legitimum Latinorum, quàm præpoſterum Græcorum, qui nullũ aliud caput realis diſtinctionis inter vtrumque admittebant: poſtea verò ex proprio ſenſu totam realem diſtinctionem refudiſſe in oppoſitionem relativam ortam ex proceſsione Spiritus ſancti à Filio, in ſenſu formali: quamvis in eo ſenſu, qui cauſalis dicitur, refundatur diſtinctio in diverſitatem originum penes generationem & proceſsionem. quod latiùs explanavimus Tomo III. in Scholijs ad idem caput.

19 NEQVE Obſtant impugnationes Maſtrij, & aliorum. AD I. ex num. 15. dicimus, Anſelmum ab initio capitis tertij aſſerere quidem ea, quæ in duobus anterioribus præmiſſa fuerant, quaſi vera & firma apud Latinos & Græcos. An verò in eodem ſenſu ve-

ra

ra cenſeantur à Latinis & Græcis, non declarat hunc, ſed diſſimulat & differt vſque in progreſſu Epiſtolæ. Idipſum facit poſtea c. 4. & fatetur, Filium & Spiritum S. differre ab invicem, quoniã aliter naſcitur, alter procedit. Verùm (quod maximè notatũ volo) hoc ipſum habet duplicẽ ſenſum: alterum iuxta Græcos, alterum iuxta Latinos. Iuxta Græcos quidẽ ita, vt Spiritus S. quatenus procedens à ſolo Patre habeat reipſa & perſonaliter diſtingui a Filio, qui ſolùm per nativitatem oritur: iuxta Latinos verò, & Anſelmũ cum ijs, ita, vt Spiritus ſanctus differat realiter à Filio, quatenus procedit ex ipſo & non ſolũ ex Patre. Quo ſenſu intelliguntur verba illa, cæteris omnibus difficiliora: *Nam etſi per aliud non eſſent plures Filius & Spiritus ſanctus, per hoc ſolum eſſent diuerſi.* Nimirum, quamvis omnia alia capita diſtinctionis deeſſe fingantur, hoc vnum proceſſionis Spiritus ſancti ex Filio, probat realem vtriuſque diſtinctionem: quoniam evidens eſt ipſo naturæ lumine, & veluti tale ab eodem Anſelmo varijs locis obſervatum, nihil poſſe procedere à ſeipſo, ſeu eſſe principium productivum ſui. Itaque verè potuit dicere Anſelmus eo loco, atque in omnibus quatuor primis capitibus, ex ſenſu Græcorum & Latinorum, non eodem, ſed diverſo, Filium diſtingui in perſona à Spiritu ſancto, quoniam ille naſcitur, hic autem procedit; iuxta Græcos quidem à ſolo Patre, iuxta Latinos verò, etiam à Filio: & hanc eſſe rationem adæquatam eius diſtinctionis, vt quamvis nulla alia eſſet, omnino diſtinguerentur. Quapropter in ijs tot teſtimonijs non exprimit Anſelmus diſtinctionem Spiritus ſancti à Filio, quoniam præ hoc procedit à Patre; nec meminit Patris in ipſa proceſsione Spiritus ſancti: ſed ſolùm ait, Spiritum ſanctum diſtingui à Filio, quoniam hic naſcitur, ille autem procedit; non addendo, aut exprimendo, à quonam procedat. Nimirũ, oportuit relinquere id indeterminatũ, ſeu indifferens ad ſenſum Latinorũ, Græcorũve, vt poſtea ex profeſſo oſtenderet à c. 5 & ſæpiùs deinceps, non aliter poſſe ſtabiliri realem & perſonalem vtriuſque diſtinctionem, quàm ſi alter eorum procedat ab altero. Cùmque certum ſit ex fide, & multipliciter probatum ibidẽ ab Anſelmo, Filium non procedere à Spiritu S. neceſſum eſt fateri huius proceſsionem à Filio. Aliter enim nequit eſſe realis & perſonalis diſtinctio inter vtrumque. Vide infrà n. 45. & ſeq.

20 HVC Spectat quod D. Thom. 1. p. q. 36 art. 2. obiectis ſibi verbis illis Anſelmi in argumento ſeptimo, *Nam etſi per aliud non eſſent plures, &c.* ſic reſpondet in fine articuli: *Ad ſeptimum dicendum quòd Spiritus S. diſtinguitur perſonaliter à Filio in hoc, quod origo vnius diſtinguitur ab origine alterius. Sed ipſa differentia originis eſt per hoc, quod Filius eſt ſolùm à Patre; Spiritus ſanctus verò à Patre & Filio. Non enim aliter proceſsiones diſtinguerentur, ſicut ſupra oſtenſum eſt:* nimirum, in corpore eiuſdem articuli & q. 27. Itaque non negamus, originem paſsivam Filij diſtingui realiter ab origine paſsiva Spiritus ſancti. Verùm ipſi Spiritus ſancti origo paſsiva nequit reipſa diſtingui ab origine paſsiva Filij, niſi in illa claudatur intimè relatio ad ipſum Filium, veluti ad principium producens, & oppoſitio relativa: quoniã ex mente Anſelmi poſtea pleniùs oſtendenda, nullus eſt locus diſtinctioni reali inter divinas perſonas, niſi ſecundũ originem vnius ab altera, & oppoſitionem relativã producentis ac producti. Quare conſequenter ad illius doctrinam in hypotheſi prorſus impoſſibili huius quæſtionis, origo paſsiva Spiritus S. à ſolo Patre non diſtingueretur realiter ab origine paſsiva Filij, defectu proceſsionis realis ab ipſo, & oppoſitionis relativæ: ſed ſummùm ab ea diſtingueretur virtualiter, vel penes aliam rationem formalem, iuxta eum ſenſum, quo in Patre diſtinguuntur activæ origines Filij ac Spiritus ſancti: quæ certe non diſtinguuntur reipſa, vt vidimus Diſp. LXXXI. contra Durandum; immo adhuc in eius opinione non diſtinguuntur realitate perſonali, ſed ſolùm relativa, & non ſpectante ad alietatem perſonæ. Quare neque quidem iuxta Durandi doctrinam in hypotheſi quæſtionis ilius eſſet perſona diſtincta in re à perſona Spiritus ſancti: ſed eſſet eadem perſona cum duplici relatione paſsiva originis ſecundũ rem diſtincta: ſicuti de facto, iuxta ipſum Patrem generans & ſpirans eſt eadem omnino perſona cum duplici relatione diſtincta in re.

21 VNDE Corruit quod circa finem eiuſdem obiectionis, & numeri 15. habetur. Nã licèt Filius & Spiritus ſanctus differant, quatenus ille exiſtit naſcendo, hic autem procedendo; hæc non eſt ſufficiens ratio diſtinctionis perſonalis inter vtrumque, niſi addatur proceſsio alterius ab altero, & relativa oppoſitio producentis, & producti: vt in progreſſu eius Opuſculi declarat & probat S. Doct. Itaque diverſitas vtriuſque originis paſsivę eſt quidẽ ratio præcipua diſtinguẽdi perſonas Filij Spiritus ſancti; non tamen iuxta ſenſum Græcorum, apud quos origo paſsiva Spiritus ſancti nullam importat habitudinẽ termini producti ad Filiũ: ſed iuxta ſenſum Latinorũ & ipſius Anſelmi, qui ipſam originẽ paſsivã Spiritus S. referunt explicitè ad Filiũ, veluti principium eius productivũ ſimul cum Patre, atque indiviſum omnino. Non oportuit autem vt Anſelmus eo loco, id eſt, quatuor illis primis capitibus, hunc ſuum ſenſum & aliorum Latinorum præmitteret, aut palam exprimeret, ſed dumtaxat quædã generalia in quibus vtraque diſparantiũ pars conveniebat: donec in progreſſu cõtroverſiæ ratio extorqueret id ipſum

ſum, quod initio facilè ab Adverſarijs negaretur.

22 AD II. Impugnationem ex num. 16. reſpondeo, potiùs inde probari oppoſitum. Etenim epigrapha illius capitis 17. alias 27. prout in noviſſima & correctiſſima Gerberonis editione habetur, hæc eſt: *Si ſpiritus ſanctus à Filio non procederet, non eſſet cur Filius non procederet de Spiritu ſancto.* Nimirum, in toto contextu eius capitis, ſicuti & aliorum plurium, contendit Anſelmus, neceſſum eſſe ad perſonarum divinarum realem diſtinctionem quòd vna ab alia procedat, nec aliter illâ poſſe conſiſtere. Quapropter vt Filius ſit perſona à Spiritu ſancto diſtincta, oportere omnino vt alter procedat ab altero. Ait itaque ab initio capitis: *Patet ergo, ſicut ſuprà præmiſit, præter hoc, quia Filius exiſtit naſcendo, & Spiritus ſanctus procedendo; hac quoque cauſa, quia Spiritus S. eſt de Filio, eos de invicem non poſſe dici.* Quæ ſunt verba à Maſtrio obiecta. Verùm diſſimulavit aut tacuit, quæ ſtatim addit S. Doctor intra eandem clauſulam: *Et propter hoc ſolum, Filium non poſſe eſſe de Spiritu ſancto. Nam quoniam, vt dictum eſt, aut Filius eſt de Spiritu ſancto, aut Spiritus ſanctus de Filio; ſi non eſſet Spiritus ſanctus de Filio, ſequeretur de Spiritu S. Filium eſſe, &c.* Itaque vel in eo ipſo capite, cui Maſtrius fidit, docet perſpicuè Anſelmus, vt Spiritus ſanctus & Filius ſint alij ab invicem, debere alterum ab altero procedere. Ergo conſequenter docet, in hypotheſi impoſsibili, qua neuter procederet ab altero, non fore alios ab invicem, ſeu non fore perſonas reipſa diſtinctas. Neque obſtat quòd ijs verbis à Maſtrio obſervatis videatur S. Doctor duplicem cauſam aſsignare diſtinctionis inter vtrumque: vnam quòd alter exiſtat naſcendo, alter procedendo: aliam, quòd Spiritus ſanctus ſit de Filio: ac proinde ceſſante poſteriore diſtinctionis cauſa priorem permanſuram. Non inquam, obſtat: quia illam ipſam rationẽ diſcriminis penes nativitatem & proceſſionem, quam S. Doctor ex doctrina communi Latinorum & Græcorum præmiſerat ab initio Opuſculi, indifferenter prolatam, & nulla expreſſa diverſitate ſenſus inter vtroſque, nunc exponit iuxta Latinorum ſenſum: vt perinde ſit, Filium differre à Spiritu ſancto penes illius nativitatem, & huius proceſsionem, ac hunc procedere indiviſim à Filio, ſicuti à Patre. Quare capite tertio ſubintelligens, aut indicans proprium ſenſum, præmiſerat: *Cùm autem apparebit quia Spiritus ſanctus eſt de Filio; tunc quoque palam erit, quia propter hoc nequit eſſe Filius Spiritus ſanctus.* Itaque diſcrimen penes nativitatem & proceſsionem indeterminatè ſumptam, non eſt ratio ſufficiens diſtinguendi perſonaliter Filium à Spiritu ſancto: ſed opus præterea eſt, vt proceſsio ipſa Spiritus ſancti ſit etiam à Filio. nam alioqui non ſalvatur ordo producentis & producti, nec oppoſitio relativa inter vtrumque, ſine quâ Anſelmus nullam in divinis agnoſcit realem diſtinctionem: vt ex dicendis patebit. Ideoque Divus Thomas prima parte quæſtione 27. articulo 3. ad 3. obſervat proceſsionem per voluntatem differre à proceſsione per intellectum ratione originis, quam habet ab ea: ac per conſequens ſublato ordine originis vnius ab alia, non fore duplicem reipſa proceſsionem, ſed vnicam. Vide alia ipſius verba iam ſuprà exſcripta num. 20. & maximè opportuna.

SECTIO TERTIA.

Oſtenditur ex mente Anſelmi, velut probabilius, Spiritũ S. non fore perſonã diſtinctã à Filio ſi ab eo non procederet. Probatio præcipua ex illo axiomate, In divinis omnia ſunt vnum, &c. quod aſſeritur ex teſtimonijs ipſius S. Doct. & præterea auctoritate Conciliorum, ac Patrum, Græcorum Latinorumque.

23 VENIAMVS Iam ad fundamenta poſitiva ex D. Anſelmo deſumpta, eaque non ieiunè propoſita, ſed confirmata ex Concilijs, & Patribus, pro ſententia negante, Spiritum S. diſtinguendũ fore realiter & perſonaliter à Filio, ſi ab eo non procederet. PRIMO igitur ſuadetur ex celebri axiomate, quod communiter Scholaſtici acceptum ferunt Anſelmo: quamvis ipſe illud eruerit ex Patribus Eccleſiæ lõgè antiquioribus, vt poſtea oſtendã. Sic itaque argumentari licet. *In diuinis omnia ſunt vnũ, vbi non obuiat relationis oppoſitio.* Atqui ſi Spiritus S. non procederet à Filio, nulla obviaret inter vtrumque relationis oppoſitio. Ergo in eadẽ hypotheſi non eſſet inter vtrũque realis & perſonalis diſtinctio, ſed potiùs vnitas. Conſequentia eſt perſpicua, & minor ſimiliter: quia perſonæ divinæ non opponuntur relativè inter ſe, niſi ſecundũ relationes fundatas in origine vnius ab alia. Cùm ergo in ea hypotheſi nulla eſſet relatio fundata in origine Spiritus S. à Filio, nec è contra, nulla etiam inter vtrumque eſſet relationis oppoſitio.

24 MAIOR Autem præcipui ſyllogiſmi adeò expreſſa eſt in Anſelmo, vt iure merito Petavius, vir eruditiſsimus, lib. 7. de Trinitate c. p. 9. obiecti ſibi verbis illis Sanct. Doct. ſuprà n. 15. relatis, dicat: *Ex his verbis concludunt aliqui* (nimirum, Vazquez, quem allegat in margine 1 p. diſp. 147. c. 4.) *Anſelmum exiſtimaſſe, Spiritum S. diuerſum, ac differentem à Filio nihilominus fore, etſi ab eo non procederet; cùm hoc vnum diſcrimen ſatis eſſet, quòd ab eodem principio non eodem modo propagarentur. Quare quod vulgatum hoc axioma paſsim illi tribuitur, IN DIVINIS*

OM-

OMNIA SVNT VNVM VBI NON OBVIAT RELATIONIS OPPOSITIO; falſo id dici, nec vllũ in eius auctoritate fundamentũ habere ſententiam iſtam. Verùm nihil euidentius eſt, quam & Anſelmum ita iudicaſſe; ſolã non modo relationẽ, ſed relationem etiam oppoſitionẽ perſonarum diſcrimen facere: & quod inde ſequitur, cõmune illud dictum ex eius auctoritate manaſſe: VT MIRVM SIT, AB EO THEOLOGO, QVI QVIDEM ANSELMI LEGISSET EPISTOLAM, AFFIRMARI HOC ALTERVM POTVISSE. Hucuſque Petavius contra Vaſquiũ.

25 PORRO Effatum id traditum fuiſſe à S. Anſelmo, probat ſtatim Petavius, & nos cum ipſo: quoniam eo cap. 2. inquirit, *Quomodo indiuiſibilis vnitas, & inſociabilis pluralitas* (quam ἡνωμένην & διακεκριμένην θεολογίαν Græci Theologi nominant, Dionyſium ſequuti) *ſe ad inuicem habeant.* Id eſt, Quænam ſit origo & ratio vnitatis, ac diuerſitatis in tribus perſonis. Id verò ſic explanat Anſelmus: * Sequitur enim ſecundùm vnitatis Dei, quæ nullas habet partes, proprietatem, vt quidquid de vno Deo, qui totus eſt quidquid eſt, dicitur, de toto Deo Patre dicatur, & de Filio, & de Spiritu ſancto: quia vnuſquiſque ſolus, & totus, & perfectus Deus eſt. Supradicta verò RELATIONIS OPPOSITIO, quæ ex hoc naſcitur, quia ſupradictis duobus modis Deus de Deo eſt, prohibet Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, de invicem dici, & propria ſingulorum alijs attribui. Sic ergo huius vnitatis, & huius relationis conſequentiæ ſe contemperant, vt nec pluralitas, quæ ſequitur relationem, tranſeat ad ea, in quibus prædictæ ſimplicitas ſonat vnitatis; nec vnitas cohibeat pluralitatem, vbi eadem relatio ſignificatur: QVATENVS NEC VNITAS AMITTAT ALIQVANDO SVAM CONSEQVENTIAM, VBI NON OBVIAT ALIQVA RELATIONIS OPPOSITIO; nec relatio perdat quod ſuum eſt, niſi obſiſtat vnitas inſeparabilis. * Hæc & plura alia eodẽm ſpectantia S. Doctor. Quis autem, vel lynceis oculis præditus, diſtinguat commune illud effatum, *In diuinis omnia ſunt vnum, vbi non obuiat aliqua relationis oppoſitio*; & propoſitionem Anſelmi præiactam, iuxta quam, in divinis *nec vnitas amittit aliquando ſuam conſequentiam, vbi non obuiat aliqua relationis oppoſitio.* Nemo ſanè vnam propoſitionem ab alia diſcernere poteſt. Fallitur itaque Vazquez, ſicut & plerique Adverſariorum, dum aiunt, id effatum non fuiſſe traditum eo loci ab Anſelmo. Quin & in ſequentibus capitibus tam familiaris ipſi eſt eadem doctrina, vt nemo illam in dubium vocare poſſit ex mente S. Doctoris. Vt enim alia omittam, capite penultimo eiuſdem Opuſculi prope finem ait: *In hoc itaque quod relatiuè Deus ad Deum dicitur, ſicut plures homines, perſonarum admittit diuerſitatem. In hoc verò, quod per ſe, id eſt, in Deo; inſeparabilem, ad ſimilitudinem vnius hominis, ſeruat vnitatem.* Patet verò, Deum non dici relativè ad Deum, niſi per relationis oppoſitionem. Ergo Deus non admittit perſonarum diverſitatem, niſi ſecundùm relationis oppoſitionem. Vide plura alia in ſectionibus ſequentibus.

26 EIVSDEM Axiomatis veritas conſtat ex doctrina Cõciliorum, iuxta quam diſtinctio realis perſonarũ divinarũ dumtaxat attenditur ſecundùm oppoſitionẽ relativã. Etenim in Concilio XI. Toletano in Confeſsione Fidei dicitur: *In relatione perſonarum numerus cernitur.* Et paucis interiectis: *Hoc ſolo numerum inſinuant, quod ad inuicem ſunt: & in hoc numero carent, quod in ſe ſunt.* Atqui ſolùm ſunt ad invicem, quatenus relativè opponuntur: nam ſolũ per oppoſitionẽ relativã ad invicem comparantur. Ergo ſolũ inſinuant numerũ, quatenus relativè opponuntur. Vnde obiter refutatur evaſio Maſtrij, & aliorũ ex Adverſarijs. Sĩ enim Spiritus S. in hypotheſi quæſtionis à ſolo Patre procederet, certè Filius & Spiritus S. nullatenus ſe reſpicerent ad invicẽ: cùm reſpectus ad invicẽ, ſive mutuus in divinis, ſolùm ſit principij & procedentis à principio, ſive αἰτίᾳ καὶ αἰτιατῷ, vt Patres Græci loquuntur. Non ergo tunc eſſet numerus perſonarum in Patre & Filio, ſed ambo confluerent in vnam eandemque perſonã. Neque quidquam prodeſſet diſcrimen proceſsionis amborum à Patre, alterius naſcendo & alterius procedendo. Nam adhuc ſtatuto aut permiſſo tunc hoc diſcrimine, non propterea Filius & Spiritus ſanctus eſſent ad invicem, cùm neuter referretur ad alterum, veluti principium ſui, aut terminum à ſe procedentem. Non ergo eſſet in ijs numerus perſonarum, ſed ambo confluerent in vnam & eandem perſonam, ſola ratione formali aut virtuali originis diverſam.

27 SIMILITER Concilium Generale Florentinum tacitè approbat, quod Ioannes Theologus nomine Patrum Latinorum inquieſcs. 18. longè poſt medium, §. *Dixi quidem*, verbis hiſce: *SOLA RELATIO APVD OMNES GRÆCOS ET LATINOS DOCTORES, DIV. PROCESSIONE PERSONAS MVLTIPLICAT; ITA VT NON ALIA RATIONE, QVAM VI RELATIONIS, VNA PERSONA AB ALIA DIFFERAT.* Sola autẽ relatio divina proceſsione multiplicat perſonas illas, quę relatè opponuntur ratione proceſsionis, vt patet. Ergo ſolũ multiplicantur perſonæ divinæ ratione relativæ

oppoſitionis: atque adeò veriſimum eſt illud axioma Anſelmo adſcriptum, in divinis omnia eſſe vnum, vbi non obviat relationis oppoſitio.

28 ET Ne videatur Ioannes ille Theologus è ſuo cerebro dixiſſe, eam doctrinam eſſe communẽ *apud omnes Græcos & Latinos Doctores*, oſtendendum eſt idipſum tingillatim ex ipſis Scriptoribus Græcis, iiſque eruditiſsimis, qui evolutis libris veterum ſuorum Patrum, eam ipsâ doctrina tradiderunt. Ac primo quidẽ Emanuel Calecas, qui vberrimum & ſubtiliſsimum tractatũ edidit de Proceſsione Spiritus ſancti, ex mente Græcorum Patrum hanc regulam tradit c. 39. πάντα τὰ ἐπὶ θεοῦ λεγόμενα, κοινῶς, καὶ ἀδιαφόρως τοῖς προσώποις ἀποδίδοται, ὅπου κωλύει τὴ ἀναφορὰς ἀντίθεσις. id eſt: *Omnia quæ de Deo dicuntur, communiter, & ſine vlla differentia, prædicantur de omnibus perſonis, vbi non obſtat relationis oppoſitio.* Similiter Cardinalis Bellarmin, & ipſe doctiſsimus Græcorum omniũ, quia ad Concilium Florentinum convenerunt, ſtudio veritatis inquirendę circa proceſsionẽ Spiritus S. poſt evoluta monumenta Veterũ Patrũ Eccleſiæ Græcę diu multumque, tum Ferrariæ, tum Florentiæ, timul cũ alijs Epiſcopis Orientalibus, doctrinã eiuſdem axiomatis probavit, & ſcripto tradidit libro eruditiſsimo de Proceſsione Spiritus S. vt videre eſt præſertim pag. 234. illius. Quin & in Orat. Dogmatica pro Vnione habita in Concilio Florentino cap. 6. circa finem referens verba illa S. Gregorij Nyſſeni lib. ad Ablabium circa finem, *Eo diſtinguitur Spiritus à Filio, quia per ipſum eſt*; ſic ea exponit: *quaſi diceret, quod cùm ambo a primo ſint, non ſufficienter diſtinguerentur, niſi alter per alterum eſſet: vt manifeſtè PER, diſtinctionem hic ſignificaret, quæ ſecundùm cauſam & cauſatum eſt.* Diſtinctio autem ſecundùm cauſam & cauſatum, eſt ſecundùm oppoſitionem relativam in divinis. Ergo Filius & Spiritus ſanctus non diſtinguerentur ſufficienter, niſi inter vtrumque eſſet oppoſitio relativa. Idem colligitur ex Dionyſio Areopag. c. 2. de Divin. nomin.

29 SED Et par erit proferre nonnulla teſtimonia eorundem Patrum Græcorum, qui eandem doctrinam apertè tradidiſſe videntur. Nazianzenus cognomento Theologus Orat 37. quæ eſt quinta de Theologia, col. 5. ait: *Manifeſtationis, vt ita dicam, mutuæque eorum relationis differentia, diuerſa quoque ijs nomina præcreauit.* Ergo diverſitas nominum, ac proinde diſtinctio perſonarum Patris, Filij, & Spiritus ſancti, orta eſt ex differentia mutuæ ipſorum relationis: atque adeò nulla in divinis diſtinctio perſonarum eſt, vbi non eſt relatio mutua. Cyrillus quoque lib. 2. Theſauri cap. 3. propiùs ad principium, quàm ad medium, ait: *Cùm ſimplex natura Deitatis ſit, nunquam in plures perſonas diſtingueretur, niſi quædam inueniretur differentia, non ſecundùm eſſentiam, ſed ſecundùm relationem, & quaſi extrinſecùs intellecta, per quam vtraſque perſona in propria hypoſtaſi conſtituitur.* Itaque tota perſonarum differentia eſt ſecundùm relationes: differentia autem ſecundùm relationes propriè non eſt, vbi inter illas non intervenit oppoſitio relativa: vt oſtendemus ſectione ſequenti. Omnis ergo perſonarum divinarum differentia ſolùm eſt ſecundùm oppoſitionem relativam Similiter Gregorius Nyſſenus lib. ad Ablabium circa finem verbis num. præced indicatis id ipſum docet, iuxta interpretationẽ Bellarmini. Mitto plura alia Patrum Græcorum loca diſtinguentium perſonas divinas ſecundùm relationes originis, quorum multa obſervavimus ſuprà Diſp. LXXIX. & LXXX. nec repetere opus eſt.

30 SIMILITER Patres Latini Anſelmo antiquiores, ſolùm agnoſcunt diſtinctionẽ perſonarum divinarũ ſecundùm relationẽ mutuam originis vnius ab alia, ac proinde ſecundũ oppoſitionẽ relativã. Atque imprimis Auguſtinus ſæpe id palam docet: præſertim verò Tract. 39. in Ioannem, vbi de divinis perſonis ait: *Hoc ſolo numeram inſinuant, quod ad inuicem ſunt, non quòd ad ſe ſunt.* (quæ verba ex ipſo Auguſtino mutuavit Concilium XI. Toletanũ ſuprà n. 26. allegatum) *Quia enim Deus Pater ad ſe eſt Deus ſimul cum Filio, & Spiritu ſancto, non ſunt tres dij.* Atqui perſonæ divinæ ſolùm ſunt adinvicem ratione mutuæ relationis ſecundùm originem. Ergo dumtaxat numerum inſinuãt ratione mutuæ relationis ſecundũ originẽ. Similiter lib. 11. de Trinit. c. 10. prope medium ait: *Ideo ſimplex dicitur* (Deus) *quoniam quod habet, hoc eſt; excepto quod relatiuè quæque perſona ad alteram eſt.* Quaſi diceret: Deus Pater habet Filium, ſed non eſt Filius, quoniam relativè ad ipſum eſt. Ergo ratio vt perſonæ divinæ diſtinguantur, in eo ſita eſt, quòd vna ad aliam relativè ſe habeat. Solùm ergo eſt inter divinas perſonas diſtinctio ex vi oppoſitionis relativæ. Sunt & pleraque alia huiuſmodi loca in eodem Auguſtino, Leone Papa Epiſt. 91. ad Turibium, Boetio lib. de Trinit. verſus finem, alijſque, quorum doctrinam in hac parte amplexantur Theologi Scholaſtici cum Magiſtro in 1. diſt. 22 cap. *Sciendum*, & cap. *Deus*. Apud quos omnes à tempore ferè S. Anſelmi, tam alte perſuaſum eſt id axioma, veluti expreſſum S. Doct. vt quicumque ex Recentioribus negant, aut dubitant an ab ipſo traditum fuerit, haud immeritò ab alijs quiddam paradoxon, aut theſim, vt cum Ariſtotele loquar, proferre cenſeantur.

SEC-

SECTIO QVARTA.

Ratio erutа ex D. Anſelmo in probationem ſententiæ negantis, ac probabilioris, vrgentur ex eodem axiomate probato à priori. Euaſiones præcipuæ Aduerſariorum multiplici-ter præcluſæ ac re-iectæ.

31 ITAQVE Poſt Anſelmi axioma ex ex Concilijs & Patribus Græcis Latiniſque confirmatum, oportet (relictis alijs rationibus quæ apud Auctores noſtræ ſententiæ videri poſſunt) inſtaurare ſyllogiſmum illum num. 23 propoſitum, & referre ac refellere varias Adverſariorum ſolutiones. In divinis omnia ſunt vnum, vbi non obviat relationis oppoſitio. Atqui ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, nulla eſſet inter vtrumque relationis oppoſitio Ergo nec diſtinctio vlla eſſet perſonalis inter vtrumque, ſed vnitas. Maior probata fuit ſectione præcedenti per totam auctoritate Conciliorum & Patrum. Nunc autem probatur ratione à priori. Omne enim prædicatum divinum eſt increatum, ſive ens à ſe; ac proinde eſſentialiter illimitatum in omni genere, aut quaſi genere rerum, quæ de Deo dignè affirmari poſſunt: quia ratio entis à ſe, ſicuti excludit omnem dependentiam ab alio omnemque compoſitionem; ita etiam excludit omnem limitationem à principio, ſive intrinſeco, ſive extrinſeco. Ergo omne prædicatum divinum eſt quælibet alia prædicata divina, ſive abſoluta, ſive relativa, quæcumque de Deo dignè affirmantur, niſi obſtet aliqua relationis oppoſitio. Patet conſequentia: quoniam vniversè loquendo quòd ex aliquibus prædicatis vnum non ſit reipſa idem cum alio, dumtaxat oriri poteſt, vel ex limitatione, quâ certis terminis coercetur, & finitur, limitaturque, ne ſit idem cum alio (vt patet in omni ente creato) vel ex relativa oppoſitione cum ipſo intra eandem numero ſubſtantiam & naturam. Cùm ergo limitatio nullum in divinis rebus habeat locum, ac proinde nec diſtinctio ex limitatione orta; neceſſum eſt vt quodlibet prædicatum divinum ſit reipſa vnum & idem cum omnibus alijs prædicatis divinis, niſi obſtet relativa oppoſitio.

32 RESPONDENT Adverſarij, omnem quidem diſtinctionem perſonarum divinarum oriri ex relationibus; non tamen ſolùm relativè oppoſitis; ſed vel relativè, qualiter diſtinguitur Pater à Filio; vel diſparatè, qualiter diſtingueretur Filius à Spiritu ſancto in hypotheſi quæſtionis. nam adhuc Spiritus ſanctus importaret relationem proceſsionis paſsivæ ad Patrem, Filius verò relationem generationis paſſivæ, ſeu filiationis; quæ duæ relationes non ſunt invicē relativè oppoſitæ, ſed diſparatæ dūtaxat. Porrò nihil ampliùs evinci ex doctrina Conciliorum, ac Patrum, & in ijs Anſelmi. Nō enim ait in divinis omnia eſſe vnum, vbi non obſtat relativa oppoſitio, ſed *relationis oppoſitio*. Poteſt enim eſſe relationis oppoſitio aliqua, quin ſit relativa, ſed ſolùm diſparata. Ita adverſarij hanc ſolutionem tertio quoque verbo reponentes; præſertim Maſtrius, qui oppoſitam ſententiam latiùs & ſubtiliùs cæteris illuſtrat.

33 SED Contrà I. Concilia enim & Patres allegati non vtcumque aiunt, perſonas divinas dumtaxat diſtingui per relationes: ſed nominatim per relationes illas, quibus ſe reſpiciunt *adinuicem*: vt patet ex verbis Concilij Toletani XI. & S. Auguſtini, exſcriptis n. 26. & 30. Atqui relationes, quibus perſonæ ſe reſpiciunt adinuicem non ſunt oppoſitæ diſparatè, ſed relativè. Neque enim alio ſenſu opponuntur relativè paternitas & filiatio, ſicut & ſpiratio activa & paſsiva, quàm quia medijs ijs Pater & Filius, Spirator & Spiritus ſanctus, ſe reſpiciunt ad invicem. Ergo ex mente Conciliorum ac Patrum perſonæ divinæ dumtaxat diſtinguūtur per relationes non diſparatè ſe habentes, ſed relativè oppoſitas. Sic certè in divinis perſona Patris generans & ſpirans habet duplicem relationem diſparatam paternitatis & ſpirationis activæ: nec tamen ideo quatenus Pater reſpicit ſe adinvicem prout ſpiratorem, aut è converſo; multò autem minùs diſtinguitur in duplicem perſonam, alteram generantis, alteram ſpirantis: quoniam eæ relationes non ſunt invicem oppoſitæ, ſed diſparatæ dumtaxat. Sic etiam vel in creatis, vbi confluit in eundem hominem duplex relatio, altera patris, altera magiſtri, erga filium & diſcipulum, nemo dicet illum ſe cundùm vtramque eam relationem invicem ſe reſpicere, aut eſſe duplicem perſonam reipſa, ſed functione tantùm. Dum ergo Concilia & Patres aiunt, perſonas divinas ſolùm diſtingui relationibus, quatenus invicem ſe reſpiciunt, non loquuntur de relationibus diſparatis, ſed de oppoſitis relativè. Cùm igitur in hypotheſi quæſtionis Filius & Spiritus ſanctus non haberent relationes oppoſitas relativè, ſed ſolùm diſparatas, quatenus alter procederet per intellectum, alter per voluntatem; conſequens eſt vt non eſſent perſonæ ſecundùm rem diſtinctæ.

34 CONTRA II. Dum enim Anſelmus verbis n. 25. exſcriptis tradit regulam illā, *vt nec vnitas amittat aliquando ſuā conſequētiam, vbi non obſtat aliqua relationis oppoſitio; nec relatio perdat quod ſuum eſt, niſi vbi obſiſtit vnitas inſeparabilis*; loquitur planè in ſenſu formali, iuxta quem ſolū diſtinguitur in Deo prædicatū abſolutū à relativo, & vnum quodque eorum infert conſequentias ſibi proprias, quatenus diſtinctum ab altero. Alioquì

cùm in ſenſu materiali, ſive identico, prædicatum abſolutum & relativum in Deo ſint vnum, nulla potiùs ex vno, quàm ex altero, conſequentia poſſet colligi. Ergo aſſerit Anſelmus, omnia in divinis ſervare vnitatem, ſive eſſe vnum, vbi non obviat aliqua relationis oppoſitio in ſenſu formali, non autem in materiali. Atqui oppoſitio relationis in ſenſu formali ſolùm eſt oppoſitio relativa, non autem diſparata. Hæc enim non eſt propria relativorum, quatenus relativa ſunt, & ab abſolutis diſtincta in ſenſu formali, ſed vagatur per omnia abſoluta, quorum vnum non eſt aliud, ſive quorum vnum eſt diſpar aut diverſum ab alio. Ergo Anſelmus dumtaxat loquitur de oppoſitione relativa.

35 CONTRA III. Anſelmus enim, & cum eo cæteri Theologi, præter Adverſarios, non ait vniversè, ſive abſtrahendo à divinis & creatis, ſed nominatim *in diuinis omnia eſſe vnum, vbi non obuiat relationis oppoſitio*. Si autem hoc non intelligitur de oppoſitione relativa dumtaxat, ſed de abſtrahente à relativa & diſparata, nihil habet peculiare in divinis regula illa, potiùs quàm in creatis. Etenim adhuc in creatis omnia ſunt vnum, vbi non obviat relationis oppoſitio, aut diſparata, aut relativa. Omnia enim creata, quotquot non ſunt vnum & idem, ſed differunt reipſa, eius conditionis ſunt, vt habeant inter ſe oppoſitionem relationis, aut relativam, aut diſparatam ſaltem. Omnia enim entia creata, & reipſa inter ſe diſtincta, important inter ſe relationem aliquam diverſitatis, ſaltem ſecundùm vnitatem numericam, penes quam ſunt primò diverſa: pleraque etiam diverſa ſunt ſecundùm ſpeciem, aut inæqualia, aut diſſimilia. Nonnulla etiam relativè oppoſita, vt pater & filius, magiſter & diſcipulus, dominus ac ſervus. Omnia ergo entia creata ſecundùm rem diſtincta, opponuntur inter ſe relationibus, aut diſparatè, aut relativè: & non interveniente aliqua ex ijs oppoſitionibus, omnia creata ſunt vnum & idem inter ſe. Ergo ſi eodem ſenſu omnia in divinis ſunt vnum vbi non obviat relationis oppoſitio, regula illa Anſelmi & aliorum Theologorum, non magis vera erit in divinis, quàm in creatis. Vt igitur ſolùm in divinis locum habeat, prout verè habet, atque ex mente Anſelmi profertur; oportet dicere, omnia in divinis eſſe vnum, vbi non obviat relationis oppoſitio, nõ quælibet, vel diſparata; ſed relativa. Hoc enim maximè proprium eſt prædicatorum divinorũ, prout differunt à creatis, quòd hæc ſeorſim ab omni relativa oppoſitione, vi limitationis ſuæ diſtinguantur, & certis limitibus coerceantur, ne vnum ſive abſolutum, ſive relativum, ſit idem quod alterum: divina verò prædicata ratione ſummæ perfectionis & illimitationis ſuæ nequeant invicem diſtingui, niſi dumtaxat vi oppoſitionis relativæ.

36 CONTRA IV. Et conſequenter. Oppoſitio enim relationis diſparata, prout diſtincta omnino ab oppoſitione relativa, nullum habet, nec habere poteſt locum in divinis. Ergo in hypotheſi quæſtionis, cùm manere ſupponantur prædicata divina, repugnat inter Filium & Spiritum ſanctum eſſe oppoſitionem diſparatã ſeorſim à relativa. Antecedens probo: Quia omnis oppoſitio diſparata, prout diſtincta omnino ab oppoſitione relativa, dumtaxat oritur ex limitatione rei: quæ, quia certis limitibus generis & differentię coercetur, nequit per ſuam entitatem includere prædicata, aut perfectiones alterius rei, nec formaliter, nec eminenter. Et hæc eſt ratio cur omnes Philoſophi ac Theologi, tam ſcripto, quã in diſputationibus publicis, ſupponant paſsim, hyppocentaurũ, hircocervũ, & alia eiuſmodi monſtra, repugnare omnino, eſſeque chimęras prorſus impoſsibiles: quoniã, nimirum, quodlibet animal in rerum natura eſt alligatũ certę cuidam ſpeciei ſubſtantiali; ideoque nequit per ſuam entitatem extendi ad alterã ſubſtantialẽ ſpeciẽ. Itaque omnes ſpecies ſubſtãtiales, immo omnes res creatæ & abſolutæ, quæcumque inter ſe habent oppoſitionẽ realem diſparatam, & prorſus diſtinctã ab oppoſitione relativa, ideo illam habent, quia finita & limitata ſunt, ac propterea nequeunt indiviſim amplecti entitatem aut perfectionem aliarum rerum. Eademque ratio eſt in omnibus relationibus creatis ſolùm diſparatè oppoſitis. Ideo enim relatio creata ſimilitudinis v.g. nequit eſſe relatio ęqualitatis, aut dependentiæ, aut diverſitatis, & ę contrà, quia quælibet earum eſt finita & certis terminis comprehenſa, quibus prohibetur habere identitatem cum alia. Omnis igitur oppoſitio purè diſparata, ſive rerũ abſolutarũ, ſive relationum inter ſe, prout contradiſtincta in re ab oppoſitione relativa, ſolùm oriri poteſt ex limitatione, quæ in Deo locum non habet, nec habitura ſupponitur in hypotheſi huius quæſtionis. Ergo in eâdem hypotheſi inter Filium & Spiritum ſanctum nulla eſſet oppoſitio purè diſparata, & contradiſtincta ab oppoſitione relativa; ac proinde nullum eſſet caput quo perſonalitęs diſtinguerentur.

37 DICES: In ea hypotheſi adhuc maneret filiatio accepta per generationem in Filio, & ſpiratio paſsiva accepta per proceſsionem in Spiritu ſancto. Hæ autem duæ ſunt formæ conſtituentes & diſtinguentes vtrumque perſonaliter: vt ſuprà Diſp. LXXX. diximus. Aliunde verò non ſunt relativè oppoſitæ, cùm non fundentur ſupra originem vnius perſonæ ab alia;

alia : ſed diſparatè ſe habentes, qualiter ſuo modo ſe habent in perſona Patris relationes paternitatis & ſpirationis activæ. Ergo in hypotheſi quæſtionis eſſet duplex perſona Filij & Spiritus ſancti realiter conſtituta & diſtincta per relationes ſolùm diſparatè oppoſitas, non autem relativè.

38 VERVM In oppoſitum eſt ratio nuper propoſita, quæ hanc ſolemnem Adverſariorum evaſionem, immo & præcipuam probationem, cui innituntur, funditus evertit. Quoniam filiatio, prout diſiuncta aut contradiſtincta à ſpiratione activa, non eſſet relativè oppoſita ſpirationi paſsivæ, nec compararetur ad illam cum ordine producentis & producti. Atqui ſatis probatum eſt, nullam in divinis realem aut perſonalem diſtinctionem eſſe, niſi ex relativa oppoſitione ſecundùm ordinem producentis & producti. Ergo in ea hypotheſi filiatio prout diſiuncta aut contradiſtincta à ſpiratione activa, nullam inferret diſtinctionem realem aut perſonalem. PRÆTEREA. Filiatio in ea hypotheſi diſtincta ab ſpiratione activa, ſummùm haberet oppoſitionẽ diſparatam cum ſpiratione paſsiva, vt patet. Atqui oppoſitio ſolùm diſparata nequit inducere diſtinctionem realem, niſi ex limitatione ortam: vt oſtenſum fuit ſatis, præſertim n. 36 Cùm ergo diſtinctio realis ex limitatione orta nullum habere poſsit locum in divinis, conſequens eſt, vt filiatio in ea hypotheſi non diſtingueretur realiter à ſpiratione paſsiva. RVRSVS inſtantia ipſa, quæ habetur in ſolutione, regeritur in Adverſarios. Ideo enim paternitas, & ſpiratio activa non diſtinguuntur realiter, adhuc iuxta Scotum, quia invicem comparantur vt relationes diſparatæ, non autem oppoſitæ relativè. At in hypotheſi quæſtionis filiatio & ſpiratio paſsiva comparentur vt relationes diſparatæ, non autem relativè oppoſitæ, prout ipſi Adverſarij docent. Ergo in ea hypotheſi filiatio & ſpiratio paſsiva non diſtinguerentur realiter.

39 NEC Satis enervat vim huius poſtremæ impugnationis ſolutio Adverſariorum aientium diſparem eſſe rationem: quoniam ſpiratio activa non conſtituit perſonam incommunicabilem ſicut paternitas, ac proinde non debet ab ea realiter diſtingui: ſpiratio autem paſsiva, ſicut & filiatio, conſtituit perſonam incommunicabilem: ac proinde vna ab altera debet reipſa diſtingui, & conſtituere perſonam in re diſtinctam. Non, inquam, ſatis. In oppoſitũ enim eſt, quòd nec filiatio conſtituit perſonam incommunicabilem Filij completè & perfectè prout ſeiuncta à ſpiratione activa; nec paſsiva ſpiratio conſtituit completè incommunicabilẽ Spiritũs S perſonam, prout ſeiuncta ab ordine in Filium ſpirantem. Etenim incommunicabilitas vnius perſonæ divinæ relatè ad alteram nequit oriri ex oppoſitione diſparata, ſicut nec ex limitatione, vt probatũ eſt; ſed ſolùm ex oppoſitione relativa. Probatum autem eſt, filiationem diſiunctam ab ordine in Filium ſpirantem. Ergo filiatio diſiuncta à ſpiratione activa, & paſsiva ſpiratio ſeiuncta ab ordine in Filiũ ſpirantẽ, non conſtituerent incõmunicabilitatem vnius perſonæ divinæ relatè ad aliam. Solùm igitur ſe haberent ſicuti ſe habent in perſona vnica & eadẽ Patris paternitas & ſpiratio activa, ſine vlla diſtinctione reali inter ſe: ac proinde in ea hypotheſi eadem eſſet perſona Filij ac Spiritus ſancti cum duplici relatione, altera filiationis, altera ſpirationis paſsivæ, quarũ neutra ab altera ſecundũ rem diſtingueretur. CONFIRMATVR. Ideo ſpiratio activa, prout condiſtincta à paternitate, non conſtituit perſonam diſtinctam & incommunicabilem, quia non opponitur ipſi relativè, ſed quoddamodo diſparatè ad illam ſe habet. Atqui filiatio diſiuncta à ſpiratione activa, non opponeretur relativè ſpirationi paſsivæ. Ergo neque conſtitueret perſonam incommunicabilem & diſtinctam. Quare dum Adverſarij oppoſitum ſupponunt, & veluti certum præmittunt in hypotheſi huius quæſtionis, ſupponunt planè quod probare debent, nec facilè poſſunt.

40 CONTRA V. Statuto ſemel ex Anſelmo, in divinis omnia eſſe vnum vbi non obviat relationis oppoſitio (quod Maſtrius, & plerique ex Adverſarijs fatentur) id debet accidi de vera oppoſitione : vtpotè ſufficiente & vtili ad diſtinctionẽ perſonarum veram. Atquĩ de nulla vera oppoſitione accipi poteſt, niſi ea ſit relativa. Ergo debet accipi axioma illud de oppoſitione relativa. Minor propoſitio, ſive aſſumptio, probatur. Omnis enim vera oppoſitio, iuxta Philoſophos cum Ariſtotele in Categorijs cap. de Oppoſitis, & alibi ſæpe, aut eſt contraria, aut contradictoria, aut privativa, aut relativa. Atqui inter Filium & Spiritum ſanctum patet nullam ex tribus prioribus oppoſitionibus poſſe verè locum habere, etiam in hypotheſi quæſtionis. Non primam. Alioquĩ Filius & Spiritus ſanctus ſe invicem excluderent ab eadem divinitate, ſeu ab eodem *eſſe* eſſentiæ. Nequeunt enim eſſe vnius & eiuſdem eſſentię duo contraria, & per conſequens ſe invicẽ expellentia. Non ſecundam, nec tertiã, vt patet: quoniam adhuc in ea hypotheſi Filius & Spiritus S. non ſe haberent, vt ens & non ens; neque vt forma & eius privatio. Ergo nulla vera oppoſitio inter Filium & Spiritum ſanctum eſſe poteſt, niſi relativa. Cùm ergo iuxta Adverſarios, & apud omnes evidens ſit, non futuram tunc inter vtrumque oppoſitionem relativam; cõſequens demũ eſt, vt nulla tunc vera oppoſitio

inter Filium & Spiritum ſanctum haberet locum. Igitur oppoſitio relationum diſparata, quam Adverſarij in ea hypotheſi aſſerunt, eſſet prorſus fictitia; vipotè omnino alia ab omnibus ſpeciebus veræ oppoſitionis: atque adeò ſolùm induceret diſtinctionem fictitiam, non autem veram ac perſonalem inter Filium & Spiritum ſanctum.

41 CONTRA VI. Si ea, quæ hactenus diſſeruimus, non excludunt manifeſtè à Deo oppoſitionem diſparatam ſufficientem ad realem diſtinctionem, nulla erit ratio ad probandum contra Durandum, paternitatem & ſpirationem activam non diſtingui realiter ac ſimpliciter. Conſequens autem eſt contra Subtilem Doctorem, eiuſque Diſcipulos, vt ſuprà vidimus Diſp. LXXXI. Ergo & ſolutio, ex qua id ſequitur. Aſſumptio, ſive ſequela, vt aiunt, probatur: Quia pariter reſpondere poterit Durandus, quamvis non ſit oppoſitio relativa inter paternitatem & ſpirationem activam, eſſe nihilominus oppoſitionem diſparatam, atque adeò ſufficientem ad diſtinctionem realem vtriuſque: præſertim quoniam ea diſtinctio à Durando tradita ſolùm eſt realis relativa, & minor quàm perſonalis. Scotus autem in hypotheſi huius quæſtionis ait, vi oppoſitionis diſparatæ futuram diſtinctionem inter Filium & Spiritum ſanctum, non modò realem, ſed perſonalem etiam. Meliori ergo iure Durandus aſſerit de facto diſtinctionem realem inter paternitatem & ſpirationem activam, quàm Scotus in hypotheſi quæſtionis inter Filium & Spiritum ſanctum perſonalem diſtinctionem. Quin & Gualtero, alijque paucis, quos ex communi Theologorum ſenſu reiecimus Tomo I. Diſp XXIX. liceret tueri realem diſtinctionem attributorum Dei inter ſe, & ab eſſentia, conſtituendo in ijs aliquam oppoſitionem realem diſparatam, minorem tamen eâ, quam Scotus adſtruit inter Filium & Spiritum ſanctum independenter à relativa oppoſitione, quam de facto habent vi ſpirationis activæ & paſſivæ. Conſequens autem abſurdiſsimum eſt, nequid amplius dicam, ex communi ſenſu omnium Theologorum, & ipſius Scoti. Adverſatur enim ſummæ ſimplicitati divinæ, de cuius ratione eſt excludere omnem diſtinctionem realem inter prædicata Dei, ſalva oppoſitione relativa: quæ certè non intervenit inter attributa divina, ſive cum eſſentia conferantur, ſive inter ſe. Eadem autem ratio eſt de filiatione & ſpiratione paſſiva, in hypotheſi huius quæſtionis. Quare ſi adhuc eſſet vtriuſque realis diſtinctio ob ſolam diſpoſitionem diſparatam; eadem quoque poſſet cogitari inter attributa invicem comparata, & cum eſſentia Dei.

42 CONTRA VII. Si enim locus eſt in Deo oppoſitioni diſparatæ ſeorſim à relativa, nulla erit ratio cur perſonæ divinæ nequeant conſtitui & diſtingui reipſe formis abſolutis pro priori rationis ad omnem relationem, cõtra quàm eum omnibus ferè Theologis ſtatuimus ſuprà Diſp. LXXIX. & ipſe Scotus ibidẽ allegatus tradit ex animi ſententia quamvis velit oppoſitum eſſe probabile. Aſſumptio ſuadetur. Quamvis enim formæ abſolutæ non habeant inter ſe oppoſitionem relativam rationis ſui ipſarum, nihil prohibet habere diſparatam, qua diſtinguantur realiter, ſi ſemel hæc in Deo locum habet. DICES, ſi perſonæ divinæ conſtituantur formis abſolutis, nullam fore inter eas relationum oppoſitionem, prout Anſelmus, & cæteri Patres exigunt. SED contrà: Tum quia, ſi oppoſitio ipſa non eſt relativa, ſed diſparata, æquè convenire poteſt & ſolet rebus abſolutis ac relativis, vt ſuprà à num. 34 oſtenſum eſt. Quapropter æquè poterunt diſtingui realiter perſonæ divinæ vi formarum abſolutarum, ac relationum. Tum præterea: quia formæ ipſę conſtituentes, quamvis abſolutæ, iuxta illam quorundam opinionem, modificantur relationibus diſtinctis & oppoſitis. Quare iuxta eandem vtcumque verificabitur, omnia eſſe vnum in divinis vbi non obviat relationis oppoſitio, nam inter formas illas, quamvis per ſe abſolutas, obviat aliqua relationis oppoſitio ex vi relationum propriarum vniuſcuiuſque. Ergo poterunt conſtitui & diſtingui realiter per formas abſolutas. Quod, quàm falſum ſit, ex tota illa Diſputatione conſtitit.

43 CONTRA VIII. Si enim locus eſt in Deo oppoſitioni relationum diſparatæ, veluti ſufficienti ad inducendam realem perſonarum diſtinctionem, abſque oppoſitione relativa originis vnius ab alia; ſequitur, Anſelmi omnino extra rem, & inutiliter ad ſcopum ſuæ diſputationis contra Græcos præmiſiſſe regulã illam hactenus firmatam, vt vnitas nunquam amittat ſuam conſequentiam vbi non obviat aliqua relationis oppoſitio. Sequela probatur. Scopus enim Anſelmi in illa diſputatione erat probare contra Græcos, Spiritum ſanctum procedere à Filio. Ad hoc autem probandum, inutile omnino eſt quòd perſonæ nequeant diſtingui ſine aliqua relationis oppoſitione, ſi hæc ſit ſolùm diſparata. Hanc enim vltro admittebant Græci, aſſerentes Filium differre à Spiritu ſancto, penes relationes nativitatis & proceſſionis à Patre, quin alter illorum alteri opponatur rellativè, vel ab eo procedat. Quod patet ex prioribus capitibus illius libri, ſeu Epiſtolæ contra Græcos, vbi ſupponitur palam, ac præcipuè ex mente ipſorum. Vt igitur fruſtranea non fuerit ſuppoſitio & doctrina illa Anſelmi, quæ tam eximiam laudem re-

reportavit ab Vrbano II. Papa, & Patribus omnibus Concilij Barenſis (vt vidimus Tomo I. Prolegomeno 3. num. 22.) dicendum eſt, ad realem diſtinctionem perſonarum in divinis exigi prorſus oppoſitionem relativam vnius ab alia: ac proinde, vt Filius ſit perſona diſtincta à Spiritu ſancto, neceſſum eſſe vt alter eorum ab altero procedat. Cumque ex Scriptura conſtet, Filium non procedere à Spiritu ſancto, opus eſt fateri, hunc procedere à Filio. Quod ex profeſſo docet ac probat Anſelmus in eo Opuſculo, præſertim à cap. 5.

44 DENIQVE Ex impugnationibus præiactis, & ex doctrina Anſelmi hactenus tradita, poſſumus eruere hanc rationem vrgentem, ſimul & impugnationem opinionis adverſæ. Cùm ratio naturalis demonſtret, Deum ſummè perfectum, vnum, ac ſimplicem eſſe, nulla pluralitas & realis diſtinctio in eo admittenda eſt, niſi quam fides tradit, vel manifeſta ratio colligit ex doctrina fidei. Atqui nec fides tradit, nec vlla manifeſta ratio ex fidei doctrina colligit diſtinctionem realem Filij à Spiritu ſancto independenter ab origine vnius ex altero, & ab oppoſitione relativa, eidem innixa. Omnia enim argumenta, omneſque rationes, quibus Adverſarij eiuſmodi diſtinctionem probare nituntur, aut facilem, aut probabilem ſolutionem habent, nullaque eſt illarum manifeſta, vt ex progreſſu conſtabit. Ergo nulla eſt realis diſtinctio Filij à Spiritu ſancto, independenter ab origine vnius ex altero, & ab oppoſitione relativa eidem innixa: ac per conſequens in hypotheſi negante originem, negari debet vtriuſque diſtinctio realis. Quare noſtra ſententia videtur digniùs de Deo ſentire & loqui: vtpotè quæ præ oppoſita ſartam tectam ſervat ſummam Dei ſimplicitatem vnitatemque, nec vllam pluralitatem admittit, niſi cogente fide & ratione Theologica manifeſta. Plures alias rationes omittimus conſulendas apud AA. noſtræ ſententiæ. Satis enim fuerit, pro huius Operis inſtituto vrgere & illuſtrare potiſsimum fundamentum deſumptum ex Anſelmi doctrina, quæ nobis præcipuè curæ eſt.

SECTIO QVINTA.

Obijcitur & ſoluitur argumentum opinionis contrariæ ab auctoritate, præſertim Anſelmi, cuius mens iterum penitiùs examinatur.

45 OPPONVNT I. Adverſarij varia loca Anſelmi, præter ea quę ſuprà ſect. 2. obiecimus & explanavimus, eaque coniungunt cum alijs teſtimonijs SS. Patrum. Anſelmus enim in toties allegato libro ſeu Epiſtola de Proceſsione cap. 8 probat Spiritus ſancti proceſsionem ex Filio, non quia vterque diſtinguitur, & diſtinctio perſonarum in divinis nequeat eſſe ſine proceſſione vnius ab alia: ſed quoniam Pater & Filius ſunt eiuſdem naturæ, ſive eſſentiæ, atque adeò eiuſdem virtutis ſpiratricis, quâ ſimul & indiviſim producant Spiritum ſanctũ. Ait enim: * Cùm legitur, illum à Patre procedere, de quo ait Filius, EGO ET PATER VNVM SVMVS; confiteantur nobiſcum propter identitatem eſſentialem Patris & Filij, illum à Filio proculdubio procedere. * Quo eodem ferè modo loquutus fuerat Hilarius lib. 8. de Trinitate & Ambroſius lib. 2. de Spiritu ſancto cap. 12. paulo poſt initium, dicens: * Omnia de Filio Spiritus ſanctus accepit: accepit autem per vnitatem ſubſtantiæ, ſicut accepit à Patre Filius. Ille (inquit) me clarificabit, quia de meo accipiet. Omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt. Propterea dixi: De meo accipiet. * Vnde & Concilium Florentinum ſeſſ. vlt. hanc eandem rationem videtur propoſuiſſe contra Græcos dum dixit: * Quia autem proferunt, Spiritum ſanctum ex ſola Patris perſona procedere, hĩ proculdubiò ſubſtantiam ab hypoſtaſi ſeparant & partitionem imaginantur divinæ ſubſtantiæ, quod à ratione fideque valde alienum piè creditur. * Non ergo Anſelmus in ea ſententia fuit, vt ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, non differret ab illo. Ita ferè Gavatius p. 2 c. 2. & Maſtrius diſp. 7. q. 4.

46 RESP. Anſelmum in toto eo libro ſive Epiſtola contra Græcos, varijs ac pluribus argumentis vti; nec oportuiſſe vt inculcaret paſſim vnum & idem. Fateor itaque, verbis in obiectione exſcriptis inſtitiſſe argumentationi petitæ ex identitate Patris & Filij in eſſentia, & virtute ſpirandi, quod & antea obſervaverant Hilarius atque Ambroſius locis nuper indicatis, & longè poſtea confirmavit Florentinum Concilium, eandem viam inſiſtens ad id probandũ. Verùm & in ea ipſa argumentatione implicatur præcipuum illud Anſelmi axioma, ex cap. 2. vt *nec Vnitas amittat aliquando ſuam conſequentiam, Vbi non obuiat aliqua relationis oppoſitio.* Dum enim colligitur ab abſurdo, non fore eſſentiam vnam & eandem Patris & Filij, ſi hic etiam non haberet vim ſpirandi; ſupponitur certè, nullam eſſe oppoſitionem relativam vtriuſque quoad illam. Alioqui ex eo etiam, quòd Filius non habeat virtutem generandi, quam habet Pater, colligere liceret, non eſſe eandem vtriuſque eſſentiam. quod planè repugnat fidei, & rationi theologicæ. Quemadmodum ergo hæc illatio, ſeu collectio, eſt præpoſtera & ſpuria, quoniam identitas Patris & Filij in eſſentia non probat identitatem in virtu-

re generandi, quia in hac opponuntur ambo relativè: ita etiam, vt illegitima non ſit collectio illa Concilij cum Patribus allegatis, inferentis non fore eandem eſſentiam Patris & Filij, ſi non eſſet eadem virtus ſpirandi; ſupponi planè debet, Patrem & Filium quoad eiuſmodi virtutem non eſſe oppoſitos relativè. alioquin enim differrent reipſa quoad vim ſpirandi, ſicuti differunt quoad virtutem generandi. Cùm igitur in hypotheſi huius quæſtionis nulla eſſet inter Filium & Spiritum ſanctum oppoſitio relativa; nulla etiam eſſet realis & perſonalis diſtinctio vtriuſque, iuxta mentem eorundem Patrum.

47 ITAQVE, Anſelmus ſolam agnoſcit diſtinctionem perſonarum divinarum deductam ab oppoſitione relativa fundata in origine vnius ab altera. Etenim, præter obſervata à nobis vtràque ſectione præcedenti, capite quinto eiuſdem Epiſtolæ, cui initium, *Forſitan negabunt*, contendit S. Doctor adverſus quendam Epiſcopum non exiguæ auctoritatis, qui videbatur Græcis favere, Spiritum ſanctum non fore alium à Patre, ſi ab eo non procedat, quamvis dicatur Spiritus ipſius Patris. Et circa medium capitis ſic ratiocinando concludit: *Videtur itaque quòd Spiritus ſanctus non ſit per aliud à Patre alius, niſi quia ab illo habet eſſe quod eſt, quamvis alio ſuo modo, quàm Filius.* Eadem autem ratio eſſe videtur, vt nec Spiritus ſanctus ſit per aliud diſtinctus à Filio, quàm per hoc vt habeat eſſe ex illo. quod in hypotheſi quæſtionis nullum haberet locum. Deinde circa finem eiuſdem capitis ſubdit de Patre & Spiritu ſancto: *Quoniam vnus Deus ſunt, ſi vterque de nullo eſt penitus nihil inuenire valet in fide Chriſtiana, vnde ſint abinuicem alij; ſed vnus idemque eſt Pater & Spiritus ſanctus, & vna perſona. quæ vera fides abhorret.* Hæc ille: nullum caput diſtinctionis perſonalis agnoſcens inter Patrem & Filium, ſi alter ab altero non oriatur. Cùm ergo in hypotheſi quæſtionis, Spiritus ſanctus non oriatur à Filio, nec è contrà; neuter eorum eſſet perſona diſtincta ab altero.

48 DICES, Eſſe diſparem rationem vtriuſque. Nam adhuc in hypotheſi quæſtionis Filius haberet eſſe diverſo modo, quàm Spiritus ſanctus; ille per generationem, hic verò per proceſsionem: ac propterea ambo eſſent perſonaliter diſtincti. Si autem Spiritus ſanctus non procederet à Patre, nullum eſſet caput vnde diſtinguerentur ambo in perſonis.

49 SED Contrà. Adhuc ſuppoſito quòd Spiritus ſanctus non procederet à Patre, eſſent per locum ab intrinſeco, vt aiunt, non-nullæ amborum differentiæ, nam adhuc ſolus Pater generaret, ſeu haberet Filium, quod repugnat Spiritui ſancto. Similiter Pater eſſet de nullo: Spiritus ſanctus verò de aliquo. Et tamen in ea alia hypotheſi, quamvis eæ differentiæ intervenirent, non differret Spiritus ſanctus in perſona à Patre, defectu proceſsionis ab ipſo. Similiter nec differt in perſona Filius à Patre, quia Patrem habet, & Pater non habet Patrem: ſed quoniam oritur à Patre. Quod S. Doctor diſertè pronuntiaverat eodem cap. 5. circa medium, dicens contra Epiſcopum illum: *Quemadmodum Filius non ideo eſt alius à Patre, quia Patrem habet, & Pater non habet Patrem (ſi enim Pater haberet Patrem, alius tamen eſſet à Filio): ita Spiritus ſanctus, quia de aliquo procedit, & Pater à nullo, non propter hoc eſt alius à Patre: quia ſi Pater de aliquo procederet, non minùs tamen Spiritus ſanctus* (ita habent correctiora exemplaria) *eſſet alius à Patre, de quo procedit. Palam igitur eſt, quia non ideo eſt alius Spiritus ſanctus à Patre, quia non habet Filium, aut Spiritum ſanctum de ſe procedentem ſicut Pater; nec quia de aliquo procedit, & Pater de nullo. Sed neque per hoc intelligi poteſt eſſe à Patre alius, quia Spiritus eſt Patris, ſi de illo non habet eſſe.* Hucuſque S. Doctor. Itaque quemadmodum in ijs hypotheſibus planè impoſsibilibus, quamvis eſſent tot & tales differentiæ inter Patrem & Spiritum ſanctum, ſive etiam Filium; non propterea eſſet alietas in perſona, defectu originis alterius ab altero: ita quamvis in hypotheſi noſtræ quæſtionis æquè impoſsibili, Filius differret à Spiritu ſancto penes nativitatem ac proceſsionem, non propterea eſſet alietas in perſona vtriuſque, defectu originis alterius ab altero.

50 INSTABIS, Et repones verba illa Anſelmi iam ſuprà n. 19. obſervata: *Nam etſi per aliud non eſſent plures Filius & Spiritus ſanctus, per hoc ſolum eſſent diuerſi.* nimirum, quòd ille generetur, hic procedat. Ergo longè aliter ſe habet hæc differentia ad diſtinguendum Filium à Spiritu ſancto in perſona, quàm ſe habeant differentiæ illæ nuper ex S. Doctore propoſitæ ad diſtinguendam perſonam Patris à duabus reliquis.

51 RESP. Iam nos ibidem ſatis explicuiſſe ea verba: quoniam ex ſenſu Anſelmi, quamvis non Græcorum, ſubintelligitur in ijs diſcrimen Spiritus ſancti à Filio penes proceſsionem paſsivam, non à ſolo Patre, ſed etiã ab ipſo Filio, ſine quâ non poſſet ab eo perſonaliter diſtingui. Vnde ipſe S. Doctor c. 3. circa medium præmiſerat: *Cùm autem apparuerit quia Spiritus S. eſt de Filio, TVNC QVOQVE PALAM ERIT, QVIA PROPTER HOC NEQVIT ESSE FILIVS SPI-*

SPIRITVS SANCTVS, ET SPIRITVS SANCTVS FILIVS. Hæc igitur germana ratio diſtinctionis perſonalis inter vtrumque eſt, quâ interveniente, quamvis nulla alia eſſet, diverſi in perſonis exiſterent: ſicuti germana ratio diſtinctionis perſonalis Filij & Spiritus ſancti à Patre ſita eſt in eo, vt vnuſquiſque eorum ab illo procedat, quamvis plures aliæ differentiæ deeſſent, quas num. 48. audivimus ex eodem S. Doctore.

SECTIO SEXTA.

Præcipua Aduerſariorum ratio ad probandum, non eſſe opus relatiua oppoſitione in diuinis ad diſtinctionem perſonarum, vrgetur multipliciter, & extricatur.

51 OPPONVNT II. De facto datur divinis diſtinctio realis perſonarum ſine oppoſitione relativa inter illas. Pater enim & Filius ſecundùm rationem perſonalem & peculiarẽ vniuſcuiuſque, ac primò conſtitutivam, quæ ſunt Filiatio & Paternitas, non opponuntur relativè Spiritui ſancto, ſed adinvicem tantùm. Et tamen ſecundùm rationem perſonalem & peculiarem vniuſcuiuſque diſtinguuntur reipſa à Spiritu ſancto. Quippe paternitas & filiatio, quatenus tales, ſunt peculiares propriatates vniuſcuiuſque amborum, prorſus incommunicabiles Spiritui ſancto. Ergo datur de facto diſtinctio realis perſonarum in divinis independenter ab oppoſitione relativa. Vnde planè inferri videtur, adhuc in hypotheſi quæſtionis, Spiritum ſanctum fore perſonam diſtinctam à Filio. Adhuc enim ſupponimus manſuram in altero filiationem, in altero ſpirationem paſsivam, per quas de facto conſtituuntur primariò & diſtinguuntur. Vbi autem manent rationes formales diſtinguendi perſonas, debet manere illarum diſtinctio.

52 HOC Argumentum, reverà difficile, diviſit Theologos in varias ſolutiones, quas latè refert & impugnat Maſtrius vbi ſuprà art. 4. immo & Godoy, ac plures alij Recentiores, quamvis nobiſcum in ſententia conveniant: nec vacat nobis eas hoc loco exhibere ac refellere. Quare ijs omiſsis, placet communior ſolutio aſſerentium, ad diſtinctionem realem perſonarum in divinis exigi omnino oppoſitionem relativam, vel formalem, vel radicalem & connexivam. nam quælibet earum verè relativa eſt, & nullam arguens limitationem in extremis diſtinctis. Porrò licèt oppoſitio relativa formalis ſolùm verſetur inter paternitatem & filiationem ex vna parte, & ſpirationem activam ac paſsivam ex alia; oppoſitio tamen radicalis & connexiva etiam competit paternitati & filiationi in ordine ad ſpirationem paſsivam: tum quia vtraque eſt virtualis & æquivalens radix relationis Spiratoris, quâ Pater & Filius opponuntur formaliter relativè Spiritui ſancto: tum quia ambæ conſtituunt ſubſtratum referendum *vt quod* per relationem Spiratoris ad Spiritum ſanctum, vt obſervat Sanct. Thomas quæſt. 10. de Potentia art. 5. ad 13. Forma autem conſtituens relativè ſubſtratum aliquod alteri oppoſitum, vt termino, nequit non opponi relativè termino ipſi. Ergo paternitas & filiatio opponuntur ſufficienti modo & relativè Spiritui ſancto, ſeu paſsivæ ſpirationi. Iuxta quam ſolutionem facilis eſt ſolutio ad formulam argumenti, negato antecedente, & ad probationem diſtincta maiore, ac conceſſa de oppoſitione relativa formali; negata autem de connexiva & radicali. Quo eodem ſenſu diſtinguendum eſt conſequens, & neganda vltima conſequentia, quâ infertur realis diſtinctio Spiritus ſancti à Filio in hypotheſi quæſtionis: quoniam tunc filiatio nullatenus radicaret aut exigeret ſpirationem activam, proindeque nec oppoſitionem formalem cum Spiritu ſancto: ac per conſequens non haberet vim conſtituendi perſonam reipſa diſtinctam ab illo.

53 INSTAT Maſtrius, poſt Valentiam & Arriagam: Quia etiam eſſentia divina in Patre eſt radix virtualis paternitatis oppoſitæ Filio: tamen non propterea in aliquo vero ſenſu eſſentia opponitur relativè Filio. Ergo quòd paternitas & filiatio ſint radix virtualis activæ ſpirationis oppoſitæ formaliter relativè Spiritui ſancto, non ſufficit vt illæ in aliquo vero ſenſu opponantur relativè Spiritui ſancto. RVRSVS inſtari poteſt quoad alteram ſolutionis partem: Quia etiam eſſentia divina conſtituit eſſentialiter, immò & præcipuè, principium *quod* ſpirans, relativè oppoſitum Spiritui ſancto, quin illa huic in aliquo vero ſenſu opponatur. Ergo quamvis paternitas & filiatio conſtituant principium *quod* ſpirans, relativè oppoſitum Spiritui ſancto, non propterea cum hoc vllam veram oppoſitionem relativam habent.

54 RESPONDEO, Non quamcumque radicem virtualem oppoſitionis formalis relativæ ſubire verã oppoſitionẽ cum alio prædicato divino, ſed illã ſolùm quæ peculiaris & relativa eſt. Nã quemadmodũ omne quod diſtinguitur reipſa ab altero in divinis, debet eſſe peculiare & relativũ: ita etiã omne quod verè opponitur alteri. Porrò eſſẽtia divina nec eſt aliquid relativum, ſed potiùs abſolutũ; nec eſt peculiaris radix alicuius relationis potiùs quàm alterius: nam omnium relationum divinarum, ſicut & attri-

attributorum, æquè & indiviſim eſt radix; non quidem realiter, cùm ab ijs non diſtinguatur in re; ſed virtualiter ſolùm: ac proinde cum nullo prædicato divino, ſive attributali, ſive relativo, poteſt veram oppoſitionem habere; & per cõſequens nec veram diſtinctionem, quæ in divinis non eſt ſine vera oppoſitione relativa. Quippe adhuc generatim loquendo, nulla radix communis duorum aut plurium invicem oppoſitorum habet cum aliquo eorum veram oppoſitionem. Cæterum paternitas & filiatio, prout diſtinctæ ab omni alio prædicato divino, ſunt radix virtualis peculiaris, & quidem relativa radix, ſpirationis activæ, quæ expreſſe & formaliter opponitur Spiritui ſancto. Quare utraque habet quidquid exigitur ad veram oppoſitionem radicalem cum illo, ac per conſequens ad veram diſtinctionem. In hypotheſi autem quæſtionis quamvis filiatio eſſet forma relativa, deeſſet ipſi alterum prædicatum virtualis & peculiaris radicis ſpirandi: ac propterea in nullo vero ſenſu haberet oppoſitionem relativam cum Spiritu ſancto, & ſubinde nec realem diſtinctionem. AD II. Inſtantiam patet ex eâdem doctrina diſparitas. Eſſentia enim nõ conſtituit principium *quod* ſpirationis, tanquã forma peculiaris & relativa; ſed veluti communis & abſoluta: ſecus verò paternitas & filiatio. Vnde ambæ præ illa opponuntur radicaliter relativè Spiritui ſancto, & proinde ab eo reipſa diſtinguuntur.

55 VRGEBIS. Dato quòd paternitas & filiatio opponantur radicaliter relativè Spiritui ſancto, adhuc pro priori rationis ad eam oppoſitionem intelliguntur conſtituere ſpeciatim perſonas Patris ac Filij, & per conſequens eas diſtinguere realiter à perſona Spiritûs ſancti: quoniam expreſſum conſtitutivum perſonæ & cuiuslibet rei, eſt etiam expreſſum ipſius diſtinctivum. Ergo oppoſitio relativa adveniens paternitati & filiationi pro poſteriori rationis, non diſtinguit illas propriè & theologicè à perſona Spiritus ſancti, ſed potiùs ſupponit iam diſtinctas. Ergo quamvis per impoſsibile nulla oppoſitio relativa ſequeretur filiationem, hæc propriè & theologicè diſtingueretur à Spiritu ſancto.

56 RESP. Negando antecedens: quia paternitas & filiatio, licèt in aliquo ſigno rationis intelligãtur præcedere ſpirationem activam, & oppoſitionem formalem relativam cum Spiritu ſancto ab eâ provenientem; nõ tamen radicalem oppoſitionẽ. Hæc enim eſt ipſiſsima paternitas & filiatio, quatenus ambæ conſtituunt perſonas Patris & Filij. Sub ea quippe ratione formali, & expreſsione adæquatè conſiderata, radicant ſpirationem activam, & formalem oppoſitionem cum Spiritu ſancto. Sunt enim virtualiter priores ſpiratione activa: & omne quod in divinis eſt prius altero virtualiter, concipitur veluti radix, ſeu ratio à priori ipſius. Quòd ſi verò inſtes, & dicas priùs & inadæquatè conſideratas paternitatem & filiationem conſtituere perſonas Patris & Filij, atque adeò pro illo ſigno inadæquato eas diſtinguere realiter à perſona Spiritus ſancti; Reſpondeo negando aſſumptum: quoniam non eſt opus vt conſtitutivum & diſtinctivum perſonæ divinæ ab alia ſit idem ſecundùm omnimodam expreſsionem: ſed ſat eſt, vt eadem adæquata expreſsio paternitatis, ſive filiationis, intelligatur exercere duo munia inadæquata, primum conſtituendi, ſecundùm ſpirandi radicaliter, ac ſubinde diſtinguendi realiter à termino ſpirando pro alio ſigno rationis ſuperveniente. Vnde (quod obiter notatum volo) ſi paternitas & filiatio accipiantur præciſivè pro priori ad expreſsionem inadæquatam ſpirandi radicaliter, quamvis habeant conſtituere perſonas Patris & Filij, eaſque diſtinguere pro eo ſigno inter ſe; nõ tamen à perſona Spiritus ſancti: quia nulla habitudo ad ipſum intelligitur pro eo ſigno, ſed pro ſequenti. Diſtinctio autem duorum aut plurium in aliquo ſigno rationis exigit aliqualiter coexiſtentiam diſtinctorum pro ſigno eodem: ſicuti diſtinctio actualis vnius ab alio in inſtanti reali, exigit amborum coexiſtentiã intra idem inſtans reale, aut ſaltem aliquem ordinem vnius exiſtentis ad exiſtentiam alterius. Cùm igitur in ſigno eius expreſsionis inadæquatæ, ſub quo paternitas & filiatio intelligitur conſtituere ac diſtinguere vtramque perſonam Patris & Filij inter ſe, nondum intelligatur exiſtens Spiritus ſanctus exiſtens, nec vllus ordo ad illius exiſtentiam; conſequens eſt, vt nec pro eo ſigno inadæquato intelligantur Pater & Filius diſtincti ab ipſo, ſed ſolùm pro alijs ſignis ſequentibus, in quibus exprimitur quod dammodo origo ſeu ſpiratio, per quam, ſicuti relativè opponuntur, ſic etiam in exercitio diſtinguuntur. Sic etiam ſuprà Diſp. LXXX. ſect. 6. diximus cum ſententia valde recepta, etiam apud ipſum Scotum, relationem paternitatis ſub eâdem expreſsione adæquata conſtituere perſonã Patris, & referre illam ad Filium: inadæquatè verò conceptam, priùs intelligi conſtituere, quàm referre; & hanc inadæquatam expreſsionem exigi ab illa priore, ſecundùm connexionem formalem. Idem ergo ferè exiſtimandum de eadem expreſsione adæquata, ſive paternitatis, ſive filiationis: quæ inadæquatè concepta habet conſtituere & diſtinguere Patrem à Filio; & ſecundùm alteram expreſsionem inadæquatam habet vtrumque opponere radicaliter, ac ſubinde diſtinguere à Spiritu ſancto.

DI-

57 DICES Adhuc. Nequeunt paternitas & filiatio diſtinguere primò Patrem & Filium à Spiritu ſancto ſub aliqua expreſsione ambobus communi: ſed dumtaxat ſub peculiari & propria vniuſcuiuſque illorum. Atqui expreſsio ſpirationis activæ eſt communis ambobus iuxta omnes Theologos cum Anſelmo: expreſsio autem formæ hypoſtaticæ, ſive conſtituentis perſonam, eſt peculiaris & propria vniuſcuiuſque illorum. Ergo nequeunt paternitas & filiatio diſtinguere primò Patrem & Filium à Spiritu ſancto ſub expreſsione ſpirationis activæ; ſed dumtaxat ſub munere formæ hypoſtaticæ, ſive conſtituentis perſonam. Cùm igitur in hypotheſi quæſtionis ſupponatur, manere filiationem ſub munere formæ hypoſtaticæ; maneret quoque realis & perſonalis diſtinctio Filij à Spiritu ſancto.

58 RESP. Conceſſa maiori, diſtinguendo minorem: & quidem concedendo illam de ſpiratione formali, negando autem de radicali. Spiratio enim formalis, iuxta D. Thom. in 1. ad Anibald. diſt. 27. quæſt. 1. art 1. ad 3. non eſt perſonalis proprietas, atque adeò nequit primò diſtinguere vnam perſonam divinã ab alia. Deinde, eſt communis Patri & Filio indiviſim: atque adeò iam ſupponit vniuſcuiuſque perſonam conſtitutam in ſe, & diſtinctam à qualibet alia. Spiratio autem radicalis non eſt communis, ſed peculiaris & propria vniuſcuiuſque illorum: quia quemadmodum licèt ambo conveniant quoddammodo in ratione perſonæ, tamen alter eſt perſona determinata vt Pater, alter vt Filius: ſic etiam quamvis ambo conveniant quoddammodo in ſpiratione radicali, alter illam habet vt perſona Patris, alter vt perſona Filij, ſeu Verbi. Quare locus eſt, vt vnuſquiſque eorum primò diſtinguatur à perſona Spiritus ſancti, non per relationem formalem ſpirationis, ſed penes radicalem. Cùmque in hypotheſi quæſtionis hæc non eſſet in Filio, conſequens eſt, vt nec haberet per quid diſtingueretur realiter à Spiritu ſancto.

59 DENIQVE Inſtabis contra ſolutionem datam. Si in hypotheſi quæſtionis non maneret in Filio radicalis ſpiratio, nec etiam filiatio ipſa maneret; vtpotè quæ illam includit eſſentialiter, immo & intra eandem expreſsionem adæquatam, vt paulo antè dicebamus. Si autem filiatio non maneret, tollitur de medio, & innutilis redditur quæſtio, cui extricandæ hactenus inſtitimus. Nam evidens eſt, & nulla diſcuſsione dignum, ablata filiatione, auferri de medio Filium, ac propterea non manere diſtinctum à Spiritu ſancto. Ergo ne ſit quæſtio inutilis, ſupponendum eſt manſuram in Filio ſpirationem radicalem, & ſolam formalem defuturam.

60 SED Quis non videat, eodem nodo irretiri opinionem adverſam? nam nec poſſunt negare ipſi Adverſarij, nec negant, ſpirationem formalem eſſe indiſtinctam reipſa a filiatione, ſicuti & à paternitate, vt vidimus ſuprà Diſp. LXXXI. contra Durandum. Et quidem non eſt vtcumque indiſtincta ab ea, ſed per modum prædicati neceſſariò cum ea connexi, quo deficiente, illa etiam deficeret. Et tamen locus eſt præſenti quæſtioni: quia ex eius hypotheſi ſolùm colligitur per conſequentiam mediatam & à poſteriori defectus filiationis: non per immediatam & à poſteriori. Idem ergo nos dicere poſſumus, & verè dicimus de ſpiratione radicali. nam licèt ſit de conceptu eſſentiali implicito filiationis, immo & conſtituat vnicam expreſsionem adæquatam ſimul cum illa; adhuc tamen ſupponit pro aliquo priori expreſsionem inadæquatam filiationis: quæ ſola ſupponitur in hac quæſtione, & eam ſatis difficilem relinquit. Sic etiam Anſelmus verbis ſuprà num 48. allegatis inquit de Patre æterno: *Si Pater haberet Patrem, alius tamen eſſet à Filio* Ac præterea: *Si Pater de aliquo procederet, non minùs tamen Spiritus ſanctus eſſet alius à Patre, de quo procedit.* Vbi ambæ hypotheſes per conſequentiam mediatã, ſive à poſteriori deſtruunt perſonam Patris nunc exiſtentem: non tamen immediatè & à poſteriori; ideoque relinquunt locum diſputationi, an tunc Filius, vel Spiritus ſanctus, diſtingueretur realiter à Patre.

SECTIO SEPTIMA.

Reliqua ferè argumenta alicuius momenti, obiecta & ſoluta.

61 OPPONVNT III. Quamvis Spiritus ſanctus non procederet à Filio, adhuc ſupponitur origo paſsiva vnius diſtincta ab origine alterius; Filij quidem per intellectum, & Spiritus ſancti per voluntatem. Ergo perſona vnius eſſet aliæ in re à perſona alterius. Antecedens ſupponitur ab omnibus Theologis poſt Anſelmum cap. 2. & 3 Epiſtolæ toties allegatæ contra Græcos. Conſequentia probatur multipliciter. *Primò* ex doctrina communi Patrum allegatorum ſuprà Diſp. LXXX. ſect. 1. aientium, perſonas divinas diſtingui ratione originis. Vnde & Richardus Victorinus lib. 4 de Trinit. ait: *Propter hoc perſonæ ſecundùm originẽ differunt, quod altera originem habet, & altera origine caret; vel ſi originem habet, origo vnius differt ab origine alterius.* Si igitur in hypotheſi quæſtionis eſſet diverſa origo Filij ab origine Spiritus ſancti, etiam perſona vnius eſſet alia à perſona alterius. *Secundò*: quia repugnat vnicam perſonam

ſonam habere eſſe per duplicem proceſsionem adæquatam, qualis certè eſſet, tum origo per intellectum, tum etiam per voluntatem. Quemadmodum enim repugnat, ſaltem naturaliter, eundem effectum provenire à duplici cauſa totali eiuſdem ordinis: ita etiam eandem perſonam habere eſſe vi duplicis originis totalis, alterius per intellectum, alterius per voluntatem. Ergo non poſſet eſſe eadem perſona Filij & Spiritus ſancti in ea hypotheſi, ſed duplex propter originem adæquatè diverſam. *Tertiò*: quoniam in eadem hypotheſi Filius per intellectum ſupponeretur productus adæquatè. Ergo per voluntatè deberet produci, non eadem perſona Filij, ſed alia perſona diſtincta, Alioqui voluntas, prout diſtincta ab intellectu, nihil tunc produceret, contra hypotheſim initio argumenti ſtatutam.

62 RESP. Facta hypotheſi, quòd Spiritus ſanctus non procederet à Filio, originem vnius paſsivam fore quidem diſtinctam ab origine paſsiva alterius (quod ſupponunt omnes cum Anſelmo initio huius quæſtionis, abſtrahendo à genere ſeu modo diſtinctionis inter vtramque originem) non tamen diſtinctam realiter, ſed virtualiter, inſtar vtriuſque originis activæ, quæ de facto ſolùm virtualiter diſtinguitur iuxta dicta ſuprà Diſp. LXXXI. Ratio eſt: quoniam, vt docet D. Thom. allegato Anſelmo 1 p. quæſt. 36. art. 2 ad 7 & quæſt. 27. art. 3. ad 3. proceſsio per voluntatem differt à proceſsione per intellectum propter ordinem originis, quo eam reſpicit: nimirum, quatenus terminus proceſsionis per voluntatem oritur à termino producto per intellectum. Cùm igitur in hypotheſi quæſtionis proceſsio per voluntatem non haberet ordinem originis ad proceſsionem per intellectum, ſicut nec terminus vnius oriretur à termino alterius; conſequens eſt, vt vna origo paſsiva non differret realiter ab altera, ſed ſummùm virtualiter, inſtar originum activarum. Circa quod oportet recolere quæ ſuprà diximus num. 20. & 21. Vnde nec Filius diſtingueretur à Spiritu ſancto realiter, ſed ſolùm virtualiter: ſicuti perſona Patris prout generans, & prout ſpirans, non importat alietatem principij realem, ſed ſolùm virtualem.

63 NEQVE Obſtant probationes, ſeu impugnationes obiectæ. AD 1. Patres aſſerentes, perſonas diſtingui ratione originum, loquuntur de origine alterius ab altera: vt patet ex ipſis teſtimonijs, quæ in obiectione indicantur. Siquidem, vt Ricardus ibidem allegatus, aiunt perſonas, quæ originem habent, differre quoniam origo vnius differt ab origine alterius, intelligendi ſunt in ſenſu cauſali, vt iam ſuprà monuimus. Nam cauſa ſive ratio quaſi remota & mediata, quam aſsignare poſſumus, vt Spiritus S. à Filio diſtinguatur in perſona, eſt quòd hic naſcatur per intellectum, ille autem procedat per voluntatem. Ratio autem proxima diſtinctionis perſonalis, eſt quòd Spiritus ſanctus procedat per voluntatem, non vtcumque, ſed etiam à Filio. Nulla autem diſtinctio realis & exercita eſſe poteſt, quin adſit proxima cauſa, ſive ratio ipſius, quamvis remota adeſſe ſupponatur. Si autem inquiras, cur proceſsio Filij per intellectum ſit ratio ſolum mediata aut remota diſtinctionis realis à Spiritu ſancto procedente per voluntatem, ſic illam reddo, etiam iuxta doctrinam Subtilis Doctoris. Dum Filius procedit priùs origine, quàm Spiritus ſanctus, ſive per intellectionem, ſive per dictionem, ſimilis Patri in natura, & per conſequens perfectus Deus; ſequitur planè vt vi generationis accipiat omnid quod eſt in Patre, excepto quòd Pater ſit, vt loquitur Concilium Florentinum; ac proinde voluntatem fœcundam, quia hæc non conſtituit Patrem. Ex eo autem quòd Filius à Patre accipiat per intellectum voluntatem fœcundam ad ſpirandum, ſequitur illico, quòd Spiritus ſanctus procedat per voluntatem à Filio. Vnde palam evincitur diſcrimen perſonale vtriuſque oriri quidem mediatè ac remotè ex eo, quòd Filius ſolus procedat priùs origine per intellectum perfectiſsimum, quàm Spiritus ſanctus per voluntatem proximè autem ex eo, quòd Spiritus ſanctus à Filio, ſicut à Patre, procedat per eandem voluntatem fœcundam. Ergo deficiente hoc in hypotheſi quæſtionis, non eſſet perſonalis ac realis diſtinctio inter Filium & Spiritum ſanctum.

64 DICES: Spiratio radicalis, quamvis mediatè aut remotè ſe habeat in ordine ad Spiritum ſanctum, eſt ratio formalis diſtinguendi Filium à Spiritu ſancto, vt ſuprà num. 58. diximus. Ergo ſimiliter proceſsio per intellectum quamvis mediatè aut remotè ſe habeat in ordine ad Spiritum ſanctum, erit ratio formalis diſtinguendi Filium à Spiritu ſancto.

65 RESP. Negando conſequentiam: quoniam ſpiratio radicalis imbibita in filiatione habet quidquid exigitur ad diſtinguendum formaliter Filium à Spiritu ſancto. Eſt enim relatio ipſa propria Verbi, ipſiuſque conſtitutiva in ratione principij *quod* ſpirantis, ac propterea diſtincta realiter à termino ſpirato, etiam pro priori rationis ad exercitium actuale ſpirandi. nam in divinis diſtinctio producentis & producti ſemper eſt realis inter principium *quod* & terminum, quamvis penes principium *quo* non ſit realis diſtinctio. Hoc enim iuxta veriorem ſententiam eſt natura & intellectus ad producendum Filium; voluntas verò in ordine ad Spiritum ſanctum. Patet autem, naturam, intellectum, & voluntatem, eſſe aliquid vnum & idem in tribus perſonis. Præterea eadem radicalis

talis ſpiratio, eſt ratio proximè inferens ſpirationem activam, & oppoſitionem relativam cum termino ſpirato. Cæterum origo Filij per intellectum, ſi non exprimat ſpirationem radicalem (vt illam non exprimit, nec includit in hypotheſi quæſtionis) nullatenus importat rationem principij *quod*, nec infert oppoſitionem relativam cum ipſo: ac proinde nec vllam ab eo realem diſtinctionem.

66 AD II. Probationem petitam ex repugnantia vt eadem perſona accipiat eſſe per duplicem proceſſionem adæquatam, erunt in primis qui probabiliter id negent. nimirum, quicumque volunt, poſſe eundem effectum pẽdere à duplici cauſa totali, & à duplici actione ſive productione adæquata. Verùm quidquid ſit de ea opinione quorundam Philoſophorum, ab alijs pluribus reiecta, & permiſsâ aut ſuppoſitâ falſitate ipſius; in hypotheſi quæſtionis non eſſent duæ proceſsiones adæquatæ, nec ex parte principij activi, neque ex parte termini producti. Non ex parte principij productivi: quoniam intellectio ſeu dictio paterna non cõmunicaret Filio virtutem ſpirandi; atque adeò non communicaret ipſi omnia quæ ſunt Patris, excepto quòd Pater ſit: prout exigitur ad perfectam & adæquatam generationem. Similiter ſpiratio activa non eſſet communis Patri & Filio, ſeu non conſtitueret vtrumque indiviſim ſpirantem. quod exigitur per ſe & omnino ad productionem adæquatam Spiritus ſancti. Non ergo tunc eſſet duplex productio adæquata ex parte principij activi, aut quaſi activi. Sed neque etiam ex parte termini. Nam paſsiva generatio non includeret in Filio virtutem ſpirandi, ſine quâ nequit eſſe adæquata: & ſimiliter paſsiva proceſsio Spiritus ſancti non includeret ordinem ad Filium, veluti ad principium productivum; quem ordinem intimè & neceſſariò claudit. Ergo de primo ad vltimum in hypotheſi quæſtionis non eſſet duplex origo adæquata, nec activa, nec paſsiva; ſed ſolùm duplex inadæquata, vel ſolùm virtualiter diſtincta ex parte termini, vt ſuprà num. 62. dicebamus: ac proinde non ſufficeret ad inducendam in termino diſtinctionem realem adæquatam, ſive perſonalem; ſed dumtaxat inadæquatam, ſive virtualem, aut formalem eiuſdem perſonæ orientis à Patre; penes filiationem, per intellectum; & penes proceſsionem per voluntatem: ſicuti in ipſo Patre ratio generantis per intellectum, & ſpirantis per voluntatem, adhuc in ſententia Subtilis Doctoris, non arguit in ipſo duplicem realitatem, vel relationem in re diſtinctam, multò autem minùs duplicem perſonam: ſed vnam eandemque cum duplici exercitio, ac relatione, generantis & ſpirantis, ſolùm formaliter aut virtualiter multiplicata. Ergo idem eſſet dicendum proportionaliter ex parte termini.

67 AD III. Probationem ex eodem num. 61. nego antecedens nam, vt nuper dicebamus, in ea hypotheſi Filius non acciperet à Patre virtutem ſpirandi, quâ non communicatâ, nequit intelligi generatio adæquata ipſius. Quippe vt adæquata ſit, debet Filius per eam accipere omnia illa quæ Patris ſunt, excepto quòd ſit Pater. Ideoque Eugenius IV. in Concilio Florentino, in Decreto Vnionis, allegatis Chriſti verbis apud Evangelium Ioannis cap. 16 & 17. colligit: *Quoniam omnia, quæ Patris ſunt, ipſe Pater Vnigenito Filio ſuo gignendo dedit, præter eſſe Patrem; hoc ipſum, quod Spiritus ſanctus procedit ex Filio, ipſe Filius a Patre æternaliter habet, à quo æternaliter etiam genitus eſt.* Vide ſuprà Diſput. XC. num. 28. & 29. Ergo cùm in Patre ſit ſpiratio activa, non vt Pater eſt, ſi eam Filio ſuo non communicaret per generationem, Filius non evaderet adæquatè ſimilis Patri, ac proinde nec adæquatè & perfectè genitus. Quod ſpectant ea, quæ præmiſsimus ſect. 1. num. 61. in hypotheſi quæſtionis debere quidem Filium ſupponi exiſtentem; non tamen adæquatè, ſed inadæquatè ſolùm. Quod ipſi etiam Adverſarij debent fateri, ne controverſiam reddant inutilem, & in ipſis terminis repugnantem. Quomodo ergo nunc, immemores eius ſuppoſitionis, contendunt, proceſsionem Filij fore adæquatam, & adæquatè diſtinctam à Spiritus ſancti proceſsione? Quippe omnis adæquata rei productio communicat ipſi exiſtentiam adæquatam.

68 OPPONVNT IV. Si Spiritus S. non procederet à Patre, ſed à Filio, adhuc eſſet perſona ſecundùm rem diſtincta à Patre. Et tamen tunc non interveniret oppoſitio relativa inter vtrumque, ſed ſolùm diſparata: quia oppoſitio relativa fundatur in origine, quæ tũc non eſſet Spiritûs ſancti à Patre. Ergo pariter quamvis in hypotheſi quæſtionis non eſſet oppoſitio relativa, nec ordo originis inter Filium & Spiritum ſanctum, ſufficeret diſparata oppoſitio, vt ambo in perſonis diſtinguerentur.

69 RESP. Hypotheſim impoſsibilem, ex qua procedit obiectio, duplici ſenſu accipi poſſe: primo, vt Spiritus ſanctus non procederet vllo modo à Patre, nequidem mediatè, ſeu mediante Filio: ſecundo, vt mediante ipſo procederet à Patre. Priori ſenſu hypotheſis eſt non ſolùm impoſsibilis, ſed duplex contradictorium involvens, vt meritò obſervat Durandus: quia repugnat prorſus, & contradictionem terminorum involvit, quòd perſona procedens immediatè à ſolo Filio, non pro-

procedat mediatè ab ipſius Patre. Itaque ex hypotheſi ſic intellecta, ſequitur quodlibet: aut ſi forte alterum extremorum immediatiùs altero colligere licet, potiùs eſt non diſtinctio realis, quàm diſtinctio Spiritus ſancti à Patre: quia tũc nulla prorſus eſſet oppoſitio relativa vtriuſque defectu originis. Quæ doctrina eſt conformis Anſelmo verbis ſupra num. 48. exſcriptis, in quibus nullam agnoſcit diſtinctionem perſonalem inter Patrem & Spiritum ſanctum, adhuc ex ſuppoſitione impoſsibili, niſi ex vi proceſsionis alterius ab altero. Secundo autem ſenſu acceptâ hypotheſi obiectionis, dicimus, Spiritum ſanctum futurum alium à Patre ratione oppoſitionis relativæ fundatæ in origine mediata. Tunc enim Pater eſſet avus, ſive principium mediatè productivum Spiritus ſancti, quod ſanè debet diſtingui reipſa à termino, ſeu effectu, non ſolum immediato, ſed mediato.

70 INSTANT Recentiores. Repugnat quòd aliquid diſtinguatur à termino mediatè: quia quælibet res diſtinguitur ab alia per ſuam intimam vnitatem, entitatemque, atque adeò non per aliud, ſive mediante alio. RESP. Etiam vnunquodque per ſuam entitatem procedit à principio, vel cauſa ſui eſſe: & tamen plura ab alijs verè dicuntur procedere ſolùm mediatè, ſeu mediante alio, vt principio proximo. Tunc ergo dicimus, terminum diſtingui per ſuam quidem entitatem intimam, vt rationem formalem diſtinguendi, à principio mediato: exigi tamen mediatam ab eo proceſsionem, & interpoſitionem alterius, tanquã principij proximi. Itaque in ea hypotheſi ſpiratio paſsiva intima Spiritui ſancto, eſſet quidem ratio formalis ipſum diſtinguens realiter à Patre: verùm ea ipſa ad exiſtentiam ſui neceſſariò ſupponeret originem ſui proximi principij à Patre, ſine quâ nullam oppoſitionem relativam, nullumque originis ordinem ad ipſum haberet, ac proinde nec diſtinctionem realem.

71 OPPONES V. Plura alia, quæ ſolũ breviter indicare ſufficit, ne controverſia vltra modum excurrat. PRIMO enim radicalis ſpiratio non videtur poſſe opponere relativè, atque adeò nec diſtinguere Filium à Spiritu ſancto. Hinc enim colligitur, poſſe pariter diſtingui perſonas penes modos abſolutos, veluti radices relationum perſonalium. quod eſt abſurdum illatum à nobis ſuprà ex opinione Scoti. Ergo Filius non diſtinguitur realiter à Spiritu ſancto vi ſpirationis radicalis, ſed ſolius filiationis, quæ ſupponitur manere in hypotheſi cõtroverſiæ. SECVNDO. Spiratio radicalis non eſt proprietas perſonalis Filij, cùm etiam conveniat Patri. Ergo ſicuti ſuprà Diſp. LXXXI. diximus hac ratione ſpirationem formalem eſſe vnam numero in Patre & Filio: ita etiam idipſum dicere debemus de ſpiratione radicali. Atqui perſona Filij non diſtinguitur primò à Spiritu ſancto penes aliquid ſibi commune cum Patre, ſed penes proprietatem ſuam perſonalem. Ergo Filius non diſtinguitur primò à Spiritu ſancto per ſpirationem radicalem, ſed per filiationem, quæ eſt perſonalis proprietas ipſius. TERTIO, & per locum à contrario. Si enim Filius diſtinguitur a Spiritu ſancto per ſpirationem radicalem ſibi propriam, & reipſa diſtinctam a ſpiratione radicali quæ eſt in Patre, ambo erunt duplex principium Spiritus ſancti, contra quàm definitum fuit in Concilijs Lugdunenſi & Florentino, vt vidimus ſuprà Diſp. XC. ſect. 1. & docet Anſelmus impræſenti. Sequela probatur: Quia Pater & Filius ſecundùm ſpirationem radicalem nequeunt diſtingui reipſa à Spiritu ſancto, niſi ſub ratione principij productivi ipſius. Nos enim ſæpe diximus, diſtinctionem realem in divinis nõ habere locum, niſi ratione originis. Si ergo radicalis ſpiratio in Patre & Filio eſt reipſa duplex, vterque erit duplex principium Spiritus ſancti reipſa.

72 HÆC Tamen nullatenus obſtant. AD I. Nego aſſumptum. nam nullũ prædicatum abſolutum in divinis poteſt eſſe virtualiter radix peculiaris alterius prædicati; ſed ſolùm communis radix, quæ proinde cum nullo prædicato divino poteſt habere realem oppoſitionem: vt ſuprà vidimus num. 54. Spiratio autem radicalis in Filio eſt peculiaris radix virtualis ſpirationis formalis opponentis ipſum mediatè Spiritu ſancto: ac proinde poteſt illum ab hoc reipſa diſtinguere. Secus verò in ſententia Scoti: cùm filiatio in hypotheſi quæſtionis nullo modo radicaret ſpirationem formalem: atque adeò non ſe haberet in ordine ad Spiritum ſanctum ſub habitudine aliqua principij, vel peculiaris radicis, quæ ſola poteſt inducere realem diſtinctionem. AD II. Quamvis ratio radicis in ordine ad ſpiratione formal. m, quaſi abſtractè, & ſecundùm communitatem logicam, non ſit prædicatum peculiare & perſonale Filij, ſed commune etiam Patri (quod ipſum etiam invenitur in conceptu communi perſonæ conveniente vtrique) eſſe tamen radicem, non vtcumque, ſed per modum Verbi, & complere illud in ratione principij *quod* ſpirantis, eſt proprietas perſonalis & peculiaris ipſius: ac proinde ſufficienter diſtinguit Filium à Spiritu ſancto. Vide quæ diximus num. 58. AD III. Nego ſequelam: Quia vt Pater & Filius ſint & dicantur vnicum principium Spiritus ſancti, ſufficit quòd per vnicam virtutem ſpirandi, & vnicam ſpiratione ipſum

pro-

producant: quãvis ambo ij diſtinguantur reipſa ſecundùm rationem principij *quod*, ſive ſecundùm ſpirationem radicalem, per quã conſtituũtur & complentur ſub ea ratione. Sic certè fide ſanctum eſt, & veluti tale definitum in Concil. Lateran. ſub Innoc. III. prout habetur in c. *Firmiter* de Sum. Trin. Patrem, Filium, & Spir. S. eſſe vnicum principium rerum omnium. Quod Theologi paſsim exponũt de principio *quo*, ratione eiuſdem omnipotentiæ, & operationis ad extra: quamvis principium *quod*, id eſt perſonale, ſit triplex, ſecundùm perſonalitatẽ, quæ vnũquemque eorum complet in ratione principij *quod* ad extra.

73 DICES: Quamvis in Filio nõ eſſet ſpiratio, adhuc radicalis, dũ tamen ipſe eſſet cõditio requiſita ad productionẽ Spir. S. diſtingueretur reipſa ab eo. Sic in creatis amor differt realiter à cognitione, & à verbo mentis, quãvis nõ procedat ab eo, ſed ſit mera conditio ad productionẽ amoris. Sic etiam in divinis paternitas non eſt principium productivum Filij, ſed mera conditio, aut complementũ principij producẽtis Filium: & tamen realiter diſtinguitur à Filio. Ergo & ipſe Filius, per hoc ſolùm, vt eſſet conditio, reipſa à Filio diſtingueretur.

74 RESP. Negando antecedens, & reddẽdo diſparitatẽ: quoniam in creatis ex vi limitationis oritur, vt non ſolùm principium productivum, ſed etiam conditio ad agendum, diſtinguatur reipſa à termino vel effectu. In divinis autẽ omnia alia eveniunt. Nam ſicuti illimitatio eſt in cauſa vt principium *quo* non differat reipſa à termino: ita etiam vt conditio mera ab eo non diſtinguatur reipſa. Similiter nec eſt par ratio de paternitate divina. Quãvis enim prout eſt conditio ad generandum non exigat diſtingui a Filio; aliunde tamen prout eſt perſonalis proprietas Patris, illum relativè opponens Filio, diſtinguitur ſecundùm rem ab ipſo. Cùm igitur in hypotheſi obiectionis filiatio nullatenus opponeret relativè Filium Spir. S. quamvis aliunde eſſet conditio ad ſpirandum, non eſſet ratio diſtinguendi vtrumque.

CAPVT LV. Aliàs LIII.

Quòd non ſit eorum Filius, Amor.

75 QVID Ergo? Cùm hic Amor pariter habeat eſſe à Patre, & Filio; & ſic ſimilis ſit ambobus, vt nullatenus diſſimilis ſit illis, ſed omnino idem ſit, quod illi: nunquid filius eorum, aut proles æſtimandus eſt?

76 SED Sicut Verbum mox vt conſideratur, ſe prolem eſſe eius, à quo eſt, evidentiſsimè probat, promptam præferendo parentis imaginẽ: ſic Amor apertè ſe prolẽ negat: quia dum à Patre & Filio procedere intelligitur, non ſtatim tam perſpicuam exhibet ſe contemplanti eius, ex quo eſt, ſimilitudinem: quamvis ipſum conſiderata ratio doceat omnino idipſum eſſe, quod eſt Pater & Filius.

77 DENIQVE Si proles eorum eſt: aut alter eorũ erit Pater eius, alter mater: aut vterque pater, ſive mater eſt: quæ omnia veritati repugnare videntur. Quoniã nãque nullatenus aliter à Patre procedit, quàm à Filio: nulla veritas patitur vt diſsimili vocabulo ad illum Pater, & Filius referantur. Non eſt igitur alter Pater eius, alter Mater. Vt autẽ duo aliqua ſint, quæ ſingula perfectam, & nulla conſideratione differentẽ habeant pariter ad aliquid vnum, patris aut matris habitudinem, nulla natura aliquo monſtrari concedit exemplo. Ergo non eſt vterque, ſcilicet, Pater & Filius, Pater, aut mater Amoris à ſe manantis. Nequaquã itaque videtur veritati convenire, vt idẽ Amor eorum Filius ſit, aut proles.

DISPVTATIO XCIV.

AN LICVERIT ANSELMO IN HOC CAPITE VESTIGARE RATIONEM DISCRIMINIS INTER GENERATIONEM VERBI, ET PROCESSIONEM SPIRITVS SANCTI.

AD NOBILISSIMVM ET LITTERATISSIMVM D. D. CAROLVM DE VILLAMAIOR ET VIBERO, Calatravenſem Equitem, Supremi Iuſtitiæ Senatus digniſsimum Conſiliarium, olim Regio Granatenſi Prætorio Præfectum, Virum antiquis moribus, eximiæ pietatis, integritatiſque.

QVAMVIS *Anſelmus in ſuperioribus plura tradiderit, & nos cum ipſo, circa generationem Verbi diuini, & proceſsionẽ Spiritus ſancti, ſeorſim conſideratas; nunc directè alteram cum altera cõfert, & vtriuſque diſcrimen, quoad fieri poteſt, veſtigare conatur. Quæ ſanè difficultas adeò grauis fuit apud Veteres Eccleſiæ Patres infrà allegandos, vt aliqui illorum preſsi difficultatis pondere illam exiſtimauerint penitus inacceſſam menti humanæ, ac propterea relinquendam: alij verò variis ac diſsidentibus modis eam vtcumque dirimere aut lenire ſaltem ſtuduerint. Porrò S. Doctor in hoc capite, poſtea vberiùs explanando, nonnullas rationes affert, cur Spiritus ſanctus non ſit Filius, nec proceſsio illius cenſeri poſsit aut debeat generatio. Quærimus itaque an iure, & citra temeritatem vllam, excitauerit hanc controuerſiam, & dirimere curauerit rationis ductu. Habet verò illa locum apud Magiſtrum pluribus locis, ſed præcipuè in 1. diſt. 13. vbi ſæpe indicat inacceſſam ſublimitatem diſcriminis inter vtramque diuinam proceſsionem. Vide Bonaventuram ibidem dub. litterali quarto. Litteram autem huius capitis exponemus initio Diſp. XCV. ſequentis.*

SECTIO PRIMA.

Proponuntur rationes dubitandi ex ſacris litteris, & doctrina Patrum, quibus probari videtur, Anſelmum, & poſteriores Theologos cùm ipſo, immeritò perquirere diſcrimen vtriuſque proceſsionis diuinæ.

2 ERIT Forſan qui exiſtimet hodieque audacem & temerariam eſſe quæſtionem omnem circa diſcrimen proceſsionis Spiritus ſancti à generatione Verbi diuini, ſeu Filij: ac proinde immeritò Anſelmum in vtrâque diſcernenda ſuam operam nacare. PRIMO enim obſtare videtur teſtimonium Proverbiorum 25. fine: *Qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria.* Eccleſiaſtici 3. *Altiora te, ne quæſieris.* Similiter 1. Corinth. 2. *Quæ ſunt Dei, nemo nouit, niſi Spiritus Dei.* Verùm proximiùs ad noſtrum inſtitutum ſpectat quod dicitur Iſaiæ 53. *Generationem eius quis ennarrabit?* Hoc enim ſenſu accipitur is locus ab Interpretibus ſacris, vt genuina ratio diuinæ generationis ſit prorſus mortalibus inac-

bus inacceſſa. Eodem ſpectat aliud teſtimonium Matthæi 11. v. 2. *Nemo nouit Filium, niſi Pater: neque Patrem quis nouit, niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Nequit autem cognoſci generatio æterna, prout diſtincta à proceſsione, niſi Filius, quà Filius, innoteſcat. Si ergo Filius Dei, quà Filius, non poteſt innoteſcere, niſi prout ipſe revelaverit; pariter eius generatio, prout diſtincta à proceſsione, nequit cognoſci abſque revelatione, aut ſine temerario auſu examinari. Quare Patres Concilij Nicæni lib 2. multò propiùs ad medium, quàm ad finem, § *Ne quæras* (iuxta editionem Pariſienſem Binij anni 1636. pag. 389.) eidem teſtimonio innitentes videntur temeritatis & audaciæ arguere veſtigantes aut examinantes rationem propriam eius divinæ generationis. Aiunt enim: * Ne quæras quomodo ô Philoſophe. Alioquin, vt iam pluribus dictum eſt tibi, & ab initio reſtati ſumus, ſtudes te præcipitem agere, perſcrutari tentans quæ inſcrutabilia ſunt, &c. Ineffabilis & ingenitus eſt Pater: ineffabilis eſt ex eo ineffabiliter genitus Filius. Taceas ergo de illo, Quomodo: & concedas hoc ei qui genuit, & genito. Pater enim ſolus agnoſcit Filium, qui eſt, & Filius Patrem, & cui voluerit Filius revelare, vt ait ipſius Evangelium. Si autem non vis ceſſare illud, Quomodo, ſed contendis inſcrutabilia perſcrutari; videmus tuam audaciã, magis autem deflemus te, quod non velis fide intelligere, &c. * Hactenus ibi.

3 EISDEM teſtimonijs vtuntur in eundem ſcopum Clemens Romanus Epiſtola ad Iacobum fratrem Domini columna decima Ambroſius lib. 1. de Fide cap. 5 Baſilius lib. 1. contra Eunomium poſt medium, & Oratione adverſus eos, qui calumniantur, quaſi tres deos dixerimus, Cyrillus Alexandrinus lib. 1. Theſauri circa medium, & Dialogorum de Trinitate lib. 2. longè poſt medium: Cyrillus quoque Hieroſolymitanus, Catecheſi 4. 6. 7. 10. 11 & 16 Chryſoſtomus in cap. 1. ad Hebræos Homil. 2. non procul à principio, Euſebius Cæſarienſis lib 4 de Demonſtrat. Evangelica cap. 3 & lib 5. cap. 1. Epiphanius Hæreſi 76. circa medium ad 7. cap. Aetij, Fulgẽtius ad obiectionem ſecundam Arianorum, Gregorius Nazianzenus inſigni cognomento Theologus Oratione prima de Filio & Orat. 29. de Dogmate & conſtitutione Epiſcoporum duplici columnâ extremâ, & Oration. 23. ad centum quinquaginta Epiſcopos, vbi acriter reprehendit eos, qui divinæ generationis & proceſsionis modum curioſiùs inveſtigant, cùm intelligere nequeant ea, quę intra ſeipſos habeant, nec ea ipſa corpora ſenſibilia, quæ in oculos incurrunt. Præterea eandem audaciam carpit Orat. 35 quæ eſt tertia de Theologia, n. 30. & Orat. 37 id eſt, quinta de Theologia col. 4. & 5. Id ipſum ferè tradit Hilarius lib. 2. de Trinit. propiùs ad medium, quàm ad principium, & in Commentario ad illa verba Pſalm 2. *Ego hodie genui te*, Irenæus Martyr & Epiſcopus Lugdunenſis lib. 2 contra Hæreſes cap 48. dicens: *Quicumque nituntur generationes & prolationes enarrare, non ſunt compotes ſui, ea quæ inenarrabilia ſunt, enarrare promittentes.* Nulla ergo ratione, quin potiùs temerè videntur Theologi, & ipſe Anſelmus nominatim in hoc capite, velle ſcrutari aut perveſtigare rationes proprias & diſcrimen vtriuſque proceſsionis.

4 VRGETVR Ratio eadem dubitandi illuſtribus quibuſdam locis Patrum. Auguſtinus enim, quamvis ingeniorum Aquila, Tract. 99 in Ioan col. 3. inquit: *Quod illic interſit inter procedere, & agere, longum eſt quærendo diſſerere; & temerarium, cùm diſſeruerit, deſinere.* Ambroſius quoque lib. 1 de Fide ad Gratianũ toto ferè cap. 5. idipſum tradit, præſertim circa medium, dicens: *Si Paulus ea, quæ audiuit raptus in tertium cœlum, ineffabilia dicit: quomodo nos exprimere poſſumus paternæ generationis arcanum, quod nec ſentire potuimus, nec audire?* Eodem ſpectans Bernardus Sermone de Trinitate aiebat: *Inquirere de Trinitate peruerſa curioſitas eſt; credere & tenere, ſicut ſancta Eccleſia tenet, fides & ſecuritas eſt: videre autẽ ea ſicuti eſt, perfecta & ſumma felicitas eſt.* Huc etiam pertinet quod inquit Chryſoſtomus Homil. 1 de Incomprehẽſibili: εἶδα ὅτι υἱὸν ἐγέννησε· τὸ δὲ πῶς, οὐχ οἶδα, &c. * Novi quòd Filium genuit: quomodo autem, ignoro. Novi quòd ex ipſo ſit Spiritus: quomodo verò ſit ex ipſo, neſcio. Cibis veſcor: & quomodo in pituitam, in ſanguinem, in humorem, in bilem vertantur, ignoro. Hæc ipſa, quæ quotidie manducantes cernimus, ignoramus: & Deĩ ſubſtantiã curiosè perſcrutamur. Damaſcenus quoque poſt evoluta PP. Græcorum ſcripta, & redacta ferè ad doctrinam librorum de Fide orthodoxa, in primo eorum cap. 10. ante mediũ inquit *Generationis & proceſsionis differentiam eſſe dicimus: at qui ſit differentiæ modus, nequaquam.* Sunt & alia huius generis apud SS. Patres: quibus videtur palam reprehendi perveſtigatio diſcrimiuis inter generationem Verbi, & Spiritus ſancti proceſsionem. Quomodo ergo, aut quâ ratione Anſelmus in hoc capite, & cæteri poſteriores Theologi cum ipſo, rem adeò inacceſſam examinare tentant? Vt huic difficultati occurramus, quædam præmittere oportet.

SECTIO SECVNDA.

Exponitur quo ſenſu non liceat perveſtigare diſcrimen generationis Verbi à proceſsione Spiritus ſancti. Vbi plura obſeruatu digna.

5 PRIMO Explodenda eſt hæreſis, ſeu potiùs inſania Gnoſticorum: ſcilicet, Valentini, Saturnini, Marcionis, Baſilidis, & ſequacium, apud Irenæum toto libro 2. contra hæreſes, & cap. 48. ſuprà allegato: qui, inter alia deliramenta à nobis memorata, & reiecta ſuprà Diſp. LXXXII. ſect. 5 gloriabantur ſe ſcire hoc myſterium: cùm verè eſſent talpæ ac teſtudines ad quæque divina intelligenda. SECVNDO, & ex oppoſito, reijcienda eſt perfidia Arianorum aientium, ne Filium quidem Dei perſpectam ad plenum habere ſuam ipſius ſubſtantiam, multò autem minùs ſubſtantiam Patris. Ita de ijs teſtantur Felix I. Papa Epiſt. 3. ad Benignum Epiſcopum, & Athanaſius Oratione prima cõtra eoſdem Arianos ante medium, & Oration. 2 pagina quinta, vbi illos refutat. Huc etiam ſpectat quod Origenes, Arij prodromus, qui hæreſeos ipſius ſemina iecerat, vt monuimus Diſp. LI. ſect. 1. conſequenter docuit, Filium, itemque Spiritum ſanctum, non poſſe videre ſubſtantiam Patris. Sic enim de illo teſtatur S. Epiphanius in Ancorato circa medium, & Hæreſi 64 pag. 2. Statuto autem eo errore, conſequens præterea fuit, vt Filio negaret vim ad cognoſcendam generationem paternam. Sed enim hi errores iam ſuprà à nobis generatim ac ſufficienter reiecti fuerunt Diſp. LXXXV. per totam ad cap. 46. S. Anſelmi, vbi S. Doctor probat, Filium eſſe perfectam intelligentiã & ſapientiã paternæ ſubſtãtiæ. TERTIO denique reijcienda eſt opinio Aureoli in 1. diſt. 9. p. 1. a. 4. §. 2. ac præterea in ſolutione inſtantiarum, aientis, *demonſtratiuè probari generationem æternam*, eo quòd *Deus ſeipſum verè & realiter generauit, ſi ſeipſum vere & realiter intellexit.* Oppoſitum enim à nobis fusè probatũ eſt ſuprà Diſp. II cum cõmuni ſententia Theologorũ, immo & Patrum ex Scripturæ locis. His ſuppoſitis, accedamus iam ad ferendum iudicium de hac difficultate, & ratione dubitandi, quæ videtur multos Theologorum terruiſſe, atque ijs religiõnẽ iniecciſſe, vt eam attingere non auderent.

6 DICENDVM 1 Nullatenus licere, aut licuiſſe vnquam Theologis, veſtigare diſcrimen generationis Verbi à proceſsione Spiritus ſancti, ſive ad illam impugnandam, ſive evidenter agnoſcendam, ſive ſolis naturæ & rationis viribus comparandam, ſive curioſè nimium ac ſubtiliter ſcrutandam. Aſſertio hęc quoad omnia membra colligitur ex teſtimonijs Scripturæ & Patrũ, quę in eo ſenſu loquuntur, ſuprà, vt conſtat ex contextu ipſorũ, & planius fiet excurrendo per ſingulos eiuſmodi ſcopulos, in quos aliqui incurriſſe leguntur.

7 IMPRIMIS Damnantur, & infami anathemate inuſti fuerunt ab Eccleſia, quicumque ex hæreticis eo fine ſcrutati ſunt Verbi generationem, & Spiritus ſancti proceſsionem, vt eas impugnarent. Quinam ij fuerint, & quo tempore perfidiam ſuam diſſeminaverint, iam latè à nobis traditum fuit Diſp. LVI. per totam. Sufficiat dicere, præcipuos eorum fuiſſe Sabellium, Arium, Eunomium, Aetium, Macedonium, & ſimiles alios Hæreſiarchas: quorum perfidiam, altâ ſæculorum plurium oblivione ſepultam, ex Orco revocarunt præcedenti ſæculo Michael Servetus (propterea vivis exuſtus Genevæ anno M. D. LV.) & multi ex Tranſylvanis: atque hoc ipſo præterlabente Ioannes Crellius in Polonia, à nobis latè refutatus tota Diſp. LX. Contra hęc ergo hæreticorum monſtra loquuntur Patres ſupra allegati, qui procul arcent profanos, tenebrioneſque, ab inacceſſa luce huius myſterij, quam infirmis oculis ne à longè quidem aſpicere poſſunt.

7 SECVNDO Patres damnant veſtigantes id diſcrimen, ad agnoſcendam evidenter propriam peculiaremque differentiã vtriuſque proceſsionis. Quod adhuc dupliciter fieri aut tentari poteſt Primò ea animi præparatione, vt niſi manifeſtè intelligatur, nullatenus credatur. Hoc ſanè ingentis audaciæ eſt, & erroris plenum: quia iuxta rectum ordinem fides debet præcedere & dominari; ratio autem ſubſequi, & ſervire circa ea, quæ à Deo obſcurè revelata ſunt. Propterea Anſelmus in Proœmio huius Opuſculi monet, ſibi impoſitum fuiſſe à diſcipulis onus explanandi & probandi res divinas, * Non vt per rationem ad fidem accedant; ſed vt eorum, quæ credunt intellectu, & delectentur cõtemplatione; & vt parati ſunt, quantum poſsint, ſemper ad reddendam ſatisfactionem omni poſcenti, de ea, quæ in nobis eſt, ſpe. * Quæ poſtrema verba ſunt mutuata ex Principe Apoſtolorum 1. Petr. 3. vbi *ſpei* nomine comprehenditur fides, quæ eſt ipſius fundamentum. Alij tamen Patres, vt Cyrillus, Beda, Oecumenius, & Gloſa, ac Divus Thomas, non legunt ibidem *ſpe*, ſed *fide*. Vide Commentarium Gratiani diſt. 36. capite *Qui Eccleſ.* §. *Hinc & Petrus* Itaque temerarius & præpoſterus eſt conatus eorum, qui generationem Verbi divini, & alia fidei myſteria, priùs volunt evidenter intelligere, vt poſtea credant,

&

& non aliter. Ideo illos perſtringit Cyrillus Alexandrin. lib. 4. Commentariorum in Ioannem ad illa verba capitis 6. verſ. 69. * Et nos credimus, & cognovimus, quia tu es Chriſtus Filius Dei. * In quæ ita loquitur Sanct. Doctor: * Poſt fidem cognitio ſequitur, non illam antecedit: quemadmodum ſcriptum eſt Iſaiæ 7. SI NON CREDIDERITIS, NON INTELLIGETIS. Poſtquam enim baſis inſtar conſtituta fuerit in nobis ſimplex, nec curioſa fides; ſuper hæc paulatim ac deinceps cognitio ſtruitur, quæ nos ad menſuram ætatis, quæ in Chriſto eſt, attollit, & ad virum perfectum ac ſpiritualem. * Rationem verò eiuſdem doctrinæ reddit Anſelmus libr. de Incarnat. Verbi capit. 2. hac pulchra gradatione: * Nam qui non crediderit, non experietur: qui expertus non fuerit, non intelliget. nam quantum rei auditum ſuperat experientia: tantum vincit audientis cognitionem experientis ſcientia. *

8 POSTERIORI Modo id tentari poteſt, ſi quiſquam præſumat excogitare & adinvenire rationes naturales planè demonſtrativas & manifeſtas eius diſcriminis, quas certè nemo hactenus mortalium inveniſſe deprehenditur, quidquid in oppoſitum exiſtimaverit Aureolus numer. 5. allegatus, & Raymundus Lullius latè impugnatus Diſput. LI. & nonnulli alij, qui, cùm vix coniecturam aliquam veroſimilem ex ratione habeant ad ſuadendam veritatem tanti myſterij, ſtatim eam arbitrantur demonſtrativam. Deberent ij certè ob oculos habere illud Eccleſiaſtici 3 verſ. 25. * Plurima enim ſuper ſenſum hominum oſtenſa ſunt tibi. Multos quoque ſupplantavit ſuſpicio illorum, & in vanitate detinuit ſenſus illorum. * Ideo Cyrillus Alexandrinus Dialogo de Trinitate Tomo V. parte 1. reprehendit illos, * qui ea, quæ ſupra mentis captum ſunt, miſerarum ratiuncularum inventis, temerè ac ſtultè examinare contendunt. * Hilarius quoque lib. 4. de Trinitat. inquiens: * Non ſubeunt ingenia noſtra in cœleſtem ſcientiam: neque incomprehenſibilem virtutem ſenſu aliquo infirmitas humana concipiet. Ipſi Deo credendum eſt, & iis, quæ cognitioni noſtræ tribuit, obſequendum. * Similiter Auguſtinus lib. 2 de Peccatorum meritis capit. 36. ait: * Vbi de re obſcuriſſima diſputatur, non adiuvantibus divinarum Scripturarum certis clariſque documentis, cohibere ſe debet humana præſumptio, &c. * Quid autem obſcurius diſcrimine inter vtramque proceſſionem divinam, quarum vel vnaquæque nobis per fidem inſtructis apparet, veluti lucerna à longè fulgens in caliginoſo loco, vt pene vtar verbis Petri Apoſtoli? Certè iam nos in Diſputatione nuper allegata, quæ eſt prima huius II. Tomi, ſatis, vt credo, oſtendimus, quàm repugnans ſit rationibus naturalibus demonſtrare myſterium Trinitatis, aut conditionem propriam divinæ generationis, nec oportet id denuo inculcare. Hinc etiam refelluntur qui exiſtimant, notitiam myſterij Trinitatis, ac ſubinde diſcriminis inter generationem & proceſſionem, haberi poſſe per nudas naturæ vires. Sive enim loquantur de notitia quidditativa, & immediata, ſive de abſtractiva evidenti & mediata, falluntur omnino: vt generatim probatum relinquimus circa omnia obiecta ſupernaturalia Tomo I. Diſput. VIII. & IX. Quæ doctrina ſpeciatim vrget, ac manifeſtior eſt circa ſummum myſteriorum ſupernaturalium, quale eſt Trinitatis, & diſcriminis inter vtramque proceſſionem: ad quod veſtigandum & diſcernendum ſumma illa Eccleſiæ lumina, id eſt, ſacri Doctores à n. 3. allegati, ſe impares omnino & rudes fatentur.

9 TERTIO Notantur quicumque, ſive vt propriæ curioſitati indulgeant, ſive vt rationibus fidei contrarijs reſiſtant, conantur manifeſtè deprehendere veritatem huius myſterij, nec quieſcunt vſque ad deprehendendam illam media ſpeculatione, & irrito planè conatu. Contra hos dicitur eodem capite Eccleſiaſtici v. 22. *ALTIORA TE NE QVÆSIERIS, ET FORTIORA TE NE SCRVTATVS FVERIS: ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper, & in pluribus operibus eius ne fueris curioſus. Non enim eſt tibi neceſſarium, ea quæ abſcondita ſunt, videre oculis tuis.* Ideoque Dionyſius lib. de Divin. nomin. cap. 1. initio (allegatus à Div. Thom. 1. par. quæſt. 39. art. 2.) ait: καθόλου τοιγαροῦν οὐ τολμητέον εἰπεῖν, &c. id eſt, *nemini committendum eſſe, vt dicat, ac vel cogitatione quidem tractet aliquid de ſuperſubſtantiali & arcana Deitate, præter illa, quæ divinitus nobis ſiè ſacris Scripturis revelata ſunt.* Sed adhuc ſeverius loquitur Zeno Veronenſis Serm. de Fide dicens: *Negat quoddammodo Deum, quiſquis rationibus humanis Deum meriti conatur.*

10 VERVM Speciatim ij, qui vrgentibus ſuggeſtionibus exagitantur, ſive cõtra diſcrimen vtriuſque proceſſionis, ſive contra cæteras veritates in myſterio Trinit. clauſas, ſive vniversè adverſus Catholicã fidẽ, caveant ab eo inani remedio, & fruſtranea anxietate percipiendi manifeſtè veritatem revelatam per ratiocinationum circuitus. Nam, vt inquit S. Epiphanius Hæreſi 76. ad ſeptimum caput

Aetij: *Hoc myſterium reuelatur, non ijs, qui de ipſo per ſyllogiſmos ratiocinantur, ſed qui in ipſum legitimè ac perfectè credunt.* Quare oportebit enixè à Deo petere vividam & robuſtam fidem, quæ donum ipſius eſt; & clamare cum illo, qui dicebat olim: *Domine, adiuva incredulitatem meam.* Quòd ſi adhuc vrgeant ſuggeſtiones in oppoſitum, & ſophiſmata, & cavilli, ſive intrinſecus obiecta, ſive intus pulſantia inſtinctu dæmonis; aureum eſt monitum illud Caſsiani lib. 4. de Incar c. 6. vt quiſque reſpondeat: *Ratione dicti quæris? Non reddo. Interim Deus hoc dixit. Deus hoc locutus eſt mihi. VERBVM ILLIVS SVMMA RATIO EST. Remoueo argumentatre, remoueo diſputationem. Sola mihi ad credulitatem ſuffi it perſona dicentis. Non licet mihi de fide dicti ambigere: nō licet deliberare. Quid mihi quærere, quomodo verū ſit quod Deus dixit, cùm dubitare non debeam, quin verum ſit quod Deus dixit?* Sed & opportunè in memoriam revocabitur celebre illud dictum Richardi Victorini piâ quadam audaciâ ſic Deum alloquentis: *Domine, ſi error eſt quem credimus, tu nos decepiſti. Talibus enim ſignis & teſtimonijs confirmatus eſt, quæ non, niſi à te, fieri potuerunt.*

11 QVARE Procul abſit à quovis Theologo Chriſtiano, vt circa diſcrimen proceſsionis vtriuſque divinæ, aliaque myſteria eiuſmodi, dicat quod olim circa res alias Plato apud Clementem Alexandrinum ſuprà allegatum: ὡς ἐγὼ τοιοῦτος ὁ ποιος οὐδενὶ ἄλλῳ, ἢ τῷ λόγῳ πειθεσθαι, ὃς ἂν μὴ σκοπούμενῳ βέλτιστος φαίνοιτο. *Ego ſum huiuſmodi, vt nulli alij aſſentiar, niſi rationi, quæ mihi conſideranti optima viſa fuerit.* Permittendum ſanè id, aut etiam laudandum circa eas veritates naturæ, quæ ſub opinionum varietatem cadunt. Verùm apage circa ea, quæ ſola fides docet, & naturalem rationem omnino ſuperant, neque vnquam menti humanæ, quantumvis ſubtili, plenè perſpecta eſſe poſſunt, niſi divino lumine illuſtretur. Ideoque Auctor Expoſitionis Fidei, inter Juſtini Martyris Opera editæ, aiebat: οὐδὲν ἀνθρώποις τῶν θείων σαφὲς, ὡς Ἑλλήνων σοφός τις ἐφθέγξατο. *Nulla diuinarum rerum manifeſta eſt hominibus: quod Græcorum Sapiens quidam dixit.*

12 QVARTO Improbantur à Patribus, qui circa generationem Verbi & proceſsionem Spiritus ſancti, aut etiam circa alia eiuſmodi myſteria, nimiùm occupantur curioſis, inutilibuſque quæſtionibus, exquiſitè ſubtilibus, in quibus nihil præter ſubtilitatem eſt, vt cum Seneca loquar. Nimirum, id vitio vertitur, præſertim in iis, qui propterea retrahuntur à ſtudio, quod collocare deberent in rebus ad ſalutem & pietatem neceſſarijs, aut ſtatui vel officio ſuo congruentibus. Huc ſpectant verba illa ſuprà ex Eccleſiaſtico obſervata: *Quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper: & in pluribus operibus eius, ne fueris curioſus.* Quare Sanct. Thomas 2. 2. quæſt. 167. art. 2. corpore, id refert inter curioſitatis vitia & multi ex Patribus ſect. 1. allegatis notant eodem *curioſitatis* nomine.

13 IVXTA Prædictos ſenſus intelligenda ſunt Scripturæ ac Patrum teſtimonia, ſectione prima allegata: & penes aliquem ipſorum accipi debet Magiſter in 1. diſt. 13. præſertim §. *Inter*, vbi inquit: *Inter generationem verò Filij, & proceſsionem Spiritus ſancti, dum hic viuimus, diſtinguere non ſufficimus.* Cuius mentem exponit ibidem Bonaventura dubio litterali quarto. Intelligendus enim eſt de cognitione demonſtrativa, vel alioqui evidenti & manifeſta, quam in hac vita mortali habere non poſſumus de diſcrimine inter vtramque divinam proceſsionem.

SECTIO TERTIA.

Quonam ſenſu liceat Theologis veſtigare diſcrimen vtriuſque proceſsionis: & qualiter id fuerit ab Anſelmo, alijſque Patribus tentatum.

14 DICENDVM II. Veſtigationem diſcriminis inter generationem Verbi, & proceſsionem Spiritûs ſancti, vtilem, innoxiam, & piam eſſe, ſi id quæratur ſobriè, humiliter, ac prudenter. Hoc eſt, ſi diſputatio ipſa potiſsimùm innitatur fidei, velutî baſi ac fundamento: ratio autem ſolùm ancilletur ad exponendam quoddammodo & illuſtrandam veritatem, vindicandamque ab obiectionibus & ſophiſmatis hæreticorum. Hoc fine Anſelmus impræſenti rationem reddit eius diſcriminis, prout in Præfatione huius Opuſculi dixerat verbis iam ſuprà obſervatis. Teſtatur enim, ſe rogatu diſcipulorum ſcripſiſſe Monologion, & in eo veritates ipſas fidei rationibus confirmaſſe, * non vt per rationem ad fidem accedant: ſed vt eorum, quæ credunt intellectu, & delectentur contemplatione: & vt parati ſint, quantum poſsint, ſemper ad reddendam ſatisfactionem de ea, quæ in nobis eſt, ſpe: * & per conſequens de fide, cui ſpes innititur. Eſt enim fides, teſte Apoſtolo Hebræorum 11. initio, *ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* Quòd au-

autem Anſelmus ſolbriè & humiliter id præſtet, ex toto contextu ipſius patet: ac præterea ex ijs quæ habet infrà c. 64. aliàs 61. vbi poſtquam explicuerat diſcrimen vtriuſque proceſſionis, & plura alia vtrique affinia, inquit: *Videtur mihi huius tam ſublimis rei ſecretum tranſcendere omnem intellectus aciem humani: & idcirco conatum explicandi qualiter hoc ſit, continendum puto*, &c.

15 IAM Verò diſputationem ipſam, ſeu veſtigationem eius diſcriminis, ſub ea moderatione, quam paulo antè ſtatuimus, piam & innoxiam eſſe, conſtat ex ipſis Petri Apoſtoli verbis ab Anſelmo mutuatis. Etenim ille in prior Epiſtola c. 3. v. 15. inquit: *Dominum autem Chriſtum ſanctificate in cordibus veſtris, parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea, quæ in vobis eſt, ſpe.* Nequit autem reddi ratio de ſpe Chriſtiana, niſi etiam reddatur de fide, cui ipſa innititur. Ergo iuxta Petrum Apoſtolum oportet inveſtigare & quærere rationem veritatum fidei, ad reddendam ſemper ſatisfactionem omni poſcenti. Non ergo vetat Scriptura, ſed potiùs hortatur, vt iuxta debitam moderationem quæramus rationem veritatum fidei, quas credimus; proindeque rationem diſcriminis inter generationem & proceſſionem divinam. Quod monitū Principis Apoſtolum accipi debet iuxta capacitatem, conditionem, & ſtatum vniuſcuiuſque: non autem indiſcrimatim & æquè pro omnibus. Quamvis enim oporteat omnes fideles eſſe pro ſuo captu inſtructos, non ſolùm circa fidē, ſed etiam circa rationes, quæ ipſi declarandæ ancillantur aut confirmandæ deſerviunt, ideoque Chryſoſtomus Homil. 16. in Ioannē duabus columnis extremis hortetur omnes fideles vt addiſcant rationes myſteriorum fidei; adhuc tamen id præcipuè ſpectat ad Theologos, & Doctores ſacros, maximè verò ad Epiſcopos, vt idem docet lib. 4. de Sacerdotio columna penultima. Quod ipſum planè perſpectum habuit S. Fulgentius lib. 1. ad Traſimundum c. 1. fine: vbi in ſe, propter dignitatem Epiſcopalem, agnoſcit onus & obligationem reſpondendi ad impia obiecta illius nequiſſimi & Ariani Regis, ac reddendi rationem de Catholica fide. Itaque ad omnes fideles ſpectat illud monitū Apoſtoli, quamvis inæqualiter, immo & quamvis nemo poſſit rationem prorſus exactam & adæquatam myſteriorum fidei reddere. Ideoque Iuſtinus in Expoſitione Fidei de Trinit. circa medium, cùm præmiſiſſet, ac probaſſet, *nullo modo nos poſſe penetrare ad diuinam eſſentiam, nec ad eius myſteria*; ſubdidit: *Non debemus tamen in totum ab ea quærenda deſiſtere, ſed PRO SVA QVISQVE PORTIONE acceptæ à Domino ſcientiæ rem examinet ſtrenuè; certus non quidem exactè ſe perceptuꝝ; profuturam tamen per huiuſmodi contemplationem accedendo ad illum propiùs.*

16 DICES: Dum quæritur ratio myſteriorum fidei, videtur non tam deferri doctrinæ ipſius fidei, quam rationi. Ergo ceſſat, vel minuitur ſaltem fidei meritum, iuxta illud effatum Greg. Mag. Hom. 26. in Evan. *Fides non habet meritum, vbi ratio humana præbet experimentum.*

17 RESP. Negando antecedens: quoniam rationes myſteriorum fidei, vt piè & vtiliter quærantur, non ſunt quærendæ veluti baſis aut fundamentum; nec ſe habent antecedenter ad promptitudinem credendi, ſed conſequēter. Poſtquam enim quiſquam aſſentitur fidei ex motivo divinæ revelationis, & ſummæ veracitatis ac ſapientiæ Dei, qui nec fallere nec falli poteſt, movetur exinde ad inquiſitionem rationum fidei explanandæ & ab obiectionibus tuendæ deſervientium. quæ præterea non minuunt meritum fidei, ſed potiùs ad illius augmentum proficiunt: vt obſervat D. Tho. 2. 2. q. 2. art. 10. Gregorius autem loquitur de ijs, qui potiùs experimento ſenſuum, & rationi in eo fundatæ deferunt, quàm fidei. Agit enim eo loci de incredulitate Thomæ Apoſtoli, qui noluit credere reſurrectionem Chriſti, donec illam ad ſenſum perſpectam haberet.

18 SECVNDO Suadetur exemplo Anſelmi, & cæterorum Patrum longè antiquiorū. Etenim licèt fatērētur ſublimitatem inacceſſam diſcriminis inter proceſſionem Filij & Spiritus ſancti, adhuc tamen vnuſquiſque pro modo ſuo tentavit reddere aliquam eius rationem, ſaltem ad occurrendum argumentis hæreticorum, & ne hi actum putarent de ſententia Catholica. Aſſumptum patet, vel ex ijs ipſis Patribus, & alijs pluribus, quorum teſtimonia proferemus Diſp. ſeq. Quippe verum eſt dictum illud S. Auguſt. lib. 4. de Trinit. c. 1. prope finem, oportere non ſolùm vt ſciamus quid ſit credēdum, ſed etiam *quomodo & pijs opituletur, & contra impios defendatur.* Quod ipſum ex inſtituto docet lib. 2. de doctr. Chriſt. c. 16 28. 29. 31. 36 37. & 40. vbi & monet vtilem eſſe vſum Dialecticæ atq; omnimodæ Philoſophiæ, ad doctrinam fidei meliùs capiēdam. Ac lib. 1. contra Creſconem teſtatur, hæreticos minimē auſos cum ipſo diſputare, quòd eius Logicam pertimeſcerent, quâ errores illorum confutabat, & fidem Chriſti à tricis & cavillis eorum tuebatur: præſertim quoniam S. Doctor ex falſis hæreticorum theſibus alias colligebat, non ſolùm falſas, ſed abſurdas quoque apud ipſos; quas ne devorare cogerentur, tādem priores illas deſerebant aut negabant. Et c. 14. monet, ac latè probat, Apoſtolum Paulum fuiſſe inſignē Dia-

lecticum & Logicâ vſum ad redarguendos infideles. Denique c. 17 & 18. idipſum ferè probat de Chriſto D. qui argumentis propoſitis iuxta Dialecticæ præſcriptum vſus fuit ad convincendos Iudæos Porrò in allegato cap. 37. libri ſecundi de doctr. Chriſt. rationem eius vtilitatis reddit dicens: *Hæc enim definitionum, concluſionum, & diſtributionum pars, plurimum intellectorem iuvat.* Similiter c. 31. iam allegato præmiſſerat Dialecticam, ſive artem ratiocinandi, *ad omnia genera quæſtionum, quæ in litteris ſanctis ſunt penetranda & diſſoluenda, plurimum valere.* Hieronymus quoque in librum Ezechielis eandem doctrinam probat, dum inquit: *Quidquid in hoc ſæculo peruerſorum dogmatum eſt, arte Dialecticæ ſubuertitur, & inſtar incendij, in cineres fauillaſque diſſoluitur.* Ergo tam procul eſt moderata ratiocinatio, ſeu exquiſitio rationum ad explicandas res fidei, ab eo vt inutilis aut inconceſſa ſit, vt potiùs conveniens & vtiliſſima cenſeatur à Patribus. Quare ij ipſi vt diſcrimen inter vtramque proceſſionem divinam tuerentur contra Arianos, Sabellianos, & Macedonianos, alioſque hæreticos, rationes aliquas reddiderunt, vti & Anſelmus in hoc capite, poſtea ordine ſuo exponendas.

19 CONFIR. Quoniam omnes Hæreſiarchæ, & ipſorũ ſequaces, ſunt, vt inquit Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. *certatores litium auidi, & flexuoſarum captionum ſartores.* Quamvis enim plurimùm de Dialecticæ peritia glorientur, vbi ad diſputationẽ acceditur, ſeu ſcripto, ſeu verbo, nõ tam ſyllogizant, quàm paralogizant. Idque nuperrimo exemplo deprehenditur in Ioanne Crellio, miniſtro illius Satanicæ Synagogæ, quæ eſt Racoviæ in Polonia. Etenim opus quod noſtra ætate edidit contra myſterium Trinitatis, & divinam Verbi generationem, ac proceſſionem Spiritûs ſancti, meris ſophiſmatis plenum eſt, & paralogiſmis. Ad occurrendum autem ijs, & ſolvendas tricas, opus eſt addiſcere ſeveram argumentandi methodum, & præterea quærere rationem aliquam congruentem fidei Catholicæ. Sic enim facilè extricantur cavilli hæreticorum, tum ex parte formæ, in quâ frequenter peccant; tum ex parte materiæ, in qua deſipiũt. Ergo ratiocinatio moderata non eſt inconceſſa aut inutilis ad exponendum myſterium Trinitatis, & diſcernendã vtramque proceſſionem divinã, ſed potiùs pia & proficua. Huc ſpectat quoddammodo monitum Ariſt. contra Sophiſt. lib. 1. Rhetor ic. c. 1. aientis: *Oportet vt contraria perſuadere poſſimus: non vt vtraque faciamus (mala enim facienda non ſunt) ſed ne nos lateat quomodo ſe habeant: & vt cum alij non iuſtè vtantur, oratione ſoluere poſſimus.*

20 EX Dictis patet ad rationes dubitandi initio Diſputationis propoſitas. Solùm enim damnant exquiſitionem rationum ad myſteria fidei perſuadenda aut tractanda, iuxta ſenſũ Aſſertionis noſtræ prioris ſectione ſecunda propoſitæ: non autem iuxta ſenſum, quam in poſteriori Aſſertione & tota hac ſectione explanavimus, & confirmavimus exemplo ipſorum Eccleſiæ Patrum. Et ſanè Anſelmus nõ, niſi ipſorum veſtigia ſecutus, in hoc capite tentat reddere rationem diſcriminis inter vtramque proceſſionem divinam: quoniam in Præfatione huius Opuſculi teſtatur, ſe, eo perlecto, nihil invenire, *quod nõ Catholicorum Patrum, & maximè B. Auguſtini ſcriptis cohæreat.* Itaque imitatione ipſorum impræſenti rationem diſcriminis reddit inter generationem Verbi, & proceſſionem Spiritûs ſancti: quam Diſputatione ſequenti explanabimus, & illuſtrare conabimur teſtimonijs eorundem SS. Patrum.

(?)

DIS-

DISPVTATIO XCV.

QVAENAM SIT RATIO DISCRIMINIS INTER VTRAMQVE PROCESSIONEM, IVXTA ANSELMVM, ET ALIOS PATRES.

AD CLARISSIMVM ET LITTERALISSIMVM PRINCIPEM D. D. PETRVM DE SARMIENTO ET TOLEDO, ILLVSTRISSIMORVM Comitum de Gondomar Primogenitum, Magnarum Domuum vtriuſque cognominis ſplendidiſſimam ſobolem, Iacobæum Equitem, Supremi Senatus Iuſtitiæ Conſiliarium, olim Salmanticenſis Academiæ Rectorem, & litterariæ iuventutis Principem, deinde Maioris Collegij Archiepiſcopalis Purpuratum Sodalem, & inſignem Iuris Cæſarei Profeſſorem, &c.

VIDIMVS Diſputatione præcedenti quam ſublime & inacceſſum ſit menti humanæ diſcrimen inter generationem Verbi, & proceſſionem Spiritus ſancti. Vidimus præterea quo ſenſu liceat, aut non liceat veſtigare tam ineffabile myſterium. Nunc ad aliqualem illius explanationem accedendum eſt, præeunte Anſelmo, qui iuxta doctrinam aliorum Patrum præcedentium, rem ipſam, quantum fas eſt, exponere, & Catholicæ veritatis rationem reddere, iuxta monitum Apoſtoli Petri, curauit. Habet verò locum quæſtio hæc apud Magiſtrum in 1. *Sententiarum pluribus locis.*

SCHOLIA IN CAPVT. LV.

SECTIO PRIMA.

Exponitur littera Anſelmi, etuſque germana mens, circa diſcrimen vtriuſque proceſſionis, ſiue circa rationem, cur Spiritus ſanctus non ſit Filius.

2 CVM Iam exhibuerimus litteram huius capitis LV. ante Diſputationem præcedentem, nunc oportet illam explanare. Epigrapha eſt: *Quòd non ſit eorum Filius, Amor.* Nimirum, Spiritum ſanctum in ordine ad Patrem & Filium non comparari veluti filium vtriuſque. Quæ doctrina eſt certa ſecundùm fidem, & expreſſa illis verbis Symboli S. Athanaſij, quibus docemur, non eſſe plures Filios in divinis, ſed vnũ nec Spiritum ſanctum eſſe genitum, ſed procedentem. Si autem compararetur ad Patrem & Filium ſub habitudine filij; iam eſſet duplex filius in divinis, & Spiritus ſanctus verè eſſet genitus: cum hæc ſit propria notio Filij.

3 *QVID ERGO? CVM HIC AMOR, &c.* Proponit Anſelmus rationem graviſsimam dubitandi, quæ ſtatim in oculos incurrit, & vrgere videtur, vt Spiritus ſanctus ſit Filius. Ea verò ſic fere proponi poteſt ſub ſeveriori differendi formula. Quiſquis oritur à principio vivente, tanquam ipſi perfectè ſimilis in natura, profectò oritur tanquam genitus & Filius. Atqui Spiritus ſanctus oritur à principio vivente, tanquam ipſi perfectè ſimilis in natura. Ergo Spiritus ſanctus oritur tanquam genitus & filius. Maior propoſitio conſtat ex defi-

definitione viventium tradita ab Ariſtotele, & à cæteris Philoſophis cum ipſo, per hoc vt generatio propria viventium ſit *origo viuentis à viuente vt principio coniuncto in ſimilitudinem naturæ.* Minor autem eſt omnino certa: nam fide ſanctum eſt, & ab ipſo Anſelmo directè traditum cap 54. Spiritum ſanctum procedere à Patre & Filio, tanquam ab vno principio. Aliunde certum eſt, quòd procedat ab ipſo, tanquam vivens à vivente: & quidem ſimilis ambobus perfectè in eadem numero ſubſtantia & natura, vt in hoc ipſo capite traditur, & eadem Catholica fides docet. Nihil ergò deeſſe videtur, vt Spiritus ſanctus ſit verè genitus & filius.

4 HÆC Eſt graviſsima illa difficultas quæ à tempore Concilij Nicæni torſit plurimùm ingenia Patrum, vſque adeò vt plerique illorum allegati Diſp. præcedenti ſect. 1. non ſolùm illam exiſtiment inacceſſam menti humanæ, ſed & indicare videantur, omnino dimittendam, & continendam audaciam ingeniorum intra tenebras & latibulum fidei. Porrò obiectionem ipſam proponit Athanaſius in Epiſt. ad Serapionem nomine illorum hæreticorum, qui divinitatem eripiebant Spiritui ſancto: quoniam ſi procedit à Patre ſimilis ipſi in natura, & tanquam verus Deus, negari non poterit quòd oriatur vt Filius. Quippe ſic illi arguebant de Spiritu ſancto: εἰ μὴ κτίσμα ἐστὶ, μηδὲ τῶν ἀγγέλων εἷς ἐστὶν, ἀλλ' ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται· ὃν ὃν υἱὸς ἐστὶ καὶ αὐτὸς· καὶ δύο ἀδελφοί εἰσιν, αὐτός τε, καὶ ὁ λόγος. id eſt: *Si creatura non eſt* (Spiritus ſanctus) *nec vnus ex Angelis, ſed à Patre procedit: igitur & ipſe filius eſt, & duo ſunt fratres, nimirum, ille ipſe Spiritus, & Verbum.* Similiter Maximinus Arianus ſic obijciebat apud Auguſtinum Tomo VI. lib. 1. contra eundem hæreticum: *Cùm enim & Spiritum ſanctum de ſubſtantia Patris eſſe dicatis; ſi Filius de ſubſtantia Dei Patris eſt; cur vnus Filius eſt, & alius non eſt Filius? Quid Spiritus vobis delinquit, cùm ex eadem ſit ſubſtantia, cùm æqualis ſit Filio, vt dicitis?*

5 *SED SICVT VERBVM, &c.* Quamvis ea difficultas ſit adeò gravis, nõ dubitat Anſelmus illi occurrere, vt rationem reddat, quantum fas eſt, ſuæ fidei, iuxta monitum Petri Apoſtoli ſuperiori Diſputatione explanatum. Itaque rationem diſcriminis in eo ſitam eſſe docet, quoniam Filius præ Spiritu ſancto vi originis ſuæ procedit vt imago Patris, & promptam illius præſefert ſimilitudinem. Exſcribamus iterum verba integra Anſelmi, quæ ſanè illuſtria ſunt, & in hac re ampliſsimam conſiderationis materiam nobis miniſtrant. Ait itaque Sanct. Doctor: *Sed ſicut Verbum, mox vt conſideratur, ſe prolem eius, à quo eſt, euidentiſsimè probat, promptam præſeferẽdo parentis imaginem: ſic Amor apertè ſe prolem negat: quia dum à Patre & Filio procedere intelligitur, non ſtatim tam perſpicuam exhibet ſe contemplanti eius, ex quo eſt, ſimilitudinem: quamuis ipſum conſiderata ratio doceat, omnino idipſum eſſe, quod eſt Pater & Filius.* Vbi exponenda eſt proprietas ſermonis in ſenſu formali verborum illorum de Verbo, ſeu Filio: *Mox vt conſideratur*: ac præterea: *Promptam præſeferendo parentis imaginem*: ac denique de Spiritu ſancto: *Non ſtatim tam perſpicuam, &c.* Quibus ſubtiliter alterum ab altero diſtinguit, & vtriuſque proceſsionem internoſcit ea phraſi, quæ rem commodiſsimè, & ad vſum Scholarum exponat, quantum fas eſt, & ſublimitas myſterij ſinit.

6 VERVM ſtatim pungit animum difficultas, cur aut quomodo Verbum præ Spiritu ſancto, mox vt conſideratur, ſe prolem eius, à quo eſt, evidentiſsimè probet, promptam præſeferendo Patris imaginem. Eatenus enim illam præſefert, quatenus oritur vivens à vivente in ſimilitudinem naturæ coniuncto. Atqui etiam Spiritus ſanctus procedit tanquam vivens à vivente in ſimilitudinem naturæ cõiuncto. Ergo etiam Spiritus ſanctus, mox vt conſideratur, ſe prolem eius, à quo eſt, evidentiſsimè probat, & promptam præſefert parentis imaginem. Hæc etiam ferè obiectio proponitur à Baſilio Magno lib. 5. contra Eunomium in perſona illius hæretici inquirentis: εἰ θεὸν πεὴν εἰκὼν ὁ υἱὸς, υἱὸν δὲ τὸ πνεῦμα, διὰ τί μὴ υἱὸς τὸ πνεῦμα ἔφησαν; Id eſt: *Cur Spiritus ſanctus non ſit filius Filij, ſiquidem eſt illius imago, ſicuti Filius ipſe Dei imago eſt?*

7 NON Videtur autem dubium, quin hæc eadem difficultas occurrerit Anſelmo dum hoc caput ſcriberet. Verùm ſibi viſus eſt eam præoccupare, & ſolvere ſecundùm proprietatem verborum, quibus loquitur. Expendamus illa rurſus: *Sicut Verbum, non vt conſideratur, ſe prolem eius, à quo eſt, euidentiſsimè probat promptam præſeferendo Patris imaginem.* Nimirum, Filius Dei, non ex aliquo prædicato ſibi communi, ſed ex peculiari ac proprio, *ſicut Verbum* (quæ ratio ſibi peculiaris & propria eſt, iuxta dicta cum eodem S. Doctore ſuprà Diſp. LXII. per totam) ſtatim, & vi proceſsionis ſuæ, præſefert promptam Patris imaginem. Nam etiam ratio imaginis non eſt communis Filio, & Spiritui ſancto, ſed propria Verbi, ſeu Filij: vt pariter cum eodem explicuimus Diſp. LXX. ex profeſſo. Itaque Anſelmus ſibi conſtat, & cohærenter ad doctrinam in ſuperioribus traditam loquitur impræ-

ſens

ſenti. Nimirum ſuprà cap. 38. aliàs 37. loquens de Verbo divino, dixit: *Verbum namque hoc ipſum, quod Verbum eſt, aut imago, ad alterum eſt: quia non, niſi alicuius, Verbum eſt, aut imago: ET SIC PROPRIA SVNT HÆC ALTERIVS, VT NE QVAQVAM ALTERI COAPTENTVR. Nam ille, cuius eſt Verbum, aut imago; nec imago, nec Verbum eſt.* Itaque quemadmodum Anſelmus docet, rationem Verbi eſſe propriam Filij Dei, præ alijs duabus perſonis, & relativè dici de ipſo, non communiter: ita etiam idipſum cenſet de ratione imaginis: vt propterea ſolus Dei Filius ex notione ſibi propria, & vi originis ſuæ, procedat vt imago, ſive promptam præferat parentis imaginem. Quapropter iuxta S. Doctorem, ratio genuina ne Amor, ſive Spiritus ſanctus ſit Filius, eſt quoniam vi originis ſuæ non procedit vt imago parentis, & vi proceſsionis ſuæ *non ſtatim tam perſpicuam exhibet ſe contemplãti eius ex quo eſt, ſimilitudinem.*

8 SIMILITER Cap. 39. immediatè ſequenti aliàs 38. loquens de proceſsione Verbi divini propria, inquit: *Verbum ſummi ſpiritus* (id eſt, Patris, quem ſæpiùs indigitat ea appellatione complexa) *ſic eſſe ex ipſo ſolo, vt perfectam eius, quaſi proles parentis teneat ſimilitudinem.* Itaque ideo Verbum oritur tãquam proles parentis, id eſt, tanquam Filius, quia ita oritur à ſolo ſummo ſpiritu, ſive Patre, vt maneat, ſeu accipiat vi originis ſuæ ſimilitudinem cum ipſo, non quamlibet, ſed *perfectam*, id eſt, adæquatam, & omnibus numeris abſolutam. Cùmque in progreſſu eiuſdem capitis ſibi obieciſſet exempla quædam rerum ex alijs naſcentium, quæ tamen non ſunt earum imagines, nec proles; ſubdit peculiare diſcrimen ab ijs in Filio Dei: *quia tantò congruentiùs dici poteſt Verbum ſummi ſpiritus ex illo exiſtere naſcendo, quantò perfectiùs, quaſi proles parentis, trahit eius ſimilitudinem ex ipſo exiſtendo.* Vbi Verbo Dei ſimilitudinem perfectam & adæquatam ad ſuum principium tribuit, non vtcumque, ſed vi proceſsionis ſuę. Hoc enim ſignificant verba illa: *Perfectiùs quaſi proles Parentis, trahit eius ſimilitudinem ex ipſo exiſtendo*: id eſt, procedendo, aut naſcendo. Ideo ergo ſolus Filius naſcitur, & eſt proles parentis, quoniam vi originis ſuæ procedit vt Verbum & imago adæquata & perfectiſsima ſui principij.

9 QVÆRIS Tamen, & vrges: Etiã Spiritus ſanctus per proceſsionem trahit ſeu accipit eandem numero naturam, quâ eſt perfectè & adæquatè ſimilis ſuo principio. Quin & omnes perfectiones attributorum pariter accipit, ac procedit tanquam verus Deus, & omnino æqualis Patri ac Filio: vt ſuprà Diſp. LXXXIX. contra hæreticos Pneumatomachos demonſtratum fuit. Quid ergo deficit, vt Spiritus ſanctus procedat tãquam imago perfecta, & per conſequens tanquam proles, & verus Filius?

10 VT Huic difficultati, quæ ſumma eſt in re præſenti, occurram ex mente Anſelmi, revocandum eſt in memoriam quod ipſe docuit ſuprà cap. 32. aliàs 30. cui epigraphat: *Quod ſummus ſpiritus* (id eſt, Pater) *ſeipſum dicat coæterno Verbo.* Id autem in decurſu capitis probare nititur ex eo quòd omne Verbum, quo res aliqua mente dicitur, ſit ſimilitudo rei intellectæ: omne autem intelligens ſeipſum, concipit verbum interius, tanquam ſimilitudinem aliquam ſui, apud ſe expreſſam. Cumque ſummus ſpiritus, ſive Pater, neceſſariò, æternè, & perfectiſsimè intelligat ſeipſum, & ſui memor ſit; oportet vt intra ſe concipiat Verbum aliquod neceſſarium, coæternum, & perfectiſsimum: id eſt, perfectiſsimè ipſum exprimens per adæquatam ſimilitudinem ad principium intelligens, ſive dicens. Quare ſic concludit Anſelmus illud caput: *Ergo ſummus ille ſpiritus* (nimirum, Pater) *ſicut eſt æternus; ita æternè ſui memor eſt, & intelligit ſe ad ſimilitudinem mentis rationalis: immo non ad vllius ſimilitudinem; ſed ille principaliter, & mens rationalis ad eius ſimilitudinem. At ſi æternè ſe intelligit, æternè ſe dicit. Si æternè ſe dicit, æternè eſt Verbum eius apud ipſum. Siue igitur ille cogitetur nulla alia exiſtente eſſentia, ſiue alijs exiſtentibus; neceſſe eſt Verbum illius coæternum illi eſſe cum ipſo.* Itaque propriam ac peculiarem rationem generationis divinæ exponit S. Doctor per hoc, vt ſummus ſpiritus, ſive Pater, intelligendo ſeipſum neceſſariò, æternè, & perfectè, concipiat, ſeu dicat apud ſe Verbũ pariter neceſſarium, æternum, & perfectiſsimè ſibi ſimile. Vnde & cap. 33. ſequenti, aliàs 31. ſubdit: * Sed vtique Verbum, quo ſe dicit ſumma ſapientia, convenientiſsimè poteſt dici Verbum eius, ſecundùm ſuperiorem rationem: QVIA EIVS PERFECTAM TENET SIMILITVDINEM.* Et quibuſdam interiectis, concludit: * Hoc itaque modo, quis neget, ſummam ſapientiam, cum ſe dicendo intelligit, gignere conſubſtantialem ſibi ſimilitudinem ſuam, id eſt, Verbum ſuum? Quod Verbum (licèt de re tam ſingulariter eminenti propriè aliquid ſaris convenienter dici non poſsit) non tamen inconvenienter, SICVT SIMILITVDO, ITA IMAGO, ET FIGVRA, ET CARACTER EIVS DICI POTEST. * Hactenus S. Doctor. Vbi apertiſsimè tradit propriam rationem generationis Verbi di-

bi divini, quatenus oritur ex intelligentia perfectiſsima ſummi ſpiritus, ſive Patris, ſeipſum neceſſariò, æternè, & pleniſsimè conſideranti: ac propterea concipientis apud ſe Verbum neceſſarium, æternum, conſubſtantiale, & pleniſsimè ſimile ipſi, veluti adæquatam imaginem. Quæ ratio non militat in Spiritu ſancto: quoniam cùm non procedat per intellectum, ſed per voluntatem, vt ſuprà Diſp. LXXVIII. ex profeſſo traditum eſt, quamvis revera ſit Deus, & conſubſtantialis ſuo principio, *non ſtatim tam perſpicuam exhibet ſe cõtemplanti eius, ex quo eſt, ſimilitudinem*: vt inquit Anſelmus in hoc capite. Id eſt, ex vi ſuæ originis in ſenſu formali non trahit eam ſimilitudinem adæquatam; ac proinde non procedit vt Verbum, neque vt imago, prout omnino exigebatur vt oriretur tanquam filius per divinam illam & ſummam generationem.

11 CONFIRMAT S. Doctor hanc ipſam rationem diſcriminis ſuprà cap. 48. aliàs 46. dicens: *Rem etenim cogitare, cuius memoriam habemus, hoc eſt mente eam dicere; Verbum verò rei eſt ipſa cogitatio ad eius ſimilitudinem ex memoria formata. Hinc itaque liquidò animaduerti poteſt de ſumma ſapientia, quæ ſic ſemper ſe dicit, ſicut ſui ſemper memor eſt, quia de æterna memoria eius coæternum Verbum naſcitur. Sicut igitur Verbum congruè intelligitur proles: ita memoria nomen parentis aptiſsimè ſuſcipit.* Hæc igitur genuina ratio eſt, iuxta Anſelmum, cur origo Verbi divini, prout diſtincta à proceſsione Spiritus ſancti, ſit vera nativitas, ſeu generatio; & per conſequens, vt Verbum divinum ex peculiari notione oriatur tanquam vera proles, & Filius. Quam ipſam doctrinam latè explanabimus in ſectionibus ſequentibus, & confirmabimus, tanquam cohærentem teſtimonijs aliorum SS. Patrum, & theologicæ rationi; inſuperque ab obiectionibus vindicare conabimur. Nunc ſupereſt proſequi breviter Scholia eiuſdem capitis 55. in quo verſamur.

12 *DENIQVE SI PROLES EORVM EST, &c.* Amorem, ſive Spiritum ſanctum, non eſſe prolem, ſive fœtum, aut filium duarum perſonarum, ex quibus procedit, probat inſuper S. Doctor ab abſurdo: quoniam ſic oporteret, vt alteri conuenire ratio Patris, alteri matris, relatè ad ipſum: aut certè, quod vel vtrique ſimul conueniret ratio Patris, vel ratio matris. Hæc autem omnia repugnant. Primùm quidem ex eo, quòd Spiritus ſanctus non aliter procedit à Patre, quàm à Filio; ſed eodem prorſus modo, & tanquam vt vnico principio & per vnicã ſpirationem; ab oſtenſum fuit cap. 54. præcedenti. Ergo nulla eſt ratio cur alter eorum ſit pater, alter mater Spiritus ſancti. Huc ſpectat repugnantia varietatis ſexuum in divinis, iam ſuprà explo. ſa cap. 42. & à nobis in eius Scholijs Diſp. LXXXII. ſect. 5. & 6. Secundum verò æqua liter abſurdum eſt: quoniam nulla ratione aut exemplo monſtrari, aut veroſimile oſtendi poteſt, duo aliqua in ordine ad eundem fœtum habere ſimul rationem patris, ſicuti nec matris. Non ergo Spiritus ſanctus procedit ab vtroque ſimul habente rationem Patris, vel etiam matris: ac proinde nullatenus procedit ab ijs tanquam filius.

13 PLVRA Sese offerebant ad illuſtrãdam hanc poſteriorem Anſelmi rationem; quæ, quoniam à nobis præmiſſa fuerunt loco nuper indicato, fruſtra hoc loci reponerentur. Addendum tamen eſt, illam videri deſumptam ex Magno Auguſtino libro quinto decimo de Trinitate cap. 37. vbi poſtquam explanavit, quemadmodum à quo habet Filius, vt ſit; ab eo etiam habet, vt producat Spiritum ſanctum; ſubdit: * Hic vt cumque etiam à talibus, quales nos ſumus, intelligi poteſt, cur non dicatur natus eſſe, ſea potiùs procedere Spiritus ſanctus: quoniam ſi & ipſe Filius diceretur, amborum vtique filius diceretur: quod abſurdiſſimum eſt. Filius quippe nullus eſt duorum, niſi Patris & matris. Abſit autem vt inter Deum Patrem, & Deum Filium, aliquid tale ſuſpicemur: quia nec filius hominum ſimul ex patre & matre procedit: ſed cùm in matrem procedit ex patre, non tunc procedit ex matre: & cùm in hanc lucem procedit ex matre, non tunc procedit ex patre. Spiritus autem ſanctus non de Patre procedit in Filium, & de Filio procedit ad ſanctificandam creaturam; ſed ſimul de vtroque procedit: quamvis hoc Pater Filio dederit, vt quemadmodum de ſe, ita de illo quoque procedat. * Hactenus ille. Alteram eiuſdem rationis partem poſtea ex Anſelmo videtur mutuaſſe Hugo Victorinus lib. 1. de Sacramentis parte 3. cap. 23 & 26. dicens, ideo Spiritum ſanctum non eſſe Filium, quoniam ab vtroque procedit; *ne duo ſint patres vnius Filij.* Ac præterea in Summa Sentent. tract. 1. cap. 7. ait: *Non eſt Spiritus ſanctus genitus: quia cùm ſit à Patre & Filio, ſi genitus eſſet, iam haberet duos patres: & ſic in Trinitate eſſet confuſio in qua & duo Patres, & duo filij eſſent.*

(☥)

SECTIO SECVNDA.

Ratio diſcriminis inter vtramque diuinam proceſsionem tradita ab Anſelmo, confirmatur & illuſtratur ex ſacris litteris, & communi ſenſu Patrum Græcorum.

14 VIDIMVS Sectione præcedenti, Anſelmum vtriuſque proceſsionis diſcrimen in eo palam collocaſſe, quòd ſolus Filius vi proceſsionis ſuæ oriatur vt Verbum adæquatum, & imago, exprimens perfectam & adæquatam ſimilitudinem ad ſuum parentem. Nunc oportet eam ipſam rationem diſcriminis confirmare & illuſtrare ex ſacris litteris, & doctrina SS. Patrum, quorum veſtigijs Anſelmus vbique & conſtanter inſtitit.

15 PROBATVR I. Scripturæ teſtimonijs, in quibus Filius Dei ſecundùm rationem ſibi propriam ſæpe dicitur Imago Dei, ſive Patris. Et enim Coloſ. 1. dicitur de illo: *Qui eſt imago Dei inviſibilis* Et 2. Corinth. 4. *Qui eſt imago Dei.* Romanorum 8. *Prædeſtinauit conformes fieri imaginis Filij ſui.* Huc ſpectant alia loca in quibus alia nomina æquivalentia ipſi tribuuntur. Nam Philip. 2. v. 6. dicitur μορφή, id eſt, figura: ſicuti & Hebræorum 1. *Qui, cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius.* Ibidemque verſu 3. appellatur *character.* Nonnunquam etiam εἶδος, ſive *ſpecies*, nimirum, Patris, dicitur. Quod obſervavit Cyrillus Alexandrinus lib. 12. Theſauri in illa Chriſti verba ad Iudæos Ioannis 5. οὔτε φωνὴν αὐτοῦ ἀκηκόατε πώποτε, οὔτε εἶδος αὐτοῦ ἑωράκατε. *Nec vocem eius vnquàm audiſtis, nec ſpeciem eius vidiſtis.* In quæ verba idem Cyrillus ita loquitur: *Hæc omnia ergo Filius eſt: Vox, & ſpecies, & Verbum Patris. Quòd ſi ſpecies eſt; perſpicuum eſt, etiam imaginem eſſe.* Nimirum, idem ferè ſignificant εἶδος & εἰκὼν Græcè, ac Latinè *ſpecies & imago.* Quin etiam in Veteri Teſtamẽto de Filio Dei dicitur Sapientiæ 7. verſ. *Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula, & imago bonitatis illius.* Nihil autem horum in ſacris litteris legitur de Spiritu ſancto. Ergo Filius Dei, prout diſtinctus à Spiritu ſancto, & vi proceſsionis ſuæ peculiaris, oritur vt imago Patris pleniſsima & perfectiſsima: ac per conſequens vi ſuæ originis præſefert, vt loquitur Anſelmus, promptam parentis ſimilitudinem, iuxta quam attenditur proprijſsima ratio Filij.

16 PROBATVR II. Teſtimonijs Patrum Græcorum. Impritis antiquiſsimus Origenes id diſertè tradit Homil. prima in Geneſim, dicens: * Quæ eſt ergo alia imago Dei, ad cuius imaginis ſimilitudinem factus eſt homo, niſi Saluator noſter, qui eſt primogenitus omnis creaturæ? * Similiter Clemens Alexandrinus in Protreptico: ἡμεῖν γὰρ τοῦ θεοῦ εἰκὼν ὁ λογος αὐτου, καὶ ὁ υἱὸς του νοῦ γνήσιος ὁ θεῖος λογος, φωτὸς ἀρχέτυπον φῶς. εἰκὼν δὲ τοῦ λογου ἄνθρωπος. Id eſt: *Verbum eſt Dei imago & germanus mentis filius Verbum diuinum luminis archetypum lumen. Imago verò Verbi homo eſt.* Quid clarius, aut conformius toti doctrinæ Anſelmi, ſectione præcedenti explicatæ, qua in vno & ſolo Filio Dei mirè coniunguntur ratio Verbi intellectualis, & imaginis exprimentis genitorem? Alexander quoque Alexandrinus in Epiſtola ad Alexandrum Conſtantinopolitanum, quæ habetur Græcè & Latinè ante Concilium Nicænum, ita loquitur maximè ad rem noſtram: * Patris Filius paternam effigiem accuratè ſervare ſoleat: quippe cùm eius ſimilitudinẽ à natura in ſe impreſſam habeat, & perfecta ſit Patris imago, & expreſſa ſimilitudo exemplaris primarij Vnde Dominus Philippo Patrem videre cupienti, apertè commonſtrat: QVI VIDET ME, VIDET ET PATREM.* Vbi & alium illuſtrem locum ex Evangelio indicat, quo pariter probatur, Filium Dei ex propria ratione eſſe imaginem Patris: quoniam proprium imaginis eſt, vt ea viſa, ſtatim videatur archetypon, ſive exemplar, cuius imago eſt.

17 SIMILITER Athanaſius in Epiſt. de decretis Nicænæ Synodi ait de Verbo divino, ſive Chriſto: *Quòd ſi eum imaginem nomines, Filium hoc ipſo eum indicaueris. Quid enim eſt ſimile Deo, niſi ſua ipſius progenies?* Vbi formula illa, *hoc ipſo*, denotat ſenſum formalem, cur Verbum ſit Filius Dei. Quòd ſi ratio imaginis non eſſet ipſius propria, ineptè collegiſſet Athanaſius, ex eo quod imago ſit, Filium hoc ipſo eſſe. nam in ea hypotheſi Spiritus ſanctus eſſet imago, quin tamen ſit Filius. Præterea in eadem Epiſt. circa medium, ita Arianos vrget: * Si conceſſerint, Deum non, niſi ſemel, Verbum proferre; fieri non poteſt, quin agnoſcant, eum ita loquentem, Verbi ſui Patrem eſſe. * Ergo quia per locutionem intellectus paterni nequit procedere, niſi vt Filius. Baſilius, quoque, quamvis in oppoſitum huius ſententiæ allegari ſoleat, & alicubi ſubobſcurè loquatur, illam apertè tradit lib. 2. contra Eunomium, dicens de Filio Dei: * Eſt imago Dei inviſibilis: imago non inanimata, non manu fabricata, vel artis, vel commentationis opus; ſed imago vivens: immo verò ipſa vita, non in figuræ ſimilitudine, ſed in ipſa ſubſtãtia identitate

titatem retinens. * Præterea Epiſt. 37. quæ eſt ad Gregorium Nyſſæ Antiſtitem fratrem ſuum inquit: *Non enim conſiſtere poterit imaginis ratio, niſi per omnia ad archetypum expreſſa ſuis omnibus numeris ſit, nihilque variet.* Immo & rationem ipſam, quam ex Anſelmo protulimus, ſic reddit eodem loco: * Perinde, atque in ſpeculo quodam puro, qui impreſſam illi formam conſiderat, evidentem habet imaginati vultus cognitionem: ita & qui Filium cognoverit, paternæ ſinul hypoſtaſeos charakterem per Filij cognitionem in corde ſuo iam ſuſcepit, ita vt hypoſtaſis Filij, inſtar formæ ac faciei ſit paternæ cognitionis: & contrà Patris hypoſtaſis in forma Filij cognoſcatur.* En vbi Filius Dei ex vi hypoſtaſeos, ſeu ex propria ratione ſuæ perſonæ, iuxta Baſilium, eſt perfecta imago, per omnia ad archetypum, ſuis numeris expreſſa, & inſtar ſpeculi puri ipſum evidenter repræſentans, veluti parentem & genitorem ſuum. Ergo ideò Verbum præ Spiritu ſancto eſt Filius, quoniam ex propria ratione, & vi originis ſuæ, procedit vt imago plena & adæquata Patris ipſum perfectè repræſentatis. Verùm & præterea Homil. 16. in illud Ioan. *In principio erat Verbum*, ita loquitur: *Cur Verbum? Vt quòd ex mente procedit oſtendatur. Cur, inquam, Verbum? Quoniam ſine motu genitum eſt. Cur Verbum? QVONIAM IMAGO EST GENITORIS, TOTVM IN SE MONSTRANS GENITOREM.* Quid illuſtrius? Itaque ex ratione perfectiſsimæ imaginis habet, vt ſit Verbum à Patre genitum, ſive Filius.

18 CYRILLVS Quoque Alexandrinus propriam rationem æternæ generationis exponit penes originem Verbi per intellectum, tanquam imaginis in quâ perfectè repræſentatur, ſeu ad vivum depingitur Pater. Etenim lib. 1. Theſauri inter medium & finem inquit: * Sic ex ſeipſo abſque paſsione Filium genuit Pater, ſicut ſapiēs, ex ſapientia ſua quidquid excogitaverit atque pepererit, veluti Geometriam, Muſicam, aut aliquid huiuſmodi. Hæc enim fœcundæ ſapientiæ fructus ſunt, & ſic ſe habent ſecundùm naturam, vt excogitatū artificiū à ſapientia, nō ſit ſeparatū ab ea. NAM CVM SIT EX IPSA, IN IPSA ETIAM EST, ET IMAGO EIVS EST. * Et paucis interiectis ſubdit: * Intelligendum eſt, ſic ex Patre natum Filium, vt ſapientiā ex mente, quę quoddammodo eſſe à mente per expreſsionem ipſius videtur, & in ipſa verè eſt. Nec defluxum mens paſſa eſt aliquem, quia ſapientia genuit: ſed tota manens in ſua natura conſervata eſt, & tota de ſapientia depingitur.* Itaque peculiaris & propria notio proceſsionis Verbi explanatur per originem ex ſapientia fœcunda Patris, nec qualemcumque originem, ſed imaginis, ſeu Verbi, ipſum perfectè exprimentis.

19 DAMASCENVS Oratione de Imaginibus, ſic propriam rationem Verbi, ſeu Filij Dei exponit: ἐστὶμὲν ὁ υἱὸς εἰκὼν τοῦ πατρὸς φυσικὴ, &c *Eſt quidem Filius imago naturalis Patris, & nulla re diſcrepans, per omnia ei ſimilis, excepta Ingeniti proprietate, & paternitate.* Ac præterea lib. primo de Imaginibus ait: *Quod itaque ratione imitationis hic eſt imago, illic naturaliter eſt Filius.* Itaque Filius Dei ex propria ratione, & vi generationis ſuę procedit vt naturalis imago Patris, & per omnia ei ſimilis, excepta notione Ingeniti, , & paternitate.

20 EVSEBIVS Cæſarienſis lib. 4. Demonſtr. Evang. cap. 2. rem ipſam iuxta ſenſum Catholicum exponere videtur, quamquam alijs locis ſuſpectus ſit de Arianiſmo. ait enim. *Non immeritò oracula theologice loquentia, Deum genitum illum enuntiant, TANQVAM EVM, QVI DIVINÆ NATVRÆ SOLVS IN SEIPSO FERAT IMAGINEM, propter quam & Deum quoque, & eſſe illum, & dici, EIVS VIDELICET, QVÆ QVOD PRIMVM EST REFERT, EXPRESSÆ SIMILITVDINIS GRATIA.* In quibus nota excluſivam dictionem *ſolus*: quâ ſatis ſignificat, Spiritum ſanctum non eſſe Filium, quāvis Deus ſit: quoniam non eſt Deus gratiâ, ſive ratione ſimilitudinis expreſſę, aut imaginis. Hoc enim eſt proprium ſolius Filij. Conſonat Epiphanius Hæreſi 69. pag. 7. probans, Filiū eſſe Deum, quoniam vi generationis procedit ſimilis Deo Patri in natura. Ait enim: * Omne quod generat, ſimile quid generat: homo hominem generat, & Deus Deum. * Ac præterea Hæreſi 73. in medio: * Alterum ſolùm dictum, conducit ad alterius intelligentiam: & non nomen ſolum, ſed cum nomine etiam naturæ conſortium. Patrem enim intelligentes Deum, Dei Patrem intelligimus; & Filium intelligentes Dei, Deum intelligimus relatum Filium Dei, & ſimilem illi ſecundū naturam, cuius intelligitur Filius. * Non ſolùm ait Epiphanius, Filium Dei eſſe ſimilem in natura Patri, ſed præterea in ipſo intellectu Filij intelligi ſimilitudinem in natura cum ipſo: quaſi ratio formalis generationis divinæ ſit, vt vi illius communicetur ſimilitudo in natura, quod ſuprà oſtendimus ſoli Filio convenire. Denique Hæreſi 76. col. 6 inquit: *Siquidem genuit ex ſe Filium, impoſsibile eſt, non eſſe æqualem, ac ſimilem Patri. Omne enim quod gignit, ſimile ſibi gignit.* Ac longè poſtea reſpondens ad caput primum Aetij ait: *Impoſsibile*

bile eſt gignentem diſsimilem & inæqualem ſibi ipſi gignere, & genitum genitori diſsimilem eſſe. Porrò ſimilitudo, quæ vi generationis accipitur, eſt propria imaginis naturalis: atque adeò perinde fuit Epiphanium dicere, Filium Dei vi generationis evadere ſimilem Patri, atque oriri tanquam imaginem eius naturalem.

21 DENIQVE Gregorius Nazianzenus (vt plures alios è Græcis omittã) Orat. 36. quæ eſt quarta de Theologia num. 82. iuxta partitionem Iacobi Billij, inquit: *Compendioſa faciliſque naturæ paternæ declaratio eſt Filius. Omne enim quod genitum eſt, genitorem ſuum tacita quadam voce definit.* Appellat quoque Filium, *perfectam imaginem per omnia ſimilem*, Oratione 42. Vbi Nicætas eius Interpres num. 19. col. 2. ita id exponit: * Imago eſt vivi archetypi, & vita ipſa, longeque maiorem ſimilitudinem habet, quàm ſit ea, qua Seth Adamum refert, vel quâ quidquid gignitur, id à quo generatur, exprimit. * Nimirum, Filius Dei vi generationis ſuæ in ſenſu formali trahit adæquatam & perfectiſsimam ſimilitudinem ad ſuum genitorem, tanquam Verbum naturaliter & intelligibiliter ſimul illud exprimens. Quod nec in humana, nec in alia quavis generatione cernitur. Spiritus ſanctus autem, etſi accipiat ſimilitudinem in natura perfectiſsimam, non tamen procedit vt imago, neque ex vi originis ſuæ eam ſimilitudinem trahit, ſed quaſi conſequenter ſolùm, vt poſtea pleniùs apparebit.

SECTIO TERTIA.

Eadem diſcriminis ratio confirmata ex doctrina Patrum Latinorum, ac præſertim D. Thomæ, & plurimorum Theologorum ex omnibus Scholis.

22 PROBATVR III. Anſelmi ſententia, & ratio diſcriminis ab eo tradita, ex Patribus Latinis: qui generationis divinæ propriam rationem per id exponunt, vt Filius oriatur tanquam imago plena Patris, ipſiſque perfectè ſimilis. Imprimis Magnus Auguſtinus, quem præ cæteris ſe ducem habere profitetur Anſelmus, eandem ferè rationem diſcriminis inter vtramque proceſſionem indicat varijs locis. Etenim lib. 6. de Trinitate cap. 3. (prout allegatur à Magiſtro in 1. diſt. 27. cap. *Hinc non eſt*) ita loquitur: * Verbum quidem ſolus Filius accipitur; non ſimul Pater & Filius, tanquam ambo ſint vnũ Verbum. Sic enim Verbum dicitur, quomodo imago: non autem Pater & Filius, ambo imago, ſed Filius ſolus imago Patris, quemadmodum Filius. * Et lib. 9. cap. 12. ſic ex analogia mentis humanæ concipientis verbum expreſsivum ſui initium capit ad exponendam rationem propriam generationis Verbi divini. * Omnis res, inquit, quamcumque cognoſcimus, cõgenerat in nobis notitiam ſui. Ab vtroque enim notitia paritur, à cognoſcente & cognito. Itaque mens, cùm ſeipſam cognoſcit, ſola parens eſt notitiæ ſuæ: & cognitum enim, & cognitor ipſa eſt. * Deinde verò lib. 15. eiuſdem operis cap. 14. ex ea doctrina circa verbum mentis creatę progreditur ad veſtigandam generationem Verbi divini. Ac poſtea cap. 27. agens ex profeſſo de diſcrimine inter vtramque proceſsionem, quamvis præmittat, neminem mortalium poſſe id plenè exponere; adhuc tamen illud aſsignat penes hoc, vt ſolus Filius oriatur velut imago, ſive tanquam Verbum per paternam mentem expreſſum. Vnde & ſparſim eo loco has propoſitiones tradit, quæ in rem noſtram aptiſsimæ ſunt. *Ipſa oſtẽdit tibi Verbum tuum eſſe in te, quando de ſcientia tua gignitur. Fitque in acie cogitantis imago ſimillima cogitationis eius, quam memoria continebat; iſta duo, velut parentem & prolem, tertia voluntate ſiue dilectione iungente. Quam quidem voluntatem de cognitione procedere, NON TAMEN ESSE COGITATIONIS IMAGINEM, ET IDEO QVANDAM IN HAC RE INTELLIGIBILI NATIVITATIS ET PROCESSIONIS INSINVARI DISTANTIAM, &c.* Itaque ex ſenſu Auguſtini, ideo ſola proceſsio Filij eſt nativitas, ſeu generatio, quia oritur à Genitore ſuo per mentem, ſive cogitationem, tanquam Verbum & imago ipſius: ſecus verò Spiritus ſanctus, quem ſignificat S. Doctor nomine voluntatis. Conſonat ſibi ipſi lib. 7. de Trinit. cap. 2. vbi tradit illud effatum communiter receptum à Scholaſticis cum Magiſtro in 1. diſt. 27. *EO FILIVS, QVO VERBVM: ET EO VERBVM, QVO FILIVS.* Ac poſt pauca monet: vt cũ ſapientia dicitur nata, *in eo quòd nata eſt, & Verbum, & imago, & Filius intelligatur.* Itaque generatio, ſeu nativitas divina, prout diſtincta à proceſsione Spiritus ſancti, exprimitur per originem Verbi, & imaginis & Filij: tanquam ſolus oriatur vt Filius, qui ex vi proceſsionis ſuæ oritur tanquam Verbum divinæ mentis, & imago genitorem repræſentans. Quæ eſt ipſiſsima Anſelmi ratio.

23 HILARIVS Etiam varijs locis potiorem partem doctrinæ eiuſdem præmiſsit. Etenim lib. 7. de Trinitate columna antepenult. inquit: *Quod ergo imago eſt, eo profi-*

cit;

cit, vt Deum Patrem Vnigeniti Dei ſignificet natiuitas, ſignificet autẽ, VT FORMA ET IMAGO INVISIBILIS DEI. Ac lib. 9 col. 2. *PERFECTA NATIVITAS PERFECTAM IMAGINEM PRÆSTAT.* Rurſus lib. de Synodis col. 7. ad Canonem tertium Orientalium ait: *Omnem in ſe diuinitatis paternæ, qualis & quanta eſt, formam inuiſibilis Dei Filius, & imago complectitur: ET HOC VERE EST ESSE FILIVM, paternæ ſcilicet formæ veritatem coimaginatæ in ſe naturæ perfecta ſimilitudine retuliſſe.* Vides propriam rationem generationis diuinæ, per hoc explicatam, vt qui verè Filius Dei eſt, omnem formam inviſibilis Dei, qualis & quanta eſt, complectatur vt imago, ſecundùm perfectam ſimilitudinem.

24 AMBROSIVS Quoque lib. de Myſter. Dominicæ Incar. cap. vlt. eandem rationẽ indicat, dum ait: *Cur ſolus Filius imago inuiſibilis Dei dicitur, & character ſubſtantiæ eius; niſi quia in eo naturæ eiuſdem Vnitas, & maieſtatis expreſsio eſt?* Vbi rationem diſcriminis non in eo ſolo poſuit, quod Filio ſit *naturæ eiuſdem Vnitas.* Hæc enim Spiritui ſancto etiam competit. Sed addidit præterea: *Et maieſtatis expreſsio eſt.* Quoniam, nimirum, ſolus filius vi originis ſuæ exprimit, tanquam Verbum, totam maieſtatem, id eſt plenitudinem perfectionum, quæ eſt in ſuo prototypo & Genitore.

25 DENIQVE Huc advocari poſſunt teſtimonia, tum Scripturæ, tum SS. Patrum, qui diſertè docent, Filium Dei ex propria & peculiari ratione procedere tanquam Verbum: & iam exſcripta aut indicata fuerunt ſuprà Diſp LXX. ſect. 2. & 3. Inde enim planè colligitur, generationis diuinæ terminum, prout diſtinctum à termino proceſsionis, oriri vt Verbum mentis diuinæ, & conſequenter vt imaginem perfectam Genitoris ſeipſum planè intelligentis. Inter ea verò placet reſumere verba illa Clementis Papæ & diſcipuli Apoſtolorum, aientis in Epiſt. 1. ad Iacobum fratrem Domini: *Cuius Vere Filius eſt Verbum, & ſpeculum, & character, & imago Viuens Patris Viuentis.* Spectant huc etiam omnia illa loca Patrum, quibus ſuprà Diſp. LXXXV III. ſect. 2. oſtenſum fuit, Filium Dei, prout diſtinctum à Spiritu ſancto, oriri per intellectum: ac proinde tanquam Verbum & imaginem adæquatè expreſsivam Genitoris. Cumque nec ratio Verbi, nec origo per intellectum, nec ſubinde ratio imaginis, competat Spiritui ſancto, conſequens eſt vt hic non procedat vt Filius.

26 PROBATVR IV. Scholaſticorum frequenti conſenſu, atque imprimis Doctoris Angelici, qui varijs locis eandem ratio-

ctoris Angelici, qui varijs locis eandem ratio-

nem diſcriminis ab Anſelmo traditam, & hactenus explanatam, videtur reddere inter vtramque proceſsionem. Etenim 1 p. quæſt. 27. art. 4. corp. inquit: *Proceſsio, quæ attenditur ſecundùm rationem intellectus, eſt ſecundùm rationem ſimilitudinis: & in tantũ poteſt habere rationem generationis, quia omne generans generat ſibi ſimile.* Vbi verborũ contextus denotat, S. Doctorem loqui in ſenſu formali. Subdit verò rationem diſcriminis, quam quærimus, dicens: *Proceſsio autem, quæ attenditur ſecundùm rationem Voluntatis, non conſideratur ſecundùm rationem ſimilitudinis; ſed magis ſecundùm rationem mouentis, & impellentis in aliquid. Et ideo quod procedit in diuinis per modum amoris, non procedit vt genitum, vel vt Filius; ſed magis procedit vt Spiritus.*

27 VERVM Quoniam in oculos incurrit difficultas, quâ objici ſolet, hac diſcriminis ratione ſolùm probari ſimilitudinem intelligibilem in Verbo, quæ non ſufficit ad generationem naturalem; ipſe S. Doctor præmiſerat huius nodi ſolutionem art. 1. eiuſdem quæſtionis ad 2. dicens: *Quantò aliquid magis intelligitur, tantò conceptio intellectualis eſt magis intima intelligenti, & magis Vnum. Nam intellectus ſecundùm hoc quod actu intelligit, ſecundùm hoc fit magis Vnum cum intellecto. Vnde cùm diuinum intelligere ſit in fine perfectionis; neceſſe eſt quòd Verbum diuinum ſit perfectè Vnum cum eo abſque omni diuerſitate.* Itaque intellectio, non quælibet, ſed ſummè perfecta, qualis eſt divina & paterna, ex propria ratione habet vt ſit aſſimilatrix ſummè perfectè, abſque vlla diverſitate: ac proinde non ſolùm intelligibiliter, ſed naturaliter, in vna & eâdem numero natura.

28 EANDEM Doctrinam tradit fuſiùs lib. 4. contra Gent. cap. 11. vbi columna 2. ex propria & peculiari perfectione intellectionis divinæ colligit, Verbum divinum procedere, non modò vt Deum intelligibiliter, ſed etiam naturaliter, ſive in eadem numero natura cum Patre. Etenim obſeruans eo loci, *in Deo intelligente ſeipſum, idem eſſe intellectum, & rem quæ intelligitur, & intentionem intellectam*, quam ait eſſe Verbum, hoc diſcriminis eſſe monet inter Verbum creatum & increatum: * Nam Verbum hominis non poſſet dici ſimpliciter & abſolutè homo, ſed ſecundùm quid; ſcilicet, homo intellectus. At verò Verbum Dei non ſolùm eſt intentio intellecta; ſed etiam Deus in eadem numero natura ſubſiſtens. * Inferiùs verò ita colligit:

Relin-

Relinquitur ergo, QVOD VERBVM DEI NON SOLVM SIT IMAGO, SED ETIAM FILIVS. Non enim ſic eſſe imaginem alicuius, vt eiuſdem naturæ ſit, in aliquo invenitur, qui filius dici non poſſit; dummodo hoc in Viuentibus accipiatur. Nam quod procedit ex aliquo Viuenti in ſimilitudinem ſpeciei, dicitur filius eius. Ac denique infrà: *Hæc eſt vera generationis ratio in rebus Viuentibus, quòd id quod generatur, à generante procedat, vt ſimilitudo ipſius, & eiuſdem naturæ cum ipſo. Eſt ergo Verbum Dei genitum.* Vnde & cohærenter ad eam doctrinam cap. 19. ſequenti poſt medium oſtendit, proceſſionem Spiritus ſancti non eſſe generationem. Vides quemadmodum Sanct. Doctor probet, vi intellectionis paternæ, atque ex propria & ſumma ipſius perfectione oriri Verbum, ſeu imaginem, quæ non modò ſit Deus intelligibiliter, ſed etiam naturaliter, ſive in eadem omnino natura: ac per conſequens verus & naturalis Filius. Ac rurſus eodem lib. 4. cap. 19. ſubdit, proceſſionem Spiritus ſancti non eſſe generationem: quia proceſsio rei ad hoc, vt ſit in in voluntate ſicut amatum in amante, non eſt ſecundùm ſimilitudinem ſpeciei, quam per ſe ſpectat generatio.

29 QVARE Angelicum Doctorem ſic ferè exponunt omnes Interpretes domeſtici, quos allegant & ſequuntur Ioannes à Sanct. Thoma 1. part. quæſt 27. diſput. 12. art. 7. & Godoy diſput. 74. & ex Scriptoribus Societatis Ruiz diſput. 6. ſect. 3. ex alijs Averſa 1. part. quæſt. 27. ſect. 6. ac Sylvius ibidem articul. 4. & alij plurimi ex omnibus Scholis. Nec tamen ideo nego, pleroſque alios diverſam viam inſiſtere, & in varias opiniones dividi. Quidquid tamen ſit de ijs, nunc ſolùm oportet hanc ipſam ſententiam Anſelmi exponere, confirmare, & vindicare ab obiectionibus contrarijs. quod noſtræ potiſsimùm curæ, & inſtituti in hoc Opere eſt.

SECTIO QVARTA.

Præmiſsis quibuſdam, exponitur & confirmatur eadem ratio diſcriminis, ab Anſelmo, & alijs Patribus tradita.

30 PRÆMITTO I. Ex ſententia Auguſtini, & D. Thomæ cum Ariſtotele, quam latè expoſuimus in libris de Anima, præſertim diſput. 89. & 90. intellectum in modo operandi differre à voluntate, quatenus ille agit ſecundùm rationem ſimilitudinis, hæc verò ſecundùm rationem impulſus. Lege Ferrariam 4. contra Gent. capite 19. & Ioannem à S. Thom. 1. part. quæſt. 27. art. 7. diſp. 12. & Ruiz loco ſuprà indicato. Ratio prioris partis eſt, quia intellectus conſtituitur in actu primo proximo, vniturque obiecto in eſſe intelligibili per ſpeciem ſive ſimilitudinem impreſſam; ſicuti & ipſi vnitur in eſſe intellecto per ſpeciem expreſſam. Itaque modus operandi proprius intellectus eſt recipere & parere ſimilitudinem obiecti; & ex illa, quam recipit ab obiecto in actu primo, fœcundari ad concipiendam & pariendam ſimilitudinem expreſſam, veluti actum ſecundum, aut terminum actus ſecundi. Hoc ſenſu verificatur illud effatum Ariſtotelis: *Intellectus intelligendo fit omnia.* Nimirum, quatenus fit ſimilis obiectis omnibus intellectis, recipiendo ſimilitudinem illorum impreſſam, & expreſſam pariendo aut producendo. Poſterior pars ſuadetur: quoniam voluntas eſt potentia appetitiva, de cuius ratione eſt trahi, ſeu moveri à bono appetito, & parere impulſum, quo feratur in illud. Sic certè corpora gravia & levia quoniam naturaliter appetunt locum ſuum, innato & proportionato impulſu feruntur in illum. Quapropter iuxta eadem doctrinam verificatur quod idem Philoſophus docet 6. Metaph. textu 8 *Verum eſt in mente, bonum in rebus.* Nimirum, verum, ſive obiectiva veritas, eſt in mente per ſimilitudinem ſui, attractam, aut etiam productam à mente ipſa. Bonum autem eſt in rebus ipſis, quatenus voluntas, dum amat bonum, fertur, ſeu impellitur ab illo iuxta illud notiſsimum Auguſtini dictum libro 13. Confeſſ. cap. 9. *Amor meus, pondus meum. Illo feror, quocumque feror.* Ac præterea: *Voluntas magis eſt Vbi amat, quàm Vbi animat.* Quin & in eundem ſcopum alio loco laudat hemiſtichium illud Maronis: TRAHIT SVA QVEMQVE VOLVPTAS. Vide Div. Thom. lib. 4. contra Gent. cap. 19. vbi id diſcrimen luculenter exponit.

31 PRÆMITTO II. Intellectum ex modo operandi ſibi proprio magis, quàm voluntatem, convenire cum modo operandi potentiæ generativæ viventium. Probatur facilè, & cohærenter ad ea, quæ nuper diximus. Potentia enim generatrix viventis cuiuslibet ita ſe habet, vt eius operatio ſit origo viventis à vivente coniuncto in ſimilitudinem naturæ. Atqui modus operandi intellectus eſt ſecundùm ſimilitudinem; voluntatis verò non item,

item, ſed ſecundùm impulſum. Magis ergo convenit cum modo operandi potentiæ generativæ intellectus, quàm voluntas. DICES, conveniențiam eiuſmodi eſſe valde impropriam & tralatitiam : tum quia agens naturale per potentiam generativam producit ſimile ſibi; intellectus autem intelligendo non producit aliquid ſimile ſibi, ſed obiecto cognito: tum præterea, quia potentia generativa producit aliquid ſimile in ſubſtantia & natura; intellectus verò aliquid ſimile ſolùm intelligibiliter & in repræſentando. ED Contrà. Convenienția intellectus cum potentia naturali generativa, non eſt tralatitia, ſive impropria, aut nomine tenus; ſed vera, propria, & quoad rem ipſam, in ordine ad agendum iuxta ſimilitudinem. Quamvis enim intellectus non exigat determinatè, aut ſimilitudinem purè intelligibilem, aut etiam phyſicam, ſive ipſius intelligentis, ſive obiecti intellecti & diſtincti ab intelligente: eſt tamen per ſe indifferens ad vtrumque ſecundùm rationem communem intellectus abſtrahentis à creato & increato, potentiali & ſummè actuali, vt poſtea latiùs exponemus. Itaque intellectus in ſua operatione non importat diverſam ſimilitudinem ab ea, quam præſefert potentia generativa; ſed eandem, quamvis diverſimodè. Potentia enim generativa importat poſitivè ac determinatè ſimilitudinem phyſicam ſeu naturalem inter producens & productum; intelligibilem verò ſeu repræſentativam, negativè aut permiſsivè. Intellectus autem poſitivè ac determinatè importat ſimilitudinem intelligibilem, ſive repræſentativam termini ad obiectum intellectum; permiſsivè verò aut negativè ſimilitudinem phyſicam, ſive ſecundùm naturam.

32 QVOD Vlteriùs explicatur. Intellectus enim ſub abſtractiſsima ratione à creato & increato, eſt indifferens ad rationem ſubſtantiæ aut accidentis, actus puri aut potentialis, retenta vbique ſua ratione formali : quemadmodum & in cæteris prædicatis perfectionem puram importantibus videre eſt: vt miſericordiæ, iuſtitiæ, ſcientiæ, ſapientiæ, &c. Etenim tam in Deo, quàm in creaturis, retinent eandem rationem formalem, ſed eo tamen diſcrimine, vt in Deo habeant rationem ſubſtantiæ, accidentis verò in creaturis. Porrò intellectus creatus, non quia intellectus eſt, ſed quia creatus, & accidentalis, dum ſeipſum intelligit, ſolùm parit ſimilitudinem ſui accidentalem, & purè intelligibilem, in ſpecie expreſſa, ſeu verbo. ſicuti & quia creatus eſt, ſolùm cognoſcit ſeipſum per intellectionem reipſa diſtinctam, & accidentariam in entitate. Intellectus autem divinus, quia actus purus & habens rationem ſubſtantiæ, vbi intelligit ſeipſum, non ſolùm id præſtat per intellectionem ſibi identificatam, nec ſolùm habet vim aſsimilandi intelligibiliter infinitè, ſed etiam naturaliter in eâdem numero ſubſtantia & natura. Itaque ſicuti intellectus, prout abſtrahens à creato & increato, eſt indifferens ad rationem ſubſtantiæ, aut accidentis, & ad intellectionem diſtinctam aut indiſtinctam reipſa : ita etiam indifferens eſt, vt habeat rationem virtutis aſsimilandi, aut purè intelligibiliter, aut ſimul intelligibiliter, & naturaliter in ſubſtantia, aut natura. Ac per conſequens habet magnam cognationem cum potentia generativa naturali : quia quod hæc determinatè ac poſitivè exigit, ille indifferenter, aut permiſsivè ſpectat ex communi ratione intellectus; exigit autem determinatè & poſitivè in intellectu ſummè perfecto, qualis eſt divinus.

33 HINC Cohærenter colligitur, intelligens creatum, vbi ſeipſum conſiderat, media intellectione ſolùm parere imaginem ſui accidentariam & intelligibiliter repræſentativam ipſius : vtpotè productam ab intellectu accidentali, & ſeipſum exprimente per intellectionem diſtinctam reipſa accidentariamque. Suppoſitum verò divinum fœcundum, nimirum, perſona Patris, vbi ſeipſum conſiderat, media intellectione ſibi identificata, ac planè ſubſtantiali, producit imaginem ſui, quæ non ſolùm repræſentat ipſum intelligibiliter, ſed etiam ſubſtantialiter & naturaliter, ſive in eâdem numero ſubſtantia & natura. Habet enim ex communi ratione ſuppoſiti intelligentis ſeipſum exprimere interiùs imaginem ſui intelligibilem : ex ratione vero ſuppoſiti intelligentis ſeipſum perfectiſsimè & infinitè per intellectionem identificatam ſuæ ſubſtantiæ, habet exprimere imaginem perfectiſsimam & infinitam, non ſolùm in eſſe intelligibili, ſed etiam ſubſtantiali & naturali. Quo ſenſu, iuxta Anſelmum, Filius præ Spiritu ſancto, vi peculiaris proceſsionis ſuæ, ſtatim perfefert promptam Patris ſimilitudinem, tanquam perfecta ipſius imago. Spiritus ſanctus autem, cùm non procedat per intellectum, ſed per voluntatem, quæ ex ſe non habet vim aſsimilandi, ſed ſolùm inclinandi, non oritur vi proceſsionis ſuæ vt imago, nec intelligibilis, nec naturalis; ſed vt impulſus infinitus, quamvis reipſa & per identitatem procedat Deus in eâdem numero natura.

Ex

Ex qua doctrina rurſus plura alia colligun-tur.

34 PRIMVM Eſt, ſolum Verbum procedere vt genitum & Filium. Probatur ra-tione eruta ex Anſelmo *ſuprà*. Solus ille pro-cedit vt genitus & Filius, qui vi proceſsionis ſuæ promptam & adæquatam præſefert pa-rentis imaginem. Atqui ſolum Verbum vi pro-ceſsionis ſuæ promptam & adæquatam præſe-fert parentis imaginem. Ergo ſolum Verbum procedit vt genitum, & vt Filius. Maior conſtat ex generatione viventium commu-niter accepta, quæ ab omnibus cum Ariſto-tele definitur, *origo viuentis à viuente con-iuncto in ſimilitudinem naturæ*. Cumque verba definitionis accipi debeant in ſenſu for-mali; neceſſum eſt, vt quidquid per generatio-nem habet eſſe, vi ipſius oriatur à vivente coniuncto in ſimilitudinem naturæ; ac proinde vt imago viventis, à quo oritur. Tum præterea: quia ſicuti generatio divina præ qualibet alia eſt perfectiſsima; ita etiam præ qualibet alia debet in termino exprime-re perfectiſsimam naturæ ſimilitudinem ad principium generans; atque adeò ratio-nem perfectiſsimæ imaginis. Minor autem ſuadetur ex dictis: Quia ſolum Verbum di-vinum procedit per intellectum habentem vim aſsimilandi in genere, & vim aſsimilandi infinitè ac perfectiſsimè ſimile ſuo principio ex vi proceſsionis ſuæ. Ergo etiam vi eiuſdem oritur veluti perfectiſsima illius imago. Ergo ſolum Verbum vi proceſsionis ſuæ promp-tam & adæquatam præſefert parentis imagi-nem.

35 DICET Aliquis, in hac pro-batione contineri plura, quæ voluntariè di-cuntur, potiùs quàm ratione colligantur. Pri-mum eſt, quòd in ea ſupponatur, ſimilitudi-nem termini geniti ad ſuum principium, de-bere accipi ex vi proceſsionis: quod tamen non exprimit generationis viventium definitio. Se-cundum, rationem imaginis in ea ipſa defini-tione non importari. RESP. vtramque eam obiectionem fuiſſe præoccupatam in noſtra probatione. Primam, quidem, nam hoc ipſo quòd verba definitionis accipi debeant in ſen-ſu formali, origo in ſimilitudinem naturæ ac-cipi ita debet, vt ſimilitudo ipſa habeatur vi originis, ſeu proceſsionis. Secundam verò; quia idem omnino eſt, eſſe aliquid ſimile ſuo principio ex vi proceſsionis, ac procedere tanquam ipſius imaginem. Hæc enim ſolùm importat ſimilitudinem in natura ſpecifica ad ſuum principium, habitam vi proceſsionis. Ideoque ſuprà Diſputat. LXX. fusè docui-mus cum Anſelmo, rationem Imaginis ſoli Filio Dei convenire in divinis: quia ſo-lus ipſe vi proceſsionis accipit ſimilitudi-nem in natura, quæ eſt propria imaginis pro-cedentis à ſuo prototypo. Spiritus ſanctus au-tem licèt verè procedat à Patre & Filio, ſit-que ſimilis perfectè vtrique in eâdem omnino natura; id non habet ex vi proceſsionis in ſen-ſu formali, ſed identicè ſolùm, vt infrà vbe-riùs explicabimus.

36 SECVNDVM Eſt, Spiritus ſan-cti proceſsionem poſſe dupliciter conſiderari; *Primò*, quatenus divina eſt: *Secundò*, qua-tenus eſt proceſsio per voluntatem. Porrò cum Spiritus ſanctus non ſit Autotheos, quemad-modum nec Filius eſt Deus à ſeipſo, vt ſuprà Diſput. LXXIV. fusè demonſtratum eſt, ſed habeat à Patre & Filio quidquid habet; opor-tet ſanè, vt illud totum acceperit vi proceſsio-nis, ſive quatenus divina proceſsio eſt, ſive quatenus eſt proceſsio per voluntatem. Priori ſenſu habet Spiritus ſanctus quòd ſit Deus, & ὁμούσιος, ſive conſubſtantialis ſuo principio, ac ſubinde actus purus & infinitus in omni genere perfectionis. Omne enim quod intra Deum exiſtit, Deus eſt: ac proinde omne quod procedit intra Deum, vi proceſsionis, quate-nus divinæ, habet plenitudinem infinitam eſ-ſendi in omni genere perfectionis. Poſteriori autem ſenſu Spiritus ſanctus ſolùm procedit vt impulſus perfectiſsimus & infinitus: quia vo-luntas ex ſe ſolùm habet producere impulſum, & per conſequens infinita voluntas impulſum infinitum; quamvis hic ipſe identicè ſit Deus, & cæteras perfectiones habeat Deo dignas. Cæterum Verbum divinum non ſolùm habet vt Deus ſit, & ſimilis natura ſuo principio, ex vi proceſsionis ſuæ, quatenus divina eſt; ve-rùm etiam vi illius, quatenus eſt proceſsio per intellectum perfectiſsimum, fœcundatum eſ-ſentia divina vt ſpecie, & indiſtinctum ab ip-ſa, ſicut & ab intellectione. Hic enim eſt titu-lus peculiaris ac proprius ſolius Verbi, vt ex ſpeciali ratione proceſsionis ſuæ oriatur ſimi-lis in natura principio producenti, ac proin-de Filius. Vnde dato per impoſsibile quòd intra Deum poſſet aliquid procedere diſ-ſimile in natura, adhuc ex terminis, & per locum ab intrinſeco, vt aiunt, Ver-bum divinum oriretur ſimile in natura Pa-tri, ex vi peculiaris proceſsionis per in-tellectum perfectiſsimum, identificatum cum ſpecie ſubſtantiali concurrente ad fœcun-dandum ipſum, & cum actuali atque infi-nita intellectione. In eâdem verò hypo-theſi, Spiritus ſanctus non acciperet ſimi-litudinem in natura: quoniam ſuppoſito quòd illam non haberet vi proceſsionis ſuæ,

quatenus divina eſt, nullanus eam acciperet vi proceſsionis per voluntatem ; cùm hæc ex ſua ratione formali nullatenus habeat aſsimilare, ſed impellere.

37 CONFIRMATVR Hoc ipſum auctoritate & exemplo D. Thomæ lib. 4. contra Gentes cap. 23. Si enim aliquis homo per miraculum, & modo non vitali, producat aliũ hominem, certè hic erit homo formaliter, & habebit naturam viventem ac ſimilem ſuo principio, ac vi productionis illius, qua de facto & in re ponitur extra cauſas. Cæterum non propterea erit propriè filius, ſicut nec genitus: quoniam productio miraculoſa, & non vitalis, nullatenus eſt generatio, ſeu actio habens vim aſsimilandi terminum principio ſui in eadem natura. Quippe actio illa miraculoſa æque poſſet ab homine divinitus præſtari in productionem alterius compoſiti ſubſtantialis ſpecie aut genere diverſi, atque alterius hominis : immo & æquè poſſet præſtari ab alio agente creato, atque ab homine. Quare nec ex parte principij, nec termini, haberet rationem formalem generationis. Similiter ergo impræſenti. Habet quidem Spiritus ſanctus vt ſit Deus, & ſimilis in natura ſuo principio : idque habet vi proceſsionis ſuæ, prout divina eſt, ſive intra Deum exiſtens. Omne enim quod procedit, aut qualitercumque intra Deum exiſtit, eſt Deus. Cæterum id nõ habet ex peculiari ratione proceſsionis ſuæ : quoniam hæc ſpectata ſecundùm formalem rationem non habet vim generandi, ſicut nec aſsimilandi principio, ſed ſolùm impellendi. Itaque ſi per impoſsibile non eſſet proceſsio divina, ſed ſolùm proceſsio per voluntatem, quamvis infinitè amantem, non propterea produceret terminum ſimilem in natura ſuo principio, ſive Deum in ſubſtantia ; ſed dumtaxat impulſum infinitum.

38 DOCTRINA Hactenus tradita poteſt facilè conciliari cum modo loquendi aliorum, qui iuxta Ariſtotelem lib. 1. Poſter cap. 4. diſtinguunt quatuor modos per ſe, quibus poteſt aliquod prædicatum ſubiecto cõvenire. Primus eſt modus per ſe prædicandi: iuxta quem id, quod eſt de eſſentia alicuius, aut etiam definitio, vel pars definitionis ipſius, de eo affirmatur: ſicuti cùm rationale prædicatur de homine. Secundus modus dicitur ĩnhærendi per ſe: veluti cum proprietas dicitur de ſuo connaturali ſubiecto, vt riſibilitas de homine. Tertius appellatur modus per ſe eſſendi : in quo aliquid per ſe ſtans prædicatur ad modum per ſe ſtantis de illo, cui convenit: veluti cùm de Socrate prædicatur ratio ſubſtantiæ aut perſonæ. Quartus denique dicitur modus per ſe cauſandi, ſive operandi : in quo effectus tribuitur propriæ cauſæ, & operatio ſuo principio ſecundùm rationem formalem agendi; vt quando dicitur, ignem calore calefacere, & hominem intellectu diſcurrere. Porrò ex his quatuor modis aſſumunt ſpeciatim primum & quartum : & quod nos in hac controverſia dicimus, ſimilitudinem requiſitam ad generationem debere eſſe ex vi proceſsionis vt talis, ſive quatenus peculiaris & propria proceſsio eſt ; ipſi aiunt debere eſſe ex vi proceſsionis in quarto modo per ſe; id eſt, vi proceſsionis, quatenus exprimentis rationem formalem principij aſsimilativi. quod ſoli proceſsioni per intellectum competit. Vnde & conſequenter admittunt in primo modo dicendi per ſe propoſitiones illas, quibus Spiritus ſanctus dicitur formaliter Deus, aut ſimilis in natura ; negant autem in quarto modo dicendi per ſe : quoniam voluntas, per quam procedit Spiritus ſanctus, non eſt principium aſsimilandi, ſed dumtaxat inclinandi. In idem verò recidit quod nos dicimus, Spiritum ſanctum habere quidem vi proceſsionis ſuæ, prout divina eſt, ſive intra Deum, vt ſit Deus, & ſimilis in natura principio ſpiranti : non tamen vi proceſsionis ſuæ in ſpecie, & ſecundùm formalem rationem conſideratæ, quæ eſt mutua dilectio Patris & Filij. Hæc enim penes rationem ſibi propriam non habet aſsimilare, ſed impellere & inclinare. Vnde quemadmodum ſi quiſquam hominum produceret duos alios homines, alterum via propagationis naturalis, alterum inſtrumentaliter ſolùm, & ſupernaturaliter, ſolus prior eorum eſſet genitus & filius, quia haberet eſſe per actionem aſsimilatricem in natura, quamvis ambo conſtarent natura humana : ita etiam licèt Verbum & Spiritus ſanctus conſtent natura divina accepta per proceſsionem, ſolùm Verbum generatur & eſt Filius : quoniam præ Spiritu ſancto habet eſſe per actionem, ſeu proceſsionem, cui ex propria & formali ratione competit aſsimilare terminum principio producenti ; ac proinde eſſe veram generationem.

(?)

(?)

SE-

SECTIO QVINTA.

Obiicitur & vrgetur diuerſimodè præcipua difficultas contra noſtram ſententiam: ac pluribus interea obſeruatis, ſoluitur.

39 PLVRIMA Sunt argumenta, quibus Auctores aliarum opinionum noſtram impugnant. Proponam præcipua illorum, & ex eorum ſolutione forſan pronum atque in aperto erit occurrere cæteris minoris notæ.

40 OPPONVNT I. Sententia noſtra non concludit, quod aſſumit probandum. Tendit enim ad probandum, ſolum Verbum eſſe genitum & Filium, quoniam præ Spiritu ſancto accipit vi proceſsionis ſimilitudinem in natura, ſeu eſſe imaginem naturalem, quatenus oritur per intellectum, de cuius ratione eſt aſsimilare, & quidem in natura ſubſtantiali, ſi ſit intellectus perfectiſsimus, qualis eſt diuinus. Hoc autem nec probatur à nobis, nec probari poteſt: quoniam intellectus ex ſua ratione formali ſolùm habet aſsimilare intelligibiliter, non naturaliter: atque adeò licèt ſit perfectiſsimus & infinitus intra ſuam rationem formalem, ſolùm debet habere vim aſsimilandi intelligibiliter infinitè, non autem naturaliter, prout exigitur ad propriam & naturalem generationem. Nec ſufficit quòd intellectus ipſe in Deo ſit ſubſtantia, tum in ſeipſo, tum ex capite eſſentiæ diuinæ concurrentis ad ipſum fœcundandum, tum ex capite intellectionis, tum denique ex identitate reali cum ijs omnibus. Quòd enim ea omnia habeant rationem ſubſtantiæ in Deo, ſolùm competit ijs identicè, vt aiunt; non autem ex propria linea, & in ſenſu formali, iuxta quem intellectus ſolùm parit ſimilitudinem intelligibilem, eamque intelligibiliter infinitam, ſi ſit intellectus infinitus, qualis eſt diuinus. Nunquam ergo Verbum diuinum habet vi proceſsionis per intellectum, vt ſit ſimile ſubſtantialiter ſuo principio in natura, ſeu imago naturalis illius, prout exigitur ad veram & propriam generationem.

41 VRGETVR I. Conſideratio eadem ab Amico diſput. 18. ſect. 7. à num. 114. Verbum diuinum non minùs procedit vt Verbum perſonarum & poſsibilium, quàm diuinæ eſſentiæ: cùm æquè præcedat vt perfectiſſima notitia eorum omnium. Atqui reſpectu perſonarum & poſsibilium non importat, niſi intelligibilem ſimilitudinem. Non enim procedit ſimile in eſſendo paternitati, aut ſpirationi paſsiuæ, vel creaturis (alioqui Verbum in re eſſet Pater, & Spiritus ſanctus, & creatura poſsibilis) ſed ſolùm intelligibiliter, ſiue in repræſentando, veluti notitia omnium, quæ ſunt in mente paterna. Ergo nec Verbum vi proceſsionis per intellectum oritur vt Verbum ſimile in eſſendo, ſiue in natura, ſed ſolùm in repræſentando, & intelligibiliter.

42 VRGETVR II. Verbum, prout contractum ad talem differentiam Verbi diuini, ſeu producti per intellectionē ſummè perfectam, eam ſolùm ſimilitudinem per ſe exprimit, quæ per ſe confert ad perfectiſsimā notitiam talis obiecti. Hæc autem eſt ſola ſimilitudo intelligibilis infinita & proportionata obiecto infinitè intelligibili. Sufficit enim ad exprimendum comprehenſivè totum id obiectum, quantum & quale exiſtit in memoria fœcunda Patris. Ergo Verbum, prout contractum ad talem differentiam Verbi diuini, ſeu producti per intellectionem ſummè perfectam, ſolùm exprimit per ſe ſimilitudinem intelligibilem infinitam ad obiectum infinitum. Non ergo ex vi proceſsionis per intellectum infinitum includit per ſe ſimilitudinem naturalem, prout ad veram, & propriam generationem exigitur.

43 FATEOR Argumenti difficultatem, nec miror plures è Recentioribus ea deteritos hanc ſententiam deſeruiſſe. Verùm cùm metuentes hanc Charybdim, in Scyllam multiplicem declinaverint; præſtaret ſanè ingenij vires exeruiſſe in ſolvendo eo nodo, ad tuendam ſententiā Sanctorum Auguſtini, Anſelmi, & Thomæ, quàm ad alias æquè aut magis difficiles divertiſſe. RESPONDEO itaque cohærenter ad dicta ſectione præcedenti, præſertim num. 31. & ſeqq. intellectum ex ſua ratione formali abſtracta à creato & increato, ſolùm exigere poſitivè vim aſsimilandi intelligibiliter iuxta totam capacitatem ſuam; & negativè, ſeu permiſsivè ſe habere ad aſsimilandum naturaliter: contractum verò ad intellectum ſummè perfectum & infinitum habere ex ſua ratione formali & differentia aſsimilare terminum in ipſa natura intelligente. Quòd enim intellectus aſsimilet ſolùm intelligibiliter terminum principio intelligenti, ſeu obiecto, ſolùm habet ex imperfectione propria intellectus creati, prout eſt accidens, & agens media operatione diſtincta, qua proinde ſolùm poteſt parere verbum accidentarium, & intelligibiliter ſimile naturæ intelligēti. Intellectus autē divinus eſt ſummè atque infinitè perfectus in virtute aſsimilandi: atque adeò aſsimilat terminū perfectiſsimè principio intelligenti. Cumque hoc ex ſua formali ratione ſit

ſubſtantia intellectualis; conſequens eſt, vt terminus diuina intellectione productus, ex vi proceſsionis ſuæ non ſolùm oriatur vt Deus intelligibiliter, verùm etiam naturaliter. Debet enim oriri ſub ea ſimilitudine, quæ ſit adæquata principio intelligenti. Cumque principium intelligens, quatenus tale, non ſolùm cõſtet forma intelligibili fœcundante intellectum, ſed etiam forma intellectuali naturali, oportet vt Verbum, veluti terminus principio adæquatus, ex vi ſuæ proceſsionis exprimat rationem ſubſtantiæ intellectualis, non ſolùm intelligibiliter, ſed etiam naturaliter.

44 DICES: Etiam ad intellectionem, quâ Angelus cognoſcit perfectè & comprehenſivè ſeipſum, concurrit ex parte principij per ſe ſubſtantia intellectualis, tam in eſſe intelligibili, quàm naturali. Nimirum, eſſentia ipſa Angeli gerit munus ſpeciei impreſſæ, vt cognoſcat ſeipſum. Et tamen intellectio ipſa, ſeu verbum mentis angelicæ non exprimit Angelum ipſum in eſſe naturali, ſed intelligibili ſolùm. Ergo licèt ad intellectionem, quâ Deus Pater cognoſcit perfectè & comprehenſivè ſeipſum, concurrat per ſe ex parte principij ſubſtantia intellectualis divina, tam in eſſe intelligibili, quàm naturali, non propterea intellectio ipſa, ſeu Verbum diuinæ mentis habet exprimere Deum in eſſe naturali, ſed intelligibili tantùm. Et certè verbum mentis Angeli comprehendentis ſeipſum, non minùs adæquatum eſt ipſi Angelo, quam Verbum mentis diuinæ ſit adæquatum Deo Patri comprehendenti ſeipſum. Quemadmodum ergo verbum mentis angelicæ, quatenus procedens per illam, adæquatur ipſi ſolùm intelligibiliter, non verò naturaliter: ita & Verbum diuinæ mentis, quatenus per ipſam procedens, ſolùm ei adæquatur intelligibiliter, non verò naturaliter.

45 RESP. Intellectionem, qua Angelus comprehendit ſeipſum, adæquari quidem ipſi intelligibiliter ſolùm, quoniam ſecundùm entitatem naturalem eſt accidens, & procedit ab intellectu pariter accidentali quoad entitatem: Idemque eſt de verbo angelicæ mentis, ſiue diſtinguatur reipſa ab intellectione, ſiue non. Cæterum intellectio propagatiua quâ Deus Pater comprehendit ſeipſum, non ſolùm adæquatur ipſi intelligibiliter, ſed etiam naturaliter. Eſt enim actus purus & infinitus in linea intellectionis: atque adeò ex ſua propria ratione exigit realem naturalemque identitatem cum ſubſtantia intelligente, & cum obiecto intellecto: & per conſequens exprimit Verbum habens rationem ſubſtantiæ intelligentis, non ſolùm intelligibiliter, ſed etiam naturaliter.

46 NEQVE Obſtat quod num. 40. circa finem obijciebatur, rationem ſubſtantiæ ſolùm identicè ſiue de materiali conuenire intellectioni paternæ; ac proinde illam ex ſua ratione formali non habere vt exprimat ſimilitudinem naturalem in ſubſtantia, ſed intelligibilem tantùm. Reſpondemus enim, quamvis intellectio diuina non exprimat rationem ſubſtantiæ, exprimere tamen exigentiam identitatis realis cum ſubſtantia intelligente, & cum intellectu, & obiecto primario: quoniam intra propriam lineam intellectionis ſummæ & infinitæ exprimit rationem actus puri, proindeque exigentiam identitatis phyſicæ & realis cum intellectu, & ſubſtantia intelligente, & obiecto intellecto. Ergo etiam intra propriam lineam intellectionis ſummæ exigit omnino exprimere Verbum conſubſtantiale ſuo principio, non ſolùm in eſſe intelligibili ſed etiam naturali. Quæ ferè eſt conſideratio Anſelmi ſupra varijs locis, præſertim cap. 32. 33. 37. 38. 45. & 48. in quibus probat, verbum diuinum ex vi natiuitatis ſuæ, ſiue proceſsionis per intellectum ſummè perfectum Patris, debere exiſtere coæternum ipſi & conſubſtantiale. Quæ certè collectio non eſſet legitima, ſi intellectio paterna intra ſuam rationem formalem, qua exprimit actum purum intelligendi, ſolùm haberet exprimere ſimilitudinem obiecti infinitam in eſſe intelligibili, & non etiam in eſſe ſubſtantiali & naturali.

47 AD I. Inſtantiam ex num. 41. dico, Verbum diuinum non eſſe aut dici Verbum eorum omnium. Nam licèt exprimat repræſentetque creaturas poſsibiles, non ideò eſt Verbum earumdem creaturarum: vt Anſelmus docuit ſuprà cap. 31 & nos cum ipſo Diſput. LXII. ſect. 2 per totam. quoniam omne verbum, omnis ſimilitudo, ſiue imago propriè dicta, procedit, ſeu habet eſſe ab eo, cuius verbum, ſeu imago eſt. Cumque Verbum diuinum non habeat eſſe, ſeu non procedat vllo modo à creaturis poſsibilibus, conſequens eſt vt illarum non ſit propriè Verbum, nec imago. Indidem verò colligitur, nec Verbum diuinum eſſe Verbum, aut ſui ipſius, aut Spiritus ſancti, ſed ſolius Patris: quia nec procedit à ſeipſo, nec à Spiritu ſancto, ſed à ſolo Patre. Quod luculenter docet idem Anſelmus infrà cap. 63. aliàs 61. dicens: *Nullatenus ipſum Verbum videtur poſſe dici Verbum omnium trium, ſed tantùm vnius eorum. Conſtat enim, ipſum eſſe imaginem, & Filium eius, cuius eſt Verbum: & patet, quia nec imago, nec Filius ſuimet, aut à ſe procedentis Spiritus, congruè dici poteſt.* Iam quod additur de paternitate, æqualiter ferè ſolvitur, nam paternitas non eſt ratio agendi,

di, ſeu producendi Verbum, ſed conditio neceſſaria princ pij productivi. Verbum autem vi proceſsionis ſuæ ſolùm debet oriri ſimile principio productivo ſecundùm rationem formalem agendi, quæ eſt natura divina; non autem ſecundùm conditionem requiſitam ad agendum. Vnde nec in creatis filius debet evadere ſimilis patri ſuo quoad paternitatem, ſed quoad naturam. Itaque de primo ad vltimum, Verbum divinum vi proceſsionis per intellectum debet evadere perfectè ſimile Patri, non ſolùm intelligibiliter, ſed etiam naturaliter, quoad totam formalem rationem agendi, ſive generandi, quæ eſt natura intelligens; quoad conditionem verò exactam ad generandum, quæ eſt paternitas, ſolùm debet oriri ſimile intelligibiliter, quatenus illam exprimit & repræſentat, quemadmodum & ſpirationem paſſivam, & creaturas poſsibiles cum omnipotentia connexas.

48 AD II. Inſtantiam nego minorem. Perfectiſsima enim notitia, quam importat Verbum divinum, non ſolùm debet exprimere obiectum infinitum in eſſe intelligibili, verùm etiam principium intelligens ſecundùm ſuum eſſe naturale. Oritur enim per intellectionem habentem intra ſuam lineam vt ſit actus purus & infinitus; atque adeò exigentem realem identitatem cum intellectu & ſubſtantia intelligente, & termino producto, quoad rationem formalem terminandi, quæ eſt ſubſtantia intellectualis divina. Cumque eadem intellectio ex propria & peculiari ratione habeat vim aſsimilandi infinitè, debet etiam ex proprio conceptu aſsimilare terminum ſuo principio, non ſolùm intelligibiliter infinitè, ſed etiam naturaliter. In quo planè differt ab intellectione creata, etiam comprehenſiva ſui principij, qualis exiſtit in Angelo ſeipſum cognoſcente: quæ, cùm accidentaria ſit, & ab intellectu in entitate accidentali procedens, ſolùm habet vim exprimendi ſimilitudinem intelligibilem & accidentariam ſui principij. Quod diſcrimen ſatis luculenter indicavit S. Cyrillus Hieroſolymitan. Catechеſi 11. dicens: ἐγέννησεν ὁ πατὴρ τὸν λόγον, οὐχ' ὡς ἐν ἀνθρώποις γεννᾷ νοῦς λόγον, &c. *Genuit Pater Verbum: non vt in hominibus mens verbum generat. Etenim mens in nobis ſubſiſtens eſt* (fortaſſe νοῦν, id eſt, mentem, pro ψυχὴν, id eſt, animo, vſurpat) *verbum autem loquendo prolatum, & in aera diffuſum perit. Nos autem nouimus Chriſtum genitum Verbum, non prolatum, SED VERBVM SVBSISTENS: NON LABRIS PROLATVM, SED EX PATRE AB ÆTERNO, ET INEFFABILITER, ATQVE IN PROPRIA HYPOSTASI SVBSITENS.* Itaque Verbum divinum vi ſuæ proceſsionis in infinitum ſupereminet verbo noſtro. Hoc enim prolativum eſt, quod citò tranſit, ac deſinit eſſe, ſive interiùs animo, ſive exteriùs lingua proferatur: vtpotè quod ſolùm accidentalem ſimilitudinem rei intellectæ exprimit. Verbum autem divinum vi proceſsionis ſuæ oritur conſubſtantiale principio intelligenti, & ſubſiſtens in propria hypoſtaſi: quoniam intellectio, per quam procedit, ſicuti ex propia ratione habet vim infinitam aſsimilandi intelligibiliter, ita & ſubſtantialiter, cùm ſit intellectio intra ſuam lineam aſsimilativam exprimens rationem actus puri, ac proinde exigentiam identitatis phyſicæ cum ſubſtantia principij intelligentis, & termini per ipſam producti.

49 DICES. Etiam amor divinus habet intra ſuam rationem formalem vt ſit actus purus & infinitus, atque adeò exigens phyſicã & realem identitatem cum ſubſtantia volente. Aliunde ex ſua ratione formali amor habet vnire amantem cum obiecto amato: ac proinde amor infinitus, quo ſe diligunt Pater & Filius, habet infinitè vnire vtrumque cum obiecto amato. Et tamen hinc non licet colligere, Spiritum ſanctum vi amoris, quo procedit, atque ex propria ratione ipſius infiniti amoris, accipere pluſquam infinitam vnionem affectivam, quam per ſe ſpectat voluntas. Ergo ex eo quòd intellectio divina intra ſuam rationem formalem habeat vt ſit actus purus exigens phyſicam identitatem cum ſubſtantia intelligente, & præterea aſsimilans terminum obiecto, aut principio intelligenti, non licebit colligere, Verbum vi intellectionis, qua procedit, atque ex propria ratione ipſius infinitæ intellectionis, accipere plulquam infinitam ſimilitudinem intelligibilem, quam per ſe ſpectat intellectus.

50 CONFIRMATVR Impugnatio eadem. Sicut vnio aut vnitas in eſſe affectivo diſtinguitur penes rationem formalem ab vnione aut vnitate in eſſe naturali: ita etiam ſimilitudo in eſſe intelligibili penes rationem formalem differt à ſimilitudine in eſſe naturali. At quia voluntas ex ſe ſolùm ſpectat vnionem aut vnitatem in eſſe affectivo, voluntas divina, quamvis ſummè perfecta, nequit intra propriam rationem voluntatis parere aut præſtare vnionem aut vnitatem eſſe naturali, ſed in affectivo tantùm; ideoque Spiritus ſanctus vi proceſsionis per voluntatem non accipit vnitatem in natura divina, ſed ſolùm comitanter aut identicè, iuxta noſtram ſententiam. Ergo pariter, quia intellectus ex ſe ſolùm ſpectat ſimilitudinem intelligibilem, intellectus divinus, quamvis ſummè perfectus,

nequit intra propriam rationem ſuam præſtare ſimilitudinem ineſſe naturali, ſed ſolùm ineſſe intelligibili: ac per conſequens Verbum vi proceſſionis per intellectum non accipit ſimilitudinem in natura divina, niſi comitanter, aut identicè, quemadmodum Spiritus ſanctus vi proceſſionis per voluntatem. Quare demum nulla apparet ex eo capite ratio diſcriminis, cur potiùs Verbum, quàm Spiritus ſanctus, habeat eſſe per generationem.

51 HÆC Obiectio attingit ſummum difficultatis apicem. Adhuc tamen poteſt probabiliter ſolvi. AD I. conceſſo antecedente quoad omnia, quæ in eo aſſumuntur, negatur conſequentia, ob rationem diſcriminis inter intellectum & voluntatem divinam. Intellectus enim divinus ex ſua ratione formali & perfectione differentiali habet primò ac per ſe communicare ſimilitudinem infinitam, non ſolùm intelligibilem, ſed etiam naturalem, ſive in eadem natura: ex conceptu autem communi intellectus abſtrahentis à creato & increato habet communicare ſimilitudinem intelligibilem. Cùm enim aliqua debeat eſſe in Deo potentia ex ſua ratione propria & formali tendens ad communicandam ſimilitudinem infinitam intelligibilem ac naturalem, & hæc non ſit alia, nec cogitari poſſit, quàm intellectus divinus ex ſe & infinitè aſſimilativus; conſequens eſt, vt ad illum ſecundùm differentiam intraneam ſpectet communicatio infinita ſimilitudinis, non modò intelligibilis, ſed etiam naturalis. At verò voluntas ex conceptu communi voluntatis ſolùm habet vnire affectivè amantem cum amato; & ex conceptu voluntatis infinitæ erga obiectum infinitum vnire etiam affectivè vtrumque in gradu infinito: non autem vnire naturaliter, ſive ſecundùm eandem naturam. Hoc patet in ipſo amore mutuo Patris & Dei per quem Spiritus ſanctus procedit. Non enim habet vnire Patrem & Filium ſecundùm eandem naturam, cùm ſupponat identitatem & vnitatem naturæ in vtroque pro aliquo priori rationis; ſed ſolùm inclinare infinitè vnumquemque eorum erga alterum, quæ inclinatio ſive impulſus eſt terminus productus per eundem amorem. E contrà verò intellectio, ſeu dictio paterna, non ſupponit pro aliquo priori rationis vnitatem aliquam naturæ in Patre & Filio, ſed potiùs tendit ad producendum Filium, & communicandam ipſi naturam, quæ pro priori originis ſupponitur exiſtens in ſolo Patre. Eſt igitur idonea ratio ne amor Patris & Filij intra formalem rationem amoris infiniti habeat vim vniendi in eadem natura, quamvis intellectio paterna intra lineam formalem intellectionis infinitæ habeat vim producendi & aſſimilandi in eadem numero natura.

52 AD II. Inſtantiam patet ex eadem doctrina. Conceſſa enim maiori propoſitione, neganda eſt minor, intellecta de ratione adæquata, vti videtur accipi in obiectione. Ratio enim adæquata cur voluntas infinita nequeat parere aut præſtare vnionem vel vnitatem in eadem natura, ex ſua ratione formali, non eſt ſolùm quòd ex ſe dumtaxat ſpectet vnionem affectivam, eamque infinitam vbi amor eſt infinitus: ſed præterea, quòd idem amor infinitus & mutuus Patris ac Filij, ſupponat pro aliquo priori vnitatem amborum in natura: ac proinde non tendat ad præſtandam vel patiendam illam, ſed ſolùm ad patiendum infinitam inclinationem & impulſum amborum: qui, cùm ſit intra Deum, vbi quidquid exiſtit, eſt Deus, & natura divina per eſſentiam, eſt reipſa & identicè ſimilis in natura ambobus; non tamen ex vi ſuæ proceſſionis per voluntatem infinitam. Cæterum intellectio paterna, cùm non ſupponat ſimilitudinem naturæ in Patre & Filio, ſed potiùs antecedat pro aliquo priori originis vel rationis; poteſt ex ſua formali ratione tendere ad producendum terminum in ſimilitudinem naturæ.

53 INSTABIS. Quamvis amor mutuus Patris & Filij præ intellectione ſeu dictione paterna ſupponat pro aliquo priori vnitatem naturæ in vtroque, non tamen ſupponit vnitatem naturæ in Spiritu ſancto, ſed potiùs illam antecedit prioritate originis. Ergo poteſt ex ſua ratione formali tendere ad producendum Spiritum ſanctum in vnitate naturæ: ſicuti quia intellectio paterna non ſupponit, ſed potiùs antecedit ſimilitudinem naturæ in Patre & Filio, poteſt ex ſua ratione formali tendere ad producendum Filium in ſimilitudinem naturæ. Idque præterea ſuadetur ratione: quoniam aliqua debet eſſe in Patre & Filio potentia per ſe & ex propria ratione inſtituta ad communicandam Spiritui ſancto vnitatem in natura & ſubſtantia cum ambobus ijs. Non enim Spiritus ſanctus eſt vnus in natura & conſubſtantialis ambobus identicè ſolùm, ſed per ſe & in ſenſu formali: vtpotè vtrique æqualis, & æqualiter Deus. At eiuſmodi potentia non eſt alia, quàm voluntas divina. Ergo hæc intra ſuam lineam & rationem formalem tendit ad producendum Spiritum ſanctum in vnitate naturæ. Perinde autem omnino eſt producere in vnitate, & in ſimilitudinem naturæ, ad veram rationem generationis. Ergo de primo ad vltimum ex capite à nobis indicato nullum eſt diſcrimen inter Verbum & Spiritum ſanctum quoad veram rationem generationis.

54 VIDES Obiectionem difficillimam, quam diſſimulare nolui, ſed ingenuè proponere, vt alij doctiores videant quomodo illa

illa ſolvenda ſit. Mihi certè alia via melior non occurrit, quàm ſi dicatur, iuxta ea quæ præmiſimus num. 37. proceſsionem activam Spiritus ſancti poſſe conſiderari, vel quatenus divina eſt quaſi generatim, vel quatenus eſt per voluntatem infinitam & perfectiſsimam intra ſuam lineam. Priori ſenſu tendit ad producendam perſonam in vnitate naturæ: prout videtur manifeſtè probari in ipſa obiectione. Poſteriori ſenſu ſolùm tendit ad producendum impulſum infinitum, ſive vnionem infinitam, aut vinculum ſummi amoris inter Patrem & Filium, vt Patres loquuntur: quoniam cùm voluntas ex ſua ratione formali, etiam infinita, non ſit prima potentia naturæ intellectualis, ſed ſecunda; non tendit directè & per ſe ad communicandam eandem naturam, vel ad producendum terminum in vnitate aut ſimilitudine naturæ; ſed id præſtitum ſupponit per aliquam priorem potentiam, quæ eſt mens, ſive intellectus. Hic enim, cùm ex propria ratione aſsimilativus ſit, & intra lineam formalem intellectus divini aſsimilativus infinitè, veluti prima potentia divinæ naturæ; conſequens eſt, vt per ſe tendat ad producendum terminum in ſimilitudinem naturæ. Præterea. Minùs diſtat ſimilitudo in eſſe intelligibili à ſimilitudine in eſſe naturali, quàm vnio affectiva: cùm illæ duæ priores præ hac in ratione ſimilitudinis conveniant. Quare ſi cuiquam potentiæ ſpirituali concedenda eſt vis aſsimilandi in eſſe naturali; potior apparet ratio, vt concedatur intellectui divino, quàm voluntati, cuius analogatum minùs principale nullatenus eſt aſsimilativum. Neque obſtat quòd Spiritus ſanctus ſit Deus & natura ſubſtantiali divina conſtans in ſenſu formali. Hoc enim integrè perſiſtit, quamvis non accipiat naturam ex vi peculiaris proceſsionis per ſe terminatæ in ſimilitudinem naturæ communicandam. Sic certè homo per creationem productus, eſt in ſenſu formali homo, non minùs quàm homo genitus. Er tamen non propterea ille accipit naturam vi productionis per ſe ſpectantis ſimilitudinem naturæ ad principium creans. Hoc enim proprium eſt hominis geniti relatè ad ſuum genitorem. Hac igitur ratione, quantum tenuitas noſtra de myſterio adeò ſublimi ſentire & loqui poteſt, explanamus cur ſolum Verbum vi proceſsionis ſuæ oriatur ſimile in natura, ac proinde genitum, veluti propria & naturalis imago Patris. Nec alio modo videtur commodiùs exponi poſſe diſcrimen vtriuſque proceſsionis ſupra ſect. 1. & 2. traditum ex Auguſtino & Anſelmo, cuius verba in hoc ipſo capite identidem ſcribo, quia maximè opportuna: *Sicut Verbum, mox vt conſideratur, ſe prolem eius, à quo eſt, evidentiſsimè probat, promptam præferendo Patris imaginem: ſic Amor* (id eſt, Spiritus Sanctus) *apertè ſe prolem negat; quia non à Patre & Filio procedere intelligitur, non ſtatim tam perſpicuam exhibet ſe contemplanti eius, ex quo eſt, ſimilitudinem.*

55 VBI Obiter obſervatum volo, ex mente Anſelmi, idem eſſe quòd Verbum vi proceſsionis ſuæ oriatur vt imago, ac vt ſimile in natura: vt patet ex teſtimonio nunc allegato, in quo contraponit Verbum Spiritui ſancto, quod illud ſe prolem ſive Filium, evidentiſsimè probet, quoniã vi originis ſuæ promptam præferet imaginem eius, à quo exiſtit: ſecus verò Spiritus ſanctus, quia *non à Patre & Filio procedere intelligitur*, id eſt, vi proceſsionis ſuæ in ſenſu formali, *non ſtatim tam perſpicuam exhibet ſe contemplanti eius, ex quo eſt, ſimilitudinem.* Vnde colligitur, iuxta modum dicendi hucuſque explanatum ad mentem S. Doctoris non eſſe duas ſententias, nec duas rationes diſcriminis in doctrina tradita; alteram petitam ex ratione imaginis, propria Verbi; alteram ex eo quòd ſolùm Verbum vi proceſsionis oriatur in ſimilitudinem naturæ. Quippe, quidquid ſit de modo, quo Vazquez, & quidam alij, vnum ab altero diſtinguunt, & exponunt rationem imaginis; iuxta ſententiam S. Anſelmi, & explanationem noſtram, vtrumque in idem recidit: atque ipſiſsimum eſt quòd Verbum præ Spiritu ſancto ex vi proceſsionis ſuæ peculiaris per intellectum oriatur in ſimilitudinem naturæ, & quòd vi eiuſdem proceſsionis promptam præferat Patris imaginem. Quippe imago naturalis tria importat indiviſim: primò originem ab eo cuius eſt imago: ſecundò ſimilitudinem in natura ſpecifica: tertiò non qualemcumque ſimilitudinem, ſed ex vi proceſsionis peculiaris, qua oritur ab eo cuius imago eſt. Quamvis verò Spiritui ſancto conveniant duo priora ex his, non tamen tertium eorum: ideoque ratio imaginis non convenit ipſi, ſed ſoli Filio: vt ſuprà Diſput. LXX. latè docuimus, & recolere exinde oportet ad plenam huius ſententiæ explanationem.

(?)

(?)

SE-

SECTIO SEXTA.

Aliud argumentum difficile, & ferè prætermiſſum ab Auctoribus, vrgetur multipliciter contra noſtram ſententiam, & enodatur.

56 OPPONVNT II. Adverſarij Spiritus ſanctus non minùs, quàm Verbum, vi proceſsionis ſuæ oritur vt perſona ſubſiſtens in eadem natura divina. Ergo non minùs, quàm Verbum, vi proceſsionis ſuæ oritur vt imago, ſive in ſimilitudinem naturæ. Conſequentia patet: quoniam perſona, vt perſona, exprimit naturam intellectualem; & perſona procedens vt ſubſiſtens in natura divina, exprimit ſimilitudinem in illa ad principium, à quo procedit. Antecedens verò ſuadetur quadrupliciter. *Primò*: Quia Spiritus ſanctus verè & formaliter eſt perſona ſubſiſtens in natura divina: vt fide ſanctum eſt, & latè traditum ſuprà Diſp. LVII. contra hæreticos Pneumatomachos. Aliunde etiam certum eſt ex dictis Diſput. LXXXIV. Spiritum ſanctum non eſſe Autotheon, id eſt, Deum à ſeipſo, ſed Deum procedentem à Deo Patre & Filio: ac proinde habentem, quidquid habet, & eſt, vi proceſsionis ab vtroque. Cùm ergo verè ſit perſona ſubſiſtens in divina natura, verè etiam ex vi proceſsionis habet ſubſiſtere in natura divina. *Secundò*. Actiones ſunt ſuppoſitorum, ſive ſubſiſtentium, non ſolùm activè, ſed etiam paſsivè, vt communiter docent Philoſophi ac Theologi: ac proinde actio, per quam producitur Spiritus ſanctus, debet directè & per ſe terminari ad ipſum, quatenus perſonam ſubſiſtentem in natura divina. *Tertiò*: quoniam proceſsiones divinarum perſonarum ſunt vnivocæ, non æquivocæ: atque adeò ambæ debent per ſe terminari ad perſonas, quatenus ſubſiſtentes in eadē natura. *Quartò* ab abſurdo. Si enim Spiritus ſanctus vi proceſsionis ſuæ non oriretur vt perſona ſubſiſtens, ſed ſolùm vt impulſus infinitus; non eſſet æquè perfectus vi proceſsionis, ac Verbum. Hoc enim vi proceſsionis accipit naturam divinam, quæ certè maiorem exprimit perfectionem, quàm impulſus infinitus. Immò cùm hic debeat eſſe relativus, vtpotè verè productus, & proprius per identitatem ſolius Spiritus ſancti, nullam exprimit perfectionem peculiarem ac propriā, iuxta doctrinam generatim traditā ſuprà Diſp. LXXIV. de relationibus divinis, quæ nullam peculiarem perfectionem exprimunt. Cùm ergo abſurdum dictu ſit, Spiritum ſanctum vi proceſsionis ſuæ non oriri æquè perfectum, ac Verbum, & multò magis, quòd vi proceſsionis ſuæ nullam exprimat perfectionem; debemus fateri, ex vi illius oriri vt ſubſiſtentem in natura divina. Hoc autem ſtatuto, corruit diſcrimen vtriuſque proceſsionis, hactenus explanatum.

57 RESP. Iuxta dicta num. 37. concedendo antecedens de proceſsione Spiritus ſancti prout divina eſt generatim, ſive intra Deum, vbi quidquid exiſtit, eſt Deus, & natura ipſa Dei; negando autem de proceſsione Spiritus ſancti, quatenus eſt per voluntatem, etiam infinitam in ſua peculiari linea. Quippe ſub hac conſideratione per ſe in quarto modo ſolùm habet producere infinitum impulſum, vt ſatis in ſuperioribus explanatum fuit. Veniamus iam ad probationes antecedentis eiuſdem, quatenus diſtinctioni traditæ obſiſtere poſſunt. AD I. Spiritus ſanctus non eſt Autotheos, ſed *Deus de Deo*, vt ſæpe loquitur de illo Anſelmus in libro de Proceſsione contra Græcos. Et quidem quòd Deus ſit, ſive ſubſiſtens in natura diuina, habet vi proceſsionis, quatenus diuina eſt, ſiue intra Deum exiſtens: non autem quatenus eſt per voluntatem in propria linea, etiam infinitam. AD II. Cùm dicitur, actiones terminari ad ſuppoſitum, intelligi debet de actionibus, quæ ſpectant naturam, vt terminū formalem. Non enim terminantur ad naturam in abſtracto, ſed in ſingulari, ſive in ſuppoſito. Porrò licèt proceſsio Spiritus ſancti, prout divina eſt, hoc modo terminetur ad Spiritum ſanctum, vt perſonam ſubſiſtentem; non tamen quatenus eſt proceſsio per voluntatem. Sic enim non ſpectat naturam, vt terminum formalem, ac conſequens nec ſuppoſitum, quatenus conſtans eâdem natura; ſed dumtaxat impulſum infinitum amoris inter Patrem & Filium. AD III. Proceſsiones divinæ ſunt quidem vnivocæ, quatenus divinæ: quia terminantur ad duo ſuppoſita producenda in eâdem natura: cōſideratæ autem ſub proprijs rationibus formalibus, non exprimunt quòd vnivocæ ſint, ſed potiùs quoddammodo diverſæ. Quod ipſi Adverſarij, & nominatim Maſtrius, ita arguens, fateri debent: cùm altera ex ijs habeat rationem formalem generationis; altera non habeat, ſed proceſsionis. Sic certè ſi ab eodem homine duo alij procederent, alter vitaliter & per naturalem generationem; alter non vitaliter, ſed inſtrumentaliter & modo inanimo; proceſsio amborum non eſſet vnivoca, ſed omnino diverſa, quamvis vterque vi proceſsionis ſuæ eandem in ſpecie naturam humanam acciperet. AD IV. Nego ſequelam. Imprimis enim ſiloquamur de proceſsione Spiritus ſancti, quatenus divina eſt, ille procedit vt ſubſiſtens in natura divina, ac proinde æquè perfectus ac Verbum. Si autem ſermo ſit de illo, quatenus ſpeciatim procedit per voluntatem, tanquam

im-

impulſus infinitus, ſummùm ſequitur quòd penes conceptum explicitum, & ſolius conſiderationis noſtræ, non intelligatur primò ac per ſe accipere tantam perfectionem, quantam intelligitur accipere Verbum vi peculiaris proceſsionis per intellectum; quamvis aliunde & in re æqualem, immò eandem cum ipſo perfectionem habeat. Hoc autem nihil abſurdi præſefert: immo & extorqueri debet ab Adverſarijs, qualitercumque fateantur Spiritum ſanctum procedere per voluntatem, & Verbum per intellectum. Cùm enim quidam aſſerant intellectum ex ſua ratione formali antecellere volũtati, quidam è contrà, vt latè vidimus in Opere de Virtutibus & Vitijs Diſp. 3. quæſt. 10. neceſſum eſt, vt proceſsio per intellectum exprimat intra ſuam lineam maiorem aut minorem perfectionem, quàm proceſsio per voluntatem. Videant ergo Adverſarij quid in ea parte eligant, & dicant nobis, quænam ex duabus perſonis procedentibus intra Deum exprimat maiorem perfectionem ex vi ſuæ peculiatis proceſſionis: & quam ipſi ſolutionem præſtiterint, à nobis recipiant. Certè trita apud Theologos doctrina eſt, quædam ex prædicatis divinis penes ſuam rationem formalem eſſe præſtantiora alijs: vt naturam intellectu, hunc voluntate, &c. Quid ergo abſurdi eſt ſi dicatur, Spiritum S. prout terminat directè proceſsionem, non exprimere æqualem perfectionem, ac Verbum; dum in re fatemur, vtrumque eſſe æquè perfectum, vtrumque, æquè Deum, alterum alteri prorſus æqualem?

58 DICES: Semel ſtatuto, proceſsionem, quatenus divinam, terminari ad ſubſiſtens in natura divina, idem fateri debemus de proceſsione peculiari Spiritus ſancti per voluntatem. Ergo Spiritus ſanctus vi peculiaris proceſsionis per voluntatem, oritur vt ſubſiſtens in natura divina. Probatur aſſumptio multipliciter. *Primò*: Quia quod eſt de ratione formali generis, clauditur in conceptu formali ſpeciei: qualiter ſenſibile, quod eſt de ratione formali animalis, includitur in formali cõceptu hominis. Atqui ratio proceſsionis divinæ eſt quaſi genus relatè ad peculiares proceſſiones per intellectum & voluntatem, veluti ad proprias ſpecies. Ergo ſi de conceptu formali proceſsionis, quatenus divinæ, eſt terminari ad ſubſiſtens in natura divina; idem erit dicendum de proceſsione peculiari Spiritus ſancti per voluntatem. *Secundò*. Ratio proceſsionis diuinæ, vt diuinæ, non exprimens peculiarem differentiam per intellectum, aut voluntatem, eſt veluti vaga, aut generica, quæ non terminatur ad certam perſonam diuinam, ſed vagam & abſtrahentem à Verbo & Spiritu ſancto. Ergo vi proceſsionis diuinæ, vt diuinæ, non exprimentis differentiam peculiarem per intellectũ, aut voluntatem, nulla perſona diuina in ſingulari producitur, ac proinde nec perſona Spiritus ſancti vt ſubſiſtens in natura diuina. Cùm ergo aliunde fateamur in aliquo vero ſenſu. Spiritum ſanctum vi proceſsionis oriri vt perſonam ſubſiſtentem; id debet intelligi vi proceſsionis ſuæ, quatenus per voluntatem eſt. Sic enim optimè intelligitur quòd procedat veluti perſona peculiaris, & diſtincta à perſona Verbi. *Tertiò*. Proceſsio diuina ſub nulla conſideratione eſt immediatè à natura diuina: vt vidimus ſuprà Diſput. LXXXVIII. contra Durandum. Ergo ſub omni conſideratione eſt immediatè ab intellectu & voluntate. Si igitur quatenus diuina eſt producit per ſe directè perſonam ſubſiſtentem in natura diuina; id ipſum habere debet quatenus proceſsio per voluntatem eſt.

59 RESP. Diuinitatem, ſeu prædicatum diuinum, poſſe bifariam conſiderari: primò communiter & per modum tranſcendentis omnem rationem formalem in Deo exiſtentem, ſecundò ſpeciatim intra peculiarem lineam. Porrò prædicata communia aut tranſcendentia. licèt implicentur ſeu contineantur in conceptu implicito inferiorum, ſive peculiarium, non tamen in explicito, ſiue, quod perinde eſt, in ſenſu formali. Idque præſertim verum eſt iuxta ſententiam ſtatutam Tomo I. Diſp. XXVI. in qua fusè docuimus, tam attributa & relationes diuinas contineri in conceptu implicito & eſſentiali naturæ Dei, quàm naturam ipſam in attributis & relationibus. Vnde & conſequenter Diſp. XXX. ſect. 4. & ſeqq. fusè probavimus, nullum eſſe locum præciſioni obiectiuæ inter prædicata diuina identificata ſecundùm rem, ſed ſolùm abſtractioni formali, iuxta quã vnum prædicatum diuinum, ſiue abſolutum, ſiue relativum, non eſt de conceptu alterius, quãvis implicitè, aut per tranſcendentiam illud includat. Exinde verò ad obiectionem negatur antecedens: quia dum dicimus proceſsionem, quatenus diuinam, habere vt producat perſonã ſubſiſtentem in natura Dei, loquimur de illa ſecundùm conceptum communem aut tranſcendentem diuinum, ſub quo exigit, nihil intra Deum producere, quod non ſit Deus, ſiue perſona ſubſiſtens in Deitate. Dum autem loquimur de proceſsione, quatenus per voluntatem eſt, iam agitur de prædicato peculiari, & conſiderato ſub abſtractione formali ab omnibus alijs prædicatis communibus, aut tranſcendentibus in eo implicatis: & ſub hoc ſenſu, proceſsio per voluntatem, adhuc prout eſt infinita intra ſuam propriam lineam, non habet per ſe terminari ad perſonã ſubſiſtentem in Deitate, ſed ad impulſum infinitum.

NE-

60 NEQVE Obſtant impugnationes, ſeu probationes in oppoſitum. AD I. Negatur minor. Vt enim oſtenſum fuit cum Anſelmo Diſp. XXX. & XLVII. in Deo nullum habet locum ratio generis, ſpeciei, aut differentiæ: ac proinde proceſsio divina non comparatur ad proceſsiones peculiares per intellectum & voluntatem, veluti genus ad ſpecies. Non igitur ex eo capite convincitur, de conceptu formali proceſsionis per voluntatem eſſe quidquid eſt de conceptu proceſsionis divinæ, vt divinæ. DICES. Neque etiam ratio perſonæ divinæ in communi comparatur ad ſingulas perſonas, tanquam genus ad ſpecies. Et tamen quidquid eſt de conceptu formali perſonæ divinæ in communi, eſt etiam de conceptu formali vniuſcuiuſque perſonæ earum in ſingulari. Ergo quamvis ratio proceſsionis divinæ in communi non comparetur ad ſingulas proceſsiones vt genus ad ſpecies, quidquid eſt de formali conceptu proceſsionis divinæ, claudi debet in conceptu formali vniuſcuiuſque proceſsionis in ſingulari. RESP. Negando conſequentiam, & reddendo rationem diſcriminis: quia divinitas importata in conceptu explicito perſonæ divinæ, ſive in communi conſideratæ, ſive in ſingulari, eſt divinitas naturæ, quam exprimit definitio perſonæ. Hæc enim definitur, rationalis naturæ individua ſubſtantia, ſive ſuppoſitum conſtans natura intellectuali: vt ſuprà Diſp. LXXVIII. num. 61. explanatum fuit. Proindeque tam ratio ſuppoſiti, quàm naturæ divinæ, explicitè importata in conceptu communi perſonæ divinæ, importatur explicitè ac ſingulariter in vnaquaque ex tribus perſonis. Cæterum prædicatum divinum importatum in proceſsione ad intra communiter conſiderata, non exprimit rationem divini, quaſi conſtitutivam ipſius explicitè, ſive ſub ratione formali proceſsionis; ſed quaſi tranſcendentem & implicitam, quæ proinde nec ſpectat ad formalem rationem ſive explicitam vniuſcuiuſque proceſsionis in ſingulari. AD II. Probationem conceſſo antecedenti, & priore conſequentia, negamus poſteriorem, & illius ſuppoſitum, ſi accipiatur de perſona Spiritus ſancti in ſingulari. Non enim dicimus, Spiritus ſanctum in ſingulari vi proceſsionis, quatenus eſt divina quaſi in communi, oriri vt perſonam ſubſiſtentem: quia ex proceſsione communiter dicta, quatenus tali, nequit oriri ſingularis perſona. Solùm itaque dicimus, ex vi proceſsionis divinæ in communi, quatenus divina eſt, oriri debere perſonam ſubſiſtentem in natura divina, quæcumque ſit ea perſona: ac proinde Spiritum ſanctum conſideratum ſub conceptu procedentis perſonæ, communi ſibi ac Filio, oriri debere vi proceſsionis communis, prout divina eſt. Cæterum ſub ratione perſonæ ſingularis non oritur per ſe & directè, nec ex vi proceſsionis divinæ in communi, nec ex vi proceſsionis peculiaris per voluntatem: ſed ſolùm oritur directè & per ſe ex hac ſub ratione impulſus infiniti, qui implicitè & in re debet eſſe perſona ſubſiſtens, ſicuti omne prædicatum relativum ſingulare ac proprium vnius intra Deū, eſt perſona ſubſiſtens. DICES: Ergo Spiritus ſanctus ſub ratione explicita ſingularis perſonæ non haberet eſſe vi alicuius ſingularis proceſsionis ad ipſum terminatæ explicitè, & in ſenſu formali. Ergo ſub ea conſideratione explicita eſt Autotheos, ſive Deus à ſe ipſo, & non Deus de Deo. RESP. negando poſteriorem conſequentiam: quia vt Spiritus ſanctus non ſit Autotheos ſed Deus de Deo, vt fides docet, ſatis eſt quòd quidquid habet, & eſt, habeat ſibi communicatum à Patre & Filio per proceſsionem, ſive id habeat vi proceſsionis in ſenſu formali & explicito, ſive in ſenſu identico & implicitè ſolùm; quatenus accipiendo rationem impulſus infiniti ex vi proceſsionis, accipit ſubinde naturam divinam, & rationem perſonæ ſubſiſtentis. AD III. Probationem, conceſſo antecedenti, diſtinguendum eſt primum conſequens: & concedendum quidem, ſi intelligatur de proceſsione ſingulari, quæ profectò debet eſſe determinatè & proximè, vel ab intellectu, vel à voluntate: negandum verò de proceſsione divina in communi accepta; ſic enim abſtrahit explicitè à conceptibus peculiaribus vtriuſque proceſsionis. Vnde & negatur poſterior conſequentia, iuxta doctrinam traditam.

SECTIO SEPTIMA.

Alia argumenta alicuius momenti obijciuntur, & enodantur.

61 OPPONVNT III. Spiritui ſancto ex vi proceſsionis ſuæ peculiaris communicatur primò natura divina, quin propterea ſit Filius. Ergo diſcrimen proceſsionis vtriuſque nō eſt in eo ſitum, quòd ſoli Filio ex vi proceſsionis communicetur natura divina. Probatur antecedens multipliciter. *Primò*. Id primò communicatur Spiritui ſancto vi proceſsionis, quod primò ipſi convenit: vt patet inductione in terminis quarumlibet productionum, quæ habent primariò producere id, quod primò ac per ſe terminos earum conſtituit. Atque natura divina eſt, quæ primò ac per ſe convenit Spiritui ſancto, vtpotè per ipſam potiſsimum conſtituto. Ergo vi proceſsionis communicatur ipſi primò natura di-

divina. *Secundò*: Quia Spiritui ſancto non communicatur primò & per ſe ex vi proceſsionis aliquod attributum, ſed potiùs radix attributorum: ſicuti nulli ſuppoſito viventi ex vi productionis ſuæ communicatur primò ac per ſe proprietas aliqua, ſed potiùs natura, quæ eſt radix omnium ſuarum proprietatum. Ergo nec communicatur primò ac per ſe Spiritui ſancto vi ſuæ proceſsionis voluntas (hæc enim habet rationem attributi) ac proinde nec impulſus, qui certè ad voluntatem ſpectat. Solùm ergo communicatur ipſi primò ac per ſe vi proceſsionis natura divina, quæ eſt radix omnium attributorum. *Tertiò*. Si enim Spiritui ſancto ex vi proceſsionis communicaretur primò ac per ſe impulſus, & non potiùs natura divina, hæc poſſet à priori demonſtrari ex impulſu. Repugnat autem naturam divinam demonſtrari à priori ex aliquo prædicato divino, cùm ipſa ſit omnium radix, & ratio à priori. *Quartò*: Quia nec intelligi poteſt priùs communicari Spiritui ſancto ex vi proceſsionis aliquid ſpectans ad lineam voluntatis, quàm intellectus: cùm hic ſit ratio à priori voluntatis: vt vidimus ſuprà ex Anſelmo c.49 Diſp. LXXXVI. docetóque D.Thom. 1.p. q 19. art. 1. Impulſus autem ſpectat ad lineam voluntatis, vt patet. Ergo nequit intelligi, Spiritui ſancto priùs communicari impulſum, quàm id quod ſpectat ad lineam intellectus, ſed è contrà. Hic autem ſupponit pro aliquo priori communicatam naturam ſub ratione naturæ. Hæc ergo eſt, quæ primò ipſi communicatur.

62 RESP. Negando antecedens: quia quod primò ac per ſe producitur vi proceſsionis, ſeu amoris notionalis, eſt impulſus infinitus & relativus; cui directè in eo ſigno non intelligitur communicari natura divina, quamvis identicè communicetur, ſive per identitatem cum illo. AD I. Probationem diſtinguo maiorem: Id primò communicatur Spiritui ſancto ex vi productionis quaſi in executione, quod primò ipſi convenit, concedo: quaſi in intentione, nego: & conceſſa minore, diſtinguo cõſequens eodem ſenſu. Itaque licèt Spiritui ſancto ex vi proceſsionis communicetur primò in executione natura divina, tanquam perſonæ ſubſiſtenti, quæ per illam primò conſtituitur; in intentione tamen terminus primò inſpectus eſt impulſus infinitus, quem directè ſpectat voluntas. Quod aliqualiter exponi poteſt exemplo augmentationis, quæ nequit augere quantitatem, niſi priùs augeantur partes ſubſtantiæ materialis in executione. Verùm quod primò in intentione ſpectatur ab augmentatione, non eſt maior ſubſtantia, ſed maior quantitas: vt fusè diximus in Phyſica diſp. 32. ſect. 1. & 2. Idque potiſsimùm habet locum iuxta ſententiam eorum, qui docent vnica actione augeri ſubſtantiam & quantitatem. Similiter in opinione multorum per vnicam actionem producuntur qualitates alterantes, & forma ſubſtantialis; quin tamen actio illa primò ac per ſe ſpectet hanc in intentione, ſed ſummùm in executione. AD II. Eodem ſenſu dicendum, terminum primò ac per ſe productum in intentione per amorem notionalem Patris & Filij eſſe impulſum relativum; terminum verò communicatum, eſſe attributum voluntatis; quamvis in executione terminus primò communicatus intelligatur eſſe natura divina, quæ ſolo hoc ſenſu præcedit in Spiritus ſancti proceſsione. Cùm enim ex propria ac peculiari ratione exprimat lineam affectivam, ordine intentionis ſolùm debet primò terminari ad id, quod de linea voluntatis eſt. AD III. Nego ſequelam: quia nec impulſus relativus, nec voluntas, eſt radix virtualis, aut ratio à priori naturæ divinæ, quamvis ordine intentionis ea duo priùs ſpectentur ab amore notionali. Vnde ſicut licèt quantitas ordine intentionis priùs ſpectetur ab augmentatione, quàm ſubſtantia, non ideo hæc à priori probatur ex illa, ſed potiùs è converſo: ita impræſenti. AD IV. Patet ex eadem doctrina. Quamvis enim intellectus ordine exequutionis ſit prior, quàm voluntas, & hæc ex illo colligatur à priori; ordine tamen intentionis priùs eſt relatè ad actionem voluntatis, quidquid ſpectat ad lineam effectivam, qualis eſt impulſus.

63 INSTABIS. Quoties eâdem actione & ſimul producuntur natura & proprietas, natura non ſolùm eſt prior in executione, ſed etiam in intentione: ideoque omnis generatio & productio ſubſtantialis primò ac per ſe ſpectat ſubſtantiam, ſive naturam rei; proprietates verò illius ſecundariò ſolùm, & ex conſequenti. Ergo cùm Spiritui ſancto ſimul & per eandem actionem communicetur natura & voluntas, quæ eſt illius attributum, ſeu proprietas; natura debet ſpectari priùs, non ſolùm in executione, ſed etiam in intentione.

64 RESP. Imprimis poſſe negari antecedens, iuxta opinionem nuper indicatam eorum, qui aiunt eadem actione alterativa produci ſimul naturam & accidentia, quin tamen illa ſpectetur priùs in intentione, ſed in executione tantùm. Verùm permiſſo antecedente de omni natura, quæ primò producitur ſimul cũ proprietatibus; negamus illud de natura, quæ non producitur ſed ſolùm communicatur, qualis eſt divina. Sic certè quamvis augmentatio ſupponatur ſimul producere partem ſubſtantiæ, & partem quantitatis, veluti partialem illius proprietatem, hanc ſolam primariò ſpectat ordine intentionis, non illam, immo nec ſubſtantiam

tiam totalem, quæ iam ſupponabatur ante mo-
rum ipſum augmentationis. Cùm igitur ante
proceſsionem Spiritus ſancti natura divina
iam ſupponatur exiſtens, immo & communi-
cata Verbo per generationem; proceſsio ipſa
non ſpectat directè & primò communicatio-
nem naturæ, ſed ſolius proprietatis, quæ eſt vo-
luntas.

65 VRGEBIS Multipliciter. *Primò.* Quamvis pro priori ad proceſsionem natura ſupponatur communicata Verbo, non tamen Spiritui ſancto. Ergo eadem actio quæ ſimul communicat naturam & voluntatem Spiritui ſancto, debet per ſe in intentione ſpectare po-
tiùs naturam, quàm voluntatem. Debet enim ſpectare vtramque ordine recto, & penes digni-
tatem vniuſcuiuſque ſecundùm rationem for-
malem conſideratæ, quæ maior apparet in na-
turâ divina, quàm in voluntate. *Secundò:* Quia etiam voluntas ipſa ſupponitur per generatio
nem communicata Verbo: & tamen iuxta no
ſtram ſententiam, locus eſt, vt primò ac per ſe ordine intentionis communicetur Spiritui ſan-
cto. Ergo quamvis natura ſupponatur commu
cata Verbo, locus erit vt primò ac per ſe or-
dine intentionis Spiritui ſancto communi-
cetur. *Tertiò.* Natura divina directè ac per ſe exigit communicari, non ſolùm Verbo, ſed etiam Spiritui ſancto. Ergo ſicuti actio produ-
ctiva Verbi terminatur propterea per ſe primario, etiam ordine intentionis, ad communi-
candam Verbo naturam; ita etiam actio produ-
ctiva Spiritus ſancti.

66 HÆC Tamen nullatenus obſtant. AD I. conceſſo antecedenti negatur con
ſequentia. Neque obſtat illius probatio: quo-
niam rectus ordo exigit, vt actio productiva voluntatis, quamvis infinita, non tendat per ſe primò in intentione ad communicandum, niſi id, quod ad lineam affectivam & impulſivam ſpectat, ſive hæc exprimat maiorem, ſive mino-
rem perfectionem, quàm alia. Sic certè quamvis in probabiliori ſententia intellectus præemi-
neat voluntati, hæc in Deo primò & per ſe non tendit ad communicandum aliquid de li-
nea intellectus. Neque obeſt quòd natura di-
vina nondum intelligatur communicata Spiri-
tui ſancto. Satis enim eſt quòd præintelliga
tur communicata Verbo, & ſit eadem omnino natura, vt non appareat neceſſum quòd præte-
rea ſpectetur directè & per ſe vlterior illius cõ-
municatio per actionem propriam voluntatis. AD II. Conceſſa vtraque præmiſſa, negatur conſequentia, & redditur diſparitas: quia vo
luntas divina ſupponitur communicata Verbo per generationem ſolùm ſecundariò & ex con-
ſequenti, natura autem primariò. Quare opor-
tet, vt vice verſa per actionem voluntatis pri-
mariò in intentione communicetur Spiritui ſancto voluntas; natura autem identicè aut ex conſequenti. AD III. Natura divina exigit per ſe communicari Filio & Spiritui ſancto, per intellectum & voluntatem iuxta modum & ca-
pacitatem propriam vniuſcuiuſque: atque adeò directè & vi proceſsionis per intellectum; iden-
ticè autem per voluntatem, quatenus hæc pri-
mò ſpectans impulſum infinitum, ipſumq; pro-
ducens, communicat ipſi quidquid eſt abſolu-
tum in Deo per identitatem.

67 DICES. Natura divina exigit per ſe & directè communicari, quatenus habet ra-
tionem principij radicalis in ordine ad ipſam actualem communicationem. Habet autem ra-
tionem principij radicalis non ſolùm in ordi-
ne ad actualem communicationem per intelle-
ctum, ſed etiam per voluntatem, vt patet: cùm ſit prima ratio intelligendi & volendi. Ergo na-
tura divina exigit per ſe & directè communi-
cari, non ſolùm in ordine ad actualem com-
municationem per intellectum, ſed etiam per voluntatem. Ergo Spiritui ſancto vi peculiaris proceſsionis per voluntatem non minùs per ſe & directè communicatur natura divina, quàm Verbo vi peculiaris proceſsionis per intelle-
ctum.

68 RESP. Naturam divinam ſolùm exigere per ſe & directè communicari, quate-
nus exprimit radicem primæ potentiæ haben-
tis vim aſsimilandi, quæ profectò eſt ſolus in-
tellectus; non autem ſecundæ potentiæ carentis vi aſsimilandi, qualis eſt voluntas. Hæc enim iam ſupponit naturam primò ac per ſe commu-
nicatam ex vi prioris potentiæ, tendentis intra ſuam rationem formalem & infinitam ad pro-
ducendum terminum in ſimilitudinem naturæ. Quare vt radicale principium productionis per voluntatem communicetur Spiritui ſancto, ſuf-
ficit quòd productio ipſa directè & per ſe ten-
dat in impulſum infinitum intra Deum, qui nequit non identificare naturam Dei, ſive prin-
cipium ſui radicale.

69 OPPONVNT IV. Adhuc ſup-
poſita doctrina noſtræ ſententiæ colligitur, Spi-
ritum ſanctum eſſe reipſa & identicè Filium per proceſsionem, quamvis non ex vi proceſ-
ſionis. Conſequens verò abſurdum eſſe patet. Ergo doctrina à nobis tradita non vitat po-
riſsi-
mum abſurdum confundendi reipſa Spiritum ſanctum cum Filio. Maior, ſive aſſumptio, ſuadetur multipliciter. *Primò:* Quia cuicum-
que convenit definitio ſecundùm rem, conve-
nit etiam reipſa definitum. Atqui definitio fi-
lij generatim eſt origo viventis à vivente in ſi-
militudinem naturæ. Cùm ergo Spiritus ſan-
ctus per proceſsionem revera oriatur vivens à vivente in ſimilitudinem naturæ, quamvis id

non

non habeat in ſenſu formali ex vi proceſsionis, erit realiter filius. *Secundo.* Terminus ſimilis in natura principio viventi ex vi proceſsionis, eſt filius in ſenſu formali. Ergo etiam terminus ſimilis in natura principio viventi per proceſſionem & realiter, debet eſſe filius in ſenſu reali. *Tertiò.* Quamvis Spiritus ſanctus non ſit Deus ex vi proceſsionis, eſt tamen Deus identicè & realiter per proceſsionem, quia per illam reipſa accipit naturam divinam. Ergo etiam debet eſſe filius identicè & realiter per proceſsionem, quia per illam reipſa accipit ſimilitudinem in natura. *Quartò.* Iuxta dicta Diſp. XCIII. Spiritus ſanctus ſi non procederet à Filio, ſed à ſolo Patre, non diſtingueretur realiter ab illo, ac proinde eſſet identicè filius quia identicè procederet in ſimilitudinem naturæ. Cùm ergo Spiritus S. nunc de facto procedat identicè in ſimilitudinem naturæ, colligitur demum, quòd ſit reipſa & identicè filius.

70 RESP. Imprimis argumentum hoc debere ab omnibus Catholicis ſolvi, qualitercumque iuxta varios dicendi modos exponant diſcrimen vtriuſque proceſsionis divinæ, vt conſideranti palam erit. Omnes enim reddere rationem debent, cur Spiritus ſanctus non ſit reipſa genitus nec filius, ſiquidem reipſa & identicè ſaltem, per proceſsionem, immo & ex vi proceſsionis iuxta aliquos Adverſariorum, oritur vivens à vivente in ſimilitudinem naturæ, quæ eſt definitio generationis. Nos autem reſpondemus negando antecedens. AD I. Probationem negamus Spiritum ſanctum eſſe genitum aut filium, adhuc realiter & identicè: quoniam definitio geniti, ſive filij, aut (quod perinde eſt) generationis, debet accipi in ſenſu formali, ac proinde ita, vt quod genitum eſt, oriatur à principio vivente coniuncto in ſimilitudinem naturæ, iuxta formalem ſenſum, ſive ex vi proceſsionis. Cumque hoc non verificetur de Spiritu ſancto, etiam in nullo vero ac reali ſenſu convenit ipſi definitio generationis, vel ratio geniti ac filij. Sic etiam ſiquis homo ab alio homine acciperet naturam viventem, modo non virali, nec aſsimilativo ex ſua ratione formali, non eſſet genitus nec filius eius, adhuc identicè & ſecundùm rem ipſam. AD II. Nego conſequentiam: quoniam priori termino convenit ſimpliciter definitio geniti, ſeu filij, quæ ſolùm accipi debet in ſenſu formali: ſecus verò poſteriori termino. AD III. Negatur pariter conſequentia: quoniam in definitione Deitatis, ſeu naturæ divinæ, non exigitur vt debeat haberi ex vi proceſsionis, ſed qualitercumque habeatur, conſtituit Deum per identitatem. In definitione autem generationis exigitur, vt natura vivens accipiatur à principio viuente ex vi proceſsionis. Eademque eſt ratio (vt præoccupemus obiectionem aliam) cur quicumque eſt reipſa animal rationale aut hinnibile, quo modocumque id acceperit, ſit revera homo vel equus: quoniam naturæ eiuſmodi non exigunt in definitione ſua peculiarem modum habendi, ſed ſolùm realitatem & connexionem prædicatorum eſſentialium. Definitio autem generationis non ſolùm importat realitatem termini producti aut communicati, ſed præterea modum habendi, ſeu accipiendi. Eſt enim ſpecies quædam determinata productionis & originis, quæ conſtituitur penes eum modum. AD IV. Concedo antecedens, ſed nego conſalem illius, veluti rationem adæquatam. Hæc enim in eo ſita eſt, quòd in illa hypotheſi, Spiritus ſanctus, defectu oppoſitionis relativæ, haberet realem identitatem cum aliquo habente naturam divinam ex vi ſuæ proceſsionis; nimirum cum Filio; ac pronde eſſet reipſa Filius. Nunc autem de facto Spiritus ſanctus, non habet realem identitatem cum aliquo habente naturam divinam ex vi proceſsionis; ſed potiùs ipſi relativè opponitur: ac propterea Spiritus ſanctus in nullo vero ſenſu eſt filius.

71 OPPONES Denique, doctrinam tota fere Diſputatione traditam minimè cohærere cum ijs, quæ tradidimus Tomo I. Diſput. XXIV. per totam, probantes, eſſentiam Dei non conſiſtere ſecundùm expreſſam & formalem rationem in gradu intellectuali, qualitercumque conſiderato; ſed dumtaxat in ratione entis à ſe, excludentis omne principium ſui, adhuc virtuale. Hinc enim colligi videtur, Verbo divino ex vi proceſsionis ſuæ peculiaris per intellectum non communicari naturam divinam: ac proinde ex hoc capite nullum eſſe ipſi diſcrimen à Spiritu ſancto. Aſſumptio ſuadetur: quoniam Verbo divino ex vi peculiaris proceſsionis per intellectum communicari nequit, niſi illud quod ſpectat ad lineam intellectualē. Immo nequit vi proceſsionis peculiaris per intellectum communicari Verbo, niſi id, quod exprimit radicem ipſius intellectus. Solùm autem exprimit radicem intellectus natura illa, quæ exprimit perfectionem intellectualem. Si igitur natura Dei, iuxta illam noſtram ſententiam non exprimit perfectionem intellectualem, ſed ſolùm rationem entis à ſe; colligitur demum, naturam divinam non communicari Verbo vi proceſsionis peculiaris per intellectum.

72 HOC Argumentum nobis ipſis obiecimus & ſolvimus allegata Diſput. XXIV. ſect. 8. per totam, vnde petenda eſt plena ſolutio. Iuxta dicta verò ibidem, negatur aſſumptio. Optimè enim cohæret quòd eſſentia Dei ſub

ſub munere eſſentiæ conſtituatur explicitè per ſolam rationem entis à ſe, & quòd ſub munere naturæ exprimat radicem operandi à ſe perfectiſsimè, ac proinde intelligendi à ſe. quo ipſo iam ex parte naturæ divinæ, ſub munere naturæ, exprimitur gradus perfectiſsimus intellectualis, vt proinde per intellectionem, in ſenſu formali ac ſibi proprio conſideratam, communicetur Verbo ex vi proceſsionis. Cùm enim natura intellectualis non habeat aliam virtutem, ſeu potentiam aſsimilatricem, quàm intellectum; oportet vt natura intellectualis infinita exerceat totam ſuam vim aſsimilandi per intellectum infinitum. Itaque licèt eſſentia Dei ſub munere explicito eſſentiæ ſolùm conſtituatur per rationem entis à ſe, adhuc eſt locus, vt ſub explicito munere naturæ conſtituatur per rationem operandi perfectiſsimè à ſe, ſive intelligendi: ac proinde locus eſt, vt ſub munere explicito naturæ intellectualis communicetur Verbo divino per intellectionem. Quin & cùm ipſa ratio entis à ſe intelligatur in Deo veluti prima radix omnium aliorum prædicatorum, atque ipſius gradus intellectualis, & muneris operandi atque intelligendi à ſe; tandem concluditur, ipſum explicitum munus eſſentiæ, ſive entis à ſe, prout excludentis omnem dependentiam & limitationem in eſſendo, omnemque radicem virtualem ſui, communicari per intellectionem Verbo divino. Et hæc ſatis fuerint ad tuendam rationem diſcriminis iuxta ſententiam SS. Anſelmi & Thomæ poſt Auguſtinum, quidquid ſit de opinionibus aliorum.

(?)

DIS-

DISPVTATIO XCVI.

AN ALIQVA CREATVRA POSSIT DARE AVT MITTERE SPIRITVM SANCTVM, VEL SEIPSO, VEL IN DONIS SVIS.

AD REVERENDISSIMVM P.N. M. Fr. ANTONIVM DE HEREDIA, quondam Congregationis Hiſpano-Anglicę S. BENEDICTI digniſsimum Generalem, & Sopetrani, ac Montis-Serrati Matritenſis meritiſsimum Antiſtitem; doctrina multiplici, prudentia, & pietate clarum; poſt edita varia Opera Aſcetica, aſsidua lectione parantem & expolientem ACTA SS. eiuſdem Ordinis, propediem in lucem emittenda, &c.

HAEC Controuerſia ſub hiſce ferè terminis excitatur à Durando in 1. diſt. 14. q. 4. vbi illam breuiter exagitat. Nobis ea aliquando ſorte obtigit in hac Salmanticēſi Academia, ad eiuſdem Durandi Cathedram promerendam: quamuis illam tunc non obtinuerimus, ſed alterā D. Thomæ, abſque vlla alia Prælectione. Itaque viſum fuit eam hoc loco exhibere, prout primùm à nobis intra vnius diei ſpatium parata, atque extempore dicta fuit, niſi quòd illam aliquantulum variare oporteat, vt ordinem cum cæteris Diſputationibus ſeruet, eoque nullatenus interrupto Commentarios in Anſelmum proſequamur. Habet verò locum apud ipſum locis & verbis infrà num. 5. indicandis, ſicuti & apud D. Thomam 1. 2. q. 111. vbi diſſerit de cauſa habitualis gratiæ. Et præterea occaſio excitandi illam hoc loco eſſe poteſt, quòd Diſp. LXXXIX. num. 19. & ſeqq. dixerimus, proprium diuinæ perſonæ eſſe largiri gratiam, charitatem, & cætera dona, medijs quibus dicitur ad nos mitti, ſeu dari Spiritus ſanctus. Quod impræſenti operoſiùs examinandum eſt. Inſuper Diſp. XC. probauimus proceſsionem Spiritus ſancti à Patre & Filio, quoniam ab ambobus datur, ſeu mittitur. Cuius illationis vis, etiam huc ſpectat.

SECTIO PRIMA.

Spiritum ſanctum in ſeipſo non poſſe dari propriè aut mitti per modum auctoritatis, ſeu virtute propria, ab aliqua creatura. Ratio Durandi in id probandum, ex Anſelmo, Auguſtino, & alijs Patribus Latinis Græciſque erutа, & illuſtrata.

2 PROBAT Durandus aſſertionem præiactam hoc ferè ſyllogiſmo. Nemo poteſt virtute propria, ſive per modum auctoritatis, dare Spiritum S. niſi ſolus ille, à quo Spiritus S. originem ducit. Atqui repugnat creatura, à qua Spiritus S. originem ducat. Ergo & repugnat creatura, quæ virtute propria ſive per modum auctoritatis poſsit tribuere Spiritum S. Minor eſt certa ſecundùm fidem, quâ docemur adverſus Macedonium & Apollinariem Spiritum S. eſſe verum Deum. Maior ſuadetur à Durando: quia dare propriè loquendo, ſicut & mittere aliquam perſonam diuinam, exprimit auctoritatem quandam perſonæ dantis in perſonam quæ datur: vt ex ipſa notione dandi & mittendi propriè accepta innoteſcit. Quare nemo propriè dicitur dare aut mitte-

mittere ſeipſum, ſed dumtaxat aliquid à ſe diſtinctum, & in quod ipſe habet auctoritatem quandam, vel dominium, aut quaſi dominiũ. Nulla autem auctoritas eſt vnius perſonæ in aliam ſecundùm præſtantiã ſive exceſſum perfectionis ſupra illam (cùm tres perſonæ ſint coæternæ & coæquales) ſed dumtaxat ſecundùm dignitatem principij, ex quo alia perſona ducit originem. Quod latiùs confirmat idem Durandus diſt. 15. q. 3. n. 7. Ergo nemo poteſt virtute propria, ſive per modum auctoritatis, dare Spiritum S. niſi ſolus ille, à quo Spiritus ſanctus originem ducit.

3 ILLVSTRATVR I. Ratio eadem ſeu maior propoſitio ex qua Durandus procedit: quia illa planè eruitur ex ſacris litteris, & doctrina Patrum. Ac primò quidem in Scriptura ſæpiſsimè legimus Filium & Spir. S. dari, ſive mitti à Patre: nunquam vero legitur Patrẽ fuiſſe miſſum vel datum: nec perſonam aliquã ex tribus ſemetipſam miſsiſſe, aut dediſſe per modum auctoritatis cuiuſdam. Vnde imprimis colligunt Patres adverſus Sabellium diſtinctionem realem trium perſonarum: quia nemo poteſt mittere aut propriè dare ſeipſum, ſed aliquid à ſe reipſa diſtinctũ. quod præſertim obſervavit Baſilius lib. 5. contra Eunomium. Sed nec ſufficere realem diſtinctionem perſonarum ad miſsionem, ſive dationem preſsè ſumptam, conſtat ex eiſdem ſacris litteris, vt dicebamus: quatenus in ijs nunquam Pater dicitur miſſus, aut datus, ſed ſolus Filius & Spir. S. Rationem verò eam potiſsimum aſsignant Patres, quòd ſolus Pater non habeat principium à quo originẽ ducat. Quod obſervarunt imprimis Ambroſius lib. 3. de Spir. S. c. 1. Baſil. nuper laudatus lib. 3 contra Eunom. Gregor. Nazianzenus Orat. 37. Hilar. lib. 8. de Trin. Chryſoſt. Hom. 59 in Ioan. ſed omnium maximè Auguſt. lib. de Trinit. c. 5. illis verbis: *Pater nuſquam legitur miſſus, &c.* Et lib. 4 eiuſdem Operis c. 20. inquit: *Pater cùm ex tempore à quoquam cognoſcitur, non dicitur miſſus. Non enim habet de quo ſit, aut ex quo procedat.* Et paucis interiectis: *Sicut ergo Pater genuit, Filius genitus eſt: ita Pater miſsit, Filius miſſus eſt.* Atque in fine libri eiuſdem ait, Patrem *abſurdiſsimè aut à Filio quem genuit, aut à Spir. S. qui de illo procedit, miſſum dici, & ſi per ſubiectam creaturam viſibiliter apparere velit.* Denique tom. 6 lib. contra Serm. Arianor. cap. 6 ait: *Solus Pater non legitur miſſus, quoniam ſolus non habet Auctorem, à quo genitus ſit, vel à quo procedat. Et ideo non propter naturæ diuerſitatem quæ in Trinitate nulla eſt, ſed propter ipſam auctoritatem, ſolus Pater non dicitur miſſus. Non enim ſplendor aut feruor ignem; ſed ignis mittit ſiue ſplendorẽ, ſiue feruorem.* Quã ipſam ferè doctrinam repetit lib. 3. contra Maximinũ Arianum c. 14. dicens: *Non enim genitorem ab eo, quem genuit; ſed genitum à genitore mitti oportebat. Verum hoc non eſt inæqualitas ſubſtantiæ, ſed ordo naturæ; non quòd alter prior eſſet altero, ſed quòd alter eſſet ex altero.* Quid illuſtrius, aut è re noſtra magis?

5 ILLVSTRATVR II. Ex antitheſi quorundam verborum Chriſti, modò loquentis ſecundùm formam Dei, modò ſecundũ formam hominis, obſervatâ ab eodem Auguſt. lib. 1. de Trinit. c. 12. vbi diſtinguit plura, quorũ aliqua conveniunt Chriſto, vt Deo; aliqua, vt homini: docetque, Chriſtum ſecundùm divinitatem protuliſſe illa verba Ioan. lib. *Si autem abiero, mittam illum ad vos.* quia nimirum, Chriſtus dumtaxat ſecundùm divinitatem eſt principium Spir. S. ideoque ſolùm ſecundũ formã Dei potuit illum mittere. Econtrà verò verba illa Ioan. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis*; non ſunt dicta à Chriſto ſecundùm formam Dei, ſed ſecundùm formam ſervi, ſive hominis, cuius eſt rogare, & interpellare ad impetrandum beneficium aliquod. Patet igitur, dationem, ſeu miſsionem propriè dictam ſupponere in dante ſeu mittente rationem principij in ordine ad id, quod datur vel mittitur. quæ eſt aſsumptio ipſa Durandi.

5 ILLVSTRATVR II. Ex Anſelmo in Epiſt. contra Græcos de Proceſsione Spir. S. pluribus locis, præſertim verò c. 6. & 7. vbi ex inſtituto probat, Spir. S. procedere à Filio, ex eo quòd hic in ſacris litteris legatur illum miſſe. Etenim Ioan. 15. v. 16. ait: *Dum autem venerit Paraclitus, quem mittã vobis à Patre Spiritum veritatis &c.* Præmiſerat verò cap. 14. *Paraclitus autem Spiritus S. quem mittet Pater in nomine meo &c.* Quibus verbis Chriſtus palam exprimit, ſe miſſurum à Patre Spir. S. ac præterea eundem mittendum à Patre nomine ipſius Chriſti. Indidẽ vero infert Anſelmus, Spir. S. verè & propriè à Filio, ſicut & à Patre, procedere: quia ſine proceſsione ab vtroque nullus locus eſt vt propriè ab vtroque mittatur. Verba autem Anſelmi hæc ſunt c. 7. iam allegato: * Quid igitur eſt, mittet Pater in nomine Filij; niſi, mittet Pater, tanquam ſi mittat Filius, vt in miſsione Patris miſsio intelligatur Filij? * Et poſt pauca: * Cùm igitur tanta diligentia oſtendat Filius, vnam eſſe miſsionẽ Patris, & ſuam, vt nec Pater mittat, niſi cùm Filius mittit; nec Filius mittat, niſi cùm mittit Pater: quid vult ſignificari, aut quid vult intelligi, niſi quia non aliter ſe habet ad Patrẽ Spir. S. & aliter ad Filium, nec magis eſt vnius

quam

quàm alterius? Quam obrē nimis difficile, immo impossibile est ostendere, quomodo non procedat ab vtroque. Vnde enim Filio cum Patre dare simul, vel mittere Spir. S. & hunc esse vtriusque, si simul non est de vtroque? Ea verò illatio maximi ponderis fuit in Concilio Barensi sub Vrbano II. adversus Græcos, qui antiquū illum suum errorē de processione Spir. S. à solo Patre, olim à Theodoreto traditum, lonpè postea à Photio Patriarcha Constantinop. Schismaticorum Antesignano innovatum, & aliquanto tempore sopitum, ab Orco revocaverant. Verum vrgente eos Anselmo, & obmutescere faciente, veritas processionis Spir. S. ex Patre Filioque triumphavit, nomenque Anselmo celeberrimum in Ecclesia peperit, & insolita elogia apud Pontificem, ac reliquos Patres eius Concilij. de quo plenius Tom. seq. Quin & postea in Concil. Florent. non solùm Latini Patres, sed multi ex Græcis, atque in ijs doctissimus Cardinalis Bessarion, eodem argumento Anselmi vsi sunt adversus alios Græcos iterum circa id tumultuantes, donec tandem ibidē veritas Catholica definita fuit. Quæ omnia in eā gratiam hoc loco dicta sint, vt appareat, maiorem illam propositionē, ex qua procedit Durandus, esse conformem sacris litteris, & Patribus Ecclesiæ: iuxta quos datio propriè dicta alicuius personæ, seu missio, supponit necessariò originem illius à persona mittente, seu dante.

6 SED Obijcies: Filius non ducit originem à Spir. S. vt fides docet. Et tamen missus fuit à Spir. S. Ergo missio & datio alicuius personæ divinę non satis probat originem eius à persona mittente, seu dante. Assumptio probatur ex verbis Isaiæ c. 61 quæ de seipso interpretatur Christus Luc 4. *Spiritus Domini super me; propter quod vnxit me: evangelizare pauperibus misit me.* Quod cùm Christus legisset, dixit ad Iudæos: *Quia hodie impleta est hæc Scriptura in auribus vestris.* Vnde & Concil. Tolet. XI. in Fidei professione dixit: *Missus Filius non solū à Patre sed à Spir. S. missus esse credendus est in eo, quod per Prophetam dicitur: Et nunc Dominus misit me, & Spiritus eius.* Ambr. quoque lib. 3. de Spir. S. eodem sensu: *Ergo mirari possumus, si & Prophetas, & Apostolos Spiritus misit, cū Christus dixerit, Spiritus Domini super me?* Nimirum, multò maius ac præstantius est, quòd Spir. S. miserit Christum quàm quòd Prophetas & Apostolos misit. Idipsum quoque videtur diserte traditum ab August. lib. 2. de Trin. c. 5. vbi de Christo ait: *Mitti à Patre sine Spir. S. non potuit: non solùm quia intelligitur Pater, vt id est, fecit ex femina, non vtique sine Spiritu suo fecisse: verùm etiam quòd manifestissimè atque apertissimè in Evangelio dicitur Virgini Mariæ quærenti ab Angelo, Quomodo fiet istud? Spir. S. supervenīet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Et Matthæus dicit: *Inventa est in vtero habens de Spir. S.* Quamquam & apud Isaiam Prophetam ipse Christus intelligitur de adventu suo futuro dicere: *Et nunc Dominus misit me, & Spiritus eius.** Ergo Filius Dei missus fuit à Spir. S. quāvis ab eo nō procedat, oriaturve: ac proinde vt Spir. S. detur vel mittatur, non est opus origine à persona mittente seu dante, prout suprà assumebamus.

7 RESP. Testimonia hæc, & alia similia, intelligi debere de Christo D. secundùm humanam naturam dumtaxat: vt patet ex ipsorum contextu. quo sensu Christus non solùm à Patre, sed à Spir. S. immo & à seipso missus dicitur, propter indivisam vnius & eiusdem voluntatis operationem, quā tres personæ divinę agunt quælibet effecta, & ipsam temporalem missionem Filij Dei incarnati. Vnde in eādem Synodo XI. Toletana statim post verba relata in obiectione subditur: *A seipso quoque missus accipitur pro eo quòd inseparabilis non solùm voluntas, sed operatio totius Trinitatis cognoscitur.* Quod postea distinctius expressit Concil. Lateran sub Inn. III. & habetur in cap. Firmiter de summa Trinitate & fide Catholica, ideoque S. P. N. Ildephonsus lib. de Virg. Mariæ paulo post initium: *Tota inuisibiliter Trinitas conceptionem operabitur in te: sola persona Filij Dei in corpore tuo nascitura carnem assumet de te.* Ambrosius quoque lib. in Symbol Apostol. c. 9. dixerat: *Cùm enim singillatim Pater, & Filius & Spir. S. aliqua operari dicuntur, omnia pariter tres personæ operantur*; Itaque hoc sensu nihil mirū quòd etiam à Spir. S. immò etiam à seipso missus dicatur Christus: siquidem, secundùm naturam humanam ducit originem à tribus divinis personis, veluti ab vno principio: ideoque habet quidquid requiritur, vt secundùm illam propriè mitti possit, non solū à Patre, sed à Spir. S. immo & à seipso. Propterea quę August. post verba in obiectione exscripta subiunxit de Christo: *A seipso missum esse, subinde indicat; quemadmodum sanctificatus à Patre, & seipsum sanctificasse; traditus à Patre & seipsum tradidisse legitur.* Cùm verò Spir. S. non fuerit incarnatus, nec habeat naturam aliam quàm divinā, nullus est locus vt propriè mittatur, seu detur, nisi à quo ducit originem. quæ est doctrina S. Anselmi observata in ratione Durandi. Si autem sermo instituatur de missione visibili Spiritus sancti in externa specie columbæ, potest dici Spiritus sanctus missus etiam à seipso: cùm externam illam speciem operetur Trinitas indivisim, sicut & naturam humanam Christi: Ergo sicuti eam ob causam Christus vt homo dicitur à seipso missus

etiam vt Spiritus S. apparens in externa ſpecie, dici poteſt miſsiſſe ſeipſum. Quod diſertè obſervat & docet Magiſter Sentent. in 1. diſt. 15. & D Thom. 1. p. q 43 art. 8.

8 ITAQVE Semper verum exiſtit, Spiritum S. in ſeipſo, ſive ſecundũ perſonã divinã, propriè nõ dari ſeu mitti, niſi ab eo, à quo originem ducit. Proptereáque multi ex PP. Græcis ipſam Spir. S. proceſsionẽ, id eſt, ἐκπόρευσιν, nonnunquam appellant ἔκπεμψιν, id eſt, *emiſsionem*: vt legere eſt apud S. Gregor Thaumaturgum *in Fidei Profeſsione*, Nazianzenũ Orat. ad Heron. Philoſoph. quorum loca obſervarunt Eman. Calecas lib. de Proc. c. 5. & 19. Demetr. Cidoniates c. 10. & Ioan Boetius c. 6. allegat quoſdã ex PP. qui ἐκπέμπεσθαι, id eſt, *emitti*, ac ſimilia vocabula accipiunt de ipſa productione Spir. S. Sed tamẽ hoc loci non de proceſsione aut productione, quæ æterna eſt & neceſſaria, agimus, ſed de illa quæ in tẽpore accidit, diciturque datio, vel miſsio perſonæ Spir. S. Supponit, nimirum, neceſſariò illam æternam proceſsionẽ. Idemque eſt de Filio ſecundùm naturam aut perſonam divinam conſiderato. Quod ſi verò aliquando legitur aut ſignificatur, Filium ſecundùm divinam naturam aut perſonã ſeipſum dediſſe, aut datum vel miſſum fuiſſe à Spir. S. id intelligendũ eſt de datione aut miſsione largè accepta, κατ' εὐδοκίαν id eſt de conſenſu & placito totius Trinitatis, ſubindeque ſingularũ perſonarum: vt loquitur Nazianz. Orat. 38. Idque ipſum ſatis expreſsit Durãdus vbi ſupra n. 3. dum dixit, nihil repugnare, vt Filius vel Spir. S. det ſemetipſum, non preſsè & propriè, ſed per modum largitionis cuiuſdam liberalis. Atqui neque hoc quidem modo poſſe dari Spir. S. creatura aliqua, probat optimè idem Durandus: quia nemo poteſt virtute propria, ſive vt principalis cauſa largiri Spir. S. niſi vel qui vnam & eandẽ cum Spir. S. voluntatẽ habeat, vel ille cuius dominio ſubſit eiuſdẽ Spir. S. cõmunicatio. Patet verò vtrumque id alienum eſſe à qualibet creatura exiſtente ac poſsibili, & omnino repugnans. Nulla ergo prorſus creatura dare poteſt per modum auctoritatis Spir. S. in ſeipſo conſideratum; nec virtute propria illum largiri per modum liberalis dationis.

SECTIO SECVNDA.

Spiritum ſanctum in dono gratiæ gratum facientis non poſſe dari virtute propria alicuius creaturæ exiſtentis aut poſsibilis, probatur ex ſacris litteris. Euaſio Aduerſariorum præcluſa.

6 PRÆIACTA Aſſertio etiam traditurà Durando vbi ſuprà, eſtque certa & communis apud Scholaſticos, exceptis Medina 3. part. dub. vlt. & Cabrera ibid. diſp. 2. qui duo exiſtimant, poſsibilem eſſe creaturam, quæ virtute propria, id eſt, per modum cauſæ phyſicæ principalis, tribuat gratiam habitualẽ alteri, proindeque & Spir. S. in donis ſuis. Illa verò planè ſequitur ex Aſſertione præcedenti, hucuſque traditâ. Quiſquis enim per modũ cauſæ principalis tribuit habitualẽ gratiam, is pariter in eodem genere cauſæ tribuat Spir. S. neceſſe eſt. Atqui repugnat creatura tribuens alteri in genere cauſæ principalis Spir. S. Ergo & repugnat creatura tribuens alteri in genere cauſæ principalis habituelẽ gratiã. Minor propoſitio demonſtrata fuit ſect. præc. vbi oſtendimus, non poſſe dari propriè Spir. S. per modũ auctoritatis, niſi ab eo, à quo ducit originẽ; nec per modũ largitionis liberalis, niſi ab illo, qui eãdem cum Spir. S. voluntatem habeat, vel ipſius communicationẽ ſuo arbitrio ſubiectã. quæ omnia repugnant creaturæ cuilibet, ſeu exiſtẽti, ſeu poſsibili. Maior autem præcipua patet: quia Spir. S. datur nobis per infuſsionem gratiæ gratum facientis, ſeu charitatis, iuxta illud Rom. 5. v. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spirit. S. qui datus eſt nobis.* Ergo quiſquis in genere cauſæ principalis tribuit gratiam gratum facientem, is quoque in eodem cauſæ genere tribuit Spiritum ſanct.

10 IDIPSVM Evincitur ex varijs Scripturę locis, in quibus ſoli Deo aſſeritur vis iuſtificandi, ſeu emundandi hominẽ à peccato. Etenim Iob 14. v. 4. dicitur: *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptũ ſemine? nonne tu, qui ſolus es?* quoniam, nimirum, ſolius divinæ virtutis & omnipotentiæ eſt, tribuere munditiam illam, atque nitorem gratiæ, quâ homo abluitur à ſorde & immunditia peccati. Legantur Clem. Alex. lib. 3 Stromateon, Aug. in Pſalm. 50. Bernard. Serm. de Cœna Dom. & in Cantica ſerm. 70. Repugnat igitur creatura, quæ virtute propria tribuat alteri nitorem gratię mundantem à peccato. Similiter Iſaiæ 43. v. 25. *Ego ſum, ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas.* tanquã nemo aliter id præſtare poſſit. Pſalm. quoque 83. v. 12. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* quoniã, nimirum, vtrũque id ſolius Dei proprium eſt. Denique Rom. 8. *Deus, qui iuſtificat.* veluti id alienum ſit ab omni creatura. vt propterea iure dixerit Aug. lib. 1. de Trin. c. 12. *Siquis eſt qui poſsit dicere iuſtifico te, poterit etiã dicere, Crede in me:* Atqui repugnat omnino creatura, quæ poſsit vere dicere alteri, *Crede in me:* cùm ſolus Deus ſit dignus, in quem credamus. Ergo & repugnat creatura quę poſsit verè dicere, *Iuſtifico te;* ſive, quod perinde eſt, quæ virtute principali aut propria tribuat habitualẽ gratiam, qua iuſtificamur.

RES-

11 Reſpondent Adverſarij, ijs locis ſolùm excludi creaturã habentẽ vim primariam iuſtificandi, id eſt, independentẽ ab omni alio, quæ ſoli Deo convenit, nec cõmunicari poteſt alicui creaturæ; non autẽ ſecundariã & ab alio dependẽtẽ. Hanc enim exiſtimãt conferri poſſe alicui creaturæ, immò & collatã de facto volunt Humanitati Chriſti D quam aiunt extiriſſe cauſam phyſicam principalem omnis gratiæ iuſtificãtis diſperſæ in ſingulis hominibus iuſtis; non tamen primariam, ſed ſecundariam, & divinæ omnipotentiæ ſubordinatam, ab eaque neceſſariò pendentem.

12 SED Contra I. Præiactis enim Scripturæ locis aſſeritur ſoli Deo virtus ſeu vis ad iuſtificandũ & delendũ peccata, veluti effectus proprius ipſius, & peculiaris, in quo eius bonitas & potentia intermina ſpeciatim oſtenditur. At id fruſtra fieret ſi inde ſolùm excluditur cauſa principalis creata independens omnino & primaria ad eundem effectum præſtandum. nam non modò in ordine ad iuſtificandum, ſed etiam ad quemlibet effectum, quantumvis abiectum aut minimũ intra genus naturæ, repugnat virtus principalis creata omnino independens ab alio, ſeu primaria, etiam opinione Durandi: qui, licet in 2. diſt. 1. q. 5, neget Deo cõcurſũ immediatũ ad omnes actiones naturales cauſarum ſecundarum, fatetur Catholicè eas omnes eſſentialiter à Deo pendere, nec fieri aut conſervari ſimpliciter ſine illo poſſe: quoniam id ex ſacris litteris, & apertiſsima ratione convincitur. Ergo præiactis Scripturæ teſtimonijs non ſolùm excluditur virtus creata principalis omnino independens ab alio, ſeu primaria, ad iuſtificandum; ſed etiam ſecundaria independens à cauſa prima.

13 CONTRA III. Si enim virtus principalis ſecundaria ad iuſtificandũ, ſeu dependens à cauſa prima poteſt cõmunicari alicui creaturæ, vel etiã de facto comunicata fuit Humanitati Chr. D. inane eſſet atque enerve argumentũ Patrũ adverſus Arianos probantiũ, Chriſtum fuiſſe vnum Deum, & ὁμοούσιον Patri, ex eo quòd virtute propria remiſſerit peccata, eamque Apoſtolis communicaverit, tanquam miniſtris, vt in ſacris litteris habetur, præſertim Ioan. 20. Reſponderent enim Ariani, eiuſmodi virtutem ad iuſtificandũ & remittendũ peccata, fuiſſe quidem principalem in Chriſto; verũ non primariã, ſed ſecundariam ſolùm & à Deo pendẽtem, qualem Adverſarij aiunt poſſe divinitus competere alicui puræ creaturæ. Eam verò vltro admitterent Ariani, qui, excepta vera divinitate & conſubſtantialitate, omna alia perfectionum & ſublimitatis genera Chriſto tribuebant: vt patet, vel ex ſolo Euſebio Cæſarienſi ipſorũ Anteſignano, & ſubdolo τοῦ μοθεσίου impugnatore, in lib. de Demonſt. Evangel. plurib⁹ locis: vbi liberaliſsimè concedit Chriſto ea omnia dotum & perfectionum genera, quæ puræ alicui creaturæ convenire divinitus poſſunt, ſolumque negat ipſum fuiſſe ὁμοούσιον Patri. quæ ſola vox fuit teſſera Catholicæ fidei adverſus Arianam hæreſim. Vt ergo evaſio illa Arianorum non eſſet probabilis & facilè præcluderetur, ſuppponit debet, nulli puræ creaturæ cõpetere poſſe vim principalẽ iuſtificandi, ſeu remittendi peccata, etiam ſecundariam, & dependentem à prima cauſa. Quare eiuſmodi vim principalem ſeu virtutẽ non fuiſſe in Chriſto D. ſecundùm naturam humanam, patere videtur ex eo capite, & poſtea pleniùs apparebit.

SECTIO TERTIA.

Relictis aliorum probationibus, ſuadetur noſtra ſententia ratione à priori indicata à Durando. Solutiones Aduerſariorum multipliciter reiectæ.

14 PROBANT I. Aſſertionem noſtram plerique ex Auctoribus, qui eam nobiſcũ tradunt: Quia gratia gratum faciens ſi produceretur ab aliqua creatura, vt principali cauſa, aut deberet produci per creationem, aut per eductionẽ ex potentia obedientiali animæ. Atqui neutro modo. Ergo nullo. Maior eſt manifeſta. Minorem quoad priorem partem probant: quoniam ad creandũ gratiam exigitur virtus ſimpliciter infinita, vt pote per quam transferatur res ex puro nihilo in aliquid, ac proinde à termino *à quo* ad terminum *ad quem* infinitè diſtantem. quod ſoli virtuti infinitæ ſimpliciter convenire poteſt. Quoad poſteriorem verò partem inde probant quòd potentia obedientialis animæ ſoli Deo, eiuſque omnipotentiæ ſubdatur: cùm ſit mera non repugnantia, ſive ſubiectio creaturæ ad obediendũ Deo in ijs omnibus quæ non repugnant. Si autem aliqua creatura in genere cauſæ principalis poſſet educere gratiã habitualem ex potentia animæ obedientiali, iam hæc ſubderetur eidem creaturæ, & ſub eius dominio eſſet. quod ſolius Dei proprium eſt. Non ergo poteſt creatura aliqua in genere cauſæ principalis educere gratiam habitualem ex potentia obedientiali animæ.

15 SED Enim ratio præiacta enervis eſt, & infirma quoad vtrãque partẽ. Quoad priorem quidẽ ex multiplici cap. *Primò*: quia iuxta principia Durandi in 2. diſt. 1. q. 4. nulla eſt ratio vrgens, qua probetur repugnantia, vt creaturæ alicui communicetur virtus principalis ad creandum. quod idem eo loco multipliciter & latè confirmat. Et tamen loco initio Diſputationis indicato, nimirum in 1 diſt. 14. q. 4. docet gratiam gratum facientem non poſſe à creatura aliqua produci virtute propria ſeu

principali. Ergo impoſsibilitas creaturæ ad producendum gratiam gratum facientem virtute propria ſeu principali, non deducitur rectè ex impoſsibilitate creandi, nec cum ea connectitur. *Secundò*: quoniam ex ratione præiacta non magis infertur neceſsitas virtutis infinitæ ad creandam gratiam habitualem, quàm aliam rem longè minoris momenti, vt paleam, vel feſtucam: quoniam quælibet illarum, quantumvis abiecta, per creationem transferri debet à nihilo in aliquid, ac proinde à termino *a quo* infinitè diſtanti. Patet verò relatè ad gratiam præcellentiſsimam, & peculiarem participationem naturæ divinæ, debere quæri peculiarem rationem repugnantiæ, vt virtute propria creetur ab aliquo agente creato. *Tertiò* denique ratio eadem corruit: quoniam adhuc ſuppoſita adverſus Durandum ſententia negante poſsibilem eſſe creaturæ vim principalē ad creandū, adhuc illa perperam ex eo capite probatur: vt oſtendimus ſuprà Diſp. XVI ſect. 3. n. 36. nec repetere oportet. Ratio autem breviter indicata in eo conſiſtit, quòd nihilum ſolum diſtet ab aliquo iuxta huius perfectionem. Cùm igitur omnis perfectio rei creatę ſit prorſus finita, diſtantia eius à nihilo nequit eſſe infinita: ac proinde ex eo capite non exigit in agente virtutem ſimpliciter infinitam vt ſuperetur.

16 QVOAD Poſteriorem verò partem oſtenditur inſufficientia eiuſdem probationis: quia ex eo quòd aliquis poſſet virtute principali educere gratiam habitualē ex potentia obedientiali animæ, ſummùm inferre licet dominium ipſius inadæquatum, ſeu ex parte, in potentiam obedientialem. nimirum, quoad illum effectum; non autem adæquatum, & quoad effectus omnes. Id patet in virtute principali, quâ prædita eſt mens elevata per auxiliū intrinſecum ad eliciendum actus ſupernaturales fidei, ſpei, charitatis, viſioniſque beatificæ, per eductionem illorum ex potentia obedientiali; quin tamen exinde colligatur dominium adæquatum animæ in potentiā obedientialem, ſive quoad omnes effectus ſupernaturales poſsibiles; ſed dumtaxat inadæquatum, ſive quoad illos actus dumtaxat. Neque obſtat quòd eam virtutem principalem non habeat anima ratione ſui, ſed auxilij elevantis. Pariter enim dicent Adverſarij virtutem principalem ad educendū habitualem gratiam non competere naturæ rationali creatæ ex viribus propriis, ſed ratione doni elevantis. Vnde ad eam ſolutionem refellendam opus erit recurrendi ad rationē aliam.

17 PROBANT II. Alij, quia gratia habitualis eſt peculiaris participatio perfectionis naturæ divinæ in ordine ſupernaturali: ac proinde ſolùm poteſt virtute propria effici ab eādem natura divina, quæ eādem perfectionem habet per eſſentiam: ſicuti actus calefaciendi & cremandi ſolùm poſſunt fieri virtute propria à calore & igne, quorum eſſentia ſita eſt in capacitate ad eos actus eliciendos.

18 VERVM Ratio hæc infirmior eſt præcedenti, & patitur manifeſtè inſtantiā pariter in actionibus ſupernaturalibus paulo antè indicatis, quæ etiam ſunt peculiares participationes actuum divinorum cognitionis atque amoris in ordine ſupernaturali. Et tamen virtute principali eliciuntur ab intellectu & voluntate elevatis per auxiliū intrinſecum: vtpote agentibus vitaliter & intra ſphæram ſui obiecti adæquati. Ergo ex eo quòd gratia ſit peculiaris participatio naturæ divinæ in ordine ſupernaturali, nō impeditur vt creatura aliqua intrinſecè elevata poſsit illā virtute principali producere. *Rurſus*. Omnes homines ſecundū gradum rationalem ſeu intellectualē, etiam in concreto ſumptū, ſunt peculiares participationes naturæ divinę in ordine naturali, prę brutis animantibus, & quibuſlibet alijs creaturis expertibus rationis vt docet D. Tho. 1. p. q. 93. a. 2. & per ſe patet. Et tamē locus eſt vt vnus homo ab alio virtute principali producatur, non ſolùm penes gradū genericū animalis, ſed etiā penes ſpecificum rationalis, ſeu intellectualis in concreto accepti: vt patet in generatione humana. Ergo idem dici poſſet de participatione peculiari naturæ divinæ in ordine ſupernaturali. Nec eſt par ratio de actibus calefaciendi & cremandi: quoniā ij proveniunt à calore & igne, vt à cauſa vnivoca, cuius dumtaxat eſt eos elicere. Participationes verò divinarum perfectionum proveniunt à Deo tanquam à cauſa æquivoca & vniverſali, cuius virtus poteſt participari à creatura in genere cauſæ principalis in ordine ad omnes eos effectus, circa quos nulla oſtenditur repugnantia.

19 RELICTIS Itaque ijs probationibus, & alijs ſimilibus, Aſſertio ſuadēda eſt duplici ratione à priori, ſub obſcurè & emphaticè indicata à Durando vbi ſuprà n. 4. verbis illis: *Dona gratiæ gratum facientis, & ſimilia, aut non ſunt aliud, quā acceptatio divina, quæ nō poteſt eſſe ab alio cauſaliter, nec in alio formaliter, niſi in Deo, &c.* Ex quibus priorem rationem elicio ſub hac differendi formula: Cauſa principaliter effectrix gratiæ habitualis, debet continere in ſe formaliter aut eminenter illius perfectionē. Atqui repugnat natura creata continens eam perfectionem formaliter aut eminenter Ergo & repugnat natura creata, quæ ſit cauſa principaliter effectrix gratiæ habitualis. Minor propoſitio patet ex notione propria cauſæ efficientis principalis, quatenus differt ab inſtrumētali. Minor autem ſuadetur ex præſtantia gratiæ habitualis ſupra omnē naturam creatā & creabilē. Nulla enim eſt poſsibilis, ſupra cuius vires & exigentiā non ſit vt Theol.

late

latè demonſtrant cũ D. Tho 1.p.q.12. probantes impoſsibilem eſſe ſubſtantiam ſupernaturalem creatã. Omnis autẽ cauſa continens perfectionẽ aliquam formaliter aut eminenter, eo ipſo illã adæquat, aut ſuperat. Repugnat ergo natura creata continens formaliter aut eminenter perfectionem gratiæ habitualis.

20 DICES I. Ex doctrina Granadi controv. 8. de Grat. tract. 4. diſp. 4. num. 2 & Kipaldæ tomo 2. de Ente ſupernaturali diſp. vltima ſect. 31. poſsibilem eſſe creaturam præſtantiorem gratia habituali nunc exiſtente, ac præſtantiorem in infinitum, ſecundùm alias atque alias ſpecies: idque colligi ex D. Thoma quæſt. 20. de Veritate art. 4. illis verbis: *Supra omnia quæ Deus fecit, adhuc poteſt alia diſsimilia facere, nouaſque ſpecies, & noua genera: quia nunquam id, quod factum eſt, virtutem factoris adæquare poteſt.* Ergo gradatim aſcendendo à creaturis nunc exiſtentibus poſsibilis debet eſſe aliqua præſtantior gratia habituali, ac proinde continens in virtute propria perfectionem ipſius formaliter aut eminenter.

21 SED Contrà inſtat ratio præiacta. *Primò*: quia ſuppoſita repugnãtia ſubſtantiæ ſupernaturalis ex doctrina Theologorum nuper indicata, & ex dicẽdis latè in progreſſu Operis, nulla natura creata aut creabilis eſt, quę per ſe exigat dona ſupernaturalia, vel ea contineat in virtute propria: cùm dona eiuſmodi ex propria cõditione & ſublimitate ſuperent omnem exigentiã & vires ingenitas naturæ. Nulla ergo natura creata aut creabilis eſt, quæ in virtute propria cõtineat formaliter aut eminenter perfectionẽ habitualis gratię. *Secundò*: quoniã non eſt poſsibilis ordo altior creaturarũ, quàm ſupernaturalis; nec melior participatio Dei, quã formalis; nec præſtantioris prædicati divini, quàm naturæ Dei, prout ratione diſtinctæ à cęteris perfectionibus, ſeu attributis ipſius. Hoc videtur per ſe evidens. Atqui gratia habitualis de facto exiſtens eſt in ordine ſupernaturali, & formalis participatio Dei, idque ſecundũ naturam ipſius, prout ratione diſtinctam à cæteris perfectionibus, ſeu attributis: vt cõſtans Theologorum ſententia eſt. Ergo non eſt poſsibilis creatura altior, ſive ſublimior gratia habituali nunc exiſtente: ac proinde nec creatura aliqua, quæ illius perfectionẽ contineat eminenter aut formaliter. *Tertiò*. Si enim eſſet poſsibilis creatura ſecundùm ſpeciẽ perfectior, ea certè exigeret perfectiorẽ ſpecie viſionẽ Dei, quæ planè repugnat cùm viſio Dei de facto exiſtens ſit quidditativa & intuitiva cognitio omniũ perfectionum divinarũ & relationum prout ſunt in ſe, quã nulla perfectior eſſe poteſt ſecundũ ſpeciem, niſi cognitio comprehenſiva Dei, quæ planè impoſsibilis eſt omni creaturæ, etiam qualibet elevatione ſuppoſita. Ergo & impoſsibilis eſt creatura ſecundùm ſpeciem perfectior gratiâ habituali nunc exiſtente. *Quartò* denique, vt alia omittam: Quia ſi poſsibiles eſſent creaturæ participantes naturam divinam perfectiùs ac perfectiùs ſecundùm ſpeciem, quàm gratia habitualis, hæc non eſſet peculiaris participatio naturæ divinæ intra ſupernaturalem ordinem, ſed communis, contra quàm Patres & Theologi colligunt ex Epiſt. 2. Petri c. 1. verbis illis: *Per quem maxima & pretioſa nobis promiſſa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ conſortes naturæ.* Sequela patet: quia habitualis gratia non eſſet participatio naturæ divinæ ſecundùm gradum aliquem in ſpecie atoma, ſed dumtaxat in genere cõmuni ſibi & alijs rebus ſpecie diſtinctis præſtãtioribuſque.

22 NEQVE Obſtat locus ille S. Thomæ, in quo Adverſarij nituntur: quoniam ibidem S. Doctor ſolùm tradit, Deum poſſe facere novas ſpecies, novaque genera, vltra ea quæ de facto exiſtunt; nec vllã eſſe illarũ multitudinem, vltra quam non poſsit producere aliud & aliud infinitum: quia virtus ipſius eſt omnipotens & infinita, quæ proinde nullis limitibus coerceri poteſt. Quare iuxta frequentem ſententiam Philoſophorum, quam latè tradidimus in Phyſica Diſp. 24. repugnat exiſtere creaturam aliquam omnium poſsibilium perfectiſsimam, ſive vltra quam non poſsit Deus alias & alias ſpecie diverſas & perfectiores producere. Id tamen, vt ibidem monuimus ſect. vltim. dumtaxat intelligitur de naturis ſubſtantialibus & creaturis ordinis naturalis: non autem de formis ſupernaturalibus, & actionibus, modiſque eiuſdem ordinis; quales ſunt gratia habitualis, vnio hypoſtatica, & viſio beatifica, quæ non poſſunt eſſe perfectiores ſpecie, nec in varias ſpecies multiplicari, penes id, quo naturam creatam ſummè Deo coniungunt, quamvis ſecundùm intenſionem poſsint in infinitum augeri. Aliunde tamen, ſeu in eſſe entis, admittunt plura ac plura in infinitum perfectiora ſecundùm ſpeciem & genus: nimirum infinitas ſpecies & genera ſubſtantiæ, quæ in ratione entis ſunt perfectiora ſimpliciter quibuſlibet accidentibus & modis ſupernaturalibus.

23 DICES II. Ex doctrina Medinę & Cabreræ vbi ſupra, poſſe dari creaturam aliquam, ſeu naturam intelectualem creatam virtute principali præditam ad efficiendum habitualem gratiam. nimirum, naturam intellectualem alicuius individui præditam capitali gratia, vt ratione agendi, quæ proinde formaliter aut eminenter contineat perfectionem gratiarum aliarum.

24 SED Contrà. Etenim gratia habitualis in qualibet natura intellectuali creata exiſtens, ſive de facto, ſive de poſsibili, nequit eſſe principium formale *quo* ad efficiendum aliam habitualem gratiam, nec in ſuo ſubiecto, nec alieno, phyſicè loquendo, & in genere principalis cauſæ, vt modò loquimur. Non intra ſuum ſubiectum: quia nullus eſt locus duplici gratiæ, ſicuti nec duplici accidenti ſolo numero diſtincto intra vnicum ſubiectum, ſaltem ex natura rei. Neque etiam extra proprium ſubiectum: quia gratia habitualis non eſt principium formale *quo* ad efficiendum aliquid extra proprium ſubiectum, nec immediatè per ſeipſam, vt omnes ſupponunt, nec mediatè, ſive ratione virtutum infuſarum, quas ſecum affert. Cùm enim eiuſmodi virtutes pertineant ad intellectum & voluntatem, ac ſubinde ſolùm inclinent ad actiones immanentes vtriuſque potentiæ prorſus finitas, nequeunt medijs jis efficere aliquid extra proprium ſubiectum. Nimirum, nulla actio formaliter immanens in agente poteſt efficere aliquid extra illud phyſicè loquendo, ſaltem niſi infinitè perfecta ſit.

25 EXPLICATVR Vberiùs hæc impugnatio. Diſputant Theologi cum Divo Thom. 1 part. quæſt. 45 art. 3. vtrùm creatio activa, ſubindeque quælibet alia productio rerum, quatenus activè ſe habens ex parte Dei, ſit actio immanens in ipſo: an potiùs formaliter tranſiens ab ipſo in effecta creata. Plerique Recentiorum negant, creationem activam eſſe actum Dei formaliter immanentem, & aſſerunt illam conſiſtere in aliquo extra Deum, ſeu diſtincto à termino creato, ſeu indiſtincto: quoniam nequeunt percipere, quomodo actio formaliter immanens in Deo, ſpectanſque ad intellectum & voluntatem, habeat per ſeipſam producere creaturas, niſi accedat præterea actio aliqua potentiæ executricis formaliter tranſiens, & producens quælibet effecta extra Deũ. Econtrà verò D. Thomas, eiuſque diſcipuli, creationem activam aſſerunt eſſe actionem formaliter immanentem voluntatis divinæ, ſolumque virtualiter tranſeuntem: quia ratione infinitatis ſuæ debet habere per identitatem quidquid pertinet ad lineam operationis, ac ſubinde eſſe per ſeipſam in vltimo actu exercitij, ſeu productionis. Quòd qualiter intelligendum ſit ſuprà latè expoſuimus in Commentarijs ad caput 7. Diſp. XIX. per totam. Itaque omnes Theologi, vtramvis ex his opinionibus ſequantur, planè negant actionem formaliter immanentem eſſe effectricem alicuius operis extra proprium ſubiectum, ſaltem ſi finita ſit ſecundùm perfectionem. Atqui actio procedens ex habituali gratia medijs virtutibus ſupernaturalibus ad intellectum & voluntatem ſpectantibus eſt formaliter immanens & finita ſecundùm perfectionem: idque tam loquendo de gratia habituali exiſtente, quàm de alia qualibet poſsibili, aut de alia perfectiore ſecundùm ſpeciem, quam Ripalda imaginatur. quippe & illa deberet eſſe finita, & principiũ actionum formaliter immanentium. Ergo nulla demum gratia habitualis poteſt eſſe principium formale *quo* ad efficiendum extra proprium ſubiectum aliam habitualem gratiam.

26 VRGETVR Hæc ipſa conſideratio. Fuere aliqui ex Philoſophis Gentilibus, qui dixerunt, Deum ſummum dedignari per ſeipſum facere quaſdam rerum creatarum, ideoque eas comiſsiſſe faciendas minoribus Dijs, id eſt, Angelis, quaſi ludicrum quoddam. Ita enim loquitur referens eam opinionem S. Cyrillus lib. 15. Theſaur. & lib. 31. ac præterea lib. 2. contra Iulianum, vbi eum errorem impugnat, ſicut & Tertullianus lib. de Præſcription. Auguſtinus lib. 12. de Civitat. cap. 24 & Damaſcenus lib. 2. Fidei cap. 3. ſub finem, vbi cùm latè naturam, conditionem, & officia Angelorum deſcripſiſſet, ſubdit: *Quotquot autem ſunt, qui eſſentiam vllam, quæcumque ea ſit, ab Angelis factam eſſe contendunt, horum ore pater ipſorum diabolus loquitur.* Subdit verò ſtatim rationem, quam miror prætermiſſam à Iacobo Billio in ſua verſione, alioqui exacta & elegante: κτίσματα γὰρ ὄντες, οὐκ εἰσὶ δημιουργοί, id eſt: *Cùm enim creaturæ ſint, nequeunt eſſe conditores.* Quæ verba, quamvis poſsint habere alium ſenſum alibi à nobis obſervatum, vt negaremus Angelis vim creandi; adhuc tamẽ impræſenti ita accipi debent, vt excludant ab Angelis vim efficiendi aliquid extra ſe per veram productionem, qualecumque illud ſit; non quòd ſint creaturæ vtcumque, ſed quia ſunt creaturæ intellectuales, quarum proinde omnis actio eſt formaliter immanens in intellectu & voluntate. Neque enim alia ratio videtur aſsignari poſſe contra Philoſophos illos Gentiles, cur Angeli nequeant producere rem aliquam extra ſe, quàm quòd actiones ipſorum ſint formaliter immanentes & finitæ, quæ proinde dumtaxat habent perficere proprium ſubiectum, ſicut & in eo manere; non autem perficere ſubiectum extraneum, vel illi exiſtentiam communicare. Atqui omnis gratia habitualis, tum exiſtens, tum poſsibilis, dumtaxat poteſt eſſe principium actionum finitarum formaliter immanentium, ſeu ſpectantium ad intellectum & voluntatem. Ergo nulla demum gratia habitualis, ſive exiſtens, ſivè poſsibilis, poteſt eſſe principium formale *quo* producendi aliam gratiam extra proprium ſubiectum

iectum, immò neque producendi quidquam aliud, quamvis minimum ſit, extra illud.

27 VNDE inferur, nec gratiam capitalem Chriſti Domini (multo autem minùs capitalem gratiã cuiuslibet puræ creaturæ) eſſe principium formale *quo* ad producendum phyſicè in genere cauſæ principalis habitualẽ gratiam aliorum iuſtorum: quia ex eo quòd ſit capitalis, vel exiſtat in Chriſto habitualis gratia, non eſt alterius naturæ, aut rationis formalis diverſę à gratia habituali iuſtorum, ac proinde dumtaxat eſt principium mediatum actionũ formaliter immanentium intellectûs & voluntatis, ſeu etiam appetitûs ſentientis, quibus nihil extra proprium ſubiectum effici poteſt virtute propria, ſeu principali. Itaque quòd gratia illa in Chriſto capitalis ſit, dumtaxat conferre poteſt, vt Humanitas Chriſti ratione illius ſit cauſa principalis moralis, ſive meritoria de condigno aliarum gratiarum: non autem cauſa principalis phyſica, vt poſtea pleniùs apparebit ſectione ſequenti.

28 VRGETVR Denique. Si enim gratia habitualis poſſet eſſe principium formale *quo* producendi aliam, vel æqualem, vel inferiorem, in alieno ſubiecto; gratia habitualis de facto exiſtens in quolibet iuſto eſſet principium formale *quo* ad producendum principaliter phyſicè habitualem gratiam alterius ſubiecti, aut æqualiter, aut minùs iuſti. Nihil enim habere poteſt alia gratia habitualis, ſeu exiſtẽs, ſeu poſsibilis, quoad intrinſeca, ſive quoad totam rationem formalem, quod non habeat gratia cuiuslibet iuſti relatè ad aliam, ſeu æqualẽ, ſeu inferiorem alterius iuſti. At conſequens falſum eſſe, & abſurdum, patet. Neque enim quiſquam Theologorum dixit, quemlibet hominem iuſtum ratione gratiæ ſuæ habitualis habere principium formale *quo* ſufficiens ad producendum phyſicè principaliter gratiam alterius iuſti, adhuc in actu primo. Idemque eſt de virtutibus ſupernaturalibus gratiam ipſam comitantibus. Ergo de primo ad vltimum repugnat omnino creatura, quę vel ex natura ſua, vel ratione doni elevantis, poſsit efficienter phyſicè ac principaliter producere habitualem gratiam, ſive, quod perinde eſt apud Durandum, dare Spiritum ſanctum, prout in dono gratiæ gratum facientis.

SECTIO QVARTA.

Alia Durandi ratio expenditur & vrgetur pro eadem vera ſententia.

29 ALTERA Ratio à Durando indicata verbis ſupra exſcriptis, ſic inſtitui poteſt. Quicumque in genere cauſæ principalis poteſt tribuere habitualem gratiam, poteſt etiam tribuere in eodem genere acceptationem, ſeu adoptionem in hæreditatem vitæ æternæ. Atqui repugnat creatura tribuens in genere cauſæ principalis acceptationem, ſeu adoptionem in hæreditatem vitæ æternæ. Ergo & repugnat creatura, quæ poſsit in eodem genere tribuere gratiam habitualem. Conſequentia eſt optima, ex maior perſpicua: quia proprius effectus gratiæ habitualis eſt acceptatio, ſeu adoptio creaturæ rationalis in vitam æternam, vt omnes colligunt ex Apoſtolo ad Roman. 8. verbis illis: *Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater.) Ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei, ſi autem filij, & hæredes*, &c. Ergo quicumque in genere cauſæ principalis tribuit gratiam alteri, etiam in eodem genere tribuit ipſi acceptationem & adoptionem in hæreditatem vitæ æternæ. Minor autem ſive aſſumptio ſyllogiſmi, ſuaderur multipliciter. PRIMO: Quia ſolus ille poteſt acceptare, & adoptare ad hæreditatem, qui habet in ſe naturam, quæ ſit principium naturalis generationis. Quod vniverſè loquendo verum eſt. Neque enim Angelus poteſt adoptare hominem, neque homo equum, quoniam nec prior habet in ſe naturam, quæ ſit principium generationis humanæ, nec poſterior naturam, quæ ſit principium generationis equitæ. Eſt enim adoptio quoddam ſupplementum, non quidem naturę eiuſdem, quæ omnino ſupponi debet in adoptante, ſed generationis naturalis dumtaxat, in ſolatium eorum qui liberis carent, vt adſcititios habeant, quos non aſſequuntur ex impedimento aliquo, aut vitio naturæ. Itaque transferendo leges & conditiones adoptionis politicæ, ſeu civilis, ad divinã, ſive ſupernaturalem adoptionem; nequit hanc præſtare ille, qui in ſe ipſo præditus non eſt naturâ divinâ, quæ ſola eſt principium divinæ generationis naturalis. Asqui repugnat creatura, quæ in ſe habeat naturam divinã, ſeu principium naturale generationis divinæ, vt patet. Ergo pariter repugnat creatura, quæ virtute principali tribuat acceptationem, ſeu adoptionem in hæreditatem vitæ æternæ. Vide infrà num. 35. SECVNDO ſuadetur aſſumptio eadem. Solus ille poteſt virtute propria tribuere ius gratuitum adoptionis ad hæreditatem vitæ æternæ, qui habet ius connaturale ad vitam æternam: ſicuti in genere nemo poteſt virtute propria tribuere alteri ius gratuitũ in aliquod bonum, niſi qui habet ius connaturale proprietatis, ſive dominij in illud. Atqui repugnat creatura rationalis habens ius connaturale in hæreditatem vitæ æternæ: ſicuti repugnat ſub-

ſubſtantia ſupernaturalis creata, cui viſio Dei ſit connaturalis Ergo & repugnat creatura rationalis, quæ virtute propria tribuat alteri adoptionem in hæreditatẽ vitæ æternæ. TERTIO ſuadetur ex diſcrimine inter adoptionem politicam & divinam, obſervato à D Thoma 3 p.q.23 art.1. quòd prior nullam mutationẽ intrinſecam pariat in ſubiecto; ſecùs verò poſterior. Nimirum, adoptio politica ſolùm cõfert extrarium ius ad hæreditatem adeundam, ſine vlla mutatione intima hominis adoptati. Adoptio autem divina tribuit ius intimum per renovationem interioris hominis ideoque Tridenrina Synodus ſcitè docuit Seſſ. 6 iuſtificationem non eſſe ſolam peccatorum remiſſionem, ſed etiam renovationem interioris hominis Hinc autem ſubducitur probatio vlterior aſſumptionis illius. Nemo enim virtute propria poteſt operari quidquam intra arcanos animæ ſinus, niſi Deus ſolus, qui intimo illapſu ſpiritus omnes, mentes, ac voluntates permeat: iuxta illud Ezechielis 44. v. 2 *Porta hæc clauſa erit: non aperietur, & Vir nõ tranſibit per eam.* Atqui divina adoptio fit per operationem aliquam intra arcanos animæ ſinus. Ergo ſolus Deus, non autem creatura aliqua, poteſt virtute propria adoptare aliam in hæreditatem vitæ æternę.

30 DICES I. Humanitas Chriſti habet ſibi coniunctam intimè divinitatem, ſive naturam divinam, à qua & ſanctificatur & vngitur, vt phraſis Patrum eſt. Ergo iam habet coniunctum ſibi principium formale *quo* diuinæ generationis, ratione cuius poſſit adoptare puros homines, & acceptare ad hæreditatem vitæ æternæ.

31 SED Contrà. Divina enim natura non vnitur Humanitati Chriſti Domini ſummediatè ratione ſui, ſed mediatè ratione perſonę, ſeu perſonalitatis Verbi; nec præterea vnitur vt forma phyſica, vel ad eſſendum, vel ad operandum, ſed dumtaxat vt forma moralis, dignificans Humanitatem Chriſti, ſeu conſtituens illam obiectum congruum ac dignũ ſummâ illâ dilectione, cuius capax eſt. Vnde numquam Humanitas Chriſti habet ſibi vnitam divinitatem, quatenus hęc eſt principium formale *quo* divinę generationis; ſed ſolùm quatenus eſt forma ſanctificans. Deinde neque habet divinitatem ſibi vnitam, ex debito aut exigentia connaturali, ſed ſolùm ex gratia vnionis prorſus indebita, & ſumma gratiarum omnium. Omnis autem ille, qui propriè adoptat alterũ, debet ab intrinſeco habere naturam illam, quę eſt principium formale *quo* generationis naturalis, & non ſolùm gratuitò aut ex liberalitate conceſſam.

32 INSTABIS. Ergo nec Filius, nec Spiritus ſanctus poſſunt adoptare filios in hæreditatem vitæ æternæ: quia neuter eorum habet ſibi communicatam naturam, vt principiũ formale *quo* generationis, cum neuter habeat vim generandi. Conſequens autem abſurdum eſt: quia vt omnes Theologi docent cum Div. Thoma 3 p.q.23.art.1. adoptare in ordine ſupernaturali convenit toti Trinitati, atque adeò ſingulis perſonis. *Præterea.* Adhuc ſuppoſito per impoſsibile quòd in divinis non eſſet Trinitas perſonarum, ſed vnica perſona, illa certè poſſet adoptare, ſicut modò, creaturas rationales in hęreditatem vitæ æternæ. Et tamen natura divina ipſius non eſſet principium formale *quo* naturalis generationis: quia in ea hypotheſi nulla eſſet in divinis generatio. Ergo adoptio creaturarum rationalium non ſupponit per ſe loquendo in adoptante naturam quę ſit principium formale *quo* naturalis generationis.

33 RESP. Filium & Spiritum ſanctum, prout conditinctos à Patre non poſſe quemquam adoptare: quoniam, vt docet D. Thom. loco indicato art. 2. adoptio divina eſt opus indiviſim cõveniens toti Trinitati. Quod probat S. Doctor ex verbis Apoſtoli ad Rom. 8. *Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba (Pater.)* Cùm autẽ dicimus *Pater noſter*, id ad totam Trinitatẽ ſpectat, ſicut & cætera nomina, quæ dicuntur de Deo relativè ad creaturas: vt idem tradiderat 1. p.q.39 art.7 Ergo adoptare non convenit Filio aut Spiritui ſancto, prout conditinctis à Patre, ſed indiviſim toti Trinitati. Itaque tres perſonæ ſimul adoptãt ratione vnius & eiuſdem numero naturæ, quamvis hæc ſolùm in Patre ſit principium generationis naturalis. Subdit verò D. Thom. eodem articulo ſecundo ad 3. *. Filiatio adoptiva eſt quædã ſimilitudo filiationis æternæ: ſicut omnia quę in tempore facta ſunt, ſimilitudines quędam ſunt eorum, quæ ab æterno fuerunt. Aſsimilatur autem homo ſplendori æterni Filij per gratiæ claritatem, quæ attribuitur Spiritui ſancto. Et ideo adoptatio, licèt ſit communis toti Trinitati, appropriatur tamen Patri, vt auctori; Filio, vt exemplari; Spiritui ſancto, vt imprimenti in nobis huius ſimilitudinem exemplaris. * Semper itaque verum eſt, in adoptione divina exigi divinitatẽ, veluti principium naturalis generationis, licèt non in omni perſona exerceat munus generandi, ſed ſolùm in Patre, cui ſpeciatim appropriatur adoptio, tanquam auctori.

34 AD Poſteriorem inſtantiam nego maiorem. Dato enim per impoſsibile quòd in Deo non eſſet Trinitas perſonarum, ſed vnitas ſola, nullus eſſet locus filiationi adoptivæ creaturarum rationalium; quia nullus eſſet lo-

cus

cus in Deo filiationi naturali, ad cuius ſimilitudinem exprimitur, ſive ſuum eſſe habet, ſupernaturalis adoptio. Quòd ſi verò opponas, tunc futurum fuiſſe locum habituali gratiæ, & iuri ad hæreditatem vitæ æternę, atque adeò ſupernaturali adoptioni; Reſpondeo negando aſſumptum. Gratia enim habitualis eſſentialiter importat ordinem ad vitam æternam, non quamlibet; ſed illam, quæ eſt viſio clara Dei prout eſt in ſe, ac proinde vnius in eſſentia, & trini in perſonis. Quare in ſuo conceptu eſſentiali importat ordinem ad Trinitatem perſonarum, tamquam ad obiectum viſionis beatificæ, ad quam aſſequendam ipſa gratia habitualis ex natura ſua tendit. Ergo ſuppoſito per impoſsibile, Deum non eſſe trinum in perſonis, nullatenus exiſteret, ſed potiùs repugnaret gratia habitualis, ac proinde filiatio adoptiva, quam ipſa præſtat. Itaque ſemper verum exiſtit, adoptionem ſupernaturalē exigere in adoptante naturam, quæ ſit principium formale *quo* generationis divinæ, vt proinde dicatur & exprimatur per ordinem & analogiam ad filiationem Dei naturalem. Cùm igitur nulla creatura exiſtens aut poſsibilis ſit capax habendi Deitatem, quę ſola eſt principiū formale *quo* generationis Dei naturalis; nulla etiam capax adoptandi alium in hęreditatē ſupernaturalē vitę æternę. Plura alia vide ſuprà Diſ. LXXXIX. ſect. 2.

35 VEL Aliter à principio potuit explicari illa præcipua aſſumptio eiuſdem argumenti, in quo hactenus verſati ſumus: vt nemo poſsit virtute propria conſtituere Deum per gratiam, niſi qui eſt Deus per naturam: ac proinde nemo poſsit adoptare in filiationem Dei per gratia, niſi qui divinam naturam habet: quoniam in huius participatione per gratiam ſita eſt filiatio ſupernaturalis adoptiva. Repugnat autem cuilibet creaturę exiſtenti aut poſsibili eſſe Deum per naturam, ſeu naturam divinam habere, vt patet. Ergo pariter ipſi repugnat, vt virtute propria aliam creaturam efficiat Deum per gratiam, aut ipſi conferat filiationem ſupernaturalem adoptiuam.

SECTIO QVINTA.

Præcipua argumenta aduerſæ opinionis ſoluta. Vbi plura obſeruatu digna.

36 OBIICIES I. Gratia habitualis de facto producitur virtute propria à quolibet adulto ſe præparante ad illam, dum elevatus per auxilium intrinſecū ſupernaturale elicit actum contritionis perfectæ, quo ſe diſponit vltimò ad gratiam. Quicumque enim virtute propria, ſive intrinſeca, efficit vltimam diſpoſitionem ad aliquam formam, efficit quoque in eodem genere cauſæ principalis formam ipſam. Quod patet tum inductione, in quibuslibet vltimis diſpoſitionibus ad formam: tum etiam ex connexione vltimæ diſpoſitionis cum forma præcipua. Atqui homo intrinſecè elevatus elicit in genere cauſæ principalis actum contritionis vltimò diſponentis ad gratiam habitualem. Ergo in eodem genere producit ipſam gratiam habitualem.

37 HVIC Argumento diverſimodè occurri ſolet, pluresque illius ſolutiones circumferuntur, quas nos refutavimus tractatu de Iuſtificatione. Quare ijs omiſsis, reſpōdeo imprimis, argumentum præiactum ad ſummum poſſe habere vim in opinione illorum, qui docent contritionem eſſe diſpoſitionem vltimam ex natura rei ad gratiam: non autem iuxta ſentiam longè veriorem, immò apud nos certam, quâ aſſeritur, contritionem dumtaxat eſſe vltimam diſpoſitionem ex ordinatione divina, aut etiam ſuppoſito per accidens peccato; non autem ex natura rei. Quippe gratia habitualis per ſe loquendo eſt prima vita radicalis in ordine ſupernaturali: ac proinde non exigit per ſe, nec ſupponit aliquem actum vitæ ſupernaturalis pro aliquo priori, niſi ſolùm per accidens ex cōditione ſubiecti, aut in ſtatu præternaturali. Inſuper, adhuc ſuppoſita contritione perfecta, ſolùm habetur impetratio quædam gratię habitualis ex novo favore, ac miſericordia Dei: vt planè colligitur ex ſacris litteris Ioelis 2. & ex Tridentino Seſſ. 14. c. 4. quod tamen non eſſet verū, ſi cōtritio eſſet phyſicè diſpoſitio vltima ad gratiam. Quippè novus favor non eſt concedere formam præcipuam ſuppoſita iam in ſubiecto diſpoſitione vltima ex natura rei cum ea connexa. Itaque iuxta hunc poſteriorem dicendi modum, obiectio nullam vim habet: quia quamvis homo elevatus per auxilium intrinſecum, eliciat in genere cauſæ principalis actū contritionis perfectę; non ideo elicit aliquid ex natura rei connexum cum habituali gratia, vel illam neceſſariò exigens, vt contingit in alijs vltimis diſpoſitionibus, de quibus procedebat argumentum.

38 CÆTERVM Suppoſita opinione nobis contraria, quæ docet contritionem eſſe diſpoſitionem vltimā ex natura rei ad gratiam, difficilior eſt obiectio. Adhuc tamen reſponderi poteſt, non ſatis coligi virtutem principalem ad gratiam efficiendā ex virtute principali ad efficiendam contritionem quia gratia habitualis ex propria conditione & natura ſuperat vim principalem productivam cuiuslibet creaturæ. Quod optimè explicatur exemplo rationalis animæ, quam nullum agens creatum poteſt in genere cauſæ principalis producere, quam-

quamvis producat in eo genere diſpoſitiones vltimas ex natura rei cum ea connexas : vt patet in homine generante, qui producit in genere cauſę principalis illam organicam diſpoſitionem, qua vltimò præparatur materia prima ad recipiendam rationalem animam ; nec tamẽ ideò ipſam animam producit: quoniam ex propria cõditione exigit fieri à ſolo Deo per creationem. Pariter ergo dici poteſt, gratiam habitualem ex propria conditione exigere, vt vel fiat à Deo per creationem, quod opinatur Durandus in 2. diſt. 1 ac præterea Scotus in 4. diſt. 1. (quamvis repugnante Maſtrio, & Subtilem Doctorem in oppoſitam ſententiam trahente tom. 2 diſp. 1.) vel per eductionem ex potentia obedientiali ſubiecti, non vtcumque, ſed in ratione qualitatis per ſe infuſæ, de cuius conceptu generatim eſt, vt à ſolo Deo infundatur, & in nullius agentis creati virtute activa principali contineatur. In alijs verò formis materialibus longè alia ratio eſt : cùm ex propria conditione nil habeant ratione cuius ijs repugnet contineri in virtute principali illius agentis, à quo producuntur vltimæ diſpoſitiones, quibus ſubiectum præparatur ad illas recipiendas.

39 INSTABIS. Licèt homo generans non efficiat rationalem animam alterius hominis ab ipſo geniti, efficit tamen in genere cauſæ principalis hoc complexum, quod eſt homo genitus, quia in eodem genere efficit diſpoſitiones ultimas ad vnionem animæ rationalis cum materia, ac ſubinde vnionem vtriuſque. Atqui homo elevatus per auxilium intrinſecũ elicit in genere cauſæ principalis cõtritionem perfectam, quæ, iuxta poſteriorem dicendi modum, eſt diſpoſitio vltima ad vnionem gratiæ cum anima; ac ſubinde in eodem genere efficit vnionem ipſam. Ergo licèt non efficiat in genere cauſæ principalis gratiam habitualem, efficit tamen hoc concretum, quod eſt gratum, ſive iuſtum. Quare demum colligitur, hominem auxilio intrinſeco elevatum, iuſtificare ſeipſum in genere cauſæ efficientis principalis.

40 RESP. Obiectionem hanc potiùs habere vim cõtra opinionem Vaſquij, Mæratij, Ripaldæ, & quorundam aliorum è Recentioribus, tribuentium actui cõtritionis formalem vim iuſtificandi, quàm contra opinionem noſtram. Quippè homo elevatus auxilio intrinſeco efficit in genere cauſæ vitalis & principalis actũ contritionis perfectę, qui in ea ſentẽtia eſt forma ſanctificans: ac proinde in eodem genere cauſæ principalis ſanctificat, ſive iuſtificat ſeipſum. Deinde permiſſo, contritionem eſſe diſpoſitionem vltimam ex natura rei ad gratiam habitualem, reſpondeo eſſe diſparem rationem: quia homo generans non ſolùm efficit vltimas diſpoſitiones ad recipiendam animam rationalem in materia, ſed etiam vnionem vtriuſque ſubſtantialem, qualiſcumque ea ſit. Deus enim per creationem animæ rationalis ſolùm ponit illam intra materiam, ſeu indiſtantem ab ipſa; non autem illam vnit ſubſtantialiter per actionem creandi: quoniã eiuſmodi vnio fit à generãte in genere cauſæ principalis, & à Deo per concurſum ſimultaneum. Quare homo dicitur in genere cauſæ principalis generare concretum illud, ratione vnionis ſubſtantialis, quam producit. Cæterum homo elevatus eliciẽs in genere cauſæ principalis cõtritionẽ perfectam, quamvis hæc afferatur diſpoſitio vltima ex natura rei, non propterea cauſat vnionem animæ cum grãtia efficienter: quia in hoc genere cauſatur à ſolo Deo educente illam ex potentia obedientiali animæ, & illam vniente per ipſam eductionem. Nimirum, eductio formæ ex ſubiecto, prout diſtincta à creatione formæ, habet intimè vnire ipſam formam ſubiecto, vt cauſæ materiali. Quapropter non colligitur, hominem contritum iuſtificare ſeipſum in concreto efficienter principaliter, ſed diſpoſitivè tantùm.

41 OBIICIES II. Chriſtus, quatenus homo, videtur fuiſſe cauſa principalis efficiens noſtræ gratiæ habitualis, iuxta illud Ioan 1 *Lex per Moyſem data eſt : gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Vbi, iuxta interpretationem D. Thom. ibidem *lect.* 10. Evangeliſta præfert Chriſtum Moyſi, nõ ſolùm penes excellentiam operis, quia gratia & veritas per Chriſtum facta eſt aliquid ſublimius lege data per Moyſem; ſed etiam ex parte modi operandi : quoniam lex ſolùm fuit data per Moyſem, tamquã per proponentem: gratia autem & veritas facta eſt per Chriſtum, veluti Dominum, Auctoremque. Vnde & idem Redemptor noſter ait Ioannis 10. *Ego ſum oſtiũ. Per me ſi quis introierit, ſaluabitur.* In oſtio autem ſignificari principalem auctoritatem, docet D. Thom. 1. p. q 8. art. 6. ad 3 Quare idem in 4. diſt. 5 q 2. a. 2 quæſtiunc. 2. tribuit Chriſto vt homini poteſtatem efficiẽdi gratiam per modum auctoritatis, dum ait: *Agens principale baptizando eſt ipſe Deus per auctoritatẽ, & ipſe Chriſtus, ſecundũ quod homo.* At quiſquis per auctoritatem efficit gratiam, eſt planè cauſa phyſica principalis illius. Ergo Chriſtus vt homo eſt cauſa principalis phyſica noſtræ habitualis gratiæ.

42 RESP. Ex doctrina eiuſdem S. Thom 3 p. q. 64. art. 3 & 4. in Chriſto D. relatè ad gratiam fuiſſe duplicem poteſtatem: alteram auctoritatis, ſeu principalis agentis, conuenientem ipſi quatenus Deus eſt: alteram excellentiæ, ſeu miniſterij principalis, conueniẽtem

tem ipsi, vt homini, nimirum quatenus eius Humanitas erat instrumentum physicè vnitum Verbo diuino. Porrò ait S. Doctor, eam potestatem excellentię propter vnionem cum Deo posse appellari auctoritatem quandam ad gratiam efficiendam, quamvis verè Humanitatem non constituat causam principalem gratiæ, cū adhuc verè sit instrumentum, licèt coniunctum, ad efficiendam illam. Vnde ad duplex testimonium Scripturæ obiectum facilè responderi potest, si in ijs sermo sit de aliqua auctoritate stricte dicta, seu principalis agentis, id intelligi debere de Christo, vt Deo, non vt homine; sive de Filio hominis, non secundùm formā hominis, sed Dei, vt num. 4. loquebamur cum Augustino. Quod si verò quisquam instet, ac contendat, in ijs & alijs Scripturæ locis similibus sermonem esse de Christo, vt homine; exponenda erunt de potestate excellentiæ; non quidem principali simpliciter, aut per modum auctoritatis strictæ; sed larga quadam acceptione, quatenus Humanitas Christi coniuncta erat Deo hypostaticè, ac subinde instrumentum longè excellentius cæteris ad gratiam efficiendam.

43 VRGEBIS. Excellentia illa Christi, vt hominis, tanta erat, vt ratione vnionis hypostaticæ cum Verbo deberetur Humanitati gratia capitalis excellentissima, per quam constituebatur potens in actu primo ad derivādum habitualem gratiam in membra totius Ecclesiæ. Omnis autem causa, quæ per formam nobiliorem constituitur potens in actu primo ad causandum aliquem effectum, est causa efficiens principalis illius. Ergo Christus vt homo fuit causa efficiens principalis gratiæ cæterorum hominum.

44 RESPONDEO, Christum ratione gratiæ habitualis sibi debitæ non fuisse constitutum in actu primo potentem efficere gratiam reliquorum hominum: quoniam habitualis gratia Christi, licèt præcellentissima, & longè maior omni gratiâ iustorum collectivè sumptâ, adhuc erat eiusdem speciei, & rationis formalis cum gratia aliorum hominū: ac proinde sicut hæc nullum hominem purum constituit in actu potentem efficere gratiam alterius hominis, etiam inferiorem, siue minùs intensam: ita etiam nec habitualis gratia constituebat Christum in actu primo potentem efficere gratiam habitualem inferiorem, sive minùs intensam cæterorum hominum. Quare habitualis gratia Christi non fuit principium formale *quo* producendi gratiam aliorum ratione sui, sed dumtaxat ratione virtutis instrumentariæ sibi superadditæ ex consortio ad Verbum: quæ virtus non æquat perfectione gratiam ipsam habitualem iustorum: ac proinde relinquit Humanitatem Christi in ratione instrumenti, nec transfert in vim causæ principalis: quia hæc debet constitui in actu primo per formam superiorem aut saltem æqualem cum effectu producendo. Sic etiam casu quo Adamus perseverasset in bono, gratia capitalis ipsius numquam constitueret illum potentem in actu primo ad transferēdum iustitiam in posteros physicè loquendo, sed solùm moraliter ex ordinatione aut pacto divino, quo constitutus fuit caput morale aliorum. Et hoc sensu absdubiò gratia Christi capitalis fuit principalis causa meritoria & moralis gratiæ nostræ: non autem physica, de qua potissimum quærimus.

45 INSTABIS. Nūlla appareret repugnantia, vt gratia illa Christi per suam entitatem, vel saltem per qualitatem, sibi superadditam in genere causæ principalis, participaret omnipotentiam divinam; non quidem simpliciter & adæquatè, sed inadequatè solùm: nimirum in ordine ad causandam aliorum hominum gratiam. Adhuc enim esset finita: vipotè certis liminibus comprehensa, nec propterea potens ad producenda quælibet alia per propriam virtutem. Ergo concedi debet gratiæ Christi ea excellentia, vel ratione sui, vel saltē ratione qualitatis superadditæ. Etenim Christo vt homini concedere debemus omnem eam excellentiam, quæ non involvit infinitatem simpliciter, vel aliam manifestam repugnantiam.

46 RESPONDEO Negando antecedens: quia si loquamur de gratia ipsa habituali Christi, iam suprà sect. 3 demōstratum fuit, illam non esse principium formale *quo* in genere causæ principalis, nisi in ordine ad actus immanentes intellectûs & voluntatis, quibus nequit efficere aliquid extra se, sed dumtaxat perficere proprium subiectum. Si autem sermo sit de qualitate superaddita, hæc certè nequit adæquare in perfectione habitualem gratiam, vipotè præstantissimam inter omnes qualitates possibiles. Vnde qualitas illa superaddita, quā D. Thomas admittit, & alij Theologi negant, dumtaxat potest esse instrumentaria, sive per modum motionis cuiusdam, qualiter admittitur in Sacramentis ad gratiam physicè causandam, & in ipsa Humanitate Christi ad patranda quælibet opera miraculosa. Neque ideo negamus, posse participari omnipotentiam divinam inadæquatè in genere causæ principalis ab ipsa Humanitate Christi, immò & à reliquis creaturis in ordine ad alios effectus producendos: nimirum in ordine ad omnes illos, quos sufficienter continent in actu primo proximo & adæquato. Cæterum satis superque ostensum fuit, gratiam habitualem subiecti extranei eo modo contineri non posse, neque in Humani-

nitate Chriſti, nec in qualibet alia creatura exiſtenti, aut poſsibili.

SECTIO SEXTA.

Neque etiam poſſe Spiritum Sanctum in donis habituum ſupernaturalium dari, ſeu cauſari principaliter à creatura aliqua, etiam prout elevata; ſive in ſubiecto extraneo, ſive intra proprium.

47 ITA Durandus loco ſuperiùs indicato, & cum eo communiter Scholaſtici. Ratio autem deſumitur ex doctrina hucuſque tradita. Etenim dona habitualia Spiritûs ſancti, nimirum omnes habitus per ſe infuſi, ſunt proprietates, ſive accidentia connaturalia gratiæ habitualis, eiuſdemque rationis cum illa quoad ſuperandum vires & exigentiã totius naturæ creatę & creabilis. Ergo quemadmodum nulla natura creata aut creabilis poteſt in genere cauſæ principalis efficere gratiam habitualem, ita etiam neque dona, ſive habitus per ſe infuſos eiuſdẽ ordinis. Rurſus, quemadmodum repugnat creaturam ratione gratiæ habitualis, vel alterius doni elevantis, conſtitui potentem in genere cauſæ principalis ad efficiendum gratiam habitualem alterius ſubiecti: ita etiam repugnat, vt per aliquod donum intrinſecum conſtituatur potens ad efficiendum habitus per ſe infuſos, qui ſunt proprietates eiuſdem gratiæ. Sic etiam qua ratione impoſsibile eſt communicare creaturæ vim principalẽ ad creãdum Angelum vel rationalem animam, eâdem quoque repugnat cõmunicari vim creãdi intellectum aut voluntatem vtriuſque, quoniam ſunt proprietates cum ijs connexæ. Idem ergo dicendum de habitibus per ſe infuſis relatè ad gratiam, cuius proprietates ſunt.

48 MAIOR Autem difficultas eſt, cur habitus per ſe infuſi, ſive ſupernaturales, nõ poſsint intra proprium ſubiectum efficienter principaliter cauſari à creatura rationali elevata per auxilium intrinſecum. Quamvis enim frequenter Theologi in eo conveniant, id probare nituntur variis rationibus, quarum plures enerves ſunt. Placet indicare ſolùm quaſdam illarum & refellere breviter. Quidam ex eo probant, quòd actus ſupernaturales, quibus ſolis fieri poſſent habitus infuſi, ſunt minùs ſupernaturales, quàm ipſi habitus, ac proinde nequeunt illos continere in virtute propria. Verum hæc ratio eſt nullius momenti, cùm viſio beatifica (idemque eſt de actibus virtutum Theologicarum) ſit intrinſecè & quoad entitatem ſuam ſupernaturalis, ſeu excedens vires omnes phyſicas & intentionales totius naturæ creatæ & creabilis, non minùs, quàm habitus luminis gloriæ, & quilibet alius per ſe infuſus: aliundeque procedat efficienter in genere cauſæ principalis ab intellectu elevato per lumen gloriæ. Ergo ex capite minoris ſupernaturalitatis non probatur impotentia ad producendum habitus per ſe infuſos per ſupernaturalus actus.

49 ALII Probant ex illo axiomate S. Auguſtini lib. de liber. arb. cap. 18. & 19. in quo definit virtutes ſupernaturales, *bonas qualitates mentis quas Deus in nobis, ſine nobis operatur.* Ea verò definitio corrueret, ſi nos ipſi per auxilium intrinſecè elevans poſſemus in genere cauſæ principalis producere virtutes ſupernaturales. At neque ratio iſta vim habet; quoniam ſummùm probat de facto, neque enim Auguſtinus eo loci definit aliquid, ſeu determinat de poſsibili, ſed ſolàm circa factũ. Rurſus, Dato quòd loquatur etiam de poſsibili, facilè accipi poteſt vt ſenſus ſit, virtutes ſupernaturales eſſe qualitates bonas, quas Deus operatur in nobis ſine nobis operantibus ex naturę viribus nõ gratiæ. Sic etiã paſsim in ſacris literis & Concilis docemur, actus noſtros ſalutares ſoli Deo tribuendos, non nobis ipſis; cùm tamen exploratum ſit, & fide ſanctum, arbitriũ noſtrum activè ſe habere, & non veluti inſtrumentum inanimum in ordine ad eos actus ſalutares: vt definitum eſt adverſus Lutherum in Tridentino Seſſ. 6. Can. 3 4. & 7. Denique etiã de auxilijs gratiæ actualis accipitur communiter effatum illud Auguſtini Et tamen pleriq; ex Theologis concedunt aliquod auxilium gratiæ actualis, nimirum illuſtrationem intellectus, & piam affectionem voluntatis, effici à nobis, intrinſecè elevatis. Ergo pariter id ipſum dicere poſſent de habitibus per ſe infuſis, quamvis ea Auguſtini effato comprehenſis.

50 RELICTIS Itaque ijs rationibus & alijs pleriſque levioris notę, id probandum eſt ſimili ratione, ac ſuprà à num. 24 exclusa fuit vis operatrix gratiæ habitualis intra proprium ſubiectum. Nimirum habitualis gratia nequit habere vim producendi aliam ſolo numero diſtinctam intra ſubiectum proprium; quia ſaltem naturaliter, aut etiam divinitus, ea coexiſtentia duplicis accidentis ſolo numero diſtincti repugnat. Pariter quoque repugnat aliud principium intrinſecè elevans hominem, ſi ſit diverſum à gratia habituali, quod ſufficienter illam contineat in actu primo, vtpotè præſtantiorem. Eadem verò impoſsibilitas apparet relatè ad quoslibet habitus ſupernaturales. Neque enim homo per quemlibet illorum valet conſtitui potens ad alium habitum ſolo numero diſtinctum intra ſe efficiendum: quoniam vterque nequit coexiſtere, ſaltem naturaliter. Neque etiam ratione auxilij, vel alterius

qua-

qualitatis intrinſecè elevantis intellectum aut voluntatem, poteſt ſibi parere habitus infuſos in genere cauſæ principalis: quoniã nullum auxilium intrinſecum intellectûs aut voluntatis ad agendum in qualibet materia æquat perfectione habitum in ea verſantem; ac proinde nequit illum continere in virtute propria. Nulla ergo ratione habitus ſupernaturales effici poſſunt in genere cauſæ principalis, etiam intra proprium ſubiectum.

51 DICES: Habitus virtutum intellectualium & moralium acquiruntur ab homine in genere cauſæ principalis per actus doctrinæ & conſuetudinis intra illorum materiã: vt cum Ariſtotele lib. 2 Ethic cap 1. latè dixi mus in Opere *de Virtutibus, & Vitijs d. 4. q. 1.* Et tamen ij actus doctrinæ, conſuetudiniſque, non æquant perfectione habitus ipſos: nec prętera apparet ex parte actûs primi, vel concurſûs divini, ad agendum, aliquid ijs æquale. Ergo quamvis nec actus ſupernaturales, neque auxilia ſint æqualia habitibus ſupernaturalibus, ſufficient vt homo elevatus eos ſibi acquirat in genere principalis cauſæ.

52 RESPONDEO Iuxta dicta à nobis eo loco num. 20. productionem habituum ſcientiæ ſufficienter & adæquatè contineri in intellectu humano, ratione habitûs primorum principiorum, tum ſpeculabilium tum agibilium, quorũ priorem Ariſtoteles appellat *νοῦν*, ideſt, intellectum, poſteriorem verò ſindereſim relatè ad virtutes intellectuales practicas. Similiter virtutes morales adquiſitæ ſufficienter cõtinentur in inclinatione & rectitudine naturali voluntatis circa bonum morale. De quo legendus D. Thom 1. 2. q. 51 a. 1. Itaque habitus prædicti acquiruntur in genere cauſæ principalis ab homine, quoniã ſufficienter & adæquatè continentur in intellectu & voluntate, quatenus præditis vtroque habitu principiorum, tum ſpeculabilium, tum agibilium, & inclinatione, ſeu rectitudine iam dicta, & à nobis vberiùs explicata loco indicato. In homine autẽ nullus præcedit habitus ſupernaturalis, nullumque principium ſufficienter & adęquatè continens habitus infuſos. Quare ex vi auxiliorum ſolùm poteſt activè & moraliter ſe diſponere ad receptionem illorum à Deo infundente; non autem illos phyſicè ſibi parere, præſertim in genere principalis cauſę.

53 EX Doctrina in ſuperioribus tradita conſtat, proprium eſſe perſonæ divinæ, ſive ſolida Deitate conſtantis, largiri Spiritum ſanctum, vel in ſe ipſo, vel in donis ſuis, virtute propria, ſive in genere cauſæ principalis. qui fuit potiſſimus ſcopus Diſputationis huius. Conſtat deinde, nullam creaturam exiſtere, aut poſsibilem eſſe, quæ habeat vim præcipuam iuſtificandi, ſeu quæ virtute propria poſsit quempiam emundare à ſorde peccati. Quod palam indicant plura Scripturæ teſtimonia, iam ſuprà obſervata, præſertim tritum illud Iobi c. 14. v. 4. *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine. Nonne tu qui ſolus es?* Similiter Iſaiæ 45. Deus ipſe ait: *Ego ſum qui deleo iniquitates tuas: narra ſi quid habes, vt iuſtificeris.* Quapropter Magnus Auguſtinus Tomo VII. lib. de peccatorum meritis cap. 14 aiebat: *Quiſquis ergo auſus fuerit dicere, iuſtifico te; conſequens eſt, vt dicat etiam: crede in me.* Quod ſanè ſolus Deus dicere poteſt.

54 COLLIGITVR II. Argumentum illud, quo Patres Eccleſiæ contra hæreticos Pneumatomachos probant ſolidam divinitatem Spiritus ſancti, ex eo quòd ſanctificator ſit, & gratiæ largitor, & adoptionis filiorum auctor, ſive præcipua cauſa; eſſe prorſus concludens, & *ἀναντίῤῥητον*, vt Græci loquuntur. Porrò, vt Didymus præceptor S. Hieronymi lib. 1. de Spiritu ſancto obſervat, Spiritus ſanctus perpetuò in Scripturis eo complexo nomine, quaſi proprio appellatur, & plerumque addito articulo *τὸ πνεῦμα ἅγιον*. Dicitur prætera *Spiritus ſanctificationis* Roman. 1. v. 4. *Spiritus adoptionis* ibid cap. 8. v. 15. *& Spiritus gratiæ* Hebræorum 11. v. 29. quoniam virtute propria ſanctificat, & eorum cœleſtium munerum auctor eſt. Hinc autem Patres eius Deitatem manifeſtè colligunt. nam, vt inquit Baſilius lib. 5. contra Eunomium, *ἡ κτίσις οὐκ ἁγιάζει κτίσιν. Creatura nequit ſanctificare creaturam.* Paſchaſius lib. 1. de Spiritu ſancto: *Sanctificare nulla creatura aliam penitus poteſt. Largitio ſanctificationis, munificentiæ eſt ſolius maieſtatis.* Ambroſius quoque, quã pollebat elegantiâ dicendi, & rationum ponderе, lib. 1. de Spir. ſanct. c. 5. aiebat: * Creatura ſanctificatur: ſanctificat autem Spiritus ſanctus, &c. Non ergo poteſt ſanctificatio & corruptela vnius eſſe naturæ: & ideo non poteſt gratia ſancti Spiritus & creatura vnius eſſe ſubſtantiæ. Itaque cùm omnis inviſibilis, prætet Trinitatem, reliqua natura, cuius rationabilem & incorpoream iure quidem ſubſtantiam putant, non impertiat ſpiritalem gratiam, ſed adquirat; nec participet, ſed aſſumat; ſeparanda vtique eſt à ſocietate Spiritus ſancti communitas creaturæ. * Sed & audiendus eſt Euſebius ille, qui vulgò Emiſſenus dicitur (de quo videſis eruditam criſim Philippi Labbè Tomo I. de Scriptoribus Ecc. pag. 310. poſt Bellarminum pag. 199. ſic loquens Homil. 33. de Trinitate: * Itaque iuxta Macedonium ſi Spiritus non factor, ſed factura eſſet, peccatorum veniã donare non poſſet. Omnis creatura etiam cœleſtium

leſtium poteſtatum, Angelorum, & Archangelorum, neſcit alteri de proprio præſtare iuſtitiam, quę ſe naturaliter peccato eſſe cognoſcit obnoxiam, vtique obnoxiam, quę culpam prodidit per ruinam. Abſoluto conſcientiæ libertatem non poteſt conferre per gratiam, qui non habet per naturam.*. Cùm igitur Spiritus ſanctus de proprio donet peccatorum veniam, & gratiam largiatur, evincitur plinè, illum eſſe ſupra creaturas omnes, & per naturam habere, vt ſanctus, & expers totius peccati ſit. quod vni Deo aſſerit Scriptura, & naturalis ratio demonſtrat. Sic pariter Cyrillus lib. 34. Theſauri colligit Spiritum ſanctum non participatione, aut gratiâ, ſanctum eſſe, ſed naturâ. vtpote qui ſanctificationem in nobis operatur. Colligit, inquam, * naturalem, & vivam, & ſubſiſtentẽ Dei operationem eſſe, quæ creaturas per ſuam participationem ſanctificando perficit. Ac præterea: Quod enim per participationem alicui datur, auferri ab eo etiam poteſt, ſola enim quę naturaliter inſunt inſeparabilia ſunt. Si ergo, quaſi accidens, Spiritui ſancto ſanctificatio acceſſit, poterit ſecundùm ipſos, ipſa ſanctitate Spiritus ſanctus privari. Quod impium omnino eſt. Non igitur participatione ſanctitatis ſanctus eſt Spiritus, ſed quia ex Deo naturaliter eſt.

55 IDIPSVM Colligunt Patres ex eo quòd idem Spiritus ſanctus loco ſuprà indicato dicatur ab Apoſtolo SPIRITVS ADOPTIONIS, Veluti qui nos filios adoptivos Dei faciat, & ex ſervis liberos. Hoc enim virtute propria, ſeu in genere cauſę principalis præſtare, ſolius Dei proprium ſit. Ideo idem Apoſtolus eo loco Romanorum 8 verſ. 15. ſubdit: *Quicumque enim Spiritu Dei agũtur, hi ſunt filij Dei.* Ac præterea 2. Corinth. 3. verſ. 17. *Dominus ſpiritus eſt: Vbi autem ſpiritus Domini, ibi libertas.* Nimirum, nemo adoptatè in filios Dei poteſt, niſi qui naturâ Deus eſt; neque ſervitute eximere per virtutem propriâ, nih qui ex conditione ſua nulli ſubiectus ſit, veluti Dominus rerum omnium. Ideoque Cyrillus lib. nuper allegato inquit: * Nemo Spiritum ſanctum creaturis exiſtimet ſociandum. Extra ſervitutis eſt conditionem, qui æternam poteſt tribuere libertatem. Ac prętrerea: Niſi prę omnibus liber eſſet, de ſervis liberos facere non poſſet. Et rurſus: Dignitas hęc, & poteſtas liberationis huiuſmodi, ſoli Deo attribuitur. Quod patet, quia nullus poteſt, pręter Deum, peccata dimittere. Sed Salvator etiam id verbis ſuis affirmat, dicens 1. Epiſtol. Ioann. c. 8. Niſi Filius vos liberaverit, ſervis eſt. * Nulla igitur creatura hoc facere poteſt. Sed & audire oportet Gregorium Nazianzenum idipſum graviſsimè docentem Orat. 24. hiſce verbis: *Non adducor vt credam mihi ſalutem ab eo, qui eiuſdem mecum ſit conditionis, afferri, εἰ μὴ θεὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, θεωθήτω πρῶτον, καὶ ὕστερον θεώτω με τὸν σύμτιμον.* id eſt, *ſi Spiritus ſanctus Deus non eſt, Deus prius efficiatur, atque ita me æqualem ſuum Deum efficiat.*

56 VNDE Non ſolùm confirmantur quæ potiſsimùm tota hac Diſputatione docuimus, oſtendentes repugnantiam cuiuslibet creaturæ, tam exiſtentis, quam poſsibilis, prædita virtute principali, ſive propria ad largiendum Spiritum ſanctum, ſive in ſeipſo, ſive in dono gratiæ gratum facientis: verùm etiam denuo ſtabilita fuit ſolida Deitas eiuſdem Spiritus ſancti, iam ſupra tradita Diſp. LXXXIX. adverſus Macedonium, Apollinarem, & cæteros eiuſdẽ generis hęreticos, qui infami Pneumatomachorum appellatione notati fuerunt, quòd Spiritum ſanctum impugnarent.

)i(

CAP.

CAPVT LVI. Aliàs LIV.

Quòd ſolus Pater ſit genitor, & ingenitus; ſolus Filius genitus; ſolus Amor, nec genitus, nec ingenitus.

SED Videtur tamen Amor idem, nec omnino ſecundùm cõmunis locutionis vſum, dici poſſe ingenitus: nec ita propriè ſicut Verbum genitus. Solemus enim ſæpè dicere aliquid gigni ex ea re, de qua exiſtit: vt cùm dicimus ſplendorem, aut calorem gigni ab igne: ſeu aliquod effectum ex cauſa ſua. Secundùm hanc igitur rationem Amor à ſummo ſpiritu exiens, non omnino aſſeri poteſt ingenitus. Ita verò propriè, ſicut Verbum dici genitus non poteſt: quia Verbum veriſsimam eſſe prolem, & veriſsimum Filium; Amorem verò, nullatenus Filium, aut prolem eſſe, manifeſtum eſt.

POTEST Itaque, immo debet dici ſolus ille, cuius Verbum eſt, genitor, & ingenitus: quia ſolus eſt Pater & parens, & nullo modo ab alio eſt. Solum autem Verbum genitum: quia ſolus Filius & proles eſt. Solus verò Amor vtriuſque, nec genitus, nec ingenitus: quia nec eſt Filius, nec proles eſt, nec omnino non eſt ab alio.

DISPVTATIO XCVII.

DE NOTIONIBVS PERSONARVM DIVINARVM, QVOT ET QVAENAM SINT.

AD NOBILISSIMVM IVXTA AC DOCTISSIMVM D. DON IOANNEM ANTONIVM DE OTALORA, ET GVEVARA, Iacobæum Equitem, olim Veteris Collegij S. Bartholomæo ſacri meritiſsimum Togatum, & Inſtitutionum Cæſarearum in Salmanticenſi Academia præſtantem Anteceſſorẽ, deinde Sacræ Rotæ Auditorẽ, poſtea Granatenſi Prætorio Præfectum, ac iamdiu Supremi Iuſtitiæ Senatus ſpectatiſsimum Conſiliarium.

DISSERIT Hoc loci Anſelmus de notionibus, quibus perſonæ diuinæ quadantenus ſecernuntur, & innoteſcunt: ac ſingulas, aut etiam plures vnicuique earum adſcribit iſs nominibus, ſeu vocabulis, quæ iam antea Patres Eccleſiæ iuxta ſenſum cohærentem Scripturæ ſacræ à Deo traditæ, ſapien-

ter & opportunè vſurpauerant. Ne ſanè aliter deceret de tam ſacris & abſtruſis rebus ſermonem inſtituere: quoniam, vt inquit Magnus Auguſtinus lib. 7. de Trinit. ſub finem, non relictus eſt hominum eloquio de rebus Dei alius, quã Dei ſermo. Omnia reliqua, & arcta, & concluſa, & impedita ſunt, & obſcura. Si aliquis alijs verbis demonſtrare hoc, quàm quibus à Deo dictum eſt, volet; aut ipſe non intelligit, aut legentibus non intelligẽdum relinquit. *Itaque inſiſtentes vocibus Anſelmi, & aliorum Patrum Scripturæ cohærentibus, inquirimus, Quot & quænam ſint notiones diuinarum perſonarum. De quo differunt Scholaſtici cum Magiſtro in 1. diſt. 26. 27. & 28. quorum multos poſtea allegabimus.*

SCHOLIA IN CAPVT LVI.

SECTIO PRIMA.

Exponitur littera Anſelmi, & ratio propria notionum diuinarum, iam olim à Patribus tradita. Oſtenditur, quomodo notio Ingeniti ſint propria Patris ſicuti & Geniti peculiaris Filio; vtraque autem aliena à Spiritu ſancto.

2 SVMMA Capitis huius eſt, ſolum Patrem eſſe Genitorem & Ingenitum: ſolum Filium eſſe Genitum: ſolum denique Amorem, nec ingenitum, nec genitum; ſed (vt loquitur S. D. c. ſequenti.) Procedentem & ſpiratum à Patre & Filio. In qua doctrina continentur quinque notiones à Theologis adſcripiæ diuinis perſonis: nimirũ, *innaſcibilitas, paternitas, filiatio, ſpiratio, & proceſſio.* quæ eodem ordine à Græcis Theologis dicuntur, ἀγεννησία, πατρότης υἱότης, προβολή, ἐκπόρευσις. Porrò *notio* generatim dividitur in formalem, & obiectivam. Prior eſt notitia ipſa mentis, quâ vna res ab alia dignoſcitur, ſeu diſtinguitur Obiectiva autem (de qua ſola hoc loco agimus) definitur à D. Th. 1 p. q. 32. a. 3. & à cæteris Scholaſticis cum ipſo, *propria ratio cognoſcendi perſonas, in abſtracto ſignificata.* Eiuſmodi verò ſunt quinque nuper relatæ, & ſignificatæ nominibus abſtractis: quas Auguſt. lib. 3 de Trinit. c. 6. nominat *characteriſticas ſignaleſque proprietates*; Patres Græci appellant ἰδιώματα, γνωρίσματα, vel γνωριστικὰς ἰδιότητας, σημεῖα, ἰδιάζοντας χαρακτῆρας. id eſt, *proprietates, notas, vel notificantes proprietates, ſigna, proprios characteres,* quibus vna perſona ab alia internoſcitur, ſeu diſtinguitur. Ita enim ex Græcis loquitur Baſilius lib. 2. contra Eunom. ſi, Leontius lib. de Sectis initio, Damaſcenus lib. 1 Fidei c. 10 & plures alij. Ex quibus præſertim Baſilius inquit: ἀναγκαῖον γάρ τοι ἰδιότητες χαρακτῆρές τινες, καὶ μορφαὶ ἐπιθεωρούμεναι τῇ οὐσίᾳ διαιρεῖσθαι μὲν τὸ κοινὸν τοῖς ἰδιάζουσι χαρακτῆρσι, τὸ δὲ ἐμφυὲς τῆς θεότητος διακόπτεσθαι. *Nam proprietates notæ quædam, & formæ, quæ in ſubſtantia conſiderantur, diuidunt quod eſt commune proprijs characteribus; at eiuſmodi communionem ſubſtantiæ non diſcindunt.* Similiter Naziãzenus Orat. 29. quæ eſt de dogmate & conſtit. Epiſcop. paulo poſt medium, inquit: *Ita nobis proprietatum ratio conſtabit, ſi Patrem quidem, & principij expertem, & principium cogitemus, &c.* Cyprianus lib. de Cardinal. Chriſti Operibus cap. de divinit. ſic de illo loquitur: *Spiritũ infundens diſcipulis, generationis, & proceſſionis intimas rationes, ſubtiliter adſtruens perſonarum proprietates.* Mitto aliorum teſtimonia pariter loquentium Hæc præmiſiſſe nunc ſufficiat in ipſo ferè Diſputationis limine, vt nunc ad litteram explanandam accedamus, & poſtea controverſiam ipſam directè tractemus.

3 *SED VIDETVR TAMEN, &c.* Cùm docuiſſet ſuperiori capite, Amorem, ſive Spiritum S. non eſſe Filium, ac proinde nec genitum; nunc aſſerit, eumdem Amorem non poſſe dici omnino ingenitum ſecundùm communem vſum & acceptionem huius vocis; nec etiam propriè genitum inſtar Verbi. Priorem partem probat ferè ſic: Quia vocabulo *ingeniti* communiter ſignificatur id, quod non exiſtit, ſeu non habet eſſe ab aliquo principio, ſive cauſa: ſicuti è appellatione *geniti* communiter dicta intelligimus illud, quod exiſtit, ſeu habet eſſe ab aliquo principio, ſeu cauſa: qualiter ſplendor aut calor dicitur gigni ab igne, veluti effectus ipſius. Atqui Amor ſeu Spiritus S. exiſtit, ſeu habet eſſe à ſummo ſpiritu, id eſt, à Patre & Filio, veluti à principio ſui eſſe, vt in præcedẽtibus ſtatutũ fuit. Non ergo Spiritus S. dici poteſt omnino ingenitus, ſecundũ cõmunem acceptionẽ ſive vſũ huius vocis *Ingenitũ*. Poſteriorẽ verò partẽ confirmat ex eo, quòd ratio geniti propriè dicta ſolùm conveniat illi perſonæ divinæ, quæ verè eſt proles & Filius ſummi Parentis. Cùm ergo Amor, ſive

Spiri-

Spiritus ſanctus, non ſit verè proles, nec Filius ſummi Parentis, ſed id ſolum competat Verbo, vt in præcedentibus probatum fuit; conſequēs eſt, vt Amor ipſe non ſit propriè genitus.

4 *POTEST ITAQVE, &c.* Ex præiacta conſideratione colligit S. Doct. ſolùm Patrem, à quo Verbum oritur, poſſe ac debere dici Genitorem & Ingenitum: quoniam ſolus ille generat, & à nullo principio habet eſſe. Solum Genitum: Verbum quia ſolum illud eſt Filius & proles. Amorem denique, ſive Spiritum ſanctum, non poſſe dici Genitum, nec Ingenitum. Non primum: quia non eſt proles, nec filius: non ſecundum, quoniam habet aliquod principium ſui, cùm procedat à Patre & Filio.

5 NOTA Proprietatem vocum, quibus Anſelmus loquitur. Non enim negat, Spiritum S. poſſe dici Ingenitum in qualibet conſideratione, ſed ſolùm iuxta communem vſum, quo dici ſolet ingenitū id quod ex nullo principio habet eſſe. Hoc enim ſenſu Spiritus S. dici ingenitus non poteſt, cùm verè habeat eſſe à Patre & Filio, tanquam vnico principio ſui: vt in ſuperioribus traditum fuit, & definitum à Gregorio X. in Concilio Lugdunenſi, ac poſtea ab Eugenio IV. in Florentino, quorum verba exſcripſimus Diſp. XC. ſect. 1. Cæterum ſi ratio ingeniti ſumatur preſsiùs, pro non-genito, ſeu non habente eſſe per generationem, ſic certè Spiritum S. non negat Anſelmus poſſe Ingenitum appellari: immò palam confitetur, dum in hoc capite excludit ab ipſo rationem geniti, ſicuti & prolis, & Filij. Vide infrà n. 8.

6 NIMIRVM. Hæc ipſa quæſtio eſt, quæ olim à Patribus Græcis tractata fuit, An Spiritus S. ſit nominandus ἀγέννητος, id eſt, *ingenitus* ſive *innatus*. Videtur enim id negandum, vti Anſelmus negat hoc loco: quoniā vocabulum ἀγεννήτου, eſt proprium Patris, & veluti characteriſticum ipſius, vt paſsim Græci Theologi monent. Ex quo Macedonius olim, & reliqui hæretici Pneumatomachi, ſic cavillabantur contra ſolidā Spiritus S. divinitatē, teſte Baſilio Homil. 27. Quidquid exiſtit, aut eſt ἀγέννητον, aut γέννητον, aut κτιστόν. id eſt, aut ingenitum, aut genitum, aut creatum. Atqui Spiritus S. non eſt ingenitus, cùm ea ſit proprietas ſolius Patris; nec genitus, quoniā hæc eſt notio characteriſtica Filij. Supereſt igitur, vt Spiritus S. ſit creatus: ac proinde, non verus Deus, ſed creatura. Baſilius verò huic argumēto ſibi obiecto ſolùm reſpondet eo loco, ex inſtitia hominū provenire, vt non inveniatur vocabulum idoneum ad exponendam proprietatē Spiritus S. nam cùm vel circa res exiguas hæſitemus, nec certā eorum rationē aſſequi poſſimus; quid mirum ſi ad rem adeò ſublimem & inacceſſam explicandam non ſimus idonei?

7 QVA Reſponſione adhibita Baſilius tacitè fatetur, Spiritum ſanctum non eſſe ingenitum, nec genitum: non tamen propterea concedit eſſe creatum. Quippe cuius divinitatem ſolidam contra eoſdem Pneumachos conſtanter credidit, & docuit palam vbi invenit ita expedire, vt ſuo loco diximus. Similiter & Theodoretus Dialogo tertio tradit, Spiritum ſanctum non eſſe dicendum ingenitum, eâ ratione addita, quòd nuſquam in Scripturis vocetur ingenitus. Auguſtinus verò lib. 15. de Trinitate cap. 26 aliam tradit, id eſt, ipſiſsimam ab Anſelmo in præſenti aſsignatam, ne videatur eſſe Pater. Verba exhibeo: *Ideo enim cùm Spiritum ſanctum genitum non dicamus, dicere tamen non audemus ingenitum, nec in hoc vocabulo vel duos Patres in illa Trinitate, vel duos qui non ſunt de alio, quiſpiam ſuſpicetur. Pater enim ſolus non eſt de alio: ideo ſolus appellatur ingenitus; non quidem in Scripturis, ſed in conſuetudine diſputantium, & de re tanta ſermonem, qualem voluerint, proferentium.* Similiter Richardus Victorinus lib. 6. de Trinitate cap. 16. inquit: *In humana natura, vbi de perſona perſona gignitur, vnus pater, alter filius nominatur. Rectè ergo Spiritus ſanctus genitus non dicitur, ne qui filius non eſt, filius putetur. Nec tamen ingenitus dicitur, ne eo ipſo is, qui a ſemetipſo non eſt aliunde habere origin negetur.* Eandem quoque rationē reddunt ex Benedictinis Doctoribus Alchuinus in QQ. de Trinit, Rhabanus Maurus lib. 3. de Vniv. cap. 3. & Rhatramnus lib. 3. quos omnes poſtea ſecutus fuit Magiſter Sententiarum in 1. diſt. 13. ac reliqui Scholaſtici cum ipſo.

8 CÆTERVM Quod aliqui ex ijs poſtremis monent, eandem omnino rationem eſſe, ne Spiritus S. dicatur genitus, ac ne ingenitus proferatur, non placet. Etenim Spiritū ſanctum in nullo vero aut proprio ſenſu licet appellare genitum, cùm hæc notio ſit propria Verbi, ſeu Filij: ac ſummùm liceret per catachreſim, ſive abuſum, iuxta eos, qui confundunt Græcè γεννητὸν & γενητὸν, tanquam ambo ſignificent id, quod vtcumque productum eſt. De quo legendus eruditiſsimus Petavius lib. 5. de Trinitate cap. 1. & 2. Cæterū ratio ἀγεννήτου, poſſet verè & ſtrictè accipi de Spiritu S. ſi ſumatur pro ἀγενήτῳ, quatenus ſignificat infectum, increatum, aut non genitum. Verè enim & ſtrictè eſt infectus, increatus, & non genitus. Cæterum plerique Veterum, ne vel in ſpeciem conſentirent Sabellio, aut fucum facere viderentur Pneumatomachis, ſicut negarunt Spiritui ſancto vocabulum

geniti, ita & ingeniti; confugientes proinde ad vocem mediam, quâ ipſum dixerunt τὸ ἐκπορευτὸν, quod ſignificat proceſsionem eius citra creationem, aut generationem. Quod facit præſertim Gregorius Nazianzenus Orat. 37. Legeſis D. Thom. Opuſculo 1. contra errores Græcorum cap. 8. Similiter Anſelmus in ſuperioribus capitibus paſsim ipſum *procedentem* appellat, ſicuti & cap. ſeq. *ſpiratum*, quatenus ait ipſum ſpirari à Patre & Filio. Quamvis verò hodie ſub ea explicatione & diſtincta acceptione vocabuli ἀγεννήτου, ſive ingeniti, non videatur ſubeſſe periculum favendi ijs hæreticis; ſatius erit & conſultius negare Spiritui ſancto vocabulum id, qualiter negatur ab Anſelmo.

9 STATVTO Autem vocabulo illo ἐκπορευτὸν, ſeu procedentis, facilis eſt occurſus ad argumentum illud Macedonij n. 6. propoſitum. Dum enim aſſumit hæreticus ille, omne quod in rerum natura exiſtit, aut eſſe ingenitum, aut genitum, aut creatum; negatur maior propoſitio: cùm inter ea ſit medium ἐκπορευτὸν, ſeu procedens, quod nihil eorum trium eſt, & tamen verè exiſtit intra Deum. Veniamus modò ad ipſas notiones numerandas, & operoſiùs explanandas, quarum certè nomen generatim Latinum eſt, & planè Ciceronianum. Nam Tullius lib. 4. Academic. ait: *Quæ igitur notione diſcerneres?* Et lib. 3. Offi. *Explica & excute intelligentiam tuam, vt videas quæ ſit in ea ſpecies, & forma, & NOTIO boni viri.* Vnde & Boetius in Comment. ad lib. 3. Topic. ait: *Notio eſt ſimplex mentis conceptio*, quæ ad res plures pertinet, *à ſe inuicem differentes*. Auguſtinus quoque lib. 11 de Civit. cap. 10. *Propria notio Spiritus ſancti dicetur.* Quod hoc loci libatum volo propter eos, qui immeritò, aut plus æquo, indignantur quaſdam voces Theologis familiares: cùm tamen quædam illarum, aut ſint Latinæ, aut neceſſariæ ad vſum Scholarum, vt ſæpè aliàs monuimus.

SECTIO SECVNDA.

Verè in diuinis perſonis eſſe notiones, eaſque non plures aut pauciores, quàm quinque. Explicatio & probatio eius communis ſententiæ. Difficultates in oppoſitum ſolutæ.

10 IMPRIMIS Explodenda eſt opinio Præpoſitivi, qui, teſte D. Thom. 1. part. q. 17. art. 2. negavit in diuinis notiones eo quòd in Deo nulla ſit diſtinctio prædicati communis à proprio, ob ſummã ſimplicitatẽ Dei. Verùm refellitur ex communi ſenſu, non modò Scholaſticorum omniũ cum Magiſtro vbi ſuprà, ſed etiam Anſelmi, & Veterũ Patrũ, quos indicavimus n. 2. Quorum teſtimonijs adiungo aliud Magni Auguſt. lib. 6. de Trinit. c. 6. aientis: *Alia eſt notio, qua intelligitur Genitor: alia, qua Ingenitus.* Similiter Damaſc. lib. 1. de Fide c. 11. iuxta verſionem Iacobi Fabri Stapulenſis, ait: * Secundùm omnia vnum ſunt Pater, Filius, & Spiritus S. præter (ſi ita dicamus) ingignentiã, gignentiam, & proceſsionẽ. Nam vnum agnoſcimus Deum: in ſolis proprietatibus paternitatis, filietatis, & proceſsionis differentiã intelligimus. * Iacobus autem Billius, Græcè iuxta ac Latinè eruditiſsimus, ita, & longè elegantiùs, vertit: *Vnum idẽque omnino ſunt Pater & Filius & Spiritus S. niſi quòd Pater genitus non eſt, Filius genitus eſt, Spiritus proceſsit.* Verũ in priori interpretatione id magis ex vſu Scholæ eſt, quòd nominibus abſtractis notiones explicet, & quam Græci ἀγεννησίαν vocant, *ingignentiam*, quamvis minùs Latinè, aut ſolũ Scholaſticè reddat. Verùm longè ante Auguſt. & Damaſc. Iuſtinus Philoſophus & Martyr earundẽ notarũ, ſeu notionũ meminit. nam in Expoſitione Fidei de Trinit. pag. 2. iuxta interpretationẽ Geleni) inquit: * Illud Ingenitus, & ſubſtantiæ modus, notæ ſunt, quibus interſtinguntur Pater, Filius, & Spiritus S. * Et paulo infra: Dũ geniti vocabulũ, quaſi notã quandã audimus, mox cogitamus Filiũ: quemadmodum, & per procedentis notam Spiritus propriã perſonam diſcimus. * Ioan. Langus verò ita vertit: * Veluti ſigillum quodã Ingeniti verbum prolatum, Patris ſtatim ſubſiſtentiã deſignat: rurſus tanquam quoddam ſignum Geniti apellationẽ audientes, Filij concipimus notionẽ. * Latinè autem eſt notio, quod Græcè γνώρισμα eſt, aut ἔννοια.

11 RATIO Autem, cur tanto conſenſu Scholaſtici ſequentes veſtigia Patrũ tradiderint in diuinis eas notiones nominibus ſignificantibus proprietates perſonarum in abſtracto, ſita eſt in eo, quòd hæ meliùs ſic exponantur, quàm nominibus concretis, & deſerviant ad reſpondendum promptè aptèque hæreticis inquirentibus, quonam, ſeu quâ ratione formali vnaquæque ex diuinis perſonis diſcernatur ab alia, vel à duabus reliquis. Vnde quemadmodum rectè dicimus, Patrem Deitate eſſe vnum cum Filio & Spiritu ſancto: ita etiam paternitate eſſe alium ab vtroque: & ſic de alijs. Quippe, vt monet S. Thom. a. 2. allegato, ſicuti eſſentia ſignificatur vt *quid*, & perſona vt *quis*: ita proprietas, ſive notio ſignificatur vt *quo*, veluti ratio formalis diſtinguendi. *Præterea.* In Patre eſt duplex

relatio

relatio, altera Genitoris ad Genitum, altera Spiratoris ad Spiratum; ſimiliterque in Filio duplex, altera geniti ad Genitorem, & altera Spiratoris ad Spiratum. Ergo oportuit eſſe nomina abſtracta, quibus eas relationes diſtinctè ſignificaremus. nam alioqui difficile eſſet vnam ab alia diſcernere.

12 NEQVE Vllius eſt momenti fundamentũ Præpoſitivi in oppoſitum. Nam ſumma ſimplicitas Dei optimè cohæret cum diſtinctione aliqua ex modo ſignificãdi, quo ſenſu omnes Theologi diſtinguunt prædicata abſoluta à relativis, & communia à proprijs intra Deum. Quin & Damaſcenus loco nuper allegato, ſtatim poſt verba exſcripta ſubdit: * Quod autẽ in ea (nimirum, divinitate) diſtinctum eſt, cogitatione ſola diſtinguitur. Vnum quippe Deum agnoſcimus: in ſolis autem proprietatibus, nimirum paternitatis, filiationis, & proceſsionis, atque quantum ad cauſam, & ea quæ à cauſa proficiſcuntur, ac perſonæ perfectionem, hoc eſt exiſtendi modum, diſcrimen animadvertimus. * Quemadmodum verò ſalva ſimplicitate ſumma Dei poſſumus concipere proprium, vt diſtinctum à communi: ita etiam nominibus abſtractis ſignificare propria prædicata, veluti diſtincta à communibus.

13 IAM Verò quoad numerum ipſarum notionum communis Theologorum ſententia cum D. Thom. vbi ſuprà a. 3 ac præterea in 1. diſt. 26. 27. & 28. docet eſſe quinque omnino: nimirum, Innaſcibilitatẽ, Paternitatem, Filiationẽ, Proceſsionẽ, & Spirationẽ Patri, Filioq; communem. Porrò ex ijs Damaſcenus vbi ſuprà quatuor priores agnoſcens, ſubinde tradit quintam earum. nam proceſsio Spiritus S. intelligi nequit ſine actione aut productione ex parte principij. Ea verò eſt activa ſpiratio. Anſelmus verò vbi quatuor primis notionibus addit c. ſeq. Patrem & Filium ſpirare Amorem, ſive Spiritum S. & quidẽ per modũ vnius principij, vt iam antè tradidit c. 49. planè in ambobus agnoſcit ſpirationem activam.

15 VT Autem penitiùs intelligatur hoc ipſum, & faciliùs ſolvantur difficultates, quib⁹ nonnulli contendunt, aut contendere poſſent, numerũ notionum maiorẽ aut minorẽ eſſe quinario, obſervandum eſt quinque conditiones exigi vt aliquid cõputetur inter notiones. *Prima* eſt, vt non ſit prædicatum commune tribus perſonis. Quapropter nullũ attributũ cenſetur inter notiones. Quòd verò prædicatũ aliquod ſit cõmune duabus perſonis, non obſtat: vt patet in ſpiratione, quæ indiviſim eſt communis Patri & Filio. Satis enim eſt quòd vtrumque diſcernat à tertia perſona. *Secunda* cõditio eſt, vt non ſit prædicatũ conveniens divinis pernis, aut tribus, aut etiam duabus, ſola præciſſione intellectûs noſtri, ſed expreſsè importet ſingularitatem per modũ cuiuſdam formæ. Defectu conditionis huius, tam ratio principij productivi ad intra, quæ eſt communis ſoli Patri & Filio, quàm ratio termini producti, quæ ſolis Filio & Spiritui S. cõpetit, non numerantur inter notiones. Ratio huius cõditionis eſt: quoniam notio debet manuducere intellectum ad dignoſcendas perſonas divinas ſecundũ proprietates, quas in ſeipſis reipſa claudũt, & quibus perfectè cognitis deteguntur omnes convenientiæ, quæ per intellectus præciſionẽ poſſunt abſtrahi ab ijs. *Tertia*, vt non ſit formalitas quaſi partialis aut inadæquata vnius eiuſdẽque proprietatis cõpletæ, ſed adæquata & totalis proprietas vnius perſonæ, aut duarũ per modum vnius. Defectu huius conditionis excluditur ab albo notionũ in Patre ratio fontalis principij, radicis totius fœcunditatis, & locutoris: ſimiliterque in Filio ratio Verbi, imaginis, & characteris: ac denique in Spiritu S. ratio doni, vinculi, ac mutui nexûs. Ratio eſt: quoniã omnes iſtæ quaſi formalitates partiales innoteſcunt ſtatim cognita totali proprietate vniuſcuiuſque perſonæ, veluti eas claudente. Qui enim cognoſcit v.g. Patr. per hoc, vt Ingenitus & Genitor ſit, ſtatim ipſum apprehendit vt fontem & radicem totius fœcunditatis intra Deum. Similiter qui per Filiationem agnoſcit Filiũ, ſtatim ipſum apprehendit vt imaginem, Verbum, & characterem paternæ ſubſtantiæ. Denique ipſa notio Spiritus ſancti procedentis per voluntatem Patris & Filij, manifeſtat in illo rationem doni, vinculi, ac nexûs amborum. *Quarta* conditio eſt vt forma habens rationem notionis pertineat quoddammodo ad dignitatem perſonæ: quoniam, vt colligitur ex PP. notio debet manifeſtare aliquomodo perfectionem perſonæ. Omnis verò perfectio ſpectat ad dignitatem aliquam. Defectu huius conditionis non eſt notio Spiritus ſancti improductivitas, vt ita loquamur, ſive repugnantia producendi aliam perſonam; quia nullatenus videtur ſpectare ad dignitatem perſonæ, eſtque mera negatio potentiæ productivæ ad intra. Contra verò Innaſcibilitas Patris, licèt importet negationem, importat illam exprimendo rationem principij fontalis, quod ad dignitatem pertinent. *Quinta* denique eſt, vt proprietas quæ habet vim notionis, non exprimatur per modum viæ aut fluxus; ſed inſtar formæ permanentis. Hoc enim exprimit dignitatem, non illud. Quam ob cauſam originẽs non computantur inter notiones. Exprimuntur enim per modum fluxûs & viæ. Ideoque ſuprà Diſput. LXXX. ſectione prima excluſimus illas à conſtitutivo explicito divinarum perſonarum. Similiter itaque propterea excluduntur ab albo notionum.

15 DENIQVE, Notiones ipſas debere eſſe quinque, & non plures, nec pauciores, ſuaderi poteſt hac conſideratione. Per paternitatem diſcernitur perſona prima à ſecunda, & hæc per filiationem à prima. Rurſus vtraque earum perſonarum diſcerni debet à tertia per relationem fundatam in origine producentis & producti per ſpirationem, ſicuti & tertia perſona ab iis duabus per proceſsionem, quæ appellari ſolet ſpiratio paſsiva. Vnde iam habemus quaternarium numerum notionum, quibus perſonæ divinæ diſcernuntur & internoſcuntur. Cùm verò inter divinas perſonas vna debeat eſſe improducta, veluti principium ac fons reliquarum, debet aſsignari quinta notio, qua Ingenita ſit & dicatur. Nec enim paternitas ſola ſufficeret ad id exprimendũ: cùm poſſit in vna eademque perſona cohærere quòd ſit pater, & præterea genitus: vt videre eſt in omnibus ab Adamo deſcendentibus, quotquot verè generant filios. Etenim ij ita generant, vt tamen geniti ſint. Quare ad exprimendum Patrem æternum non eſſe genitum ſeu qualitercumque productum ab vllo principio, non ſufficeret paternitas, niſi præterea ipſi adderetur notio Ingeniti. Vnde Anſelmus lib. de Proceſſione Spiritus S. contra Græcos c. 5 aiebat: *Filius non ideo eſt alius à Patre, quia Patrem habet, & Pater non habet Patrem. Si enim Pater haberet Patrem, alius tamen eſſet à Filio.* Ac præterea: *Si Pater de aliquo procederet, non minùs tamen Spiritus ſanctus eſſet alius à Patre, de quo procedit.* Vt ergo Pater dignoſcatur veluti à nullo principio procedẽs, non ſufficit quòd ſit Pater, aut Spirator, niſi præterea addatur ipſi notio Ingeniti, ſeu omnino improducti, qua completur quinarius numerus notionum. In Patre enim ſunt paternitas, & innaſcibilitas, id eſt, repugnantia procedendi ex vllo principio, qualecumque illud ſit. nam ſi innaſcibilitas accipiatur pro ſola repugnantia naſcendi ſtrictè, ſeu habendi eſſe per generationem, etiam convenit Spiritui ſancto, vt ſupra monui.

16 OPPONIT I. Scotus in 1. diſt. 28. quæſt. 2. debere admitti ſextam notionem inſpirabilitatis propriam Filij, ac denotantem ipſius repugnantiam vt habeat eſſe per ſpirationem; ſicuti admittitur in Patre notio Innaſcibilitatis, quoniam repugnat ipſi, vt habeat eſſe per quamcumque productionem. Eadem enim videtur eſſe vtriuſque ratio. *Confirmat* idipſum: quoniam ſicut tempore Ambroſij & Anſelmi non erant, niſi tres notiones Paternitatis, Filiationis, & Proceſſionis; non quia tunc non exiſterent, ſed quia nondũ perſpectæ fuerant Theologis: ita etiam vltra quinque agnitas à Theologis Anſelmo poſterioribus licebit ſextam aſsignare: & quemadmodũ ij non contradixerunt propterea Anſelmo, aut alijs Patribus antiquioribus: ita nec contradiceret qui hanc ſextam aſsignaverit.

17 RESP. Negando aſſumptum, & paritatẽ. Diſcrimen eſt, quoniã vt probavimus ex Anſelmo paulo antè ſola Paternitas nõ ſufficeret ad ſignificandũ quòd perſona Patris ſit prorſus improducta. Sola autem Filiatio ſufficit vt Filius intelligatur genitus, ac proinde non ſpiratus: cùm hi duo modi habendi eſſe per productionẽ ſint diverſi & oppoſiti. *AD Confirm.* negatur ſuppoſitũ, ſaltẽ quoad Anſelmum. Etenim in hoc ipſo cap. palã tradit notionẽ Innaſcibilitatis, ſive Ingeniti, propriam Patris, atque inſuper Paternitatem & Filiationem. Deinde in fine capitis ſatis indicat proceſsionem Spiritus S. dum concludit: *Amor vtriuſque, nec genitus, nec ingenitus: quia nec eſt filius, nec proles eſt, nec omnino non eſt ab alio.* Vbi negat Spiritui S. notionẽ Ingeniti, quia quoddammodo eſt ab alio. Modũ verò, quo Amor ſive Spiritus S. eſt ab alio, nimirũ à Patre & Filio, exponit cap. ſeq. dicens: *Pater autem pariter & Filius non faciunt, neque gignunt; ſed quoddammodo, ſi ſic dici poteſt, ſpirant ſuum Amorem.* Ecce vbi agnoſcit Anſelmus in Patre & Filio ſpirationem activam, proindeque in Spiritu ſancto paſsivã, quæ dicitur proceſsio. Itaqua tempore Anſelmi, & aliorum Patrum longè antiquiorũ, quos indicavimus in ſuperioribus, perſpectæ erant quinque notiones, quamvis aliquæ earum non ita diſtinctis nominibus exprimerentur ac poſtea à Scholaſticis. Immo nec Magiſter Sententiarum, qui ſcripſit triginta circiter annis poſt obitum Anſelmi, videtur inveniſſe voces idoneas ad exprimendũ propriè notiones ipſas in 1. diſt. 19 fine, quãvis rem ipſam ibidem cognoſcat.

18 OPPONVNT II. Gabriel in 1. diſt. 28. q. vn. a. 3. dub. 1. coroll 3. Si in Deo eſſent quinque notiones, eſſent quoque quinitas rerum: nam quælibet illarum importaret propriam ac ſingularem realitatem. Conſequens autẽ damnatũ eſt in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III vbi vel quaternitas excluditur. Ergo non ſunt in Deo quinque notiones, ſed tres ſolũ, ſicuti ſolũ ſunt in Deo tres res. *Confirmat* idipſum Mayro eâdẽ diſt. 28. q. 1. fine: quia ſpiratio activa, cùm non ſit propria vnius perſonæ, ſed communis duabus, debet excludi à notionum numero.

19 RESP. Negando ſequelam. Quemadmodum enim, ex communi ſenſu Theologorum, iuxta doctrinam ex Patribus eruta, ſunt in Deo quatuor relationes, quin propterea ſit quaternitas rerũ, vt vidimus Diſp. LXXXI. ita etiã licet ſint quinque notiones, non ideo adſtruitur quinitas rerum. Ratio eſt: quia

non

non quælibet notionum, ſicuti nec relationum, proprietas addit realitatem, ſed illa tantùm, quæ ſimul eſt poſitiva & vnius tantùm perſonæ propria. Porrò Innaſcibilitas non importat aliquid poſitivum, ſed negativum; ſpiratio autem activa non eſt realiter vnius perſonæ propria, ſed communis Patri & Filio. Quare neutra addit realitatem ſupra ternarium numerum perſonarum. Quòd autem ſpiratio activa ſit communis ambobus, nihil obeſt vt cenſeatur numero notionum.

19 OPPONES III. Omnis proprietas ſeu notio perſonarum divinarum eſt relativa. Atqui Innaſcibilitas non eſt relativa. Ergo Innaſcibilitas non eſt proprietas divinarum perſonarum, ſive notio. Minor patet: quia omnis proprietas relativa, eſt entitas poſitiva: Innaſcibilitas autem eſt pura negatio. Maior probatur: Omnis proprietas cuiuſlibet perſonæ divinæ debet eſſe diſtincta realiter à proprietate alterius perſonę. Atqui omnis diſtinctio realis in divinis eſt ſecundum oppoſitionem relativam: vt vidimus ſuprà latè Diſp. XCIII. ex Anſelmo. Ergo omnis proprietas perſonarum divinarum eſt relativa. RESP. negando maiorem: quia poteſt dari proprietas perſonæ alicuius, quæ non ſit relativa, ſed ſolum habeat modificare quoddammodo relationẽ aliquam: qualiter ſe habet Innaſcibilitas. Neque obſtat probatio: quę ſolùm intelligi debet de diſtinctione reali poſitiva in divinis; non autem de negativa, qualis ſolùm eſt inter Innaſcibilitatem, & reliquas notiones, cùm illa ſit negatio modificans relationem paternitatis. Diſtinctio autem inter formam poſitivam, & negationem, ſolùm eſt realis negativa.

20 DICES: Innaſcibilitas non ſolùm conuenit Patri, ſed etiam eſſentiæ divinæ: quæ in cap. *Firmiter* de Summa Trinitate dicitur ingenita. Ergo non eſt notio peculiaris Patri, ſed communis eſſentiæ. RESP. Notiones imprimis eſſe proprias perſonarum, ideoque ijs convenire modo peculiari, ſub quo non conveniunt eſſentiæ. Huic enim ſolùm convenire poſſunt aliqua prædicata negativa communiter: vt eſſe ingenerabilem, impeccabilem, &c. Vlteriùs reſponderi poteſt, Innaſcibilitatem eatenus eſſe & dici notionem Patris, quatenus importat repugnantiam poſitivam, vt producatur, vel communicetur alteri per productionem. Licèt autem eſſentiæ divinæ repugnet vt producatur, non tamen vt per productionem communicetur: vt patet in Filio & Spiritu ſancto. Vnde Innaſcibilitas eo ſenſu quo competit Patri, non convenit eſſentiæ divinæ.

CAPVT LVII. Aliàs LV.

Quòd Amor idem ſit increatus & Creator, ſicut Pater & Filius: & tamen ipſe cum illis non tres, ſed vnus increatus, & vnus Creator: & quòd idem poſsit dici Spiritus Patris & Filij.

21 QVONIAM Autem idem Amor ſingulus eſt ſumma eſſentia, ſicut Pater, & Filius; & tamen ſimul Pater & Filius & vtriuſque Amor, non plures ſed vna ſumma eſſentia, quæ ſola à nullo facta, non per aliud, quàm per ſe omnia fecit: neceſſe eſt, vt quemadmodũ ſingulus Pater, & ſingulus Filius eſt increatus & Creator: ita & Amor ſingulus ſit increatus & Creator; & tamen omues tres ſimul, & non plures, ſed vnus increatus & vnus Creator.

22 PATREM Itaque nullus facit, ſive creat, aut gignit: Filium verò Pater ſolus gignit, ſed non facit; Pater autem pariter & Filius non faciunt, neque gignunt, ſed quoddammodo, ſi ſic dici poteſt, ſpirant ſuum Amorem.

23 QVAMVIS Enim non noſtro more ſpiret ſummè incommuta-

mutabilis eſſentia, tamen ipſum amorem à ſe ineffabiliter procedentem, non diſcedendo ab illa, ſed exiſtendo ex illa, forſan non alio modo videtur ipſe dici aptiùs ex ſe emittere, quàm ſpirando.

24 QVOD Si dici poteſt, ſicut Verbum ſummæ eſſentiæ Filius eſt: ita eiuſdem Amor ſatis convenienter appellari poteſt Spiritus eius, vt cùm eſſentialiter ipſe ſit Spiritus, ſicut Pater & Filius, illi non putentur alicuius Spiritus: quia nec Pater ab vllo alio eſt, nec Filius à Patre quaſi ſpirante naſcitur; iſte autem æſtimetur Spiritus vtriuſque, quia ab vtroque ſuo quodam inenarrabili modo ſpirante mirabiliter procedit.

25 QVI Etiam ex eo quia eſt communio Patris & Filij, non abſque ratione quaſi proprium aſſumere poſſe videtur aliquod nomen, quod Patri Filioque commune ſit, ſi proprij nominis exigit indigentia. Quod quidem ſi fiat, ſcilicet, vt ipſe Amor nomine Spiritus, quod ſubſtantiam pariter Patris & Filij ſignificat, quaſi proprio deſignetur. Ad hoc quoque non inutiliter valebit: vt per hoc idipſum eſſe, quod eſt Pater & Filius, quamvis ab illis eſſe ſuum habeat, intimetur.

SCHOLIA IN CAPVT LVII.

SECTIO TERTIA.

Quamuis notio Ingeniti ſit propria Patris, rationem tamen Increati, & Creatoris, conuenire indiuiſim Filio, ac Spiritui ſancto. Vbi plura & varia ex Patribus Græcis & Latinis ſpectantia ad illuſtrandam litteram huius capitis.

26 CVM Anſelmus ſuperiori capite docuiſſet, notionem Ingeniti eſſe propriam Patris, & nullatenus covenire, aut Filio, aut Spiritui ſancto; nunc ſubiungit, rationem Increati ſicut & Creatoris, eſſe communem ſingulis perſonis, immo & vnicam in ijs, ſicuti eſſentia communis & vnica eſt in tribus. Subdit deinde, Amorem, ſive Spiritum ſanctum, poſſe dici Spiritum Patris & Filij.

27 *QVONIAM AVTEM IDEM AMOR, &c.* Poſſet cuiquam ſubori i ſcrupulus ex doctrina capitis præcedentis, vt exiſti maret, Amorem, ſive Spiritum ſanctum, itemque Filium, non eſſe increatum, neque Creatorem, ſed potiùs creaturam; quoniam neuter eorum eſt ingenitus, ſed hoc ſolius Patris proprium eſt: ingenitum autem & increatum, videntur idem omnino ſignificare. Verùm hanc difficultatem præcludit S. Doctor impræſenti, & docet, vtrumque eorum, ſimul cum Patre, eſſe vnum increatum, & vnum Creatorem. Probat autem ferè ſic. In tribus perſonis divinis eſt vnica eſſentia, eaque omnino increata ac cæterarum quarumlibet rerum creatrix. Ergo tam ſingulus Pater, quàm Filius, & Spiritus ſanctus, eſt increatus & Creator. Antecedens quoad vtramque partem ſupponit probatum in ſuperioribus: nam eſſentiam eſſe vnam in tribus oſtendit ſæpiſsimè in hoc tractatu, & nos cum ipſo varijs Diſputationibus, præſertim LV. LVIII. LIX. LXXXV. & LXXXIX. Ipſam verò eſſentiam à nullo eſſe factam, & non per aliud quàm per ſe, omnia alia feciſſe, demonſtravit S. Doctor cap. 3 4. & 5. ac nos cum ipſo latè Diſp. XII. & XIII. nec oportet nunc inculcare. Conſequentia autem patet quoad vtramque partem ſimiliter ex eodem principio: Quia Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, debent ſubiré denominationem à forma eſſentiali, qua conſtant; & vnicam denominationem ab vnica forma. Concreta enim ſubſtantiva non multiplicantur, niſi forma multiplicetur. Si ergo divina eſſentia eſt increata, & rerum aliarum creatrix, eaque vnica in tribus perſonis; vnaquæque illarum pariter eſt increata & creatrix; ac tres ſimul non tres increatæ aut creatrices, ſed vnus Deus increatus, & Creator. Quæ doctrina illuſtrari poſſet facilè plurimis obſervationibus, iam antea vtroque Tomo ſparſis: ideoque non eget vlteriori explanatione.

VE-

28 VERVM Obiter nota, Anſelmum vtroque hoc capite ſapienter diſtinguere rationem Ingeniti, & Increati: ac priorem quidem ſoli Patri tribuere, veluti propriam: poſteriorem verò ſingulis perſonis divinis, & tribus ſimul, veluti communem. Quo etiam modo loquuntur omnes Patres Latini: immo & omnes Catholici loqui debent: cùm certum ſit, Patrem non habere vllum omnino principium ſui, ac proinde eſſe Ingenitum ex propria ac peculiari ratione; Filium verò, & Spiritum ſanctum, non eſſe aliquid factum, nec creatum, ſed illum genitum, hunc verò procedentem. Quod etiam omnes Patres Græci allegati initio huius diſputationis, & paſſim alij tradunt, dum ſolum Patrem dicunt ἀγέννητον, *Ingenitum*; tam verò ipſum Patrem, quàm Filium & Spiritum ſanctum, ſive ſeorſim, ſive coniunctim, appellant ἄκτιστον, id eſt, Increatum. Quare Athanaſius ipſe in Symbolo Græcè ſic habet: ἄκτιστος ὁ πατὴρ, ἄκτιστος ὁ υἱὸς, ἄκτιστον καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. *Increatus Pater, increatus Filius, increatus & Spiritus ſanctus.*

29 *PATREM ITAQVE NVLLVS FACIT*, &c. In hoc §. explanatur ampliùs eadem Catholica doctrina, quæ pariter continetur in eodem Græco Symbolo S. Athanaſij v. 13. his verbis: ὁ πατὴρ ἀπ' οὐδενός ἐστι, οὔτε μένκτισθείς, οὔθ' γεννητός, &c. In Latino autem v. 18. *Pater à nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus*, &c. Vbi Latinus Interpres addit vocem *factus*; cùm tamen in Græco, iuxta exemplar Bayffianum, omnium quotquot extant optimum, non ſit vox ποιητὸς, quæ ipſi reſpondere debuiſſet. Vt enim Pater Ingenitus ſit & credatur, id eſt, excludens omne principium ſui, ſatis eſt dicere, ἀπ' οὐδενός ἐστι, *à nullo eſt*. Verùm quoad rem ipſam, Græca & Latina lectio conſentiunt.

30 HINC Iterum & obiter reijciuntur Autotheani hæretici, quos ſuprà Diſput. LXXXIV. fusè impugnavimus. Dupliciter enim peccant in hunc articulum. Primò, quatenus introducunt perſonas divinas, quæ à ſeipſis exiſtant: quem errorem præcidit Athanaſius, dum verbis citatis noluit dicere, Patrem à ſeipſo eſſe, ſed à nullo eſſe: ne, videlicet, indicaret, aliquam hypoſtaſim, ſive perſonam, eſſe principium aut cauſam ſui, ſive quod idem eſt, ſibi dediſſe originem. Quod abſurdum devorare etiam auderet, qui perverſè interpretaretur vetus illud Oraculum à Iuſtino Philoſopho & Martyre prolatum in Parænetico:

Μοῦνοι χαλδαῖοι σοφίην λάχον, ἠδ' ἀρέβδαῖοι
Αὐτογένητον ἄνακτα σεβάζομενοι ἀγνῶς.

Id eſt: *Soli Chaldæi & Hebræi ſapientiam nacti ſunt, caſtè A SE GENITVM Regem Deum colentes.* Vbi Græca vox αὐτογένητον, *à ſe genitum* accipi debet, vel pro infecto aut increato; vel etiam pro eo, qui à nullo eſt, vt loquitur de Patre Athanaſius. Secundò peccant, cùm præter Patrem, aiunt, Filium à ſeipſo exiſtere. Quod palam reijcit hoc loci Anſelmus, poſt Athanaſium ibidem aientem: υἱὸς ἀπὸ τοῦ πατρὸς μόνου ἐστίν, &c. *Filius à Patre ſolo eſt*, &c. Cæteras impugnationes vide loco indicato.

31 SVBDIT Anſelmus eodem §. de Patre & Filio: *Non faciunt, neque gignunt, ſed quodammodo, ſi ſic dici poteſt, ſpirant ſuum Amorem.* Quæ doctrina pariter continetur in ipſo Athanaſij Symbolo poſt verba nuper allegata. Solùm addit Anſelmus verbum *ſpirant*, quod maximè opportunum eſt ad exprimendam productionem Spiritus ſancti: idque à tempore ipſius S. Doctoris, eoque duce, videtur vſurpatum à Scholaſticis. Neque eſt aliud verbum Latinum quo æquè apertè exprimatur ea productio prorſus diſtincta à creatione, generatione, efficientia, & cæteris actionibus productivis: quæ proinde apud Græcos ex parte principij ſignificatur voce πνοὴ, vnde vocabulum πνεῦμα deſumptum eſt, quod *ſpiritum* ſignificat. Dicitur & illa ab eiſdem Græcis προβολὴ, id eſt, *prolatio*, ſeu *emiſſio*, vt eſt apud Baſilium in Epiſt. ad Canon. Socratem lib. 1. cap. 6. & vberiùs videre licet apud Petavium lib. 7. cap 10. ideoque Anſelmus hoc loci verbis num. 23. exſcriptis, & ſtatim exponendis, vtitur verbo *emittendi*. Ex parte autem termini ſpirati explicari à Græcis ſolet per verbum ἐκπορεύεσθαι, quod ſignificat *procedere*.

32 *QVAMVIS ENIM*, &c. Subdit, eſſentiam ſummam, quamvis longè aliter quàm in nobis contingat, emittere ſpirando ipſum amorem à ſe ineffabiliter procedentem. Non enim ita emittit Amorem ſuum, quemadmodum nos amamus, quorum amor eſt aliquid à nobis factum, & alterius eſſentiæ: ſed ita vt Amor ille eádem ſumma eſſentia conſtet. Neque te moveat, aut abſurdum videatur quod Anſelmus ait, ſummam eſſentiam emittere à ſe ſpirando ſuum amorem, quaſi id repugnet Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. prout habetur in cap. *Damnamus* de ſumma Trinitate vbi dicitur ſumma eſſentia *neque generans neque genita*; ac ſubinde & conſequenter, neque ſpirata, nec ſpirans. Loquitur enim Anſelmus de ſumma eſſentia, non in abſtracto, ſed in concreto, more S. Auguſtini: quemadmodum ſuprà cap. 45. cum eodem S. Doctore Filium appellavit eſſentiam de eſſentia, & eſſentiam natam de ſumma eſſentia: id eſt, de

Patre

Patre eſſentiam, vt ibidem loquitur. Quod nullum abſurdum præſefert in concreto, vt ibidem monuimus in Scholijs: & conſtat præterea ex ſenſu palam ac ſæpiſsimè prolato in hoc Opuſculo ab Anſelmo, profitente vnicam eſſentiam in tribus perſonis, ac proinde apertè negante originem eſſentiæ ab eſſentia in abſtracto ſumpta, quæ ſolùm poſſet verſari inter plures numero eſſentias.

33 *QVOD SI DICI POTEST, &c.* Colligit S. Doctor, quemadmodum Verbum eſt Filius ſummæ eſſentiæ, ſic & Amorē eſſe eiuſdem eſſentiæ Spiritum. Quod pariter accipiendum de ſumma eſſentia in concreto ſumpta: vt Verbum ſit Filius Patris, qui eſt ſumma eſſentia; & Amor ſit Spiritus Patris & Filij, qui duo pariter ſunt ſumma eſſentia, vt iam ſæpe in ſuperioribus traditum eſt. Rationem verò, vt Amor ſit & dicatur Spiritus vtriuſque eorum indicat, quoniam ab ambobus procedit. Quo eodem argumento vtitur contra Græcos libro ſeu Epiſt. de Proceſsione cap. vt probet, Spiritum ſanctum procedere à Filio, quoniam in ſacris litteris Spiritus ſanctus dicitur Spiritus Filij. Vide ſuprà Diſp. XC. ſect. 3. E contrà verò, cùm nec Pater, nec Filius, vllo modo originem ducant ex Spiritu ſancto, neuter eorum eſt, aut dici poteſt Spiritus ipſius.

34 *QVI ETIAM EX EO, &c.* Monet præterea, cùm Spiritus ſanctus ſit cōmunio, nexus, & vinculum Patris & Filij ſe invicem amantium (ſic enim Patres loquuntur) non immeritò ipſum ſignificari communi nomine ambobus, tanquam ſibi proprio. Spiritus enim ſubſtantiam ſignificat, quæ communis eſt Patri & Filio. Sanctus quoque eſt vnuſquiſque eorum, immo & ſanctus per eſſentiam ſuam. Cùm igitur Amor conſtet eâdem eſſentia, & ſanctitate, atque ab vtroque ſpiretur; meritò ex communi amborum appellatione ſingulariter *Spiritus ſanctus* dicitur, vt quod ambobus eſt commune, ſit ipſi proprium. Hoc eodem ſenſu Auguſtinus lib. 15. de Trinit. cap. 19. *Etſi charitas, qua Pater diligit Filium, ineffabiliter communionem demonſtrat amborum, quid conuenientius, quàm vt ille charitas dicatur propriè, qui Spiritus eſt communis ambobus? Hoc enim ſanius creditur, vel intelligitur, vt non ſolùm Spiritus ſanctus charitas ſit in illa Trinitate, ſed non fruſtra ſic in illa propriè charitas nuncupetur, propter illa quæ dicta ſunt. Sicut non ſolus eſt in illa Trinitate, vel Spiritus, vel ſanctus: quia & Pater Spiritus, & Filius ſpiritus; & Pater ſanctus, & Filius ſanctus; quod non ambigit pietas. Et tamen iſte non fruſtra propriè dicitur Spiritus S. QVIA ENIM EST COMMVNE AMBOBVS, ID VOCATVR IPSE PROPRIE, QVOD AMBO COMMVNITER.*

CAPVT LVIII. Aliás LVI.

Quòd ſicut Filius eſt eſſentia, vel ſapientia Patris, eo ſenſu, quia habeat eandem eſſentiam, vel ſapientiam, quam Pater, ſic idem Spiritus ſit Patris & Filij eſſentia, & ſapientia, & ſimilia.

35 POTEST Quoque, quemadmodum Filius eſt ſubſtantia, & ſapientia, & virtus Patris, eo ſenſu, quia habet eandem eſſentiam, & ſapientiam, & virtutem, quam Pater: ita vtriuſque Spiritus intelligi eſſentia, vel ſapientia, vel virtus Patris & Filij: quia habet omnino eandem, quam habent illi.

SCHOLION IN HOC CAPVT.

36 CIRCA Hoc caput nihil eſt opus addere præter ea, quæ diximus ſuprà Diſp. IXC. per totam, probantes cum Anſelmo diuinitatem ſolidam Spiritus ſancti eiuſque conſubſtantialitatem cum Patre & Filio. Inde enim manifeſtè colligitur, quemadmodum Filius eſt eſſentia & ſapientia Patris, quia habet eandem eſſentiam & ſa-

& ſapientiam, & virtutem Patris & Filij, quoniam eandem cum ijs eſſentiam, ſapientiam, & virtutem habet. Sic ſuprà cap. 53. concluſit S. Doctor: *Quid magis neceſſarium, quàm Patrem, & Filium, & vtriuſque Amorem, vnam eſſe ſummam eſſentiam? Eſt igitur idem Amor ſumma ſapientia, ſumma veritas, ſummum bonum, & quidquid de ſummi ſpiritus ſubſtantia dici poteſt.* Sic etiam de Filio relatè ad Patrem præmiſerat cap. 45. *Filius eſt eſſentia Patris, quod eſt, Filius eſt non differens eſſentia de Patris eſſentia, immo de Patre eſſentia. Similiter ergo eſt Filius Patris virtus, & ſapientia, ſeu veritas, & iuſtitia, & quidquid ſummi ſpiritus conuenit eſſentiæ.*

CAPVT LIX. Aliàs LVII.

Quòd Pater & Filius, & eorum Spiritus, pariter ſint in ſe invicem.

37 IVCVNDVM Eſt intueri in Patre & Filio & vtriuſque Spiritu, quomodo ſint in ſe invicem, tanta æqualitate, vt nullus alium excedat.

38. PRAETER Hoc enim, quia vnuſquiſque eorum ſic eſt perfectè ſumma eſſentia, vt tamen omnes tres ſimul non ſint, niſi eſſentia vna ſumma; quæ nec ſine ſe, vel extra ſe, nec maior vel minor ſeipſa eſſe poteſt: per ſingulos tamen idipſum non minùs valet probari.

39. EST Etenim totus Pater in Filio & communi Spiritu; & Filius in Patre & eodem Spiritu; & idem Spiritus in Patre & Filio: quia memoria ſummæ eſſentiæ tota eſt in eius intelligentia & amore; & intelligentia in memoria & in amore; & amor in memoria & intelligentia. Totam quippè ſuam memoriam ſummus intelligit Spiritus & amat, & totius intelligentiæ meminit, & totam amat, & totius amoris meminit, & totum intelligit. Intelligitur autem in memoria Pater, in intelligentia Filius, in Amore vtriuſque Spiritus.

40. TANTA Igitur Pater & Filius, & vtriuſque Spiritus, æqualitàte ſeſe complectuntur, & ſunt in ſe invicem, vt eorum nullus alium excedere, aut ſine eo eſſe probetur.

DIS-

DISPVTATIO XCVIII.

DE CIRCVMINSESSIONE DIVINARVM PERSONARVM.

AD CLARISSIMVM ET LITTERATISSIMVM D.D. ANTONIVM DE CASTRO, Inſignem ac celeberrimum noſtri ævi Iuriſconſultum, cui mira Cæſarearum Regiarumque legum peritia, integritas, probitas, & antiqui mores, ac multiplex eruditio, iam diu ſedem dederunt inter Patres Supremi Iuſtitiæ Senatus, &c.

DISSERIT Anſelmus hoc loci de mutua incluſione perſonarum diuinarum, quam Patres Græci περιχώρησιν, Scholaſtici circuminſeſſionem vtcumque appellant, dum rem hanc latiùs tractant cum Magiſtro in 1. diſtinctione decima nona. Nos breuiùs illam expediemus, quoniam inſtat tempus ac neceſsitas imponendi coronidem huic Tomo. Siqua verò circa eam dicenda ſuperſunt, opportunam ſedem habebunt Tomo ſequenti in Commentarijs ad librum Anſelmi, ſeu Epiſt. de Proceſsione Spiritus ſancti propediem edendis.

SCHOLIA IN CAPVT LIX.

SECTIO PRIMA.

Περιχώρησις, ſeu Circuminſeſsio mutua diuinarum perſonarum ab Anſelmo tradita, olim peſsimè ab hæreticis intellecta, qualiter accipienda ſit: & an ea vox fuerit vſurpata à priſcis Patribus, Græcis Latiniſue.

2 IVCVNDVM EST INTVERI, &c. Quamvis circuminſeſsio, ſeu, vt alij politiores malunt, circuminceſsio divinarum perſonarum potiùs fide credatur, quàm ratione vlla probetur, S. Doctor præmittit, iucundum ſibi eſſe intueri, qualiter ſint invicem Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. Nimirum, vt ille erat addictus contemplationi rerum divinarum, & præſertim myſterij Trinitatis, viſus ſibi eſt intueri, & quaſi ob oculos habere, quod reliqui ferè Theologi non, niſi obſcurè, & cum magno labore intelligimus, & explanamus. Præmittit itaque, vnamquamque ex tribus perſonis eſſe invicem in alia, idque tanta æqualitate, vt nulla earum alteram excedat. Quæ doctrina eſt certa ſecundùm fidem. Nam Chriſtus D. Ioannis 10. ait: *Pater in me eſt, & ego in Patre.* Ac præterea cap. 14 *Qui videt me, videt & Patrem. Quomodo tu dicis: oſtende nobis Patrem? Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt? Verba, quæ ego loquor vobis, à meipſo non loquor. Pater autem in me manens, ipſe facit opera.* Mitto plura alia Evangelij loca, ex quibus id ipſum conſtat. Eadem verò ratio eſt de Spiritu ſancto, ob vnitatem eſſentiæ & potentiæ, vt patet.

3 VT Autem περιχώρησιν, ſeu circuminſeſsionem perſonarum divinarum exponamus, oportet præmittere, Arianos olim effutire ſolitos, Filium eſſe in Patre, quemadmodum omnes creaturæ ſunt in Deo, iuxta illud Actorum 57. vbi Paulus Apoſtolus ad Athenienſes inquit de Deo: *In ipſo enim vivimus, mouemur, & ſumus, ſicut & quidam veſtrorum Poetarum dixerunt.* Vnde aiebant ijdem Arij gregales: *Quomodo enim aliter Filius maiorem ſeipſo Patrem capere* pote-

poterit? Aut quo modo Filius minor maiorem Patrem replere poterit: Hoc ipſorum argumentum refert ac ſolvit Cyrillus lib. 3. Theſauri cap. 1. initio: ac reddit diſcrimen, inter alia, quoniam *nos gratia & participatione in Deo viuimus, & mouemur, & ſumus. Filius verò ſecundùm naturam, quaſi à fonte ſemper viuo, ex ſubſtantia Patris emanat.* Vnde & paucis interiectis colligit: *Non ergo, vt nos, in Deo viuit, & eſt: ſed naturaliter ipſe vita eſt, & in Patre naturaliter eſt, vnũ cum ipſo ſecundùm identitatem eſſentiæ.* Itaque longe alio modo eſt Filius in Patre, quàm nos in Deo ſimus. Ille ſecundùm identitatem ſubſtantiæ, ſive eſſentiæ, eſt in Patre, veluti ex ipſo naturaliter manans: nos gratia ſolùm, & liberali participatione Dei in ipſo ſumus.

4 QVOD Autem in eo argumento ſupponunt Ariani, Filium in Deo Patre eſſe, veluti minorem in maiori; ac proinde nec poſſe ipſum replere, nec capere; non ſolùm præſefert vulgarem eorum hæreticorum errorem quo Filium diverſæ & inferioris ſubſtantiæ arbitrabantur; ſed etiam alium quendam eorum hæreticorum, quos ſupreſſo nomine indicat Philaſtrius Catalogo ſecundo hæreſeon ſub Apoſtolis num. 4. Auguſtinus verò lib. de Hæreſibus cap. 58. appellat *Metangiſmonitas*, id eſt, *Tranſuaſantes.* Aiebant enim, *Filium vt vas minus, intrare in vas maius.* Cùm verò ij hæretici fuerint lõgè antiquiores Arianis, potuerunt hi ex illis modum hunc loquendi mutuari, quemadmodum & ſuum præcipuum errorem didicerunt ex libris περὶ ἀρχῶν Origenis multò antea editis: vt vidimus Diſp. LIV. ſect. 1. Eam verò Tranſvaſantium locutionem putidam & indignam reijcit Athanaſius Orat. 4. contra Arianos ſub initium, dicens: *Non enim vt illi arbitrantur, viciſsim in ſe tranſuaſantur, dum ait: EGO IN PATRE, ET PATER IN ME EST: quaſi vaſa inania, alter in alterum refuſus,* &c. Similiter Hilarius lib. 7 de Trinit. longè à medio inquit: *Filius in Patre, non per tranſfuſionem, refuſionemque mutuam, ſed per viuentis naturæ perfectam natiuitatem.*

5 NOMEM Ipſum τῆ περιχορήσεως, ſeu circuminſeſsionis, nullibi in Sacra Scriptura extat, quamvis ex doctrina palam in ea tradita fuerit inſtitutum, & exinde à Scholaſticis ad publicas diſputationes tranſlatum. Porrò ferè omnes ij *circuminſeſsionem* Latinè reddunt, quaſi ab eo quod eſt *circuminſidere* ortum ducat. Id verò ſignificat circumplecti aliquid, aut circumſiſtere, vel circumfundi. quo ſenſu locus continet rem locatam, eamque circundat. Ac certè ſi hoc modo ſolus Pater diceretur *circuminſidere* Filium, denotarentur planè, illum eſſe hoc maiorem & capaciorem. Verùm cùm non ſolus Pater circumſideat Filium, ſed etiam Filius Patrem, conſequens eſt, vt eo qualicumque vocabulo non vnius perſonæ excellus ſupra aliam, ſed trium omnimoda æqualitas ſignificetur, prout ijdem Scholaſtici docent cum Anſelmo in hoc capite, & Magiſtro in 1. diſt. 19.

6 PRIMVS Ex Patribus, apud quos res ipſa vocabulo τῆ περιχωρήσεως, ſeu circuminſeſsionis, ſignificata legitur, eſt Dionyſius cap. 2. de Divin. nominibus, vbi & rem exponit, & quantum rei ſublimitas patitur, exemplis illuſtrat, verbis illis: ἡ ἐν ἀλλήλαις τῶν ἀρχικῶν ὑποστάσεων μόνη καὶ ἕλκρισις οἰκείως ὑπερηνωμένη, &c. id eſt: * Mutua & reciproca principalium hypoſtaſeon manſio, & ſedes planè ſupra omnem medium vnitur, nullaque parte confunditur, ſimilis lucernarum luminibus, vt exempla domeſtica, & quæ ſub ſenſum cadunt vſurpem, quæ cùm in vna domo ardent, tota in ſe totis inſunt; & cùm pura ſint, certamque habeant ab alia alijs peculiariter conſiſtentem diſtinctionem, vniuntur ipſa diſtinctione, & diſtinguuntur ipſa vnione. nàm certè in domo multis luminaribus poſitis, conſtat in vnum aliquod lumen omnium lumina coniungi, ac vnum indiſtinctum ſplendorem emittere, adeò vt nullus, opinor, poſsit huius lucernæ lumen à cæteris ex aere omnia lumina complectente diſtinguere, & alterum ſine altero cernere, quod in totis tota ſine permixtione temperata ſint. At verò ſi quis vnam facium è domo ſubduxerit, ita ſimul educet vniverſum eius lumen, vt nec quidquam aliorum luminum eum ipſo trahat, aut de ipſo alijs deſerat. Erat enim ipſorum, vti dixi, totorum per tota completa abſolutaque vnio, abſque vlla prorſus miſcella, & alicuius partis confuſione, quippe cùm lumen revera in aere corporeo, & ex materiato igne penderet. Vbi quidem ſupereſſentialem vnionem longè ſuperare dicimus, non ſolum corporeas cõiunctiones, verùm etiam illas, quæ in ipſis mentibus, intelligentijſque exiſtunt, qua ſine mixtione, & modo naturâ ſuperiore habent lumina illa ſupercœleſtia Deoque ſimilia, tota per tota iuxta participationem ipſis, qui vnione omnia ſuperante participant, convenientem. *

7 HVCVSQVE Dionyſius, cuius verba conſideratione digniſsima ſunt: licèt in ijs non habeatur palam vocabulum περιχωρήσεως, ſed ſolùm legamus ὑπερούσιον ἕνωσιν, id eſt, *ſupereſſentialem vnionem* perſonarum diuinarum ad invicem. Porrò eo loci admiran-

randus Doctor ita exponit ineffabilem illum nexum, quo in ſeipſis ſunt invicem Pater & Filius, ac Spiritus ſanctus, ſumma æqualitate trium hypoſtaſeon ſeruata, vt præterea occurrat difficultati cuidam incidenti ex ipſo Incarnationis myſterio. Si enim tres perſonæ ſe invicem circuminſident, & quælibet earum intimè eſt in duabus reliquis; quomodo poteſt intelligi, quòd ex ijs tribus ſolus Filius carnem aſſumpſerit, aut quo ſenſu verum erit quod Chriſtus de ſeipſo dixit: *Ego à Patre exiui, & ad Patrem vado.* Huic verò dubitationi occurrit Dionyſius, dicens, nullam in eo repugnantiam eſſe. Quemadmodum enim ſi vna fax ex multis ſubduceretur è domo, nihil illa ſecum traheret ex alijs luminibus, nihil etiam de ſuo illis relinqueret: ſic etiam quoddammodo cogitare debemus Filium à Patre profectum in mundum, neque ſecum traxiſſe Patrẽ, neque Spiritum; ſed nec illis ſui aliquid dereliquiſſe, quaſi partem ſui: itaque individuum ſuæ immanentiæ exitum fuiſſe.

8 DEINDE Athanaſius Orat. 4. contra Arianos eandem circuminſiſtentiam mutuam divinarum perſonarum exponit, non vocabulo τῆς περιχωρήσεως, ſed per circunlocutionem, dum ait: *Soli* (Filio) *dicere conuenit: EGO IN PATRE, ET PATER IN ME. Eſt enim Filius in Patre, quatenus intelligere licet, eo ipſo quod totum id, quod eſt Filius, ſubſtantiæ Patris proprium eſt.* Nam certè ipſa circuminſeſsio ſignificat intimam quandam ἐνέπαρξιν, id eſt, inexiſtentiam, aut circuminſiſtentiam vniuſcuiuſque perſonæ divinæ in alijs duabus, ratione identitatis in ſubſtantia, ſive eſſentia: vt palam docet Anſelmus in hoc capite, & vberiùs exponemus loco indicato. Ad hanc verò ἐνύπαρξιν ab Athanaſio, alijſque Patribus traditam, poſtea Damaſcenus lib. 3. Fidei cap 5. vocabulum τῆς περιχωρήσεως adiecit, quod Latini, præſertim Scholaſtici, *circuminſeſsionem* interpretati ſunt. Præmiſerat verò lib. 1. cap. 11 rem ipſam, quamvis non eo vocabulo, dicens: ἐν ἀλλήλαις γὰρ αἱ ὑποστάσεις εἰσιν, &c. *Etenim in ſeſe inuicem inſunt hypoſtaſes; non vt confundantur, ſed vt ſibi hæreant, ſecundũ Domini ſermonem dicentis: EGO in Patre, & Pater in me eſt* Cyrillus verò lib. 1 in Ioannem cap. 5. paulo poſt medium in rem eandem ſignificandam vtitur complexa appellatione (iuxta verſionẽ Latinam, neque enim ad manum habeo Græcum exemplar) *reciprocæ immiſsionis.*

9 DENIQVE Nec Latini Patres, quantum deprehendere potui, vocabulo *circuminſeſsionis*, vel etiam *circumince ſsionis* (vt loquitur Noſter Genebrardus lib. 2. de Trinitat. pag. 103. & ſeqq.) vſi ſunt, nec ipſe Anſelmus hoc loco: ſed ſoli Scholaſtici id, vt pleraque alia, in vſum diſputationum ſuarum, cogente neceſsitate, invexerunt. Porrò laudatus Auctor nomine ipſo circumince ſsionis intelligit *vnionem, qua vnum exiſtit in alio, non tantùm per naturæ participationem, ſed etiam per plenam & intimam præſentiam.* Ac ſtatim ſubdit: *Hoc inexiſtentiæ, vt ſic dicam, genus Noſtri circumince ſsionem appellant, quia per illud aliqua, quantumuis à ſe inuicem abſque ſeparatione diſtinguantur, in ſe abſque confuſione inſunt, ſeque veluti immeant.* Quod pluribus exemplis elucidare pergit, non tamen adæquatis ſummæ illi vnioni & ἐνυπαρξίᾳ divinarum perſonarum, quæ nullam competentem aut idoneam in rebus alijs ſimilitudinem admittit, & ſupra omnem rationem eſt, ſicut & identitas trium perſonarum in eſſentia, ſupra quam fundatur.

SECTIO SECVNDA.

Exponitur littera Anſelmi in hoc capite, eiuſque rationes ad probandum circuminſeſsionem diuinarum perſonarum confirmantur & illuſtrantur.

10 PRÆTER HOC ENIM, &c. Ratio præcipua, qua probat hoc loco Anſelmus circuminſeſsionem, ſive circumexiſtentiam mutuam divinarum perſonarum, deſumitur ex eo, quòd vnaquęque ex illis ita perfectè eſt ſumma eſſentia, vt tamen omnes tres non ſint, niſi vna eſſentia ſumma: quæ nec ſine ſe eſſe poteſt, nec extra ſe, nec maior, nec minor ſeipſa in vno ſuppoſito quàm in alio Vnde ſubducitur formula hæc probationis. Quęlibet res debet eſſe intimè in eo, in quo eſt intimè ipſius eſſentia. Atqui in qualibet perſona divina eſt intimè eadem eſſentia alterius perſonæ. Ergo quælibet perſona divina eſt intimè in alijs divinis perſonis. Conſequentia eſt manifeſta. Minor propoſitio ſupponitur ex doctrina fidei, quâ traditur identitas trium perſonarum in eâdem omnino eſſentia divina; & præterea ex eâdem fide, quâ credimus æqualitatem illarum in Divinitate ipſa. Maior autem videtur per ſe manifeſta: Quia nulla res *ſine ſe eſſe poteſt, nec extra ſe*, vt loquitur S. Doctor: atque adeò nequit non eſſe intimè vbicumque eſt ipſius eſſentia. Alioqui ſepararetur ab eſſentia ſua, & per conſequens à ſeipſa: quod manifeſtè repugnat. Ego quælibet res debet eſſe intimè in eo, in quo eſt intimè ipſius eſſentia.

11 EX Eadem identitate trium perſona-

ſonarum in ſubſtantia probarunt antea Patres circuminſeſsionē vniuſcuiuſque perſonæ diuinæ in alijs duabus, idque cohærenter ad ſenſum Scripturæ. Etenim verba illa Chriſti, *Ego in Patre, & Pater in me eſt*, ita expendit Hilarius lib. 2. de Trinit. dicens: * Pater operatur in Filio: ſed & Filius opus Patris operatur. Ne ergo per virtutis efficientiam, & non per naturæ, quæ ſecundùm nativitatē eſt, proprietatē Pater in Filio, & operari crederetur & loqui, ait: Credite mihi quoniam ego in Patre & Pater in me eſt. * Similiter in alia verba Chriſti eodem loco aientis, *Qui videt me videt & Patrem*, ita loquitur idem S. Doctor: * Non enim ſuffecerat dixiſſe, Qui me videt, videt & Patrem, niſi intelligentiam noſtram eouſque protenderet, vt cùm Patrem noſceremus in Filio, Filium tamen eſſe meminiſſemus in Patre; ne transfuſio potiùs alterius in alterū exiſtimaretur, quàm per generationem nativitatemque vnitas eiuſdem in vtroque naturæ.* Similiter Cyrillus Alex. lib. 12. Theſauri expendens eadem Chriſti verba, monet, * Eo ipſo, quod ait Chriſtus, hunc in illo, illum in hoc videri, identitatem Deitatis, & vnitatem ſubſtantiæ monſtrari: cùm alterum in altero ineſſe aſſerat, excludit illud, nequis vnum aliquid eſſe numero putet.* Ambroſius quoque lib. 10. in Lucam, ad cap. 20. * Pater Deus & Filius Deus, ſed vnus Deus: quia Pater in Filio, & Filius in Patre.* Marius Victorinus lib. 2. cōtra Arium initio: * Sed cùm fatemur ſingulos duos, vnum tamen Deum dicimus, & ambos vnum Deum, quòd & Pater ſit in Filio, & Filius in Patre.* Denique Bernardus Sermone 5. de verbis Iſaiæ: * Ego in Patre, ait Filius, & Pater in me eſt. Non potuit expreſsiùs ſubſtantiæ vnitas commendari. Vbi enim vterque in altero, nihil quaſi exteriùs licet, nihil interiùs cogitari Simpliciſsimam magis credi neceſſe eſt in ambobus ſubſtantiæ vnitatem.* Itaque ij Patres, & plures alij, quorum teſtimonia omittimus, perinde atque Anſelmus, colligunt ex vnitate eſſentiæ, ſubſtantiæ, aut naturæ divinæ, Patrem eſſe in Filio, & Filiū in Patre, prout Chriſtus ipſe in Evangelio Ioannis aſſeruit. Eadem autem ratio eſt de Spiritu ſancto, cum pariter ſit vtrique ὁμοούσιος, ſive eiuſdem omnino ſubſtantiæ cum vtroque ipſorum.

12 HINC Obiter refellitur opinio illorum, qui primariam & formalem rationem τῆ περιχωρήσεως, ſive circuminſeſsionis, collocant in præſentia intima ſpectante ad immēſitatem. Etenim inter illos Ruiz diſp. 107. ſect. 7. num. 9. ait: * Circuminſeſsio quidditativè formaliterque conſiſtit in præſentia intima, & inſeparabili, atque perpetua ſecundū immenſum vbi. * In oppoſitum enim ſunt teſtimonia Anſelmi, & Patrum nuperè allegatorum, qui circuminſeſsionem primò exponunt per hoc, vt vnaquæque ex divinis perſonis ſit in alia penes identitatem ſubſtantiæ, ſive eſſentiæ. Vnde colligitur, præciſa per intellectū immenſitate à ſubſtantia divina, immò & dato per impoſsibile quòd Deus non eſſet immenſus, ſed certo cuidam loco adſtrictus (vt aliqui ex Gentilibus exiſtimaſſe creduntur) ad hoc vnamquamque ex divinis perſonis intimè extituram in alia ratione identitatis in eadem numero ſubſtantia, ſive eſſentia. Non ergo circuminſeſsio ſita eſt quidditativè & formaliter in præſentia intima ſecundùm immenſum vbi, vt Ruizius loquitur, ſed ſolùm ex conſequentī & ſecundaria ratione. Mitto plures alias impugnationes eius opinionis proferendas Tomo ſequenti in Commentarijs ad librum de Proceſsione. Interim accipe verba Damaſceni lib. 1. Fidei cap. 11. vbi veram & germanam rationem τῆ περιχωρήσεως, ſeu circuminſeſsionis, exprimit petitam ab vnitate ſubſtantiæ indiſtinctæ in perſonis diſtinctis, perinde ac Anſelmus impræſenti. Ait enim: ἑνοῦνται γάρ, ὡς εἴρηται, &c. * Vniuntur enim, vt diximus, non vt ita confundantur, ſed vt invicem hæreant: ac mutuam in ſe commeationem habent, ſine vlla confuſione, commiſtioneve. Neque porrò extra ſe conſiſtunt, aut ſecundùm ſubſtantiam ſecantur; cuiuſmodi diviſionem Arius inſtituit. Indiviſa quippe in diviſis, vt vno Verbo dicam, eſt divinitas.* Similiter Cęſarius in Reſponſione ad quæſt. 3 monet in illis Chriſti verbis, *Ego in Patre & Pater in me eſt*, ſignificari τὸ ταυτὸν τῆς οὐσίας, καὶ τὸ ἀπαράλλακτον τῆ θεότητος. id eſt *eandem ſubſtantiam, & nullam re diuiſam Deitatem.* Vide inſignem Fulgentij locum infrà num. 13.

13 *EST ETENIM TOTVS PATER, &c.* Addit Anſelmus, vnamquamque ex perſonis divinis eſſe in duabus reliquis, non quomodocumque, ſed totam. Quod accinit Eccleſia trito illo hymno Ambroſiano:

In Patre totus Filius,
Et totus in Verbo Pater.

Non enim ſola eſſentia Patris eſt in Filio; ſed etiam proprietas hypoſtatica Patris, quæ eſt paternitas, eſt in proprietate perſonali Filij, quæ eſt filiatio. Quod perſpicuè docent Patres, atque imprimis Dionyſius de Divin. nom. c. 2. vbi inquit: *diuina cæleſtiaque lumina tota in totis eſſe.* Similiter Cyrillus lib. 1. Theſauri cap. 8. dicens, *hypoſtaſim Filij eſſe in hypoſtaſi Patris, ſicut Solis ſplendor eſt in Sole.* Ac lib. 3. c. 1. *Filius in Patre, & Pater in Filio eſt, ſicut character, ſicut imago ſicut ſplendor, atque ſimilitudo Patris.* Eæ verò notæ ſpectant ad perſonalem proprietatem Filij, iuxta dicta Diſp. LXII. & LXX. Deinde verò columna

ter-

tertia eiuſdem capitis ſubdit, *Patrem eſſe in toto Filio, & totum Filium in toto Patre.* Damaſcenus quoque lib. 1. Fidei cap. 10. ait: *Tres hypoſtaſes in ſe inuicem adſtruit, & immanentiam in ſe inuicem hypoſtaſeon.* Hypoſtaſes autem directè, & per ſe important relativam proprietatem vniuſcuiuſque perſonæ. Ergo Pater Filius & Spiritus ſanctus ſunt in ſe invicem, etiam ſecundùm relativas vniuſcuiuſque perſonæ proprietates: atque adeò vnuſquiſque eorum totus in alio eſt. Verùm & idipſum clariùs tradit in Epiſt. de Triſagio propè medium, dum inquit: * Verbum & Spiritus virtutes ſunt Patris: virtutes autem ἐνυπόστατα (id eſt, ſubſiſtentes) inſeparabiles à Patre, ex quo, & in quo ſunt, & ad quem vt ad cauſam referuntur. * Igitur Verbum & Spiritus, quatenus ſubſiſtentes per ſuam proprietatem relativam, quâ referuntur ad Patrem, veluti ad principium ſui, ſunt in Patre. Athanaſius Orat. 4. contra Arianos, vbi ex profeſſo tractat, quomodo Pater ſit in Filio, & Filius in Patre, non longe à principio inquit: *Eſt Pater in Filio, eo quòd QVIDQVID EST FILIVS ID VNIVERSVM SIT PROPRIVM SVBSTANTIÆ PATRIS.* Nyſſen. Orat. de Deitate Fili, & Spir. S. multo propiùs ad medium, quàm ad princ. ait: *Totus Pater in toto Filio eſt, & totus Filius in toto Patre.* Fulgentius quoque variis locis, tum maximè lib. de Fide ad Petrum c. 1. ait: *Propter vnitatem naturalem* (nota hæc obiter pro dictis n. 12. contra Ruizium) *totus Pater in Filio & Spiritu ſancto eſt, totus Filius in Patre Spiritu ſancto eſt, totus quoque Spiritus ſanctus in Patre & Filio eſt. Nullus eorum extra quemlibet ipſorum eſt, propter naturæ diuinæ vnitatem.* Mutuauerat autem eam doctrinam Fulgentius, ſicut & Anſelmus, à Magno Auguſtino lib. 6. de Trinit. cap 10. fine, vbi ſic librum concludit, & conſignat clave aurea: *In ſumma Trinitate tantùm eſt vna, quantum tres ſimul ſunt; nec plus aliquid ſunt duæ, quàm vna, & in ſe infinita ſunt. Ita & ſingula ſunt in ſingulis, omnia in ſingulis, & ſingula in omnibus, & omnia in omnibus, & vnum omnia.*

14 RATIO Autem cur quælibet ex divinis perſonis tota ſit in alia, redditur ab Anſelmo impræſenti his verbis: *Quia memoria ſummæ eſſentiæ tota eſt in eius intelligẽtia & amore, & intelligentia in memoria & in amore, & amor in memoria & intelligentia.* Vt autem vis huius rationis intelligatur ad mentem S. Doctoris, obſerva, ex ſtylo ipſius, tàm impræſenti, quàm ſuprà cap. 45. 47. 48. & ſeq memoriam ſpeciatim tribui Patri, intelligentiã Filio, & amorẽ Spir. S. Itaque ſenſus verborum nuper exſcriptorum eſt, Patrem totum eſſe in Filio & Spir. S. quia memoria ſummæ eſſentiæ tota eſt in eius intelligentia & amore: totum Filium eſſe in Patre & Spir S. quia intelligentia ſummæ eſſentiæ eſt tota in eius memoria & amore: ac denique totum Spir. S. eſſe in Patre & Filio, quoniam amor ſummæ eſſentiæ nequit non eſſe totus in eiuſdem memoria & intelligentia. Cùm enim memoria, & intelligentia, & amor, ſint vna & eadem eſſentia, & ſummam æqualitatem habeant, nequeunt non complecti ſe invicem, & vnum intimè in alio eſſe. Vnde & ſtatim ſubdit: * Totam quippe ſuam memoriam ſummus intelligit ſpiritus, & amat; & totius intelligentiæ meminit, & totam amat; & totius amoris meminit, & totum intelligit. Intelligitur autem in memoria, Pater; in intelligentia, Filius; in amore, vtriuſque Spiritus. Tanta igitur Pater, & Filius, & vtriuſque Spiritus, æqualitate ſeſe complectuntur, & ſunt in ſe invicem, vt eorum nullus alium excedere, aut ſine eo eſſe probetur. * Quæ ratiocinatio eſt optima & planè demonſtrativa, ſuppoſita veritate fidei de hoc myſterio.

15 NOTA Verò, eo diſcurſu Anſelmi non ſolùm probari περιχώρησιν, ſive circumſeſsionem perſonarum divinarum ſecundũ eſſe reale, ſed etiam penes intelligibile. Quatenus enim innititur identitati perſonarum divinarum penes eandem numero eſſentiam; probat planè, vnamquamque earum ſecundùm totam ſuam entitatem eſſe intimè in qualibet alia: vt vidimus ſuprà num. 10 Quatenus verò in eo nititur, quòd memoria adſcribatur Patri, intelligentia Filio, & amor Spir. S. atque inter eas potentias ſit ſumma æqualitas ad complectendum ſe invicem & ex toto; probat circumſeſsionem ipſarum etiam ſecundùm eſſe intelligibile ſeu obiectivum: penes quod totus Filius & Spir. S. eſt intimè præſens in memoria fœcunda Patris; totus Pater & Spir. S. in intelligentia Filij: totus denique Pater & Filius in amore Spir. S. Neque enim aut Pater eſt magis memor, aut Filius magis intelligens, aut Spir. S. magis amans, minuſve, relatè ad duas reliquas perſonas: ſed omnia hæc in ſummo & infinito gradu, atque perfectiſsima adæquatione ſingulis & omnibus tribus eorum conveniunt. Eſt igitur inter diuinas perſonas mutua & perfectiſsima περιχώρησις, ſive conſiderentur ſecundùm eſſe reale, ſive ſecundùm eſſe intelligibile, vel obiectivum.

16 PLVRA Huc ſpectantia, vt iam antè monui, differo vſque ad Commentarium libri de Proceſsione, vbi opportunã ſedem habebunt. Veniamus itaque ad obijciendas difficultates quaſdam & ſolvendas cum eodem S. Doctore capitibus ſequentibus.

CAP.

CAPVT LX. Aliàs LVIII.

QVOD NVLLVS EORVM ALIO INDIGEAT AD MEMORANDUM, vel intelligendum, vel amandum: quia ſingulus quiſque eſt memoria, & intelligentia, & amor, & quidquid neceſſe eſt ineſſe ſummæ eſſentiæ.

17 SED In his nullatenus negligenter memorię commendá-dum, quid intuenti mihi occurrit, exiſtimo. Sic enim neceſſe eſt, vt Pater intelligatur memoria, Filius intelligentia, Spiritus amor, vt nec Pater indigeat Filio, aut communi Spiritu; nec Filius Patre, vel eodem Spiritu; ſive idē Spiritus Patre & Filio: quaſi Pater per ſe meminiſſe ſolū poſsit, intelligere autē, non niſi per Filium, & amare non niſi per ſuum Filijque Spiritum: & Filius per ſe intelligere tantùm queat, per Patrem autē memor ſit, & per Spiritum ſuum amet: & idem Spiritus per ſe non aliud, quàm amare valeat, ſed Pater illi ſit memor, & Filius illi intelligat.

18 NAM Cùm in his tribus, vnuſquiſque ſingulus ſit ſumma eſſentia, & ſumma ſapientia ſic perfecta, vt ipſa per ſe memor ſit, & intelligat, & amet; neceſsè eſt vt nullus eorum trium alio indigeat, aut ad memorandum, aut ad intelligendum, aut ad amandum. Singulus enim quiſque eſſentialiter eſt, & memoria, & intelligentia, & amor: & quidquid ſummæ eſt neceſsè ineſſe eſſentiæ.

SCHOLIA IN CAPVT LX.

SECTIO TERTIA.

Obijcitur & ſoluitur prima difficultas contra περιχωρησιν, ſeu Circuminſeſsionem divinarum perſonarum. Ratio ac doctrina Anſelmi illuſtratur multiplici conſideratione.

19 *SED IN HIS NVLLATENVS, &c.* Poterat ſuboriri ex dictis capite præced. quædā difficultas. Cùm enim ibidem traditum fuerit memoriā adſcribi Patri, intelligentiam Filio, & amorē Spiritui S. vt invicē & adæquate ſe complectantur perfectiſsima illa περιχωρήσεις, ſeu circuminſeſsione, quam explicuimus; poſſet quiſquam inde colligere, vnamquamque ex divinis perſonis indigere vicisſim alijs duabus: quoniā nec Filius nec Spiritus S. poterit eſſe memor, niſi per Patrem; nec Pater aut Spiritus S. intelligens, niſi per Filium; nec Pater aut Filius amans, niſi per Spiritum ſanctum.

20 HANC Verò obiectionem præoccupat S. Doctor, & tradit, non ita accipi debere, quòd Patri adſcribatur memoria, Filio intelligentia, & Spiritui ſancto amor, vt vnus aliquis eorum trium indigeat alio, vel ad memorandum, vel ad intelligendum, vel ad amandum. Non enim ita tribuitur memoria Patri, vt per ſe poſsit ſolùm meminiſſe, & non præterea intelligere aut amare: nec Filio intelligentia, vt per ſe dumtaxat poſsit intelligere, & non meminiſſe, aut amare; nec denique Spiritui ſancto amor, vt per ſe tantùm poſsit amare, nec præterea intelligere, aut meminiſſe. Quippe vnuſquiſque eorum ſine vlla alterius indigentia ſimul ea tria habet, vt ſui memor ſit, & ſe intelligat, ameque.

21 *NAM CVM IN HIS TRIBVS, &c.* Probat eam doctrinam Anſelmus ratione apodictica, ſeu demonſtrativa, ex identitate vniuſcuiuſq; è tribus perſonis cū vnica & eadē ſumma eſſentia. Probatio autē ipſa ſub hac ferè formula proponi poteſt. Sūma eſſentia per ſe ipſam eſt ſumma ac perfectiſsima ſapientia, memoria, intelligētia, & amor. Atqui vnaquęq;

ex tribus perſonis eſt ſumma eſſentia. Ergo vnaquæque ex tribus perſonis eſt ſumma ac perfectiſsima ſapientia, memoria, intelligẽtia, amor. Ergo vnaquæque earum per ſeipſam meminit, intelligit, amatque, & non ratione alterius tantùm. Hæc ſecunda collectio eſt evidens ex prima, quæ palam conſtat ex præmiſſis. Maior propoſitio ſupponitur demonſtrata generatim ſuprà cap. 15. & 16. vbi concluſit Anſelmus, omnes perfectiones ſimplices & puras convenire Deo per ſuam eſſentiam. Minor verò non ſolùm eſt certa ſecundùm fidem, ſed etiam, eâ ſuppoſitâ, fuit demonſtrata à S. Doctore ſuprà c. 44. & 45. de Patre & Filio; & c. 49. ac 53. de Spiritu ſancto. Vnde & ibi concluſit caput ipſum 53. hac collectione: *Eſt igitur idem Amor ſumma ſapientia, ſumma Veritas, ſummum bonum; & quidquid de ſummi ſpiritus ſubſtantia dici poteſt.*

22 ILLVSTRATVR I. Ratio eadẽ. Hoc ipſo quòd quælibet ex divinis perſonis ſit ſumma eſſentia, eſt etiam ens illimitatum & infinitum ſimpliciter in omni genere perfectionis ſimpliciter ſimplicis formaliter; & in generib⁹ aliarũ perfectionũ miſtarũ eminenter aut equivalenter. Atqui ſapiẽtia, memoria, intelligẽtia, & amor, ſpectant ad genus perfectionis ſimplicis; cùm ſint meliores ipſæ, quã nõ ipſæ, & quã omne cum ijs pugnans, vt patet. Ergo hoc ipſo quòd quælibet ex divinis perſonis ſit ſumma eſſentia, eſt etiã formaliter ſapientia, memoria, intelligẽtia, & amor. Vnde & cõſequens eſt, vt nulla ex perſonis divinis indigeat reliquis ad memorandũ, intelligendũ, vel amãdũ, quaſi ſolùm poſsit habere id per aliã, & nõ perſeipſam.

23 DICES: Hinc ſequi, tam Filium, quàm Spiritum S. eſſe Autotheon, ſive Deum à ſeipſo: quod ſuprà reiecimus Diſp. LXXXIV. per tot. contra hæreticos illos, qui Autotheani frequenter appellantur, ac præterea Diſp. præc. à n. 30. Sequela probatur: quia ſi non ſolùm Pater, ſed etiã Filius, & Spiritus S. per ſe memor eſt, & intelligit, & ſapit; vnuſquiſque eorum per ſe erit ſumma eſſentia, & quidquid ſummæ eſſentiæ annexũ eſt. Erit itaque vnuſquiſque eorũ Autotheos, ſive per ſeipſum Deus, & ſubinde quidquid Deo dignum eſt.

24 RESP. Negando ſequelam: quia, vt monuimus eãdem Diſp. LXXXIV. allegata, aliud eſt, quòd vnaquæque ex tribus perſonis ſit Deus, & ſapiens, & memor, & intelligens, & amans per ſe ipſam: aliud verò quòd à ſe ipſa. Primum ſolùm ſignificat, quòd vnaquæque earum per identitatem habeat, vt ſit Deus, & ſubinde omnis perfectio Deo digna. quod tam procul eſt ab omni errore aut abſurdo, vt potiùs certum fide ſit, & abundè demonſtratum ſuprà de Filio Diſp. LXXXV. per totam, de Spiritu ſancto autem Diſput. LXXXIX. per totam. Secundum autem denotat, vnamquamque ex divinis perſonis habere à ſeipſa eſſentiam divinam, ac ſubinde perfectiones reliquas Deo dignas; ac propterea id non habere ab aliquo principio ſui. Hoc autem eſt planè hæreticum, & inane commentum Autotheanorum, contra doctrinam fidei quã credimus, tam Filium, quàm Spiritum ſanctum, eſſe Deum de Deo; & illum quidem à Patre habere per generationem quidquid eſt & habet; hunc verò à Patre & Filio per proceſsionem. Porrò Anſelmus priori conſideratione docet, Filium ac Spiritum ſanctum per ſe habere vt ſit ſumma eſſentia, ſapientia, memoria, intelligentia, & amor. Poſteriori autem negat, & ſæpiſsimè quidem, in hiſce capitibus. Et quidem cùm nominatim cap. 56. ſoli Patri adſcripſerit notionem Ingeniti; conſequenter docuit, tam Filium, quàm Spiritum ſanctum, habere ab alio principio quidquid ſunt & habent; alterum per generationem, & alterum per proceſsionem.

25 ILLVSTRATVR II. Ratio eadem S. Doctoris. Hoc ipſo quòd quælibet ex divinis perſonis ſit ſumma eſſentia, eſt etiam actus purus in linea intellectuali. Quippe hæc perfectio eſt intimè & quidditativè annexa conceptui obiectivo divinæ eſſentiæ, etiã iuxta opinionem à nobis traditam Tomo I. Diſp. XXIV. vbi rationem formalem divinæ eſſentiæ conſtituimus in ente à ſe. Adhuc enim in conceptu obiectivo, ſaltem implicito, importat gradum intellectualem, & fortaſſe illum exprimit ſub munere naturæ. At quidquid eſt actus purus in linea intellectuali, per ſeipſum, ſive per ſuam entitatem, debet eſſe memor, & intelligens, & amans. Debet enim identificare ſibi vltimam perfectionem, ſive operationem eius generis, vt patet. Ergo hoc ipſo quòd quælibet ex divinis perſonis ſit ſumma eſſentia, eſt etiam per ſe, ſive per ſuam entitatem memor ſui, & intelligens, & amans: atque adeò non indiget reliquis perſonis, tanquam per eas ſolùm poſsit meminiſſe, intelligere & amare. Vide Diſp. C. ſect. 2.

26 ILLVSTRATVR III. Denominationes enim memoris, intelligentis, & amantis, non ſunt extrinſecùs adveniẽtes, ſed intimæ & vitales: quæ proide nequeunt ſuppoſito intellectuali convenire per aliud ſuppoſitũ, ſive mediãte alio ſuppoſito, ſed dumtaxat per ſe ipſum. Cùm igitur palam conſtet, tam Patrem, quàm Filium, & Spir. S. eſſe Deum, ac proinde vnũquemque eorũ eſſe memorẽ, & intelligentẽ, & amantem; evincitur planè vnumquemque eorũ id habere, non per aliũ, aut mediante alio ſuppoſito, ſed intimè & vitaliter per ſeipſum.

ILLV-

27 ILLVSTRATVR Denique Quemadmodum cuilibet personæ, quia est summa essentia, debet convenire omnis perfectio pura & simplex: ita etiam repugnat quælibet imperfectio. Atqui indigere alio, ad memorandum, intelligendum, & amandum, est imperfectio quædam: immo omnis indigentia est imperfectio aliqua Deo repugnans, vtpote opposita sufficientiæ omnimodæ à seipso, quæ à Græcis αὐτάρκεια dicitur, & propria nota felicitatis est. Ergo cuilibet personæ divinæ repugnat indigere alio ad memorandum, intelligendum, & amandũ. Vnde communiter Theologi docent, processiones Verbi, & Spiritus S. non ducere ortum ex necessitate intelligendi, aut amandi, quæ nullatenus decet Deum: sed ex fœcunditate summa divinæ naturæ, quæ exigit duplicem communicationem ad intra alteram per intellectum, alteram per voluntatem. Deus enim seipsum summè intelligens & amans, cùm summè bonus sit, necessariò debet habere vim communicandi seipsum per vtramque potentiã ex infinita fœcunditate suæ naturæ. Quare Emanuel Calecas lib. de Process. c. 36. ait: οὕτω καὶ αὐτὸς (Θεὸς) ἑαυτὸν καὶ ἀγαπῶν, καὶ θελων, &c. *Sic & idem (Deus) seipsum & diligens & volens, & seipsum amans (ipse enim sibi desiderabile est, & summum, & bonum) ex seipso suam ipse produxit voluntatem, vel dilectionem, vel amorem: quæ Spiritui sancto relatiuè Doctores attribuunt. Non enim aduersus eos, qui Filium & Spiritum sanctum negabant, ita contenderent, vt eos confiteri cogerent, Deũ rationis, aut sermonis, aut voluntatis expertem fuisse: nisi & Patrem mentem esse, & Filium Verbum, Spiritum sanctum verò voluntatem relatiuè vellent dicere.*

CAPVT LXI. Aliás LIX.

QVOD TAMEN NON SINT TRES, SED VNVS, SEV PAter, seu Filius, seu vtriusque Spiritus.

DVBITABIS Hic video quæstionem occurrere. Nam si Pater ita est intelligẽtia, & amor, sicut est memoria: & Filius sic est memoria & amor, quomodo est intelligentia: & vtriusque Spiritus non minùs est memoria & intelligentia, quã amor: quomodo non est Pater, Filius, & alicuius Spiritus: & quare non est Filius, Pater, & alicuius Spiritus: & cur non est idem Spiritus alicuius Pater, & alicuius Filius? Sic quippe intelligebatur, quòd memoria esset Pater, Filius intelligentia, vtriusque Spiritus amor.

29 VERVM Hæc quæstio nõ difficilè solvitur, si ea quæ iam ratione inventa sunt, considerentur. Idcirco enim non est Pater, Filius, aut alicuius Spiritus, licèt sit intelligentia & amor, quia non est intelligentia genita, aut amor ab aliquo procedens: sed quidquid est gignens, est tantùm, & à quo procedit alius.

30 FILIVS Quoque ideo non est Pater, aut alicuius Spiritus, quãvis seipso memor sit & amet, quia non est memoria gignens, aut amor ab alio ad similitudinem sui Spiritus procedens: sed quidquid existit tantùm gignitur, & est à quo Spiritus procedit.

31 SPIRITVM Quoque non cogit esse Patrem aut Filium, hoc, quia contentus est memoria aut intelligentia sua: cùm non sit memoria gignens, aut intelligẽtia genita, sed solũ quidquid est procedat. Quid igitur prohibet concludi, quia vnus tantùm est in summa essentia Pater, vnus Filius, vnus Spiritus; & non tres Patres, aut Filij, aut Spiritus?

SCHOLIA IN CAPVT LXI. SECTIO QVARTA.

Altera difficultas ab Anſelmo obiecta & ſoluta. Doctrina huius capitis ex Symbolo, & variis Patribus illuſtrata, contra Sabellianos.

23 QVANDAM HIC VIDEO; &c. Opponit S. Doctor ſibi ipſi aliam difficultatem contra ea, quę in ſuperioribus tradidit. Dictum eſt capite præcedenti, vnicuique ex tribus perſonis diuinis conuenire, tum communiter, tum ſingulatim, vt ſit ſimul memoria, intelligentia, & amor. Hinc autem videtur colligi, nullam eſſe notionem, ſiue peculiarem rationem, qua vnaquæque perſona diſcernatur à reliquis duabus. Quare Patri reipſa conueniet vt ſit Filius, & Spiritus alicuius; Filio, vt ſit Pater, ſimulque alicuius Spiritus; & denique Spiritui, vt ſit Pater & Filius. Conſequens autem hæreticum & Sabellianum eſt, ac ſuprà latè exploſum Diſp. LV. & LVII. Ergo abſurdum eſt dicere, de Patre, Filio, & Spiritu S. tum communiter, tum ſingulatim, quòd vnuſquiſq; eorũ ſit memoria, intelligentia, & amor. Aſſumptio autem ſuadetur: quia ſemel ſtatuto quòd Pater, Filius, & Spiritus S. communiter & ſingulatim ſiut ea tria, nõ apparet caput aliquod per quod diſtinguantur reipſa, aut diſcernãtur penes notiones aliquas proprias ſingulorum. Nullum ergo caput erit, ob quod Pater non ſit Filius, & vnuſquiſque eorum Spiritus S. Quo eodem ferè argumento Ariani olim inuidiã conflabant Catholicæ de Trinitate ſentẽtiæ inurentes illã notâ Sabellianiſmi: præſertim verò id tentabat quidam Arianus Epiſcopus Mediolanenſis in Epiſtola ad Hilarium Pictauienſem.

33 VERVM HÆC QVÆSTIO, &c. Solvit S. Doctor difficultatem ex eo, quòd licèt ſingulis perſonis conueniant indiuiſim memoria, intelligentia, & amor, aliter tamen & aliter. Quod ſeorſim per vnamquamque perſonarum excurrendo oſtendit. Licèt enim Pater ſit intelligentia & amor; non tamen eſt intelligentiã genita, neque amor procedens: ſed ſolùm eſt perſona gignens, & ſpirans. Atqui eſſe intelligentiã genitã, eſt proprium Filij; eſſe amorem procedentẽ, eſt propriũ Spiritus S. eſſe denique perſonam gignentem, ſimul & ſpirantẽ, propriũ eſt Patris. Ergo quamvis Pater ſit intelligentia & amor, nõ propterea eſt Filius, aut Spiritus S. ſed ſolùm gignens & ſpirator.

34 FILIVS QVOQVE IDEO, &c. Similiter Filius, licèt indiuiſim cum Patre & Spiritu ſancto, ſit memoria & amor, non propterea eſt Pater, aut Spiritus ſanctus. Non enim eſt memoria gignens, nec amor procedens, quoniam prius eſt proprium Patris, poſterius verò Spiritus ſancti; vti ſuprà de ſingulis eorum ſtatutum fuit cap. 48. & 50. Solùm itaque eſt Filius, quoniam genitus eſt.

35 SPIRITVM QVOQVE, &c. Concludit denique Spiritum ſanctum non eſſe Patrem, aut Filium: quia licèt ſit memoria, & intelligentia, non tamen memoria gignens, aut intelligentia genita: quorum prius eſt notio characteriſtica Patris, poſterius verò ſolius Filij. Itaque Spiritus S. differt ab vtroque eorũ, quatenus ſolus ipſe eſt Amor procedens. Vnde demum concludit Anſelmus ratione idonea, quantum fieri poteſt, & rei ſublimitas inacceſſa patitur, intra ſummam eſſentiam eſſe vnum dumtaxat Patrem, vnum Filium, & vnum Spiritum ſanctum: non autem tres Patres, aut Filios, aut Spiritus. Quæ eadem collectio habetur in Symbolo S. Athanaſij dum dicitur: *Vnus ergo Pater, non tres Patres, Vnus Filius, non tres Filij, Vnus Spiritus ſanctus, non tres Spiritus ſancti.* Deſumpſit verò Athanaſius totum eum verſiculum ex S. Ignatio Martyre in Epiſtola ad Philippenſes, vbi integrè habetur ſic: ὅτε οὖν τρεῖς πατέρες, οὔτε τρεῖς υἱοὶ, οὔτε τρεῖς παράκλητοι· ἀλλ' εἷς πατὴρ, καὶ εἷς υἱὸς, καὶ εἷς παράκλητος. id eſt: *Neque igitur tres Patres, neque tres Filij, neque tres Paracliti: ſed Vnus eſt Pater, Vnus Filius, & Vnus Paraclitus.* Deiude idipſum exponens S. Martyr ſubdit ſtatim: Κύριος ἀποστέλλων τοὺς ἀποστόλους, &c. id eſt, *Dominus mittens Apoſtolos ad docendum omnes gentes, ipſos iuſsit baptizare in nomen Patris, & Filij, & ſancti Spiritus; non in Vnum, qui tribus nominibus conſtaret, neque in tres qui carnem humanam aſſumpſiſſent, ſed in tres honore pares.* Similiter Tertullianus ad finem libri de Trinit. *Vnus eſt Deus*, inquit, *non duo: quia Vnus Pater, non duo: Vnus innatus, non duo.*

36 HVC Etiam ſpectat illuſtris locus S. Sophronij Patriarchæ C.P. in Epiſt. Profeſſionis Fidei col. 3. quæ habetur in Synodo VI. Generali Actione XI. & approbatur poſtea Actione XIII. Etenim ibidem depellitur inuidia Sabellianiſmi in Catholicos cõflata, hiſce verbis: *Neque ſecundùm quòd Trinitas Vnus Deus agnoſcitur, & ſubſiſtentiæ tres, & tres perſonæ, Pater, Filius, & Spiritus S. dicitur contractus, vel compoſitus, vel confuſus, & in vnã ſeipſum colligens ſubſiſtentiam, in vnãque coercens non numerabilem perſonã. SABELLIANORVM ISTA SIT PRAVITAS, IN VNAM SVBSISTENTIAM TRES COLLIGERE SVBSISTENTIAS, ET IN VNAM PERSONAM TRES COLLIGERE PERSONAS.* Itaque cum vnitate eſſentiæ, memoriæ, intelligentiæ, & amoris in Patre,

Fi-

Filio, & Spiritu ſancto, cohæret optimè, quòd non ſit vnica perſona, ſed triplex: quoniam Pater non eſt quælibet memoria, ſed gignens: Filius non quælibet intelligentia, ſed genita: Spiritus ſanctus denique non quilibet amor, ſed procedens. In vnoquoque autem eorum trium, iuxta hunc ſenſum, importatur aliquid peculiare vnius eorum, potiùs quàm alterius, tum ratione originis activæ aut paſsivæ, tum præterea ratione relationis peculiaris in ipſa origine fundatæ, quæ eſt ratio conſtituendi & diſtinguendi perſonas divinas inter ſe: vt fusè ſtatutum fuit ſuprà Diſput. LXXIX. & LXXX. per totas.

CAPVT LXII. Aliás LX.

QVOMODO EX HIS TRIBVS MVLTI FILII NASCI videantur.

37 SED Ne fortè repugnet huic Aſſertioni quid intueor. Nam dubium eſſe non debet, quia Pater, & Filius, & eorum Spiritus, vnuſquiſque ſeipſum, & alios ambos dicit, ſicut ſe & alios intelligit. Quod ſi ita eſt; quomodo non ſunt in ſumma eſſentia tot verba, quod ſunt dicentes, & quot ſunt, qui dicuntur? Si enim plures homines vnum aliquid cogitatione dicant; tot eius videntur eſſe verba, quot ſunt cogitantes: quia in ſingulorum cogitationibus verbum eius eſt. Item, ſi vnus homo cogitat aliqua plura, tot verba ſunt in mente cogitantis, quot ſunt res cogitatæ.

38 SED In omni cogitatione, cùm cogitat aliquid, quod extra eius mentem eſt, non naſcitur verbum cogitatæ rei ex ipſa re; quia ipſa abſens eſt à cogitationis intuitu; ſed ex rei aliqua ſimilitudine vel imagine, quæ eſt in cogitantis memoria; aut fortè quæ tunc, cùm cogitat, per corporeum ſenſum ex re præſenti in mentem attrahitur.

39 IN Summa verò eſſentia ſic ſibi ſemper ſunt præſentes Pater, & Filius, & eorum Spiritus. Eſt enim, ſicut iam perſpectum eſt, vnuſquiſque non minùs in alijs, quàm in ſe ipſo: vt cùm invicem ſe dicunt, ſic videatur idem ipſe qui dicitur, gignere verbum ſuum, quemadmodum cùm à ſeipſo dicitur. Quomodo ergo nihil gignit Filius, aut eius Patriſque Spiritus, ſi vnuſquiſque eorum verbum gignit ſuum, cùm à ſe dicitur, vel ab alio? Quot autem verba probari poſſunt de ſumma naſci ſubſtantia: tot eam neceſſe ſecundùm ſuperiorem conſiderationem filios gignere, & tot emittere ſpiritus.

DISPVTATIO XCIX.

CVR IN DIVINIS NON SINT PLVRES FILII.

AD ILLVSTRISSIMVM ET SPLENDIDISSIMVM HEROEM, D.D. LVPVM DE LOS RIOS CERON ET GVZMAN, Calatravenſem Equitem, Cordubenſis nobilitatis delibatum florem, olim vtrique Prætorio Navarræ & Granatæ Præfectum, dein Regiæ Gazæ ſpectatiſsimum Præſidem, iam diu Conſiliarium in Supremis Senatus Caſtellæ & Cameræ, &c.

HAEC Eſt tertia difficultas, quam ſibi ipſi opponit Anſelmus contra mirabilem illam περιχώρησιν, *ſeu circuminſeſſionem divinarum perſonarum. Cùm enim docuiſſet cap. 60. tum memoriam, tum intelligentiã, convenire ſingulis perſonis divinis; incurrit ſtatim in oculos ratio dubitandi, an vnaquæque ex tribus habeat vim concipiendi verbum, ac ſubinde generandi. Hanc quæſtionẽ latè diſcutere oporteret, niſi iam pleraque ad eam ſpectantia in ſuperioribus profligata fuiſſent: vt ex progreſſu apparebit. Itaque levi manu à nobis dirimenda eſt: præſertim cùm iam vrgeat tempus & neceſsitas imponendi finem huic Tomo, ne iuſto maior evadat, & ſubeamus notam illam Græcorum:* μεγα βιβλος, μεγα κακον, *id eſt,* Magnus liber, magnum malum.

SCHOLIA IN CAPVT LXII.

SECTIO PRIMA.

Ratio dubitãdi, ab Anſelmo propoſita, vt ſint plures filij in diuinis, elucidatur & vrgetur multipliciter.

2 *SED NE FORTE, &c.* Videbitur cuipiam, in divinis admitti debere plures filios. Pater enim, & Filius, & Spiritus ſanctus, ita ſe habent, iuxta dicta cap. 60. vt vnuſquiſque eorum, tam ſeipſum, quàm reliquos duos, dicat mente, & intelligat. Ergo tres perſonæ divinæ ſunt totidem intelligentes & dicentes: ac proinde per intellectum cõcipiunt triplex Verbum, & triplicem Filium. Etenim cùm plures homines vnum aliquid cogitatione intelligunt & dicunt, tot rei cogitatæ verba in eorũ mentibus eſſe videntur, quot ſunt cogitantes: quoniam in ſingulorum cogitationibus verbum rei cogitatæ eſt. Præterea, ſi vel vnus homo cogiter plura aliqua, tot verba concipiuntur in mente cogitantis, quot ſunt res cogitatæ. Si ergo in divinis quælibet ex divinis perſonis intelligit & cogitat, tot erunt in ijs verba, quot ſunt intelligentes & cogitãtes, immo & quot ſunt res intellectæ & cogitatę. Verbũ autẽ in divinis eſt Filius. Erit ergo in divinis multiplex Verbum, & multiplex Filius.

3 *SED IN OMNI, &c.* Vt amplius vrgeat rationem ipſam dubitandi, S. Doctor, exponit qualiter homines concipiamus verbum mentis. Cùm enim homo cogitat aliquid quod extra ipſius mentem eſt, verbum rei cogitatæ non oritur ex illa; cùm ſit abſens à cogitationis intuitu; ſed ex aliqua rei ſimilitudine vel imagine, quæ eſt in cogitantis memoria. Immo & quãdo cogitat rem exteriorẽ ſibi præſentem, verbum eius naſcitur ex imagine aliqua ipſius per ſenſum attracta, & in mentem perducta. Quippe hoc ſenſu verificatur effatum illud Magni Auguſtini: *Ex obiecto & potentia patitur notitia*, id eſt, verbum. Non enim paritur ex obiecto exteriori ſecundùm ſuum eſſe reale: quod ſæpe abſens eſt, aut iam non exiſtit in rerum in natura, vt quando quis cogitat res præteritas, vel futuras, quæ propterea nullum effectum parere poſſunt. Immo & quamvis exiſtat obiectum exterius; cùm ſit extra mentem cogitantis, nullamq; cum ea vnionem habeat ſecundùm ſuum eſſe reale; incapax eſt, vt penes illud exerceat cauſalitatẽ aut activitatẽ vllã in verbũ mentis cogitantis. Omne enim agens debet habere ſufficientẽ vnionem,

ſive

ſivè approximationem ad paſſum, vt ex communi Philoſophorum ſenſu tradidimus fusè in Phyſica Diſp. 39. per totam. Nullum ergo obiectum exterius, ſive abſens, ſive præſens, ſecundùm ſuum eſſe reale, exercet cauſalitatem, vel activitatem in cogitationem, ſive notitiam, aut verbum mentis ipſum cogitantis. Supereſt igitur, vt eam vim ſolùm exerceat ſecundùm ſuum eſſe intelligibile, vel obiectivum, nempe, ſecundùm aliquam ſui imaginem, quæ eſt *in cogitantis memoria, aut quæ forte tunc, cùm cogitat, per corporeum ſenſum ex re præſenti in mentem attrahitur*, vt inquit Anſelmus hoc loco.

4 ET Iure quidem, ac philoſophicè omnino ita loquitur, duce Ariſtotele lib. 3. de Anima cap. 8. vbi docet, *Animam quodammodo omnia eſſe*, quoniam in ſe concipit imagines rerum omnium: ac præterea ſubdit: ἀναγκη δ' ἢ αὐτα, ἢ τὰ εἴδη εἶναι. αὐτὰ μὲν γὰρ οὐ δὴ οὐ· οὐ γὰρ ὁ λίθος ἐν τῇ ψυχῇ, ἀλλὰ τὸ εἶδος. *Atqui neceſſe eſt, aut res ipſas, aut formas in anima eſſe. At non ſunt in ea res ipſæ profectò. non enim ipſe lapis in animo, ſed forma lapidis ineſt.* Quin & loquendo de ſenſibus lib. 2. eiuſdem Operis cap. 12. eandem doctrinam tradiderat, dicens: *Hoc autem vniuerſe accipere de omni ſenſu oportet: ſenſum, inquam, id eſſe, quod ſenſibiles ſine materia formas ſuſcipere poteſt; perinde, atque annuli ſignum ſine ferro, vel auro, ſuſcipit cera.* Quod ipſum omnes ferè Philoſophi ſequuntur, paucis exceptis, præcipuè Recentioribus, quos latè impugnavimus in Commentarijs ad libros de Anima Diſp. 89. per totam. Et ſanè dum ij divertentes in id paradoxon ingenioſi videri volunt, ſubeunt ex oppoſito notam illam Magni Auguſtini lib. 11 de Trinitate cap. 2. aientis, exiſtentiam eiuſmodi ſpecierum, ſive imaginum, *ſolùm tardioribus ingenijs diffidem eſſe*. Ego quidem malim cum Ariſtotele, Auguſtino, & Anſelmo, errare, quàm cum ijs Recentioribus nodum in ſcirpo quærere.

5 *IN SVMMA VERO ESSENTIA, &c.* Vrget eandem difficultatem S. Doctor, ex doctrina nuper tradita. Quòd enim res exteriores cogitatæ, ſecundùm ſuum eſſe reale non generent in nobis verbum ſui, ideo eſt, quoniam non ſunt intimè præſentes mentibus noſtris: vt nuper ex Ariſtotele audivimus. Atqui in ſumma eſſentia Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, ſecundùm totum ſuum eſſe reale ſunt ſibi invicem præſentes, ratione mirabilis illius τῆ περιχωρήσεως, ſive circuminſeſſionis: vt traditum fuit cap 59. vbi, inter alia, dixit Anſelmus: *Eſt enim totus Pater in Filio, & communi Spiritu; & Filius in Patre, & eodem Spiritu; & idem Spiritus in Patre, & Filio.* Rationemque ſtatim adiecit: *Quia memoria ſummæ eſſentiæ tota eſt in eius intelligentia, & in amore; & intelligentia in memoria, & in amore; & amor in memoria, & in intelligentia :::::: Intelligitur autem in memoria Pater, in intelligentia Filius, & in amore Spiritus ſanctus.* Ergo tam Pater, quàm Filius, & Spiritus ſanctus, dum ſe cogitant, aut viciſſim cogitantur, concipiunt ſeu generant aliquod mentale verbum; ac proinde tot verba, quot ſunt ipſi cogitantes. Verbum autem in divinis, idem eſt, ac Filius: ideoque ſuprà Diſput. LXII. per totam diximus cum eodem S. Doctore, rationem Verbi in divinis eſſe propriam notam, & characterem ſolius Filij. Ergo tam Pater, quàm Filius, & Spiritus ſanctus, dum ſe cogitant, aut viciſſim cogitantur, concipiunt & generant totidem Filios. Eademque ratio dubitandi eſt, vt vnuſquiſque eorum producat ſuum Spiritum. Nam cùm cap. 60. traditum fuerit, vnamquamque perſonam ſe amare, & duas reliquas; conſequens videtur, vt vnaquæque earum ſpiret: quia amare eſt ſpirare per voluntatem. Erunt igitur in divinis totidem Spiritus ſancti, quot amantes.

6 VRGETVR Multipliciter ratio eadem dubitandi, præſtrictis breviter argumentis, quæ opponit ſibi S. Tho. 1 part. quæſt. 41. art. 6 vbi inquit: *Vtrum actus notionalis ad plures perſonas terminari poſsit.* Quod eſt perinde, ac quærere, vtrum poſsint eſſe in divinis plures perſonæ genitæ, vel ſpiratæ: ac ſubinde, vtrum poſsint eſſe in divinis plures Filij, aut plures Spiritus ſancti, prout Anſelmus hoc loco inquirit. Vrgetur, inquam, multipliciter. *Primò*: Quia quiſquis eſt prædituſ potentia generativa, poteſt generare, ac proinde habere filium. At quælibet perſona divina eſt prædita intellectu, qui eſt potentia generativa in divinis. Ergo quælibet perſona divina poteſt generare, & proinde habere filium. Quare poterunt eſſe in divinis plures Filij. *Secundò*: quoniam Auguſtinus lib. 3. contra Maximinum cap. 12. circa finem ait: *Filius non genuit creatorem. Neque enim non potuit: ſed non oportuit.* Ergo in Filio Dei eſt potentia ad generandum alium Filium. *Tertiò*. Deus Pater eſt potentior ad generandum, quàm pater creatus. Hic autem poteſt generare plures filios. Ergo multò magis Pater æternus plures filios generare poteſt. Vide ſolutionem harum obiectionum infrà ſect. 3. num. 25.

CAPVT LXIII. Aliás LX.

Quomodo non ſit ibi, niſi vnus vnius; hoc eſt, vnum Verbum, & ex ſolo Patre.

HAC Itaque ratione, videntur in illa eſſe non ſolùm multi Patres, & Filij, & procedentes, ſed & aliæ neceſsitudines: aut certè Pater, & Filius, & eorum Spiritus (de quibus iam certiſsimum eſt, quia verè exiſtunt) non ſunt tres dicentes, quamvis ſingulus quiſque ſit dicens: nec ſunt plura quæ dicuntur, cùm vnuſquiſque ſeipſum, & alios duos dicit. Sicut enim ſummæ ſapientiæ ineſt ſcire & intelligere: ita vtique æternæ incommunicabilique ſcientiæ & intelligentiæ naturale eſt, id ſemper præſens intueri, quod ſcit, & intelligit. Nihil autem aliud eſt ſummo ſpiritui huiuſmodi dicere, quàm quaſi cogitando intueri: ſicut noſtræ mentis locutio nihil aliud eſt, quàm cogitantis inſpectio.

8 CERTISSIMVM Autem iam conſideratæ rationes reddiderunt, quidquid ſummæ naturæ ineſt eſſentialiter, id perfectè convenire Patri & Filio & eorum Spiritui ſingulatim: & tamen idipſum, ſi ſimul dicatur de tribus, non admittere pluralitatem. Cùm ergo conſtet, quia ſicut pertinet ad eius eſſentiam ſcientia & intelligentia, ſic eius ſcire & intelligere non eſt aliud, quàm dicere, id eſt, ſemper præſens intueri quod ſcit, & inrelligit: neceſſe eſt, vt quemadmodum ſingulus Pater, ſingulus Filius, & ſingulus eorum Spiritus, eſt ſciens & intelligens; & tamen hi tres ſimul non ſunt plures ſcientes, aut intelligentes, ſed vnus ſciens, & vnus intelligens: ita ſingulus quiſque ſit dicens, nec tamen ſint tres dicentes ſimul: ſed vnus dicens.

9 HINC Illud quoque liquidò cognoſci poteſt: quia cùm hi tres dicuntur vel à ſeipſis, vel ab invicem, non ſunt plura, quæ dicuntur. Quid namque ibi dicitur, niſi eorum eſſentia? Si ergo illa vna ſola eſt, vnum ſolum eſt quod dicitur: ergo vnum ſolum eſt in illis, quod dicit, & vnum quod dicitur. Vna quippe ſapientia eſt, quæ in illis dicit, & vna ſubſtantia, quæ dicitur. Conſequitur non ibi eſſe plura verba, ſed vnum. Licèt igitur vnuſquiſque ſeipſum & omnes invicem ſe dicant, impoſsibile tamen eſt in ſumma eſſentia eſſe Verbum aliud præter illud, de quo iam conſtat, quòd ſic naſcitur ex eo, cuius eſt Verbum, vt etiam vera eius dici poſsit imago, & verè Filius eius ſit.

10 IN Quo mirum quiddam & inexplicabile video. Ecce enim, cùm manifeſtum ſit vnumquemque, ſcilicet, Patrem, & Filium, & Patris Filijque Spiritum, pariter ſe & ambos alios dicere, & vnum ſolum

ibi

ibi eſſe Verbum; nullatenus tamen ipſum Verbum videtur poſſe dici Verbum omnium trium, ſed tantùm vnius eorum. Conſtat namque ipſum eſſe imaginem, & Filium eius cuius eſt Verbum; & patet, quòd nec imago, nec Filius ſuimet, nec à ſe procedentis Spiritus congruè dici poteſt. Nam nec ex ſe ipſo, nec ex procedente à ſe naſcitur: nec ſeipſum, aut procedentem à ſe exiſtendo imitatur. Seipſum quippè non imitatur, nec à ſe trahit exiſtendi ſimilitudinem: quia imitatio & ſimilitudo non eſt in vno ſolo, ſed in pluribus. Illum verò non imitatur, nec ad eius ſimilitudinem exiſtit: quia iſte non habet ab illo eſſe, ſed ille ab iſto. Reſtat igitur, hoc ſolum Verbum illius ſolius eſſe, de quo naſcendo habet eſſe, & ad cuius omnimodam ſimilitudinem exiſtit.

11 VNVS Ergo Pater, non plures Patres: vnus Filius, non plures Filij: vnus procedens Spiritus, non plures procedentes Spiritus, ſunt in ſumma eſſentia. Qui cùm ita tres ſint, vt nunquam Pater ſit Filius, aut procedens Spiritus; nec Filius aliquando ſit Pater, aut Spiritus procedens; nec vnquam Spiritus Patris & Filij ſit Pater, aut Filius; & ſingulus quiſque ſic ſit perfectus, vt nullo indigeat: id tamen quod ſunt, ſic eſt vnum, vt ſicut de ſingulis pluraliter dici non poteſt, ita nec de tribus ſimul. Et cùm pariter vnuſquiſque ſeipſum, & omnes invicem ſe dicant; non tamen ſunt ibi plura verba, ſed vnum: & ipſum non ſingulorum, aut omnium ſimul, ſed vnius tantùm.

SCHOLIA IN CAPVT LXIII.

SECTIO SECVNDA.

Vnitas, ſiue ſingularitas Patris, Filij, & Spiritus ſancti, palam tradita in ſacris litteris, ſuadetur ratione ab Anſelmo; & ſolvitur difficultas obiecta capite præcedenti. Doctrina huius capitis ex Patribus illuſtrata.

12 HAC ITAQVE RATIONE, &c. Reſumit Anſelmus hoc loci rationem dubitandi, propoſitã capite precedenti, vt videantur eſſe plures filij, ac plura verba, in divinis, immo multi patres, & procedentes atq; aliæ eiuſmodi neceſsitudines: quoniam ſicut quælibet ex tribus perſonis intelligit & amat; ita etiã vnaquæque earũ videtur dicere verbũ, & ſpirare amorẽ, quorũ prius eſt generare, poſterius autem ſpirare. Aut certè ne id abſurdũ colligatur; oportebit dicere, quãvis ſingulus Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſit dicens; non propterea eſſe tres dicentes, nec plura verba dicta, cùm vnuſquiſque eorum ſe intelligit, aut duos alios. Nimirum, ſuppo-nitur ex traditis ſuprà cap. 16, quemadmodum ſummæ ſapientiæ ineſt ſcire & intelligere, ita etiam æternæ incommutabiliq́ue ſcientiæ naturale eſſe, vt ſemper intueatur præſens id, quod ſcit & intelligit. Supponitur præterea ex dictis cap. 29. & ſeqq. nihil aliud eſſe Deo dicere, quàm veluti cogitando intueri: ſicuti dictio, ſive locutio noſtræ mentis, eſt cogitatio rei obiectæ. Ea verò doctrina ſtatuta neceſſum eſt alterum duorum: vt vel in divinis admittamus tres intelligentes & dicentes, ac proinde tria verba, & tres filios: vel aſſeramus ibidem non plures intelligentes & dicentes; ſed vnum intelligentem & dicentem, ac proinde vnum dumtaxat Verbum, & Filium vnicum. Eadem verò ratio eſt de amore.

13 VERVM In divinis non eſſe plures filios, ſed vnum, ſicuti & vnicum Spiritum ſanctum, certa & Catholica ſententia eſt, atque in ſacris litteris expreſſa. Etenim de Filio Dei dicitur Ioannis 1. *Vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris, &c.* Vnigenitus autem excludit omnem alium genitum, ſive filium. Atque inferiùs additur: *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre.* Præterea cap. 3. ſequenti: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum Vnigenitum daret.* Et iterum: *Quia non credit in nomine Vnigeniti Filij Dei,*

Dei. Denique idem Ioannes Epiſt. 1. cap. 4. inquit: *Filium ſuum Vnigenitũ miſit Deus in mundum.* Non ergo in divinis ſunt plures filij, ſed vnicus.

14 IDIPSVM Traditur palam de Spiritu ſancto varijs locis. Etenim 1. Corinth. 12. initio ferè dicitur: *Hæc autem omnia operatur Vnus atque idem Spiritus* Atque inferiùs: *In Vno Spiritu omnes nos, in Vnum corpus baptizati eſtis.* Ac præterea: *Omnes in Vno Spiritu potati ſumus.* Similiter Epheſiorum 4. *Vnum corpus, Vnus Spiritus, ſicut vocati eſtis in Vna ſpe vocationis veſtræ.* Conſtat quoque eadem veritas ex toto ferè cõtextu Novi Teſtamenti, vbi, quemadmodum de Patre, ita etiam de Filio, & de Spiritu ſancto, ſæpiſſimè eſt ſermo, quaſi de vno ſolo. Quin & formula ipſa Baptiſmi à Chriſto D. præſcripta id indicat, dum Matth. 28. dicitur: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Ac præterea 1. Ioannis cap. vlt. *Tres ſunt qui teſtimoniũ dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus ſanctus: & hi tres Vnum ſunt.* Dum autem Scriptura aſſignat certum ac determinatum numerum perſonarum divinarum, eo ipſo excludit alium maiorem. Quod totum complectitur Athanaſius verſu illo 16. ſui Symboli: εἷς οὖν ὁ πατὴρ, οὐ τρεῖς πατέρες, εἷς υἱὸς, οὐ τρεῖς υἱοί, ἓν πνεῦμα ἅγιον, οὐ τρία πνεύματα ἅγια. *Vnus ergo Pater, non tres Patres: Vnus Filius, non tres Filij: Vnus Spiritus ſanctus, non tres Spiritus ſancti.* Quare cùm hæc veritas tam aperta ſit in ſacris litteris, fruſtraneum eſſet aggregare hoc loci teſtimonia Conciliorum & Patrum, in quibus eadem traditur. Veniamus itaque ad reddendam rationem ipſius, quantum fieri poteſt, & ſinit inacceſſa ſublimitas tanti myſterij.

15 *CERTISSIMVM AVTEM &c.* Vt dirimat quæſtionem Anſelmus, & occurrat rationi dubitandi propoſitæ, præmittit breviter, quod fuſiùs in ſuperioribus probaverat, nimirum, quidquid ſummæ naturæ convenit eſſentialiter, id convenire perfectè Patri, & Filio, atque ipſorum Spiritui ſingulatim: & tamen idipſum, ſi ſimul dicatur de pluribus, non admittere pluralitatem. Hac ratione concluditur, quemadmodum tribus ineſt vnica natura, ita etiam vnicum eſſe intellectũ, voluntatem, omnipotentiam, & cætera attributa; quæ ita conveniunt ſingulis perſonis, vt nullam propterea in ijs ſubeant pluralitatem, ſed indiviſam vnitatem ſervent. Atqui ſcire & intelligere etiam eſt perfectio eſſentialiter cõveniens naturæ divinæ. Ergo ſcire & intelligere ita convenit ſingulis tribus perſonis, vt tamen in ijs non ſubeat pluralitatem, ſed ſervet vnitatem. Scire autem & intelligere, idem eſt ac dicere, ſive intueri præſentem rem ſcitam & intellectam. Ergo quemadmodum ob rationem dictam non ſunt in divinis plures ſcientes & intelligentes, ſed vnus ſciens, & vnus intelligens: ita non ſunt plures dicentes, ſed vnus dicens. Hanc ipſam doctrinam & rationem mutuavit poſtea ex Anſelmo D. Thomas 1 p. q 41. art 6. corpore in idem probandum. Nam ait: *Secunda verò (ratio) deſumitur ex modo proceſſionum: quia Deus omnia intelligit & vult vno & ſimplici actu. Vnde non poteſt eſſe niſi vna perſona procedens per modum Verbi, quæ eſt Filius, & vna per modũ Amoris, quæ eſt Spiritus ſanctus.*

16 *HINC ILLVD QVOQVE, &c.* Ex hac conſideratione colligit ſtatim S. Doctor in divinis eſſe vnicum Verbum, non plura. Sive enim vnuſquiſque ex tribus dicat ſeipſum ſive duos reliquos, quidquid ibi dicitur, eſt vnum: nempe vna trium eſſentia. Quippe ſicut illa eſt quæ præcipuè ſcitur & intelligitur à tribus perſonis, tanquam ab vno ſciente & intelligente: ita etiam ipſa ſola eſt, quæ dicitur ab ijs, tanquam ab vno dicente, nimirum, vna ſapientia eſt, quæ dicit; & vna ſubſtantia, quæ dicitur. Vbi autem vnum tantùm eſt dicens, & vnum quod dicitur, ibi eſt vnicum Verbum. Ergo de primo ad vltimum, quamvis quælibet ex tribus perſonis divinis ſit ſciens, & intelligens, & dicens, non propterea eſt multiplex Verbum, ſed vnum. Itaque impoſsibile eſt, in ſumma eſſentia eſſe Verbũ aliquod, præter vnum illud, de quo iam conſtat ſatis, ſic naſci ex eo, cuius Verbum eſt, vt & vera eius dici poſsit imago, & verus Filius: prout latè in ſuperioribus traditum eſt. Sic, nimirum, ſuprà cap. 33. fine concluſit: *Vno igitur eodemque Verbo dicit ſeipſum, & quæcumque fecit.* Similiter cap. 34. *Cùm ſeipſum dicit ſummus ille Spiritus, dicit etiam quidquid factum eſt, Vno eodemque Verbo.* Sic & Bernardus Sermone de verbis Abacuc, ad illa verba Pſalmi, *Semel locutus eſt Deus*, ait: *Semel locutus eſt Deus: ſemel Vtique, quia ſemper. Vna enim, & non interpolata, & perpetua locutio eſt.* Vna autem locutio, vnicum exprimit, ſeu parit Verbum. Ergo ibi eſt vnicum Verbum.

17 *IN QVO MIRVM QVIDDAM, &c.* Non ita fidit S. Doctor rationi traditæ, vt diffiteatur ſummam difficultatem, quæ in ea clauditur, humanæ menti prorſus inacceſſam. Quamvis enim ex illa videatur probari Patrem, Filium, & Spiritum ſanctũ, pariter ſe, & ambos alios dicere, atque ibi eſſe dumtaxat vnum Verbum, ſicuti vnum eſt dicens, & vnum quod dicitur; adhuc tamen in-

incurrit in oculos difficultas, quòd Verbum illud videatur eſſe Verbum trium perſonarum: ſiquidem à tribus ijs dicitur. Abſurdum autem eſt aſſerere, Verbum divinum eſſe Verbum trium perſonarũ. Non enim eſt Verbum ſeipſius, nec Spiritus ſancti; ſicuti nec imago: ſed ſolius Patris. Non ergo Verbum illud dicitur à tribus perſonis ſimul. Vnde & conſequens erit, vt non quælibet ex divinis perſonis ſit dicens nec ſciens, nec intelligens, contra quàm in præcedentibus ſtatutum & probatum fuit.

18 HVIC Verò difficultati occurrit ſtatim Anſelmus, & reſponder, Verbum divinum non poſſe dici Verbum trium perſonarum, ſed vnius tantùm. Solùm quippe dici poteſt Verbum illius, cuius eſt imago & Filius: cùm ratio imaginis, ſicuti & Verbi, ſit propria ſolius Filij: vt ſuprà cum eodem S. Doctore oſtenſum fuit Diſp. LXII. & LXX per totas. Atqui Verbum non eſt imago, aut Filius trium, ſed vnius tantùm, ſcilicet Patris. Verbum enim, ſicuti & imago, & Filius, ſolùm dici poteſt relatè ad illum à quo naſcitur, & quem exiſtendo imitatur. Non naſcitur autem Verbum à ſeipſo, vel à Spiritu ſancto, ſed à ſolo Patre: nec ſeipſum exiſtendo imitatur: cùm imitatio & ſimilitudo exigat omnino pluralitatem extremorum. Neque etiam exiſtendo imitatur Spiritum ſanctum, cùm ab hoc non oriatur, ſed è contra hic ab illo. Verbum ergo divinum non ſuiipſius, aut Spiritus ſancti Verbum eſt, ſed Patris ſolius. Itaque licèt quilibet ex ijs dicat, non in ordine ad quẽlibet illorum Verbum divinum habet rationem Verbi: ſed ſolùm relatè ad Patrem, cuius Verbum, & imago, & Filius eſt, quoniam ab eo ſolo naſcitur, ipſumque ſolum exiſtendo imitatur. Sic ſuprà cap. 37. aliàs 38. dixerat: *Verbum, hoc ipſum, quòd Verbum eſt, aut imago, ad alterum eſt: quia non, niſi alicuius eſt Verbum, aut imago. Et ſic propria ſunt hæc alterius, vt nequaquam alteri coaptentur. Nam ille cuius Verbum eſt, aut imago, nec imago, nec Verbum eſt.* Præiverat autem longè antea Auguſtinus lib. 7. cap. 2. dicens: *Sicut Filius ad Patrem refertur, non ad ſeipſum dicitur: ita & Verbum ad eum, cuius Verbum eſt, refertur. EO QVIPPE FILIVS, QVO VERBVM; ET EO VERBVM, QVO FILIVS.* Similiter, & Damaſcenus lib. 1. Fidei cap. 6. 7. & 13. ac præterea in Triſagio obſervat, hæc nomina, *FILIVS DEI, VERBVM, SAPIENTIA ET VIRTVS, EX PATRE GENITVS, eſſe oſtenſiua vnius hypoſtaſeos* (id eſt, perſonæ) *& nequaquam in alia hypoſtaſi, vel in communi Deitatis ſocum habere.* Vide plura huc ſpectantia ſuprà Diſput. LXI. & LXII.

19 *VNVS ERGO PATER, &c.* Colligit demum ex præmiſſis, vnum in divinis eſſe Patrem, non plures; vnum Filium, ac Spiritum ſanctum vnum, non plures: ex quibus Pater non ſit Filius, aut Spiritus procedens; nec Filius Pater aut Spiritus vtriuſque; nec demum hic Pater aut Filius. Porrò vnumquemque eorũ eſſe ita perfectum, vt nullo indigeat: illud verò, quod vnuſquiſque eorum eſt, ita eſſe vnum, vt nec de ſingulis prædicari pluraliter poſſit, neque de tribus ſimul. Non enim verè dici poteſt de ſingulis eorum, quòd vnuſquiſque ſit Pater, nec quòd Filius, nec quòd Spiritus ſanctus: ſed nec de tribus ſimul dici poteſt, quòd ſint Pater, nec quòd Filius, nec quòd Spiritus ſanctus. Quippe vnaquæque earum appellationum alligata eſt certæ alicui ex tribus perſonis, nec communis vllo modo eſt duabus reliquis. Denique, quamvis vnuſquiſque ex ijs intelligat & dicat, tam ſeipſum, quam alios duos, non propterea ſunt ibi plura verba, ſed vnicum Verbum: & hoc ipſum quidem non ſingulorum, aut trium ſimul, ſed vnius tantùm; id eſt, Patris, à quo ſolo naſcitur, & cuius ſolius vera & perfectiſsima imago eſt. Ex quibus patet ad obiectionem præcedenti capite propoſitam ab ipſo S. Doctore, & à nobis expenſam ſectione prima: vt conſideranti patebit. Patet ſimiliter ad eandem obiectionem, quatenus tendit ad colligendum rationem Spiritus ſancti eſſe communem tribus perſonis, ſive triplicem eſſe Spiritũ ſanctum: quoniam vnaquæque ex divinis perſonis amat ſeipſam, & duas reliquas, ac proinde ſpirat, ſeu producit Spiritum. Reſpondetur enim, quamvis ſingulæ perſonæ ament, non propterea ſingulas ſpirare: quia ſpiratio activa, vltra communem amorem, addit relationem ad terminum ſpiratum, quæ ſoli Patri ac Filio convenit per modum vnius, vt ſuprà Diſput. XC. ſect. 1. traditum fuit cum ipſo S. Doctore. Quare ſoli tertiæ perſonæ convenit ratio Spiritus ſancti, idque relatè ad Patrem & Filium. Itaque amare eſt commune, in divinis, ſicut ſcire, intelligere, & dicere: ſpirare verè eſt peculiare Patris & Filij, ſicut generare ſolius eſt Patris.

SECTIO TERTIA.

Aliæ rationes, tum ex alijs Patribus, tum nominatim ex ipſo Anſelmo erutæ, ad probandam repugnantiam plurium filiorum in diuinis. Obiectiones quædam ſolutæ.

20 PRÆTER Rationem Anſelmi expenſam præcedenti ſectione, ſunt plures aliæ, ne in divinis ſit pluſquam vnus Pater,

vnus

vnus Filius, & vnus Spiritus ſanctus: ex verò omnes ipſi cohærentes, aut affines, tum hoc loco, tum locis alijs indicandis in progreſſu ſectionis. Primam deſumunt Patres ex vnitate eſſentiæ in perſonis: quæ non patitur, vt ſit pluſquam in tribus: in vno quidem, veluti in fonte Trinitatis; in alio, veluti in genito, cui Pater per intellectum communicet naturam ſuam; & in alio tandem, cui eam communicet per voluntatem. Quemadmodum enim natura divina ratione ſummæ & infinitæ perfectionis ſuæ exigit omnino vt ſit vna prorſus & indiviſa: ita etiam, vt intra illam non ſint plures Patres, aut Filij, aut Spiritus ſancti, ſed vnus dumtaxat. Hanc probationem indicat ſatis S. Ignatius Martyr Epiſtola ad Philippenſes ſub initium, ad mentem Pauli 1. Corinth. 8. & Epheſ. 4. dicens: *Vnus eſt enim omnium Deus Pater Chriſti, ex quo omnia: & Vnus Dominus noſter IESVS-CHRISTVS Dei Vnigenitus, dominator Vniuerſorum, per quem omnia. Vnus autem etiam Spiritus ſanctus.* Et paucis interiectis: *Vnus ergo Deus Pater, & non duo vel tres. Vnus ſcilicet QVI EST, & non eſt præter eum ſolum verus. Dominus enim Deuteronomij 6. inquit: DEVS TVVS, DEVS VNVS EST. Et iterum Malachiæ 2. NONNE VNVS DOMINVS CREAVIT NOS, ET VNVS PATER EST OMNIVM NOSTRVM? Vnus quoque Filius Deus Verbum.* Eadem verò ratio eſt de Spiritu ſancto, vt ipſe Ignatius paulo antè monuit. Ac præterea adductis teſtimonijs Pauli 1. Cotinth. 12. & Epheſ. 4. pro vnitate & ſingularitate Dei, ac ſancti Spiritus, ſubdit: *Ergo neque tres ſunt patres, neque tres filij, ſed neque tres paracliti: ſed vnus Pater, & vnus Filius, & vnus Paraclitus.* Ergo ex ſingularitate diuinæ naturæ repugnantis cuilibet ſui multiplicationi, colligitur optimè ſingularitas, & repugnantia vt in divinis multiplicetur Pater, aut Filius, aut Spiritus ſanctus.

21 SIMILITER Patres Concilij Nicæni eadem ratione vtuntur lib. 2. paulo poſt medium, *S. Sepenumero*, hiſce verbis: *Vnus ingenitus Deus & Pater. Vnus ex eo genitus Vnigenitus Filius Deus Verbum. Sicut non eſt alter Deus cum Deo & Patre ingenitus; ita neque congenitus, neque prior, nec poſterior filius, diuerſus a Deo Vnigenito Filio eius.* Athanaſius quoque Oratione cõtra gregales Sabellij circa medium ait: *Neque duo ſunt dij, quum non duo ſint patres, neque diuerſæ ſubſtantiæ ſit genitor a genitore. Qui enim duo principia introduxit, duo numina prædicat.* Præterea lib. 5. contra Arianos: ὥσπερ γὰρ μία οὐσία ἡ ἀρχὴ, οὕτως εἷς υἱὸς ἐστὶν, καὶ ὑφεστὼς ὁ ταύτης λόγος, καὶ ἡ σοφία. Id eſt: *Sicut enim vna ſubſtantia eſt principium: ſic vnum eſt eſſe ſubſtantiale, & ſubſiſtens eius Verbum, ac ſapientia.* Idipſum videre eſt apud Cyrillum Alexandrinum, lib. 3. Theſauri cap. 2. ſub initium, Epiphaniũ Hæreſi 69. inter princip. & med. & in Ancorato col. 5. Baſilium lib. 3. contra Eunom. prope finem, Ambroſium lib. 4. de Fide ad Gratianũ cap. 4. prope medium, Fulgentium lib. ad obiectiones Arianorum, obiectione 1. prope medium, Hilarium lib. 5. de Trinit. inter medium & finem: vt omittam Tertullianum, Lactantium, Nazianzenum, Dionyſium Romanum, & plures alios Patres, quorum teſtimonia exſcribit Ruiz diſp. 22. ſect. 6.

22 SECVNDA Ratio, eaque præcedenti cohærens, deſumitur ex Anſelmo lib. de Proceſs. cap. 2. & 3. ac D. Thom. 1. p. q. 41. art. 6. corpore: poteſtque ſic explicari. Cùm eadem omnino ſit eſſentia divinarum perſonarũ, vt ex doctrina fidei ſupponimus; nequeunt multiplicari, niſi ſecundùm oppoſitionem relativam, ſive penes relationes originis. Hæ verò non ſunt deſumendæ ſecundùm proceſſum ad exteriora effecta; cùm non ſint conſubſtantialia principio producenti: ſed penes terminum ad intra ὁμοούσιον, ſive coeſſentiale ſuo principio. Porrò origines immanentes terminũ coeſſentialis ſuo principio prorſus immaterialĩ & divino, nequeunt cum fundamento cogitari, niſi duæ; altera per intellectum, quæ concipiat proinde ac generet Verbum; altera per voluntatem, quæ ſpiret Amorem, vt ſuprà Diſp. LXXXVIII. latè oſtenſum fuit. Ergo nequeunt multiplicari perſonæ divinæ, niſi penes exigentiam intellectus concipientis Verbum, & voluntatis ſpirantis Amorem. Iam verò de ratione originis per intellectum divinum, ſimiliterque per voluntatem, eſt quòd quælibet earum ſit vna tantùm. Vt enim indicat Anſelmus hoc loci, & probatum à ſe ſupponit in præcedentibus, tam divinum intelligere, quàm velle, eſt omnino vnum, ſummè ſimplex, & infinitè perfectum. Ergo tam origo per intellectũ, quàm per voluntatem, eſt vna, & ſummè ſimplex, atque infinitè perfecta: atque adeò nec illa poteſt concipere, niſi vnum Verbum; neque hæc ſpirare, niſi Amorem vnum.

23 TERTIA Eruitur ex Anſelmo ſuprà cap. 33. & 34. vbi probat, vnicum eſſe & æquale Verbum; ac præterea in Proslogio cap. 23. ſub initium, vbi ita alloquitur æternum Patrem: *Non poteſt aliquid maius vel minus te eſſe in Verbo tuo, quo te ipſum dicis: quoniam Verbum tuum ſic eſt verum, quomodo tu veritas.* Etenim divinum Verbum vi characteriſticæ proprietatis ſuæ eſt imago

perfe-

perfectiſsimè, & adæquatè repræſentans, quidquid cognoſcit, & exprimit infinita mens Patris, ex cuius intellectione, & locutione procedit. Ergo per modùm imaginis perfectiſsimæ, & adæquatæ, exhaurit totam perfectionem intellectûs paterni: atque adeò nullum relinquit locum alteri Verbo. Hinc ſubducitur ſimilis ferè ratio pro ſingularitate Amoris, ſive Spiritus ſancti, indicata ab eodem S. Doctore ſupra cap. 53. cui epigrapha: *Quòd tantus ſit ille Amor, quantus eſt ipſe ſummus ſpiritus*, id eſt, Deus. Spiritus ſanctus enim procedit, vt Amor, ſive impulſus ſummè perfectus, & adæquatus omnino voluntati Patris, & Filij. Ergo exhaurit voluntatẽ ipſam, vt proinde nequeat ſpirare, ſeu producere alium Amorem.

24 VNDE Obiter refellitur impudentia, & blaſphemia Arij in Sotadicis canticis, & libro THALIA inſcripto, ita arguentis, & irridentis Catholicos: *Multa verba loquitur Deus. Quodnam igitur ex noſtris verbis Filium, & Verbum vnigenitum Patris eſſe dicimus?* Refellitur, inquam, ab Athanaſio lib. de decretis Nicænæ Syn. idem hæreſiarcha, veluti perinde, & æquè humiliter ſentiens de Deo, ac de nobis, dùm diverſa verba loquimur, ὥσπερ δ' ἡ ἀρχοῦντος ἑνὸς τοῦ ἐκ τοῦ Θεοῦ λόγου, &c. id eſt, *quaſi non ſufficiat vnum ex Deo Verbum ad omnem ex voluntate Patris creationem, & providentiam implendam. Si enim Deus plura verba loquitur, hoc ipſum imbecillitatem omnem arguit, quod vnumquodque vſum alterius præſtare nequeat. Sin Verbo vnico dicatur vti, quemadmodum revera vtitur; hoc & ad oſtendendam Dei virtutem pertinet, & Verbi perfectionem, quod ab illo prodijt.* Ac rursùs: *Nõ equidem multa ſunt verba, ne vnumquodque eorum inſufficiens habeatur, ſed vnum Verbum, vt illud ſolum perfectum eſſe intelligatur. Et quandoquidem vnus eſt Deus, neceſſarium eſt quoque vnam eſſe imaginẽ, quæ ipſius eſt Filius.*

25 SVPEREST Reſpõdeamus nũc ad obiectiones quaſdam pro pluralitate filiorũ in divinis, propoſitas ſuprà ſect. 1. num. 6. Cùm vero illas proponat D. Tho. 1. p. q. 41. art. 6. contra Catholicam, & ſuam ſententiam de ſingularitate Filij, ſeu Verbi divini, exhibebo hoc loci ſolutionem iuxta ipſum S. Doctorem eo loci. Ad I. negamus, Filium eſſe præditum potentia generativa. Quamvis enim ſimpliciter concedi debeat, Filium habere potentiam (idemque eſt de intellectu) quam habet Pater: non tamen concedendum eſt, Filium habere potentiam generandi, id eſt ad generãdum. Nimirum, potentia ad generãdum, præter abſolutam rationem potentiæ, ſive intellectûs, claudit notionem, & conditionem propriam Patris, quæ repugnat Filio. Sic etiam idem eſſe ſimpliciter loquendo eſt commune vtrique: *Et tamen eſſe Patrem non convenit Filio, propter notionale adiunctum*, inquit eo loco S. Doctor in ſolutione ad I. AD II. dicimus cũ ipſo, ſenſum Auguſtini non eſſe, quòd Filius poſsit generare filium: ſed ſolum, non eſſe ex impotentia Filij, quòd non generet. Nimirum, impotẽtia ſimpliciter vſu rpata, importat planè imperfectionem Deo repugnantem. Addit verò poſteà q. 42. art. 6. ad 3 hæc verba maximè notanda: * Sicut eadem eſſentia, quæ in Patre eſt paternitas, in Filio eſt filiatio: ita eadem eſt potentia, qua Pater generat, & qua Filius generatur. Vnde manifeſtum eſt, quòd quidquid poteſt Pater poteſt Filius: non tamen ſequitur, quòd poſsit generare, ſed mutatur QVID in ALIQVID: Nàm generatio ſignificat relationem in divinis. Habet ergo Filius eandem potentiam, quam Pater; ſed cum alia relatione: quia Pater habet eam, vt dans; & hoc ſignificatur cum dicitur, quòd poteſt generare. Filius autem habet eam, vt accipiens; & hoc ſignificatur cum dicitur, quòd poteſt generari. * Ad III. Quòd Pater in divinis ſit perfectior, quàm in creatis, non probat in illo potentiam ad generandum plures filios. Nàm potiùs immaterialitas, & ſumma perfectio divina exigit, nè ſint plures filij, aut plura verba, vt dictum ſuprà eſt: contrà verò materialitas, & imperfectio naturæ ſentientis præſtat locum pluralitati filiorum. Quarè quòd Pater æternus nequeat gignere plures filios, non arguit impotentiam in ipſo, ſed potiùs perfectiſsimam potentiam ad generandum.

CAPVT LXIV. aliàs LXII.

Quòd hoc, licèt inexplicabile ſit, tamen credendum eſt.

26 VIDETVR Mihi huius tam ſublimis rei ſecretum tranſcendere omnem intellectus aciem humani: & idcircò conatum

tum explicandi qualitèr hoc ſit, continendum puto. Sufficere nàmque debere exiſtimo rem incomprehenſibilem indaganti, ſi ad hoc ratiocinando pervenerit, vt eam certiſsimè eſſe cognoſcat, etiamſi penetrare nequeat intellectu, quomodo ità ſit: nec id circò minùs his adhibendam fidei certitudinem, quæ probationibus neceſſarijs, nulla alia repugnante ratione, aſſeruntur, ſi ſuæ naturalis altitudinis incomprehenſibilitate explicari non patiantur. Quid autem tàm incomprehenſibile, tàm ineffabile, quàm id, quod ſupra omnia eſt? Quapropter ſi ea, quæ de ſumma eſſentia hactenus diſputata ſunt, neceſſarijs rationibus ſunt aſſerta, quamvis ſic intellectu penetrati non poſſint, vt & verbis valeant explicari: nullatenus tamen certitudinis eorum nutat ſoliditas. Nam ſi ſuperior conſideratio rationabiliter comprehendit incomprehenſibile eſſe, quomodo eadem ſumma ſapientia ſciat ea, quæ fecit, de quibus tam multa nos ſcire neceſſe eſt: quis explicet quomodo ſciat, aut dicat ſe ipſam, de qua aut nihil, aut vix aliquid ab homine ſciri poſsibile eſt? Ergo ſi in eo, quòd ſe ipsâ dicit, generat Pater, & generatur Filius: *Generationem eius quis enarrabit?*

SCHOLIA IN CAPVT LXIV.

SECTIO QVARTA.

Veritatem generationis, & vnius Verbi in diuinis prorsùs inacceſſam eſſe, nec explicari ſatis poſſe, aut intelligi QVOMODO ſit. Doctrina Anſelmi confirmata ex Scriptura, Concilijs, & Patribus.

27 VIDETVR MIHI, &c. Quamvis Anſelmus capite præcedenti conatus fuerit probare, in divinis non eſſe plus quàm vnum Filium, ſeu Verbũ, & ſolvere præcipuam rationem in oppoſitum; adhuc tamen fatetur, eam vnitatem eſſe maximè ſublimem, & inacceſſam humano intellectui: vt propterèa potiùs ſic credenda, quàm rationibus ſubtilibus curiosè perveſtiganda. Satis enim eſt indaganti myſterium adeò incomprehenſum, ſi ad hoc ratiocinando pervenerit, vt illud certiſsimè eſſe cognoſcat, quãvis intellectu penetrare nequeat, quomodo ità ſit. Ac meritò quidem ità loquitur S. Doctor. Nàm, vt vidimus Diſp. 51. per totam, ſublimitas myſterij Trinitatis eſt prorsùs ſupra omnem rationem naturalem, & ſpeciatim veritas generationis Verbi divini tranſcendit incomparabili exceſſu vires ingenitas mentis humanæ, & angelicæ. Quarè nec rationes ipſæ, quibus vtitur S. Doctor ad eas veritates probãdas, ſunt planè demonſtrativæ ſeorſim à doctrina fidei, qua ipſe inſtructos ſupponit, & vult lectores huius Opuſculi: vt ibidem monuimus. Si quæ igitur habent vim demonſtrationum, certè illam habent, quatenus ſupponunt veritatem revelatam à Deo, ex qua manuducitur intellectus fidelis ad exquirendum diſcurſu, ac ſubſidio naturalis rationis veritatem, aut non repugnantiam myſterij crediti. Quod latè, & ex profeſſo à nobis oſtenſum fuit cum communi Theologorum ſententia Tomo I. Diſp. VIII. & IX. circa obiecta ſupernaturalia generatim, & circa Trinitatis myſterium ſpeciatim initio huius Tomi Diſp. LI. per totã.

28 VERVM Et id adhuc præcipuum habet locum circa generationem Verbi divini, eiuſque rationem propriam, qua potius ad Filium, quàm ad Spiritum ſanctum eſt; & ad vnicum quidem Filium, non ad plures, prout olim gregales Sabellij, & Arij ex Catholica de Trinitate doctrina ſequi contendebant. Nimirũ, ea diſcriminis ratio quibuſdam Patribus olim viſa eſt à mortali homine inexplicabilis: vt ſuprà Diſ. XCIV. obſervavimus, quamvis alij, & poſt illos Anſelmus, varias, ac multiplices coniecturas, ſeu congruentiæ rationes tradiderint. Addit tamen S. Doctor impræſenti, ſatis eſſe, nimirum Catholico viro, ac Theologo, *ſi ad hoc ratiocinando pervenerit, vt eam* (rem) *certiſsimè eſſe cognoſcat, etiamſi penetrare nequeat intellectu, quomodo ità ſit.* Nimirum, mortali homini ſolùm licet certò, ac firmiſsimè credere, & intelligere AN SIT, & QVOD VERE SIT generatio in divi-

divinis, eaque vnius duntaxat Filij: non autē palàm deprehendere QVOMODO id ſit.

29 CONSONAT Doctrina hæc, & ſtylus Anſelmi, tùm ſacris litteris, tùm Cōciliis, & Patribus. Imprimis enim Mathæi 11. v. 27. dicitur: *Nemo novit Filium, niſi Pater: neque Patrem quis novit, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Similiter, & Lucæ 10. v. 22. legitur: *Nemo ſcit, quis ſit Filius, niſi Pater; & quis Pater, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Ad dignoſcendum verò, ſeu diſcernendum plenè Patrem à Filio, ſpectat planè notitia exactior divinæ generationis. Sed, & Iſaias cap. 53. v. 8. allegatus ab Anſelmo in fine huius capitis adhuc clariùs id ipſum ſignificat, dùm inquit: *GENERATIONEM EIVS QVIS ENARRABIT?* Nimirum, toto eo capite Iſaias ita apertè deſcribit Filium Dei hominē factum, eiuſque paſſionem, cruciatus, & mortem acerbiſsimam crucis pro nobis toleratam, vt non videatur Prophetam agere, ſed Evangeliſtam: vt proinde poſsit epigrapha illius capitis eſſe: PASSIO D. N. IESV CHRISTI SECVNDVM ISAIAM. Ibidem igitur, verbis nuper allegatis, oſtenditur mira ſublimitas, & inenarrabilis celſitudo divinæ generationis. De hac quippe verba illa accipiunt communiter Patres, & in his Baſilius lib. 1. contra Eunomiū, Iuſtinus contra Tryphonem, Chryſoſtomus lib. 1. de Incomprehenæbili; vel de divina ſimul, & humana Chriſti generatione: vt Hieronymus, Auguſtinus, Cyrillus, aliíque plures. Itaque manifeſtè conſtat ex ſacris litteris inacceſſa ſublimitas divinæ generationis: vt propterea ab homine mortali plenè intelligi, aut dignè explanari nequeat.

30 IAM Verò doctrinam ipſam, & modum loquendi S. Doctoris eſſe cohærentem ſtylo Conciliorum, paret. Nàm Patres Concilij Nicæni lib. 2. Actorum ipſius multò propiùs ad medium, quàm ad finem *S. Ne quæras*, pag. 389. editionis Severini Binij (qua vtor) allegato eodem Iſaiæ teſtimonio, aiunt: * Ne quæras, ò Philoſophe, QVOMODO. Alioquin, vt iam pluribus dictum eſt tibi, & ab initio teſtati ſumus, ſtudes te præcipite agere, perſcrutari tentans, quæ inſcrutabilia ſunt, &c. Ineffabilis, & ingenitus eſt Pater: INEFFABILIS INEFFABILITER EX EO GENITVS FILIVS. Taceas ergo de illo, QVOMODO: & concedas hoc ei, qui genuit, & genito. Pater enim ſolus agnoſcit Filium, qui eſt, & Filius Patrem, & cui voluerit Filius revelare, vt ait ipſius Evangelium. Si autem non vis ceſſare illud, QVOMODO, ſed contendis inſcrutabilia perſcrutari; ridemus tuam audaciam; magis autem deflemus te, quòd non velis intelligere, &c. * Hactenus ibi.

31 EODEM Stylo vtuntur alij Patres, & præſertim Chryſoſtomus Tomo VI. Orat. 1. de Incomprehenſibili, dicens: οἶδα ὅτι υἱὸ γεγέννησε· τὸ δὲ ΠΩΣ, ἀγνοῶ, &c. id eſt: * Novi quòd Filium genuit: QVOMODO autem, ignoro. Novi quòd ex ipſo ſit Spiritus: QVOMODO verò ſit ex ipſo, neſcio. Cibis veſcor: & quomodo in pituitā, in ſanguinem, in humorem, in bilem vertūtur, ignoro. Hæc ipſa, quæ quotidie manducantes cernimus, ignoramus: & Dei ſubſtantiam curioſè perſcrutamur? * Similiter Chryſologus ſermone 61. ait: *Cognoſcens de Patre genitū, QVOMODO ſit genitus, non requiras.* Hilarius quoque libro 2. de Trinit. *Non erubeſcimus ſtultitiæ? Non noſmetipſos irreligioſitatis arguimus?* &c. *Quæris, QVOMODO ſecundum ſpiritum natus ſit Filius? Ego te de corporeis rebus interrogo.* Iure ergo Anſelmus monet hoc loco, imparem eſſe omnino aciem intellectus humani ad penetrandum myſterium divinæ dictionis, ſeu locutionis, qua gignitur vnum, & ſolum Verbum; nec percipi ab eo poſſe, *QVOMODO ITA SIT.*

32 DICES: Si ita inacceſſum eſt id myſterium, vt ne quidem liceat quærere quomodo ita ſit; videtur Anſelmus ipſe temerè, & incaſſum laboraſſe ad quærendam, & reddendam eius rationem, prout hactenus fecit, & nos cū ipſo, præſertim, ſect. 2. & ſuprà Diſp. XCV. per totam, ibi explanavimus, & defendimus rationem diſcriminis inter vtramque proceſſionem divinam.

33 RESP. Negando ſequelam: quia vt vidimus Diſp. XCIV. præſertim ſect. 3. non omnis quæſtio circa propriam rationem generationis Verbi, & diſcrimen illius à proceſsione Spiritus ſancti, eſt temeraria, aut inconceſſa: quin potiùs aliqua laudabilis, ſi inſtituatur, & tractetur cum moderatione ibidē præſcripta ab ipſis SS. Patribus. Nimirum, ad repellenda Gentilium argumenta, & hæreticorum ſophiſmata, oportet, teſte Apoſtolo Petro, ibidem allegato, vt *parati ſimus reddere rationem eius, quæ in nobis eſt, fidei.* Rationem, inquam, non demonſtrativam vi ſolius naturalis acuminis, quæ certè nulla eſt, nec inveniri poteſt; ſed innixam doctrinæ revelatæ, & congruentem quodammodo principijs naturalibus, aut ſaltem non contrariam ijs. Iā verò ſuprà Diſp. LX. per totam oſtenſum fuit, myſterium Trinitatis, & quidquid ad ipſum ſpectat, nullatenus eſſe contra principia naturalia, quamvis ſit ſupra illa. In quo etiam oſtēdendo Anſelmus plurimum ſuperioribus capiti-

pitibus laboravit. Lege Petavium lib. 5. de Trinit. cap. 8. & ſeq. ac videbis, qualiter Patres ibidem allegati, ad repellendum hæreticos in varia argumẽta, ſeu rationes ſacris litteris cohærentes protulerint; quibus & veritas generationis Verbi, & eius diſcrimen à proceſsione Spiritus ſancti explicatur.

CAPVT LXV. aliàs LXII.

Quomodo de ineffabili re verum diſputatum ſit.

34 SED Rurſum, ſi ita ſe ratio ineffabilitatis illius habet, immò quia ſic eſt: quomodo ſtabit quidquid de illa ſubſtantia ſecundùm Patris, & Filij, & Procedentis habitudinem diſputatum eſt? Nam ſi vera illud ratione explicatum eſt, qualiter eſt illa ineffabilis? Aut ſi illa ineffabilis eſt, quomodo eſt ita, ſicut diſputatum eſt? An quadamtenus de illa potuit explicari, & ideò nihil prohibet eſſe verum, quod diſputatũ eſt; ſed quia penitus non potuit comprehendi, idcircò eſt ineffabilis? Illud quid reſponderi poterit, quod iam ſuprà in hac ipſa diſputatione conſtitit: quia ſic eſt ſumma eſſentia ſupra, & extra omnem aliam naturam, vt ſi quãdo de illa dicitur aliquid verbis, quæ communia ſunt alijs naturis, ſenſus nullatenus ſit communis. Quem enim ſenſum in omnibus his verbis, quæ cogitavi, intellexi, niſi communem, & vſitatum? Si ergo vſitatus ſenſus verborum alienus eſt abilla: quidquid ratiocinatus ſum, non pertinet ad illam. Quomodo eſt igitur verum, inventum eſſe aliquid de ſumma eſſentia, ſi quod eſt inventum, longè diverſum eſt ab illa?

35 QVID Ergo? An quoddammodo invẽtum eſt aliquid de incomprehenſibili re, & quoddámodo nihil perſpectum eſt de ea? Sæpe namque multa dicimus, quæ propriè ſicut ſunt nõ exprimimus, ſed per aliud ſignificamus id, quod propriè, aut nolumus, aut non poſſumus depromere: vt cum per ænigmata loquimur. Et ſæpe videmus aliquid, non propriè, quamadmodum res ipſa eſt, ſed per aliquam ſimilitudinem, aut imaginem: vt cùm vultum alicuius conſideramus in ſpeculo. Sic quippe vnam eamdemque rem dicimus, & non dicimus, videmus, & non videmus: dicimus, & videmus per aliud: non dicimus & non videmus per ſuam proprietatem.

36 HAC Itaque ratione nihil prohibet, & verum eſſe, quod diſputatum eſt hactenus de ſumma natura; & ipſam tamen nihilominus ineffabilem perſiſtere: ſi nequaquàm illa putetur per eſſentiæ ſuæ proprietatem expreſſa, ſed vtcumque per aliud deſignata.

37 NAM Quæcumque nomina de illa natura dici poſſe vidẽtur,

tur, non tam mihi eam oſtendunt per proprietatem, quàm per aliquam inuunt ſimilitudinem. Etenim cùm earumdem vocum ſignificationes cogito, familiariùs concipio mente, quod in rebus factis conſpicio, quàm id, quod omnem humanum intellectum tranſcendere intelligo: nam valde minùs aliquid, immò longè aliud in mente mea ſua ſignificatione conſtituunt, quàm ſit illud, ad quod intelligendum per hanc tenuem ſignificationem mens ipſa mea conatur proficere.

3 NAM Nec nomen ſapientiæ mihi ſufficit oſtendere illud, per quod omnia facta ſunt de nihilo, & ſervantur à nihilo: nec nomen eſſentiæ mihi valet exprimere illud, quod per ſingularẽ altitudinem longè eſt ſupra omnia, & per naturalem proprietatem valde eſt extra omnia. Sic ergo illa natura & ineffabilis eſt: quia per verba ſicuti eſt, nullatenus valet intimari: & falſum non eſt, ſi quid de illa ratione docente per aliud, velut in ænigmate, poteſt æſtimari.

SCHOLIA IN CAPVT LXV.

SECTIO QVINTA.

Tractationem hucuſque præmiſſam de ſubſtantia & perſonis diuinis, rudem & ænigmaticam eſſe, defectu nominum ad exponendum propriè res diuinas: Veram tamen, & inconcuſam. Doctrina Anſelmi ex Patribus illuſtrata.

33 *SED RVRSVM SI ITA EST, &c.* Cùm S. Doctor tradidiſſet capite præcedenti, quàm inacceſſa ſit ſublimitas generationis Verbi, quæ proinde inennarrabilis dicitur ab Iſaia Propheta; nunc opponit ſibi difficultatem ortam ex dictis. Si enim ea veritas eſt ineffabilis; quomodo vera & firma erunt quæ in ſuperioribus diſputata fuerunt, & rationibus confirmata, de ſubſtantia divina ſecundùm habitudines Patris, Filij & Spiritus ſancti? Dicet aliquis, præcedentibus ijs conſiderationibus ſolùm quadamtenus & ruditer de hoc myſterio tractatum fuiſſe: ac proinde quamvis tractatio fuerit vera, rem ipſam ſemper manere inacceſſam, & proinde dici ineffabilem. Verùm adhuc vrget difficultas: quoniam ſumma eſſentia ita ſuperegreditur & in infinitum excedit omnem aliam naturam, vt ſi quando de illa dicitur aliquid per verba alijs naturis communia, non debeant ea accipi ſecundùm communem ſenſum, & vſitatum. Cùm igitur quæcumque hactenus diſputata fuerunt de ſumma eſſentia, videantur expreſſa per verba communia alijs naturis, idque iuxta communem & vſitatum ſenſum; videtur nihil verum de illa inventum fuiſſe, neque quidquid ipſi conveniens, ſed ſummùm aliquid extraneum aut ab ea diverſum.

40 *QVID ERGO, &c.* Obiectioni præiactæ occurrit S. Doctor dubitantis aut interrogantis more, qualiter & Ariſtoteles in numeris locis, & ex eo alij, atque ipſi Eccleſiæ Patres. Reſpondet itaque, tum interrogando, tum poſtea reſolvendo; conſiderationibus præcedentibus, ſeu hactenus prolatis in decurſu huius Opuſculi, aliquid fuiſſe quadamtenus inventum de ſumma eſſentia, & quoddammodo nihil. Vtramque reſolutionis partem declarat familiari exemplo. Sæpe enim multa dicimus, non explicantes ea propriè, & ſicuti ſunt in ſeipſis; ſed impropriè & per aliud; ſive ob inopiam vocum propriarum, ſive quòd velimus per metaphoram ſolùm, aut ænigmata de ijs loqui. Eſt & aliud exemplum in ijs, quæ videmus, non propriè, aut in ſeipſis; ſed per aliud, id eſt per aliquam ipſorũ ſimilitudinem, aut imaginem: veluti cùm vultum alicuius conſideramus in ſpeculo, aut picturam. Certè in vno & altero exemplo manifeſtum eſt, nos eandem rem dicere quoddammodo & non dicere, videre & non videre: dicere & videre impropriè & per aliud; & non dicere aut videre propriè & per ſe. Nota verò obiter, nec reipſa, nec ex mente Anſelmi putari debere, quòd ſpeculum ſolam exhibeat rei imaginem, & non rem ipſam. Id enim exiſtimare, indoctorum aut vulgarium hominum eſt. Quamvis verò ſpeculum rem ipſam oculis exhibeat, id agit per radium, non directum, ſed reflexum; idque non propriè, clarè, aut diſtinctè, ſed quaſi procul & confusè. Vide plura huc ſpectantia à nobis tradita diſput. 89. de Anima.

41 *HAC ITAQVE RATIONE, &c.* Adhibito iam vtroque exemplo præcedenti, oſtendit, optimè cohærere, vt verũ ſit quod hactenus diſputatũ & concluſum fuit de ſumma natura; & ſimul id ineffabile perſi ſtat: quoniam non fuit expreſſum ſecundùm proprietatẽ aut dignitatem rei, cui impares omnino ſunt voces & conceptiones noſtræ, ſed per aliud ſolùm, & ruditer, aut ænigmaticè. Sic Apoſtolus 1. Corinth. 13. v. 12. tractans de cognitione Dei & rerum divinarũ, quam habemus in via, aiebat: *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Vbi Græcè eſt δι ἐσόπτρου, id eſt, *per inſpectorium.* Quippa ἔσοπτρον eſt id quod inſpicimus, veluti medium alicuius rei videndæ: qualia ſunt perſpicilla ſenum, ſpeculum oculare, ſeu vitrum viride, quod interponitur ad legendum, vt oculos debiles confortet; res verò ipſas facit apparere virides, atras, aut ſubobſcuras, veluti mutuantes à medio ipſo colorem, quem in ſe non habent. Ad hunc itaque modum cognoſcimus res divinas, & de ijs loquimur, veluti interiecto medio, aut inſpectorio quodam.

42 *NAM QVÆCVMQVE NOMINA, &c.* Subdit S. Doctor, quibuslibet nominibus ſignificare velimus ſubſtantiam ipſam Dei, nunquam per ea ſatis exprimi ſecundùm ſuam proprietatem, ſed ſolùm ruditer & imperfectè indicari penes aliquam ipſius ſimilitudinẽ. Dum enim cogitamus ſignificationes eorum nominum, ſeu vocum, id primò ac frequenter concipimus, quod in rebus creatis vidimus, potiuſquam increatam illam & inacceſſam naturam. Et quamvis ſcopus noſtræ tractationis ſit de ea loqui aut differere, voces tamen ipſæ non propriè aut primò illam nobis ſignificant, ſed impropriè, aut mediante aliqua ſignificatione rerum creatarũ. Quod ipſum iam antea multi ex Patribus obſervarunt: atque imprimis Dionyſius c. 1. de Divin. nomin. vbi docet, Deum & ἀνώνυμον eſſe, & πολυώνυμον, id eſt, & *nomine carentem*, nimirum, proprio; & *multa nomina habentẽ*, id eſt, impropria: quoniam directè ducunt ad ſignificandum res creatas & finitas. Iuſtinus quoque Martyr in Cohortatione ad Græcos negat *fieri poſſe vt proprium aliquod nomen Deo attribuatur. Etenim nomina ad deſignationem & diſtinctionem ſubiectarum rerum imponuntur, quæ multæ diuerſæque ſunt.* Atque in Apologia poſteriore ait: *Nomen ineffabili Deo nemo poteſt imponere. Quod ſiquis vllum ineſſe audebit dicere, is intemperenter inſanus eſt.* Sed & audiendus eſt Gregorius Nyſſæ Antiſtes, cuius verba videtur Anſelmus præ oculis habuiſſe, dum ſcriberet hoc caput. Ait enim lib. 12. contra Eunomium, ſola illa, quæ *cognita ſunt nobis, nominum appellationibus exprimi: quæ autem cognitionem noſtram ſuperant nullis vocabulis comprehendi. Quomodo enim nota aliqua poteſt diſcernere id, quod penitus eſt ignotum?* Sed & Novatianus lib. de Trinit. c. 4 opportunè admodum inquit: *Nomen Dei proprium edici non poteſt, quoniam non poteſt nec concipi. Id enim nomine continetur, quidquid etiam ex naturæ ſuæ ſignificatione comprehenditur. Nomẽ enim ſignificantia eſt eius rei, quæ comprehendi potuit ex nomine. At quando id, de quo agitur, tale eſt, vt condignè nec ipſis intellectibus colligatur; quomodo appellationis dignè vocabulo pronuntiabitur?* Vide plura huc ſpectantia, iam à nobis obſervata Tomo I. Diſput. XXIII. cum Anſelmo ad verba illa ipſius cap. 14. *Quamquam enim mirer, ſi poſſit in nominibus, vel verbis, quæ aptamus rebus factis de nihilo, reperiri, quod dignè dicatur de creatrice vniuerſorum ſubſtantia, &c.*

43 *NAM NEC NOMEN SAPIENTIÆ, &c.* Adhibet exemplum in his duobus nominibus, SAPIENTIA, & ESSENTIA: quæ duo certè cùm aſſumuntur ad ſignificandum, vel mirabilẽ ſcientiam Dei, qua omnes res creatæ factæ ſunt de nihilo, aut ſervantur ne in nihilũ redeant; vel naturam Dei omnia alia longiſsimè ſupergreſſam; ſunt certè valde imparia, & procul omnino à germana tantæ rei ſignificatione. Non enim res adeò ſublimis & ſemota à rebus creatis poteſt ſignificari propriè nomine aliquo ijs communi. Quã ipſam rationem antea tradidit Ambroſius in Pſalmum 43. dicens: *Quid eſt enim nomen, niſi quo propriè vnuſquiſque ſignificatur, quod ei non ſit commune cum cæteris?* Atquĩ voces, quibus res divinas, ſive Deum vtcumque indicamus, non ſignificant illum propriè, neque penes aliquid, quod non ſit ei commune cũ cæteris. Non ergo ad indicandum Deum propria ea nomina ſunt. Sed tamen, vt concludam cum Auguſtino lib. 1. de Doctr. Chriſt. cap. 6. Deus benignus & miſericors, *CVM DE ILLO NIHIL DIGNE DICI POSSIT, ADMISSIT HVMANÆ VOCIS OBSEQVIVM, ET VERBIS NOSTRIS IN SVA LAVDE GAVDERE NOS VOLVIT.* Eo itaque ſenſu Deus eſt ineffabilis, quatenus dignè à nobis aut propriè ſignificari nequit: & tamen vera ſunt, quæ de ipſo, ducente fide, ac ſuffragante ratione, concluſa fuerunt.

(?)

DIS-

DISPVT. CENTESIMA.

CVR POTIVS FILIO, QVAM SPIRITVI SANCTO, CONVENIAT RATIO VERBI.

AD REVERENDISSIMVM P. N. M. Fr. ANDRAEAM DE LA MONEDA, nobilitate generis, ac litterarum cultu ſpectabilem, olim Hyrachenſis Academiæ Cancellarium, poſtea Generalem Congregationis S. Benedicti Hiſpano-Anglicæ, nunc meritiſsimum Antiſtitem S. Martini Mitritenſis, & à Regijs Conſultationibus, Auctorem Curſus Philoſophici iam pridem editi, ac Theologici, iuxta mentem SS. Anſelmi, & Thomæ, &c.

IMPONIMVS *Coronidem huic Tomo excitantes controverſiam hanc minùs tritam apud Theologos, & quam ſolùm Recentiores aliqui in manuſcriptis ex inſtituto tractaverint, quæ nobis legere non licuit. Illa verò directè huc ſpectat: quoniam Anſelmus ſuprà cap. 63. loquens de tribus perſonis divinis ait:* Licèt igitur vnuſquiſque ſeipſum, & omnes invicem ſe dicant; impoſsibile tamen eſt, in ſumma eſſentia eſſe Verbum aliud præter illud, de quo iam conſtat quòd ſic naſcitur ex eo, cuius eſt Verbum, vt vera eius dici poſsit imago, & verè Filius eius ſit. *Porrò iam ſuprà Diſp. XCV. latè diſcuſsimus, cur perſonæ ſecundæ præ tertia conveniat propria ratio Filij. Nunc autem veſtigamus, cur ſoli eidem Filio, potiùs quàm Spiritui ſancto, conveniat ratio propria Verbi.*

SECTIO PRIMA.

Propoſita ratione dubitandi præcipua; refertur & refellitur primus modus reſpondendi, cur potiùs perſonæ Filij, quàm Spiritus ſancti, conveniat ratio Verbi.

1 RATIO Præcipua dubitandi, ob quam videri poteſt, rationem Verbi non eſſe propriam Filij, ſed communem etiam Spiritui S. hæc ferè eſt. Vt enim Filius præ Spiritu S. ſit Verbum, debet in eo eſſe aliquod ſpeciale prædicatũ & perſonale ſpectans ad lineam Verbi intellectualis, potiùs quàm in Spiritu ſancto. Eiuſmodi autem prædicatũ ſpeciale & perſonale non invenitur. Linea enim, ſeu propria ratio Verbi intellectualis generatim loquendo, explicatur iuxta frequentem Thomiſtarũ ſententiã, à nobis traditã diſp. 89. de Anima, vbi ſtatuimus Verbum diſtingui reipſa ab intellectione, veluti terminum *in quo* mens contemplatur obiectum, vt in imagine purè ſpectante ad genus intelligibile, quod cõmuniter *intentionale* dicunt. Iuxta aliorũ verò opinionẽ Verbum ſitũ eſt in ipſa intellectione actuali, quam volunt eſſe ipſam notitiã expreſſam, & imaginem intelligibilẽ obiecti manifeſtativã, vt proinde non ſit mediũ *in quo*, ſed *quo* mens contemplatur obiectũ. Vtramvis verò opinionẽ ſequamur, aut ſupponamus hoc loco (neque enim hìc tractanda eſt, cùm ad moram Philoſophiam ſpectet) nullus eſſe videtur locus, vt Filius præ Spiritu S. ſit Verbum. Statutâ enim priore illarũ, nihil apparet ſpectans directè ad lineam intelligibilem, ſive ad rationem formalis repræſentationis, in proprietate perſonali Filij. Hæc enim eſt forma quædã purè relativa, ſive conſideretur ſub munere hypoſtaſis, ſive originis, ſive reſpectûs ad Patrem. Similiter ſuppoſita poſteriori opinione, Filius vi proprietatis perſonalis nullatenus exprimit rationem Verbi: quoniam tota

ratio intellectionis, ſicut & ſapientiæ, & ſcientiæ, eſt in divinis abſoluta, ac proinde communis tribus perſonis: vt communiter docent Theologi, & ampliùs conſtabit ex progreſſu. Ergo quemadmodum propterea ratio intellectionis, ſapientiæ, aut ſcientiæ, nequit competere Filio vi proprietatis relativæ, qua conſtituitur perſonaliter: ita neque ratio propria Verbi. Hæc ferè eſt præcipua dubitandi ratio. Oportet autem excurrere breviter per varias ſolutiones ſive modos dicendi aliorum, vt tandem noſtrum ea de re iudicium proferamus, idque cohærenter ad doctrinam Anſelmi.

3 PRIMO Reſponderi poſſet iuxta frequentem doctrinam Thomiſtarum, aliorumque plurium, ſuprà à nobis ſtatutam ex profeſſo Diſp. XCV. vbi tradidimus, ideo ſolam ſecundam perſonam eſſe Filium, quia vi proceſſionis ſuæ in ſenſu formali oritur ſimilis in natura per intellectionem infinitam, de cuius propria ratione eſt aſſimilare infinitè & ſummè perfectè in eadem numero natura. quod non convenit volitioni, per quam procedit Spiritus ſanctus, niſi identicè ſolùm, vt ibidem latè explanatum fuit. Inde verò peti poteſt aliqua ratio diſcriminis, vt etiam ſolus Filius oriatur vt Verbum: quia cùm ratio Verbi conſiſtat vniversè in termino per intellectionem producto, nihil mirum vt ratio Verbi in divinis competat ſoli Filio, qui ex vi proprietatis ſuæ habet oriri per intellectionem, veluti terminus ipſius. Ita, inquam, reſponderi poteſt, iuxta illam ſententiam: quamvis apud nullum ex Thomiſtis, etiam recentioribus, viderim tractatam hanc controverſiam, nec obiectam rationem dubitandi, in qua verſamur.

4 SED Enim quamvis ſententia illa ſit admodum probabilis, quæque nobis etiam nunc placeat, veluti expreſſa Auguſtini, Anſelmi, & Thomæ, vt ibidem oſtendimus; adhuc tamen, niſi plura addantur, difficultas à principio propoſita perſiſtit integra. *Imprimis* enim difficilè capitur, quomodo Filius ſecundùm proprietatem perſonalem, & prout diſtinctus à Spiritu ſancto, procedat per intellectum, niſi in ipſa proprietate perſonali exprimatur aliquid ſpectans ad rationem formalem intellectionis, vel ſpeciei expreſſæ importantis directè manus formæ aut termini de linea intelligibili. Neutrum autem ex ijs videtur exprimi in proprietate perſonali Filij, cùm hæc ſit purè relativa; ea verò duo abſoluta, & communia tribus perſonis. *Deinde*, dato quòd ſolus Filius procedat per intellectionem, non ſufficit vt propriè habeat rationem Verbi, ſi non convenit ipſi vi proprietatis perſonalis ratio illa, quæ formaliter importatur in Verbo vniversè accepto, prout abſtrahit à creato & increato. Sic certè licèt habitus intellectuales adquiſiti generentur per operationes intellectus, vt docent omnes cum Ariſtotele lib. 2. Ethic. cap. 1. & nos ibidem in Commentarijs explanavimus, adhuc nullus illorum habet propriam rationem Verbi; quia non habet vim repræſentationis formalis aut intentionalis, in qua Verbum vniversè conſiſtit. Sic etiam iuxta ſententiam, quæ docet animam eſſe reipſa prorſus indiſtinctam ab intellectu & voluntate, nullus eſſet locus, vt quidam actus procederent ab ea prout habet rationem intellectus tantùm, quidam verò prout habet ſolâ ratione veluntatis, niſi in quibuſdâ eorum actuum eſſet vera & propria ratio intellectionis dumtaxat, in alijs verò volitionis ſolius. Vt igitur ſoli Filio competat ratio Verbi quatenus oritur per intellectum, oportet omnino vt ipſi vi peculiaris conditionis, & & proprietatis perſonalis competat ratio propria intellectionis, aut termini intra genus formale repræſentativum. quod non exponunt prædicti Auctores.

5 DICES Ad mentem quorundam ex ijs Auctoribus, Verbum divinum ex vi proprietatis perſonalis exprimere aliquid ſpectans ad lineam intelligibilem: quoniam in ipſorum opinione eſſentia divina conſiſtit penes ſuam formalem rationem in intellectione actuali; non prout importat munus operationis, ſed quatenus exprimit vltimam actualitatem gradûs intellectualis per ſe ſubſiſtentem. Vnde quemadmodum ſoli Verbo ex vi proceſſionis communicatur directè natura divina, ſic etiam actualis intellectio, quatenus naturam divinam conſtituens: atque adeò Filius per ſe procedit veluti terminus directè ſpectans ad lineam intellectualem, & proinde tanquam Verbum. Spiritus S. autem vi proceſſionis non accipit directè naturâ divinam, ac proinde nec intellectionem, ſed dumtaxat rationem impulsûs infiniti, qui identicè ſolùm includit naturam intellectualem. Quare neque vllo modo habet rationem Verbi.

6 VERVM Imprimis quâ difficilis ſit ea opinio conſtituens naturâ vel eſſentiam Dei in intellectione actuali qualitercumq; cõſiderata, nemo ferè Theologorũ neſcit, & nos fusè oſtẽdimus Tomo I. Diſp. XXIV. præſertim ſect. 4. Quare ſi ad illam revocatur ratio diſcriminis, quam hoc loco veſtigamus; profectò hæc nullatenus innititur ſolido fundamento. *Deinde* dũ dicitur, Filio ex vi proceſſionis cõmunicari intellectionẽ, quatenus conſtituit explicitè naturã divinã; nihil prodeſſe ad rẽ videtur, quãvis ea ſentẽtia ſupponatur aut permittatur. Nõ enim ex vi proceſſionis communicatur intellectio

ctio Filio, ita vi proprietatis perſonalis conſtituatur intelligens, vt ſupponunt ij dē Auctores. Sed neque etiam ita, vt vi eiuſdem proprietatis perſonalis, ſeu filiationis, habeat in ſenſu formali aliquid de linea repræſentativa, ſeu intentionali. Hoc enim ij non aiunt, multò autem minùs probant. Ergo dato quòd Filius vi proceſsionis accipiat intellectionem ſub munere conſtituente naturam vel eſſentiam Dei, non tamen ſub munere Verbi. Patet hoc: quia munus Verbi, iuxta omnes Theologos, aut eſt ſitum in operatione ipſa intelligendi, aut in termino illius, veluti forma ſpectante ad lineam repræſentativam, ſeu intentionalem. Atqui proprietas perſonalis Filij, ſeu relatio filiationis, neque eſt in ſenſu formali operatio intelligendi, neque terminus illius, veluti forma ſpectans ad lineam repræſentativam, ſeu intentionalem, iuxta eos Auctores. Ergo eadem proprietas perſonalis Filij ſub nulla conſideratione exprimit munus Verbi. Quare ex prædicto capite nulla apparet ratio, cur potiùs Filius, quàm Spiritus ſanctus, ſecundùm ſuam proprietatem perſonalem ſit Verbum. *Præterea.* Adhuc ſtatuta ea opinione, intellectio, quatenus explicitè conſtituens eſſentiam diuinam, non exprimit munus Verbi propriè & ſimpliciter dicti; ſed ſummùm communiter, aut metaphoricè vſurpati: vt ex certiſsima & communi Theologorum omnium ſententia demonſtratum fuit ſuprà Diſp. LXII. ferè per totam: vbi contra Durandum conſtitit, rationem Verbi ſimpliciter dicti non eſſe eſſentialem in diuinis, ſed perſonalem ac propriam ſolius Filij. Ergo adhuc ſtatuta illa opinione, non propterea Filio ex vi proceſsionis communicatur propria ratio Verbi. Si enim intellectio, quamvis explicitè conſtituens eſſentiam Dei, non propterea exprimit munus Verbi in vllo proprio ſenſu; quòd illa ex vi proceſsionis cōmunicetur ſoli Filio, nihil confert vt ſolus Filius propriè habeat rationem Verbi.

SECTIO SECVNDA.

Alij modi dicendi examinantur & reijciūtur multipliciter, veluti contrarij Anſelmo, aliiſque Patribus.

7 SECVNDO Occurri poteſt difficultati præcipuæ, ſuppoſita opinione non diſtinguente intellectionem à Verbo mētis, ac propterea docente, munus Verbi vniverſè ſitum eſſe in ipſo exercitio intelligendi, quo ſuppoſitum, ſive natura intellectualis conſtituitur intelligens; nō autē in termino aliquo per intellectionē producto. Ea verò ſententia ſtatuta, dici poteſt ideo ſoli Filio convenire rationē Verbi, quia Pater potiùs per Filium, quàm per Spiritum ſanctum, conſtituitur intelligens in actu ſecundo. Quo ſenſu Auguſtinus lib. 83. QQ. q. 23. Patrem in divinis appellavit ſapiētem ſapientiâ genitâ. Sed & Anſelmus ſuprà c. 61. ſolum Filium, prout diſtinctum à Patre & Spiritu S. appellat *intelligentiam genitā* Quo ipſo videtur indicare, Patrem conſtitui intelligentem in exercitio, ſive in actu ſecūdo, per Filium, veluti per intelligentiam, aut intellectionem ſuam: ac proinde ſolum Filium eſſe Patris Verbum. Eodem modo quo Auguſtinus & Anſelmus, loquuntur alij ex Patribus, qui Filium appellant *ſapientiam genitam*, vel etiam *ſapiētiam natam.*

8 HIC Dicendi modus dupliciter explicari poteſt. *Primò* ita, vt Pater per ſolum Filium conſtituatur ſapiens in exercitio, ſive in actu ſecūdo; nec præterea à ſeipſo, & pro priori originis ad Verbum intelligatur ſapiens ac perfectiſsimè cognoſcens in ſenſu formali. Quē dicendi modum videtur indicare Athanaſius Orat. 3. contra Arianos dicens: *Quomodo Pater per Verbū condiderit omnia, ſi non ſit Verbum Patri ſuo, ſua ipſius ſapientia?* nimirum, id ſignificat ἑαυτοσοφία. Sed & Nazianzenus Orat. 49. de Filio inquit: *Ideo ſapientia appellatur, vt nunquam Pater ſine Filio, eſſe credatur.* Quin & idē Athanaſius videtur idipſum vrgere ampliùs eâdē Orat. 3. dum poſtea ex hęreſi Arianorū negantiū Verbum ὁμοούσιον καὶ συναΐδιον, id eſt, *conſubſtantiale & coæternum* Patri, colligit, Patrem fore *irrationalem, hoc eſt, ſine ratione & Verbo, ac inſipientē.* Quæ collectio eſſet nullius roboris ſi Pater ſe ipſo, & pro priori originis ad verbū, eſſet ſapiens in exercitio. *Secūdò* ita, vt peripſum quidem, & pro priori originis ad Verbū, ſit ſapiēs; cæterū ex ſuperabundantia aut fœcunditate cōſtituatur præterea ſapiens, ſive intelligens per Verbum à ſe productum. Hunc dicendi modū nō memini me legiſſe apud quemquam ex ijs, qui ſcripta ſua prælo ediderunt: verùm audiui non ſemel in diſputationibus publicis huius Academiæ, veluti traditū ab inſigni & ſubtiliſsimo Theologo S.I. Magiſtro Petro Abarca, olim Primario eiuſdem Scholæ Anteceſſore. Sed & audio eam opinionē ex profeſſo impugnari ab eius ſucceſſore in eâdem Academiæ Cathedra, Magiſtro Thyrſo Gonzalez, Viro pari ingenij, doctrinæ, ac pietatis laude conſpicuo, quamvis eius diſputatio de hac re nondum in lucem prodierit. Par autem erit noſtrum qualecumque iudicium circa id proferre, dum ambo ij invicem certant,

Et cantare pares, & reſpondere parati.

Exiſtimo itaque opinionem præiactam, vtrovis

modo explicetur, difficilem eſſe; difficiliorem tamen iuxta priorem illorum, quam iuxta poſteriorem.

9 PRIOR Pars reijcitur multipliciter. *Primò*: quia eſt contraria doctrinæ Patrum, ac nominatim Anſelmi ſuprà cap. 60. vbi cum propoſuiſſet rationem quandam dubitandi, ob quam videri poſſet, Patrem non poſſe intelligere niſi per Filium, ſubdit infrà, oppoſitum debere exiſtimari. Rationemque reddit (quæ ſimul eſt validiſſima impugnatio opinionis præiactæ) *Nam cũ in his tribus, Vnuſquiſque ſingulus ſit ſumma eſſentia, & ſumma ſapientia, ſic perfecta, vt ipſa per ſe memor ſit, & intelligat, & amet; neceſſe eſt, vt nullus horum trium alio indigeat, aut ad memorandum, aut ad intelligendum, aut ad amandum. Singulus enim quiſque eſſentialiter eſt, & memoria, & intelligentia, & amor, & quidquid ſummæ eſſentiæ neceſſe eſt, ineſſe.* Quid clarius? Ergo ex mente Anſelmi, & iuxta rationem ineluctabilem ab ipſo propoſitam, Pater ſeipſo eſt ſapiens, & non per ſolum Filium, vel ex indigentia ipſius. Præivit verò Anſelmo Magnus Auguſtinus lib. 15. de Trinita cap. 7. hiſce verbis: *Quis audeat dicere, Patrem nec ſeipſum, nec Filium, nec Spiritum ſanctum intelligere, niſi per Filium; nec diligere, niſi per Spiritum ſanctum; per ſe autem meminiſſe tantummodo, vel ſui, vel Filij, vel Spiritus ſancti, &c.* Deinde colligit inde abſurdum, quòd Pater *non ſit ſapiens de ſeipſo*, & præterea, ſubdit: *Si hoc eſt Deo eſſe, quod ſapere, & ea illi eſſentia eſt, quæ ſapientia; non Filius à Patre, quod verum eſt; ſed à Filio potiùs habet Pater eſſentiam. quod abſurdiſſimum, atque falſiſſimum eſt.* Egregia planè collectio. Vnde demum ait, *PATER INTELLIGENS EST EA, QVÆ IPSE SVA EST INTELLIGENTIA: Filius autem intelligentia Patris, & intelligentia genitus, quod eſt Pater.* Hæc ſpectat quòd Pater nunquam, nuſquam, nec pro priori originis ad Verbum, ſit, aut cogitari poſsit, ſine ſapientia, quam Filio communicaret. Vnde aiebat Naz anzenus de Patre ipſo Orat. 35. ὁ γὰρ ἦν ὁτε ἄλογος. *Non enim ſine ratione fuit aliquando.* Ac ſtatim ferè: οὐδὲ ἦν ὅτε οὐκ ἀληθὴς, ἢ ἄσοφος, ἢ ἀδύνατος, ἢ ζωῆς ἔνδεής. *Nec vnquam non verus, non ſapiens, non potens, aut vitæ indigus.* In contraria autem opinione Pater pro priori originis ad Filium, eſſet non ſapiens, atque indigus vitæ illius, quæ in ſcientia & ſapientia eſt ſita. Deinde Cyrillus lib. 32. Theſauri ingens abſurdum reputat, ἄσοφον μὲν ποτε, καὶ ἀδύνατον εἶναι τὸν θεὸν; ὕστερον δὲ πως γένεσθαι τοῦτο πρὸς τὸ εἶναι ποτε κληθέντος τοῦ υἱοῦ, id eſt, *aliquando ſapientia & potentia caruiſſe Patrẽ, & eas adeptũ eſſe poſtea, cũ productus eſt Filius.* In opinione autẽ relata, neceſſum eſt, pro priori originis ad Verbum ſapientiâ caruiſſe Patrẽ; eam verò adeptum eſſe poſtea, ſive pro poſteriori ſigno, quo productus eſt Filius. quod eſt ingens abſurdum iudicio Cyrilli. Mitto plura alia eiuſmodi teſtimonia ſparſa apud Patres.

10 REIICITVR II Rationibus, atque imprimis eâ quam nuper vidimus ab Anſelmo indicatã. Cui enim convenit perfectè eſſentia divina, ſeu eſſe Deũ, convenit etiã per identitatẽ omnis perfectio eſſentialis, ſive ad naturam ſpectans Manifeſtũ eſt autẽ, ſapientiã eſſe perfectionẽ Dei eſſentialẽ, ſive ſpectantem ad naturam ipſius. Cùm ergo Patri conveniat perfectè eſſentia divina, ſicuti & eſſe Deũ; convenit etiã ipſi per identitatẽ, vt ſit ſapientia. Non ergo Pater cõſtituitur ſapiens per Filiũ, quaſi hic ſit vnica ipſius ſapientia. *Deinde*, vt vidimus ſuprà latè Diſp. LXIV. & ſeqq. Verbum divinũ procedit ex cognitione perfectiſsima quâ Pater cognoſcit ſeipſum; & ſaltẽ ex illa, quâ cognoſcit ſuam eſſentiã, iuxta omnes Theologos, etiã illos qui negant, Verbũ per ſe procedere ex cognitione attributorũ & perſonarũ. Cognitio autem perfectiſsima nihil aliud eſt quã ſapiẽtia aut ſcientia perfectiſsima. Verbũ igitur procedit ex ſapientia aut ſciẽtia perfectiſsima Patris; atque aded eam in illo ſupponit pro priori originis. Habet igitur Pater ſapientiam à ſeipſo; immo eſt ſapiẽtia perfectiſsima pro priori originis ad ſapientiã genitã. *Tertiò*. Pater æternus non producit Verbũ ex indigẽtia, vt intelligat, ſed potiùs ex fęcũditate, quia intelligit. Quippe omnis indigentia eſt indecens Deo: fœcunditas verò ipſum decet. Ergo pro priori originis ad generationẽ Verbi Pater per ſeipſum eſt intelligens & ſapiens. *Denique* (vt plura alia omittam, mox proponenda contra poſteriorem dicendi modũ, quæ vrgentiùs huic ipſi contradicunt) Pater non cæco aut inſipienti modo genuit Filiũ, ſed perfectiſsimo & ſapiẽtiſsimo: ac proinde oportuit, vt per ſe, ſive pro priori originis exiſteret ſummè ſapiens, independenter à ſapientia genita. Plures alias impugnationes repete ex dictis Diſput. XCVIII. ſect. 3. per totam.

11 NEQVE Obſtant teſtimonia Patrum num 7. indicata pro eo modo dicendi. Imprimis enim Auguſtinus propoſitionem illam, *Pater eſt ſapiens ſapientia genita*, olim à ſe prolatam, poſtea palam correxit, & indictam voluit lib. 1. Retract. cap. 26. aliſque locis. Deinde quòd idem, ac præterea Anſel-

ſelmus, & alij ex Patribus Filium Dei appellent *ſapientiam genitam*, ſive *natam*; nihil probat. Communiter enim eæ locutiones exponuntur à Theologis in concreto: quaſi ſenſus ſit, Filium, qui eſt ſapientia, generari à Patre, qui eſt ſapientia: vt vidimus ſuprà in ſcholijs ad cap. 44. alias 45. Nimirum, vt ita exponantur, videtur cogere vnitas & ſingularitas perfecta ſapientiæ, ſicut & eſſentiæ, in tribus perſonis, quæ non patitur vt eſſentia de eſſentia, aut ſapientia de ſapientia nata vel genita dicatur in ſenſu abſtracto; cùm inter generans & genitum debeat eſſe realis diſtinctio. Ideóque in Concilio Later. ſub Innocentio III. prout habetur cap. Firmiter de ſumma Trinit dicitur de eſſentia divina: *Non eſt generans, neque genita.* Verumtamen eruditiſsimus Petavius multiplici Patrum teſtimonio, atque in ijs Auguſtini & Anſelmi, contendit, nihil abſurdi contineri in ijs locutionibus prolatis ſenſu abſtracto, neque inde derogari quidquam ſingularitati eſſentiæ, vel ſapientiæ eiuſdem omnino in Patre & Filio, dummodo perſonæ in obliquo ſignificentur. Ita ille lib. 6. de Trinitat. cap. 10. num. 2. & ſeqq omnino videndus. Vtramvis autem earum locutionum interpretationem ſequamur, nullatenus ex ijs colligitur, Patrem ſolùm intelligere, aut ſapere per Filium: quin potiùs, ſapientiam, ſicuti & eſſentiam, quamvis omnino ſingularem & eandem in vtroque, priùs origine eſſe in Patre, quàm in Filio. quod apertè iugulat præiactam opinionem.

12 VENIAMVS Ad poſteriorem dicendi modum, qui planè verosimilior eſt præcedenti; nec tamen ideo verus, quantum conijcere poſſum ex multiplici capite. Atque imprimis impugnari poſſet, quia iuxta eam opinionem, quemadmodum tribuitur Filio, ſeu verbo, ſapientia notionalis & relativa, tanquam termino producto; ita etiam Patri ſapienter ipſum generanti eſſet tribuenda alia ſapientia relativa peculiaris & notionalis; ac proinde reipſa diſtincta ab illa alia. Atqui repugnat eſſe in divinis plures ſapientias reipſa diſtinctas. Sapientia enim in Deo nequit exiſtere per modum habitûs, ſed operationis intellectualis dumtaxat. Non eſt autem in Deo locus duplici operationi intellectuali, ſicut nec duplici operationi voluntatis. Etenim, vt palam habetur in Sexta Synodo Generali Actione Quarta, columna 3. pag. 62. editionis Pariſienſis Morellianæ anni 1636. quatuor, in tribus perſonis eſt, *Vna Deitas, Vna æternitas, Vna poteſtas, Vnum imperium, Vna gloria, Vna adoratio, Vna eſſentialis eiuſdem ſanctæ & inſeparabilis Trinitatis* θέλημα καὶ ἐνέργεια, id eſt, *Voluntas & operatio.* Deinde verò col. 4. quemadmodum Chriſto tribuitur duplex natura, altera divina, humana altera; ita etiam duplex operatio, altera penes divinam, altera penes humanam naturam. Quo ipſo denotatur ſatis, in Deo non eſſe locum niſi vnicæ voluntatis operationi, in tribus perſonis; ac proinde nec pluſquam vni operationi intellectus. Cæterum huic impugnationi facilè occurri poſſet, aſſerendo, integram manere doctrinam ibi definitam, iuxta opinionem contrariam, quæ conſtanter fatetur in tribus perſonis vnicam operationem eſſentialem intellectus, quæ eſt ſapientia abſoluta; licèt præterea addat plures operationes relativas & notionales ſapientiæ. Quippe de ſola illa priore videtur ibi ſermonem eſſe, dum appellatur ἓν οὐσιῶδες θέλημα καὶ ἐνέργεια id eſt, *Vna eſſentialis Voluntas & operatio.* Meliùs itaque teſtimonium ipſum vrgeri exinde poteſt, quòd eodem prorſus modo & contextu verborum tribuatur indiviſim tribus perſonis divinis vna & ἀδιάιρετος, id eſt, indiviſa, aut inſeparabilis, operatio, ac vna voluntas, Deitas, æternitas, ac poteſtas, &c. Atqui exinde palam evincitur, repugnare in divinis perſonis duplicem aut triplicem voluntatem. Deitatem, poteſtatem, &c. relativam. Ergo & operationē relativam duplicem aut triplicem: proindeque vna ſolùm operatio ſapientiæ in ijs admitti debet. Vt enim optimè ait Didymus præceptor S. Hieronymi lib. 1. de Spiritu ſancto, vbi illius divinitatē ſolidam probat, *Quæ eiuſdem ſubſtantiæ, & ὁμοούσια, ſunt, eaſdem habent operationes: & quæ alterius ſubſtantiæ, & ἀνομοούσια, diſſona atque diuerſa.* Cùm igitur in tribus perſonis ſit eadem omnino ſubſtantia, eſſentia, æternitas, poteſtas, & voluntas cuiusliber pluralitatis realis expers, etiam relativæ: ita etiam vnica & eadem operatio, ſive ad intellectum, ſive ad voluntatem ſpectans; non verò plures adhuc relativæ.

13 VRGETVR I. Idipſum ex Patribus, præſertim Auguſtino, & Anſelmo, qui vnicam in divinis ſapientiam agnoſcunt, ſicuti & eſſentiam vnicam; neque vnquam inveniuntur meminiſſe alicuius ſapientiæ relativæ, vel diſtinctæ in Patre & Filio. Sanè Auguſtinus lib. 7. de Trinit. cap. 11. ait: *Pater igitur & Filius ſimul Vna eſſentia, & Vna magnitudo, & Vna Veritas, ET VNA SAPIENTIA.* Ne verò quiſquam id exponat de ſapientia abſoluta ſolùm, quaſi alia ſit relativa, quæ proinde in ambobus pluralitatem ſubeat; contraponit ſapientiæ quædā alia prædicata, quæ de Deo relativè dicuntur; veluti quòd illa alteratur nata, aut imago, aut Verbum; tanquam illa ſit ad ſe prorſus, ſive abſoluta. Vnde ſubdit: *Et hæc duo cùm dicuntur,*

id eſt, nata ſapientia, in vno eorum, quòd nata eſt, & Verbum, & Imago, & Filius intelligitur. & in his omnibus nominibus nõ oſtenditur eſſentia, quia relatiuè dicuntur. AT IN ALTERO, QVOD EST SAPIENTIA, QVONIAM ET ADSE DICITVR (SEIPSA ENIM SAPIENS EST) ETIAM ESSENTIA DEMONSTRATVR. ET HOC EIVS ESSE, QVOD SAPERE. VNDE PATER ET FILIVS VNA SAPIENTIA, QVIA VNA ESSENTIA. Si autem ſapientia non ſolùm abſolutè ſed etiam relativè diceretur intra formalem ſapientiæ rationem; non ſolùm intelligeretur Verbum, & Filius, & Imago, in eo quòd ſapientia dicitur *nata*, ſed in eo etiam quòd *ſapientia* eſt. Id verò ex diametro contradicit Auguſtino. Rurſus, formalis ratio ſapientiæ. prout condiſtinctæ à tribus reliquis, non eſſet *ad ſe*. quod pariter eidem S. Doctori palam repugnat. Præmiſſerat verò cap. 2. eiuſdem libri aliud luculentiſsimum teſtimonium, quo omnem evaſionem videtur præcludere, dicens: *Nõ eo Verbum, quo ſapientia: quia Verbum non ad ſe dicitur, ſed tantùm relativè ad eum, cuius eſt Verbum, ſicut Filius ad Patrem: Sapientia verò eo, quo eſſentia: ideo quia vna eſſentia, vna ſapientia. Quoniam verò & Verbum ſapientia eſt, ſed non eo Verbum, quo ſapientia; Verbum enim relativè, ſapientia verò eſſentialiter intelligitur, &c.* Quid clarius? In contraria verò opinione omnia alia dicere oporteret. Cùm enim conſtituat formalem rationem Verbi in eo quòd Filius per ſuam proprietatem perſonalem ſit ſapientia, quâ Pater intelligit, quamvis ex ſuperabundanti; iam Filius eſſet eo Verbum, quo ſapientia; & hæc relativè diceretur, non eſſentialiter ſolùm. quorum vtrumque apertè reijcit Sanct. Doctor.

14 SIMILITER Anſelmus non agnoſcit in divinis, niſi vnicam ſapientiam, eamque abſolutam & communem tribus perſonis, ſicuti & eſſentiam vnicam. Sufficiat proferre vnum vel aliud ipſius teſtimonium. Suprà cap. 58. aliàs 56. inquit: *Filius eſt ſubſtantia, & ſapientia, & virtus Patris, eo ſenſu, quia habet eandem eſſentiam & ſapientiam, & virtutem, quam Pater.* Deinde verò cap. 63. aliàs 60. inquit. *Singulus Pater, ſingulus Filius, & ſingulus eorum Spiritus, eſt ſciens, & intelligens; & tamen hi tres ſimul non ſunt plures ſcientes, aut intelligentes; ſed vnus ſciens & vnus intelligens.* Si autem præter ſcientiam abſolutam & eſſentialem, eſſet tum in Filio, peculiaris ſcientia relativa, eaque reipſa duplex; profectò ambo eſſent plures ſcientes & intelligentes; non vnus ſolùm ſciens & intelligens. Cuius oppoſitum Anſelmus docet.

15 NEQVE Obſtat quòd Filius dicatur in ſacris litteris virtus & ſapientia Patris, quo etiam modo paſsim Doctores ſacri loquuntur. Inde enim non colligitur, aut duplex ſapientia relativa in vtroque, aut quòd Pater per proprietatem perſonalem Filij ſapiat ex ſuperabundanti vel intelligat. Quippe neutro eorum ſenſuum loquitur Scriptura, aut Patres; ſed ita, vt Filius ſit ſapientia Patris, quemadmodum & eſſentia Patris, & virtus, & veritas, & iuſtitia, quatenus per nativitatem accipit à Patre eandem omnino ipſius ſapientiam, ſicuti & eſſentiam, & virtutem, & veritatem, & iuſtitiam. Quod luculenter exponit idem Anſelmus ſuprà cap. 45 aliàs 44. dicens: *Filium non ſolùm eandem habere eſſentiam cum Patre, ſed hanc ipſam habere de Patre: vt hoc ſit, Filius eſt eſſentia Patris, quod eſt, Filius eſt non differens eſſentia de Patris eſſentia, immo de Patre eſſentia. SIMILITER ERGO EST FILIVS PATRIS VIRTVS, ET SAPIENTIA, SEV VERITAS, ET IVSTITIA, &c.* quatenus, nimirum, per nativitatem habet à Patre, eandem Patris virtutem, & ſapientiam, & veritatem, & iuſtitiam. Vide eruditiſsimum Petavium lib. 6. de Trinitat. cap. 10. vbi fusè eas locutiones Patrum exponit, procul alienas à ſenſu opinionis contrariæ.

16 VRGETVR II. Si enim Pater intelligit per Filium, quamvis ex ſuperabundanti, tanquam per ſapientiam notionalem & relativam; vera erit illa propoſitio olim tradita ab Auguſtino: *Pater eſt ſapiens ſapientia genita*: ſicuti iudicio eiuſdem Auguſtini, & Anſelmi ſuprà cap. 32. & 33. vera eſt hæc propoſitio, *Pater dicit ſe & omnem creaturam Verbo à ſe genito.* Atqui Auguſtinus priorem illam propoſitionem palam retractavit, vt vidimus ſuprà num. 11. & qnidem veluti falſam (quod fusè oſtendit Ruiz ex Patribus diſp. 74.) poſteriorem verò conſtanter docuit, vt vidimus in Scholijs ad loca allegata Anſelmi. Non ergo Pater intelligit per Filium, adhuc ex ſuperabundanti, tanquam per ſapientiam notionalem & relativam.

(?)

(?)

SE-

SECTIO TERTIA.

Idem poſterior ac recens dicendi modus, impugnatur multipliciter rationibus, præſertim ex Auguſtino & Anſelmo erutis.

17 DEINDE Impugnatur idipſum multiplici ratione, ſolùm breviter indicata, & plerumque eruta ex doctrina Auguſtini & Anſelmi latè tradita in ſuperioribus. IMPRIMIS, Nulla perfectio ſimpliciter ſimplex eſt relativa, multò autẽ minùs multiplex in divinis perſonis; ſed abſoluta & vnica in ijs: vt fusè probatũ eſt ſuprà Diſp. LXXIII. & admittunt etiã ij, qui relationibus divinis adſcribunt perfectionẽ peculiarẽ. Non enim aiũt eſſe illã ſimpliciter ſimplicẽ, ſed nec dicere id vlla ratione poſſunt, vt ibidem oſtenſum fuit latè; præſertim ſect. 3. & 4. Alioqui perſonæ divinæ opponerentur inter ſe penes aliquam perfectionem ſimpliciter ſimplicem. quod planè repugnat huius definitioni, ac rationi formali; & præterea nullatenus cohæret cum eo quòd quælibet perſona divina ſit verus Deus, & proinde ſimpliciter infinita in omni genere perfectionis puræ & ſimplicis. Atqui ſapientia, ſicuti & ſcientia, & intelligentia, ex ſua ratione formali importat perfectionẽ ſimpliciter ſimplicem: cùm per ſe loquendo ſit melior ipſa, quàm non ipſa, & quàm omne cum ea pugnans: ideoque iuxta omnes Theologos convenit Deo abſolutè, non eminẽter, vt fortitudo, aut temperantia; ſed formaliter. Ergo ſapientia, ſicuti & intelligentia, & ſcientia, nullatenus eſt in Deo relativa, multò autem minùs multiplex reipſa in divinis perſonis.

18 CONFIRMATVR: Quia intellectus, & voluntas (idem dixerim de immutabilitate, æternitate, immenſitate, omnipotentia, & alijs eiuſmodi attributis) ex ſua ratione formali importãt perfectionẽ ſimpliciter ſimplicẽ nullatenus cõveniunt Deo relativè, ſed abſolutè ſolùm, & abſque pluralitate vlla in perſonis. Quod conſtat ex Symbolo S. Athanaſij negantis tres æternos, immenſos, omnipotentes; & ex communi ſenſu omnium Theologorum, quorum nemo auſus fuit in divinis aſſerere plures reipſa intellectus, aut voluntates, vel omnipotentias, adhuc relativè. Atqui non minùs ſapientia, ſcientia, & intelligentia, ex ſua ratione formali important perfectionẽ ſimpliciter ſimplicem, vt patet. Ergo nullatenus conveniunt Deo relativè, ſed abſolutè ſolùm, & abſque pluralitate vlla in perſonis. Quare nullus eſt locus, vt Verbum vi ſuæ relationis perſonalis ſit formalis ſapientia, aut intelligẽtia, quâ Pater ſapiat & intelligat; præſertim verò ſapientia aut intelligentia realiter diſtincta ab alia perſonali ſapientia aut intelligentia Patris.

19 DICES Fortè, iuxta ſenſum Auctorum contrariæ opinionis, ſolùm tribui Verbo ſapientiam notionalem & relativã, virtualiter intrinſecè diſtinctam à ſapientia abſoluta & communi tribus perſonis; non autem præterea Patri aliam ſapientiam notionalem relativamque, ac proinde realiter diſtinctam ab illa priore: atque adeò non ſequi realem pluralitatem ſapiẽtiæ in divinis, ſed virtualem dumtaxat.

20 SED Contra. Imprimis enim ſi qua ratio coegit Adverſarios, vt attribuãt Verbo ſapientiam notionalem, eadem cogere debet vt alteram quoque Patri attribuant. Quemadmodum enim iuxta rem ipſam, & communem phraſim SS. Patrum, præſertim Auguſtini & Anſelmi, ſolus Filius dicitur & eſt ſapientia genita, ita etiam ſolus Pater ſapientia generans. Ergo quemadmodum ex parte termini geniti per intellectum aſſerunt ſapientiam relativam perſonalem; ſic etiam illam aſſerere debent ex parte principij generantis per ipſum intellectum. Nulla enim, vel apparens ratio eſt, vt intra ſphæram vnius eiuſdemque proceſſionis per intellectum, ſapientia exprimi debeat ex parte termini, quin etiam ex parte principij communicantis termino quidquid eſt & habet. Si autem tam ex parte principij intelligentis, quàm termini, adſcribunt peculiarem & relativam ſapientiam; neceſſum eſt hanc multiplicari reipſa in Patre & Filio: cuius oppoſitum videtur extorqueri ratione præiacta. *Deinde.* Quidquid ſit de ἀκολουθίᾳ, ſeu *conſequentia*, vt vulgò aiunt (neque enim licuit videre illorum lucubrationes de hac re, ſed ſolùm audire aliquid in diſputationibus publicis) vel ij reipſa multiplicant ſapientiam notionalem in Patre & Filio, vel non. Si primum aſſerãt: tenentur directè reſpondere argumento præiacto. Si ſecundum dicant; colligitur exinde Filium eſſe ſapientiorem Spiritu ſancto, immò & Patre ipſo, à quo totam ſuam ſapiẽtiam accipit. Erit quidem ſapientior Spiritu ſancto: quia vltra communem & abſolutam ſapientiam, in quâ convenit cum eo, habebit ratione ſuæ hypoſtaſeos aliam relativam & peculiarem, quæ proinde Spiritui ſancto convenire non poſſit, nec ipſum denominare ſapientem. Erit deinde ſapientior Patre: quia vltra communem illam & abſolutam ſapientiam, habebit identificatam ſibi ſoli ſapientiam quãdam relativam & notionalem, quam proinde non identificet ſibi Pater. Quiſquis autem habet duplex genus ſapientiæ ſibi identificatum, videtur quoddammodo ſapientior eſſe illo, qui

alte-

alterum eorum ſolum identificat ſibi. Nec valet quidquam dicere, hinc ſummùm ſequi, Filium eſſe extenſivè ſapientiorem, non intenſivè. Quis enim non reputet abſurdum dicere, Filium vel extenſivè ſapientiorem eſſe Patre, à quo totam ſuam ſapientiam accipit, tanquam ab intelligente perfectiſsimo & comprehenſivo intelligibilium omnium?

21 QVOD Si verò aſſeras cum Adverſarijs, Filium nequidem extenſivè ſapientiorem eſſe Patre, quoniam hic per ipſam relativam & perſonalem Filij ſapientiam ſapit & intelligit, non autem ſolùm per illam communem & abſolutam; non propterea difficultatem ſolvis. Sequitur enim ſaltem, Filium perfectiori modo ſapientem eſſe. Quia ex terminis perfectior ſapiendi modus eſt ſapere per identitatem, quàm per aliquid reipſa diſtinctum: vtpote cùm ſolum primũ ex ijs præferat perfectionem actûs puri, identificantis ſibi exercitium ſapiendi. Atqui in opinione contraria Filius relativè ſapit per identitatem, Pater verò relativè ſolum ſapit per aliquid reipſa diſtinctum nimirum, per proprietatem perſonalem Filij, quam aiunt eſſe formalem & relativam ſapientiam. Ergo Filius relativè ſapiens erit perfectiori modo, quàm Pater. Hoc autem abſurdum eſſe patet ex impugnatione proximè præcedenti: cùm omnis ſapientia, omniſque perfectio ſapientiæ, eiuſque modus communicetur Filio à Patre per intellectum; ac proinde debeat in ipſo pleniſsimè exiſtere, veluti in principio ſummè ſapiente ac perfectè comprehenſivo omnium eorum intelligibilium, ex quorum notitia procedit per ſe Verbum. Ergo de primo ad vltimum, non ideo Filius eſt Verbum, quia ratione ſuæ proprietatis perſonalis ſit ſapientia relativa, per quam Pater ex ſuperabundanti ſapiat; ſive præterea alia relativa ſapientia conveniat Patri ſecundùm ſuam proprietatem perſonalem, ſive non.

22 DENIQVE Refellitur idem poſterior dicendi modus: Quia repugnat omnino, Patrem eſſe verè & denominari ſapientem per ſapientiam relativam Filij. Etenim repugnat prædicatum quodlibet, ac proinde prædicatum ſapiendi, convenire Patri aliter, quàm deceat actum purum, prout diſtinctum ab omni intelligente finito & potentiali. Actum verò purũ, prout diſtinctum ab omni intelligente finito & potentiali, ſolùm decet ſapere per ſapientiam ſibi identificatam; non autem reipſa diſtinctã. Cùm igitur ſapientia relativa Filij, quam ij Auctores tuentur, ſit reipſa diſtincta à perſona Patris, repugnat ipſi vt per illam ſapiat. DICES, id non eſſe ex neceſsitate intelligendi, ſed ex ſuperabundantia. CONTRA. Ne hoc quidem modo poteſt Pater intelligere, niſi prout decet actum purum; ac proinde per identitatem cum ſapientia. Sic certè non ſolùm Deo abſolutè, ſed ſingulis etiam perſonis repugnat, vt ex ſuperabundantia conſtituantur potentes proximè intelligere, aut velle, omnipotentes, æternæ, aut immenſæ per aliquid à ſe reipſa diſtinctum, etiam relativum. PRÆTEREA. Omnis denominatio vitalis, ſeu phyſica, ſeu intentionalis, ac proinde denominatio ſapientis, debet eſſe intrinſeca ſubiecto, aut per informationem, aut per identitatem. Atqui ſapientia relativa Filij, quam ij Auctores tuentur, nõ eſt intrinſeca Patri per informationem, vt patet; nec per identitatem, cùm ſit ab eo realiter diſtincta. Ergo Pater non poteſt denominari intrinſecè vivens phyſicè aut intentionaliter, nec ſapiens vllo modo per ſapientiam relativam Filij. DICES, hanc eſſe intimam Patri ſecundùm περιχώρησιν, ſive circuminſeſſionem ſuprà Diſp. XCVIII. explanatam; id verò ſufficere, vt Pater per illam denominetur ſapiens. SED Contrà. Etiam Patri eſt intima per circuminſeſſionem filiatio, & ſpiratio paſſiva, ac Spiritui ſancto activa generatio Verbi; vti idem de omnibus divinis prædicatis concluſum fuit. Atqui non propterea Pater denominatur verè Filius, aut Spiritus; nec Spiritus ſanctus eſt aut dicitur activè generans: cùm hæ denominationes ſint relativæ & propriæ termini geniti ac ſpirati, aut principij generantis; ac proinde illi ſoli conveniant. Cùm igitur opinione Adverſariorum ſapientia notionalis ſit relativa & propria Filij, ac proinde relativè oppoſita Patri; nequit Patrem denominare ſapientem ratione circuminſeſſionis, ſed Filiũ tantùm. VLTERIVS. Si ratione ſolius circuminſeſſionis denominaret Patrem ſapientem, pariter ratione eiuſdem denominaret ſapientem Spiritum ſanctum. quod ipſi Adverſarij negant.

23 RATIO Autém à priori totius ferè doctrinæ præiactæ in eo nititur, quòd quidquid relativum cõvenit ſpeciatim vnicuique perſonæ, eſt peculiaris illius nota, & character, penes quem differt à reliquis, & ijs opponitur. Vnde ſolam illam perſonam denominare poteſt, non cæteras. Hinc eſt generatim quòd notiones ſingularum perſonarũ ſint propriæ vniuſcuiuſque, neque vlli alteri conveniant, aut denominationem præſtare poſſint: vt ſuprà Diſp. XCVII. expoſuimus. Vnde nec ratio Ingeniti, aut Patris, quarum vnaquæque eſt notio primæ perſonæ, convenire poteſt reliquis duabus; nec ſpiratio activa, quę eſt cõmunis Patri, & Filio, poteſt denominare ſpirantem Spiritum ſanctum; nec filiatio Patrem aut Spiritum ſanctum; nec huius proceſsio Patrem Filiumve. Cùm ergo relata opinio adſcri-

bat

bat Filio relativam & peculiarem ſapientiam, ac proinde diſtinctam realiter à Patre & Spiritu ſancto, & vtrique relativè oppoſitam, ne quit illa conſtituere aut denominare vllo modo Patrem ſapientem, ſed Filium dumtaxat. Mitto plura alia contra eandem opinionem, ex quibus nonnulla libavi ſuprà Diſp. LXXXV. ſect. 4. Mitto vlteriùs varios dicendi modos, qui excogitari facilè poſſent, ad occurrendum difficultati initio propoſitæ, & reddendum rationem, cur potiùs Filio, quam Spiritui ſancto, conveniat propria ratio Verbi. Mitto, inquam: quia quamvis ij facilè excogitarentur, fortaſſe faciliùs refelli poſſent, nec oportet immorari nimis in eiuſmodi inventis proferendis, aut impugnandis. Veniamus itaque ad diſrimendam veroſimiliùs controverſiam.

SECTIO QVARTA.

Prænotatis quibuſdam obſervatu dignis, exponitur modus veroſimilior ad occurrendum difficultati, reddendumque rationem, Anſelmo & alijs Patribus cohærentem, vt potiùs Filio, quàm Spiritui ſancto, conueniat ratio propria Verbi.

24 PRÆMITTO I. Verbum proprie & ſimpliciter in divinis non eſſe abſolutum & eſſentiale, ſed relativum, & proprium Filij. Quod latiſsimè probatum fuit ſuprà contra Durandū Diſp.LXII. per totam, ex Concilijs, & Patribus, ac nominatim ex Anſelmo, qui ſuprà c. 37. aliàs 38. loquens de Filio Dei inquit: *Verbum hoc ipſum, quod Verbum eſt, aut imago, ad alterum eſt: quia non, niſi alicuius, eſt Verbum, aut imago. Et ſic propria ſunt hæc alterius, vt nequaquam alteri coaptentur. Nam ille, cuius Verbum eſt, aut imago, nec imago, nec Verbum eſt.* Deinde cap.45. aliàs 46. ait: *Liquet enim, Filium Dei eſſe verum Verbum.* Præterea cap.63.aliàs 60. ſic ratiocinando colligit: *Licet igitur vnuſquiſque ſeipſum, & omnes inuicem ſe dicant; impoſsibile tamen eſt in ſumma eſſentia eſſe Verbum aliud, præter illud, de quo iam conſtat quòd ſic naſcitur ex eo, cuius eſt Verbum, vt & vera eius dici poſſit imago, & verè Filius eius ſit.*

25 PRÆMITTO II. Imaginis rationem eſſe etiam propriam Filij in divinis, nec vllo modo convenire Patri, nec etiam Spiritui ſancto, ſimpliciter loquendo. Quod pariter cum communi Theologorum ſententia docuimus ſuprà Diſp.LXX. per totam, & palam tradit Anſelmus priori loco ex nuper allegatis. Quin & ſupra cap.55. aliàs 56. reddens rationem, cur potiùs Verbum, quàm Spiritus ſanctus, ſit Filius, huiuſque origo vera generatio; illam reddit petitam ex notione imaginis, veluti propria & characteriſtica Verbi. Propterea enim ait ibi: *Sicut Verbum, mox vt conſideratur, ſe prolem eius, à quo eſt, euidentiſsimè probat, promptam præferendo Patris imaginē: ſic Amor apertè ſe prolem negat, quia dum à Patre & Filio procedere intelligitur non ſtatim tam perſpicuam exhibet ſe contemplanti eius, ex quo eſt, ſimilitudinem.* Ex quo teſtimonio ſuprà Diſp.XCV. iuxta mentem S.Doctoris fusè probavimus diſcrimen proceſsionis Verbi à proceſsione Spiritus ſancti, atque adeò rationem propriam generationis divinæ, in eo ſitam eſſe, quòd Verbum oriatur per intellectum infinitum ac perfectiſsimum, & vi eiuſdem proceſsionis intellectualis exprimat rationem imaginis, ac ſimilitudinis perfectiſsimæ & adæquatæ in eâdem numero natura cum generante. Quod non convenit Spiritui ſancto vi proceſsionis ſuæ per voluntatem, quamvis reipſa & identicè terminus ipſe per voluntatem productus, ſit Deus, & eiuſdem numero naturæ cum principio ſpirante. Verùm, vt monuimus ſuprà num. 4 adhuc ſuppoſitâ eâ ſententiâ, perſiſtit integra ratio dubitandi propoſita ibidem, pluraque alia deſiderantur ad ſolvendum illum nodum, difficilem ſanè & irretitū.

26 PRÆMITTO III. Quæſtionem hāc dupliciter dirimi poſſe. *Primò* iuxta ſentētiam frequentem Thomiſtarum, aliorumque plurium, à nobis etiam latè traditam diſp. 90. de Anima, in qua Verbum vniversè loquendo comparatur ad intellectionem, veluti terminus *in quo* illa ſpeculatur obiectum repræſentatum per ſpeciem impreſſam; non autem veluti medium, *quo*, indiſtinctum reipſa ab intellectione, & productum per actionem aliam ab ipſa: Quippe, vt ibidem expoſuimus, eadem intellectus operatio ſecundùm rem, licèt diſtincta ſecundùm rationem, eſt ſimul dictio verbi, & contemplatio obiecti in ipſo verbo producto. *Secundò* dirimi poteſt controverſia iuxta opinionem contrariam, quæ, vt nuper diximus, nō diſtinguit reipſa verbum ab intellectione, nec vult illud eſſe medium *in quo*, ſed ſolùm *quo* mens ſpeculatur obiectum repræſentatum in ſpecie impreſſa. Quæ ſententia eſt valde conformis Anſelmo, & minimè abhorrens à mente S. Thomæ: vt vidimus ſuprà Diſp. LXIII. num. 11. Verùm adhuc duplex ſenſus eſſe poteſt huius ſecundæ opinionis. Prior, vt ratio Verbi & intellectionis ſit eadē prorſus vniversè loquendo, tam in creatis quam in divinis, & vtrobique Verbum ſit ſolù medium *quo*, non autem terminus, *in quo* mens contemplatur obiectum. Poſterior verò, vt quamvis in creatis

tis Verbum ſit ſolùm medium *quo*; in divinis tamen ſit terminus per intellectionem productus, & *in quo* Pater contemplatur ſeipſum. Hoc poſteriori ſenſu exiſtimo debere loqui omnes Theologos contra Durandum, vt rationem Verbi propriam & perſonalem tueantur in divinis, prout tota illa Diſp. LXII. explicuimus, quamvis aliter opinentur de Verbo & intellectione creata. Nam ſi Verbum in divinis ſit ipſa intellectio abſque vlla diſtinctione virtuali intrinſeca; ſicut illa ſimpliciter eſt in Deo eſſentialis & abſoluta, non autem relativa, niſi ex adiuncto; ita etiam Verbum in divinis erit in Deo eſſentiale & abſolutum; non autem relativum & perſonale, niſi ex adiuncto, ſive *per quandam appropriationem*, vt loquebatur Durandus: cuius opinio ab omnibus alijs Theologis propterea gravi & multiplici notâ inuritur. Vt ergo certam & communem ſententiam contra ipſum tueamur, oportet aſſerere, Verbum in divinis diſtingui virtualiter intrinſecè ab intellectione, tanquam relativũ & perſonale ab abſoluto & eſſentiali. Ac ſanè quemadmodum iuxta communem Theologorum ſenſum, ſuprà Diſp. LXXIX. ex profeſſo traditum & cõfirmatum, licèt perſonalitas in creatis ſit abſoluta, in divinis eſt ſolùm relativa, & virtualiter intrinſecè diſtincta ab omni prædicato Dei abſoluto: itam etiam licèt ratio Verbi in creatis ſupponatur abſoluta & indiſtincta omnino ab intellectione; in divinis eſt relativa, & ab omni prædicato Dei abſoluto diſtincta virtualiter intrinſecè. Vnde exiſtimo, quidquid ſit de varietate illarum opinionum circa Verbum mentale creatum, omnes Theologos æqualiter debere loqui quoad Verbũ increatum, in ijs quæ pertinent ad hanc controverſiam.

27 PRÆMITTO IV. Filiũ Dei, prout condiſtinctum à Spiritu ſancto, oriri per intellectum paternum, non per voluntatẽ. Quod ſuprà Diſp. LXXXVIII, ex profeſſo ſtabilitum fuit contra Durandum ex communi ſenſu Patrum, quorum teſtimonia plura illic exſcripſimus, nec repetere opus eſt. Si verò ad ſtabiliẽdam eam doctrinam opus ſit admittere diſtinctionem virtualem intrinſecam inter intellectũ & voluntatem divinam, quatenus per ſe & proximè conferunt ad diſcrimen vtriuſque proceſſionis, nihil in eo abſurdi eſt: vt monui Tom. I. Diſp. XXVII. n. 44. neque de hoc impræſenti differendum eſt.

28 EA Verò doctrina communi ſuppoſita, præmittendum eſt rurſus ex eiſdem Patribus, Filium Dei, ſive Verbum, non vtcũque oriri à Patre per intellectum, ſed tanquam adæquatam ipſius imaginem, & pleniſsimè ipſum repræſentantem. Quod præſertim Anſelmus non ſolùm indicat locis num. 24. & 25. exſcriptis, ſed etiam alijs, quæ ſubiungo. Suprà cap. 35. aliàs 34. ait: *Cùm conſtet, quia Verbum conſubſtantiale eſt illi, & perfectè ſimile; neceſſario ſequitur, vt omnia, quæ ſunt in illo* (nimirum, in Patre) *eadem & eodẽ modo ſint in Verbo eius.* Deinde c. 63. aliàs 60. inquit: *Reſtat igitur hoc ſolum Verbum illius ſolius eſſe, de quo naſcendo habet eſſe, ET AD CVIVS OMNIMODAM SIMILITVDINEM EXISTIT.* Similiter in Proslogio cap. 23. ita alloquitur ipſum Patrem: *Non poteſt aliquid maius, vel minus te eſſe in Verbo tuo, quo teipſum dicis: quoniam Verbum tuum ſic eſt Verum, quomodo tu Veritas.* Scilicet, quidquid eſt in mẽte ſeu memoria paterna (vt vtamur vocabulis eiuſdem S. Doctoris) fœcundata per eſſentiam divinam in ratione ſpeciei intelligibilis, ſeu impreſſæ, vt communiter in Scholis loquimur; totum id perſpicuè & explicitè repræſentatur in Verbo ex vi proceſſionis perfectiſsimæ per intellectum, ſecundùm ſuam formalem rationem conſideratæ.

29 PRÆIVERAT Anſelmo in hac parte, vt in pleriſque alijs, Magnus Auguſtinus, lib. 15. de Trinit. cap. 14 ſub initium, dicens * Tanquam ſeipſum dicens Pater, genuit Verbum ſibi æquale per omnia. Non enim ſeipſum integrè perfectèque dixiſſet, ſi aliquid minus aut amplius eſſet in eius Verbo, quàm in ipſo. Ibi ſummè illud agnoſcitur, Eſt, Eſt; Non, Non: & ideo Verbum hoc verè veritas eſt, quoniam quidquid eſt in ea ſcientia, de qua genitum eſt; & in ipſo eſt. Quod autem in ea non eſt, nec in ipſo eſt. * Similiter lib. contra Sermonem Arianorum cap. 26. ait: * Apoſtolus Paulus non virtutis Dei & ſapientiæ imaginem, ſed ipſum (Verbum) eſſe dicit Deĩ virtutem, & Dei ſapientiam. Eo ipſo igitur quòd imago Patris eſt Filius, virtus eius & ſapientia eſt. Imago autem plena, atque perfecta; id eſt, non ab illo ex nihilo facta, ſed de illo genita, nil minùs habet, quã ille, cuius imago eſt. Patris quippe imago ſumma, id eſt, ita ſimilis, vt in ea diſsimile aliquid non ſit, Filius eſt vnicus. * Hęc ille. Verùm & ante ipſum Auguſtinum tradiderunt id Græci Patres, & imprimis Athanaſius in Epiſtola de Decretis Nicænæ Synodi circa medium, vbi refellit blaſphemiam illam Arij illudentis Catholicæ Eccleſiæ, & aientis: πολλὰ λαλεῖ λόγος ὁ θεός, ποῖον αὐτῶν ἆρα λέγομεν ἡμεῖς υἱὸν, καὶ λόγον μονογενῆ τοῦ πατρός; id eſt: *Multa Verba loquitur Deus. Quodnam igitur ex iſtis Verbis Filium & Verbum Vnigenitum Patris dicimus?* Refellit autem blaſphemum illum, quaſi anguſtè cogitantem de Verbo Dei, perinde ac de verbis noſtris prolatitijs, quorum vnicum non ſufficit ad omnia repræſentanda aut

ex-

exprimenda: * Quaſi vnum ex Deo Verbum nō ſufficiat (inquit) quod vniverſam mundi ex voluntate Patris creationem, curamque & providentiam ſuſtineat. Si enim Deus multa verba loquitur, hoc ipſum indicio eſt, in omnibus eius verbis eſſe quandam imbecillitatem. Contrà autem ſi vno Verbo vtatur, vt reverà vtitur, id eius potentiam, & Verbi ex eo nati perfectionem declarat. * Rationemque ſubdit: * Non enim multa verba ſunt, ne vnumquodque eorum inſufficiēs habeatur; ſed vnum Verbum, VT ILLVD SOLVM SVFFICIENS INTELLIGATVR. ET QVANDOQVIDEM VNVS EST DEVS, NECESSARIVM EST QVOQVE, VNAM ESSE IMAGINEM, QVÆ IPSIVS EST FILIVS. * Hucuſque Athanaſius vnicum in Deo Verbum, veluti adæquatam Patris imaginem, probat. Sed & clarius & opportunius Baſilius Homil. 16. in illud Ioannis, *In principio erat Verbum*, ita loquitur: * Cur Verbum? QVONIAM IMAGO EST GENITORIS, TOTVM IN SE MONSTRANS GENITOREM, nullam inde partem deducens, & perfecta in ſe exiſtēs: quemadmodum ferè Verbum noſtrum, quod totius noſtræ cogitationis imaginem refert. * Similiter Cyrillus Alexandrinus lib. 1. Theſauri cap. 7. inter medium & finem ait: * Intelligendum eſt, ſic ex Patre natum Filium, vt ſapientiā ex mente, quæ quoddammodo eſſe à mente per expreſsionem ipſius videtur, & in ipſa verè eſt. Nec defluxum paſſa eſt mens aliquem, quia ſapientiam genuit: SED TOTA MENS IN SVA NATVRA CONSERVATA, ET TOTA SAPIENTIA DEPINGITVR, ET IN EA VIDETVR. * Hucuſque clariſsimus ille Doctor.

30 QVARE Verbum divinum, ex propria Verbi ratione, & vi peculiaris proceſſionis ſuæ, oritur tanquam imago perfectiſsima per intellectum paternum, veluti pleniſsimè & adæquatè exprimens per modum termini, quidquid eſt ex parte principij dicentis, ſeu generantis: atque adeò non ſolùm repræſentat Patrem ratione eſſentiæ ſibi communicatæ (hoc enim commune etiam eſt Spiritui ſancto) ſed etiam ratione ſuæ proprietatis perſonalis. quæ intra ſuam rationem formalem habet vt ſit vivida repræſentatio obiecti & principij, veluti terminus directè ſpectans ad genus aut quaſi genus repræſentativum; ad eum ferè modum, quo Verbum mentale in creatis ſecundùm ſuam peculiarem differentiam habet repræſentare intelligibiliter obiectum, quod mediante ſui ſpecie impreſſa concurrit per modū principij ad exprimendum illud, ſive tanquam medium *in quo*, vt frequentiùs Thomiſtæ volunt, ſive tanquam medium *quo*, vt alij exiſtimant. Vtrâvis enim opinione in creatis ſuppoſita, certum eſt, verbum penes ſuam peculiarem rationem habere vim formæ, imaginis, aut termini intelligibilis, directè repræſentantis principium & obiectum, ex quo procedit. Meliùs tamen id explicatur iuxta priorem ſententiam, in quâ verbum creatum comparatur ad cognitionem noſtram veluti terminus ipſius, & intelligibilis imago rei cogitatæ. Sic ergo intelligere debemus, Filium Dei, prout diſtinctum à Spiritu ſancto, habere propriè rationem Verbi. Non enim ſolùm vi proceſsionis ſuæ per intellectum oritur in ſimilitudinem naturæ, eſtque propterea Filius, vt explicatum fuit ſuprà tota Diſp. XCV. verùm etiam vi eiuſdem proceſsionis per intellectum oritur tanquam imago intentionalis, per ſuam proprietatem perſonalem & relativam repræſentans totum Patrem, & quidquid in eius mente, ſeu memoria fœcunda, exiſtit intelligibiliter ac per ſe pro priori originis ad exiſtentiam ipſius Verbi. quod planè indicant teſtimonia allegatorum Patrum, & ampliùs confirmabimus ſect. ſequenti.

SECTIO QVINTA.

Eadem peculiaris ratio Verbi in Filio ſecundùm ſuam proprietatem perſonalem, ſub ratione imaginis, termini, aut formæ directè ſpectantis ad genus intentionale, ſeu repræſentativum, confirmatur multipliciter ex ſacris litteris, teſtimoniiſque Patrum, & rationibus. Difficultates in oppoſitum ſolutæ.

31 AC Primò quidem ſententia noſtra num. proximè præcedenti explicata, eſt maximè cohærens ſacris litteris: in quibus ſolus Filius dicitur εἰκών, μορφή, χαρακτήρ, εἶδος: id eſt, *imago figura, character, & ſpecies* Patris. Primum enim nomen ex ijs tribuitur Filio 2. Corinth. 14 v. 45. Coloſſenſium 1. v. 4. ſecundum verò Philipp. 2. 6. tertium Hebræorum 1. v. 3. quartum denique Ioannis 5. v. 37. prout monet Cyrillus lib. 12. Theſauri & colligit ex verbis Chriſti eo loco contra Iudæos, aientis: οὔτε φωνὴν αὐτοῦ ἀκηκόατε πώποτε, οὔτε εἶδος αὐτοῦ ἑωράκατε. id eſt: *Neque vocē eius vnquam audiſtis, neque ſpeciem eius vidiſtis.* Ex quibus colligit Cyrillus: *Hæc ergo omnia Filius eſt, vox, ſpecies, & Verbum Patris. Quod ſi ſpecies eſt, perſpicuum eſt etiam imaginem eſſe & characterem.* Porrò, vt inquit Chryſoſtomus, Hom. 2. ad Hebræos, ἐνταῦτα ὁ χαρακτὴρ τοῦ ἀπαραλλάκτου δηλοῖ οὐ ἐστὶ χαρακτὴρ, τοῦτο ὅμοιον κατὰ πάντα. id eſt, *Hoc*

loco

loco character nullam ab eo diſcrepantiam eſſe ſignificat, cuius eſt character, at per omnia ſimilem eſſe. Cùm verò ea nomina ſoli Filio aſſerantur in Scriptura, oportet vt ipſi conveniant ſecundùm proprietatem perſonalem, quâ differt à duabus reliquis perſonis, & nominatim à Spiritu ſancto. Ergo Filius Dei ratione proprietatis ſuę perſonalis, quâ à reliquis differt, importat rationem imaginis, figuræ, characteris, & ſpeciei repræſentantis Patrẽ. Cumque ea omnia ſpectent ad genus intentionale, ſeu repræſentativum; colligitur demum, Filio Dei ſpeciatim convenire rationem propriam Verbi, quatenus ſecundùm hypoſtaſim, ſeu proprietatem perſonalem, importat rationem imaginis, ſeu ſpeciei, ſpectantis ad genus intentionale, ſeu repræſentativum.

32 DICES: Proprietas perſonalis Filij non eſt ſimilis proprietati perſonali Patris, cùm altera ſit filiatio, altera paternitas; quæ planè differunt penes proprias rationes formales: vt prior ſit ἀγέννητος, ſeu principij expers; altera à principio. Ergo Filius nequit eſſe imago, aut ſpecies repræſentativa Patris, penes ſuam proprietatem perſonalem, ſed tantum ſecundùm eſſentiam, quam accipit media generatione.

33 RESP. Proprietatem perſonalem Filij eſſe ſimilem intentionaliter, ſeu intelligibiliter, proprietati perſonali Patris; quãvis *in eſſe rei* differat ab illa. Id vero ſufficit ad rationẽ imaginis in eſſe intelligibili, ſive ſpeciei expreſſæ. Sic certè verba mentalia, ſeu ſpecies expreſſæ quorumlibet obiectorũ reipſa ſubſtantialium, ſunt ipſorũ imagines, ſeu ſpecies aut ſimilitudines in eſſe intelligibili, quãvis ab ijs differant *in eſſe rei*, veluti accidens à ſubſtantia. Itaque ad rationem imaginis & ſpeciei eiuſmodi ſola prior ſimilitudo exigitur, non item poſterior, nec in creatis, nec in divinis; quamvis alioqui conditio peculiaris archetypi ſecundùm realitatem differat à realitate ipſius imaginis, quatenus hæc importat habitudinem ad principium ſui, quo illa caret. Quæ doctrina & ſolutio manifeſtè traditur à Damaſceno, qui ita definit Imaginem vniverſè, & deinde ſpeciatim rationem Imaginis exponit in Filio ſeu Verbo Dei: εἰκών ἐστιν ὁμοίωμα χαρακτηρίζον τὸ πρωτότυπον, &c. id eſt, *Imago eſt ſimilitudo ſic exprimens exemplar, vt nonnullam ab eo differẽtiam habeat. Non enim in omnibus imago aſſimilatur archetypo. Proinde imago viuens, naturalis, & nulla re diſcrepans inuiſibilis Dei Filius eſt, totum in ſe ferens Patrem, omnimodam cum eo habens identitatem, ac ſolo eo diſcrepans, quod eſt à principio.*

34 INSTABIS, Filius vi naturæ per generationem ſibi communicatæ eſt ſimilis intelligibiliter ſeu intentionaliter Patri, & non ſolùm naturaliter: cùm eadem natura divina ſit forma intelligibilis, non ſolùm ex parte principij, quatenus fœcundat intellectum Patris ad concipiendum & generandum Verbum, ſed etiam ex parte termini producti ſeu intellecti. Et priori quidem ſenſu dicitur à Theologis exercere munus ſpeciei impreſſæ, poſteriori autem ſpeciei expreſſæ, ſive Verbi communiter & eſſentialiter dicti; atque vtrumque quidem ex vi prædicati abſoluti & communis tribus perſonis. Ergo Filius præterea ſecundùm proprietatem relativam & perſonalem non eſt ſimilitudo aut imago intentionalis relatè ad Patrem: cùm totum id habeat pleniſsimè & perfectiſsimè ratione eſſentiæ. Sic certè ratione perſonalis proprietatis non exprimit Deitatem, æternitatem, immenſitatem, immo nec ſapientiam formalem, vt ſuprà arguebamus: quoniam ea omnia habet ratione communis eſſentiæ.

35 RESP. Conceſſo antecedenti; negando conſequentiam: quoniam iuxta ſacras litteras, Concilia, & Patres allegatos Diſ. LXII. & LXX. per totas, Filio Dei non ſolùm conveniunt prædicata abſoluta & communia alijs perſonis, ſed etiam peculiaris & perſonalis ratio Verbi, atque Imaginis, & ſpeciei. quod & nuper audivimus ex Apoſtolo, & ex verbis ipſius Chriſti n. 31. allegatis. Vnde præter intelligibilitatem illam communem reliquis, & eam nominatim, quæ à pleriſque Theologis appellari ſolet in divinis Verbum cõmuniter & impropriè dictum, debet habere aliam virtualiter intrinſecè ab ea diſtinctam, & relativam, quæ conſtituat ipſum in ratione propria Verbi, Imaginis, & ſpeciei intra genus repreſentativum. Nec par ratio eſt de Deitate, æternitate, immenſitate, aut ſapientia formali: quoniam ea omnia ex ſua formali ratione ſunt abſoluta, & ſummùm relativa ex adiuncto, vt vidimus ſuprà n. 13. ex Magno Auguſtino: ac proinde nequeunt covenire Filio ratione peculiaris hypoſtaſeos, ſive proprietatis perſonalis; ſed ſolùm ex vi eſſentiæ communis. Cæterum ratio Verbi propriè dicti, ſicuti & Imaginis, & ſpeciei, eſt in divinis dumtaxat peculiaris & propria Filij: ac proinde non debet ipſi competere ratione ſolius eſſentiæ, ſed præterea aut maximè ratione proprietatis relativæ. Ergo & ratione eiuſdem proprietatis debet importare & exprimere aliquid ſpectans directè ad genus intentionale aut repræſentativum, non qualecumque aut commune, ſed relativum & peculiare: ſicuti & ratio Verbi, & Imaginis, & ſpeciei, in Filio, peculiaris & relativa eſt. Vnde Auguſtinus lib. 7. de Trinit. cap 2. ait: *Eo quippe Filius,*

lius, quo Verbum, & eo Verbum, quo Filius. Itaque ipſa perſonalis proprietas Filij in divinis, vltra rationem Imaginis naturalis, exprimit rationem Verbi, quæ planè ſpectat ad genus intentionale, ſive repræſentativum.

36 CONFIRMATVR Probatio præcipua ex ijs Scripturæ locis, in quibus Filius Dei, iuxta interpretationem Patum, dicitur πρόσωπος θεοῦ, id eſt, *Vultus*, vel *facies Dei*; ſicuti & εἶδος θεοῦ, *ſpecies Dei*. Quibus denotatur in Filio Dei repræſentatio vivida & manifeſta Patris ſecũ dùm ſuam proprietatem perſonalem. Verùm præterea illuſtris locus eſt c. 7. Sapientiæ v. 26. vbi de Filio Dei dicitur: *Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula, & imago bonitatis illius.* Vbi quod apud Vulgatum Interpretẽ redditur *Candor*, Græcè eſt ἀπαύγασμα, id eſt, ſplendor, ſive explendeſcentia. Sicuti enim ſplendor apertiſsimè & ſtatim repræſentat lucem, à qua procedit; ſic Filius Dei, veluti lumen de lumine, ſecundùm ſuam hypoſtaſim repræſentat æternã lucem Patris, à quâ oritur. Ideoque Baſilius lib. 2. contra Eunomium ita exponit eadem verba: *Totum Patrem in ſeipſo Filius, vt imago genita, & ſplendor maieſtatis Dei, repræſentat, ex tota eius maieſtate reſplendens.* Dicitur prẽterea *Speculum ſine macula.* Quod idẽ Baſilius ſic oportunè exponit in Epiſt. ad Gregorium Nyſſæ Antiſtitem fratrem ſuum: * Perinde atque in ſpeculo quodam puro, qui impreſſam illi formam conſiderat, evidentem habet imaginati vultûs cognitionem: ita & qui Filium cognoſcit, paternæ ſimul hypoſtaſeos characterem per Filij cognitionem in corde ſuo iam ſuſcipit, ita vt hypoſtaſis Filij inſtar formæ ac faciei ſit paternæ cognitionis. Quid illuſtrius, aut aptius, ad oſtendendum, ipſam proprietatem hypoſtaticam Filij eſſe repræſentativam Patris inſtar ſpeculi læviſsimi, terſiſsimi, & nitidiſsimi? Hæc autem omnia planè ſpectant ad genus intentionale, ſive repræſentativum. Ergo ipſa hypoſtatica proprietas Filij ſpectat ad idem genus, aũt quaſi genus. Dicitur denique *Imago bonitatis illius*, ſicuti ab Apoſtolo ſuprà n. 31. allegato: quoniam, præter ea, quæ nuper audivimus ex Baſilio, ratio imaginis propria ipſius Verbi eſt, & nequaquam communis Spiritui ſancto. nam, vt inquit Anſelmus ſuprà cap. 55 *Sicut Verbum, mox, vt conſideratur, ſe prolem eius, à quo eſt, euidentiſsimè probat, promptam præferendo Patris imaginem: ſic Amor apertè ſe prolem negat: quia dum à Patre & Filio procedere intelligitur, non ſtatim tam perſpicuam exhibet ſe contemplanti eius, ex quo eſt, ſimilitudinem.* Vnde (quod maximè obſervatum velim) Verbum Dei, prout diſtinctum ab Amore, ſive Spiritu ſancto, vi ſuæ proceſsionis non ſolum oritur vt imago naturalis & Filius; ſed etiam vt Verbum & imago intentionalis, exprimens intelligibiliter, & per modum termini, totum principium à quo oritur.

37 DICES: Vt Filius diſcernatur à Spiritu ſancto, ſitque præ illo imago perfectiſsima Patris, ſufficit quòd vi ſuæ proceſsionis per intellectum, oriatur in ſimilitudinem naturæ: quod nullatenus cõvenit Spiritui ſancto, procedenti per voluntatem: vt ſuprà oſtenſum fuit à nobis ſuprà Diſp. XCV. per totam, & antea Diſp. LXX. vbi docuimus, rationem Imaginis eſſe propriam ſolius Filij. Ergo ad id ſtabiliendum nulla eſt neceſsitas aſſerendi, proprietatem ipſam perſonalem Filij habere rationem imaginis, ſeu ſpectare ad genus repræſentativum, quod appellant intelligibile, vel intentionale.

38 RESP. Filium Dei non ſolùm diſcerni à Spiritu ſancto, qua Filium, ſed etiam quà Verbum eſt: cùm vtrumque id ſit proprium ipſius. Porrò quà Filius ſufficienter diſcernitur à Spiritui ſancto per rationem imaginis naturalis procedentis per intellectum perfectiſsimum, in ſimilitudinem naturæ. Cæterum quà Verbum eſt differre debet ab eodem Spiritu ſancto per rationem imaginis intentionalis, ſeu habentis ex ſua proprietate perſonali & relativa, repræſentare & exprimere intelligibiliter ipſum principium intelligens adæquatè ſumptum, à quo oritur.

39 Ratio autem à priori totius doctrinæ prætactæ, quâ prorſus convincor ad illam aſſerendam, quamvis poſſet ampliari plurimùm & illuſtrari ex dictis latè vtraque illa Diſ. LXXII. & LXX. poteſt nunc breviter præſtringi ſub hanc diſſerendi formulam. Omnis ratio Verbi propriè & ſimpliciter dicti, importat explicitè aliquid de genere repræſentativo, ſeu intentionali. Atqui Filius Dei ſecundùm proprietatem ſuam perſonalem & relativã habet rationem Verbi propriè & ſimpliciter dicti. Ergo ſecundùm eandem proprietatem perſonalem & relativã importat explicitè aliquid de genere repræſentativo ſeu intentionali. Cõſequẽtia eſt legitima. Maior propoſitio eſt certa apud omnes Philoſophos & Theologos, ſive qui diſtinguunt Verbum mẽtis in creatis reipſa ab intellectione, & virtualiter intrinſecè in divinis; ſive qui in creatis volunt eandem eſſe reipſa intellectionem cum Verbo. Omnes enim ij rationem formalem Verbi mentalis conſtituunt in ſpecie expreſſa directè ſpectante ad genus intentionale vel repræſentativum. Minod autem eſt pariter certa & communis apud Theologos contra Durandũ, cuius opinio malè audit, & ab ijs multiplici ac gravi notâ in-

ritur. Et certè niſi ratio Verbi conveniat Filio Dei, etiam penes proprietatem perſonalem & relativam, nullus eſt locus vt præ Spiritu ſancto ſit propriè & ſimpliciter Verbum: cùm ea, quę ipſi conveniunt ratione ſolius eſſentiæ, non propria ipſius, ſed communia ſint, vel ſummũ appropriata, vt Durandus loquitur. Statuto verò iam integro ſyllogiſmo, pergo vlteriùs. Omne quod directè ſpectat ad genus intentionale, ſive repræſentativum, aut eſt ſpecies impreſſa ſe habens ex parte principij ad intelligendum; aut expreſſa ex parte medij *quo*, vel termini *in quo* mens ſpeculatur obiectum, quamcumque demum opinionem Philoſophorum ſequamur, iuxta dicta num. 26. Atqui Filius Dei ſecundũ proprietatem ſuam relativã & perſonalem ſpectat directè ad genus intentionale, ſeu repræſentativum, vt ſuperiori ſyllogiſmo concluſimus. Ergo ſecundùm proprietatem eandem relativam & perſonalem aut importat rationem ſpeciei impreſſæ, aut expreſſæ, ex parte medij *quo*, vel termini *in quo*, mens paterna ſpeculatur obiectum. At non habet rationem ſpeciei impreſſæ, iuxta omnes. Ea quippe ſolùm convenit eſſentiæ divinæ, quatenus fœcundanti intellectum paternum. Non etiam ſpeciei expreſſæ, veluti medij *quo* Pater intelligat vel ſpeculetur ſeipſum, ſive ex indigentia, ſive ex ſuperabundantia: vt probatum fuit latè ſect. 2. & 3. Supereſt igitur, vt Filius ſecundùm ſuã proprietatem relativam & perſonalem ſpectet ad genus intentionale ſeu repræſentativum, veluti ſpecies expreſſa, aut terminus, *in quo* Pater æternus contemplatur totum ſuæ mentis obiectum. Itaque ſolus Filius habet rationem Verbi: quoniam præ Spiritu ſancto habet, non ſolùm vt ſit Imago naturalis; ſed etiam intentionalis, ratione ſuæ hypoſtaſeos relativæ & peculiaris; in quâ, vt vivido ſpeculo, facie, ac ſpecie expreſſa, Pater intuetur ſeipſum, & omnia intelligibilia. nam ſicuti omnia illa dicit Verbo ſuo, iuxta phraſim SS. Auguſtini, Anſelmi, & Thomæ: ita omnia illa exprimuntur & ſpeciatim repræſentantur in ipſo Verbo. Plura alia ex Diſputationibus allegatis LXII. & LXX. petenda erunt, quæ huc directè ſpectant.

40 QVÆCVNQVE Verò hactenus diximus circa myſterium adeò ſublime & inacceſſum, ſi vera, ſi cohærentia Catholicæ & Romanæ Fidei, ſi Concilijs ab Eccleſia probatis, & Sanctis Patribus conſona; in gloriam & honorem nominis Tui cedant, ò ſumma & indiviſa Trias, Pater, Fili, & Spiritus ſancte, æternum & incommutabile Numen, omnium, que bonorum fons inexhauſte: vt idipſum habeant pro fine, quod habuere principium. Deſerviant etiam, pijſsime Domine, in aliquam vtilitatem Eccleſiæ tuæ laborantis tot calamitatibus, & tot hæreſum monſtris, etiam contra hoc myſterium, olim hodieque impetitæ. Proſint quoque ex ſuperabundantia bonitatis tuæ, quamvis abſque vllo merito meo, ad fidem tuã altiùs ac vividiùs mortalium cordibus infigendam; illam, inquam, fidem, quæ mortua non eſt, ſed per dilectionem operatur. Quotquot verò errata fuerint in hiſce ſcriptis, mea ſunt; & plura adhuc, immo crebra eſſent, niſi te docente ac dirigente. Quotcumque tamen fuerint, ea inducere paratus ſum, & indicta haberi volo, ubi primùm veritas apparuerit; interim à te veniam petens audaciæ meæ in tractandis rebus adeò divinis: quibus tradendis & in lucẽ proferendis, quàm impar & indignus ſim præ cæteris hominibus, tu nóſti Domine, ante quem innumera peccata mea confiteor ſupra numerum arenæ maris, & ignorantias meas, & errata totius vitæ. Sed, vt cum fidelibus ſervis tuis Davide & Bernardo finiam, cùm introiero in potentias meas, nolo recordari iuſtitiæ tuæ ſolius: quoniam abyſſus abyſſum invocat: abyſſum luminoſam abyſſus tenebroſa, abyſſum miſericordiæ abyſſus miſeriæ. Sit etiã in qualemcumque gloriam Deiparæ Virginis, & Sanctorum tuorum, præſertim Auguſtini, Anſelmi, & Thomæ; quos potiſsimùm duces habui, & de cætero habere exopto: hoc enixè ab infinita miſericordia tua orans, vt ſemper & vbique dones, & quæ docuerunt, intellectu conſpicere; & quæ egerunt, imitatione complere.

OMNIA SVB CORRECTIONE S. ROMANAE CATHOLICAE ET Apoſtolicæ Eccleſiæ.

IN-

INDEX ALPHABETICVS RERVM, ET VERBORVM MEMORABILIVM,

IN QVO *D.* SIGNIFICAT DISPVTATIONEM, *C.* CAPVT S. ANSELMI, *N.* NVMERVM VNICVIQVE FERE PARAGRAPHO PRAEFIXVM.

A

ABBATIS Ioachimi cenſura in Magiſtrum Sententiarum, eiuſque interpretatio, exploſa in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. d.81. num 21. & ſeqq. Eiuſdem Ioachimi opinio plurimùm diſtat à ſententia Durandi, ibidem.

Abſoluta prædicata in divinis an ſint priora notionalibus, ſeu relativis, & quo ſenſu, d.69.n 33. & ſeqq. Proprietates conſtitutivæ perſonarum divinarum an ſint abſolutæ, an potiùs relativæ, d.79. per totam.

Accidens an poſsit aſſumi immediatè à Deo, d.75.n.94. & 95.

Actiones immanentes, an ſint ſteriles, d.60. n.40. & 41. Actio productiva an ſupponatur ſemper propriori ad relationem, d.80.n.34. & & ſeqq.

Æones conficti à Valentino & Marcione, d.82.n.41.

Æqualitas perſonarum divinarum ſumma, d.73. n.6.7. & 8. Duæ aut tres perſonæ non ſunt aliquid perfectius, quàm ſingulæ, nec eſſentia, quàm vna ex perſonis. Ibid. An cum æqualitate illarũ cohæreat, quòd vnaquæque importet propriam ac relativam perfectionem. Ibid. n. 16. & ſeq vſque ad n. 30. An Filius ſit omnino æqualis Patri ſecundùm dignitatem perſonalem, an potiùs quoddammodo inferior, d 73.n.60. & ſeqq.

Æternitas nullam pluralitatem ſubit in divinis perſonis, d.74.n.25. & ſeqq.

S. Agatho Papa an definierit proceſsionem Spiritus S. ex Filio, d.92.n.

Agathonis Carmina quædam laudata ab Ariſtotele, d.65.n.53.

Ἀγέννητον, & ἀγένητον, differunt ſicuti increatum, & ingenitum: ideoque prius aſſeritur Catholicè de Verbo divino, ſecundum negatur, d.82.n.24. & d 83 n. 44.

Aliquid, prout eſt nomen tranſcendens, an multiplicetur in divinis, iuxta numerum perſonarum, diſp 71. n. 45. & ſeqq.

Alogiani hæretici, quinam, d.57 n 5.

Ambroſius clariſsimus Eccleſiæ Doctor ſæpiſsimè allegatur decurſu Operis. Illuſtris quidam eius locus contra omnes hæreticos Trinitatis hoſtes, d.57. n.22.

Amor an ſit in Deo erga creaturas poſsibiles, iſque neceſſarius, aut liber, diſp 66 per totam. Amor efficax auxiliorum ſufficientium peccatori, an, & quo ſenſu ſit amor ſalutis ipſius, ibid.n.52. & ſeqq. latè.

Amor Patris & Filij, quonam ſenſu dicatur & ſit Spiritus ſanctus, d.86. per totam. Amori divino an conveniat nomen τοῦ ἔρωτος, 16. num. 5.

Amor an rectè probetur in Deo erga ſeipſum ex intelligentia, quâ ſe novit, d.87. per totam. Vbi an ſit poſsibilis creatura intelligens, quæ ſit incapax amandi. Amor cuiuſlibet obiecti neceſſariò ſupponit illius notitiam. Ibid ſect. 3. Amor Patris & Filij, eiuſque magnitudo explanata, ibid. ſect.4.

Angelus an viribus naturæ potuerit cognoſ-

noſcere myſterium Trinitatis, ſaltem probabiliter, d. 51. ſed præcipuè num. 46. An eius natura diſtinguatur reipſa à ſubſiſtentia, d. 75. num. 18. & ſeqq. In Angelis eſt vnica compoſitio ex eſſentia & exiſtentia, in cæteris verò præterea ex materia & forma, diſp. 76. num. 11. & ſeqq. Indè probatur, exiſtentiam creatam non diſtingui reipſa à ſubſiſtentia. Ibidem latè. Angeli in varios ſexus diuiſi putabantur ab Ethnicis, diſp. 82. num. 44.

Anomoei hæretici omnium peſsimi contra myſterium Trinitatis, diſp. 54. num. 14. Quædam illorum inſania reiecta, diſp. 51. num. 2.

Anſelmi innumera teſtimonia allegantur & illuſtrantur toto decurſu Operis, & tertio quoque verbo: vt propterea ſuperacaneum videatur indicem illorum texere.

Anſelmus cenſet, myſterium Trinitatis ſolo lumine naturali non poſſe demonſtrari diſp. 51. num. 13. Qua methodo & ordine illud tradiderit, ibid. num. 47. Qualiter accipienda quædam eius ratio ad probandum Verbum æternum & conſubſtantiale Deo, diſp. 57. num 14 15. & 16. Eius delectatio mira in ſpeculandis & inueniendis veritatibus diuinis, d. 83. n 8.

Antonij Magni viſio admiranda, & certa prædictio Arianæ hæreſeos, d. 55. n. 23.

Apollinarius Hæreſiarcha, quis & qualis genij, d. 54 n. 37. & d. 55. n. 38. Damnatus in I. Synodo Conſtantinopolitana, quòd ſolidam diuinitatem Spiritui S. negaſſet, ibid. num. 39 & ſeqq.

Archimedis delectatio mira in ſpeculandis veritatibus mathematicis, d. 83. n. 8.

Ariſtotelis monitum præ oculis habendum differenti circa res diuinas, d. 51. n. 47. Qualiter loquutus fuerit de mente diuina, d. 52. n. 7.

Arius Hæreſiarcha peſtilentiſsimus aduerſus Trinitatis myſteriũ, quiſnam fuerit, d 54. n. 9. Eius hiſtoria, artes, doli, damnationes variæ in Concilijs, ibid. & ſeqq. latè Summa hæreſeos ipſius, ibid. n. 11. & 12. Scripſit librum vilem & crapulariũ, quem THALIAM inſcripſit, ibid. Eius præcipua hæreſis in varias ſectas diuiſa d. eâdem 54. n. 13. & 24. Ab Orco reuocata ſæculo præced. & à quibus, ib. n. 15. & ſeqq. Damnata in Concilio Nicæno, d. 55. n. 4. & ſeq. latè. Arij teterrima mors, ib. num. 20. Eius conditio, genius, forma, conuerſatio, ac mores, ibid. num. 21. Scripta impura & bacchanalia, ibid. & num. 22. Eius perfidia & execranda hæreſis diuinitus prævisa à Magno Antonio, & prædicta, d. 55. num. 23. ſimiliterque à S. Petro Alexandrino, ibid n. 24 An etiam à Sibylla Erythræa, num. 25. Quot malorum cauſa ille extiterit, n. 26. & 27. Eius blaſphemia contra Verbum diuinum, d. 57 n. 5.

Athanaſij difficilis locus expenditur, diſp. 51. num. 32. & ſeqq. Eius laudes ſparſæ, & loca explanata ſæp ſsimè in decurſu Operis. Defenſor præcipuus Homoûſij, diſp. 54. & 55. Pro Spiritûs ſancti diuinitate & conſubſtantialitate primus è Patribus palam vexilum erexit, d. 55. num. 41.

Auguſtinus laudatur paſsim decurſu Operis eiuſque teſtimonia innumera illuſtrantur. Vide præſertim diſp. 51. num. 47. Ingeniorum aquila, & quo nihil ſublimius inter Doctores. Ibid. Interpretatur quædam Virgilij carmina, quaſi de Chriſto Domino loquutus fuerit, diſp. 53. num. 30. Quid ſentiat de Sibyllis, præſertim de Erythræa, ibidem & n. 31. & n. 47.

Αυτο, vbi præponitur alicui nomini, & componit cum illo, quid ſignificet apud Græcos, d. 83. n. 56.

Autotheani hæretici quinam, & eorum ſenſus atque impugnatio multiplex, d 84. ſect. 3. & 4.

Auxiliorum ſufficientium amor, an ſit amor ſalutis peccatorum, & quo ſenſu, d. 66. num. 52. & ſeqq.

B

BASILIVS Magnus ſæpiſsimè laudatur decurſu Operis, eiuſque plurima teſtimonia explanantur. Qualiter ſe geſſerit circa profitendam Spiritûs ſancti diuinitatem, & quid de illius diſpenſatione ad tempus ſenſerint alij Patres, d. 55. n. 41. 42. 43.

Beatitudo eſſentialis an competeret videnti eſſentiam diuinam ſine perſonis, aut vnam perſonam ſine alia, d. 66. per totam. An illa ſupponatur in perſona Patris pro priori originis ad generationem paſsiuam Verbi, ibid. num. 33. & ſeqq.

Bellarminus Cardinalis doctiſsimus ac pijſsimus ſæpe laudatur in hoc Opere, præſertim in Diſputationibus Dogmaticis contra hæreticos.

Bernardus Eccleſiæ Doctor, verè admirandus, non ſolùm ob inſignem ſanctitatem, ſed etiam propter ſubtilitatem ingenij, cum ſumma eloquentia coniunctam, allegatur, & laudatur ſæpe, præſertim in ijs quæ ſpectant ad Acta Concilij Remenſis ſub Eugenio III.

Beſſarion Cardinalis doctiſsimus, vnus è Græcis Patribus, qui conuenerunt ad Concilium Generale Florentinum, allegatur ſæpe in hiſce Commentarijs: præcipuè, d. 79. n. 10.

Bibliotheca Magna Veterum Patrum editionis Aniſſonianæ anni M.DC.LXXVII. ſæpe allegatur in hoc Opere iuxta ſeriem Tomorum & ſæculorum, in quibus ſinguli ex ijs floruerunt.

Boëtius inſignis Philoſophus ac Theologus, ſæpe laudatur in hoc Opere, præſertim quoad ea, quæ ſcripſit de myſterio Trinitatis.

Bonitas, ſeu perfectio, an conveniat creaturis poſsibilibus, diſp. 66. num. 9. & ſeqq. latè: atque iterum num. 73. & ſeqq.

Bonitas, ſeu perfectio, an ſit triplex reipſa in divinis perſonis, diſp. 73. per totam. Bonitas & perfectio multipliciter vſurpata, ibid. num. 9. & 10. Non multiplicatur in divinis perſonis, ibid. num. 12. & ſeq. latè.

Bruno, alias Leo IX. Papa, Benedictinus, quantæ ſanctitatis vir, & qualiter laceſsitus à Græcis ob aſſertam proceſsionem Spiritus S. ex Filio, d. 90. n. 15.

Bullingerus hæreticus Sacramentarius, Trinitatis impugnator, diſp. 54. n. 20.

Byzantium vrbs terræmotu horribili quatitur, & divinitus ab eo liberatur, diſp. 58. num. 37.

C

CALVINVS An erraverit circa myſterium Trinitatis, diſp. 54. num. 18. & diſp. 58. num. 34. Eius irreligioſa locutio derogans æqualitati perfectæ Patris & Filij ſecundùm divinitatem, diſp. 73. num. 8. An tradiderit hæreſim Autotheanorum, diſp. 83. num. 32. & ſeqq. Duram putat formulam Symboli, *Deum de Deo*, diſp. 82 n. 9.

Catholici qualiter nos gerere debeamus differentes cum infidelibus circa veritatem myſterij Trinitatis, diſp. 51. num. 48. Qualiter differentes & loquentes de Deo vniverſè, diſp. 56. num. 2. & ſeqq.

Cauſa an poſsit comprehendi, non cognitis omnibus effectibus poſsibilibus ipſius, d. 66. num. 12. & ſeqq. itemque num. 19. & ſeqq.

Chriſtianus Lupus in Scholijs ad Concilia ſæpe allegatur, & interdum probatur eius doctrina, aut refellitur.

Chryſoſtomus inſignis Eccleſiæ Doctor ſæpe allegatur, & varia eius loca explanantur decurſu Operis.

Chriſti Domini humanitas caret illa ſubſiſtentia, ſive perſonalitate poſitiva, quam alioqui habuiſſet extra Verbum, diſp. 75. ſect. 2. & ſeqq. Quomodo in eo ſalvetur veritas duplicis naturæ integræ cum proprietatibus vniuſcuiuſque illarum, ſi caruit perſonalitate poſitiva, quam alioqui eſſet habiturus, ibid. ſect. 7. ferè per totam. Quo ſenſu iuxta Patres perſona divina perſonam conſumpſerit, ibid. num. 76. 86. & 87. Humanitas Chriſti cur violenta non ſit, quamvis careat perſonalitate creata, ibid. num. 89. & 90. An reddatur ſubſiſtens à perſonalitate Verbi, prout communiter dicere ſolent Theologi, diſp. 75. ſect. 9. per totam.

Chriſtus Dominus eiuſque vita, miracula, & paſsio, ac vera divinitas, an fuerint à Sibyllis prædicta, diſp 53 latè & ex profeſſo. An etiam à Virgilio, ibid. num. 22. & ſeqq. vſque ad 30. Admiranda quædam Sibyllarum vaticinia de Chriſto, ibid. num. 35. & ſeqq. aliud teſtimonium illuſtre Ciceronis de ipſo ex Oraculis Sibyllarum, ibid. num. 40. Aliud Calpurnij Poetæ, ibid. Ara inſcripta ad Auguſto Cæſare Primogenito Dei Filio, id eſt, Chriſto, ibid. n. 42.

Circuminſeſsio perſonarum divinarum exponitur. diſp. 98 vide infrà verbo περιχώρησις.

Clemens Alexandrinus quid ſentiat de carminibus & oraculis Sibyllarum, diſp. 53. n. 19. & 20.

Cognitio, ex qua procedit Verbum, an ſit intuitio omnium eorum, quæ ſum in Deo formaliter, diſp. 64. per totam. An creaturarum poſsibilium, diſp. 65. per totam. An futurarum, aut exiſtentium, diſp. 67. per totam.

Cognitio intuitiva an debeat ſupponere obiectum exiſtens pro aliquo priori, diſp. 67. num. 23. & ſeqq.

Cognitio comprehenſiva debet terminari ad omnia ea, quæ neceſſariò connectuntur cum obiecto perfectè comprehenſo, diſp. 66. num. 6. & ſeqq. atque iterum num. 12. & ſeqq.

Compoſitio in Angelis vnica eſt, in nobis duplex, d. 76. num. 11. & ſeqq. Subſiſtentia creata verè componit cum eſſentia, ibid. num. 14. & ſeqq.

Compoſitio cur non ſit in Deo, quamvis ſit Trinitas perſonarum in vna natura, diſp. 57. num. 53. & ſeqq.

Comprehenſio cauſæ an debeat attingere omnes illius effectus, d 66 latè.

Concilium Alexandrinum ſub Sylveſtro Papa contra Sabellium & Arium, quid decreverit, diſp. 55. num. 36.

Concilium Antiochenum contra Paulum Samoſatenum quale fuerit, & quàm inſignes Eccleſiæ Patres ipſi interfuerint, d. 54. n. 30. & d. 55. n. 34.

Concilium Aquiſgranenſe, eiuſque controverſia, diſp. 92 num. 23. 30 & ſeqq.

Concilium Bracarenſe I. contra Gnoſticos & Priſcilianiſtas fingentes in Deo plures, quàm tres perſonas, d. 58. n. 5.

Concilia Toletana ſæpe allegantur & explanantur, præſertim, diſp. 91. & 92.

Concilium Nicænum quale, & quantum contra Arium, d. 54. num. 11. Eius Symbolum refer-

refertur & explanatur latè, d. 55. num. 2. & ſeqq. Quanta fuerit vbique ac ſemper eius authoritas, ibid. num. 15. & ſeqq. Quot machinis impetitum ab Arianis, ibid. n. 26. Quantæ veneration i fuerit Concilijs ſequentibus, ibid. num. 17. 18. & 19. Plurima eiuſdem teſtimonia allegantur & illuſtrantur decurſu Operis. Vide præſertim d. 59. num. 34. & 35.

Concilium II. Generale, id eſt, CP. I. definit palam conſubſtantialitatem Spiritus ſancti. diſp. 55. num. 39. 40. & 44. An definierit proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio, d. 91. & 92.

Concilium III. Generale, id eſt, Epheſinum ſæpe allegatur, præſertim in definitionibus contra Neſtorium, diſp. 75. num. 36. & ſeq. ac præterea num. 45.

Concilium IV. Generale, id eſt, Calchedonenſe, definit vnicam in Chriſto perſonam, d. 75. num. 65. atque in ea duas naturas cum ſuis proprietatibus, ibid. num 79. & 81. An definierit proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio. d. 91. num. 14. 22. & ſeqq.

Concilium V. Generale damnat Origenem cum ſuis erroribus, d. 54. num. 5 6. 7. & 8. Acta illius ab Origeniſtis ſepulta, vindicantur, ibid. In eo definitum fuit, vnicam in Chriſto eſſe ſubſiſtentiam, ſive perſonam, diſp 75. num. 65. Probati ab eo ſunt Anathematiſmi S. Cyrilli contra Neſtorium, ibid. n. 74.

Concilium VI. Generale damnat Origenem cum ſuis erroribus, d. 54. num 6. Quædam ipſius decreta adverſus Monothelitas exponuntur, d. 75. num. 63. & ſeqq. Definit in Chriſto duas naturas integras cum omnibus ſuis proprietatibus, ibid. n. 71. Explanatur ibid. num 78. & ſeqq. Quidam eius locus à librarijs vitiatus, corrigitur, d. 77. num. 20. & 21. Alius difficilis objicitur & explicatur, ibid. num. 31. & ſeqq. Quo tempore celebratum, d. 91. num. 30. An in eo fuerit addita Symbolo particula FILIOQVE, 92. num. 13. & ſeqq.

Concilium VII. Generale, id eſt, Nicænum II. definit in vnica perſona Chriſti duas naturas integras & inconfuſas, d 75. num. 70. & 73. Explicatur cum pluribus alijs Conciliorum locis, ibid. num. 78. & ſeqq. Nomine hypoſtaſeos ſemper intelligit perſonam, diſp. 77 num. 12. Plurima alia circa idem Concilium examinantur, diſp 91. & 92.

Concilium Francofordienſe quo ſenſu dicat, perſonam Dei conſumpſiſſe in Chriſto perſonam hominis, diſp. 75. num. 85. 86. & 87.

Concilium Lateranenſe ſub Martino I. can. 9 explicatur, diſp 75. num. 72. 82. & ſequent.

Concilium VIII. Generale an definierit proceſsionem Spiritus S. ex Filio, d. 91 n. 14.

Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. ſæpe allegatur, & varia eius loca explicantur.

Concilium Lugdunenſe ſub Gregorio X. d. 81 90. 91. & 92.

Concilium Florentinum varijs ac pluribus locis allegatur & exponitur: præſertim, d. 79. 80. 81. 90. & 93.

Conciliorum plura & varia loca ſæpe decurſu Operis explanantur, præter ea quæ paulo antè indicata ſunt: præcipuè verò, d 71. ſect. 4. d. 73. ſect. 5. d. 74 ſect. 5. d. 75 ſect. 7. d. 77 ſect 4. d. 78. ſect. 5. d. 79. ſect. 2. d. 81. ſect. 1 3. 4. & 5. d. 91. & 92. per totas.

Concilium in quo primùm definita fuit proceſsio Spiritus S. ex Filio, quale fuerit, d. 91. per totam. Quale etiam, in quo primùm fuit addita Symbolo particula FILIOQVE, d. 92. per totam.

Conſtantini Magni præclarus locus de Sibylla Erythræa, eiuſque prædictionibus, ſimiliterque interpretatio mira quorundam Virgilij carminum, quaſi de Chriſto loquatur, d. 53. num 21. & ſeqq Ob Conſtantini reverentiam Euſebius Cæſarienſis in Concilio Nicæno ſubſcripſit Homouſio, d. 55. num 6.

Conſtantinopolis vrbis, & Imperij Orientalis excidium, quo anno, & quàm ob cauſam acciderit, d 90. num. 17 & d. 92. n 34.

Conſubſtantialitas trium perſonarum, à quibus hæreticis negata, d. 54. per totam. In quibus Cõcilij aſſerta & definita, d. 55 per totam. Demonſtratur ex Novo Teſtamento, d. 59. per totam. An ſit contraria rationi naturali, d 60. per totam. Vide V. HOMOVSION. An Filius Dei ſit conſubſtantialis Patri, veruſque Deus, d. 85 per totam. An etiam Spiritus S. d. 89. per totam.

Contrarium Deo an ſit aliquid in rerum natura, d 75 num. 63 64. 65. & 66.

Creaturæ longè alijs regulis metiendæ & conſiderandæ ſunt, quàm Creator, d 60 ſect. 1. & d. 78. num. 32. cum ſeqq.

Creaturæ veriùs ſunt in ſeipſis, quàm in noſtra mente: veriùs autem in Deo, quàm in ſeipſis, d. 63. ſect. 7 per totam.

Creaturæ futuræ & exiſtentes, an ſint obiectum, ex cuius cognitione Verbum divinum per ſe procedat, d. 67 per totam.

Creaturæ poſsibiles an ſint obiectum per ſe cognitionis, ex qua procedit Verbum, d. 65. per totam. An omnipotentia connectatur neceſſariò cum ijs, ibid. num. 19. & ſeqq. latè. An amentur à Deo, vel neceſſariò, vel liberè, d. 66. per totam. An in ijs ſit aliqua bonitas aut perfectio, ibid. num. 9. & ſeqq. latè, atque iterum, num. 73. & ſeqq.

Cre-

Crellius recens hæreſiarcha in Polonia, iuratus hoſtis myſterij Trinitatis, diſp. 54. num. 20. Scripſit hoc ſæculo librum erroribus & cavillis plenum, ibidem. Eius cavilli & ſophiſmata contra myſterium Trinitatis obijciuntur & ſolvuntur, diſp. 60. ſect. 4. per totam.

Cybele mater deorum omnium & dearum putata ab Ethnicis, diſp. 82. num. 44. Vetus inſcriptio & ara grandis ipſi dicata, haud pridem inventa Lectorij in Gallia, ibid.

Cyrillus Alexandrinus ſæpiſsimè allegatur, & illuſtrantur decurſu Operis plurima loca eius ſanctiſsimi Doctoris. Præfuit Concilio Generali Epheſino, diſp. 75 num 74. Anathematiſmi illius contra Neſtorium probati ſunt in Quinta Synodo Generali, ibid. Qualiter eius Epiſtolæ Synodicæ, & Anathematiſmi, approbationem obtinuerint in varijs Concilijs, diſp. 91. num. 14 & poſtea num. 22. cum ſeqq.

Cyrillus Hieroſolymitanus, Doctor excellens, ſæpe allegatur, & varia eius loca vrgentur contra hæreticos præcipuè.

D

DAMASCENVS Clariſsimus Eccleſiæ Doctor, ſæpe allegatur & explanatur varijs locis. Vindicatur à ſuſpicione quadam Petri Pithœi, & aſsignatur tempus, in quo obijt Sanct. Doctor, diſp. 92. num. 30. Non conſtat, ipſum negaſſe proceſsionem Spiritus ſancti à Filio, ibid.

Damaſus Papa an definierit proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio, & iuſſerit eam additionem fieri Symbolo, diſp. 92. num. 10. & 11.

Decretum aliquod an ſit in Deo vagum, diſp. 67. num. 8. & ſequent. An decretum, cui innititur ſcientia libera Dei, ſupponat in aliquo priori Verbum divinum adæquatè productum, ibidem num. 67 & ſeqq. latè.

Dei vnitas contra Tritheitas hæreticos aſſeritur, diſp. 59 num. 2. & ſeqq.

Deo quænam nomina conveniant, & qualiter accipienda ſint, præſertim circa myſterium Trinitatis, diſp. 56. num. 8. & ſeqq. latè. Deo quæ nomina conveniant in numero plurali, ibid. num. 18. & ſeqq. Quænam propoſitiones poſsint de illo proferri, aut non poſsint circa myſterium Trinitatis, diſp. 56. num. 22. & ſeqq. latè vſque ad finem diſputationis.

Deo an de facto ſint nunc aliqua poſsibilia, quæ poſtea non erunt poſsibilia, d. 65. num. 52. & ſeqq.

Deum metiri velle humanis rationibus, eſt Deum verum negare, diſp. 56 num 6.

DEVS EX DEO, locutio præſcripta in Symbolo Nicæno, recta & Catholica, diſp. 55. numero 5. Contraria Arianis & dura viſa Calvino, ibidem. Stabilitur iterum contra Sabellium & Arium, diſp. 82. per totam.

Deus, vt vnus, an ratione naturali evidenter, aut ſaltem probabiliter cognoſci poſſit ab intellectu creato, diſp. 51. per totam. De Deo quàm verecundè ac modeſtè loqui debeamus, ibid. num. 47. & diſp 56. num. 2. & ſeqq.

Deus vnus an ſubſiſtat in tribus perſonis reipſa diſtinctis, diſp. 57. per totam. An in Teſtamento Veteri revelaverit myſterium Trinitatis, diſp. 58. per totam. An in Novo, diſp. 59. per totam. Deum eſſe vnum in eſſentia & trinum in perſonis, an ſit contra rationem naturalem, diſp. 60 per totam. Deus eodem Verbo dicit ſeipſum & creaturas, d. 63. ſect 5. An amet creaturas poſsibiles, diſp. 66. per totam. An videri poſsit vt vnus, quin etiam vt trinus, diſp. 68. per totam.

Deus an admittat multiplicationem realem prædicatorum tranſcendentium in tribus perſonis, diſp 71. per totam An triplicem veritatem, diſp. 72. per totam An triplicem bonitatem, aut perfectionem, diſp. 73. per totam. An vnicam exiſtentiam abſolutam, & tres relativas, diſp. 74. per totam. An ſubſiſtat per ſubſiſtentiam aliquam abſolutam & communem pro priori ad perſonas, diſp. 77. per totam. An per triplicem ſubſiſtentiam relativam, 78. per totam.

Deum velle metiri rationibus humanis, ſpecies eſt atheiſmi, diſp. 56. num. 6.

Deus cur in teſtamento Veteri non revelaverit expreſsè myſterium Trinitatis, ſed ſub obſcurè tantùm, variæ rationes, diſp. 58. num. 7. & ſeqq. vſque ad 12.

Diana ab Ethnicis mas & fœmina exiſtimata, diſp. 82. num. 43.

Dicere quid ſignificet, & quo ſenſu accipiatur in divinis, diſp. 62. num. 60. & ſeqq.

Didacus Ruiz de Montoya, vir doctiſsimus, & valde verſatus in lectione Conciliorum & Patrum, allegatur ſæpiſsimè in Opere de Trinitate, eiuſque opiniones, aut probantur, aut reſpuuntur.

Dignitas an multiplicetur relativè in tribus perſonis divinis. diſp. 73. num. 25. & ſequent.

Didymus præceptor Sanct. Hieronymi, laudatur ſæpe in Opere de Spiritu ſancto. Extat apud Biblioth. Magnam Aniſſonianam Tomo IV. Sæculo IV.

Dionyſius Areopagita ſanctiſsimus & profundiſsimus rerum divinarum ſcriptor, ſæpe allegatur & explanatur decurſu Operis.

Dionyſius Petavius, vir eruditiſsimus, ſæpiſsimè allegatur, & laudatur: ſæpe etiam impugnatur, præſertim, diſp. 52. ſect. 3. & d. 77 num. 16. ac ſeqq. & diſp. 78. & num. 48. & ſeqq.

Diſtinctio eſſentiæ à perſonis divinis quænam ſit, aut non ſit, diſp. 73. num. 2. & 3. Non poteſt à relationibus differre tanquam res à modis, diſp. 81. num. 47.

Diſtinctio virtualis intrinſeca eſſentiæ divinæ à perſonis & relationibus, aptiſsima eſt ad ſolvendum argumenta hæreticorum contra myſterium Trinitatis, diſp. 60 ferè per totam.

Diſtinctio realis inter ſpirationem activam & paternitatem, à Durando excogitata, reijcitur latè, diſp. 81. ſect. 3. & ſeqq.

Diſtinctio realis perſonarum in divinis nequit oriri ex oppoſitione relationum diſparata, ſed ſolùm ex relativa fundata in origine vnius ab alio, diſp. 93 ſect. 3. & 4. latè.

Diſtinctio ſexuum in divinis conficta à quibuſdam hæreticis, & frequenter à Gentilibus, memoratur & explodituꝛ, diſp. 82. num. 41. & ſeqq.

Durandus exiſtimans, rationem Verbi in divinis eſſe eſſentialem, & ſolùm convenire Filio Dei per appropriationem quandam, refutatur latè, diſp 62. per totam. Idipſum de ratione Imaginis probatur latè contra illum, diſp. 70. per totam. Eius opinio de reali indiſtinctione ſubſiſtentiæ à natura creata, reijcitur latè, d. 75. Diſtinctio realis ſpirationis activæ à paternitate & filiatione, ab ipſo etiam tradita, reijcitur latè, diſp. 81. ſect. 2. & ſeq. An ea opinio differat ab errore tributo Abbati Ioachimo, ibid. num. 21. & ſeqq. Alia eius opinio circa principium proximum divinarum proceſſionum, reijcitur latè, diſp. 88. per totam.

Duratio in divinis vnica & abſoluta, diſp. 74. num. 25. & ſeqq. An exinde colligatur, exiſtentiam quoque eſſe vnicam & abſolutam, ibidem.

Duratio creata an diſtinguatur à re durante, vel ab illius exiſtentia, d. 74. n. 31.

E

EBIONIS Hæreſis antiqua, d 54. n. 28. Ebionitæ recentes hæretici in Polonia, qualiter ſentiant contra myſterium Trinitatis, d. 54. n. 20.

Effectus formalis proprius ſubſiſtentiæ creatæ, quiſnam ſit, d. 75. ſect. 5. & ſeqq.

Ens, ſive entitas, an ſit triplex reipſa in divinis iuxta numerum perſonarum, diſp 71. n. 18. & ſeqq.

Epiphanius clariſsimus Eccleſiæ Doctor, & malleus hæreticorum, allegatur ſæpe & explanatur decurſu Operis.

Era non ſemper accipitur in Concilijs Toletanis pro Cæſarea, ſed quandoque pro Chriſtiana, d. 91 n. 27.

Eraſmus an erraverit circa myſterium Trinitatis, d 54. num. 19. Proferuntur varia illius loca, quibus videtur favere Arianis, ibid. & d. 58 num. 8. Notatur quòd maluerit initio Evangelij Ioannis vertere, *In principio erat Sermo*, quàm *Verbum*, d. 61. num. 47. Hæretici eam ipſius verſionem probarunt, ibid. Redarguit morem Eccleſiæ edificantis Baſilicas in memoriam Martyrum, d. 87. n. 15. Reijcitur, ibid. Fallitur aut fallit, dum inquit, Veteres non fuiſſe auſos Spiritum S. appellare Deum, d 89 n. 9.

Erat, vox emphaſi plena ad redarguendos hæreticos Verbi divini hoſtes, diſp. 57 num. 22.

Erythræa Sibylla quænã oracula de Chriſto ediderit, & qualiter ea exponantur à Conſtantino Magno, & Auguſtino, diſp. 53. num. 21. & ſeqq. 30. & 31. An prædixerit hæreſim Arij d. 55. num. 25.

Ἔρως an ſit nomen congruum Amori divino, ſeu Spiritui ſancto, d. 86. n. 5.

Eſſentia divina an poſsit videri non viſis relationibus aut perſonis, diſp 68. per totam. Sita eſt in ratione entis à ſe, ſive per eſſentiam, diſp. 74. num. 6. & ſeqq Denominatur οὐσιὰ Græcè ἀπὸ τοῦ εἶναι, ſicuti *eſſentia* Latinè ab *eſſe*, ibid. n. 10. Eſſentiæ vnitas in tribus perſonis divinis, à quibus hæreticis fuerit impugnata, diſp. 54. per totam. In quibus Concilijs definita, diſp 55. per totam. Illius ſubſiſtentia in tribus perſonis reipſa diſtinctis aſſeritur diſp 57. per totam. An tradita in Veteri Teſtamento, diſp. 58. per totam. An in novo, diſp. 59 per totam. An ſit contra rationem naturalem identitas illius in tribus perſonis, d. 60 per totam.

Eſſentia creata differt reipſa ab exiſtentia, d. 76 num. 20.

Eſſentiare & eſſentiator an poſsit dici Pater: ſicuti & Filius eſſentiari & eſſentiatus, d. 84. num. 23 & ſeqq.

Ethnicorum fabulæ de generatione deorum & dearum indicatæ ac reiectæ, diſp 82. num. 44. & ſeqq.

Eunomius Hæreſiarcha Anomæorum anteambulo, varijs locis refellitur. Eius ſuperbia à

bia à Baſilio deſcripta & reprehenſa, diſp 56. num.7.

Euſebius Cæſarienſis fautor Arianæ hæreſeos, illam docet pluribus locis, d. 54. n.14. Vocē HOMOVSION in Nicæno admiſit ob reverentiam Conſtantini Magni, ſed poſtea impugnavit, d.55 n 6.

Euſebius Nicomedienſis ſignifer peſsimus Arianorum, atque Arij ipſius protector, d.55. n.6. Quam præpoſterè interpretaretur Scripturam loquentem de divinitate Filij, & tradente, illum eſſe ὁμοούσιον Patri, d. 59. n. 13. & 14. Refellitur, ibid.n.15. & ſeqq.

Eutyches profiteri ſe dicebat doctrinam Synodorum Nicænæ, & Epheſinæ, negabat tamē id quod traditum fuerat in Conſtantinopolitana, & cur diſp 92. n.30.

Eymericus notat erroris in plurimis articulis Raymundum Lullium d.51 n.3. & ſeqq. latè. Accuſatur à multis, velut impoſtor & falſarius, ibid. num.7. Vindicatur ab ea nota, num. 9.

Exiſtentia vna abſoluta, & triplex relativa an ſit in divinis, d 74. per totam. Exiſtentia ſubſtantiæ creatæ an differat reipſa à ſubſtantia, vel hypoſtaſi, d 76 per totam.

Exiſtentia relationis, tam divinæ, quàm creatæ, an ſit abſoluta, d. 74. ferè per totam, ſed ſpeciatim, n. 38. & ſeqq. ac num. 51. & ſeqq.

Exiſtentia creata diſtinguitur reipſa ab eſſentia, d 74.n.46.

F

FABVLÆ Portentoſæ in Deo excogitatæ à Valentino Hæreſiarcha antiquiſsimo apud S. Irenæum, d.61. n. 30. Eaſdem amplexi ſunt Marcion, Secundus, Ptolomæus quidam, & Marcus, d.82. num.41. Refutantur, ibid à num 42.

Fauſtinus allegatur lib. contra Arianos edito in Magna Bibloth. Tomo V. Sæculo IV.

Felicitas an poſsit odio haberi, diſp. 66. num.107.

Felicitas, ſeu beatitudo eſſentialis an eſſet in viſione eſſentiæ divinæ ſine perſonis, aut vnius perſonæ ſine alia, d.69. per totam. An illa intelligatur perfecta quoad eſſentialia in Patre pro priori originis ad Filium, ibid.n.33. & ſeqq.

Filiatio quonam ſenſu conſtituat perſonam Filij Dei, d. 80. n. 61. & ſeqq. An differat reipſa à ſpiratione activa, d. 81. ſect. 3. & ſeqq.

Filius Dei an cognitus à Philoſophis Gentilibus, d. 52 ferè per totam. An prædicatus Oraculis Sybillarum, d. 53. per totam. Quinam hæretici negaverint divinitatem Filio, ſeu Verbo Dei, diſp. 54. latè. In quibus Conciljs definita fuerit eius divinitas ſolida contra eoſdem hæreticos, diſp. 55. ſect. 1 2. & 3 An ſit perſona ſubſiſtens & diſtincta à reliquis duabus, d.57. ſect 1.2. & 3. An revelatus in Veteri Teſtamento, diſp.58. latè. An in Novo, diſp.59. latè. An eius identitas cum Patre in natura, & realis diſtinctio in perſona, ſit contraria rationi naturali, diſp. 60. per totam.

Filius Dei, ſive Verbum, per quam locutionem procedat, & plura alia ad Filium ſpectantia, vide ſub nomine VERBI in hoc ipſo Indice. An æquè dici poſsit ſermo, ac Verbum Patris, diſp 61. num. 45 & ſeqq An ſit imago Patris verè ac propriè, diſp. 70. per totam.

Filius an aſſumpſerit naturam humanam cum omni entitate & modo poſitivo, quem alioqui illa haberet, ſi ſubſiſteret extra Verbum, diſp. 75. latè ſed præcipuè ſect 7. & 8. An reddiderit ſubſiſtentem illam, & quo ſenſu, ibid. ſect 9.

Filij perſona quo ſenſu conſtituatur & diſtinguatur à cæteris per rationem filiationis, d.80. n.61. & ſeqq.

Filius in divinis an propriè dicatur, & cur potiùs, quàm filia, diſp. 82. ferè per totam. Filij realitas & appellatio veriſimè convenit Verbo divino, ibid. latè.

Filius in quo conveniat cum Patre, & ab eo differat, diſp.83. per totam. Eſt Patris eſſentia, ſapientia, & vita, quo ſenſu, ibid.ſect. 2. An ſit Autotheos, aut ex mente Anſelmi, aut reipſa, diſp. 84. latè. Quinam hæretici Filium Dei appellaverint Autotheon, & quo ſenſu, ibid. An dici poſsit eſſentiatus Patre, tanquam ab eſſentiatore, diſp. 84. n.22. & ſeqq. Eſt perfecta intelligentia, ſcientia, ſapientia, & veritas paternæ ſubſtantiæ, d. 85. n.29. & ſeqq. Eſt intelligentia intelligentiæ, & veritas veritatis, ibid num.35. & ſeqq. Eſt intelligentia & ſapientia memoriæ, ibid. num. 73 & ſeqq.

Filius An ſit verè Deus, & homouſios, ſive conſubſtantialis Patri, d.85 per totam. Demonſtratur ſententia Catholica ex ſacris litteris contra Origenem, & Arium, ibid.n.3. & ſeqq. latè. Ex proprietatibus quoque divinitatis, quas Scriptura tribuit Filio Dei, ibid. n. 10. & ſeqq. Eſt perfecta intelligentia & ſapientia memoriæ, & memoria Patris, d.85. ſect. 3. & 4. vbi plura & varia.

Filius an procedat à Patre per intellectum, d.88. ferè per totam.

Filius an ſimul cum Patre ſit principium productivum Spiritus ſancti, d.90. per totam

Sententia affirmans, in quo Concilio Generali aut Provinciali fuerit primùm definita ab Eccleſia, ibid ſect. 2. & ſeqq. latè.

Filioque particula Symboli, quando primùm fuerit ipſi addita, d. 92 per totam.

Filius quo ſenſu iuxta Patres dicatur procedere naturâ, non voluntate, d. 88. n. 40. & 41.

Fœminæ vt plurimum, aut ferè ex toto ſunt minores & imbecilliores maribus, d. 82. n. 47. & ſeqq. Sunt cauſa minùs præcipua generationis, quàm mares, ibid. n. 50. & ſeqq.

Fœmineus ſexus nullum habet in divinis locum, quidquid contrà deliraverint aliquot hæretici, & Gentiles, relati ac reiecti, d. 82. n. 41. & ſeqq.

Franciſcus Davidis hæreticus recens Arij ſectator d. 54 num. 15.

Futura contingentia an ſint obiectum, ex cuius cognitione Verbum divinum per ſe procedat, d. 67. per totam. Decretum, cui innititur ſcientia futurorum libera, an ſupponat pro aliquo priori Verbum divinum adæquatè productum, ibid. n. 67. & ſeqq. latè.

G

GARSIAS Loyſa, doctiſsimus Interpres Conciliorum Hiſpaniæ laudatur ſæpe, & nonnunquam impugnatur decurſu Operis: præſertim, d. 91. & 92.

Genebrardus Archiepiſcopus Aquenſis, Vir ſummus, laudatur ſæpe in decurſu Operis. Quid ſentiat de Origene, d. 54 n. 33 Qualiter Authoreanos hæreticos refellat, d 83. ſect. 3. & 4. latè.

Generatio Verbi ratione naturali quàm ſuperior & inacceſſa ſit, d. 51. n. 14. An & quomodo liceat Theologis de illa diſſerere, d. 56. n. 16. & 17.

Generatio activa an vllo modo conſtituat perſonam Patris, d. 80. ſect. 1. An connectatur intrinſecè cum ſpiratione activa, d. 81. n. 63. & ſeqq.

Generationis divinæ veritas & proprietas ſtabilitur ex ſacris litteris contra Arianos, Sabellianos, Mahumetanos, & Iudæos, d. 82. per totam. Vbi plura & varia, etiam circa fabulas Gentilium. Generatio divina agnita à Caldæis & Hebræis ſapientibus, d. 82. n. 36. Tradita à ſapientioribus Rabbinis, ibid & n. 37. ac 38. Quomodo ſit vera generatio in divinis, vbi nulla eſt mater. Obiectio ſtupida Mahumetanorum ſoluta, d. 82. n 44. & ſeqq. Cur in divinis non ſit mater, ſed Pater, in ordine ad æternam generationem, ibid. n. 47. & ſeqq.

Generationis Verbi, & proceſſionis Spiritus ſancti diſcrimen, an liceat perveſtigare, d. 94. per totam. Qualiter exponatur ab Anſelmo & alijs Patribus, d. 95. per totam. Explicatur & defenditur latè, ibid. Quomodo alij Theologi illud exponant, & eorum impugnatio, d 96 per totam.

Geneſius Sepulveda Theologus Cordubenſis, Philoſophus eruditiſsimus iuxta ac eloquentiſsimus, in Antapologia adverſus Eraſmum laudatur, d. 59. n 8.

Geniorum in vtrumque ſexum diſtinctio ab Ethnicis conficta, indicatur & reijcitur, d. 82. num. 44.

Georgius Blandata hæreticus, qualiter erraverit circa myſterium Trinitatis, d. 54. n. 5.

Gilberti Porretani Epiſcopi Pictavienſis doctrina quædam circa diſtinctionem realem eſſentiæ divinæ à perſonis, damnata in Concilio Rhemenſi ſub Eugenio III. d. 81. n. 24. & 48. & d. 33. n. 23. 24. & 25.

Gnoſticorum hæreſis addens in divinis perſonis ſupra ternarium numerum, refertur, & refutatur, d. 58. n. 5.

Græci negantes proceſsionem Spiritus S. ex Filio, refelluntur, diſp 90. Quinam fuerint, & quonam tempore vixerint, ibid. ſect. 2. per totam. Quando primùm, ſeu in quo Concilio Generali aut Provinciali primùm fuerit contra illos definita proceſsio Spiritus S. ex Filio, d. 91. per totam. Quando primùm fuerit contra illos adiecta Symbolo particula Filioque, d. 92. per totam. Illorum excidium & ſervitus ſub iugo Othomano in pœnam ſchiſmatis eorum, d. 91 n. 19. & d. 92. n. 34.

Gregorius I. Papa cognomento Magnus, ſanctiſsimus iuxtà ac ſapientiſsimus, laudatur ſæpe in decurſu Operis.

Gregorius X. definivit in Concilio Lugdunenſi proceſsionem Spiritus ſancti ex Patre & Filio, tanquam vnico principio, &c. d. 81. n. 46. & ſeqq. An id fuerit primum Concilium Generale, in quo ea veritas fuit definita: d. 91. per totam. An etiam fuerit, in quo primùm addita fuit Symbolo particula *Filioque*, d. 92. per totam.

Gregorius XI. an damnaverit plures articulos Raymundi Lullij, d. 51. n 5. & ſeqq.

Gregorius Nazianzenus, cognomẽto Theologus, ſæpiſsimè allegatur in progreſſu Operis. Illuſtris eius locus ad exponendum, cur Deus in Veteri Teſtamento expreſsè non revelaverit myſterium Trinitatis, d. 58. n. 12.

Gregorius Nyſſenus inſignis Eccleſiæ Doctor, varijs locis allegatur, & explanatur.

H

HÆRETICI contrarij myſterio Trinitatis, quinam fuerint, d. 54 55. 56. 57. 58. per

58 per totas. Vbi de ſingulis, aut ſaltem præcipuis eorum nominatim, ac ſæpiùs in decurſu Operis. Illorum omnium genius ad vivum ferè depictus ab Alexandro Alexádrino in Actis Nicænæ Synodi, d. 58 n. 12. Illorum ſophiſmata & cavilli adverſus Catholicam de Trinitate doctrinam, objiciuntur & enodantur decurſu Operis: præcipuè verò, d. 60. per totam. Errant dum non diſtinguũt inter naturam & hypoſtaſim, d. 75. n 9. Vide præterea in hoc ipſo Indice ſingulorum hæreticorum ex præcipuis nomina, & impugnationes plurimas toto Opere ſparſas.

Hermaphroditus Deus confictus ab Hæreſiarchis Valentino & Marcione, memoratur ac reijcitur tanquam fabuloſus, d. 82. n 41. & ſeqq. Hermaphroditi dij Ethicorum deriſi, ibid.

Hieronymus Doctor Maximus laudatur ſæpiſsimè. Eius iudicium de Origene & Ruffino, d. 54. n. 3. Eius tranſlatio in quodam loco 1. Epiſtolæ Ioannis cap. 5. oſtenditur adverſus hæreticos cohærens ſacro textui Scripturæ, & antiquiorum Patrum lectioni, d. 59. n. 30. & ſeqq.

Homoeuſion vocabulum Semi Arianorum, quo profitebantur, Filium eſſe ſimilem in ſubſtantia Patri, non autem ipſi conſubſtantialem, d. 55. n. 6. Penes litteram vnam diſsidebant toto cœlo Ariani à Catholicis, ibid.

Homoũſion vox, quaſi teſſera Religionis Catholicæ, diſtinguens illã ab omnibus Arianorum ſectis, ſæpe exponitur decurſu Operis. Statuta in Symbolo Concilij Nicæni, impetita ab Arianis, & Luthero exoſa, d 55 n. 28. & ſeqq. An fuerit à Patribus Nicænis adinventa, ibid. n. 29. 30. & 31. A Sanctis Doctoribus celebrata, n. 32. & 33.

Homouſij veritas ex Novo Teſtamento latè probata adverſus hæreticos Arianos & Tritheitas, d. 59. per totam. An contraria ſit rationi naturali, d. 60 per totam. Spiritum S. eſſe pariter homoũſion, ſive conſubſtantialem Patri, d. 89 per totam.

Humanitas aſſumpta à Verbo an retineat omnia prædicata realia & poſitiva, quæ haberet, ſi ſeorſim à Verbo exiſteret, d. 75 ſect. 2. 3 4 7. & 8. Quid in ea ſuppleat Verbum divinum, & ſub qua ratione formali, d 76. n 49. & ſeqq. Penes quodnam prædicatum Verbi fuerit ipſi vnita, d 78. num. 50. & ſeqq.

Hyparxis apud Græcos, quid ſignificet, d. 74. n. 43. & 44.

Hypoſtaſis quid propriè ſignificet, d 75. n. 3. Olim à Patribus aliter atque aliter accipiebatur: poſtea verò ab omnibus ijs pro ſuppoſito, ſive perſona vſurpata fuit, ibid. An ſignificet idem omnino, ac ea, quam Latini dicunt ſubſtantiam, & multiplex huius acceptio, dip. 77. num. 36. 37. & ſequent.

Hypoſtaſes, ſive perſonæ tres ſubſiſtentes in divinis aſſeruntur contra plures hæreticos, d. 57. per totam.

Hypoſtaſis, ſive ſubſiſtentia, an ſit aliquid poſitivè diſtinctum & ſuperadditum naturæ ſubſtantiali creatæ, d. 75. per totam. Aliter vſurpatur apud Concilia & Patres, aliter apud Scholaſticos, ibid. n. 82. & d. 77. n. 10. 11. & 12. Hypoſtaſis accepta pro ratione formali ſubſiſtendi, an ſit abſoluta & communis in Deo, d. 77. per totam. An præterea triplex relativa, d 78. per totam. Qui triplicem volunt, & innituntur authoritati Conciliorum in id probantur, hallucinantur, ibid. n. 38. & ſeqq.

Hypotheſes impoſsibiles an vtiliter præmittantur in quibuſdam controverſijs, ad aliquid aliud examinandum, d. 93. ſect. 1. latè. Sic vtiliter veſtigatur, An ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, diſtingueretur reipſa ab illo, ibid.

I

IDACIVS Clarus, natione Hiſpanus, allegatur ſæpe in libro cõtra Varimadum Arianum, vbi exponit difficilimas de Trinitate quæſtiones. Habetur recuſus in Biblioth. Magna Aniſſoniana Tomo V. Sæculo IV.

Identitas perſonarum divinarum in ſubſtantia, eſſentia, & natura, ac realis diſtinctio in perſonis, an poſsit naturaliter demonſtrari, d. 51. per totam. An fuerit nota Gentilibus Philoſophis, d. 52. per totam. An à Sibyllis decantata, d 53. per totam. A quibuſnam hæreticis negata fuerit, d. 54. per totam. In quibus Concilijs definita, d. 55 per totam. Qualiter circa illam ſit loquendum, d. 56. per totam. Qualiter probanda contra hæreticos, d. 57. An conſtet ex Veteri Teſtamento, d. 58. per totam. An ex Novo, d. 59. per totam. An ſit contraria rationi naturali, d. 60. per totam. Qualiter probetur ex veritate locutionis divinæ, d. 61. per totam. Explanatur & confirmatur ſæpiſsimè aliàs in decurſu Operis, & præſertim, d. 83. per totam.

Imago an in divinis inveniatur verè & propriè, ac ſoli Filio coveniens, d. 70 per totam.

Incommunicabilitas eſt de ratione ſuppoſiti & perſonæ, d. 76. n. 22. & ſeqq. Non autem de ratione ſubſiſtentiæ per ſe ac præcisè ſpectatæ, d 78. n. 29. & ſeqq. Incommunicabilitas triplex non ſufficit ad veram Trinitatem perſonarum, niſi præterea addatur triplex forma poſitiva, ibid. n. 51. & ſeqq. Quænam ea ſit, ibid. n. 61. & ſeqq.

Indi novi Orbis an habuerint aliquam Trinitatis notitiam, antequam myſterium ipſum prædicaretur ijs ab Hiſpanis hominibus, d. 52. n. 16.

Innaſ-

Innaſcibilitas an conſtituat perſonam Patris in divinis, d. 80. ſect. 3. per totam.

Intellectio an diſtinguatur reipſa à verbo mentis, ſive ſpecie expreſſa, d. 62. n. 9. 10. & 11. ac n. 61. & ſeqq.

Ioachimus Abbas miſtrè interpretatus eſt ſententiam Catholicam Petri Lombardi de vnitate eſſentiæ, & Trinitate perſonarum, d. 81. n. 21. & ſeqq. An opinio eidem Abbati adſcripta differat à ſententia Durandi diſtinguentis reipſa ſpirationem activam à Paternitate & filiatione, ibid.

S. Ioannes Damaſcenus ſæpe laudatur & allegatur. Honor ipſius vindicatus, & tempus mortis indicatum, d. 92. n. 30.

Ioſephi Hebraicarum rerum celebris Hiſtoriographi celebre teſtimonium de corruptiſſimis moribus Iudæorum, cum à Romanis oppreſſi ſunt, d. 82. n. 38.

Ioſias Simlerus Calvinianus notatur, d. 83. num. 33.

Irenæi Sanctiſſimi Doctoris & Martyris, plura teſtimonia allegantur & explanantur in progreſſu Operis. Quidam difficilis eius locus expenditur, d. 57. n. 24. & ſeqq.

Irrationalis natura an poſsit Deo hypoſtaticè vniri, d. 78. n. 63. & 64.

Iudæi negantes myſterium Trinitatis impugnantur ex varijs teſtimonis Veteris Teſtati, d. 58. per totam. Inſuper ex confeſsione Rabbinorum præſtantium, d. 82. n. 36. 37. & 38. Nonnihil de illorum duritie ac perfidia & de corruptiſsimis illorum moribus à tempore mortis Chriſti, donec à Romanis oppreſsi & ad nihilum redacti ſunt, ibid.

Iuſtini Philoſophi ac Martyris memorabilis narratio circa Sibyllam olim Cumis oraculà edentem, d. 53. n. 16. & ſeqq.

Iuſtinianus Imperator allegatur ſæpe in Confeſsione Fidei ipſius, quæ habetur inter Acta Quintæ Synodi Generalis. Vide ſpecialim, d. 77. n. 36. & d. 81. n. 31.

L

LAMBERTVS Danæus Synagogæ Genevenſis miniſter, blaſphemus in SS. Trinitatem, d. 58. n. 4. Reijcitur latè ex Veteri Teſtamento, ibid. & ſeqq.

Laurentij Vallæ latinitas nimia & affectata, reſpuitur, d. 83. n. 12.

Leo III. Papa fecit in lamina argentea exarari Symbolum CP. ſine particula *Filioque*, d. 92. n. 15. Ipſius reſponſum ad Legatos Caroli Magni, ibid. n. 23. Qualiter intelligendum, ibid. num. 30. & ſeq.

Leo IX. Pontifex qua ſanctitate præditus, & quibus cœleſtibus prodigijs honoratus, d. 90. n. 15. audacia Græcorum contra illum, ibidem.

Λέξις & λόγος in quo differant, diſp. 61. num. 29.

Libertas ad amandum aut non amandum creaturas poſsibiles, an ſit in voluntate divina, d. 66. ſect. 2. 3. & 4.

Locutio, per quam proceſſit Verbum divinum, quænam ſit, d. 61. per totam.

Locutio an ſit propriè inter divinas perſonas, d. 62. n. 54. & ſeqq.

Λόγος qualiter de Filio Dei accipiatur apud Scripturam & Patres, d. 57. n. 10. 11. & 12. Varia quoque & multiplex eius acceptio, d. 61. num. 44. & ſeqq.

Loquutiones quænam vſurpandæ ſint, aut potiùs reſpuendæ, circa myſterium Trinitatis, d. 57. per totam.

Luna ab Ethnicis ſidus hermaphroditum putata, d. 82. num. 43.

Lutherus hæreſiarcha teterrimus, an contradixerit myſterio Trinitatis, d. 54. n. 15. 16. 17. & d. 58. n. 4.

M

MACEDONII hæreſis contra divinitatem Spiritûs ſancti, d. 55. n. 37. Proſcripta ab Eccleſia in Concilio II. Generali, ibid. n. 38. 39. 40. & 44. Impugnatur latè, d. 89. per totam.

Macrobij teſtimonium, in quo videtur Trinitatis myſterium attigiſſe, d. 52. n. 8.

Magiſter Sententiarum ſæpiſsimè allegatur & laudatur in hoc Opere. Eius illuſtre elogiũ in Concilio Lateranenſi, præſertim contra cenſuram Abbatis Ioachimi, d. 81. n. 21. & ſeqq. ac maximè n. 26.

Magnitudo an multiplicetur in divinis perſonis, d. 73. n. 25. & ſeqq.

Mahumeti, & gregalium, obiectio ſtupida & belluina contra veritatem generationis divinæ, indicatur & ſolvitur, d. 82. num. 44. & ſeqq.

Marcionis hæretici deliramenta quædam memorantur, & reijciuntur, d. 82. num. 41. & ſeqq.

Marcus Epheſius noluit ſubſcribere Concilio Florentino circa proceſsionem Spiritus S. ex Filio, d. 90. n. 10. Eiuſque ductu Græci ad ingenitum ſuum reverſi ſunt, ibid.

Maria Virgo non ſolum Chriſtipara, ſed verè Deipara creditur & dicitur contra impiũ & blaſphemum Neſtorium. d. 75. n. 45.

Mares an fortiores & maiores, quàm fœminæ, d. 82. n. 47. & ſeqq. Sunt potior aut principalior cauſa generationis, ibid. n. 50. & ſeq.

Maximila pſeudo prophetiſſa, quænam, d. 54. num. 32. Tertullianus fidem ille præſtans, erravit, ibid.

Mens divina, quænam apud Platonem, diſp 52. num 6. 11. & ſequent. 33. & ſeqq.

Mercurius Trimegiſtus an myſterium Trinitatis agnoverit, d. 52. n. 3. & ſeq. Quo tempore ille floruerit, & an à Moyſe diſcere potuerit Trinitatis myſterium, ibid. n. 19. & ſeqq. latè. An fuerit verus author Pimaudri, & eorum teſtimoniorum de Trinitate, quæ ipſi frequenter tribuuntur, opinio negans Petavij, diſp 52 n. 21. & 22 Impugnatur, ibid. n. 23. & ſeqq. Eius teſtimonia videntur cohærere veritati myſterij Trinitatis: ſecus verò teſtimonia aliorum Gentilium Philoſophorum, d. 52. num. 29. & ſeqq. latè. An Moyſe antiquior, ibid. n. 19. 24. & 25.

Michael Servetus inſtaurator hęreſeon antiquarum, præſertim adverſus Trinitatem, quis, & quales eius errores, d. 54. n. 15. Vivus exuſtus Genevæ ob hæreſim Arianam, ibid. Præterea & Sabellianam videtur inſtauraſſe, ibid. num. 31. alia eius inſania circa Verbum divinum, refertur & confutatur, d 57. n. 6 7. 8. & 9. Eius ac gregalium, & affinium hæreticorum ſophiſmata obiecta ac ſoluta, d. 57 n. 20. & ſeqq. Alia eius execranda hæreſis relata & reiecta, diſp. 58. n. 3 & ſeqq.

Michael Patriarcha Conſtantinop. quàm infenſus hoſtis Romanæ Eccleſiæ, & quàm impudenter negaverit proceſſionem Spiritus S. ex Filio. diſp. 90. n. 15. & 16. Eius audacia contra S. Leonem IX. Papam, ibid.

Miſsio perſonæ divinæ ſupponit proceſſionem illius ſubſtantialem à perſona mittente, d. 90. n. 30. & 31.

Montaniſtæ, ſeu Cataphrygæ hæretici in quo erraverint in Spiritum ſanct. d 54. n. 32.

Moyſes an antiquior Mercurio Triſmegiſto, d. 52. n. 19. 24. & 25.

N

NATIVITAS an verè & propriè conveniat Verbo divino relatè ad Patrem, d. 82. per totam.

Natura & perſona in divinis aliquomodo differunt, iuxta omnes Catholicos, adverſus hæreſim Arij & Neſtorij, diſp. 75. n. 9. In ea doctrina omnes Patres conveniunt, diſp. 77. num. 36.

Natura ſubſtantialis creata an diſtinguatur realiter ſeu modaliter à ſubſiſtentia, ſeu perſonalitate, diſp. 75. per totam. An præter ſubſiſtentiam egeat modo alio ſuperveniente ad exiſtendum, d 76. per totam.

Natura duplex in Chriſto integra, & ſuis proprietatibus diſtincta, in Concilijs definita, qualiter ſit intelligenda, diſp. 75. ſect. 7. per totam.

Negatio vnionis ad aliud ſuppoſitũ, qualitercumque accipiatur, nequit conſtituere naturam creatam in ratione ſuppoſiti, aut ſubſiſtentis, diſp. 75. ſect. 3 & ſeqq. latè.

Neſtorius Hæreſiarcha, in quo præcipuè erraverit. d. 75. n. 9. 10. 14. 15. 16. An negaverit vnionem veram inter naturam humanam Chriſti & perſonam Verbi, ibid. n 34. & ſeq. Anathematiſmi S. Cyrilli contra ipſum probati ſunt in V Synodo Generali, d. 75. n. 74.

Nicetas, & Nicephorus, quo tempore ſcripſerint, & qualiter negaverint proceſſionem Spiritus S. ex Filio, diſp 90. n. 16.

Nicolai V. Papæ vaticinium everſionis Græcorum ob ſchiſma, impletum, d. 91. n. 20.

Noetus Hæreſiarcha, quis & qualis eius error, d. 54. n. 22. & 23 ac ſæpe alibi.

Nomina quibus vtimur ad loquendum & diſſerendum de rebus divinis, & præſertim circa myſterium Trinitatis, qualia eſſe debeant, & qualiter vſurpanda, d. 56. n. 8. 9. & ſeqq. Nomina abſtracta & concreta, &c. qualiter accipienda, & prædicanda, ibid. n. 18. & ſeq. Nomen Dei præcipuum & antiquiſsimum iuxta Scripturam & Patres quodnam ſit, diſp. 74. n. 6 & ſeqq.

Nomina tributa Verbo divino in Scriptura, & apud Anſelmum, alioſque Patres, quænam ſint, & qualiter ijs vtendum ſit, d. 82. ſect. 2. & ſeqq. Nomen Patris, potius quàm matris, cur Genitori æterno adſcribatur, ibid. ſect. 6.

Notiones divinæ quot & quænam ſint, diſp. 98.

Νοῦς, ſive Mens divina, apud Platonem, quæ, d. 52. n. 6.

O

OBIECTVM Omnino ſimplex an poſsit partim videri, partim non videri, diſp. 68. n. 9. & ſeqq.

Obiectum beatitudinis formalis an ſit Deus vt vnus ſolùm, an etiam vt trinus, diſp. 69. ferè per totam.

Odium in Deo an ſit erga creaturas poſsibiles nunquam exituras, d 66. n. 96. & ſeq.

Omnia ſunt vnum vbi non obuiat relationis oppoſitio, effatum celebre S. Anſelmi pluribus locis exponitur, & confirmatur: præſertim diſp. 73. n. 12. & ſeqq. & diſp. 79. n. 13. & n. 25. cum ſeqq. & d 80. num 42. ac ſeqq. & d. 81. n. 37. cum ſeqq. & d. 63 latè.

Omnipotentia an poſsit comprehendi, quin pro eodem ſigno cognoſcãtur omnes creaturæ poſsibiles, d 65. n 12. & ſeqq. An connectatur neceſſariò cum ijs, ibid. n. 19. & ſeqq. An amor

amor neceſſarius omnipotentiæ inferat in Deo amorem neceſſarium creaturarum poſsibilium d. 66. ſect. 2. 3. 4. & 6.

Ομοούσιον. Vide ſuprà V. HOMOVSION.

Οντότης quid, & qualiter cõparetur ad τόδε, ſive ad ens, diſd. 7: num. 40.

Operationes ad extra, tam de facto, quàm de poſsibili, debent eſſe indiviſim communes tribus perſonis divinis, d. 68. n. 66. & ſeqq.

Oppoſitio relativa eſt neceſſaria ad diſtinctionem realem in divinis, d. 79. ſect. 2. & diſp. 81. ſect. 3. 4. & latiùs d. 93. ſect. 3. & 4. Non ſufficit oppoſitio diſparata, immo nec in divinis habet locum, ibid. latè.

Oraculum Apollinis Delphici de SS. Trinitate, diſp. 52. num. 10. Aliud Serapidis ad Thulem Regem, d. 58. num. 22.

Oracula Sybillarum circa Trinitatem, Incarnationem Verbi, & Paſsionem Chriſti, referuntur & illuſtrantur latè, d. 53. per totam.

Origenes an erraverit circa myſterium Trinitatis, d. 54. num. 2. & ſeqq. Damnatur in V. Synodo Generali cum ſcriptis ſuis circa ea omnia, in quibus à fide Catholica deviavit, ibid. num. 5. 6. 7. & 8. vbi & refelluntur qui ipſum hodieque tuentur. Eius interpretatio frivola aut evaſio ad negandam Filio Dei ſolidam divinitatem, refertur & refellitur, d. 85. num. 6 & ſeqq.

Origines an conſtituant perſonas divinas, d. 80. ſect. 1. per totam. An ſint priores aut poſteriores paternitate, filiatione, & proceſſione, ibid. num. 68 & ſeqq.

Ουσία, & ὑπόστασις voces ſtatutæ olim ab Eccleſia in Synodo Alexandrina, ad profitendum in Deo vnitatem ſubſtantiæ, ſive eſſentiæ, & Trinitatem perſonarum, d. 55. num. 36. circa earum vſum fuit diſsidium inter PP. Græcos ac Latinos, potiùs de nomine, quàm de re: ideoque ſingulis permiſſum vti idiomatis vtriuſque linguæ. Ibidem. Ουσία quid propriè ſit, diſp. 75. num. 2. an in creatis diſtinguatur reipſa ab hypoſtaſi, ſive ſubſiſtentia, aut perſonalitate, d. eâdem 75. per totam.

Ουσιῶν, & ἕξεις ἀϊδίων, qualiter accipiatur à Dionyſio Areopagita, d. 84. num. 23.

P

S. PASCHASIVS Cardinalis laudatur ſæpè in libris de Spiritu S. Extat apud Biblioth. Magnam Aniſſonianam Tomo VIII. Sæculo V.

Pater generatim loquendo eſt potior generationis cauſa, quàm mater, d. 82. num. 50. & ſequent.

Pater in divinis an ſit perſona ſubſiſtens, diſtincta à Filio & Spiritu ſancto, diſp. 37. per totam. An eius identitas cum ijs in natura & diſtinctio in perſona, ſit tradita in Veteri Teſtamento, diſp. 58. per totam. An in Novo, d. 59 per totam.

Pater per quam locutionem producat Verbum ſive Filium d. 61 per totam. An producat Filium per cognitionem omnium eorum, quæ ſunt in Deo formaliter, d. 64. per totam. An ex vi cognitionis omnium creaturarum poſsibilium, d. 65. per totam. An ex vi cognitionis creaturarum futurarum & exiſtentium d. 66. per totam. An viſio Patris ſeiuncta à viſione Filij & Spiritus ſancti eſſet beatifica, d. 69. per totam. An Pater pro priori originis ad Verbum intelligatur perfectè & eſſentialiter beatus, ibid. num. 33 & ſeqq.

Pater an in aliquo vero ſenſu iuxta ſacras litteras & Patres ſit maior Filio ſecundùm perſonam, ſeu dignitatem perſonalem, d. 73. num. 60. & ſeqq. An habeat propriam & peculiarem ſubſiſtentiam. d. 78. per totam, præſertim num. 44. & ſeqq. & num. 54. ac ſeqq. Patris perſona quo ſenſu per relationem cõſtituatur, d. 80. ferè per totam. Vbi & variæ opiniones reijciuntur, ac noſtra explanatur & defenditur latè. An ratio Genitoris & Patris verè ac propriè ipſi conveniat relatè ad Verbum, diſp. 82. per totam. Vbi impugnatur perfidia Sabellianorum, Arianorum, Mahumetanorum, & Iudæorum. Cur ſit in divinis Pater, cùm non ſit mater, ibid. num. 44. & ſeqq. Cur æternus Genitor potiùs Pater, quàm mater, dicatur, ibid. num. 47. & ſeqq.

Pater & Filius in quo conveniant & differant, d. 83. per totam.

Pater & Filius an verè & propriè diligant ſe Spiritu ſancto, d. 86. per totam, præſertim ſect. 2 & ſeqq.

Pater dicit ſe & omnem creaturam Verbo, d. 63. ſect. 3. 4. & 5. Quo ſenſu ſit vera & propria ea locutio, diſp. 86. ſect. 2. & ſeqq.

Patris & Filij amor, eiuſque magnitudo explanatur, diſp. 86. ſect. 4.

Paternitas quo ſenſu conſtituat perſonam Patris d. 80. ferè per totam. An differat realiter à ſpiratione activa, d. 81. ſect. 3. & ſeqq.

Patres Eccleſiæ cenſent, myſterium Trinitatis, & generationem Verbi divini, non poſſe demonſtrari rationibus naturalibus, d. 51. num. 14. & ſeqq. Probant Oracula Sybillarum circa myſteria divina, & nominatim circa divinitatem, miracula, & paſsionem Chriſti, d. 53. latè. Patres Concilij Nicæni, quanti & quales, d. 54. num. 10. laudantur nominatim aliqui eorum eximiè illuſtres, ibid. Ipſorum Symbolum refertur & explanatur,

diſp. 55. num. 2. & ſeqq. Sanctitas illorum quanta, ibid. num. 15. Qualis veneratio in tota Eccleſia, præſertim apud poſteriores Synodos, ibid. num 16 & ſeqq. Patrum communi doctrinæ quantum deferri oporteat in materia fidei ac morum, d 56. num 7. Eunomij impudentia in oppoſitum, reiecta à Baſilio, ibidem, & num. 9. Voces iuxta illorum ſtylum vſurpandæ, non aliter d. 56. num 9. 10. & ſeqq. Qualiter & vnde probaverint, Verbum ſolidum & ſubſiſtens in divinis, d. 57. num 9. & ſeqq. Docent myſterium Trinitatis non fuiſſe palam prædicatum ante Incarnationem Verbi, & plures rationes reddunt, d 58. num. 8. 9. & ſeqq. Qualiter probent myſterium Trinitatis ex Teſtamento Veteri, d. 58 ferè per totam Qualiter ex Novo, d. 59 ferè per totam. Quas regulas præſcribant ad ſolvenda argumenta hæreticorum contra myſterium Trinitatis, d. 60. ſect. 1. Qualiter exponant rationem Verbi increati, prout differt à creato, d. 61 ſect. 3 4. 5. 6. & 7. Docent rationem Verbi propriè ac ſimpliciter dicti in divinis non eſſe eſſentialem, ſed perſonalem, d 62 ſect. 2. Docent rationem Imaginis propriè in divinis eſſe, & ſoli Filio convenire, d. 70. ſect. 1. Docent vnamquamque ex divinis perſonis tam bonam & perfectam eſſe, quam duas reliquas, aut tres ſimul, d 73. ſect. 1. An ex mente Patrum ſubſiſtentia ſit reipſa & poſitivè diſtincta à natura creata, d 75. ſect. 7. An ſubſiſtentia aliqua in divinis abſoluta, iuxta illorum ſenſum, d. 77. ſect. 2. & 4. An cenſeant in divinis eſſe tres ſubſiſtentias relativas, d. 78. ſect 2 & 5. Docent, perſonas divinas non conſtitui proprietatibus abſolutis, ſed relativis, ſive relationibus, diſp 79. ſect 3. Qualiter origines ex illorum ſenſu ſpectent ad diſtinctionem perſonarum, d. 80. ſect. 1. Plura alia circa Patres vide in progreſſu Operis.

Patripaſsiani hæretici, quinam, & qualiter erraverint, d. 54 num. 21. An ijs adhæſerit, Sabellius, ibid. num. 29.

Paulus Apoſtolus, etiam in Dialectica excellens, iudicio S. Auguſtini, d 94. n. 18.

Paulus Samoſatenus hæreſiarcha, in quo erraverit, d 54. num. 30. Damnatus ab Eccleſia non ſemel, ibid. & d. 55 num. 8.

Perfectio ſimpliciter ſimplex, & Deo digna, an imporetur in amore creaturarum poſsibilium, diſp. 66. num. 34. & ſeqq. ac num. 114. & 115.

Perfectio an multiplicetur in divinis perſonis, d. 73. per totam. Perfectio diverſimodè vſurpatur, ibid. num. 9. & 10. Non eſt maior in duabus aut tribus perſonis, quàm in vna, ibid. num. 6. & ſeqq. Relationes divinæ ſecundùm proprios conceptus relativos, quatenus virtualiter diſtinctos ab abſolutis, non exprimunt aliquam perfectionem, ibid ſect. 4 & ſeqq. Nec poſſent illam exprimere, niſi reipſa multiplicatam, idid. num. 42. & ſeqq. latè.

Perfectio ſimpliciter ſimplex importatur in ratione formali ſubſiſtentiæ: ideque hæc in Deo eſt abſoluta, diſp. 77. n. 21. & ſeqq. latè.

Περιχωρησις, ſive circuminſeſsio perſonarum an ſufficiat ad ſtabiliendam æqualitatem illarum, ſi ſingulæ peculiarem perfectionem habeant, d. 73. num. 22. & 23. Quid ſit, & qualiter exponenda ipſa circuminſeſsio, diſp. 99.

Petrus Antiochiæ Patriarcha negavit proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio, & ea de re ſcripſit cum cõtemptu Latinorum, d 90. n. 16. & d. 92. num. 39. Refellitur, ibid. num. 40.

Philoſophi Ethnici an verè notitiã habuerint myſterij Trinitatis, d. 52. per totam: vbi de præſtantioribus illorum nominatim id diſſeritur. Sola revelatione, aut traditione, vel lectione librorum ſacrorum, illam aſſequi potuerunt, ibid. num. 17. & ſeqq. latè.

Philippus Melanctõn, Lutheri ſectator præcipuus, an erraverit circa myſterium Trinitatis, diſp. 54. num. 17.

Photiniani recentes hæretici in Polonia inſtauratores hæreſeos Arianæ, d. 54. n. 20.

Photius Patriarcha CP. quàm infenſus hoſtis Romanæ Eccleſiæ, d. 90. num. 13 Inuſtus anathemate in Synodo VIII. Generali, ibid. Plura de eodem d. 91 & 92.

Plato an myſterium Trinitatis agnoverit, & tradiderit ſcriptis, d 52. num 6. 11. 12. 13. 14. 15. & 32. cum ſeqq.

Plotinus an cognoverit myſterium Trinitatis, d. 52. num. 12.

Pneumatomachi hæretici, id eſt, Spiritûs S. impugnatores, quinam, & vnde error illorum cæperit, & quibus gradibus continuatus fuerit, d. 54 num. 31. & ſeqq. Impugnatur illorum hæreſis, d. 57 ſect. 4 & 5. atque alibi ſæpe. Probatur contra illos ſolida Spiritus S. divinitas, & vnitas ſubſtantiæ cum Patre & Filio, diſp 89. per totam.

Polytheiſmus à quibus hæreticis traditus, niſp. 58. num. 5.

Porphyrius qualiter de Trinitate loquatur, d. 52 num. 14.

Prædicationes nominum ſubſtantivorum & adiectivorum, eſſentialium & notionalium, quales eſſe debeant aut non debeant in divinis, diſp. 56 num. 30. & ſeqq. latè.

Praxeas hæreticus à Tertulliano impugnatus, an Patripaſsianorum ſignifer fuerit, d. 54. num. 21. Eius hæreſis circa Trinitatem damnata in Concilijs, d. 57. num. 39.

Priſcillianiſtæ hæretici diſipientes circa myſ-

myſterium Trinitatis, reſelluntur, diſp. 58. num. 5. & ſeqq.

Principia proceſsionum divinarum, quænam ſint diſp. 88. per totam. Principij notio multiplex ex Ariſtotele obſervata, ibid. num. 2. Quonam ſenſu vſurpetur in divinis iuxta Catholicos, ibid. n. 3 & ſeqq.

Proceſsio Spiritus ſancti à Patre & Filio, qualiter probetur ratione ab Anſelmo, diſp. 87 per totam. Proceſsionum divinarum principium an ſit natura divina immediatè, an potiùs intellectus & voluntas, diſp. 88. per totam. Proceſsio Spiritus ſancti à Filio à quibuſnam Græcorum negata fuerit & illorum impugnatio, diſp. 90. per totam. In quo Cõcilio Generali aut Provinciali fuerit primùm definita, diſp. 91. per totam. Particula *Filioque* quando primùm fuerit Symbolo addita, diſp. 92. per totam.

Proceſsionum divinarum diſcrimen an liceat veſtigare, diſp. 94. per totam. Qualiter illud expoſuerint Anſelmus & alij Patres, d. 95. per totam. Explicatur & defenditur latè, ibid. Quomodo alij Theologi, præſertim Recentiores, illud exponant, & illorum impugnatio, ibid.

Productio Verbi divini an ſit adæquatè & totaliter neceſſaria, diſp. 67. num. 59. & ſeq. & diſp. 88. n. 40. & 41.

Productio activa & paſsiva plurimum confert ad ſolidam diſtinctionem perſonarum divinarum intra eandem numero eſſentiam, diſp. 80. n. 7. & ſeqq.

Proprietates conſtitutivæ perſonarum divinarum, an ſint abſolutæ, vel potiùs relativæ. diſp. 79. per totam. Quo ſenſu proprietates relativæ conſtituant & diſtinguant perſonas in divinis, d. 80. per totam.

Proprietates ſolidæ Divinitatis verè conveniunt Filio Dei, diſp. 85. ſect. 2. per totam. Similiterque Spiritui ſancto, diſp. 89. per totam.

Q

QVÆ Sunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe, celebre effatum Ariſtotelicum. An ſit contrarium myſterio Trinitatis, & qualiter intelligendum, d. 60. ſect. 2. latè.

Quantitas propriè dicta nullum in Deo locum habet, diſp. 61. num. 32. Reijcitur inde hæreſis quædam Marcelli circa Verbum divinum, ibid.

Quarta in Trinitate perſona reijcitur in Concilijs Generalibus Quinto & Sexto d. 76. num 2. & d. 78. n. 36.

Quarta Synodus Generalis, id eſt, Calchedonenſis, definit vnicam in Chriſto perſonam contra Neſtorium, diſp. 75. num. 65. atque in ea duas naturas inconfuſas cum ſuis proprietatibus, ibid num. 79. & 81.

Quaternitas in divinis, quonam ſenſu proſcripta fuerit in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. diſp. 81 num. 21. & ſeqq Quaternitas relationum in Trinitate perſonarum adſtruitur, ibid. num 10 & ſeqq. Quaternitatem, non autem Trinitatem adorari debere, effutivit Anaſtaſius Imperator, ibidem num. 21. Percuſſus fulmine in pœnam eius blaſphemiæ, ibid.

Quidditas, vox Scholaſtica, quid ſignificet, diſp 74. num. 44. An de tribus perſonalitatibus divinis poſsint affirmari tres quidditates, ibid. & n. 56. ac ſeqq

Quintæ Synodi Generalis varia teſtimonia allegantur & explanantur, diſp. 54 num. 5 & ſeqq Vbi de Actis quibuſdam eius, induſtria vel nequitia Origeniſtarum ſepultis. Vide præterea, diſp. 75. num. 65 Probati in ea ſunt Anathematiſmi S. Cyrilli, ibid. num. 74.

R

RABBINI Quidam admittunt myſterium Trinitatis, veluti traditum in Scriptura, diſp. 58. num. 31. & diſp. 82. num. 37. ac 38.

Rabbinorum ſolutiones ad argumẽta Chriſtianorum pro myſterio Trinitatis, refutatæ, d. 58. num. 14. & ſeqq.

Raymundus Lullius cenſuit, ſe rationibus evidentibus demonſtraſſe myſterium Trinitatis, diſp. 51. num. 3. & ſeqq. Explanatur eius opinio de ea re, ibid à num. 5 An plures eius articuli damnati fuerint ab Eccleſia, ibid. latè. An iniuſtè notatus fuerit ab Eymerico, ibidem num. 7. 8. & 9.

Raymundus Tarraga diverſus à Lullio oſtenditur, diſp. 51. num. 10. Hebræus primùm, poſtea neophytus, ac tandem Hæreſiarcha, damnatus à Gregorio XI. ibid.

Regulæ ſervandæ in loquendo ac diſſerendo circa myſterium Trinitatis, diſp. 56. per totam.

Relationes divinæ an ex proprijs conceptibus addant perfectiones peculiares, diſtinctas virtualiter ab eſſentia, & realiter inter ſe, d. 73 per totam.

Relationes, quo ſenſu conſtituant & diſtinguant perſonas divinas, diſp. 80. per totam. An ſint prædicamentales, an potiùs tranſcendentales, ibid. ſect. 2. An ſint reales, etiam ſecundùm eſſe *ad*, diſp. 81. ſect. 1. An ſint quatuor, non plures nec pauciores, ibid. ſect. 2 An omnes illæ quatuor diſtinguantur reipſa inter ſe, ibidem ſect. 3. & ſeqq. An differant ſpe-

ſpecie, diſput. 81. numer. 67. & 68.

Relativa quænam ſint ex ſua ratione formali, diſp. 78. num. 28. & diſp. 80 num. 24. & ſequent. Vbi de illorum proprietatibus præcipuis.

Res in divinis an ſit triplex iuxta numerum perſonarum, diſp. 71 n. 4 & ſeqq. latè. ac poſtea num. 51. & ſeqq.

Ῥῆμα nonnunquam de Verbo divino accipitur ab Apoſtolo, d. 61. num. 47.

Ruffini conſilium in interpretandis libris περὶ ἀρχῶν Origenis minùs fideliter, improbatur à Patribus, d. 54 n. 3.

S

SABELLIVS Hæreſiarcha, quis, & qualis eius error, d. 54. num. 23. 24. 25. 26. 27. & 28. An adhæſerit Patripaſsianis, ibid. num. 29. Damnatus in pluribus Concilijs, præcipuè in Nicæno, diſp 55. num. 3 & 9. Reijcitur diſp. 57. num. 39. & ſeqq. ac præterea varijs locis decurſu totius Tomi. Vide etiam diſp. 82. per totam.

Sadducæorum hæreſis quænam, d. 57. n. 29. Reijcitur, ibid. & ſeqq.

Salus peccatoris an & quomodo ametur à Deo vi amoris auxiliorum ſufficientium, diſp. 66. num. 52. & ſeqq. latè

Scotus Subtilis Doctor ſæpiſsimè allegatur, eiuſque doctrina, aut defenditur, aut impugnatur decurſu Operis.

Scripturæ Sacræ innumera loca illuſtrantur decurſu Operis. An illa in Teſtamento Veteri tradat myſterium Trinitatis, d. 58 per totam. An in Novo, d. 59. per totam.

Senecæ inſigne monitum circa loquendum de Deo & rebus divinis, d 51 num. 47.

Sermo an poſsit prædicari de Filio Dei, quemadmodum *Logos* & *Verbum*, diſp. 61. num. 44. & ſeqq.

Servetus Hæreſiarcha, & Servetiani. Vide V. *Michael Seruetus.*

Sexuum varietas in divinis conficta ab Hæreticis quibuſdam, & Gentilibus, ac reiecta, d. 82. num. 41. & ſeqq.

Sibyllæ an verè cognoverint & ediderint myſteria Trinitatis, Incarnationis, & Paſsionis Chriſti, diſp. 53. per totam. Sibyllarum etymon. ibid. num. 2. Quot fuerint, num. 3. De ſingulis illarum nominatim, ibid. num. 4. & ſeqq, vſque ad 14. Quàm ſacra haberentur apud Romanos illarum carmina, ibid. nu. 14. Quanti fiant à Patribus præcipuè arguentibus adverſus Ethnicos, ibid. num. 15. & ſeqq. latè.

Simon Magus an primus author hæreſeon adverſus Spiritum ſanctum, d. 54. num. 32. & 33.

Spiratio activa an diſtinguatur reipſa à paternitate & filiatione, diſp. 81. ſect. 3. 4. 5. & 6. An aliquomodo ab ijs differat, & qualiter ad vtramque ſe habeat, ibid. num. 68. & 69. Vna & eadem in Patre & Filio relatè ad Spiritum ſanctum, d 90. ſect. 1. Quod intellige de ſpiratione formali, nam radicalis in vtroque eſt duplex, d. 93 n. 58.

Spiritus ſanctus an vtcumquè notus Philoſophis Gentilibus, diſp. 52. num. 36. & ſeqq. Eius divinitas an negata ab Arianis, & qualiter à Macedonianis, diſp. 55 num. 9. & 10. Inſuper ab Apollinariſtis, & generatim à Pneumatomachis, ibid num. 34 Damnatio eorum, & aſſertio divinitatis Spiritus ſancti in varijs Synodis, diſp 55 num. 37. & ſeqq. Spiritum ſanctum eſſe ſubſtantem perſonam, demonſtratur multipliciter contra hæreticos, diſp. 57. ſect. 5 per totam. Eius diſtinctio realis in perſona à Patre & Filio oſtenditur, ibid. ſect. 6 per totam. Identitas in natura demonſtratur ex Teſtamento Veteri, diſp 58. per totam. Itemque ex Novo, diſp. 59. per totam. An ſit contraria rationi naturali, d 60. per totam.

Spiritus S. an procedat ex amore creaturarum poſsibilium, diſp 65. ſect. 5. ferè per totam. An ex libero amore futurorum, diſp. 67. num. 75. & 76.

Spiritus S. eſt vnde ſunt vnum Pater & Filius, non vnde ſunt duo. Effatum S. Anſelmi explanatum & confirmatum, diſp. 81. num. 45. & ſeqq.

Spiritus S. qualiter, ſivè quo ſenſu, ab Anſelmo, & alijs Patribus dicatur, ac verè ſit, Amor Patris & Filij, diſp 84. per totam. Spiritu ſancto an ſe diligant Pater & Filius verè & propriè loquendo, ibid. ſect. 2. & ſeqq. latè.

Spiritus S. ad ſui productionem neceſſariò ſupponit memoriam in Patre, atque intelligentiam in Filio, diſp. 87. ſect. 3. Quæ eſt ratio proceſsionis illius ab vtroque, ibid. Æqualitas illius cum Patre & Filio, ibid. ſect. 4. Proceſsio per voluntatem, d 88. per totam.

Spiritus S. Divinitas ſolida demonſtratur ex ſacris litteris contra Pneumatomachos, d. 89. per totam.

Spiritus S. an procedat non ſolùm ex Patre, ſed etiam ex Filio, diſp. 90 per totam. In quo Concilio Generali aut Provinciali primùm definita fuerit eius proceſsio ex Filio, diſp. 91. per totam. Quando primùm particula *Filioque* fuerit addita Symbolo, diſp. 92. per totam.

Spiritus S. quando in Scriptura intelligatur, diſp. 57. n. 30. & 37.

Spiritus S. ſi non procederet à Filio, An diſtin-

ſtingueretur realiter ab illo, diſp. 93. per totam. Quo ſenſu liceat, vel non liceat veſtigare diſcrimen proceſsionis ipſius à proceſsione Verbi divini. diſp. 94. per totam. Qualiter id diſcrimen expoſuerit Anſelmus, & alij Patres, diſp. 95. per totam. Explicatur & defenditur ibidem latè. Quomodo alij Theologi, præſertim Recentiores, id diſcrimen exponant, & eorum confutatio, ibidem fine. Cur potiùs ratio Verbi conveniat Filio, quàm Spiritui ſancto, d. 97. per totam.

Subſiſtentia Veſbi an verè dicatur reddere humanitatem Chriſti ſubſiſtentem, diſp. 75. ſect. 9. per totam.

Subſiſtentia in creatis an ſit aliquid reipſa & poſitivè additum naturæ ſubſtantiali, diſp. 75. per totam. Varij modi exponendi eius rationem formalem reijciuntur, & verior eligitur, ibid. ſect. 5. & ſeqq. Subſiſtentia aliter apud Concilia & Patres, aliter apud Theologos Scholaſticos vſurpatur, ibid. ſect. 9. & d. 77. num. 10. 11. & 12. An in creatis ſit aliquid reipſa diſtinctum ab exiſtentia ſubſtantiæ diſp. 76. per totam.

Subſiſtentia in Deo abſoluta & communis, an ſit, diſp. 77. per totam. An præterea triplex relativa iuxta numeaum perſonarum, diſp. 78. per totam.

Subſiſtentiæ varia & multiplex acceptio apud Concilia, & Patres, & Scholaſticos, d. 77. num. 36. 37. & 38. Latiùs patet, quàm hypoſtaſis Græcè, ibid.

Subſtantia quid ſit propriè, diſp 75. num. 2. 4. & 5. Olim à Patribus Latinis dicebantur tres ſubſtantiæ in divinis, eodem ſenſu Catholico, quo à Græcis tres hypoſtaſes, diſp. 77. n. 43. & 44.

Suppoſitum an addat aliquid reipſa ſupra naturam creatam, diſp. 75. per totam. An detur in Deo ſuppoſitum commune & abſolutum diſp. 77. num. 2. 3. 4. 49. & ſeqq. Certum eſt dari tria ſuppoſita, ſicut & tres perſonas in divinis, d. 78.

Symbolum Nicænum contra Arianos præcipuè editum, refertur & exponitur, diſp. 55. num. 2, & ſeqq. Quam exoſum hæreticis, hodieque, ibid. num. 15. & 16. Quantæ veneratioñi fuerit toti Eccleſiæ, & Concilijs Nicæno poſterioribus, num. 17. 18. 19. 20. & 21. Symbolo Apoſtolorum quid addat Nicænum, & huic Conſtantinopolitanum, quo in Miſſa vtimur. diſp. 55. num 19 Symbolo Conſtantinopolitano quando primum addita fuerit particula *Filioque*, d 92. per totam.

T

TERTVLLIANI Inſignis locus contra Ethnicos, diſp. 53. num. 42. An erraverit circa divinitatem Spiritus ſancti, aut cèn ſuerit Montanum fuiſſe vnum cum ipſo, diſp. 54. num. 32. Varia eius loca allegantur decurſu Operis.

Terræmotus horribilis Conſtantinopolim quatiens, quomodo ceſſaverit, per invocationem SS. Trinitatis d. 58 n. 33.

Θαλία liber, ita inſcriptus ad Ario, planè crapularius, & ſcurrilitatibus plenus, 55. n. 21. & 22.

Theodoretus qualiter erraverit cum Neſtorio, & quomodo reſipuerit, diſp. 91. num. 24.

Theodori Bezæ impietas & blaſphemiæ inſolens contra SS. Trinitatem, diſp. 58. n. 3. Refutatur, ibid.

Theologia quibus principijs innitatur d. 56. n. 5. & 6.

Theophylactus quo tempore vixerit, & qualiter negaverit proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio, d 90. num. 14.

Thomas Doctor Angelicus innumeris locis allegatur, & plurima eius loca illuſtrantur decurſu totius Operis.

Traditionum authoritas ab Eunomio ſpreta, à Baſilio defenſa, d. 56. num. 7.

Tranſcendentales an ſint, vel potiùs prædicamentales relationes, quibus conſtituuntur & diſtinguuntur perſonæ divinæ. d. 80. num. 14. & ſeqq.

Tranſcendentia prædicata an multiplicẽtur in divinis perſonis, d. 71. per totam.

Tria perfecta in divinis, quo ſenſu aſſerantur apud Concilia, & Patres, diſp. 73. num. 53. & ſeqq.

Trinitatis exiſtentia an demonſtrari poſſit nuda ratione naturali, diſp. 51. per totam. An ſaltem ſuppoſita fide, ibid. à num. 12. & poſtea num. 28. Qualiter id myſterium tradiderit S. Anſelmus, ibid. num. 47. Quomodo circa illud diſſerendum ſit cum infidelibus, ibid. num. 48. Nulla vera demonſtratio contra illud fieri poteſt, ibid. num. 49. An poſſit demonſtrari ex effectibus ſupernaturalibus, ib. num. 50. An à Sibyllis nota, & illarum oraculis tradita, diſp. 53. latè, præſertim num. 33. & ſeqq.

Trinitatis circa myſterium, quinam præcipuè hæretici erraverint, diſp. 54. per totam. Vbi de ſingulis eorum latè. In quibus Concilij damnati fuerint, diſp. 55. per totam. Qualiter circa id diſſerere & loqui debeamus, diſp. 56. per totam. Vbi variæ regulæ & formulæ loquendi examinantur. Hæreſes directè contrariæ myſterio Trinitatis recenſentur, & confutantur, d. 57. n. 2. & ſeqq.

Trinitatis myſterium an colligatur ſatis ex Teſtamento Veteri, diſp. 58. per totam. An ex Novo, diſp. 59. per totam. An ſit contrarium ratio-

ſationi naturali, diſp. 60. per totam.

Tritheitæ hæretici quinam, & quando cœperint, diſp. 59. num. 3. Impugnantur latè, ibid. & ſeqq.

V

VALENTINI Hæreſiarchæ veteris deliramenta, circa myſterium Trinitatis, & Verbum Dei, diſp. 61. num. 30. ac præterea, diſp. 81. num. 41. & ſeqq. Reijciuntur ex ſacris litteris, ibid.

Valentinus Gentilis hæreticus ſæculo præcedenti, impugnator myſterij Trinitatis, allegatur ſæpe & reijcitur in hoc Opere: præſertim diſp. 57. num. 3. & ſeqq. ac diſp. 83. num. 53. & ſeqq.

Venus hermaphrodita ab Ethnicis putata, quin & nonnunquam *barbata* dicta, memoratur & irridetur, d. 82. n. 43.

Verbum diverſimodè uſurpatur in ſacris litteris, diſp. 61. ſectione ſexta per totam. Errores quorundam hæreticorum circa illud indicati & reiecti, ibid.

Verbum mentis an diſtinguatur reipſa ab intellectione, diſp 62. num. 9. 10. & 11. ac præterea, num. 61. & ſeqq.

Verbum divinum an ſit perſona ſubſiſtens, d. 57. ſect. 1. 2. & 3. Verbi divinitas & conſubſtantialitas cum Patre & Spiritu ſancto, an colligatur ex Teſtamento Veteri, diſp. 58. per totam. An ex Novo, diſp. 59. per totam. An ſit contraria rationi naturali, diſp. 60. per totam.

Verbum divinum per quam locutionem procedat diſp. 61. per totam, Verbi increati à creato multiplex diſcrimen, ibid. ſect. 4 & 5. Verbi multiplex acceptio in ſacris litteris, & varijs errores hæreticorum circa illud, ibid. ſect. 6. per totam. Verbum non metaphoricè, ſed propriè accipitur in ſacris litteris de Filio Dei, ibid. ſect. 7. per totam. An idem quod ſermo, ibid. n. 45. & ſeqq.

Verbum in divinis an ſit eſſentiale, an potiùs perſonale, diſp. 62. per totam. An ſit Verbum, aut ſimilitudo rerum factarum, d. 63. per totam Verbi ſummè neceſſarij, & coæterni Deo, demonſtratur exiſtentia, ibid. ſect. 3. per totam. Eius conſubſtantialitas cum perſona loquente oſtenditur, ibid. ſect. 4. Deum eodem Verbo dicere ſeipſum & creaturas, ibid. ſect 5. Has verò in illo meliùs eſſe, ac veriùs, quàm in ſeipſis, ibid. ſect. 6. & 7.

Verbum an per ſe procedat ex cognitione omnium eorum, quæ ſunt in Deo formaliter, diſp 64. per totam. An ex cognitione omnium poſsibilium, diſp. 65. per totam. An ex cognitione non entium, & impoſsibilium, ibid. num. 76. & ſeqq. An ex cognitione creaturarum futurarum, vel exiſtentium, diſp. 67. per totam.

Verbum divinum accipere eſſe à Patre per veram & perfectam nativitatem, veluti perſonam diſtinctam, & eiuſdem numero naturæ cum ipſo, diſp. 82. per totam. Verbum divinum an iure ac merito ab Anſelmo appelletur PROLES ſummi ſpiritus, ſive æterni Patris, aut genitoris, diſp. 82. ſect. 2. & 3. vbi de alijs appellationibus Verbo divino tributis apud Scripturam & Patres. Rationem Geniti & Filij Verbo Dei proprijſsimè convenire, diſp. 82. ſect. 4. & 5. Cur potiùs ſit & dicatur Filius, quàm filia, ibid. ſect. 7. idque veriſsimè & proprijſsimè, ibid. n. 60.

Verbum divinum in quo conveniat & differat à Patre, d. 83. per totam. Vbi plura & varia de illo. Quo ſenſu oriatur ex memoria fecunda, ibid. num. 73 & ſeqq. An ſit autotheos, diſp. 84 per totam. An ſit verè Deus, & homouſios Patri, diſp. 85. per totam. An ratione ſuæ proprietatis perſonalis ſit ſapientia formalis relativa, vt aliqui Recentiores volunt, d. 85. ſect. 4.

Verbum divinum oriri à Patre non per naturam immediatè, ſed per intellectum, oſtenditur ex Patribus contra Durandum, diſp. 88. num. 11. & ſeqq. latè. Verbum in divinis cur ſit vnum tantùm, d. 99 per totam. Verbi ratio propria, cur potiùs conveniat Filio, quam Spiritui ſancto, d. 100 per totam. Vbi plura & varia ad Verbum ſpectantia.

Veritas an ſit triplex reipſa in divinis perſonis, diſp. 72. per totam. Veritatis multiplex acceptio, ibid. num. 2. 3. 4 & 5. Non eſt triplex in divinis, ibid. num. 8 & ſeqq. latè. Quomodo id cohæreat cum eo, vt in divinis ſit triplex entitas, realitas, & vnitas relativa, ibid. num. 24 & ſeqq.

Virtus creata principalis ad mittendum aut dandum Spiritum ſanctum vel in ſe, vel in donis ſuis, an repugnet omnino, d. 96.

Virgilij plura illuſtria carmina à Conſtantino Magno interpretata de Chriſto Domino, diſp. 52. num. 22. & 23. 24. 25. 26. 27. 28. itemque ab Auguſtino, ibid.

Viſio beatifica, vt cognita, an ducat in evidentem notitiam Trinitatis, diſp. 51. num. 50. & 51. Viſio an poſsit eſſe vnius perſonæ divinæ, quin & reliquarum, ibidem: ac pleniùs & ex profeſſo, diſp. 68. per totam. Viſio eſſentiæ ſine perſonis, aut vnius perſonæ ſine alia, an eſſet beatifica eſſentialiter, diſp. 69. per totam. An eſſet anxia, ibid. num. 17. & ſeqq. Viſio beatifica multiplex ſpecie, ſicut & gratia habitualis alterius ſpeciei ab exiſtente, an repugnet, d. 96. ſect. 3.

Vnigenitus cur ſit & dicatur Filius Dei,

disp. 82. n. 52. & latiùs, d. 98. sect. 4. ac disp. 99. sect. 2. & 3.

Vnio substantiva, sive hypostatica naturæ creatæ ad divinam personam, repugnat, nisi auferatur aut impediatur aliqua forma positiva subsistentiæ à natura creata, disp. 75. sect. 2. & seqq. latè. Vnio substantialis naturæ creatæ subsistentis ad personam divinam, quatenus existentem, est impossibilis, disp 76 num. 32. & 33. Impugnatur inde distinctio realis subsistentiæ creatæ ab existentia, ibidem.

Vnitas an sit triplex reipsa in divinis, iuxta numerum personarum, disp. 71. num. 13. & seqq Vnitas, sive singularitas Patris, tum Filij, tum Spiritus S. in divinis, probatur latè, d. 98. sect. 4. & d. 99. sect. 2. & 3. Vnitas cuiuslibet perfectionis simpliciter simplicis in divinis, d. 73. sect. 2. & 3. ac d. 10. sect. 3.

Vnum sunt omnia in divinis, vbi non obviat relationis oppositio. Effatum verissimum S. Anselmi, ex doctrina Conciliorum & Patrum, ac communi ferè Theologorum consensu, probatur, disp. 73. num. 12. & disp. 79. num. 13. ac num. 25 & seqq. ac latiùs, disp. 93. sect. 3. & 4.

Voces quænam vsurpandæ sint in mysterio Trinitatis, aut è contrà proscribendæ, disp. 56 per totam.

Voluntas Dei an feratur in creaturas possibiles, amore aliquo, eóque aut necessaria, aut libero, disp. 66. per totam. An amet obiecta illa, circa quæ in nulla duratione aliquid efficit, ibid. n. 27. & seqq.

Voluntas an rectè probetur & demonstrativè colligatur ex intellectu, disp. 87. per totam.

Vrsæ fortiores, quàm vrsi, disp. 82. num. 48. similiter accidit in pantheris, secus verò in cæteris ferè animalium generibus, ibid.

Vsia, vide οὐσία.

Y

Yπαρξις quid propriè significet, disp. 74. num. 20. 21. & 22.

Z

ZOROASTER, Eiusque sectatores Magi an cognoverint mysterium Trinitatis, d. 52. num. 4.

Zωώσις, quid significet, d. 83. num. 54.

BIBLIOTECA PROVINCIAL Y DEPOSITO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL VALENCIA

Pagina	Columna	Linea	Habetur	Lege.
35	2	37.	*prompſeri*	*promptêre.*
69.	1.	20.	ἀβετεῖῶ	ἀβετεῖῶ.
Ibid.	1.	20.	ſperandam,	ſpernendam.
123.	1.	23.	rum Filij	loca, in quibus.
144.	1.	13.	ranciva	rancida.
Ibid.	1.	13.	pardipenſa	parvipenſa.
161.	1.	34.	*Vocabat*	*Vocatur.*
308.	1.	6.	*charactere*	*character.*
309.	2.	34	*Dei*	*Dei imago.*
318.	1.	8.	TERTIA	QVINTA.
344.	1.	1.	XXIII.	LXXIII.
371.	2.	17.	τῶνει	τῶν.
399.	2.	44.	vlteriori	vlterioris.
Ibid.	2.	47.	ſingulari	ſingularis.
400.	1.	37.	increatæ	incertæ.
467.	2.	35.	Græcorum	Græcum.
534.	2.	42.	dæmonum	dæmonem.
543.	1.	12.	Conſilium	Conſiliarium
557.	1.	14.	PRIMA	SECVNDA.
559.	1	40.	*Autoſophina*	*Autoſophian.*
594.	1.	15.	expertem	expers.
631.	1.	29.	definitam	definita.

Præter hæc errata, quæ ſaltu atim legenti in oculos incurrerunt, forſan alia plura deprehendet Lector, aut levia, aut correctu facilia, quæ diſſimulet, aut emendet. Sanè nonnihil ampliùs condonandum Auctori, propter nimiam diſtantiam officinæ typographicæ à ſuo S. Vincentij Collegio, quæ in cauſa fuit, vt non, niſi ſemel, ſingulas paginas corrigeret, idque inconſulto autographo. Salmanticæ Idibus Februarij Anno DC. LXXXI.

Magiſter D. Petrus Mendez,
Humaniorum litterarum Primarius Anteceſſor, & Corrector Vniverſitatis.

SERIES CARTARVM HVIVS TOMI.

§. §§. §§§.

A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. O. P. Q. R. S. T. V. X. Y. Z. Aa. Bb. Cc. Dd. Ee. Ff. Gg. Hh. Ii. KK. Ll. Mm. Nn. Oo. Pp. Qq. Rr. Ss. Lt. Vv. Xx. Yy. Zz. Aaa. Bbb. * **

Omnes ſunt Quaterniones, præter §. §§. qui ſunt Terniones, & §§§. qui eſt ſimplex, & Oo, qui eſt Quinternio.

SALMANTICAE,
APVD *LVCAM PEREZ*, TYPOGRAPHVM VNIVERSITATIS,
ANNO M. DC. LXXXI.

Pagina	Columna	Linea	Habetur	Lege.
35.	2.	37.		
69.	1.	20.		
Ibid.	1.	20.		
123.	1.	3.		
144.	1.	13.		
Ibid.	1.	15.		
161.	1.	34.		
308.	1.	6.		
309.	2.	34.		
315.	1.	4.		
344.	1.	4.	XXIII.	IXXIII.
371.	2.	17.		
399.	2.	44.		
Ibid.	2.	47.		
400.	1.	37.		
467.	2.	35.		
534.	2.	42.		
548.	1.	12.		
577.	1.	14.		
579.	1.	40.		
594.	1.	15.		
631.	1.	23.		

BIBLIOTECA REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL PALENCIA

1.743